+ vi..
A. XXXIII m
49537/B.



Georg Erneſtus Stahl, Onoldo Francus,
Med. Doct. h. t. Prof. Publ. Ord. Hall.

42550

GEORGII ERNESTI STAHLII

THEORIA MEDICA VERA, PHYSIOLOGIAM ET PATHOLOGIAM,

TANQVAM

DOCTRINAE MEDICAE PARTES

VERE CONTEMPLATIVAS,

e NATVRAE & ARTIS

VERIS FVNDAMENTIS

INTAMINATA RATIONE ET INCONCVSSA

EXPERIENTIA SISTENS.

EDITIO ALTERA CORRECTIOR

ET

INDICE LOCVPLETIORE PRAEDITA

CVM PRAEFATIONE

D. IOAN. IVNCKERI,

M. P. P. O.



WELLCOME

HALAE, IMPENSIS ORPHANOTROPHEI MDCCXXXVII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

BENEVOLO LECTORI

S. D. P.

IOANNES IVNCKER.

STAHLII *Theoria medica* cum typis chalcographicis de nouo expreſſa in lucem iterum emittatur: de veſtitus externi immutatione, quam altera hæc impreſſio ob oculos ponit, paucis exponere congruum iudicamus. Trecennium fere elapſum eſt, a quo tempore eximius hic liber primum editus fuit; ac tum quidem illius viſendi tam magna multorum erat exſpectatio, vt merci vendibili, quæ plures mox emtores habitura

ſit, facile illum æquiparaſſes. Iam vero ſi in contrarii euentus cauſſas inquiramus; cur ſcilicet huius mercis exactus non adeo celer & opportunus fuerit: confidenter omnino adſerere audemus, valorem illius *intrinſecum* minime hic eſſe accuſandum. Sicut enim hæc *Theoria* medica nouum plane ſyſtema orbi erudito contemplandum offert, validisque rationibus & ſolidis argumentis ea, quæ a Maiorum placitis recedunt, vbique defendit & confirmat: ita doctiſſimorum Virorum plures mox habuit admiratores; quorum non nullos iudicaſſe nouimus, non facile librum ad eam eruditionem & dignitatem conſcriptum eſſe. Interim multi dum nucleum æſtumando laudant, de cortice conqueruntur: videlicet veterem de ſtili obſcuritate querelam canunt, & præcipue periodos nimis longas modumque interpungendipro perſpicui ſenſus impedimentis habent. Neque diſſimulamus, hoc ſcribendi genus ſuas habere difficultates, ideoque vires non omnibus

eſſe

eſſe conceſſas, vt huius corticis duritiem leui labore diffringere poſſint: quando enim graues ac ſublimes doctrinæ ſtilo grauiore & dictionibus ſæpe emphaticis ac figuratis proponuntur, tum maior omnino difficultas lectori obiicitur. Verum enim vero ſi potiorem harum querelarum rationem inire velimus, re vera in neglecto linguæ latinæ ſtudio maiorem culpam apud pleroſque ponendam eſſe comperiemus. Nam plures illorum, qui medicinam addiſcere cupiunt, adeo hanc linguam negligere ſolent, vt neque latine loqui, neque auctores paullulum ſublime ſcribentes intelligere, ſed vix ac ne vix quidem ſtilum tenuem & familiarem legere valeant. Quare minime miramur, ſi eiuſmodi inexercitati lectores auctori noſtro obſcuritatem opponant: res enim grauioris momenti lingua non ſatis cognita percontari, duplicem inuoluit difficultatem. Quæ vero vt altera hac editione quodam modo auferatur, forma extrinſeca, fratris mei opera, paſſim mutata, &

ſenſus difficilis, quantum fieri potuit, clariori ſenſui redditus eſt. Quem in finem breuiarium cuiusuis paragraphi in marginem poſitum videbis, & diſtinctiones nimias, vbi ſenſum obſcurare videntur, hic omiſſas, illic mutatas reperies. Interim abundantes illas particulas, e. g. *ita omnino vtique*, *vltimo denique tandem*, aliasque, quibus auctor noſter res memorabiles præcipue inculcare voluit, quæque ſenſum minime obſcurum reddunt, reſcidiſſe incongruum fuiſſet. Quæ porro externæ formæ immutationes, ad eumdem clarioris ſenſus finem collineantes, nouæ huic editioni acceſſerint, ipſa ocularis inſpectio docebit. Cæterum ſicut prior index perquam breuis & incompletus fuit, præſens autem adeo locuples factus eſt, vt non facile obſeruationem quamdam notabilem in illo prætermiſſam inueneris: ita vel hæc acceſſio librum hunc reddet commodiorem. Vale! d. d. IV. Non. Ianuar. MDCCXXXVII.

PRAE-

PRAEFATIO AVCTORIS.

BENEVOLO LECTORI.

FELICITATEM!

APud Plutarchum de Rhetoribus celebribus inuenimus, quod Corinthius quidam Orator tabulam fixerit, qua promitteret Medicinas verbales aduerſus omnis generis afflictiones: quomodo vero ipſi ceſſerit negotium, non itidem memoratur. Ad illas certe ægritudines, quæ ab exiſtimatione potius humana quam vera æſtimatione pendent, verba, ſed prudentia tamen, & vero ac intaminato ſenſu λόγοι, orationes & rationes, quin exquiſite conducere poſſint & vere

prodeſſe, nemo dubitat. Ad vera vero ipſius corporis damna verborum ſolatia nuda adhibere, irritum certe foret & inane; tantiſper vtique, dum adhuc efficaciora occurrunt remedia, quæ corporea etiam efficacia corporis malis condigne conſulere poſſint, nempe potenter mederi. Tanto magis itaque cauendum certe eſt, ne ordo peruertatur, & loco efficacium remediorum inania conſilia, & quolibet vocis ſenſu perſuaſiones inſtruantur: id eſt, quod prouerbium habet, verba nobis dentur. Puto neminem fore, quin agnoſcat, quod omnino iuſtum atque æquum dicam: ſed & aliquos fore auguror omnino, qui illud in dubium trahant, quod hoc monitum vſum quemcunque habere poſſit, cum nemo facile credi poſſit, tam ſeriis atque neceſſariis rebus nuda verba deſtinare velle. Interim, quod hoc aliter, & eo maxime modo, ad quem mea reſpicit oratio, ſeſe habeat, documento eſſe poſſunt partim tot diſſonæ ſententiæ, de intelligendis atque medendis corporis humani malis, hodie paſſim largiſſimo prouentu oberrantes, partim numero plurium Medicorum, de vno eodemque morbi genere rogatorum, diſcrepantes opiniones, partim denique artificiorum tam prolixe laudatorum communiſſime, ſi res ſine omnibus præiudiciis æſtimetur, adeo dubius, languidus, imo ſæpenumero manifeſti ancipitis periculi euentus, vt paſſim ni-

hil

hil fidum, nihil ſolidum, nihil conſtans, aut ad minimum nihil promtum atque præſens impetretur, quod non alibi, auſcultando & obſequendo ſpontaneis naturæ actionibus, aut inſiſtendo eiusdem veſtigiis, multis modis felicius obtineatur. Hæc certe res cum exquiſitam conſiderationem, ſi quæ alia, omnino mereatur, cauendum vtique eſſe exiſtimo; ne verbales illæ Medicinæ, etiam ad corporis neceſſitudines temere translatæ, & ab ipſa rerum natura in diuerſum abeuntes, non ipſæ ſolum nos deludant, ſed etiam meliora ſubſidia atque media nobis eripiant, dum illis operam dare, imo inuigilare, præ iſtorum lenocinio negligere auderemus. Ingens certe eſt opprobrium, quod Plinius hiſt. nat. lib. XIX. mortalibus impingit, dum nihil homini ſic, quemadmodum rerum naturæ, placere ait. Quid autem verum, quid certum, quid ratum habebunt mortales, ſi naturæ placita, acta atque geſta, cum reſcindere non poſſint, negligant ad minimum & contemnant? Sane vero hanc viam inſiſtere nihil vtique aliud fuerit, quam a rebus, quæ vere exſiſtunt, ſimpliciter ad fictiones mentis & inania ſomnia digredi. Quisquis hoc non probat, inſiſtet potius Senecæ monito ſane aureo, adſerentis, hanc eſſe ſapientiam, in naturam conuerti, & eo, vnde error expulit, reſtitui. Certe ipſæ corporis ægritudines ſunt hi ipſi lapſus, quibus e naturæ inte-

 grita-

gritate corpus excidit. Vbi ſteterit, quomodo conſtiterit, qua ſemita deflexerit, quorſum reuertendum ſit, quis pateat aditus, quæ via? aliunde, quam ex ipſis hiſce comparationibus, fruſtra quisquam ſperauerit comprehendere. Hæc itaque via digna certe erit, quam eligamus, quotquot veram atque ſolidam reſtitutionem concuſſarum rerum corporis in integrum feliciter adſequi anhelamus. Non placet vllo modo ab hac ſimpliciſſima via digredi. Vnde, miſſis aliorum περιέργοις, per planum & directum incedendo hoc vnum dico, producere me in præſenti opere viam ſinceram penitus, ad remedia vere appropriata, ipſis naturæ greſſibus atque methodis conformia, agnoſcenda. Ipſam, dico, veram methodum, non magis corpus, quam motus corporis conſeruatorios, damnorum auerruncos, alienorum victores, propriorum ſtatores & reſtauratores, tanquam in poteſtate habendi, aut certe optimum conſilium illis adhibendi, ſi vlla ſpes auxilii locum admittat. Siſto tibi Lector, naturæ humanæ ſolers indagator, PHYSIOLOGIAM, de veris illis operationibus loquentem, quas φύσις humana adminiſtrat; PRINCIPIVM, inquam, MOTVS ET QVIETIS, in hoc corpore rerum potiens. Commonſtro, quid hoc agat atque præſtet, a corporis, quatenus corpus eſt, tota indole alienum; VITAM STRVCTVRAM, VSVM, & perennem harum rerum, & pro his

rebus,

rebus, non magis ACTIVITATEM, quam etiam agendi NECESSITATEM, non PHYSICAM ſimpliciter, propter MATERIAM, aut CORPVS, quatenus tale, ſed MORALEM, FINALEM nempe, PROPTER VSVS, non CORPORIS aut CORPORI, ſed ANIMAE, vt INTELLECTVM atque VOLVNTATEM in multa atque varia obiecta exercentis. Eadem regia certe via perluſtro penetralia PATHOLOGIAE. Non CORPORIS, quatenus ſimpliciter tale, MIXTVM aut STRVCTVM eſt, varias atque faciles LABEFACTATIONES, quæ POSSINT ipſi obtingere in momenta & innumeris quaſi modis, ſed VITAE impedimenta, SCRVPVLOS quaſi & qualiacunque OBSTACVLA, quæ vſitatis huius laboribus, indeſinentibus vtique & irreuocabilibus, noua negotia obiiciunt, & CVRIOSOS imo SOLLICITOS ANFRACTVS imperant, & labores faceſſunt, SALVTARES interim corpori, aut certe eo tendentes, imo connitentes, ſicuti PROPORTIONE reſpondentes & ad neceſſarium ſcopum impetrandum collineantes. Euoluo ibidem PATHETICAE certe huius naturæ etiam generalia in hoc genere πάθη, CONSVETVDINES, INDIGNATIONES, TERGIVERSATIONES. Puto autem me hic etiam reperiiſſe, quod alias ſine controuerſia RATIONALIS ANIMAE, vti eſt poſt lapſum ſuum, præcipuum eſt vitium: BONAM INTENTIONEM,

 SED

SED MALAM INVENTIONEM, IN GENERE, inquam, BONAM voluntatem, BONVM intellectum; IN SPECIE vtrumque ERRABVNDVM, INSTABILEM, VAGVM, imo plane, vt ſcriptura notat, TEMERARIVM ET METICVLOSVM, (ein troꜩig und verꜩagt Ding.) Quid ab hoc principio, & nusquam aliunde, exſpectare debeat tam THEORIA quam THERAPIA, ſpero me indicaſſe. Hoc ipſum proprie volui; hoc nunc ſatis eſt. Ego diuinæ benedictioni habeo gratias, quod hactenus, pro immenſa ſua bonitate, ſuppeditauerit res & vires. De hominum iudicio parum ſollicitus ſum, tanto minus, cum non amplius ſim puer: iam autem etiam puer riſerim Gallum Aeſopi. Tu mecum Deum ora, vt nobis largiatur ἐν ἀληθείᾳ αὐτάρκειαν. Dei dona non bona ſolum ſunt ſed perennia. In tuo autem ordine eo enitere, vt compos fias voti illius, imo moniti Homerici:

ἄλκιμος (ἄξιος) ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

CON-

CONSPECTVS
TOTIVS LIBRI

PRAEMISSA SVNT NONNVLLA B. AVCTORIS SCHEDIASMATA, ANTE HAC SEORSIM EDITA.

I. Disquiſitio de mechanismi & organismi diuerſitate Pag. 1.
II. Paræneſis ad aliena a medica doctrina arcendum 43
III. Demonſtratio de mixti & viui corporis vera diuerſitate 65
IV. Vindiciæ & indicia de ſcriptis ſuis 133

A. PHYSIOLOGIA.

Procemium p. 191
Sect. I. de vita & ſanitate 199
Membr. I. de ſcopo ſeu fine corporis 202
II. de materiali habitu corporis 210
III. de ſtructura corporis in genere 214
IV. de organismo vitalis conſeruationis 218

Art. I.

Art. I. de circuitu humorum cum ſanguine 221
II. de organiſmo motus humorum 227
III. de temperamentis 232
Membr. V. de actiuitate vitali 241
VI. de ſecretione & excretione vltimo vere formali vitæ organiſmo 247
VII. Art. I. de lymphæ ſecretione 254
II. de ſeri ſecretione 258
III. de mucoſitatis ſecretione 265
IV. de bilis ſecretione 267
V. de fæcibus aluinis 270
VI. de lacte & ſpermate 273
VII. de lactis ſecretione 277
VIII. de ſaliuæ ſecretione 282
VIII. de diuerſitate corporis & actionum ſecundum ſexum 292
Art. I. exactior penſitatio excretionis ſincere ſanguineæ 300
Sect. II. Membr. I. de rebus non naturalibus 307
II. de cibo & potu 318
III. de motu & quiete 329
IV. de ſomno 332
V. de excernendis 337
VI. de animi pathematibus 338
Sect. III. de nutritione 349
IV. de generatione 370
V. de ſenſu 395
VI. de motu locali 413
Breuis repetitio ſummorum capitum medicæ phyſiologiæ 423

B. PA-

B. PATHOLOGIA.

Pathologiæ præcognita 441
Pars I. Pathologiæ generalis
Sect. I. de hiſtoria paſſionis in genere 445
Membr. I. Art. I. qui rarius ægrotent 447
Art. II. qui frequentius ægrotent ibid.
Art. III. hiſtoria energiæ ægritudinum in genere 448
II. hiſtoria diſpoſitionis conſpicuæ ad morbos, ſeu cauſſarum morborum in genere 450
Art. I. de ſubiectis ægrotationis in genere 453
III. quod ratio reddi non poſſit, cur homo naturaliter moriatur 454
Sect. II. de cauſſis morborum in genere 459
Membr. I. de maxima corporis diſpoſitione ad morbos, imo ad mortem 460
II. de conſtitutione corporis humani a morbis ſuſcipiendis aliena 463
III. de veriſimillimo habitu potentiæ materialis ad ſuſcipiendas læſiones, & poteſtatis impedientis, ne hæc in actum deducatur, in ordine ad morbos 465
Membr. IV. de cauſſa generali exitus morborum ſalutaris, & reparationis damnorum 467
Sect. III. de generali differentia pathematum 470
Membr. I. de differentia noxarum a morbis, & moleſtiarum propter ſanitatem 472
Art. I. exemplum dictorum 476
II. de diuerſitate morbi ſanabilis & lethalis 479
Sect. IV. de verioribus cauſſis generalioribus morborum 481

CONSPECTVS.

Membr. I. de plethora 483
II. de ſpiſſeſcentia ſanguinis 485
III. de neceſſariorum motuum extraordinariorum vario habitu 489
Art. I. de conſuetudine ægrotandi 493
IV. de temperamenti habitu ad morbos 497
V. de tempore morborum 501
Art. I. de ætatis habitu ad morbos 506
Sect. V. de veris propioribus cauſſis ægritudinum, quatenus ſpeciebus differunt 509
Pars I. Specialem habitum cauſſarum & effectuum præter naturam exhibens 511
Sect. I. de hæmorrhagia 512
Membr. I. de hiſtoria cauſſarum hæmorrhagias producentium 516
II. de vero habitu cauſſali ad hæmorrhagias producendum 519
Art. I. de hæmorrhagia narium 529
II. de hæmoptyſi 545
III. de vomitu cruento 553
IV. de hæmorrhoidum fluxu 561
V. de mictu cruento 573
VI. de varicum manatione 577
VII. de vteri hæmorrhagiis 581
VIII. de lochiorum fluxu 595
IX. de fluxibus ſanguinis vere paſſiuis 600
Sect. II. de congeſtionibus ſanguinis 604
Membr. I. de congeſtionibus ſimplicioribus, vt hæmorrhagicis 612
II. de rheumatiſmo 616
III. de inflammatione 626
IV. de doloribus 639
Sect. III. de motibus in corpore præter naturam affectis 647

Membr. I.

Membr. I. de tonicis præter naturalem menſuram variationibus 662
II. de ſpasmis 667
III. de conuulſionibus 673
IV. de defectibus motuum 685
Sect. IV. de febre ſeu febribus in genere 701
Sect. V. de aduentitiis 718
Art. I. de ſenſibilitate 727
II de rebus toto genere præter naturam 736
Pars III. Specialisſima, de ſingularibus ſpeciebus affectionum p n. 737
Sect. I. de ſpecialibus hæmorrhagiis, & affectibus cum illis connexis 739
Membr. I. de hæmorrhagia narium morbida 740
Art. I. de phlegmatorrhagia narium 748
II. de hæmoptoë 752
Art. I. de tusſi 759
II. de phthiſi 767
III. de vomitu cruento 775
Art. I. de malo hypochondriaco 778
II. de vomitu nigrorum 792
IV. de hæmorrhoidibus 795
Art. I. de malo iſchiadico 806
V. de menſium vitiis 813
Art. I. de pasſione hyſterica 839
VI. de mictu cruento 845
Art. I. de nephritide 847
II. de calculo renum & veſicæ 859
VII. de hæmorrhagiis a nuda vi externa 884
VIII. de ſuppresſione ſanguinis fluxuum 893
Art. I. de hydrope 894
II. de cachexia 905
III. de œdemate 912

CONSPECTVS.

Membr. IX. de incongruis hæmorrhagiis 920
Art. I. de emiſſionibus ſanguinis non ſpontaneis incongruis 924
Sect. II. de congeſtoriis ſpecialisſimis affectibus 933
Membr. I. de doloribus congeſtoriis 936
Art. I. de cephalalgia ſanguinea ibid.
II. de cephalæa 940
III. de doloribus capitis catarrhalibus 951
II. de rheumatismis ſpecialiora 954
III. de inflammatoriis affectibus 957
Art. I. de inflammatione apoſtematode 958
II. de gangræna 965
III. de ſphacelo 968
IV. de vlcere 977
V. de furunculo & carbunculo 983
VI. de cancro 987
VII. de ſcirrho 1000
IV. de affectibus ſpaſticis 1003
Art. I. de ſpasmo ſimplici, cynico, & aſthmate ſpaſtico ibid.
II. de epilepſia 1010
III. de doloribus ſpaſticis, arthritico-podagricis 1027
V. de defectibus motuum 1052
VI. de ſolidarum partium vitiis 1064
VII. de deliriis 1069
VIII. de venenis 1075

DISQVI.

DISQVISITIO
DE
MECHANISMI
ET
ORGANISMI
DIVERSITATE:
QVA
MONSTRATVR,

Quod peculiaria genera phyſicarum rerum, quae & ſpecies numeroſas, & indiuidua numeroſiſſima quin innumera complectuntur, & prae reliquis rebus naturalibus ad fiendum, transeundum, redeundum aptae immo natae ſunt, non ſimplicem mechanicam ſed vere organicam a priori & a poſteriori rationem, deſtinationem & adplicationem habeant; adeoque talia, qualia ſunt, non ſolum, vt propter finem, fiant, ſed etiam omnino fieri debeant.

A. Ω.

§. I.

HVmanus animus vti peculiari ratione præ omnibus aliis, quæ ipſi notæ ſint, creaturis ſciendi ita auidus eſt, vt etiam intentione agili ad hunc effectum feratur, & reuera inquietus ſit, donec illud, quod ſibi noſcendum propoſuit, aſſequatur: ita hoc ipſo documentum edit *intimioris* ſuæ *indolis*, quæ in *actione*, in *motibus agitandis*, in progreſſu & circuitu inter res, & de re ad rem ita conſiſtit, vt quicqnid nos de ea, (illa inquam de ſe ipſa,) ſcimus, hoc vnum ſit, quod ſcire, aſſequi, deprehendere, comprehendere velimus.

Sciendi auiditas de intimiore indole humana teſtatur.

§. II. *Voluntas* ipſa, actus ille humanæ indolis vltimus, quid eſt, niſi contentio ad deprehendendum, ad comperiendum, imo experiendum ſeu percipiendum τὸ quale rerum, nempe ſecundum quod vel gratæ, iucundæ, acceptæ iudicantur, adeoque dignæ ad quas moueatur easque propius ſibi admoueat, aut quæ moleſtæ amoueantur, & longe a contactu & commercio totius indolis humanæ abſint.

Voluntatis contentio idem docet.

§. III. In hac quidem non tam actione quam agendi intentione notatu omni modo digna eſt intima illa, & promtiſſima quidem, *aſſequendi dexteritas*, qua ingentem numerum rerum, non ſolum ſpeciebus ſed inprimis ipſo numero differentium, incredibili velocitate ex aliqua quidem parte aſſequitur, ex altera vero parte peculiari prorſus

Aſſequendi dexteritas, quæ per intellectum & voluntatem exercetur.

ſus intentione & cupiditate inſequitur. Illud *intellectu* agit vero, & omni modo ſolido atque firmo, hoc *voluntate*, peculiari quadam ratione ita etiam conſtante, vt communiter per vniuerſum vitæ tempus inconcuſſa maneat, & conſtanter has res perſequatur.

Hoc vberius explicatur.

§. IV. Loquor de ſubtiliſſimis rerum ſpeciebus, quæ tenerrimis ſenſoriis actionibus, olfactu, guſtu, auditu, ex parte etiam viſu, & tactu teneriore percipiuntur. Intellectum ibi exerceri ex eo manifeſtum eſt (1) quod præſentiam illarum veram, dum reuera præſto ſunt, non ſolum agnoſcit, ſed etiam (2) dignoſcit: neque ſolum in genere negatiue, quod non ſit hoc, non ſit illud, iuxta quæ ſentitur, vt nullum vnum horum idem eſſe quod alterum agnoſcatur: (quamuis vel leuiter animum aduertentibus ſatis diluceſcat, quod etiam hæc diiudicatio non poſſit fieri ſine penitiore intellectu ſeu iudicio veræ & realis differentiæ, ſeu formalis habitus) ſed etiam (3) poſitiue & directe illud quod eſt definiatur, adeoque non tam alienis quam ſuis propriis terminis circumſcriptum comprehendatur. Quamuis autem hæc ſufficientia & directa quidem documenta ſint, quod intellectu hæc negotia abſoluantur, præſto tamen eſt vltimum adhuc veluti princeps, quod (4) voluntas communiter has diiudicationes præſentiſſime ſequatur, vt illas ſpecies rerum, quas tales deprehendit, etiam velit aut nolit, cum nempe non ſolum iucundas, gratas, expetendas, pulchras habeat & declaret, id eſt, aliquo voluntatis motu ad illas vergat, ſed ſubinde & multis exemplis, etiam impetu quodam & quidem pertinaci easdem proſequatur, & manifeſto non ſolum petat, ſed etiam operoſioribus inſectandi apparatibus magnopere connitatur, ad illas ſæpius, diutius, imo perpetuo impetrandum atque iis fruendum.

Modus intelligendi non comprehenditur.

§. V. Digniſſimam conſideratu eſſe hanc rem, veram hanc atque ſolidam *rationem* (ſine vulgo dicta ratiocinatione craſſa) & *electionem*, puto facile mecum ſenſuros eſſe, qui vllo exactioris iudicii vſu pollent imo gaudent, eumque ad huius negotii contemplationem transferre cordi habent. Quæ vero ibi rationes ſubſint, vti de modo intelligendi, quomodo ille intellectus tot rerum, tam præſentiſſimus, exerceatur, comprehendendo nihil ſpero; ita de ratione iſtius voluntatis, appetitus inquam, ſecundum quem res aliqua, imo tantus rerum numerus grati, accepti, iucundi nominibus inſignitur, quin potius ipſo actu appetitur, optatur, placet, in mentem venire poſſet, ac ſi propterea voluntate ad illas res earumque frequentiorem vſum ferremur, quod illarum veram conſtitutionem etiam ita penitus pernoſcere

Voluntatis aliqua ratio reddi poſſet.

cupiat

cupiat mens humana, vt ipſa etiam *ratiocinatione* illas complecti, adeoque velut abſolutum de illarum abſoluto habitu intellectum, ſeu potius conceptum, aſſequi tentaret, aut ad minimum tenderet.

§. VI. Sed obſtat alterum oppoſitum, nempe voluntatis remouentis atque recedentis actus, ſeu declaratio pro iniucundo, adverſo, odioſo, fugiendo atque amoliendo. Quæ animi propenſio cum facile in tantum rerum numerum cadat, in quantum oppoſita illa appetendi intentio, nullum cum noſtro negotio admittit nexum, nempe cognoſcendi penitius intimiorem & magis abſolutum rerum habitum: ſiquidem ipſam cognitionem rerum quarumcunque, etiam in ſe ſpectatarum, refugere, nouum certe adhuc magis implicatum cauſandi & concipiendi impedimentum inuolueret. Sed obſtat eiusdem fuga & auerſio.

§. VII. Quemadmodum autem facilior certe huius æſtimationis vt grati vel ingrati ratio reddi poteſt, & ſolidior quidem e comparatione talium rerum ad vſus corporeos, quæ tamen præſentem locum iam non poſtulat: ita ducit tamen nos ad conſiderandam ad minimum facti veritatem, quod nempe etiam humanus animus peculiari quodam voluntatis ſtudio feratur ad talium rerum etiam magis abſolutam conſtitutionem ita intelligendam, vt etiam *ratiocinationi*, id eſt, figurali repræſentationi atque conceptui, ſub ſtabili figura, menſura, adeoque etiam numero & loco innoteſcerent. Animus humanus cur peculiari voluntatis ſtudio feratur ad intimiorem rerum conſtitutionem pernoſcendam.

§. VIII. Si vnquam excitata ad hoc negotium comparuit indoles humana, fuit hoc certe ab aliquot hucusque luſtris, quibus ad minimum reſuſcitata emicuit diligentia, quam iam ante plura ſecula aliquibus cordi fuiſſe monumenta teſtantur, a *Democrito*, *Epicuro* & ſequacibus eorum ad nos transmiſſa. Nec inſequi eam ſolum hæc propoſita vidimus, ſed etiam hinc inde tanquam de re perfecta feliciter gaudere, & multum ſibi ſumere, quaſi penitus in intima totius rerum creatarum myſterii penetraſſet. Diligenter hæc res exercita fuit.

§. IX. Teſtatur autem contrarium non ſolum ingens ſed plane capitalis difficultas, quod in illa ſua gloria ſui ipſius obliuiſcatur, & nullo modo meminerit, quid ſua hic interſit. Dico, quod qualicunque tandem illa ſua præfiguratione ne in vnica ſpecie ſeorſim, neque vniuerſo etiam complexu totius huius intuitus, æſtimationis atque comprehenſionis in genere, nullum vsquam *reſpectum* complectatur, non ſolum propter quem, ſed ne quidem ſecundum quem vlla res totius huius vniuerſi ſibi, humanæ inquam indoli, bona aut mala, grata aut ingrata eſſe poſſit aut plane debeat. Specialis autem reſpectus rerum nondum innotuit.

quia propria ſingularum conditio adhuc latet.

§. X. Enim vero debuerat certe huius reſpectus tanto magis comprehendi ratio, ſi vera *propria ſingularum conditio* innotuiſſet; ita enim e plurium comparatione elucere vtique deberet illa etiam mutua proportio, & inde etiam probabiliter aliqua huius ratio: ſed non ſolum nihil horum in mentem veniſſe apparet, verum comparet etiam abunde huius defectus cauſa, quod nempe non niſi generaliſſimæ quædam affectiones in mentem venerint, eoque ipſo nulli ſpeciali reſpectui aut effectui adhibendæ.

Generalis reſpectus ſeu adfectionis ratio adhuc defectu laborat.

§. XI. Quamuis iterum iterumque merito vrgeam, quod etiam generaliſſimæ illius affectionis ratio eo adhuc næuo & inſigni omnino defectu laboret, quod nullam plane proportionem præ ſe ferat, qua vero illi effectui reſpondeat, vt voluntati humanæ τὸ gratum aut aduerſum offerat. Non in hunc locum aut præſens tempus cadit, expreſſiones illas taxare, quibus huic negotio conſuli putatur, quando *ſuaue* inde nominari dicitur, quod partes corporis ſenſorias ſuauiter afficiat, & hoc quidem omnino per illum ſui habitum, qui etiam abſolute ſpectati eſſentiam abſoluat, nempe per proportionem figuræ, magnitudinis, mobilitatis ſpecialis. Cum enim hoc ipſum aſſertum nihil ſit, niſi nuda craſſa petitio principii, illa non ſolum indigna eſt, quæ operoſius refellatur, ſed anſam etiam præbet iuſtiſſimam præmonendi, vt ab huiusmodi argumentis & vlla aduerſus ea, vt inſanabilia, diſceptatione alieniſſimos nos eſſe conſtet: & ſi locus eſſet bene monentibus, vt etiam, qui alias aliquid intelligere videri volunt, a talibus proferendis ſibi temperent. Quis enim logicam in triuiis adhuc manu terens adoleſcentulus audiat eiusmodi ratiocinia: *ſuaue*, ſeu *ſuauitas* ſenſui oblata, ſeu actiue conciliata, eſt certæ figuræ alicuius ſubtilis corporis talis peculiaris effectus, quem nomine ſuauitatis exprimunt homines, ſermonis adeoque diſcretionum vocalium compotes? Apage talia.

Probatur ex inepta definitione, quid ſit ſuaue.

Hi reſpectus generali rerum eſſentiæ quadrant.

§. XII. Sicut autem interim hoc humanæ rationis ſeu conſiderationis ratiocinantis inuentum exiguum vtique eſt, & in generali ſuo imo generaliſſimo habitu & re admodum ſimplex, & vſu certe ſterile: ita tamen non eſt plane nullum, ſeu ſimpliciter ab omni veritate alienum. Aſſequitur enim vtique tales rerum reſpectus, qui, ſi voluntatis cuiuscunque immediatus inprimis concurſus abſit, generali rerum eſſentiæ ſic ſatis quadrent, & ſatis veriſimilitudinis veluti ſubindicent, de potentia etiam ſpecialiorum factorum & exiſtendi modorum. Quemadmodum enim duæ ſunt diſtinctæ conſiderationes, *rei vt eſt*,

&

& *rei vt ſit*, & iterum huius poſterioris duplex diuerſitas, *vt fieri poteſt*, & *vt fieri debet:* ita certe ſic ſatis quadrat illa conſideratio eſſentiæ rerum, quæ illam in numero, figura & magnitudine ponit, ad habitum rerum ſimpliciter vt ſunt, & vt eſſe poſſunt.

§. XIII. Sed non ſubeſt in hoc reſpectu vllus ſiue ſimplex ſiue reciprocus habitus ad voluntatem. Plane diuerſa vero eſt conſideratio *rei vt fieri debet*, vtpote quæ non ſolum ipſo effectu, vt fine obtinendo atque præſtando, voluntatem Agentis & vlteriorem deſtinationem effectus ipſius præſupponit: (ipſum enim τὸ debere fieri ſemper inuoluit etiam ipſius facti finem, propter quem non fieri tantum ſed debere fieri intelligitur) ſed talem etiam mediorum ad illum effectum habitum erga ipſum Agens, vt illud propter illum habitum etiam hæc talia media velit, & vtilia ſibi, id eſt, ad ſummam deſtinationis ſuæ grata, iucunda reputet. Non autem ſpeciali habitudini, qua res fieri debent.

§. XIV. Quantumlibet autem, vt diximus, parum quidem ſed tamen non nihil aſſecuta ſit humana mens, in allegata illa conſideratione rerum ſimplicis magis exiſtentiæ, vti ſunt, aut caſu veluti eſſe poſſunt: ita animum prudenter aduertendo ſatis certe diluceſcit, quod nimio minus profecerit vel in agnoſcenda, ne dum cognoſcenda illa habitudine, qua res fieri debent, ita, inquam, certo omnino modo & non alio fieri; & debent omnino, ſeu non poſſunt non, & inſuper ita fieri. Iterum dico, quod huius intuitus paruam rationem habere hodie, nedum habuiſſe appareant homines, dum adeo parum de ORGANISMO in animum admittunt, imo comprehendunt vſquam ſeu intelligunt, ſed vnice in MECHANISMO hærent, quamuis ipſo etiam re vera perperam ſumto atque intellecto. Hæc habitudo non recte cognoſcitur, hinc adeo parum de organiſmo intelligunt.

§. XV. Certe quoties fragmenta illa, hinc inde ab antiquitate ad noſtra tempora adhuc tranſmiſſa, attentius conſidero, miror non tam antiquorum ſagacitatem, quam poſteriorum animi auerſionem loco aduerſionis, ad illam recte accipiendam, ne dum proſequendam, imo vero pariter vtili propria ſponte & habilitate præſtandam. Loquuntur antiqui in ordine cauſarum phyſicarum de CASV. Nempe dicunt, quod variæ mutationes phyſicæ, generationes & corruptiones Caſu fiant. Equidem Caſum inter cauſas rerum quocunque modo efficaces numerare nec ego ſuſceperim, neque forte quisquam alius attentius loqui amans, vt nempe intelligi velit, a Caſu aliqua agitari ſeu produci. Interim caſu aliqua imo multa fieri ad minimum diſtinctioni conſonum erit, quando perpendetur, fieri aliqua, imo multa, alia vere poſitiua quadam & euidentius cauſali ratione, caſui contraria. Fragmenta antiquorum de hac habitudine. Caſu aliqua fieri dixerunt.

Fatum cauſis phyſicis immiſcuerunt.

§. XVI. Ridentur pleriſque veteres, qui etiam FATVM cauſis phyſicis immiſcuerunt. Quomodo hoc deſcribant, & an illo ſenſu proprie adeoque & vnice agnoſci mereatur, minime contendo. Illud autem certe contendo, non tam quid dicant veteres, verum quid voluerint aut certe potuerint quin debuerint dicere, merito conſiderandum eſſe.

Digreſſio de peruerſo refutandi modo.

§. XVII. Inepta enim vulgo habetur diſputatio in tractatione rerum, ſimpliciter aliorum errores circa illas res refellere; interim neque rei ipſi melius conſulere, neque ſolum vel verbo innuere, quod illud quod refellitur, opinionis potius de rebus, quam ipſarum rerum ſit vitium. Quamuis enim alias in diſputando ſimpliciter ingens ſubinde ſit παρόραμα, ſi loco ſimplicis refutationis contrariæ theſeos temere ſe immiſceat, qui ita opponit, in ipſius theſeos poſitiuam emendationem; cum plane diuerſæ ſint res, aliquid vere docere, aut e contra falſum pro vero obtrudere, adeoque recte & omnino ſufficienter monſtrari poſſit, quod falſa aſſertio pro vera haberi non mereatur, quantumlibet etiam non proprie rei ipſa veritas in ſe deducatur. Valet tamen omnino contrarium, quando vel in te ſuſceperis rem melius deducere atque explanare, vel, loco falſæ hypotheſeos de aliqua re deſtruendæ, in vniuerſum totius rei exiſtentiam atque veritatem temere in dubium vocare, aut ſimul tollere & negare ſuſceperis.

Sententia de caſu & fato explicatur.

§. XVIII. Ego veterum ſententiam de Caſu & Fato circa res phyſicas intueor pro conceptu, de vera illa diſtinctione circa productionem ſpecierum, vel indifferentem magis, vel conſulto, deſtinato, & propter euidenter certum finem, ſuſceptam. Vt ſit ſenſus, alias quidem rerum corporearum ſpecies, & inprimis in variis ſpeciebus ingentem indiuiduorum numerum naſci & corrumpi, ſine vlla euidente deſtinatione, ſine vllo certo præfixo *Fine*: adeoque etiam occaſionem ita gignendi, nihil certi, nihil firmi, nihil deſtinato ſeu finaliter neceſſarii inuoluentem, *Caſum* dici poſſe; cum hoc vocabulum, etiam de aliis quibuslibet rebus vſurpatum, perpetuo talem circumſtantiarum indolem atque ſeriem denotet, vbi nihil vlla intentione aut conſilio agitur, ſed omnia, quanquam fiant, improuiſis & inconſultis concurſibus nituntur. Alias autem ſpecies partim euidentius a priori certis vſibus, vti fini conſtanti atque certo deſtinari, adeo vt illis vſibus neceſſariæ ſint, nec illi ſine his vſquam perpetrari atque præſtari valeant; partim a poſteriori, nunquam vſquam talis ſpecies, aut vllum eius indiuiduum occurrat & reperiatur, quin euidentiſſime & penitus indubie talibus vſibus,

bus, tali inquam vſui, & nulli vſquam alteri rei, formali ſua conſtitutione ſeruiat, & non magis dicatum ſit, quam ipſo actu addictum. Hanc autem deſtinationem veriorem aliquem cauſalem reſpectum habere, poſitiuum inquam, non ſolum propter quem velut in genere, ſed etiam ſecundum quem ſpecialius actus producendi non tantum ſuſcipiatur, ſed etiam ita, vti tali ſcopo exacte congruit, dirigatur, & tanquam ad amuſſim abſoluatur: putamus ſatis manifeſtum fore, reſpondere ſano ſenſu *Fatali neceſſitati fiendi* phyſice ſumtæ. Caſum e contra non pro notione rei cuiuſquam poſitiuæ, nedum vllo modo efficacis, accipiendum interpretamur, ſed pro pura notatione abſentiæ iſtius indolis, qua deſtinationem & ordinatum progreſſum ad certum finem niti, tam numeroſis & maxime ſpecioſis exemplis corporeis diluceſcit.

§. XIX. Propioribus his temporibus, quibus non ſolum *Democritea* ſed etiam *Epicurea* principia iterum coli cœperunt, apparet harum rerum diſtinctio denuo tanto magis neceſſaria. Democriti certe tanquam ſimplicior ſententia ſic ſatis euidenter vera atque dilucida comparet, nempe quod omnia, quæ non ſolum in craſſos ſed etiam ſubtiliores ſenſus incurrunt, coagmentata & coaceruata ſint e corpuſculis numero incomprehenſibili, magnitudine vero ſigillatim inſenſibili. Quomodo autem hæc ipſo actu coaleſcant, a quo *agente* ita coniungantur, vix quicquam adeo diſerte ab ipſo conſtitutum comparuerit. Epicurus autem, poſtquam diuinitatis concurſum his rebus eximere auſus eſt, neſcio quos *impetus* illis affinxit, inter neceſſitatem generalem & fortuitas fluctuationes ſpeciales ita titubantes, vt fruſtra ab illis quidquam exſpectetur, inprimis deſtinatarum phyſicarum rerum indoli quoquo modo reſpondens. *Diſtinctio inter deſtinationem & fortuitum impetum cur neceſſaria.*

§. XX. Non tam ſecuti illum ſunt quam in eosdem fluctus abrepti multi ex his, qui reliquum illud dogma de *corpuſculari coagmentatione* agnouerunt: vt nempe pariter de deſtinatis illis effectibus nihil cogitantes, aut ipſos plane longe aliter, quam in vero facto ſunt, effingentes, re vera plane peruerſo ordine præcipua *caſui* attribuant, leuiora *neceſſitati.* *Corpuſcularis coagmentatio.*

§. XXI. Enim vero quis vel ipſum Epicurum, ſi hæc vere eius ſunt ſcita, vel hos, qui talium autores fieri adfectant, audiat, tanquam abſolute credendam veritatem vniuerſalem præſcribentes, quod vniuerſa hæc tam latiſſime patens vniuerſi moles, & tantum ſyſtema tot rerum, de quarum magnitudine & multitudine ipſis ne quidem quidquam in mentem venit, in illam diſpoſitionem *caſu* aliquando ita difflu- *Epicuri ſectatores deſtinatos effectus phyſicos peruerterunt.*

 xerit.

xerit, vt ſingula eum ſitum, quem hactenus habent, ita arripuerint, aut in illum ita lapſa ſint, poſtquam autem hunc talem ſemel ita ſubierunt, poſt hac *neceſſitate* nuda & inuiolabili illum ſeruent. Quis a talibus, qui tantas res tanta temeritate in talem ordinem non tam coniiciunt quam disiiciunt, exſpectet conſiderationem v. g. leuiſſimarum apparentium ſed ſane etiam nullo intuitu ita abſolute minimarum rerum, quæ circa corporea ſubiecta per voluntatem humanam geruntur, imo voluntati humanæ magno numero, & ſpecialiſſimis neque profecto ita oſcitanter negligendis modis, & adhuc magis methodis, inſeruire atque obſequi conſpiciuntur, omnino tamen ſine vlla alia a priori neceſſitate, imo abſolutiſſime nulla diſpoſitione directa ad ita fiendum aut non fiendum, niſi vnice ſecundum intentionem voluntatis humanæ, quomodo, quando, & quantum huic placuerit.

Non conſiderant, minimas res voluntati humanæ inſeruire.

§. XXII. Viderunt quidem paulo circumſpectiores nodos hoſce, ſed pœnitendis plane inuentionibus illos ſoluere aggreſſi ſunt. Vna harum eſt, tales res tanquam difficiliores ſeponere. Sed peſſimo profecto more hoc fit, vt reliqua quidem tanquam indubiæ veritatis conſtituantur, & illis plane *æternæ* quædam *leges* prætexantur: quando vero in medio ſuppoſitarum harum legum curſu promptiſſima quædam, ſubinde etiam quolibet intuitu friuola, præterea ratione ab iſtis præſuppoſitis legibus alieniſſima interuerſio contingit, toti proinde ſyſtemati iſtarum præfiguratarum legum atque rationum e directo oppoſita; præterea non rariſſime forte, & per longam ſeriem inſolitarum occaſionum, ſed familiariſſime, imo potius numeroſis exemplis ſeu potius totis ſpeciebus ſolenniter & ordinarie non tam contingit quam competit atque debetur, neque leues quidem ſed maximi momenti in ſpeciebus rerum phyſicarum res atque actiones, neque paucas illas ſed multas inuoluit: quis inquam amabo hic ſeſe ſubmittat æquo animo nouo tali &, ſi cætera æqua eſſent, profecto iniquiſſimo edicto: iſta quidem reliqua pro veris atque certis vtique habenda eſſe & agnoſcenda, quæcunque autem, & quidem circa eaſdem res indiuiſo reliquo nexu comprehenſa, illarum ſuppoſitionum contrarium ſiſtant & exhibeant, ſeponenda eſſe. Nemo vtique damnabit ingenue factam confeſſionem, quod multa talia explicari non poſſint: at nemo etiam feret calidam illam & contentioſam aſſertionem, quod talia principia explicandi, quæ de tot eiusmodi rebus non vera ſunt, de aliis nihilo ſecius vera eſſe debeant, & quidem in vno eodemque genere efficiendi aut eſſendi.

Prudentiores quomodo hos nodos ſoluere voluerint.

Aeternæ leges.

§. XXIII.

§. XXIII. Alii ambitu quodam vtuntur, admirabilia talia eſſe. Certe! ſed adhuc mirabilius eſt, quod inter medias illas neceſſitates, tam confidenter non vt admirabiles ſed vt ſimpliciſſimas propoſitas, conſtituta talia & profecto inſeparabili nexu cum iſtis ſociata, in illis iisdem rebus, in quibus nexus ille conſiſtit, veritatem iſtarum ſuppoſitarum neceſſitatum irritam reddant, & adeo quidem penitus etiam omnem ſimilitudinem veri ſubterfugiant, vt loco vllius applicationis nihil niſi nudam admirationem relinquant.

Alii effectus phyſicos admirabiles declarant.

§. XXIV. Alii alia vtuntur techna, & ſane vel admittunt dolum, quo ipſi fallantur, vel committunt, vt alios fallant. Tragica loquuntur. Damnant nimiam ſciendi cupiditatem, æquitati animi hoc imputant, vt velit placide & bona ſua pace aliqua neſcire. Pulchre certe, ſi cordate atque candide! Sed nihil minus fit ab his, qui ita ſuadent, dum ſaltem ita diſſimulatam volunt reliquæ ſuæ ſcientiæ re vera falſitatem, quandoquidem hæc propoſitio, ſecundum rei naturam vere intellecta, nihil aliud quam hoc vult: Opiniones certas debere pro veris agnoſci, adeo quidem, vt etiam diuinæ voluntati directe adſcribantur; vbi vero in multis & præcipuis aliis negotiis non veræ ſed re vera falſæ deprehendantur, illud æquo animo diſſimulandum, neque de veritate ipſarum abſoluta quicquam detrahere etiam propugnandum eſſe. Hæccine virtus eſt, moderationis nomine aliis iniungenda?

Alii cupiditatem hos effectus perſpiciendi moderandam ſuadent.

§. XXV. Certe ſi hæ res, quantum fieri poteſt, circumſpecte penſitentur, nihil euidentius dilucеſcet, niſi quod vniuerſa hæc implicatio ortum ſuum habeat e neglectu diſtinctionis vniuerſalis illius differentiæ factorum & fientium, ſiue ſecundum manifeſtam intentionem ſeu deſtinationem debito modo ad certum finem, ſiue ſimplicius, ſine euidente aliqua ſiue intentione ſiue vera directione, ſed magis nudo veluti quodam fluxu & fortuito impetu, velut a priori temere inter ſeſe occurrentium & concurrentium cauſarum.

Neglectio diſtinctionis inter deſtinationem & fortuitum impetum.

§. XXVI. Cum interim hæc res non ſolum ad veritatem tam factorum quam modorum fiendi melius & agnoſcendam & quadantenus etiam cognoſcendam plurimum conducat, imo etiam vſum habeat eximium, & alicubi certe talem, quo ſine magno rerum noſtrarum diſpendio carere non poſſumus, digniſſimam certe ſemper habui, imo hodieque profecto habeo huius rei debitam conſiderationem. Diſtinctam dico euolutionem iſtorum modorum, atque methodorum fiendi, quibus ingens numerus rerum corporearum naſcitur, denaſcitur, & variis modis renaſcitur atque ſubnaſcitur, nullo certo conſilio, nullo

Veritas factorum & modorum fiendi vſum habet.

præfixo tempore, numero, exquiſite neceſſario ſitu, ordine, ambitu, quin etiam nullo certo (inprimis ſi æſtimatio aut exiſtimatio detrahatur) fine ſeu vtili, ſeu neceſſario. Et contra ingens numerus, & operoſiſſimarum inprimis ſpecierum, ita prouenit, imo producitur, conſit, coordinatur, coaptatur, & certiſſime propter ſpecificum & quolibet intuitu nobilem atque ſpecioſum finem, & inſuper etiam ſecundum illum finem, phyſica proportione illi fini reſpondente.

Specialis vſus. §. XXVII. Quemadmodum enim hæ res, his modis conſideratæ, multum lucis affundunt, etiam ſimpliciter ad hiſtoriam reliquæ indolis rerum luculentius percipiendam; ita habent etiam tanto digniorem vſum, ad ſubueniendum ſubinde atque ſubſeruiendum eiusmodi rebus, & quidem illud ipſum etiam non ſolum cum & ſub certa aliqua intentione ad finem deſtinatum directa, ſed etiam modo atque methodo intentioni ſiue deſtinationi tali decenter quadrante.

Tranſitus ad hanc tractationem. §. XXVIII. Nondum autem placet rem hanc ſtatim ſpecialiſſime, antequam quocunque modo explicata ſit, ſtatim applicare, & ad illum vſum adhibere, quem vtique in Medicina habet non ſolum eximium, ſed excellentem plane imo vnicum; ita certe, vt quicquid hoc modo atque more non agnoſcitur, cognoſcitur, imo etiam poſthac artificiali directione inſtruitur, omne irritum ſit & vanum. Quod etiam aliter eſſe aut fieri abſolute omnino nequit: cum enim veritas non niſi vna res ſit & ſimplex, quicquid ab illa quoquo modo abeſt, alienum omnino ſit neceſſe eſt. Vnde potius in genere totam hanc rem perluſtrabimus, MECHANISMI ſimpliciter & ORGANISMI non ſolum diuerſitatem, ſed vtriusque etiam in diuerſis neque certe leuibus aut exiguis imo etiam minime paucis rebus exiſtentiam atque veritatem cordi habentes.

Appellatio mechanismi §. XXIX. Maximo hodie imo paſſim perpetuo & abſoluto in vſu eſt appellatio *Mechanismi*, *mechanici*, *machinæ*, *poteſtatum mechanicarum*: ſed vbi vsquam vera huius appellationis ſignificatio reperiri poſſit, talis inprimis, quæ vſitatis applicationibus variis quadret atque ſatisfaciat, non ſatis ſcimus, vbi diſerte propoſita inueniri poſſit. *Proprietates* quidem *mechanicas* paſſim appellari conſtat, figuram, magnitudinem, ſitum, imo etiam mobilitatem. Has etiam aliquibus *potentiarum mechanicarum* nomine venire non ignotum eſt: ſed ſimul etiam paſſim occurrit, magis tamen in fragmentis explicationum quam ſyſtematibus poſitionum, poteſtatibus mechanicis additus *motus*, ſiue, eiusque explicatio. vt alii loqui amant, *niſus motorius*, *vis motoria*. Vt ita hoc ſenſu illud tan-

tandem mechanicum, tanquam in concreto aut potius toto complexu, intelligendum ſit, quod & certa figura, & certa magnitudine, & certo habitu ad motum, imo denique actuali certo motu, quin inſito mouendi principio inſtructum ſit.

§. XXX. Interim ſub aut cum his ipſis conditionibus nusquam æque ſupponitur ſiue motuum illorum, ſiue niſuum in diuerſis ſubiectis vllus reciprocus reſpectus tendentiæ ſtricte inter ſe mutuo deſtinatæ: quaſi nempe vllum vnum tale ſubiectum ad quodcunque aliud ſimpliciter, finaliter, tanquam propter certum finem impetrandum, tendat ſeu nitatur. Quales nempe peculiares propenſiones antiqui paſſim aſſignauerunt rebus naturalibus, ſub nominibus *adpetitus naturalis*, *ſympathiæ*, *antipathiæ*, naturam vnam altera, ſimile ſuo ſimili gaudere, tendere ad ſuum ſimile & eniti aſſerentes.

§. XXXI. At hodierna ſententia quodlibet corpus in ſe mechanicum eſt, & non ſolum per ſe ſed etiam ſimpliciter pro ſe mouetur, nullo alio, ſiue cur moueatur, ſiue cur ita moueatur, quomodo, aut quare in ordine ad alterum, ſcopo. Dum vero concurrunt, quos ſub tali, aut ipſo tali concurſu effectus edunt, illos quidem ita fieri, vt a poſteriori neceſſe ſit factos eſſe; nusquam autem a priori, vt fiant. Adeoque nullum etiam vsquam ſubeſſe talem reſpectum, qui tales concurſus quoquo modo prouocet, aut dirigat, vt ille finis per ipſos obtineatur, ſed re vera ſemper euentus tales potius quam effectus, tanquam a priori conſiderando, per accidens fiant. Quid hodie per mechaniſmum intelligatur.

§. XXXII. Ita quidem vulgo obſeruo explicari τὸ Mechanicum & Mechanismum. Interim cum vtique ingens numerus actionum & effectuum occurrat, vbi concurſus certus plurium aliorum non æque ſolum immediatorum quam etiam mediatorum *agentium* ſatis manifeſto cooperari, & tanquam ſubordinato actu ad effectum procedere obſeruetur, nullam difficultatem fecerunt, quicunque ordinis & æſtimationis cauſarum periti ſunt, etiam agnoſcere, quod paſſim peculiaris *reſpectus inſtrumentalis*, *ordinis* atque *modi* occurrat. Reſpectus inſtrumentalis, ordinis atque modi.

§. XXXIII. Interim ſicut ex omni antiqua acceptione philoſophica notum eſt, quod *inſtrumentum*, ſolenniore ſenſu intelligendum, ſit tale agendi medium, quod non ſolum ab ordine priore, ſed dignitate efficiendi re vera ſuperiore cauſa aſſumatur ad effectum, tanquam finem & ſcopum propoſitum producendum; ita facile eſt intelligere, quod hæc talis intercedendi atque concurrendi ratio, qua euentus quicunque ſequitur, analogiam quandam generaliorem inſtrumentalis Inſtrumentum quid ſit.

indolis equidem ſeruet, interim veram formalem rationem inſtrumentalitatis minime exhauriat.

τὸ efficere differt a τὸ facere.

§. XXXIV. Sicut enim citra omnem λεπτολογίαν, nedum σπερμολογίαν, ſed per veras rerum eſſentias & totas ſpecierum claſſes certum eſt atque firmum, quod etiam τὸ *efficere* a τὸ *facere* ſimpliciter omnino differat, adeoque τὸ *efficere* de talibus *agentibus*, quæ non directo actu ad illud, quod fit, veluti tendunt & feruntur, ſed veluti per accidens, nempe fere fortuitos occurſus euentuum potius ſub reliquo ſui actu, quam directum effectum ſui actus producunt, vniuoce & κυρίως re vera prædicari non poteſt; ita ex aduerſo illud demum *efficere* vere & eminenter dici meretur, quod toto ſuo actu ad certum effectum ita tendit, atque ſimplici progreſſu vergit, vt propter hunc maxime *finem* agere, imo cum illo *fine* ita reciproce conſpirare videatur, vt vbi ille finis non ſubſit, neque hoc agens aut actus eius compareat, & contra, vbicunque hoc agens comparet, ibi inſeparabilis ſit ille finis, & reciproce, vbi ille finis, ibi illud agens. Tanto maior autem eſt euidentia huiusmodi etiam reciprocæ indolis *efficientis* & *finis*, quando efficiens illud non ſolum ita directe ad illum tendit, ſed etiam de reliquo, neque per ſe exſiſtere aut ſubſiſtere apparet, niſi quatenus ad illum finem agit atque tendit, neque effectus directus & primarius vlli alteri rei æque quadrare, imo vel ſolum directe ſubſeruire apparet, quam ſolum vt illud efficiens energiam ſuam non magis exerceat quam exhibeat, adeoque vere & ſimpliciter effectus de ſua cauſa teſtetur.

Efficientis & finis reciproca indoles.

Inſtrumentum ad hunc finem obtinendum.

§. XXXV. In hoc tali ordine atque ſyſtemate cauſandi eluceſcit tanto magis atque euidentius vera indoles veræ inſtrumentalitatis; quando nempe a tali cauſa, hoc modo atque methodo ad talem finem tendente, atque adeo re vera ſuperiore non ſolum aſſumitur ſed etiam eligitur, & præterea ſpecialiſſimo modo actuatur, vt loquuntur, id eſt non ſolum in genere mouetur, admouetur, ſed etiam in ſpecie regitur atque dirigitur tale certum medium, quod ad illum finem attingendum imo ita præſtandum ſpecialiſſima ratione quadret, neque proprie imo potius abſolute illa ſua formali habitudine, qua inſtrumentum eſt ad illum finem, vlli alteri vſui ſiue exiſtentia ſua ſiue hac etiam eſſentia quadret, aut quoquo modo inſeruiat, imo vel inſeruire poſſit.

Organiſmus.

§. XXXVI. Talem inſtrumentalis rationis tanquam ſupremo loco exquiſitam indolem vere κυρίως *Organiſmum* appellandum eſſe nemo dubitauerit, qui cogitandi atque ſubſumendi compos fuerit. Aſt vero neque quenquam rerum humanarum tam parum prudentem

puta-

putauerim, qui dubitet, vtrum talia vel *agentia*, vel *inſtrumenta*, vel *effecta* ſiue producta dentur. Si enim nihil aliud, at certe artificialium operum exempla indolis huius vera ſpecimina omnino exhibitura eſſent. Poſſemus huius rei ſtatim documenta dare & in medium producere, ſed placet rem potius ſynthetica methodo exſequi, atque commonſtrare, *qualem ſubordinationem mechaniſmus ad organiſmum habeat*, & *quo modo mechaniſmus quidem etiam per ſe ſubſiſtere poſſit, vt non æque ſimpliciter* & *directe organismi indolem aſſequatur*.

§. XXXVII. Ad *mechanismi* itaque *formalem rationem* ſufficit in genere aliqua, quantumcunque mutabilis, magnitudinis, figuræ, ſitus, motus, aut cuiuscunque mobilitatis præſentia, vt nempe res his modis affecta mechanice diſpoſita dici mereatur. Abſit autem ab illa omnis pecularis immediati vſus reſpectus, quandoquidem illius intuitu ſtatim ad inſtrumentalem indolem deflectere poſſit. Mechanismi formalis ratio.

§. XXXVIII. Huiusmodi mechanica conſtitutio eſt tam in minimis quam maximis ſpeciminibus paſſim obuia. Ita enim, verbi gratia, in quolibet *acido liquore* inſunt vtique corpuſcula ſalina, ſiue, vti vulgo volunt, rigidæ acuminatæ ſiue cuiuscunque tandem certe indubie alicuius figuræ. Habent mobilitatem illam, vt fluido aqueo innidulari, & cum eo ſub fluida conſiſtentia comparere poſſint. Imo habent etiam effectum, vt guſtum peculiariter afficiant diſtincto illo *ſapore*, quem *acidum* vocamus; quando cum terreis, cum alcalibus quacunque occaſione concurrunt, vt intimius cum his coaleſcant, & ſub illo coeundi actu *ſtrepitus* atque bullas ſeu ſpumam ingentem forment, certa etiam cum certis rebus actualem calidum feruorem concipiant, &c. Ita, maiore exemplo, mechanicæ rationi debetur, quod *aqua fluida* magna copia profluens *riuum*, imo *fluuium* formet, qui pro fortuito ſitu alueorum & reliquæ altitudinis terræ, quam alluit, alibi arctius, alibi laxius, alibi ſegnius, alibi rapido lapſu ſuccedat. Eodem intuitu mechanicum eſt, quando in diſſitis quibuslibet imo hominum induſtriæ hucusque forſan inacceſſis orbis terraquei locis alicubi *longus terrarum tractus*, alibi *inſulæ* quædam ſubſiſtant, nullis in hunc diem hominibus cultæ aut occupatæ: Interim & reliquo vniuerſo ſitu, & ſpontaneo terrarum, aquarum, fundi ſuperioris & profundioris ſitu atque conditionibus, ſyluis, campis, animalium varii generis aditu, tranſitu, incolatu pulchre exornatæ, ita mechanice, quales pingi imo vel fingi ornatiores non poſſunt &c. Habere hoc a mechaniſmo, nemo, puto, contradicit. At ſub omnibus hiſce circumſtan- Exemplis demonſtratur.

riis

tiis nihil in ipſis præſto eſſe actu organicum, eadem euidentia facile puto elucescere. Accedit huic mechanicæ indoli, quod etiam in talibus ſui conditionibus ſubinde diu ſatis ſubſiſtere poſſint, imo vero potius ita continue & perenniter perſiſtere, vt ſi tandem quæcunque durationis mutatio ſuccedat, illa etiam ex alia, quam vlla cum directo organiſmo relatione aut conſpiratione, indifferenter proficiſci poſſit.

Organismus in quo conſiſtat generatim.

§. XXXIX. *Organiſmi* vero (loquimur autem hic de illo, qui inter res & actiones phyſicas contingit) proprium omnino eſt ſeu eſſentiale requiſitum, vt *mechanicam* habeat *diſpoſitionem;* & quidem hanc non ſolum in genere, quatenus in omni ſubiecto corporeo mechanica diſpoſitio abſoluta neceſſitate præſto eſt: ſed prorſus etiam in ſpecie ita, quemadmodum illi rei, cui proprie deſtinatur, omnino etiam mechanica proportione conſpirat atque quadrat. Habet autem hæc in organo circumſtantia non aliam rationem, niſi ſolum genericæ

Speciatim.

& materialis conſtitutionis: ſpecifica autem & formalis abſolute alterius eſt capitis, & præcipua ſui parte a mechanismo penitus alieniſſima. Conſiſtit enim non ſolum in *deſtinatione*, ſed etiam actuali *adhibitione ad effectum ſpecialiſſimum*, adeoque re vera vnicum, vt illa vere ſpecialiſſima ſui conſtitutione, qua certum plane finem reſpicit, nec vllam aliam exſiſtendi, nec etiam ita eſſendi vllam rationem habeat.

Exempla allegata adplicantur.

§. XL. Ita, vt maioris euidentiæ cauſa etiam in exemplis allegatis maneamus, dicti illi *acidi liquores* organa fiunt, non ſolum variarum diſſolutionum & compoſitionum, arbitraria artificis directione, quando ipſi placet, quanta menſura, in quæ proprie ſubiecta, ad quos tandem reliquos vſus &c. ille reſpicit atque animum intendit: Sed etiam v. gr. variarum mutationum, colorum, ſaporum, ſeparationum, omnia ſecundum arbitrarias non ſolum circumſtantias, ſed arbitrarios etiam fines. Ita *aquæ* ſub ante dictis pure mechanicis circumſtantiis organicam rationem induunt, quando ab humana induſtria propter arbitrarias ciuiles intentiones ſeu fines foſſis ducuntur, aggeribus cumulantur, rotis atque volutabris inducuntur, inſtrumenta fiunt, ſeu organiſmum ſubeunt ad molendum & ſimiles fortiores volutationes adminiſtrandum. Ita integri tales *tractus locorum* organa fiunt ad varios vſus humanos, domus ſuppeditandas & ferendas, cellas præbendas, hominibus & domeſticis animalibus victum producendum, & certa ſibi ſeorſim concreta plantarum, frugum atque fructuum genera alenda, imo ad maturitatem vsque perducenda &c.

§. XLI. Sicut

§. XLI. Sicut autem hæc omnia ſua, quod aiunt, luce radiare confidimus, ita placet etiam, & e cauſis quidem plane peculiaribus, adhuc adiicere exempla operoſiorum *machinarum artificialium*, & conſiderandum commendare, quid in illis diuerſitatis ſubſit, ſecundum reſpectum alibi pure atque nude mechanicum, alibi organicum. *Horologium* artificioſe & affabre conſtructum habet omni modo multas exquiſite mechanicas circumſtantias. Et licet directa artificis intentione ad vſum ſpecialiſſimum, nempe horas exquiſite indicandas deſtinatum ſit, & tam hoc intuitu, quam etiam vera illa aptitudine, quam ad huiusmodi effectus habet, potentia, vt aiunt, ſit & maneat organon: eſt tamen etiam & manet tantiſper machina ſimpliciter, quamdiu non perite, tempeſtiue, & quoquo modo conuenienter tenditur atque dirigitur, vt cum veris horis iuxta loci meridianum conſpiret. Re vera enim, quotiescunque vel per intentionis vel per ſufficientis peritiæ defectum temere intenditur tale horologium, vel nullas certas horas diſtinguet, vel omnino nullas veras. Interim quod ſimpliciter pergat elaſtice moueri, in reſpectu ad ſpecialiſſimam ſuam efficaciam, qua horis exquiſite diſtinguendis aptum, directioni etiam ad veras horas diei naturalis diſtinguendas ſub iuſta directione deſtinatum eſt, quoties, & quam diu, & quocunque tandem defectu hunc effectum non aſſequitur, *organum* ſtricto ſenſu *abſolute non eſt.* Imo hoc eodem ſenſu vero atque in re fundato machinula eiusmodi, etiam quocunque interno defectu, effectui huic horas recte atque vere demonſtrandi impar, re vera nuda abſolute & ſimpliciter *machina dicenda eſt*, minime vero *inſtrumentum* certæ rei idoneum ac vtile. Alia exempla.

§. XLII. Iam quemadmodum omnibus hominibus a ſana ratione alienum apparere pro certo habemus, ſi quis propugnaret, eiusmodi machinas non ea intentione ita ſpecialiſſime, vti ſunt, factas eſſe, vt cuiquam intentioni proprie & directe inſeruiant; ſed ſimpliciter vt ſint, aut ad ſummum, vt illum craſſo modo ita dictum *automaticum motum* exhibeant: Ita potius rationi ſibi conſtanti quam maxime conſentaneum eſt, comprehendere, quod ſpecialiſſima conſtitutio operoſa vni cuidam ſpecialiſſimo effectui non ſolum exquiſite, ſed etiam vnice huic & nulli alteri rei ex amuſſim quadrans, re vera etiam a priori ea intentione & in eum finem inſtituta ſit, vt tali effectui a quacunque tandem cauſa dirigente applicetur & adhibeatur. Machinæ ad certum finem exſtruuntur.

§. XLIII. Quæ res cum altiorem conſiderationem omni modo mereatur, imo vero in hac noſtra tractatione, vbi proprie de *Orga-* Specialior tractatio de indole organiſmi.

Organiſmi indole tractare tota fert intentio, præcipuam contemplationem poſtulet; proinde tanto preſſius vtique illi inſiſtere, & illam debite euoluere noſtrarum eſt partium. Vt alia multa ab illis, qui non tam rationem quam nudum ſenſum ſequuntur, communiter ita ſimpliciter vt in illum incidunt arripiuntur: ita hoc etiam fit circa aſſertum aliquod, ſano ſenſu non temere reprobandum, ſicuti certe neque temere formatum eſſe apparet. Eſt autem: *non anxie in fines rerum inquirere neceſſe eſſe.* Prolata eſt hæc animaduerſio inprimis in res ab humana cognitione adeo remotas, vt nulla ſpes ſit in abdita illarum penetrandi. Verbi gratia, quonam, & quidem in ſuo ordine, atque adeo phyſico fine facta & ita diſpoſita ſint tot tam immania corpora cœleſtia? & contra, quem in finem non ſolum tot innumera indiuidua, ſed omnino ſingulæ ſpecies inſectorum factæ ſint, & indies propagentur? Imo valet hæc conſideratio vel de omnibus rerum creatarum ſpeciebus, quarum æque atque totius illarum ſubordinationis, ſi voluntatem glorioſam Diuinitatis, & quidem etiam abſolute talem negligamus, nullam ne quidem ſuſpicionem ne dum rationem inuenerimus.

Fines rerum num anxie inquirendi ſint.

§. XLIV. Quantumuis autem hæc ita ſatis recte ſeſe habeant, quilibet tamen facile percipit, quorſum tota hæc locutio tendat. Nempe quod primo nec in ſe legis vim habeat, tanquam piaculum foret, animum ad hanc cogitationem adiicere; ſed magis conſilium quoddam & prudens quaſi monitum. *ne eiusmodi rebus temere fatigetur intellectus, ad quas aſſequendas nulla ſpes aditum promittat, ſed potius denegare illum appareat.* Deinde autem, & quod fere palmarium eſt, ſatis vtique ex omnibus circumſtantiis apparet, quod hæc adſerentibus ſermo inprimis ſit de *vltimis* abſolute *finibus;* non vero finalibus & inprimis ſimplicioribus atque euidentioribus inſtrumentalibus reſpectibus. Tantum enim abeſt, vt hos tales conſiderare non deceat, vt re vera potius omni iure & quolibet intuitu dedecere debere videatur, ſi ad quamcunque ſcientificam conſiderationem adſpirantes non fines rerum, ſed exſiſtentiam & manifeſtam paſſim indolem, ſeu exſiſtentiam inſtrumentorum, vel temere negligant, vel vllo modo, & ſi nihil amplius certe hiſtoriam, quod hæc ita fiant, aſſequi deſperent.

Quo ſenſu hoc accipiendum.

§. XLV. Tantum itaque certe abeſt, vt abſolute de finibus rerum cogitare ius aut fas non ſit, vt certe hic nusquam quidquam ad ſcientiæ methodum vocare eſſet integrum, imo ſubinde etiam nudæ hiſtoriæ deficeret notitia, ſi nullus ad fines dirigi poſſet aut deberet conceptus.

Fines rerum vniuerſales non anxie inueſtigandi.

ceptus. Ita v. gr. vſus partium organicarum diſſimulandus eſſet, quod ſenſoria ſenſibus, muſculi motibus, lingua ſermonibus, &c. deſtinata ſint. Omittenda ita omnis perueſtigatio diſpoſitionis mechanicæ ad hos vſus, oculi ad recipiendum lumen, aurium ad ſonum &c. Sin autem hæc eo ſaltem ſenſu, quem vnum verum habent, intelligi debent, vt *vniuerſales*, quos aliqui non male iuſto ſenſu *Coſmicos* vocent, *fines*, quos hæc generalia vniuerſi concreta, vt in ordine ad hoc vniuerſum habere poſſint, fines intelligantur, & non anxie veſtigandi nedum fingendi reputentur; *ſpecialium* autem rerum, & inter ſe euidenter, connexarum, tanto magis, ſecundum illud quo connectuntur, conſideratu vtique digni habeantur fines: tunc debita vtique contemplandi ἀκρίβεια hæc expendere, nihil autem obiter præfigurare conueniet. Vt autem hæc intentio etiam decenter ad obtinendum effectum inſtrui poſſit, remouendum omni modo eſt ex animo *præiudicium* illud, quo omni potius modo quibuslibet rebus denegare fines, quam de illis diſpicere vulgati magis moris eſt. Inſiſtendum potius vnice *hiſtoriæ*, & quæ illa offert, iuſta mentis applicatione in ordinem redigenda ſunt. Ita paſſim diluceſcet, quod *magnus rerum numerus reſpectibus illis ad fines omni modo ita alligatus ſit*, vt ſi fines tollerentur, non ſolum res ipſa talis, ſicubi de reliquo vsquam occurreret, abſolute nullum vſum etiam vniuerſalem haberet aut habere poſſet, quod tamen ab vniuerſa indole omnium & ſingularum huius vniuerſi rerum re vera alienum eſt; ſed etiam ipſa illa talis res re vera a priori nusquam fieret, adeoque minime exſiſteret, niſi directe propter illum finem efformaretur.

Speciales autem conſiderandi ſunt.

§. XLVI. Denique ad feliciorem harum rerum æſtimationem non obliuiſci vtique decet eiusmodi indolis, tum finium in genere, tum æſtimationis ſiue dignitatis illorum, tam reſpectu ſimplicius vniuerſali, quam in comparatione cum aliis in hac rerum vniuerſitate. Priore modo conſiderandum vtique venit, quomodo multi huiusmodi *peculiares fines* & reſpectus ad eosdem non ſolum *ſpecies veras* in ſyſtemate huius vniuerſi conſtituant, ſed *totas ſpecierum talium claſſes*; adeo, vt ſi fines illi tollerentur, totæ ſpecierum rerum naturalium claſſes eo ipſo abolerentur. Deinde non ſolum certæ ſpecies, ſed omnino nobiliſſimæ, nempe operoſiſſimæ, artificioſiſſimæ, & numeroſarum ſimpliciorum huius vniuerſi aliarum rerum compendia quædam complectentes, ita auferendæ eſſent. Hoc ipſum autem cum ita temere fieri minime poſſit, neque deceat, diſpiciendum propterea erit, quanam ratione & omnis confuſio impediri, & veritati teſtimonium firmum

Fines ſpeciales totas ſpecierum claſſes conſtituunt.

 atque

atque ſolidum perhiberi poſſit, ne interim quidquam temere in partes noſtras trahere videamur: quanquam hic nullus ſit metus ab illis, qui veram rerum indolem, & tam fiendi quam exſiſtendi ſeriem compoſita mente intelligunt.

Animalibus iudicium denegatur.

§. XLVII. Non iam dicemus de vniuerſo *animalium* genere, eiusque tam numeroſiſſimis ſpeciebus. Cum enim hodiernis moribus, quibus ordo & reſpectus cogitandi ipſis, ſed ſane inordinatis, ſpeculationibus paſſim confunditur atque temeratur, aduerſus omnem ſeriam, veram & cum re conuenientem diſcernendi, diſtinguendi, & vſitatis rerum nominibus vtendi methodum, animalibus non ſolum *iudicii* ſeu diſcretionis, & ita neceſſario etiam *phantaſiæ*, vtpote circa res diſcretas occupatæ, poſſeſſio in dubium vocatur: *memoria* vero rerum, vt diſtinctarum, non ſolum adſeritur; ſed & inſuper, inaudito in hoc vniuerſo & ab omni ordine contemplationis rationalis alieno exemplo, memoriæ tribuitur actus, *organa corporis fortiſſime impellendi*, totum corpus exagitandi, & laborioſiſſime, imo vel vsque ad ruinam eius impellendi: nobis vero iam directe hos errores enodare non placeat, inſiſtemus propterea magis vnice atque directe illi ſpeciei, de qua in confeſſo eſt rei ſeu facti ipſius veritas, nimirum Humanæ.

Memoria ipſis conceditur, quæ corpus regat.

Anima humana exſiſtit in & cum corpore.

§. XLVIII. Animam humanam quando ſecundum illas ſui proprietates conſideramus, quas veras atque certas eſſe non ſolum certo ſed vnice intelligimus, agnoſcimus *primo*, ratione veræ eius exſiſtentiæ, quod *exſiſtat in & cum illo corpore*, quod, vt illi ſoli vſitatum, propterea *humanum* vocamus. *Secundo* ratione efficaciæ & cuiuscunque tandem energiæ ſcimus de illa hoc vnum, & nihil aliud, quod quibuscunque tandem ſuis actionibus occupata ſit circa *affectiones corporum*: in corporibus inquam ita, vt loquuntur, eſſentialiter inhærentes, vt ne quidem cogitatione ab illis ſeparari poſſint, quin eo ipſo, ſimul atque vel cogitando talis res abſtrahitur, non ſolum corporis conceptus pereat, ſed omnino illius eiusdem rei, vtpote quæ ſine corpore neque concipi quidem poſſit. *Tertio*, & ſi quid de hiſce rebus magis poſitiue nominare velit, velut in abſtracto erit illud τὸ FINITVM. Nempe quod nihil aliud in vllam eius poteſtatem cadat, quam finitum: eo vsque vt etiam omni ſua potentia nihil poſſit aſſequi, niſi vt quam maxime finitum, nempe abſolute vnum.

Multitudine rerum obruitur.

§. XLIX. Ne quid, non tam generaliore quam re vera potius nullo, niſi confuſo & perplexo loquendi modo & vſu, dicam de illa in vulgus, nempe vix obiter huc conuerſos animos, notiſſima eius

im-

impotentia, quod multitudie rerum obruatur. Iubeo potius ſecum habitare, & dum ſui meminit, illius recordari, quod vere & poſitiue nihil poſſit, niſi abſolute vnum ſolum comprehendere; nempe vno temporis momento non niſi de vna re cogitare aut iudicare: quicquid autem compoſito numero nititur, omnino non niſi compoſitis etiam, nempe ſucceſſiuis actibus illa attingere, ſeu in illis verſari.

§. L. Quod plus eſt, vt iam dudum veteribus notatum eſt, *abhorret ab infinito* trepidatione vera, & omnis ſuæ potentiæ velut in irritum quodam lapſu, tanquam ſui impos, hinc euadit; tantum abeſt, vt fines migrare, adeoque ſummam rerum corporearum & præcipuam proprietatem transcendere poſſit. Abhorret ab infinito.

§. LI. Quod autem longe plus aut certe pluris eſt, ille eius actus, quem vulgus hominum, imo vero, ſi dicere fas eſt, philoſophorum, pro ſupremo ipſius (animæ inquam humanæ) & abſolute proprio, ſpecifico & formali ſcholis dicto, interpretantur, cogitandi, ſimulacra quædam pingendi, iuxta ſe ponendi, & in illo, quod ex his prominet, aut ſubſidet, aut deflectit, tandem immorandi ſeu acquieſcendi; hic inquam actus, ſupremum eſt & prorſus eminens exemplar vnicæ illius energiæ, corporeis affectionibus inſiſtendi. Circa affectiones corporum occupata eſt.

§. LII. Certe enim hic actus, vt omnium reliquorum craſſiſſimus, ita etiam tardiſſimus eſt omnium illorum, quos vera ſua potentia anima humana exercet. Primo enim ratione ſubiecti non æque circa affectiones corporum ſed molium verſatur. Quandoquidem nulla cogitatio de vlla re in animum venit vera ac realis, nempe quantum datur abſoluta ſeu diſtincta, quin numerum ſeu fines, locum ſeu menſuram finium, figuram ſeu modum & reſpectum menſuræ inuoluat. Imo, cum figura, loco atque numero in rebus corporeis veluti formam ſpecificam præbeat, adeoque illa duo, vbicunque ipſa eſt, abſolute ſub ſe comprehendat, adeoque veram plenam formalem rationem corporeitatis abſoluat: tanto magis dilucefcit, *quantum anima humana hiſce corporalibus adfectibus alligata ſit*, neque facilius neque certius ſeu luculentius, atque adeo ſtabilius quidquam cogitatione complecti poteſt, quam ipſas figuras, res vt figurabiles, res ſub ſchemate, ſeu ſchemata de rebus. Has affectiones non niſi ſub figuris & ſchematibus comprehendit.

§. LIII. Imo accedit, quod ne quidem compos, aut certe minime omnium facile compos ſit, de vlla re, etiam ſub ſchemate ſeu figura diſtincte cogitandi, ne dum de pluribus rebus cogitandi ſeu comparandi, quam craſſiſſimo modo atque vocis ſignificatu craſſiſſimo, ſub De his figuris ſibi prius conceptum formare debet.

ſpecie figurata corporea, nempe vulgari loquendi formula, & craſſiore acceptione magna. Vnde etiam eſt, quod de nulla re cogitare integrum eſt, niſi ſub conceptu, vt in ſenſus incurrere ſeu ſenſibus comprehendi poteſt. Vnde nullius figuræ conceptus ſeu cogitatio de figura in humana poteſtate eſt, niſi ſub fictione ſeu præfiguratione, tanquam ſi extra corpus noſtrum præſtituta oculorum vſu ſentiretur. Et certiſſimum eſt, hominem nullum abſolute vnum realem conceptum diſtinctum habere ſeu exercere poſſe de corpore aliquo figurato minimo, quin illud ſibi adhuc pingat illa magnitudine, quanta ipſum adhuc legitima diſtantia oculis ſuis obſeruans tale conſpiciat ſeu intueatur; de nullo ſono ſubtiliſſimo conceptum vllum habeat, niſi in quantum illum adhuc audiri poſſe ſupponat &c.

Iudicium tamen de his ſpeciebus ferre non poteſt niſi ſub aggregatione.

§. LIV. Et licet aliæ adhuc dentur diſcretiones, iudicia, inquam, & intellectus rerum adhuc multo ſubtiliorum, odorum, ſaporum, colorum, imo ſingularum tactilium ſpecierum, quatenus ſpecies ſunt: debet tamen de his ipſis maxime in rem noſtram notari, quod non ſolum de his, qua talibus, anima nullam habeat poteſtatem cogitandi, aut per ſtricte dictas ratiocinationes & per modum concluſionis ſecundum manifeſtas & ſigillatim agnoſcendas comparationes aut rationes intelligendi; ſed nec habeat inſuper abſolute vllam eminentem adeoque familiarem potentiam, haſce res etiam illo ſuo, ſi non λογιστικῷ tamen λογικῷ intelligendi actu aſſequendi, niſi ſub conſtitutione illarum etiam craſſo modo corporea, nempe ſub AGGREGATIONE, hoc eſt, vere & realiter ingenti multitudine. Vnde & odorum, niſi nimis quam confertim quaſi conſtipatis exhalationibus congregatorum, nullus olfactus, nulla inquam agnitio, quod re vera iam ſint, ne dum dignotio ſeu ſpecialior intellectus, qui, vel quales ſint.

Anxietas ex præſentia felis in conclaui his dictis non poteſt opponi.

§. LV. Licet enim exemplum ſit, certe non temere negligendum, ne dum data opera diſſimulandum, agnitionis cuiusdam peculiaris caſus ille, quando homo aliquis a materna imaginatione terrifica atque anxia diſpoſitionem illam contrahit, vt verbi gratia felem in conclaui aliquo (non tamen, quod vti certum, ita notandum, nimium ſpatioſiſſimo) præſentem ita agnoſcat, vt ſolitos effectus, non tam in corpore quam in corpus, anxii terroris inde ſuſcipiat: tamen conſideranda ſimul omni modo eſt certiſſima illa imo euidentiſſima huius energiæ intelligendi, ſumma omnino *perplexitas*, (ſit venia verbo) vt in illa nihil quidquam, ne quidem a poſteriori, vere atque ſolide certum, ne dum diſtinctum ipſi menti, nempe cuicunque animæ actioni, obuer-

uerſetur, cuius illa vllam diſtinctam rationem poſſit inire, ne dum ipſo actu ineat aut habeat. Nunquam enim niſi ſimpliciter longo & multiplici vſu illud intelligit, ſeu tandem denique reminiſcitur, quod vere illa certa res nunc adſit, ne dum illud ſit, propter quod iam hæc ſibi eueniant; ne dum vt vllum ſiue diſtincte ſentiendi ſiue cognoſcendi actum, reliquis ſibi conſuetis analogum, exerceat.

Exemplum ad illuſtrationem dictorum.

§. LVI. Quamuis huic rei hoc quidem loco prolixius immorari neque tractationis ſeries, neque certe animus ferat, placet tamen huius rei ſpecimen pro illuſtratione dictorum commemorare. Generoſa virgo, & animo & temperamento, vt loquuntur, certe alacris, & a friuolis timoribus, terroribus & animi anguſtiis alieniſſima, & iam a multis hactenus annis æque atque illis diebus ab omni ſanitatis detrimento liberrima, cum alicubi hoſpes, vt illi vndique commode eſſet, lecto inſtrueretur, plumis illis molliſſimis, quas vulgo Eider-Dunen vocant, concinnato, noctem illam, quam in hoc lecto conſumere cogebatur, mirifice laborioſam atque inquietam, omnisque ſomni impotem, & adeo variis perturbationibus violentam habuit, vt quiritando maxime illam conſumeret, citra vllam tamen, quam nomine aliquo inſignire valeret, peculiarem ſenſationem, niſi quod ex inſolito ſibi prorſus & inſuper anxio peruigilio verſus matutinum tempus graue magis & perturbatum quam dolore aliquo nominando affectum caput accuſaret, & ita etiam illum dimidium diem ad prandium vsque, & poſt aliquandiu inſumeret, niſi quod animo, pro reliquo ſuo more, ſtatim iterum alacrior euaſiſſet, ſimulatque lectum deſeruerat. Poſtquam autem a prandio ſomnolentia tentabatur, cui etiam indulgendi otium ipſi plenum obtigerat, cum iam omnium illarum rerum, quibus præter ſomni inopiam præterita nocte inquieta fuerat, non ſolum immunis, ſed fere oblita eſſet, ſimulatque lecto illi iterum incumberet, inſolitum quiddam, ſed & eo ipſo nullo nomine diſtinguendum, incurrebat, quod magis magisque augeſcens noctis præteritæ ſcenam reſtituit. Vt nemini alii homini, quid ſubeſſet, in mentem venire poterat, ita nec ipſa hæc patiens vllo modo recordari poterat, vnde ſibi hæc obtingerent, niſi quod poſt longam ſanitatem tandem morbum ſibi impendere auguraretur, & iter, quo non admodum commodo biduum aut amplius proxime præterlapſum abſumſerat, in partem culpæ vocaret. Forte fortuna euenerat, vt dum de lecto quietis ferendæ impote iterum deſcendens linteamina, quibus aulico more omnia puluinaria ſeorſim ſolum tecta non incluſa eſſent, a maximo, quod cooperiendi munus

gerit,

gerit, alicubi deuoluta ſiſterent illud Xylino texto contentum ſeu incluſum, vulgatiore, vſu huic ſpeciei plumarum adhiberi ſolito (daß man Eiderdunen, ja auch andere Dunen oder Pflaumfedern, in Cottonen oder Catun einfaſſet.) Vnde illa demum recordata aduerſitatis ſibi familiaris cum hiſce plumis, & ſane vt ab alio metu liberata, hilaris inde mutato lecto, quod ſomno hactenus deceſſerat, tam facile quam affatim compenſauit.

§. LVII. His certe ita quocunque tandem reſpectu penſitatis, ſatis puto diluceſcere, quod vndique corporeis rebus, & maxime ſub complexu corporeo comprehenſis, id eſt, vti vulgo quidem loquimur, vnice in concreto alligata ſit & adſtricta vniuerſa animæ humanæ energia. Cui quidem rei *quarto*, ſecundum iam dicta, loco iungi omnino meretur affectus potius ille quam effectus, animæ omnino magis a priori, vt adparet, adſcribendus, *deſiderium* nempe rerum impetrandarum, & gaudium de ipſarum impetratione & vſu, aut contra *auerſio*, metus, odium, triſtitia propter illas & ex illis. Et hæc omnia non tam e contactu corporeo & præſentia phyſica, ſed etiam e nuda talium reminiſcentia; imo vero nuda ſolum ſimilium arbitraria fictione.

Animæ affectus deſiderii rerum & auerſionis ab illis.

§. LVIII. Quemadmodum autem hæc iam memorata ita vtique comparata ſunt, vt ex illis ſatis diluceſcat, quod omnino anima humana circa hæc, quæ vndiquaque meræ corporum adfectiones ſunt, & quidem ſimpliciter & abſolute tales, non ſolum occupetur, imo illis velut a priori inhiet, & a poſteriori oblectetur; ſed etiam quantum vsquam aſſequi integrum eſt, hoc vnum abſolute, & nihil aliud, quod nobis certo cognoſcere detur, poſſit atque agat: ita accedit huic conſtitutioni etiam illa vlterior, paris vtique in hoc genere energiæ atque indolis, circumſtantia, quod ſingula hæc & vniuerſa non immediate ſiue operetur ſiue aſſequatur, ſed plane per *media* quidem, ſed & illa ipſa maximam partem, & numero etiam multiplici omni modo *corporea*.

Anima circa adfectiones corporeas occupata etiam mediis corporeis id peragit.

§. LIX. Merito certe *quinto* loco hoc ponimus documentum, ad conſiderationem, quam reſpicimus, propius vtique & quantumcunque tandem euidentius ducens. Licet enim dici forte poſſit, quod media illa materialia quam maxime reſpiciant obiecta, & præcipuum habeant vſum in illorum obiectorum imo ſubiectorum, v. gr. concentratione; vt dum oculus radios lucidos concentrat, meatus aurium, labyrinthi, cochleæ magis magisque colligunt, & velut in vnum apicem plures varie diuertentes compingunt; plexus illi, quaſi penicilli, neruei,

Hæc media corporea non ad obiecta ſed ad ipſam animam relationem habent.

neruei, in linguæ ſuperficiem adſurgentes, veluti excubant pro comprehendendis, retinendis, imo in arctius demittendis corpuſculis ſapidis, &c. tamen manifeſtum vtique eadem conſideratione ſatis ſuperque eſt, quod vniuerſus hic adparatus nullum tamen vtique finalem reſpectum habeat, ſiue ſolum formalem, ad ipſas illas, ne dum quascunque alias materias; ſed vnice ad ipſam animam, vt nempe illi hæ materiæ ita ſiſtantur atque offerantur, & quidem, vti ſupra etiam monuimus, magis ſeu craſſius corporaliter, nempe non ſolum numero plures, ſed etiam denſius inter ſe mutuo vnitæ, & omnino congregatæ. Tanto facilius autem elucet, quam certam & abſolutam relationem hæc habeant ad ipſam animam: cum ſine illis anima omnium illarum rerum abſolute impos exſiſtat, neque vllam cum illis conuerſationem, aut de illis præfigurationem, adſequi poſſit. Vnde merito, imo vero certo, concludere licet, *quod anima humana de illis rebus, ad quarum perceptionem organis conuenientibus deſtituta, nullum vnquam vti typum, ita nullum etiam conceptum, adſecutura eſſet. nec vllam etiam illarum ideam quoquo modo formatura.*

§. LXI. Cum vero omnium conſenſu tota quam ſcimus, & quantum ſcimus, animæ humanæ non ſolum indoles, ſed vniuerſa etiam deſtinatio in eo vnice verſetur, vt illas adfectiones rerum corporearum, tanquam verum ſuum vnum & vniuerſum ſcopum, exſequatur: fieri vtique non poteſt, quin ſimul eodem ipſo tempore atque actu cognoſcendi agnoſcamus, *quod etiam illa media illi fini* non ſolum directe, ſed vere etiam vnice, *ſint deſtinata atque dicata.* Sicut enim per ſupra dicta minime dubitamus, quod facile nobiscum ſenſuri ſint omnes (quod quidem iterum allegari, cum hodiernæ res hoc certe exigant, nemo vitio vertet) harum rerum compotes, conceptuum, inquam, horum, qui de finibus formandi veniunt, intelligentes, quod vbicunque certus aliquis finis neceſſitate quacunque ſubeſt, ibi etiam media ad illum finem facientia neceſſaria ſint, non alterius rei (nempe quatenus talia ſunt) quam vtique illius finis, directe atque vnice, intuitu.

Media illa certo fini deſtinata & dicata ſunt.

§. LXII. Cum itaque, ad minimum humanæ indolis exemplo, dentur tales ſpecies rerum naturalium, quæ vere & euidenter ad certum finem factæ ſint, ſine quo ne quidem tales exſiſtere poſſint; neque vero illum finem ſine aliis mediis, ad illum finem exquiſite idoneis, aſſequi poſſint: certe ſimpliciſſimæ & euidentiſſimæ conſequentiæ ducimus, hæc ipſa etiam media eſſentialem *nexum* cum illo *agente*, ſeu

Media illa ſeu inſtrumenta nexum habent cum illo agente ſeu propter finem exſiſtente.

ſeu

ſeu quoquo modo exſiſtente propter finem, habere; *Inſtrumenta*, inquam, directa, & eſſentialiter, non per accidens, aut ſecundario, exſiſtere: illius agentis & actus inſtrumenta nullam actionem propriam, vt ad hunc actum, & in hoc actu, habentia; ſed potius, quandoquidem ille actus in ſe & tota ſua ſpecie neceſſarius eſt, & vnice ad ipſum in actum deducenda, & abſolute propter ipſum exſiſtentia, ſeu ad ipſam exſiſtentiam producenda.

Alia ratio de inſtrumentis reddi non poteſt.

§. LXII. Quæ omnia vti non ſolum ita ſe habent, ſed etiam aliter ſe habere non poſſunt; ita notanda inſuper eſt tanto euidentior huius conſtitutionis certitudo, quia etiam a poſteriori nulla vsquam alia ratio dari poteſt, ſiue exſiſtentiæ nudæ atque ſimplicis, quamobrem vtique ſint; ſiue eſſentiæ, quamobrem talia ſint, talibus actionibus ita exquiſite, imo vnice idoneæ; ne dum ſi plane in actum deduci fingantur, actus ille cuicunque vni aut vlli vſui aſſignari poſſit.

Hæc propter multorum incuriam tam operoſe inculcantur.

§. LXIII. Peritiores harum rerum, & vniuerſæ adeo acceptionis τȣ̃ ὀργάνȣ, ſeu inſtrumenti & inſtrumentalitatis, facile ſtomachari poterunt, quod rebus tam ſimplicibus & in propatulo poſitis, tam operoſe & prolixe immoremur; ſed veniam dabunt intentioni, ad imperitorum, aut certe incurioſorum neceſſariam inſtitutionem directæ: non tamen meæ fidei, ſed experientiæ, imo demonſtrationi hoc dabunt, quod talis incuria hodie non ſit ſolum, detur, exſiſtat, ſed ſolennis ſit, obuia paſſim, imo recepta.

Num bruta ſint nudæ machinæ.

§. LXIV. Non placet, nec profecto vacat, circa omnes luſus magis actiuos, imo vero etiam ludibria magis paſſiua, occupari, quæ humanæ ſpeculationi hodie non ſolum familiaria, ſed chara etiam atque grata ſunt, circa fugitiuas quasdam phantaſias, ſeu præfigurationes, de *brutis animantibus*. Dicunt bruta eſſe nudas & abſolutas quasdam machinas, quæ nullum finem habeant, quamobrem ſint, aut tales ſint, niſi illum vnum, quod Deus & eſſe voluerit, & tales eſſe. Pergunt dicere, quod totus ille actus, qui in corporibus illorum, imo per corpus, & tam ſingulas eius partes, quam ſocias, peragitur, imo qui & quot tales actus ita peraguntur, omnes atque ſinguli agantur a cauſa, iam quidem non amplius ſimpliciter efficiente, adeoque propter finem agente: ſed ſimpliciter ita inſtituta, imo vero ipſamet abſolute ita agitata, vt hoſce actus, hos tales quoslibet ſpecialiſſimos effectus, ſine vllo fine, ſine vllo ſcopo, ſine vlla deſtinatione, perpetret: adeo, vt horum agentium nihil abſolute interſit, ſiue fierent hi actus, ſiue non fierent.

§. LXVI.

§. LXV. Quantumlibet autem, etiam ſecundum has ipſas præfigurationes, minime neceſſitatem & veram eſſentiam organiſmi ita vlla ſolida ratione tollant; cum vtique quod Deo ita expreſſe volente non ſolum fit, ſed ita proinde fieri omni modo neceſſe eſt, vt abſolute vtique fiat propter finem, nempe illam intentionem atque voluntatem Dei, qua, ſeu impletione eius, quis poteſt eſſe alius verior & nobilior finis? Tamen, ſi hæc, quæ fiunt, certe ad hunc finem ad minimum, ſi nullum intermedium alium, ita fieri intelligantur, imo diſerte dicantur; certe illa omnia, quæ etiam ita fiunt, deſtinato omnino fieri intelligenda erunt, nempe omnino per ipſam diuinam intentionem; qua quæ verior eſt, certior, ſimplicior, deſtinatio? adeoque etiam quæcunque vsquam hic fiunt, organice omnino fieri, vere atque ſimpliciter dicenda ſunt, & directio illa, quæ a diuina voluntate non tam profecta eſſe, ſed potius dum vtique eſt, quandocunque eſt, vbicunque eſt, tam diu continuo & perpetuo actu proficiſci, fieri, continuari, intelligenda venit &c.

Voluntas & intentio Dei certum finem iam inuoluit.

§. LXVI. Nolumus tamen in hac vniuerſa deductione operoſius occupari, cum vtique vel quilibet hanc conſiderationem ſua ſponte proſequi poſſit, vel etiam noſtra vlterior deductio reliqua ad illam pariter applicari. Inſpiciemus itaque potius humanum corpus, quod vulgo recentiorum temporum philoſophis *αὐτόματον* audit; nempe ipſum in ſe, quatenus viſibile hoc, quod oculis noſtris obuerſatur, corpus eſt, in omnes illas partes diſtributum, quas etiam omnes organicas eſſe profitentur: noſtri vero nec ipſi hoc inficias eunt, quin vtique in reliqua vniuerſa machina hæ partes ſigillatim ſpectatæ, ad minimum ad machinæ vniuerſim conſideratæ vſus, & ad actionum, quæ huic competunt, ſyſtema *organicam* talem *rationem habere* omnino videantur.

Corpus humanum, ceu machina, ita inſtructum eſt, vt omnes partes ad eius vſus & actiones organicam rationem habeant.

§. LXVII. Non autem placet remouendo, vt loquntur, hic progredi, aut contra illam opinionem directe argumenta nectere: ſed placet potius, vt in theſi rem exequi, & ſecundum hactenus deducta, conſiderare, *an corpus humanum* vllo etiam intuitu *per ſe ipſum ſubſiſtere*, non propter aliud exſiſtere, aut vllum quemcunque, præter vnum certum vſum habere, imo vel habere ſaltem poſſe appareat. Et hoc de corpore, vt in ſe conſiderato, & in ordine ad animam humanam, a priori. Deinde vero contemplationem hanc etiam inſtruemus a poſteriori, nempe ab ipſius animæ humanæ I. intrinſecis magis & ipſi abſolute debitis proprietatibus; tam ratione intellectus quam voluntatis:

Modus tractandi hanc materiam.

II. a proprietatibus eius relatiuis, mutuis, & κυρίως effectiuis atque principaliter actiuis, & ibi inprimis ratione voluntatis, tam ad agendum, quam in agendo, in corpus libere exercendæ.

Corporis conſtitutio materialis per motum conſeruatur.

§. LXVIII. Quod ad corpus ipſum attinet, ante oculos eſt 1) tota eius *materialis conſtitutio*, *ad corruptionem* & intimam & velociſſimam ita tota ſua eſſentia diſpoſita, vt re vera appareat, nude in ſe conſiderata, ad corruptionem talem ex inſtituto facta, ſiue, vt loquuntur, deſtinata eſſe. 2) Videmus hanc materialem corporis conſtitutionem contraria ratione affici; nempe oppoſito corruptionis, *conſeruatione*, ad perennitatem inſtrui, re aliqua ab illa ſua ſimpliciter corporea & materiali indole in oppoſitum vsque aliena: nempe re vera *incorporea*, & quicunque tandem nobis de illa indole conceptus ſuppetit, *immateriali;* adeoque ſi vt effectus conſideretur, a pari certe cauſa, nempe ipſa etiam immateriali, per omnem ſanam rationem arceſſenda, nempe MOTV. 3) Nulla etiam vsquam comparet, conſeruationis corporis tam heteroclitæ, (nempe tam materiæ eius contrariæ, quam modo, indoli ipſius oppoſito, factæ) ratio, quamobrem corpus hoc durare, contra ſuam propriam indolem, & diu ſeruari debeat. 4) Quod quidem minus adhuc eſt eo, quod etiam nulla compareat ratio, quamobrem ipſum vniuerſum corpus exſiſtat; inprimis tale, quale vtique exſiſtere agnoſcitur, nempe quod tales actiones edat. Sicut etiam 5) nulla compareț ratio, quem nam abſolutum & plenum actum hoc corpus in ſe, & extra directionem animæ conſideratum, habeat; ne dum vt 6) compareret, quemnam vſum haberent, aut habere poſſent ſimiles actus. Ex aduerſo vero 7) comparet non ſolum exquiſitiſſima, ſiue, vt loquuntur, abſoluta huius corporis & horum actuum eius neceſſitas & reſpectus, vtique exquiſitiſſime conſpirantes ad animæ proprietates, earumque vſus & effectus: ſed plane 8) directus etiam habitus vniuerſalis corporis, quatenus tale eſt, ad animæ indolem, pro vt illa nobis, ad minimum generice, innoteſcit.

Huius conſeruationis ratio non eſt manifeſta.

Anima triplici intuitu ad res materiales tractandas deſtinata eſt.

§. LXIX. Nempe, vt hanc etiam præcipuam partem fundamentalem conſiderationum harum exponamus, *anima*, quantumcunque in ſe & abſolute æſtimari poſſunt eius actiones, *eſt ens* triplici intuitu *ad res materiales tractandas* quaſi *deſtinatum;* quia (1) generaliſſime eſt *ens actiuum*: nihilo vero certius, quam materia paſſiuum, adeoqne ad τὸ actiuum relatiua hac ſui indole deſtinatum. (2) Generaliter eſt *ens mouens*, quia omnes eius etiam vere propriæ, & ipſi omni modo vt in abſtracto competentes actiones (non ſolum eo ordine,

quo

quo in corpore & per corpus fiunt, ſed vt quolibet intuitu in ſe & per ſe conſideratæ ſunt) generice ſunt MOTVS; nempe progreſſus de re ad rem, quo intuitu Ariſtoteles cogitationem humanæ animæ *deambulationem* eſſe deſcripſit. (3) Specialiſſime, vt *ens intelligens*, abſolute opus habet *tempore*, tum propter numerum actionum, tum rerum, quæ obiectum intellectus conſtituunt; quandoquidem comparatio abſolute eſt plurium, varia vero & multipex comparatio ſane multorum.

§. LXX. Cum itaque (4) anima intelligens non ſolum *ſimpliciter* facta fuiſſe appareat, vt ſimpliciter & abſolute, nempe ſemel & rem forte vnam intelligat; ſed intellectus illam energiam etiam in multis obiectis exerceat, imo monſtret & exhibeat: non potuit hinc proinde fieri, quin ipſi animæ ad ſuas proprias neceſſitudines deberetur (5) *tempus* ſeu *duratio*, tam ipſi atque eius actionibus, quam (6) quibuscunque eius, ſi quibus opus habere agnoſcitur, *inſtrumentis*.

Anima opus habet tempore.

§. LXXI. Quod autem (7) omnino etiam inſtrumentis indigeat, monſtrat non ſolum a poſteriori *vſus* eius, ſiue vti loquimur, *mos* & *conſuetudo*, dum vtique corporeis organis ſenſoriis in ſubſidium intellectus, & locomotoriis in ſubſidium voluntatis vtitur: Sed etiam (8) tanquam magis a priori, non ſolum *indoles rerum*, in quibus intellectus exerceri debet, vt corporearum, hoc exigere videtur, vt proportionatis etiam inſtrumentis opus ſit: verum etiam (9) *modus*, quo inſtrumenta pleraque his animæ vſibus re vera inſeruiunt, vt nempe pleraque corporea ſenſuum, & per illos intellectus obiecta, tanquam magis corporalia reddi, nempe colligi, congregari, coaceruari neceſſe ſit. Quandoquidem (10) non ſolum per ſenſum, ſed omnino per ipſum intellectum (loquor de ſchemate, ſub quo res intellectu complectimur) nihil niſi ſub ſtatu *aggregationis*, aut ſpecie *diuiſibilitatis*, nempe tantæ magnitudinis, quæ etiam adhuc diuidi poſſit, familiariter percipere, concipere, aut nobis imaginari valemus.

Anima indiget inſtrumentis.

§. LXXII. Confirmat has res (11) ipſe modus his inſtrumentis, quatenus inſtrumenta ſunt, vtendi; qui nempe eſt iterum MOTVS. (12) Neque talis ſolum in genere & ſimpliciter, ſed ſpecialiter plane inſtructus atque directus, non ſolum ſecundum varietatem obiectorum, ſed etiam ſecundum tempus, & inprimis quidem illud velut arbitrarium. (13) Quandoquidem de *organiſmo ſenſuum* vel leuiter intelligendi peritis omnino manifeſtum eſt, quod organa ſenſoria generatim, qualitercunque directa, aditum quidem ſpeciebus ſenſibilibus præbeant, imo veluti concilient; interim re vera *ſenſus* vere & ſtricte

Motus ſpeciatim ad organa ſenſoria debet eſſe directus, ſi ſenſus formalis fieri debet.

dictus non fiat, v. gr. dum inter varios, inprimis leuiores, quin imo ſubinde vel grauiores ſtrepitus ſedemus, alii cuidam rei ſiue ſenſibus, ſiue nuda animi intentione maxime addicti; ibi licet illi ſtrepitus omnino vere & realiter ita in aures noſtras illabantur, vt exquiſite audiri poſſent, ſi intentio adeſſet, quæ ſpecies ita oblatas etiam formaliter adſumeret atque compararet: tamen cum hæc deſit, deeſt etiam ille effectus, & nullo modo formaliter fit ſenſus.

Anima organis ſenſoriis pro arbitrio vti poteſt.

§. LXXIII. (14) Ex aduerſo poteſt vtique anima, etiam pro ſuo arbitrio & reliquo proprio ſuo actiuitatis modulo, ſenſoriis organis vti; nempe tam ratione temporis, quando & quam diu vult, quam ratione ſubiecti, in quod vult, & ratione obiecti, circa quod & ſecundum quod directe vult: nempe tam a priori, vt in illud obiectum, quod proprie vult, organum dirigat, quam a poſteriori, vt ad obiectum, quod vult, etiam illud organon, quod conuenit & neceſſarium eſt, & ſeligat atque aſſumat, & omni proportionato modo actuet atque regat.

Duæ conſiderationes de exſiſtentia animæ humanæ, deſtinatione.

§. LXXIV. Sicut autem putamus, hæc ſufficere poſſe ad demonſtrandos *reſpectus* illos, non ſolum veros ſed etiam neceſſarios, *qui inter animæ* in ſe conſideratæ *proprietates*, & viciſſim *corporis organici habitudines*, nexu abſolute directo atque indiuiduo, intercedunt: ſupereſt vt (15) tanquam pro colophone huius conſiderationis recordemur deſtinationis exſiſtentiæ animæ humanæ, ſeu rationalis, vt e duabus conſiderationibus, quænam vero ſit ſimilior, diſpiciamus; nempe *an anima abſolute & ſimpliciter intelligendi fine exſiſtere* intelligi poſſit aut debeat, per media atque miniſteria ipſi directe propria atque addicta, & eius intentionibus atque directionibus, a priori formatis, & in effectum deducendis, puro inſtrumentali more (actus nempe ſuſcipiendo, atque continuando & transmittendo) obſequentia atque ſeruientia: *An* vero contra *anima ſpecialiſſime, & abſolute ſecundum quid, vni ſolum machinæ in hoc vniuerſo ita adſcripta cenſenda ſit, vt nihil* niſi quod in illa, imo in illam, & quidem quatenus in illam fit, aut contingit fieri, *proprio ſuo & abſolute eſſentiali actu*, non ſolum intelligendi, ſed etiam volendi, *præſtet & exſequatur*.

Mechanismus corpus vt machinam abſolutam conſiderat.

§. LXXV. Spero autem, rem vniuerſam de *abſoluta animæ ad intelligendum ſimpliciter habitudine* non ſolum in ſe parum dubitationis inuoluere, ſed etiam tanto euidentius diluceſcere poſſe, ſi prius remoueatur oppoſitus ille, quem ſecundo loco allegauimus, reſpectus. Nempe volunt illi, qui *corpus humanum machinam abſolutam* eſſe volunt, produci hoc corpus proprie atque directe *propter ſe ipſum*, & fieri

eri in illo non ſolum vitales motus (quamuis re vera nusquam intelligant, quid proprie ſit *vita*) ſed etiam animales, ſenſum non ſolum, ſed etiam localem motum; dum nempe per ſenſus res illæ, quæ ſentiri dicuntur, continuata energia (illæ res inquam, ſui actus, ſeu incurſus energia) totas quasdam moles corporis pellerent, qui actus ſit motus localis. Hiſce rebus *ſuperinduci Animam*, vt illas ita, vti fiunt ſimpliciter, intueatur, &, vel vti fiunt, vel magis forte paſſim, vti factas experiatur. Ita tamen, vt liberum ipſi omnino ſit (nempe vt in re aliena, prout libet, etiam temere atque friuole, cum nempe in ipſam nihil inde incommodi redundare poſſit, vt e re aliena) pro ſuo arbitrio his illis, quæ fiunt, rebus accurrere, adeoque ſenſus illos, qui etiam ipſa non cogitante aut volente fiant, ſaltem adire, atque abſtracto quodam actu agnoſcere. Cum tamen hæc, etiam craſſa qualibet ratione, deficiant circa nudas voluntates, organa ſenſoria abſolute dirigendi; etiam noua vis corpori facienda fuit, & quidem vnde minime putares, aut, ſecundum ſuppoſita, exſpectares, ab ipſa hac anima.

Exemplo res explicatur.

§. LXXVI. Exemplis res clariores fieri ſolent. Si a tergo alicuius, ſeu potius aliquorum plurium, ſtrepitus oriatur, ad quem ſe vnus e pluribus conuertat, diſerte, inquam, propria ſui expreſſione atque confeſſione, vt videat, ſeu cognoſcat, quæ & qualisnam ſit illa res, a qua ſtrepitus ille proficiſcitur. Hoc factum ſi qui veritati ſimplici ſine ambitu intenti perpendant, dicent ſine dubio, a voluntate ſciendi, quidnam ſit illud, quod ſtrepitum excitat, dirigi motus corporis, vt oculi, tanquam organa aſſequendi materiale ſubiectum a quo, interdum & in quo, ille ſtrepitus fieri æſtimatur, ad illud dirigantur. At iſti nudi mechanismi patroni maiore cura hic ſuam inſtruunt ſcenam. Dicunt, certas particulas, quæ alias in genere aptæ ſint ad organa ſenſuum &, mediantibus his etiam organa motuum impellenda, in certis corporibus non tam ſimpliciter inuenire, quam ſenſim nanciſci talem ſpecialiſſimum aditum (quem etiam efformationi nouæ figuræ pororum, meatuum, imo ſtaminum fibroſorum affingere non erubeſcunt) ad huius corporis hasce partes motorias, vt quando in poſterum per ſenſum, ſeu organa ſenſus, irrumpunt, ibi etiam organa motus tali peculiari ratione afficiant, nempe directe impellant, vt non ſolum motus, ſed etiam ſpecialiſſimus, inde ſequatur, & quidem mechanice, imo abſolute mechanice: nempe ex talium particularum ſpecialiſſima mechanica proportione, ad illum actum ſpecialiſſimum, ad illum locum ſpecialiſſimum, & quidem non tam immediate attingendum, ſed etiam cum

Particularum efficacia ad motum excitandum adlegatur.

ſtudio

ſtudio atque anxia intentione quærendum &c. Quanto conatu quantæ nugæ!

Alio exemplo hæc hypotheſis refutatur.

§. LXXVII. Si v. gr. adplicatio facienda ſit ad hunc, e millibus talium, caſum. Audit aliquis, vel quacunque ratione non plane negligens, vel magis auidus pecuniæ, circa ſe ſonum labentis cuiusdam rei tinnientis, forte fruſtuli vitri, aut cuiuscunque tandem metallici fragmenti; ibi ille certe ſuis æſtimationibus intentus, non ſolum conuertit oculos, & quantum his neceſſe eſt dirigendis etiam reliquum corpus, ad illum locum, vnde allatum eſſe ſonum opinatur: ſed flectit etiam & agitat mirifice corpus ſub menſas, ſub ſcamna, ſub tabulata, ad rimas & fiſſuras aſſerum, ad dimouenda, volutanda, excutienda varia, quæ quoquo modo interpoſita videntur, neque deſinit ante his rebus agitandis, repetendis, denuo ſuſcipiendis, imo huic ſententiæ (quod pecunia fuerit, quam cecidiſſe audiuerit,) inſiſtere, quoad inuenerit, & ſi non inuenerit, dimoueri ab illa ſententia nunquam poteſt. Quanta hæc eſt efficacia particularum! Semel hoc dicere ſuffecerit, quod nequidem honeſte dici poſſit, quod aliqui dicunt in aliorum honorem, quod ſarcasmus ſit, tales res ridicule commemorare; cum illæ, quo magis ſimpliciter, & vt re vera ſunt, dicuntur, non ſolum auditu ridiculæ ſint, ſed deliriis exquiſitiſſimis pares.

Columbas campeſtres quid impellat ad victum in aruis quærendum.

§. LXXVIII. Volui abſtinere ab illa de animantibus brutis, ſecundum hasce fictiones, fabula: ſed cum præſens res me quaſi mechanico impetu eo impellat, paucum quiddam ὡς ἐν παρόδῳ, breuiter ſed nihil leuiter de ipſa re detrahendo, inſeram. Quando *columbæ* in domum aliquam, eiusque quemcunque angulum, adſuefiunt, *campeſtres* inprimis, ſeu victum ſuum in aruis quærere natæ, quas Germani feld-Tauben appellant, hæ ſi non ſolum in vna aliqua domo, ſed etiam poſt hac in altera, imo amplius eiusdem ciuitatis, conſuefiant; quando inde ad aliquot millia paſſuum extra vrbem in diſſita arua volant, & paſtum ſuum ibi non tam inueniunt immediate, quam laborioſe quærunt, ſatiatæ non ſolum ſimpliciter retro in vrbem volitant, ſed etiam inſuper variis aliis ex eadem vrbe, turbis, ſeu turmis columbarum ex aliis domibus, immixtæ volant: & ita exquiſite non ſolum ſuam domum inueniunt, ſed quando etiam, quod familiariter fit, cum illis alteris ad iſtarum domum ſeductæ; ab illis illectæ, vt diutius ibi oberrent, ad ipſius columbarii aditum vsque obſequuntur, ſerius ocyus tamen ab his columbis atque locis iterum diuertunt, auolant, circumuolant, donec tandem ſuos penates iterum reperiant &c.

§. LXXIX.

§. LXXIX. Si iam hæc omnia, & inprimis ſingula, ex illis hypotheſibus explicentur, primo quidem *effluuia* ſubtiliſſima granulorum (non vnius, ſed variorum generum, tritici, ſecalis, hordei, auenæ, piſorum, lentium, cicerum, viciarum, nigellaſtri, imo tithymali cypariſſiadis in aliorum defectu &c.) per aërem volitantia, non ſolum commouent columbas, ſed ita etiam præciſe impellunt, vt non, vti emanauerunt, ſed directe eo, vnde emanauerunt, illas pellant: (certe contrario actu eo mouendi, vnde ipſæ abeunt) ſed etiam, poſtquam illa organa, propter quæ hic impulſus tam longi volatus factus eſt, ita repleta ſunt, vti nos ſaturatum eſſe vocamus, tunc iterum aliæ particulæ (certe campeſtres, nam domi oblatis frugibus ſaturatæ minime volant, ſed ad quietem ſe componunt) non ſolum ſimpliciter ipſas ad ſubuolandum impellunt, ſed ſpecialiſſime verſus vrbem, vnde profectæ, ſiue, vt iſti loquuntur, expulſæ ſunt. Poſtquam vrbem attigerunt, pellunt illas adhuc ſpecialiores aliæ particulæ de ſua domo ſpecificæ, ad hanc ipſam. Imo ſi ad alias domos, (neſcias autem quomodo per illas particulas, omni modo & reſpectu inuſitatas,) ſeducantur, incertum, an ab illis, a quibus ita adductæ fuerunt, ſimpliciter iterum repellantur, an præualentibus tandem ſuæ domus particulis ex alterius illius (quæ certe tanquam præſentiores præualere debebant) iterum extrudantur.

Num effluuia granulorum hoc efficiant.

Et quænam particulæ eas in columbarium reducant.

§. LXXX. Puto autem ſuperuacuum fore monere, quod mirifice ἀμήχανον habenda videatur illa efficacia particularum domus & columbarii, ad illum effectum non ſolum finalem, ſed re vera magis pure moralem, vt columbæ illam domum quærant; cum vel pueris notum ſit, quod de eiusmodi liberioris volatus columbis pleræque, ſi etiam in vna domo diu aſſeruatæ fuerint, ſimulatque in liberum aerem emittuntur, priſtinam ſuam repetant, imo in vna alia iam adſuefactæ ſatis facile in aliam ſeducantur. Dico ſuperuacua hæc eſſe, cum quomodocunque tandem inſpiciatur hic mechanicæ retropulſionis mimus, nulli homini facile aſſenſum extorquere poſſit.

Hæc particularum efficacia admodum ſimplex eſt.

§. LXXXI. Ad rem potius noſtram reuertentes merito vtique illud iterum allegamus, quod in motibus voluntariis a nemine in controuerſiam vocatur, quod anima *poſitiue motus corporis* non ſolum *prouocare* poſſit, ſeu ſuſcitare, ſed etiam tam ratione quantitatis, quam ratione ſcopi abſolute *dirigere*. Vbi tamen cauendum eſſe puto, ne, dum alias vehementer proteſtari mos eſt, metaphyſici conceptus phyſicis negotiis immiſceantur, & hoc quidem iure, modo recte fiat; ne

Anima motus prouocat & dirigit.

inquam hoc loco re vera metaphyſicus, abſtractus, & vt rei magis abſolute immaterialis conceptus ingeratur de DIRECTIONE, ſimpliciter actui motus ita contradiſtincta, vt etiam ab alio agente proficiſci, & motui ſuperaddi ſeu adiici poſſit. Motui inquam phyſico, vel etiam mouenti phyſico, directio, vt res pure metaphyſica in abſtracto, realem phyſicam concretionen, imo vero transmiſſionem a cauſa immateriali in ſubiectum corporeum, ſuſcipere & ſubire poſſit. Quaſi diceres, fictionem mentis ſimpliciter & abſolute in effectum realem & corporalem deduci poſſe, immediate. Ita enim philoſophantur illi, qui animæ nec ipſum motum, nec vllum ius in eundem qua talem, permittunt, ſed ipſum penitus aliunde, & plane ſua ſponte fieri auſerunt, fienti autem, imo vigenti ſolum adiici atque immitti directionem.

§. LXXXII. Sane vero directio hæc cum ſit res immanens & durabilis, nempe motum totum comitans & veluti complectens, vt ille nusquam aliter, quam ſub ipſa & ſecundum ipſam fiat, v. gr. in moderando motu brachii ad modulos muſicos, ad ſculpturas chalcographicas &c: ingens omnino eſt confuſio, illi vt ſimpliciter metaphyſico enti tam immediatam phyſicam efficaciam in motu corporeo, in ſubiectis motis & mouendis, & ipſis effectibus vndique corporeis adſignare. Præcipue autem rerum metaphyſicarum differentiæ a phyſicis recte peritis nunquam perſuadebitur immediata transmiſſio rei vt abſtractæ, ſimpliciter in non ſaltem concretum, ſed etiam phyſicum & corporeum.

Vide §. LXXIV. Animam humanam ſimpliciter intelligendi fine exſiſtere probatur.

§. LXXXIII. Quod autem alteram illam ex hisce duabus ſupra propoſitis conſiderationibus concernit, nempe an veriſimile ſit, quod *Anima humana abſolute & ſimpliciter intelligendi fine ita exſiſtat*, vt res ſuas vere per ſe, abſolute inquam proprias habeat, non autem nudis alienis interueniat, quibus ad ſuos vſus, tanquam precario & ſecundario (rerum illarum in ſe ſpectatarum intuitu) fruatur: putamus omnino affirmari poſſe hanc veriſimilitudinem inprimis ex eo, a priori 1.) quoniam actus hic animæ humanæ, intelligendi ſeu agnoſendi tum totum ſyſtema rerum creatarum, tum illas eius circumſtantias, e quibus vnum illud ſtupendum & inimitabile, imo intimius ne quidem vsquam comprehenſibile non ſolum artificium, ſed agnitio etiam vnius cauſæ ſeu artificis, colligatur hoc ipſo actu: quod inquam hic ita intelligendi actus maioris ſit dignitatis, quam quicunque alii in toto reliquo orbe inueniendi. Atque proinde 2) etiam ſine vllo dubio inſtitutus,

ſiue

ſiue vt loquuntur, deſtinatus ſit, vt omnino abſolute & ſimpliciter per ſe, non ſecundum quid, per tota eſſentia aliud, ſecundario, & ita omnino reſpectu primarii per accidens fiat. Tali conſtitutioni 3) vero ſimillimum vtique ducimus tribui debere etiam proprias cauſas concurrentes; intelligo, quæ ſimpliciter & abſolute propter hunc actum, & nihil aliud, aut ad minimum primario & directe propter hunc & exſiſtant, & agant ſeu concurrant. Iudicamus autem etiam 4) eluceſcere hoc tanto euidentius a poſteriori ex illo, quod non ſolum vniuerſum corpus in tota ſua mechanica conſtitutione organicis ſcopis atque intentionibus ex amuſſim exquiſitiſſime congruat, adeoque ad illos vſus directe prorſus atque proprie productum eo ipſo videatur: Sed etiam 5) re vera nulla vsquam veriſimilitudine ad vllum alium vſum, atque adeo ſcopum inſeruire poſſe appareat, ne dum debere. Cui rei 6) omnino accedit libera illa actiuitas, quam anima habet, non ſolum in organa ſenſuum ſecundum ſuam voluntatem inſtruenda, ſed etiam in præcipua organa vitalia, imo totos complexus actionum vitalium, per ita dicta *animi pathemata*. Quibus rebus colophonis loco accedunt appetituum, vti vulgo vocamus, tam iucunditatis quam aduerſitatis arbitrorum, ſi penitius æſtimentur, non obſcuræ relationes atque proportiones, ad melius atque commodius conſeruandum, defendendum, fouendum corpus, & nocumenta ab ipſo arcendum inſeruientes, & vltimo ſui effectu etiam ad hoc habiles; aut vltimo ſui effectu ad ſpeciei conſeruationem tendentes, vel etiam ſpeciali conuenientia typi, ſtructuræ atque motuum, ſimilitudine inquam corporis atque morum, nitentes.

Corpus immediatum animæ organon eſt.

§. LXXXIV. Hæc omnia, quæ de *organiſmo* partim in genere, partim corporis humani organica ratione in ſpecie ita diximus, putamus ſatis euidenter commonſtrare poſſe, quod *corpus* hoc verum & immediatum ſit *animæ organon*, non ſolum ad eius vſus, ſed directe & abſolute propter illos a priori inſtitutum atque factum, illis etiam & re vera nulli alteri rei, organica ſui conſtitutione, ne quidem vtile aut idoneum, niſi illo res paris eſſet ad mouendum & regendum energiæ compos, (vti de ſpiritibus etiam malis creditur.)

Energia animæ humanæ ad corpus ſuum mouendum.

§. LXXXV. Non equidem neceſſarium ducimus illam, quæ iam ſupra a nobis commemorata eſt, *energiam* humanæ animæ ad corpus ſuum debite vſurpandum, nempe mouendum, prolixius ſtatuminare; quod tamen ita vtique fiat, ſaltem rationes ipſas nude ac ſincere ad-

adducere, & cuiuslibet propriæ conſiderationi relinquere ſatis eſſe iudicamus. Sunt autem ſequentes.

Motus ab agente ſeu mouente numquam ſecludi debet.

§. LXXXVI. Singuli vſus & actus, qui in corpore, aut per corpus, quatenus organicum eſt, peraguntur, generice non niſi vnus ſunt actus, nempe *motus*. Neque vero etiam ſpecifice aliud quicquam ſunt, quam ſpecies motuum, nempe motus varie directi. Motus non ſolum in ſe eſt res per omnem conceptum incorporea: ſed manet etiam talis, quandocunque, quamdiu, imo eo ipſo dum in corporibus & in corpora agit. Habet etiam inſuper attributa, ſiue vti vulgo loquimur, affectiones atque proprietates pariter incorporeas, tempus, gradum energiæ, reſpectum tam directionis ad finem, adeoque proportionis, tam ſui ipſius, quam idonei organi, & tandem reſpectum finis ipſius. Effectus vti ſemper teſtatur de ſua cauſa, ita motus, vt res incorporea, de cauſa ſibi congenere. Motus vt actus fruſtra ſecluditur ab agente: ita enim in abſtracto conſideratus non eſt ens phyſice exſiſtens, ſed metaphyſicum ſolum. Vnde phyſico ſenſu de motu, qui re vera fit, nunquam dici poteſt ſimpliciter vt de actu in abſtracto, ſed ſemper dicendum & intelligendum eſt de agente in concreto. Vnde fruſtra in rebus phyſicis nominatur motus, vllo intuitu immanens aut inſiſtens, quin potius & verius nominari debeat mouens. Quo intuitu penitius vtique agunt, qui, vbi de hiſce rebus ſermo eſt, vere *ſubſtantialem* quandam *vim* ſupponunt *mouentem* (quod ſuo more iterum ineptiſſime intelligendo corrumpunt, & in ſter liſſimam metaphyſicam *σπερμολογίαν* proiiciunt, qui loco vis ſubſtantialis mouentis, vim mouendi, ſe ipſum mouendi, vim ſui ipſius ſecundum ſe ipſum, & in ſe ipſo, philoſophantur) dico, quod hæc ſententia de *vi ſubſtantiali mouente* vtique in ipſa re verior ſit: modo recte diſtinguatur, vbi re vera ſit, & quibus rerum phyſicarum ſpeciebus vere & realiter competat & inſit. In quibus enim vere ineſt, *Animata* dici conſueuerunt. Veteres etiam *Naturam* vocauerunt.

De deriuatione vocabuli ψυχῆς.

§. LXXXVII. (Inuenio in lexico græco antiquiore poſt alios, & Budæum inprimis, iterum iterumque reuiſo, nomenclaturam nimis quam fugitiue allegatam: Φυσιχὴ poëtice, pro ψυχὴ. Incidit animo ſuſpicari, an non verum primum nomen animæ antiquiſſimis Græcis fuerit hoc Φυσεχὴ, quaſi ἔχων τὸ Φύειν: e cuius vocis pronunciatione deflectente, vti vere familiariter ſolet per vocalium, inprimis ſub accentibus, fugitiuam enunciationem, ſenſim natum ſit Φυσ-χὴ, Φσυχὴ, & denique ad faciliorem pronunciationem in locum

Φσυχὴ,

φσυχή, ψυχή. Quam ſuſpicionem fouere mihi videtur illud, quod vocabuli ψυχῆς pro anima nulla idonea analogia in lingua græca occurrat: nam quæ a ψύχω ducitur, cum verus huius & directus ſignificatus notorie ſit refrigero, indirectus autem magis ſpiro, nihil certe hæc ad animam puto.)

§. LXXXVIII. Sicut autem ſatis euidenter diluceſcere confido, quod hæc corporis humani ratio, abſolute organica ad animam humanam, ſatis monſtret, quod corpus etiam abſolute & ſimpliciter propter animam exſiſtat: ita ſunt adhuc aliquæ circumſtantiæ, quæ ingens & euidens hoc ſymbolum inter animam & corpus plane euidenter confirmare appareant. Inter quæ *primo loco* numeramus *energiam illam, etiam alienæ animæ*, & quidem nudo actu rationali (rationis ratiocinantis, vt loquuntur) fictitio, in ipſam efformationem ſeu ſtructuram corporis; quando videlicet ex imaginatione matris corpori infantili non ſolum aliquid forte ſuperinducitur, ſed omnino etiam iam abſoluta propria atque debita ſtructura iterum diſſoluitur, & noua in eius locum ſubſtituitur: Et hoc quidem ſubinde immenſum minore temporis ſpatio, quam de reliquo ordinaria ſtructura abſolui ſolet. Vbi etiam tanto magis notari meretur, quod huiusmodi effectus non ſolum ordinarie comitem habeat in ipſa matre abſolute moralem, patheticam æſtimationis & intentionis peculiarem intenſionem; vt ſub fortiſſimo appetitu, aut vehementiſſima auerſione, formidine, terrore iſtæ vt loquuntur impreſſiones quam maxime efficaciam ſuam exhibere ſoleant: ſed meretur vtique parem conſiderationem, quod ab eadem cauſa, & per ſimiles penitus circumſtantias etiam impreſſiones ſimiles in ipſum animum fiant, & rerum pares æſtimationes ex animo materno in animum & λόγον ſobolis transmittantur. Vbi inſuper conſiderationem meretur peculiarem illa circumſtantia, quod quam maxime tranſitorius huiusmodi actus patheticus in fœmina prægnante tam firmum atque conſtantem effectum in fœtum edere ſoleat, non ſolum in corpus eius, ſtructura indelebili, imo potius indies augeſcente: ſed inprimis in animum, irreuocabili illa huius perturbatione, & nullam λογιστικὴν emendationem admittente.

Nexus organicus inter animam & corpus probatur 1) ex energia animæ matris in ſtructuram corporis infantis.

§. LXXXIX. *Secundo loco* ſtatuimus ingentem illam *efficaciam*, quam anima in proprio corpore exſerit iisdem patheticis intentionum ſuarum perturbationibus. Quæ certe res multo altiore conſideratione digniſſima eſt, nempe quomodo a terrore, iracundia, repentino magno gaudio, intenſiſſimo deſiderio eodem etiam phyſico momento motus

2) Ex animi pathematum efficacia in corpus.

vniuerſalis ſanguinis, non ſolum pulſu cordis, eminenter alteretur: verum etiam tono vniuerſi reliqui corporis ſubinde momentanea mutatio accidat, imo ſubinde etiam in momenta varians & alternans huiusmodi alteratio eueniat.

Anima habet notitiam organorum.

§. XC. *Tertio loco* euidens vtique eſſe putamus, quod peculiaris aliqua imo exquiſita animæ ineſſe debeat horum ſui *organorum notitia*, per quam non ſolum proportionis illorum ad varios fines gnara eſſe debeat: ſed etiam proportionis & habitus vniuerſi eorum, ad ſubeundum motum; & motum quidem peculiariter prorſus moderandi compotem, pro ipſius animæ arbitrariis intentionibus. Vbi quidem extra omnem conſiderationem poſita eſt illa exceptio, quod anima ab hiſce rebus aliena eſſe appareat, & illæ potius quibuslibet cauſis atque modis adſcribendæ videantur: propterea, quod anima ſibi vllius concurſus, nedum totius actionis huiusmodi, nusquam quicquam conſcia ſit; quod nempe fieri minime poſſe interpretantur, ſi anima vere his negotiis implicita eſſet. Cum enim illud quod ipſi conſcium eſſe volunt, ſiue phantaſiæ ſimpliciter ſit actus, ſiue memoriæ tanquam compoſitæ phantaſiæ, in hos autem actus nihil cadat, quod figuræ expers ſit, & quidem craſſioris: tantum abeſt, vt hæ res talem animæ actionem, qualitercunque imaginatiuam, ſubire deberent, vt potius rem vere æſtimando talem ſubire omnino ne quidem poſſint. Sicut etiam circa hoc negotium pari conſideratione digni ſunt illi actus, quos anima abſolute adminiſtrat, v. gr. moderationes organorum ſecundum certas proportiones, tam ſtructuræ illorum, quam finium, ad quos diriguntur, & non dicam, quomodo dirigantur, ſed quod omnino dirigantur; quod, inquam, anima hoc ipſum iam ita agat, v. gr. in cogitanda menſura motus ad tranſiliendam foſſam, ad ſubſultandum ad numeros; ad dirigendum iactum, non ſolum ad certam diſtantiam, ſed etiam ad certam lineam, imo punctum quaſi metæ, &c. Imo, quando, quæſo, ſeorſim conſcia ſibi eſt anima, ſeu cogitat aut meminit directe, quod iam cogitet? vbi altiorem certe conſiderationem poſtulat diſtinctio illa, alibi a nobis commendata, inter λόγον & λογισμὸν, *rationem* & *ratiocinationem*, intellectum ſimpliciter, & collectionem e multitudine rerum qualitercunque intellectarum, inter agnitionem, cognitionem, & diſtinctam imo diffuſam cogitationem.

Exceptio remouetur.

Diſtinctio inter rationem & ratiocinationem.

Quem vſum habeat hic nexus organicus

§. XCI. Quemadmodum autem rectiſſime olim Cicero monet, quod niſi vtile ſit, quod facimus, ſtulta ſit gloria: ita valet hoc quam maxime in hoc negotio *Organici nexus inter corpus & animam huma-*

humanam. Neque hoc ſolum in ſtatu, vt loquuntur, ſecundum naturam, in ſanitate ſeu ſimplici conſtitutione atque debita conſeruatione corporis: ſed tanto magis vſum habet vnicum (nempe quem nulla alia res compenſare valeat, ſi ille deſit) in vera ætiologia morborum & ſymptomatum variorum, circa comprehendendam non ſolum cauſam perturbationis variarum animæ actionum ad deliria vsque: ſed etiam deprehendendos varios veros vſus, quos diuerſa commotionum genera, vero atque iuſto organico modo, habent ad certos non vtiles ſolum, ſed etiam neceſſarios ad conſeruandum corpus ſcopos.

inter animam & corpus.

§. XCII. Quemadmodum enim ne quidem vsquam concipi potuit hactenus, quidnam vere & realiter ſit *vita* corporis; ſecundum quid nimirum corpus dicatur viuum? quisnam ſit, imo an vtique ſit quisquam reſpectus aut actus organicus, qui ſimpliciter &, quod aiunt, formaliter ad vitam neceſſarius ſit; quis ſit nexus materialis reliqui habitus corporis ad eius ſiue vitalitatem, & hoc quidem inprimis, ſiue mortalitatem &c. Ita tanto minus quicquam veri organiſmi agnoſci potuit, nedum vt quicquam eius cognoſci obtigiſſet circa vtiles illas & ipſa proportione multiuaria ſubnixas vere vitales actiones, paſſim in morbidis corporis conſtitutionibus fientes, ſed non ad damnum, nedum deſtructionem, ſed omnino potius conſeruationem tam corporis, quam vniuerſæ eius œconomiæ. Huic enim fundamento deficienti vnice imputare neceſſe eſt ingentem illum defectum pathologicum, vt non ſolum pro morbi directi ſymptomatibus, corpori non ſolum moleſtis, ſed omnino noxiis accuſarentur tales paſſim actus, & motuum inprimis corporeorum conatus quin effectus, qui non ſolum ad expugnandas alias quasdam vere noxias aut nocituras res egregie conuenirent & quadrarent: ſed ſubinde etiam ita neceſſarii eſſent, vt ſine illis corpus inter res reliquas ita conſtitutas vix aut plane non ſeruari, & ab interitu eripi poſſet.

Si verus conceptus de vita deficit, etiam actiones illæ vitales, in morbis euenientes, non recte agnoſcuntur.

§. XCIII. In qua ipſa etiam magnæ vtique conſiderationis varia ac multiplici eiusmodi organica energia duo inprimis occurrunt, quæ huius noſtræ præſentis tractationis verum intellectum & vſum omnino poſtulant, imo illo indigent. *Primum* eſt, quod hic illic quidem poſt totuplices laborioſas inculcationes *veritas ſucceſſuum* talium *organicorum* ad conſeruationem vitalem agnoſcatur imo adſumatur: interim *nexus organicus* & eius reſpectus cum anima humana adhuc vtique vel ſimpliciter negligatur; vel miris paſſim hiatibus & fluctuationibus iam admittatur, iam negetur. Quamuis ſubinde alia prorſus ratio parti-

Veritas ſucceſſuum organicorum quidem agnoſcitur, nexus tamen organicus inter ani-

particularis ſubſit, nempe licet a ſe ipſo diſſentire neceſſarium videatur, tamen directe in ſententiam alterius tranſire durum appareat. Vnde quidem rem ipſam ſuam facere non graue eſt; interim eandem quadantenus aliter effingendo, eo ipſo quaſi ſibi propriam facere tentatur: ſed certe vtrumque fruſtra, cum non ſolum veritas, vt vna, aliena ſchemata non ferat, ſed illos etiam, qui rem ipſam comprehendunt, tanto minus latere poſſit, vnde prodeat, cum vt vna inter prorſus alienarum magnum numerum emergens non facile ad diuerſos fontes referri poſſit. Deinde *altera* quæ ſubeſt huius conſiderationis meliore applicatione digna, recentior difficultas eſt implicatio illa, non ſolum craſſo modo a poſteriori omni veriſimilitudini contraria, ſed etiam a priori plus vno modo ab omni tali aliena; quaſi huiusmodi effectus, quos vt vere organicos ad neceſſarium finem corporis conſeruandi agnoſcimus, æquiuoco quodam organiſmi genere, per ita dictas ſeu fictas *Irritationes* ſimplices & immediatas, magis pure ſenſitiuo-mechanicas procederent, & varias varie implicitas, iam neruorum, iam fluidi in neruis, per neruos, iam neruorum per hoc fluidum in ipſis, commotiones ſuſcitarent, quæ paſſim ἀπὸ μηχανῆς, e ſtricte particularibus vniuerſales, e minimis & ſubtiliſſimis maximæ & craſſiſſimæ euadant. Et quidem hoc vniuerſum ſine vllo directo vſu, nedum ſcopo ad totius corporis conſeruationem, ſed vnice accidentalem, & plane aliud agendo, huius conſecutionem.

[Margin: ...mam & corpus negligitur.]

[Margin: Effectus organici irritationibus & commotionibus neruorum adſcribuntur.]

§. XCIV. Hæ vero, tam circa ipſas res earumque veram hiſtoriam, quam circa explicationem, collectionem atque concluſionem de illarum vera indole, perpetuæ fluctuationes cum doctrinæ medicæ nunquam ſuperandam confuſionem & implicationem directe inferant, antiquos quoslibet errores non ſolum foueant, ſed etiam nouos nimis quam fœcunda ſegete parturiant & introducant: ingens profecto operæ pretium ſubeſſe quilibet has res condigne æſtimans cognoſcit, vt *quid in machina corporis humani vere organicum ſubſit* decenter diſpaleſcat. Cui quidem rei e præſente noſtra deductione deſideratam lucem affulgere poſſe confido, ſi nempe tam a priori perpendatur, quid ad talem finem propria dignitate vtique conſpicuum, *Animæ effectum & vſum rationalem* quatenus talem, eſſentialiter neceſſarium ſit; quam a poſteriori, quomodo hoc corpus mechanice fabrefactum, ſi hic vſus ad hunc vnum finem auferatur, nullum vsquam alium haberet, imo nullo vsquam actu niſi ad hunc finem euidentiſſime conſpirante affici deprehendatur.

[Margin: Quia hæ fluctuationes rem medicam magis confundunt, neceſſe eſt, vt organiſmus recte perpendatur.]

§. XCV.

§. XCV. Iterum, pro concluſione totius huius tractationis, dictum hoc atque ratum volo, quod ſine hac ſolida atque certa *organici habitus theoria* non ſolum in ipſa phyſiologia atque pathologia, ſed conſequenter etiam in ipſa rationali methodo medendi, nullum vsquam veſtigium veri nexus, imo ipſius rerum veritatis compareat; & illud quidem paſſim in caſibus non exigui ſed longe maximi momenti: adeo vt ex hoc defectu in theoria quidem paſſim illud, quod veritati directe contrarium ſit, in tota ſchola medica ſuſtentatum atque propagatum ſit; in praxi vero directe & vere efficaci re vera contrarium talis theoriæ non ſolum ſeruandum, ſed etiam commendandum atque docendum ſit. Manifeſtiſſimo iterum & proinde conſideratione vtique digniſſimo documento, quod theoriæ tales ſint falſæ & a veritate alienæ, quoniam praxis, nempe veritas effectuum aut minimum euentuum, ſi talis nempe verax eſſe debeat, theoriæ eiusmodi contraria eſſe neceſſe habeat.

Sine huius organismi cognitione neque in theoria neque in praxi vllus nexus aut veritas comparere poteſt.

§. XCVI. Non ſolum non diſſimulo ſed quam maxime vtique indico, quod documentum, quod etiam me ad hanc rem funditus excolendam primo omnium manuduxit, & tam argumentorum realium euidentia, quam reliqua ſua in praxi clinica dignitate præcipuum, ſint FEBRES. Quamuis autem *harum pathologia*, veræ & intemeratæ earundem hiſtoriæ innixa, non ſolum ſolidiſſimum ſit fundamentum huius noſtræ ætiologiæ Organiſmi; ſed etiam ſolidiſſimum eius *obiectum*, vtpote quod ſine hac nunquam ſecundum veritatem comprehendi, explicari ne dum demonſtrari poſſet: eſt tamen ſimul etiam illud inuictæ veritatis, quod etiam reliquæ œconomiæ non ſolum animalis ſed omnino etiam vitalis in genere nullus vsquam intellectus, ſed nihil niſi varie fluctuantes de illa conceptus, imo figmenta & hinc inde ludibria ſubnaſci poſſint, tanto maiora, quanto largior ab hiſce ſolidis & proinde vnicis fundamentis ſit ſeceſſus.

Febrium pathologia eſt fundamentum ætiologiæ organismi, immo eius obiectum.

§. XCVII. Poterunt itaque hactenus dicta ſufficere ad ſufficienter intelligendum, quomodo *agens intelligens atque volens*, finem & propter finem volens, *debeat habere organa illi fini proportionata, & illa ad eiusmodi finem etiam debite & conuenienter dirigere atque regere*: & quod organa tali fini ita ex amuſſim & ipſo effectu inſeruientia, propter hunc vtique finem exſiſtere omni iure meritoque intelligi debeant. Hoc enim ſi ita debite fiat, vt non ſolum vniuerſum vitale negotium, & quicquid in eo ordine fieri obſeruatur, exquiſita proportione ad neceſſarios fines ita adminiſtrari ſentiatur, atque adeo *verum na-*

Verum naturæ ἔργον, eiusque συνεργία ſi recte cognoſcitur, vera etiam pathologia & methodus medendi inuenietur.

turæ ἔργον ſcite atque dextra adminiſtratio œconomiæ huius agnoſcatur; variorum appetituum & auerſionum tam ſenſitiuorum, vt loquuntur, quam animi patheticorum cauſæ & reſpectus, ad conſeruationem & præſeruationem corporis, intelligantur: quin etiam ratio percipiatur tum efficaciæ in genere, tum modi ſeu effectuum in ſpecie animi pathematum in corporis actiones; ante omnia vero συνέργεια naturæ, arti medicæ non ſolum in ſubſidium exoptatiſſimum abſolute neceſſaria, ſed etiam paſſim, cum magna prudentia & dexteritate aſſiſtendo, obſequendo, ſubleuando, & extricando, materias & vias præparando, amiciſſime habenda atque fida ſocietate colenda decenter cognoſcatur: tunc demum & non aliter aſſequi continget veram implicatorum variorum adfectuum pathologiam, & veram atque ſolidam methodum medendi vere artificioſam, nempe cum recta ratione efficacem, inuenire. Hac demum ſolida conſiderandi methodo vere diluceſcet, quid actiuum in corpore, vtile imo neceſſarium, pulchro ordine atque nexu vere mechanico-organico ad conſeruationem, vindicationem, & reſtaurationem corporis fiat atque faciat, & quantæ conſiderationis ſit illa vulgo tam leuiter atque obiter nominata magis, quam quod omnino decebat celebrata diuerſitas ſubiecti medicinæ συνέργου ab aliarum ſimpliciter mechanicarum artium ſubiectis, & conſequenter etiam ad effectum ſubſequentem reſpectibus, diſpoſitionibus, concurſibus.

Corpus humanum eſt organicum, & animæ rationalis organon ſeu officina.

§. XCVIII. Firmum itaque atque ratum omnino volumus, & fundamenti loco vniuerſis noſtris dogmatibus ſubſternimus, quod *corpus humanum* ſimplici & genuino penitus ſenſu ſit *organicum;* & quidem *animæ rationalis organon*, (ſeu officina) illius neceſſitudinibus tam efformandum quam conſeruandum; vndique & vndique motibus gubernandum, & illis quidem ſcite atque recte ad finem optatum proportionatis atque conſpirantibus: vnde varia efficacia tam corporis periculorum in animam moralis atque pathetica; quam animæ in corpus pathetico-phyſica, tam in eius ſtructura ſeu ortu, quam vſu atque motu; imo etiam in eiusdem vindicatione a variis periculis, aut iam alicubi illatis detrimentis.

§. XCIX. Ita quidem tractationem hanc de differentia Mechanismi & Organismi, & huius in corpore animali, inprimis humano, veritate imo neceſſitate, ſub diuinæ benedictionis concelebratione obſignamus.

PARAE-

PARAENESIS
AD
ALIENA
A
MEDICA DOCTRINA
ARCENDVM;

Quoniam non ſolum medicam doctrinam morentur, turbent, fallant: ſed etiam aliena ab ipſa veritate & vſu practico animis obiiciant.

VBI SIMVL MONSTRATVR,

Quod communes opiniones phyſicæ per inſcitiam mixti & viui & confuſionem materiæ propriarum atque motus, proprietatum, imprimis autem per imperitiam motus, a priori ad finem dirigendi, & a poſteriori per nudas intentiones peruertendi, & ſe & medicam theoriam vulgarem peſſum dederint.

§. I.

INter difficultates, quæ artem medicam circumſiſtere iam ab ipſo Hippocrate notantur, nominanda vtique & in hoc ipſi diuo ſeni ſubſcribendum eſt, quod breuitas vitæ humanæ ſuas etiam partes habeat in impediendo facili atque profundo artis huius comprehendendæ progreſſu. Vt alia Senecæ innumera ita in hanc rem inprimis optime congruentia aurea dici merentur illa eius verba, quibus de vanis ſtudiis & λογομαχίων oſtentationibus loquens Sophiſtas corripit: an in hoc ſupercilia ſubducant, in hoc barbas alant atque demittant? hoccine ſit, quod triſtes doceant & pallidi? (nempe ſophiſmata & captioſas cauillandi formulas) Subiungit: quid nobis iocularia iſta proponis? non eſt iocandi locus: ad miſeros aduocatus es, &c. Nempe Philoſophos, qui vitæ rationem doceant, vitiis eripiant, animi metus, anguſtias, anxietates, triſtitias, impotentias expugnent, tranquillitati, hilaritati, ἀυταρκίᾳ vindicent, indigna hæc ſuo inſtituto perperam agere conqueritur, & quæ debebant profiteri negligere. Quid conuenientius dici poſſit in medicum etiam ſtudium, a ludicris aut quoquo tandem modo alienis occupationibus reuocandum, & ad verum ſuum ἔργον adigendum? Certe ad miſeros aduocatur Medicus, non ſolum inter varia ſanitatis incommoda atque detrimenta fluctuantes, & ſub his ſubinde neque ſibi neque aliis vtiles: imo frequenter etiam inter vitam ipſam atque mortem ambigentes, & propiore periculo moram auxilii ſegnioris non ferentes. His certe vt efficaciter ſubuenire poſſit, neque diſcere ſegniter debet Medicus, neque agere; nec aliud ipſi, ſed hoc agere incumbit, niſi officio ſuo male fungi velit.

Vitæ breuitas & ſerium artis ſtudium iubent, vt aliena mittantur.

§. II. Nemo facile ſit, quin de hoc nobiſcum conſentiat, quod res ita ſerio atque grauiter incumbentes non ſimpliciter negligi poſſint atque debeant. Neque forte quiſquam ita vecors fuerit, qui hoc temere facere audeat, ad patientes aduocatus, ſepoſita illorum cura, alienis rebus imo ludicris vacare. Sed ſubeſt occultior ἀλλοτρίωσις,

Aliena ſemper placent, immo pro fundamento ſunt.

non ſolum hominibus promiſcue, ſed quod profecto meretur admirationem, Medico ſubinde ipſi minus manifeſto agnoſcenda, quin & obrepat facile, & ſemel admiſſa vario modo imponat, & a vero atque ſimplici officii ſui tramite vix intelligentem abducat. Non de πολυπραγμοσύνη ſimpliciter loquor, manifeſto alienarum rerum perperam curioſa; ſed illum næuum intelligo, quo *ipſa medicina alienis rebus & reſpectibus implicata a ſincero ſuo ſcopo in rebus ſuis gerendis aberrat*, & variis difficultatibus in tranſuerſum rapientibus ne quidem eſt, quod eſſe videbatur, nempe medicina.

Hæc labes cum per omnia ſecula quaſi perpetua manſerit, dubitari poſſet, an non potius rei ipſius, quam methodi ſit vitium.

§. III. Admiratione certe dignum ducere poſſet, quisquis humanarum rerum minus peritus aut ſincerus eſt arbiter, quod in medica doctrina ab omni propemodum æuo vsque ad præſentem horam alieni reſpectus non ſolum tot viguerint, ſed etiam tanti, vt illa nihil minus adſecuta ſit & exhibeat, quam illud, quod nomine ſuo præ ſe fert, nempe veram corpori humano ſalutariter ſuccurrendi rationem: niſi in aliis etiam ad ſyſtematicam ſeu doctrinæ formam coagmentatis diſciplinis eadem tractandi methodus ita exquiſite ſeruata occurreret, vt merito dubitare quis poſſet, an hoc ſolius methodi, an forte ipſarum rerum ſit vitium, vt aliter conciliari non poſſint.

Phyſica qua methodo hactenus tractata ſit.

§. IV. Notiſſima certe in hoc genere eſt phyſicæ doctrinæ labes, dum hæc ab antiquiſſimis temporibus nudis propemodum abſtractis loquendi atque concipiendi formulis a vera corporea, & actionum vt in corpore, æſtimatione atque conſideratione plurimum aberrauit; propioribus autem in generaliſſimos quosdam de materia conceptus diſſipata nihil niſi pauciſſimas quasdam obſeruationes inde collegit, poſthabitis aut certe minime aſſequendis verioribus actiuis illarum cauſis, & fiendi aut concurrendi rationibus & energiis.

Sic in medicina materiæ ratio habetur, neglecto motu, fine & nexu organico.

§. V. Vndique & vndique hinc materiæ aduertitur animus, & quæ craſſius in ſenſum impingit conformatio & mutua corporea proportio conſideratur. MOTVVM ordo, vis, & abſoluta magis in materiam energia, tempora eius, gradus, vices, maxime omnium autem FINES vix obiter in animum admittuntur. Vnde & inprimis ab hoc poſtremo defectu atque ἀλλοτριώσει, iam vix vsquam animo amplius oberrat nexus ille, quem tot materiales res huiusce mundi, maxime autem & abſolutiſſime corpora ORGANICE ſtructa tum ad proprios certos fines habent, tum ad ſocios.

Aliena medicinæ damnum inferunt.

§. VI. Ne vero etiam in hac re ipſimet alienius occupari nos patiamur, dicemus potius, quorſum noſtra tendat intentio; quod videlicet

delicet etiam in medicina nimis alienæ conſiderationes graue damnum vero atque ſolido intellectui inferant, atque iuſtas & quam maxime vtiles theorias non ſolum fruſtrentur, ſed etiam perperam præoccupent atque interuertant.

§. VII. Recte profecto ab antiquioribus iam Medicis dictum videtur, Medicum incipere vbi Phyſicus deſinat. Minime vero recordari poſſum, vbi etiam non dicam inuenerim, nam certe non eſt factum, ſed potuerim inuenire, aut quærere debuerim illam terminorum veram præfinitionem, quæ phyſicæ limites conſtituat, quibus illa a medicina ita dirimatur, vt hæc illinc veram ſuam ditionem vindicare, & vere ſuas res ſibi habere poſſit. Puto ex hoc defectu pullulaſſe verum illum atque maxime realem alterum, vt in medicinam introductæ atque receptæ ſint eius indolis ſpeculationes, imo etiam aliquarum veriorum rerum conſiderationes, quæ, ſi vel eſſent veræ, vel quam maxime etiam ſint, tamen ad verum ſtricte dictum medicum ſcopum re vera nullum vſum habeant.

Medicum incipere, vbi Phyſicus deſinat, inutile dicterium.

Inde confuſio, quæ ex phyſicis in medicinam pertineant, aut minus.

§. VIII. Fatigauit profecto nimio ſæpius meam mentem in ipſa iam adoleſcentia, qua medici ſtudii curam ſuſceperam, vulgatiſſima illa inter ipſam plebem de medicis loquendi formula, quod optimo ſæpe (doctiſſimo dicunt illi) theoretico praxis infeliciter ſuccedat. Cui ſuffragabatur exercitatiorum practicorum propria aſſertio, interdum etiam ne inuida quidem malitia aduerſus iuniores vacans, quod immenſum diuerſa res a theoria ſit praxis: imo, quod in praxi etiam ſpecioſiſſimarum theoreticarum opinionum obliuio non ſolum facile ſuperueniat; ſed, quod re vera prudente conſideratione dignum eſt, obliuio illa ad praxin feliciter adminiſtrandam neceſſaria ſit.

Alia formula: theoriam non reddere felicem practicum.

§. IX. Non falſa loquor, ſed notæ veritatis mihi certa atque comperta. In contradictorio, vt cauſarum aduocati loquuntur, hanc loquendi formulam ſæpius vſurpatam optime commemini; quando nempe iuniores, quibus adhuc a recentiore vſu altius inſidebant illæ, vti loquuntur, theoriæ, illas vel in conſultationem adferre, vel exercitatiorum conſiliis illas obiicere ſuſcepiſſent: hos cum ſupercilio hac locutione vſos edixiſſe, oportere (vt inprimis Germani loquimur) ab opinionibus talibus in caſibus practicis animum abſtrahere, & experientiam potius quam theoriam ſequi.

Itaque in caſibus practicis eam non oportere ſequi.

§. X. Duriſſimum hoc mihi videbatur, qui vſuum horum loquendi nondum ſatis gnarus (certe enim Cabaliſtica hæc ſunt Medica) ſemper eo ſenſu hæc accipiebam, quod ratio deſerenda ſit, & experientiæ

An experientia a ſana ratione aliena?

entiæ nunquam conſpiret. Nec enim certe paradoxon ſed παράλογον agnoſcebam, eſſe aliquid verum, & in rebus quidem corporeis, & tamen ratione non ſolum non poſſe comprehendi, ſed alienum etiam à ratione eſſe, imo cum ipſa pugnare. Tanto magis inquietam hoc habebat mentem, quod non ſolum rei ipſius a priori, vt loquuntur, tanta eſſe poſſit difficultas, imo cum ratione contrarietas: ſed etiam a poſteriori. Adeo vt cum etiam experimenta accedant, quibus illi rei in ſe ipſa tam heterodoxæ vere & efficaciter conſuli poſſit, tamen etiam horum ipſorum ad reliquam rem acceſſio, nempe mutua & reciproca comparatio, ſummæ illi caligini vllatenus quidquam intelligendi nihil detrahant. Quid autem dico nihil detrahant? addant, dicendum eſt. Horum enim inprimis experimentorum eſt illa præcipua difficultas, quæ cum illis rationibus conciliari nunquam poſſit. En autem Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς & temere elapſum totius huius religionis myſterium. Cum ILLIS rationibus dico, adeoque non ſimpliciter cum ratione; cum ILLIS ſpeculationibus, non ſimpliciter cum omni conſideratione.

Ex aliorum conatibus, licet adhuc imperfectis, deſiderium ortum, in fundamentum horum errorum inquirere.

§. XI. Poſſum aſſeuerare, quod hanc contemplationem vix animo comprehenderim, quin ſtatim ingens deſiderium cooriretur, quantum per vires liceret, profundius in verum fundamentum harum difficultatum introſpiciendi, & quid ex illis ad meliorem ſpem aditum quendam promittat, imo quid illum hactenus intercludat detegendi. Non eo inficias, quod ad hos auſus quaſi digitum intendere mihi viſæ ſint liberiores illæ ſentiendi, & de antiquis pertinacibus opinionibus dubitandi methodi, quæ non ſolum arguere antiquos defectus, ſed etiam tollere & ſanare præ ſe ferebant. Interim nec illud etiam diſſimulo, quod, quantumcunque merito probarem hunc ad meliora perueniendi conatum, non tamen pari aſſenſu comprobare potuerim etiam methodum; vtpote in qua magis ſubinde verborum, quam vere ipſarum rerum diſcrimina valere, tanta cum animi attentione veſtigantem non poterat fallere. Et hoc quidem tanto magis, cum etiam in ipſis phyſicis dogmatibus, a quibus hic quoque medicorum dogmatum Medici initium facere laborabant, licet re vera multa proferrentur antiquis minus, vel cognita, vel quæſita: magis tamen plura hæc mihi viderentur, quam certiora, aut, vt generali quidem ſed ad quoslibet harum rerum reſpectus commodiore quoque locutione vtar, meliora.

In phyſicis aliena conſideratio nudæ ma-

§. XII. In omnia, quæ in ſenſus incurrere hic poterant, vigilantius intento conſtanter apparuit, præcipuum in his conaminibus peccatum in eo hærere, quod ALIENIS reſpectibus nimium indulgeatur;

geatur; reliqui autem, & quod præcipuum erat, paſſim etiam magis neceſſarii, atque ardui negligerentur, aut quoquo tandem modo deficerent. In phyſicis quidem omne bonum conamen irritum reddere videbatur conſtans & vere tota conſona cum antiquis negligentia, aut facilis vtique & incuria opinio de MOTIBVS: confuſio vniuerſalium cum particularibus; aduentitiorum, atque tranſitoriorum cum inſitis & immanentibus; inprimis autem vere & ſimpliciter organicorum, ad certum finem non ſolum directe ſed etiam proxime pertinentium, cum adiaphoris, & ſtrictore ſenſu inorganicis & magis aptis tantum ad particulares vſus, quam certo ad illos deſtinatis.

teriæ ſine motuum intuitu.

§. XIII. Sicut autem hæc quidem talia & ſane non leuia incommoda phyſicos conatus ita premere animaduertebam, vt illi præ his ad meliorem frugem peruenire non valerent: ita tanto magis medicinæ officere perſpexi, quod hæ tam crudæ & in præcipuo ſui neruo deficientes opiniones libere, imo, ſine iniuria dico, temere in medicinam etiam translatæ, omnem meliorem conatum ibi etiam fruſtrentur, & a vero ſuo ſcopo alienum imo irritum efficiant. Præcipuas autem turbas hic dare mihi apparuit multiplex conſideratio corporis humani re vera magis ſimpliciter *phyſica*, in theoriam medicam traducta, quam vllo modo medicæ artis vero directo ſcopo reſpondens, ne dum ſolide ſeruiens.

In medicis contemplatio corporis ſimpliciter phyſica.

§. XIV. Cum enim ingens certe ſit diſcrimen inter nudam hiſtoriam corporis humani, vti illud in ſe ſpectatum ſeſe ſiſtit & offert, & contra illam eius conſiderationem, quomodo tam ad læſiones varias, quam ad harum expugnationes, imo in integrum reſtitutiones ſeſe habeat atque gerat; prius illud ad nudam directam corporis ſibi debite conſtantis notitiam pertinet, qua ſimplex eius indoles, ſiue vti vulgo confuſius huc illud nomen trahunt, natura eius innoteſcat; ita naſcitur inde *ἀνθρωπολογία* quidem, hiſtoria atque conſideratio hominis ſimpliciter phyſica: tantum autem hæc a medicina abeſt, vt vix quicquam intimioris nexus aut vſus ad illam præ ſeſe ferat.

Quæ multum differt a conſideratione eius læſionum, & harum medelæ.

§. XV. Quemadmodum enim irritum profecto fuerit, ex inſpectione imo deſcriptione quantumlibet exquiſita machinulæ horologicæ ſiue immediate mathematico-mechanicas rationes atque proportiones talium inter ſe mutuo conſpirantium tam numerorum, dentium atque rotarum, quam per menſuras temporis ſucceſſuum comprehendere velle; ſiue plane ſtruendi, & ſi quid effringi contingat reparandi, redintegrandi, reſtituendi artificium imo operandi habitum

Læſiones enim, non tam quæ fieri poſſunt, ſed potius quæ fieri ſolent, earumque methodus me-

dendi ex hiſtoria corporis phyſica non comprehenduntur.

conſequi: ita eiusdem profecto commatis eſt, ex illis nudis phyſicis corporis humani hiſtoriis non ſolum quibus modis lædi poſſit, inprimis autem quibus maxime modis lædi SOLEAT, velut immediate comprehendere; ſed plane etiam methodum inuenire, imo velut in ipſa re iam ſtatim reperire, quomodo talibus læſionibus etiam iterum conſulere, ſubuenire, vere reparationem atque reſtitutionem adhibere detur.

Hinc ſcrupuloſa anatomia vana eſt.

§. XVI. Poſſum veritatem intemeratam teſtem aduocare, quantum incommodi mihi pepererint non ſolum apparatus illi ingentes hodiernorum laborum anatomicorum, (nam chymicorum craſſiores inanitates vulgares iam ſatis diu cognitas habebam) ſed inprimis etiam tantæ illorum non commendationes nudæ atque ſimplices ſed prorſus oſtentationes in medicina, ad explicandum quoquo modo a tanto numero tantoque ſtrepitu horum præiudiciorum animum. Abripiebar certe non tantum, ſed fieri omnino aliter non poterat, ad res has omni ſtudio comprehendendas; imo ſi verum dicere neceſſe ſit, ne debebat quidem aliter fieri: qui enim de rebus his aliquid ſolide diſpicere aut decernere datum eſſet, niſi penitus introſpecta atque ſatis percepta tam indole harum rerum quam vi, quæ illis ineſſe ferebatur.

Defectus hiſtoriæ phyſicæ

1) nusquam recte dicitur, quid ſit vita

Veteres differentia mixti & viui aliquid de hac re ſed non totum innuerunt.

§. XVII. Poſtquam omnia, quæ quidem ad meam notitiam peruenerant, & conquiſiuiſſem cum cura, & omni ſtudio & quantacunque in me cadebat ſolertia perſpexiſſem etiam, quomodo inter ſe hæc cohærerent, imo cum ipſarum rerum veritate conſentirent, adhibita paulo tranquilliore & ab obiectis aliunde figuris liberiore animi intentione: deeſſe animaduerti non modo multa, ſed certe non exigua aut poſtrema, etiam in ipſa mox harum rerum hiſtoria. Ante omnia offendebat in ipſo limine deſtituta & nusquam alibi inuenienda VITA. Quid inquam ſit illud, in quo conſiſtat, a quo dependeat, quibus modis, quibus mediis nitatur, quod VITA dicitur; per quod, & cuius intuitu corpus VIVUM dicatur. Enim vero ingenue confiteor, veteribus hoc me debere; illos hunc mihi inieciſſe ſcrupulum diſtinctione illa ipſis ſolenni, inter temperiem *mixti* ſimpliciter, imo vero corporis humani quatenus mixtum eſt, & *viui*. Iniecerunt, repeto, hunc ſcrupulum, ſed nusquam exemerunt. Puto autem re vera hanc ipſam etiam diſtinctionem ipſis, præcipue ab antiquiore quadam ſimplicioris veritatis traditione reſiduam, non magis nudo neglectu quam varietate explicationum ita ad nihilum redactam eſſe, vt nihil niſi memoriam refricare poſſit, quod harum rerum ratio & habita ſit aliquando & habenda.

§. XVIII

§. XVIII. Ad latus huic defectui hærebat par ſecundus, (niſi quidem in ordine ad cognoſcendum, adeoque vera dignitate in hoc ordine prior & ſuperior) circa veram *indolem* humanæ MIXTIONIS, ſecundum quam corpus *vitalitate* diſcernendum habetur. Ibi aliquid quidem (quod in vitæ negotio neutri recte cordi habuerant) vtrique dicunt: cum autem veteres in nuda remota materia, imo vniuerſaliter communi hærerent: recentiores vero, hac vel nihil in vniuerſum vel alienioribus ſolum reſpectibus æſtimata, non ſolum præcipue ſed potius magis vnice formæ corporis, (corporis inquam) ſtructuræ ſcil. eius intenti eſſent, vtrique nihil ſolidi demonſtrauerunt. Quemadmodum autem veteres ex illa ſua generaliſſima allegatione primæ vniuerſaliter communis materiæ ad tale ſpecialiſſimum mixtum conſtituendum nulli conceptui locum relinquebant nedum præbebant: ita mirum etiam merito videbatur, quod alteri illi ſtructuram quidem curioſe perquirerent, imo paſſim etiam ſcrupuloſe atque ſolicite depingerent; interim a quo hæc ita efformaretur, & in quos veros atque euidenter neceſſarios fines atque vſus paſſim vel hæſitarent vel negligerent. Conueniebant interim hi vtrique in eo, quod mixtionis neque rationem aliquam haberent, nec afferrent: eoque ipſo vtiliſſimam illam corporis, quatenus *mixtum* eſt, diſtinctionem ab eo, ſecundum quod *viuum* dicitur, vel non poſſent conſtituere, vel non curarent.

2) Vera mixtionis indoles & ratio neglecta eſt. Veteres corporis elementa, recentiores eius tantum ſtructuram penſitarunt.

§. XIX. Quod in numeris coordinandis aut diſtribuendis euenire ſolet, vt primorum neglectius inſtitutus computus, non ſolum totius collectionis ſummam grauiter deprauet atque corrumpat; ſed ipſis etiam progreſſibus ita augeſcat, vt quo longius extenditur, eo latius a veritate aberret: illud artibus etiam atque doctrinis pariter euenire res ipſa docet. Quando, inquam, vel aliena adhibentur, vel plane inſuper habentur atque negliguntur ipſa omnino principia, rerum naturæ aduerſatur, poſſe talibus deficientium fundamentorum hiatibus aliquid ſolidi ſuperſtrui.

Simili hoc explicatur.

§. XX. Quam longe vero aberrandum his fuerit ab illo, quem nos quærendum fuiſſe innuimus, ſcopo, ex eo colligi poteſt, quod vniuerſa ſua laborioſa ſpeculandi ratione nequidem ipſimet obſeruauerint, nedum vt obſeruandum aliis commendauerint, quam *corruptibilis res ſit humanum corpus* in ſe conſideratum, ſuæ materiæ intuitu, vnde hoc habeat, & vnde ex aduerſo & prorſus in contrarium illud habeat, vt hæc ad *corruptionem* ſubeundam tam ingens atque plena *aptitudo nihilominus non in effectum deducatur*, ſed potius ad-

Circa corporis temperiem non reſpexerunt, illud ſumme corruptibile eſſe, & tamen non corrumpi.

uerſus tantam ad corruptiones diſpoſitionem intemeratum & incorruptum perſiſtat, & in amplum annorum numerum duret.

3) Vſus excretionum non debite conſideratus eſt.

§. XXI. Sub his duobus cardinalibus prorſus defectibus non poterat fieri, quin adhuc vnus, ordine quidem tertius, ſed dignitate cum iſtis quaſi certans, hæreret, aut radices altius ageret, nempe ingens *neglectus veri vſus*, veræ efficaciæ, imo ſummæ adeo dignitatis ad verum vitale negotium, *excretionum.* Tantum abfuit, cum ne quidem eximius vſus aut neceſſitas excretionum ſatis conſideraretur, vt ſuprema illarum energia ad vniuerſum vitæ negotium in debitam contemplationem veniret, & ex illa tandem colligeretur, tum *quid ſit vita*, tum *quibus mediis nitatur*, imo præſtetur & abſoluatur.

Verus mechaniſmus & organiſmus ita non recte potuit agnoſci.

§. XXII. Multus & prolixus inter recentiores ſermo de *mechanica efficacia* vt alias paſſim in reſpectibus minimæ conſiderationis fatiſcit atque peſſum it, ita ſpecimen certe exhibet in hoc ipſo, de quo verba facimus, negotio, quam parum proſit ſpeculatio vero fundamento deſtituta. Cum enim ingens illud artificium, quo & vera anthropologia & vera ſimplicior efficax medicina nititur, eminentiſſime vtique ſimplici potius mechanica, quam quacunque phyſica materiali atque corporali cohæſione aut, vt corporea, actione abſoluatur: non ſolum altum de hac re ſilentium vndique regnat, ſed potius quibuslibet aliis conſiderationibus animus implicatur, quam vt verarum harum rerum iuſtæ penſitationi inuigilaret.

Allotria in anthropologia phyſica euitanda ſunt.

§. XXIII. Vnde quidem primo loco peccare prædicimus, atque penitiſſime euitandam eſſe monemus ἀλλοτρίωσιν illam, qua tum in ipſa phyſica ἀνθρωπολογίᾳ res afferuntur, quæ præcipuæ conſtitutioni corporis humani non quadrent, aut certe non ſatisfaciant; tum inprimis medicæ corporis humani contemplationi non reſpondent, ſed quicquid etiam veri forte continent, magis ad nudam hiſtoriam phyſicam faciat, quam ad intentionem atque directum finem medicæ artis, imo ad verum eius ſubiectum & obiectum.

Defectus quo modo corrigentur.

§. XXIV. Non placet de phyſicæ ἀνθρωπολογίας defectibus prolixius hic agere, niſi quod vnice verum intellectum illarum rerum commendandum cenſeam, de quibus paulo ante ſermonem inſtitui: MIXTIONIS inquam humanæ, aut ad minimum animalis, eiusque propriorum principiorum atque conditionum: ſecundo VITAE, quid illa ſit in corpore, ſecundum quam corpus viuum appelletur: tertio vera inſtrumentalis & illa quidem vere pure mechanico-organica ratio vitam præſtandi, ſeu corpus incorruptum conſeruandi. Ita demum

illa

illa phyſica reuiuiſcet, de qua cum veritate dici poſſit, quod ibi incipiat Medicus, vbi deſinit Phyſicus.

§. XXV. Maior autem profecto & ille quidem abſolute neceſſarius medicæ doctrinæ adhibendus eſt labor, ne illa non ſolum alienis oneretur & impediatur, cum certe etiam ſano ſenſu vita breuis ſit, ars longa: ſed adhuc magis caueatur, ne ſola illa aliena pro genuinis atque domeſticis admiſſa (quod ita aliter fieri non poteſt) omnem ſpem quidquam ſolide conſtituendi eripiant, & potius abſolutam illam opinionem nobis imperent, quod in tota medicina plane nulla intelligendi ratio locum inueniat, quando tales alienæ allegationes atque appellationes in irritum reciderunt. Nemo certe facile crederet, quod huiusmodi admonitionibus, imo profecto conditionibus ferendis locus eſſe poſſit in illis diſciplinis, de quarum ad ſummum apicem & euidentiam, etiam corporeis externis ſenſibus luculentam, progreſſo aſcenſu tam confidenter polliceri auſum eſt exſpirans nuper decimum ſeptimum ſeculum. Admonitio.

§. XXVI. Sed non tam integra amplius eſt res, cum etiam illi, qui obſtrependi atque ſtrepitu tumultuaria vſitata obtinendi vſum magis quam artificium ſtrenue in ſubſidium adhibere laborauerant, conſtantia inconcuſſæ & intaminato ſuo iubare præfulgidæ veritatis, & rerum potius inuicta phalange quam verborum vaga atque leui armatura, ſtatariæ virtutis immobili robore, turbatis ſuis ordinibus & nusquam conſiſtere paribus pedem referunt; imo de ſumma ſuarum rerum ſpem abiicientes nefariis artibus aduerſas copias in ſua caſtra perlicere machinantur: aut indignum illud ab omni æuo poſtulatum in animos inducunt, vt victi, nec vlla iuſta ſpe bonæ fidei ſed manifeſtis animorum diſſidiis conſpicui, non in ſocietatem ſolum æquam, ſed ſtatim in ciuitatem recipiantur. Nullæ vero hic ſunt ſocietatis leges. Vna eſt veritas. In huius caſtra tranſire oportet, ſi vera pax & fida placet. Veritas ſemel recepta perfide non eſt deſerenda.

§. XXVII. In aprico poſitam habet rerum ſuam iuſtitiam & æquitatem veritas, cuius vt aliqua ſpecimina exhibeamus, demonſtrare placet ad oculum, quomodo aliqua quidem in corpore humano vere exſiſtere poſſint; & quia vere exſiſtunt, etiam ad phyſicam hiſtoriam vtilia, imo, niſi hæc mutila manere debeat, etiam neceſſaria eſſe: & tamen vere medico foro atque ſcopo non ſolum inutilia & ab illo aliena exſiſtere, ſed etiam illi re vera confuſionem aliquam obiicere, atque medicum de omni non ſolum opera ſua (in quo non fallitur) ſed etiam ope deſperare efficere. Fœcundiſſima hisce rebus inprimis eſt *anatomia recentior curioſa*, e qua vt non ſolum quid forte poſſit in noſtros Ex anatomia probatur, quod phyſice vera medicinæ inutilia ſint.

vſus aduocemus, ſed etiam quid omnino velit aſſumemus exemplum; in quo hactenus etiam ſine vllo optato euentu fruſtra deſudauit.

Exemplo muſculorum ſtructura.

§. XXVIII. Scrutata eſt anatomia curioſa *muſculorum intimam ſtructuram*, & ex illa duo cumprimis ſtabilire laborauit, quod tenerrimarum & capillarium in muſculis fibrarum 1) ita abſolute mochlicho - mechanicus ſit numerus, ſitus, ordo atque poſitus, vt 2) in illo non ſolum in genere vis motrix, ſed in ſpecie ingens illa imo in tam parua mole ſtupenda conſiſtat. Iam cum facillime fieri ſoleat, quin etiam quotidianis exemplis contingat, vt per vulnus hæc muſculi conſtitutio quoquo modo, inprimis autem forte grauius & profundius lædatur, adeoque ad Medici conſiderationem atque curam negotium reſpiciat, quæritur: quid illi hæc ἀκρίβεια anatomica commodi afferre poſſit? Fingamus potuiſſe illum adſequi, quod tamen non poteſt, verum illarum fibrarum numerum, quæ in muſculo præſto ſint; quomodo poterit numerare, quot illarum in quolibet oblato vulnere læſæ ſint atque diſſectæ? Fingamus hoc etiam connumerare poſſe; quomodo ſingularum exquiſitas mutuas extremitates agnoſcet, vt quælibet propriæ ſuæ, cui competit ac debetur, iterum reſpondeat atque ſocietur? Fingamus hoc etiam perquirere valiturum; quomodo tandem in integrum reſtituet, ſeu ſingulas cum ſingulis in verum, ſolidum, firmum nexum reſtituet atque vniet?

Quia hæc ſtructuræ notitia nullæ vtilitatis, imo potius damno eſt.

§. XXIX. Quando autem omnium horum nihil poteſt, ſed omnia hæc abſolute & ſimpliciter non poteſt, quid attinet quæſo ad vniuerſum eius ſcopum, ſcire illa aut neſcire? At non hic ſubſiſtit aut in his acquieſcit fatalis hæc difficultas; non ſolum nihil prodeſt, *obeſſe* poteſt, ſi ita ſimpliciter aſſumatur atque conſideretur. Certe enim in his terminis non ſolum Medicus hiſce ſpeculationibus intentus facile agnoſcet, quod ipſe nihil hic poſſit: ſed profecto ſecundum rationem ſuam nunquam adſerere aut comprehendere poterit, quod quidquam his damnis raparandis ſuffecturum ſit; dum omnino huius rei ex vniuerſa illa ſtructuræ notitia, quantumcunque etiam ſolidiſſimam illam habere poſſet, nihil ipſi diluceſcere, imo ne quidem in ſuſpicionem iuſtam venire valeret.

Hinc medico non abſolute neceſſaria eſt.

§. XXX. Ne præter rem in allegandis huius commatis exemplis tempus atque operam perdam, abſoluam potius rem breuiore quodam adſerto. Nego videlicet, quod ex vniuerſa ſtructura, ſtructura inquam atque textura partium corporis organicarum non ſolum ſpecifice, quatenus mechanicæ ſunt, ſed etiam generice, quatenus textæ atque

ſtructæ

ſtructæ ſunt, quidquam ſubſit, quod vere ad Medicum pertineat, ſeu Medico quatenus tali abſoluta, imo vero abſolute vlla neceſſitate cognitum eſſe debeat. Plus dico. Nego quod talis cognitio aut notitia Medico ſtricte dicto, quatenus tali, ad ſcopum ſuum medendi, reſtituendi, reparandi, vel præoccupandi ſpecialiſſime, vel reſarciendi, etiam ſolum vtilitatem eximiam afferat. Ingens paradoxon! nempe vt ego hæc eripiam medicinæ, in quibus illa hodie non ſolum tam prolixa ſed certe modo non tota eſt, exultatque atque ſibi placet. Sed eſt ita & non aliter. Non adſpernor rem ipſam, aut ſimpliciter diſſuadeo, aut negligi volo; in medicinam ſolum ingeri, ad medicinam pertinere, ad medicinam facere, ne dum ad medicinam neceſſariam eſſe, vt vere ita firmiter & conſtanter nego. Imo ita a Medicis etiam abeſſe volo atque iubeo, quando illi non ſolum hæc ad ſe pertinere arbitrantes, ſed etiam in his proprie imo vnice ſcientiam ſuam collocantes, & hæc proprie eſſe, quæ non deceant ſolum ſed faciant Medicum opinantes, his ſtudium atque ſtadium, laborem & tempus conſumunt: neceſſaria vero non ſolum præ his, ſed plane per hæc negligunt, dum his maxime medicam ſuam artem atque ſententiam abſolui perſuaſi ſunt.

§. XXXI. Adhuc alienior eſt ab vlla ſpe boni atque ſolidi vſus ad medicam theoriam *chymia.* Vt enim taceam, quod ne quidem illa ipſa inter Medicos, aut in ſyſtematicis tractationibus vllam veram &, quantum decebat, late patentem & nexu vero inter ſe deuinctam dogmaticam theoriam adhuc aſſecuta ſit: certe in formando conceptu de mutationibus humorum variis atque facilibus in corpore humano nihil quicquam hactenus aſſecuta eſt, quod vel ipſi chymicæ veritati, imo vel ſolum hypotheſi quadret & reſpondeat; ne dum vt cum veritate indolis ipſius vitæ humanæ conſentiat atque conſiſtere poſſit.

Chymia tota veræ theoriæ medicæ inutilis eſt.

§. XXXII. Quod enim tanto promittit hiatu chymicorum nomine ſibi placens multitudo, in paucas profecto opiniones fatiſcit, dum de *coagulatione* per aciditatem, de *colliquatione* per alcalicam volatilitatem, de *efficacia ſtimulante* per acrimoniam ſulphureo-ſalinam, de *fermenteſcente* mutabilitate Κεράσεων loquendo, quadruplici hac generaliſſima præfiguratione nemini certe rerum ſuarum curioſius ſatagenti perſuadebit, quod hac tam generali ſubindicatione ſatis factum videri poſſit tot ſpecialibus fiendi modis, quot ipſi hi paſſim contingere fingunt.

Humorum mutationes quatuor modis contingere fingunt.

§. XXXIII.

Acidi innumeras ſpecies fermentatione produci.

§. XXXIII. Ita enim, verbigratia, dum aliud acidum hemicranicum, aliud ophthalmicum, aliud odontalgicum, aliud anginodes, aliud pleuriticum, aliud nephriticum, aliud hyſtericum, aliud fixum, aliud volatile, aliud vagum comminiſcuntur, neque vero vllam ſpecialiorem originem ipſis e tota ſua chymia aſſignare valent; niſi quod per modum *fermentationis* hæc ita fieri loquantur: cui quæſo ſatis faciet hæc explicatio, nec a priori rei ipſius certa veritate nixa, quod vtique talis materia reuera præſto ſit, nec a poſteriori vllo ſolido experimento artificiali fulcienda, quod artificiali fermentatione tale quiddam produci valeat, imo vlla fermentatione in humana viua craſi tales alterationes in totuplices aciditates contingere poſſint.

Humores ab aceſcente fermentatione alieniſſimi ſunt.

§. XXXIV. Quemadmodum autem hæ ipſæ expreſſiones in ſe nihil niſi generaliſſimum quendam conceptum ita offerunt, ab omni ſpecialiore vſu adeoque ſcientifica perceptione re vera alienum, & vere maximam partem ſterilem: ita fundus calamitatis in eo adhuc ſitus eſt, quod vere contra omnem probabilitatem vniuerſa hæc ſcena adornari appareat; dum *humores* quicunque humani corporis *ab aceſcente fermentatione alieniſſimi*, & non niſi vel in ſpontaneam coagulationem mucidam, vel, ſi quid fermentatiui ipſis accidat, in putrilaginoſam corruptionem præcipites ruunt. Premit præterea totam hanc ſpeculationem etiam illa difficultas, quod nulla quoquo modo probabilis aut veri ſimilis ratio reddi ex huismodi opinionibus poſſit, tum tam rari prouentus talium fermentationum; cum vtique fermentatio actio ſit, vti cito procedens, ita prompte profecto etiam atque facile cooriens: tum commotionum earundem, imo productionum per nuda animi pathemata.

Homo fermenteſcentium rerum vſu viuit.

§. XXXV. Cum enim homo præcipue fermenteſcentium rerum vſu proprie viuat, & nihil a fermentatiuis mutationibus prorſus alienum ad æqualem totius corporis, & inprimis ſanguinis nutritionem idoneum ſit; præterea hominibus laxius atque lautius viuentibus, vel intemperantius etiam ſolum vel inordinatius, multiplex omnino heterogenearum rerum ingurgitatio veri ſimillime etiam materiam præbere poſſet pro multiplicibus eiusmodi fermentationum inſultibus: docet tamen quotidiana & immenſo numero re vera admiranda experientia, quod rariſſimi ſint eiusmodi affectus, qui per hos fermentationis modos atque motus non poſſent non propemodum quotidie affatim cooriri.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Altioris profecto indaginis eſt, ſed & ſollicita atque ſolertiſſima omnino digna, INFREQVENTIA illa inſignis morborum, qua non ſolum vnus idemque homo communiter numero paucis atque raris, ſed etiam ſpecie non multum diuerſis morbis per longum vitæ ſuæ ſpatium inſigniter adfici obſeruatur: ſed etiam adhuc maior hominum numerus per longa ætatum ſuarum ſpatia penitus immunes ab omni morbi inſultu vegeti & alacres viuunt. Quin etiam ingens hinc inde numerus eorum, qui ne quidem robore conſpicuo externi habitus corporis muniti per varias diætæ etiam grauiſſimas temeritates vitam ſuam exigentes, a morbis plane tamen liberi perſiſtant. Quod certe fieri nunquam poſſet, ſi ſuppoſita illa humorum mutabilitas, & inprimis ille promptiſſimus eius modus per fermentatiuam inuerſionem locum haberet.

Infrequentia morborum has fermentatiuas mutationes infringit.

§. XXXVII. Vt nihil iam dicam de duabus illis plerorumque affectuum, qui humorum corruptioni fermenteſcenti per hanc opinionem affinguntur, circumſtantiis ſolenniſſimis, ab huiusmodi conceptu quantum cœlum a terra alienis. Intelligo primo *reditum talium morborum per certas temporis periodos*, ne quidem vna ſpecifica ratione conſtante determinatas, ſed vel per ſingula indiuidua aliquid particulare habentes, vel ad minimum numero plures ſpecies ſiſtentes, quæ ne ipſæ quidem aliquid ita abſolute exacte ſpecifici ſiſtunt & præ ſeſe ferunt. Secundo promptiſſimam huiusmodi *morborum*, qui alias fermentationibus tribuuntur, tum prouocationem tum præcipue *reuocationem per animi grauiores perturbationes atque commotiones*. Quæ ſane vtraque cum illis præfigurationibus de humorum alteratione, quoquo tandem modo craſſius materialiter eueniente, nullam vsquam veriſimilem conſpirationem aut conuenientiam habere apparent. Vt adeo re vera etiam omni modo theoria chymica ad medicam peregrina ſit, & illi minime quadret ne dum ſeruiat.

Periodica etiam repullulatio variorum adfectuum, & reuocatio inſultuum per animi pathemata minime cum illis conſpirant.

§. XXXVIII. Quia vero hæc res, vera nimirum atque ſolida *differentia theoriæ medicæ & non medicæ*, poſitiua aliqua ratione diſcerni quam maxime meretur: operæ pretium facturus mihi viſus ſum, ſi diſcretionis huius veram rationem ediſſeram, atque ſolidæ contemplationi non ſiſtam ſolum, verum etiam commendem. Medicum dici ſine dubio nihil aliud meretur, niſi quod ad ſcopum artis medicæ recte ducit atque facit. Scopus artis medicæ eſt, *læſiones* corpori humano eiusque vitalibus inprimis actionibus impendentes, aut iam illatas, via

Quid ad theoriam medicam pertineat.

quadam vel cum ſolida atque certa experientia, vel inſuper etiam cum ſana ratione conſpirante præoccupare, abigere, depellere, in integrum aut in ordinem reſtituendis operam nauare. Dico ſecundum hanc conſiderationem, quod illæ ſpeculationes atque contemplationes inprimis huic ſcopo ſeruiant, quæ verum aliquem vſum ad illum obtinendum indigitare aut præbere poſſunt.

Et quid ab illa alienum ſit, immo abducat.

§. XXIX. Quæcunque vero hoc non poſſunt, quantumcunque etiam de reliquo res veras complectantur, easque ſpecioſas, curioſas, ſolertibus argumentis, difficilibus & operoſis experimentis vere demonſtrandas, dico, quod illæ omnes *a medico vſu alienæ* ſint; adeoque *otioſæ in medica theoria*, praxeos vtique & effectuum rationes complectente, quin imo facillime, quantum illa nexum cum vero vſu medico habent, id eſt, non niſi alienos a medico ſcopo reſpectus inuoluunt, Medicum, inprimis in vero ſuo ſcopo & theoriis vere ad illum collineantibus atque directis minus firmiter fundatum, in transuerſum agere, confundere, imo a ſuo vero ſcopo abducere poſſint. Quid vero dico poſſint? non ſanantur profecto ſed corrumpuntur vlcera diſſimulatione atque neglectu, & tanto certius atque grauius, quo magis cacoëthea & inueterata ſunt. Non poteſt hoc facere ἀλλοτρίωσις illa, ſed facit, fecit, faciet. Fefellit in hunc vsque diem, imo quam maxime hodieque fallit vniuerſam exſpectationem medicæ theoriæ. Hæc talis, inprimis vbi vera fuit & quadantenus euidens, imo ipſa quoque vel ficta paſſim ſpeculatio pro medica impoſuit, vt ita vlla alia opus eſſe non in mentem veniret.

Antiqua praxis ſolidiore experientia nititur, quam recens.

§. XXX. Parum eſſet, ſi hic ſubſtitiſſet malum. Manſiſſet antiqua querela, quod theoria cum praxi non cohæreat, ſed hæc ſola experientia niti neceſſe habeat. Plane alia vero ſubnata eſt rerum facies, dum volunt huius theoriæ architecti opprobrium illud antiquare, ex illis ſuis, inprimis tamen, quod optime notandum eſt, commentitiis theoriis atque ſpeculationibus praxin, quæ cum illis cohærere debet, efformando. At vero quemadmodum infelicitas aliqua fuerat in illa priſtina theoriæ diſcrepantia, quod hæc theoria nullum vſum ſuppeditaret ad praxin felicius inſtituendam; cedebat interim praxis feliciter, dum experientiæ innixa, & illa, quæ hæc oſtendebat, ſolerter imitando & exſequendo ipſa quoque effectibus felix erat, & experimenta, quibus inſtiterat, etiam ipſa adſequebatur & paria impetrabat.

§. XXXI.

§. XXXI. At in hac praxi, quæ talibus alienis theoriis ita ſuperſtruitur, vt cum illis conſpirare appareat, nimio grauius atque magis metuendum eſt damnum, quod triſtem experientiam habeat, & directis ſuis tentaminibus ſcopos, quibus deſtinata erat, nunquam (ſine tropo dico, & vt verba iacent intelligi volo) directe adſequatur, nec vllum ſolidum experimentum abſoluat. Durum videtur; verum eſt. Niſi heteroclitis naturæ ipſius moliminibus, motibus, ſucceſſibus, imo exitibus (dico ad has theorias atque praxes heteroclitis) aliquid felicius obtineatur, ſeu potius ita ad hanc praxin per accidens ſequatur; aut feliciores talium πράξεων fautores adhuc aliqua ex antiqua praxi eiusque ſolidiore experientia retinuerint, & ſuis etiam theoriis adſuant, quo felicem aliquem euentum impetrent, quem per errorem alteri illi ſuæ recentiori methodo magis imputare pertinaces ſint: niſi, inquam, horum aliquid fiat, nunquam bene cedit hæc recens praxis. *Hæc enim nouis tentaminibus & fallaci experientiæ ſuperſtructa eſt, quæ nunquam feliciter cedit, niſi per heteroclitas occaſiones.*

§. XXXII. Quemadmodum autem vere medica theoria neceſſario veriora etiam, certiora, conſtantiora habere debet principia atque fundamenta, & ab illis alienis neceſſario diuerſa: ita & illa breuiter & per ſummos apices hic nominare non erit ἄτοπον, & ſimul etiam rationem diuerſitatis eorundem tam a theoria illa aliena, quam irrita etiam illius experientia breuiter explicare. *Principia theoriæ alienæ.* Qui generalem conceptum qualemcunque de *vita* habere memores ſunt, dicere ſolent, quod *vita conſiſtat in motu.* Iam ſi medice hæc adſumere debeamus, vt nempe vſum habeant ad ſaluandam vitam, aut periclitationes ipſi iam obiectas iterum expugnandas, vitamque plenæ ſuæ libertati reſtituendam, motibus his vitalibus conſulendum erit, vt recte, libere, expedite, ſine impedimento, ſine detrimento fiant & procedant. *Vitam conſiſtere in motu nimis generatim dicitur.*

§. XXXIII. Volunt hoc præſtare per materiarum mouendarum craſeos talem temperiem conſeruandam aut reſtituendam, quæ motibus moræ eſſe non poſſit, ſed liberrime illis obſequatur. Hærent autem hic in eximio præiudicio, ſupponentes, quaſi motus vniuerſa integritas abſolute & ſimpliciter dependeat a materiæ & corporeorum organorum iuſta proportione; adeoque, vt in ſcholis loquuntur, ſimpliciter a poſteriori, materiæ vera atque illibata proportione præſente, & intemeratus perſiſtat, & ſi alicunde labefactetur, illa in integrum reſtituta pari paſſu incedat, & integritatem ſuam recuperet atque conſequatur. *Motus non dependet a materiæ proportione.*

Alteratur ab animi pathematibus & conſuetudine.

§. XXXIV. Quemadmodum autem hanc opinionem ſtatim irritam reddunt non ſolum vera atque ſimpliciſſima experimenta, ſed quotidiana etiam & familiari ſuo prouentu etiam hominum vulgo notiſſima, quod ſine vllo vero imo ſaltem probabili ſubinde, tanto certius autem ſine vllo proportionato corporeo ſiue humorum ſiue partium vitio prorſus a priori motus iam vehementer concitari, iam potenter inhiberi, in genere vero ab ordine ſuo & conſuetis ſucceſſibus in transuerſum agi indies imo in horas deprehendantur; quod nempe tam animi pathematibus præſentiſſime, quam conſuetudinibus contumaciſſime fieri notum eſt: ita non poteſt hoc intuitu hæc opinio latifundium ſcopi illius, vitam per talem methodum ſatis ſecuram atque liberam præſtandi, plenam ſuam certitudinem obtinere.

Confuſæ fictiones de materiarum vitiis & eorum correctionibus.

§. XXXV. Neque vero hoc ſolum, ſed premit huic difficultati veſtigia altera nihilo minor atque diſpar: qualesnam vere eſſe debeant atque ſoleant illæ *deprauationes* materiarum, quæ motibus impedimenta obiiciendo tot periclitationum ſpeciebus, dico tot morbis atque ſymptomatibus anſam præbeant, & cauſam conſtituant? & quomodo conſequenter etiam illis ſingulis ita conſuli poſſit, vt vera & theoriæ tali quadrante correctione & ſimplici *alteratione*, ſeu noxiæ illius craſeos inuerſione, imo in meliorem adeoque corpori tolerabilem conuerſione vitalibus motibus negotium faceſſere deſinant. Sunt illi certe, qui illam opinionem fouent, in hoc toti, vt materiis ita ſuccurrant, & quas illis labes ſuis inculpationibus impoſuerunt, variis materialibus remediis iterum detrahant. Vndique certe vt accuſant materiarum vitia, ita correctionibus illorum toto animo intentos eſſe neceſſarium ducunt.

Aliter natura agit, quæ non motu generatim, neque ſanguinis motu ſpeciatim, ſed ſe- & excretionibus vitam præſtat.

§. XXXVI. Hæc quidem hominum ſunt commenta atque tentamina: alia vero via incedit *natura rerum*, *vitæ auctor*, ſeu potius Animalis Natura vel *Anima*. Agit quidem illa imo peragit feliciſſime, quantum & quamdiu poteſt, *motu*: ſed ille motus non eſt vita abſolute & ſimpliciter & qua talis. Præſtat vitam mediante *motu humorum circulatorio*: ſed hic motus circulatorius non eſt vita, ſed tantum inſtrumentum vitæ, & quidem remotum. Proxime præſtat vitam per *ſecretiones* perpetuas, & *excretiones* tempeſtiuas materiarum non ſolum inutilium, ſed etiam nociturarum: interim neque ſecretiones hæ neque excretiones ſunt vita, ſed ſolum verum, vltimum & magis immediatum *inſtrumentum* vitæ, nempe eliminando aliena, vt maneant propria & ad corpus vere pertinentia. Ita demum vita efficitur, nem-

pe

pe *conſeruatio corporis* & mixtionis eius, atque vindicatio aduerſus omnem corruptionem, cui alias e materiali ſua indole expoſitum imo obnoxium eſt.

§. XXXVII. His motibus, hac methodo vtitur natura ad conſeruandum ſuum corpus, ad præſeruandum illud ipſum, ad liberandum, a læſionibus etiam iam ingruentibus, imo incuſſis in partes fluidas, aut ſub ſpecie fluida. Nam ad ſolidarum partium læſiones iam profundius actas ipſa vtique ſola ſatisfacit natura, nec eſt quidquam in arte præſidii, quod naturæ ceſſantis vices in hoc negotio vllo modo ſatis ſupplere, ne dum penitius ſubire poſſit. Habet etiam hæc humanæ naturæ methodus ſanam rationem omni modo autorem atque ducem. Quid enim ſimpliciſſime certius eſt, quam quod illud ab omni nocendi energia ſolidiſſime remotum ſit, quod toto loco dimotum eſt, & ne tangere quidem amplius valet corpus, ne dum materiali contactu ita in illud agere. Ita certe longe verius atque ſimplicius eſt, quicquid nocere aptum eſt, illud potius ex vniuerſo corpore eieciſſe, quam ſegniori eius & omni modo dubiæ conuerſioni in bonum labores varios & anxios conatus impendere.

Conſeruationis vitalis ratio.

§. XXXVIII. Et certe ab omni etiam ſimpliciore ratione alienum eſt, res vario modo corruptas in corpore obſtinato quocunque conatu atque ſtudio in bonum ſeu integrum ſtatum reducere velle; cum ſincere bonas & œconomiæ corporis penitiſſime idoneas e ſimpliciſſimo quoque quotidiano victu affatim conquirendi atque reparandi copia ſuppetat. Quis enim non proteruum hoc dicat obſtinationis genus, cum omnium neceſſariarum rerum libera facultas atque copia ad manus ſit, loco huius liberaliter recipiendæ temerariis tentaminibus inſiſtere, & potius res nunquam ad bonam frugem perducendas conquirere, iisque peruicaci labore & opera in talem bonitatem, quæ aliunde ſponte affluere poſſit, redigendis non ſolum inſudare, & præfracta prorſus contumacia huic negotio inſiſtere; ſed etiam pericula, quæ ſub dubio huiusmodi tentamine impendere poſſint, antequam illud vere in effectum deducatur, non tantum adire, ſed quaſi temere ſollicitare, & friuola tali audacia re vera laceſſere, imo in ſe non magis ſuſcipere, quam directe recipere.

Correctio materiarum noxiarum admodum operoſa & dubia eſt.

§. XXXIX. Longe abeſt ab hac *inſania* humana natura, vt, quæ illi vias ſuas præmonſtrauit, & limites deſcripſit ſuprema ſapientia, talia nunquam voluerit. Vnde etiam in *brutis* omnibus in genere nihil tam

Hæc conſeruationis methodus in animalibus omnibus eadem eſt.

tam ab omni ſana methodo abhorrens locum habere obſeruatur. In vniuerſo, inquam, animalium genere ſicuti mixtionis genericæ ratio eſt eadem, ad præſentiſſimas corruptiones apta atque nata: ita hæc etiam *vitalis conſeruationis methodus* eadem vtique eſt in omnibus, vt potius perpetuis lenibus ſucceſſibus expellendo, quicquid ad nocendum aptum vsquam emicat, ſublata ipſa cauſa, omnem effectum ſolidiſſime occupet, atque tollat, quam contra, non expellendo, ſed tolerando potius, atque ita collectioni, imo concertationi conniuendo, quin indulgendo, periculum grauioris damni, & aucta noxiæ materiæ toleratæ quantitate magis magisque dubii, non tam exſpectare, quam inuitare, imo receptare.

Natura humana hanc methodum non ſolum in ſtatu ſano ſed etiam in morbido & periclitante obſeruat.

§. XL. Hanc viam atque methodum corpus vitaliter conſeruandi exſequitur natura humana non ſolum iugiter & indeſinenter in ipſo ſano & tranquillo corporis materiali habitu atque ſtatu: ſed vtitur etiam eodem in ingruentibus illius periclitationibus, atque magis iam gliſcentibus corruptionum validiorum rudimentis quin augmentis. Sicut enim naturæ humanæ nihil magis promptum & expeditum eſt, quam *mouere;* nihil autem minus in eius poteſtate poſitum, quam *materias efformare;* e materiis autem vndecunque oblatis conquirere, colligere, coaptare mediocri quidem energia ipſi conceſſum, ſed quæ tamen ſemper non ita exiguum temporis ſpatium inuoluat: ita tanto conuenientius in hoc negotio vtitur illa ſua maxima *energia*, vt potius penitus emoueat & eiiciat, & hoc quidem mature atque tempeſtiue, quicquid noxium occurrit aut incumbit, quam vel irrito & ſuæ energiæ incognito auſu & tentamine totam materiam in aliam indolem ſimpliciter conuertendi, vel longa temporis mora aliquid ex illa veluti ſeligendi, reliquam noxiam portionem in corpore tolerando grauiſſimas huic noxas & irreparabilia damna accerſere malit.

Hæc eſt vera naturæ therapia ſpontanea.

§. XLI. Huic methodo ſicut a priori *ratio* auctor eſt, potentia etiam & indoles *actiuitatis vitalis* par & idonea eſt: ita eidem etiam omni modo vacat, eamque conſtanter & ſolenniter exercet anima. Hac inquam methodo non viuit ſolum, ſiue in intemerata ſuæ mixtionis integritate conſeruatur humanum corpus, ſed vindicatur etiam ab inerrantibus imo iam etiam infeſtantibus corruptelis. Hæc eſt vera illa *medicina naturæ*, qua ſine medico externo conſilio & auxilio multos homines ſanari iam pridem monuit Hippocrates. Hæc eſt methodus illa αὐτοκρατικὴ, ſummæ dignitatis, ad conſiderationem atque penſitatio-

tationem ſolertiſſimam adhibendam, qua homines e grauiſſimis etiam quibuslibet morbis ſponte naturæ, vt loquuntur, mortis periculum euadunt, & ad ſanitatem reuertuntur. Cum autem de his rebus ſingulatim, pro ingenti illarum dignitate & vtilitate, paulo prolixius dicendum videatur, propterea hoc quidem loco illas nominaſſe, & non magis vſum illarum eximium, quam vnicum potius atque certiſſimum ad vere medicam theoriam, non tam prædicaſſe quam prædixiſſe ſatis fuerit.

§. XLII. Vere enim medica theoria nihil aliud inuoluit atque tractat, quam quomodo ſecundum naturam illa omnia, quæ in detrimentum corporis vergere poſſent, perpetuis ſucceſſibus & ex humoribus & per humores perpetuo illorum motu & circuitu paulatim, & antequam augeſcendo præualeſcant, adeoque etiam tranquille & ſine magno negotio, e toto corpore eiici ſeu excerni ſoleant: præter naturam autem hi excretionum liberi atque iuſti ſucceſſus varie lædantur, non ſolum, aut certe non directe imo ne quidem principaliter, materiarum atque viarum corporeis vitiis; ſed etiam ipſius (motuum magis a priori) intentionis, directionis, ordinis, conſtantiæ, vsque ad debitum finem perſeuerantiæ, proſecutionis & exſecutionis culpa. Quibus tandem rebus theoria praxi præludens, pathologia vere clinica & therapia, ſeu iudicioſa inuentio auxiliorum & vere rationalis methodi medendi ſuperſtruitur. Et his adeo abſoluitur vera medica theoria, veris factis & actis naturæ ſuperſtructa & reſpondens, nihil propriis ſpeculationibus aut opinionibus indulgens aut auſcultans.

Vera theoria medica huic methodo naturæ ſuperſtructa omnes alias ſpeculationes excludit.

§. XLIII. Vt etiam vltimo loco adhuc vnum ingens offendiculum alienarum theoriarum breuiter quidem (quoniam alibi ſolertius detegendum erit) indicem, iterum moneo, quod illa ſuis propriis ſpeculationibus indulgens atque inſiſtens theoria nimium quantum exerret in reputando atque recitando, quid & quantum damni corpori humano ex illa nuda atque abſoluta materiæ & mixtionis eius in ſe, ſine vita, indole atque habitudine euenire POSSIT: mirifice autem eo ipſo aberret in demonſtrando, imo ſolum animaduertendo, quam parum, & per immenſam quaſi temporis intercapedinem, re vera nihil huiusmodi eidem euenire, & in ipſum effectum deduci SOLEAT. Cuius profecto veræ atque ſolidæ experientiæ neglectus iam inde ab antiquiſſimis temporibus ſine dubio impediuit, ne in talis rei veras circumſtantias, & proinde tandem etiam cauſas penitius introſpicere cordi eſſet. Certe

Differentia inter ea, quæ in corpore viuo fieri poſſent ſed non ſolent, & quæ in viuo fieri ſolent, quæ in non viuo non poſſent, negligitur.

enim,

enim, niſi res hæc ipſa in facto, quod aiunt, neglecta omnem conſiderationem effugiſſet, fieri nunquam potuiſſet, quin ratio humana paradoxorum conciliandorum perpetuo pruritu laborans aliqua incubuiſſet eminentis huius contrarietatis diſcuſſioni, qui fiat, vt aliquid, quod non ſolum tam multis, ſed etiam vere tam promptis modis & ſucceſſibus fieri & in effectum deduci poſſit, vt etiam fere potius non poſſe non fieri appareat: tamen in ipſa experientia, in ipſis naturæ rerum actis atque geſtis quotidianis propemodum ad miraculum raro, ſegniter, atque tarde vim illam ſortiatur, & ab illa ſua ſumma & velut in præcipiti poſita, vt ſcholæ loquuntur, potentia in actum deducatur.

Concluſio: aliena a theoria medica ſunt præſcribenda.

§. XLIV. Non placet in rebus ita manifeſtis prolixioribus deductionibus immorari. Vnde potius hanc admonitionem obſignamus. Nempe iterum iterumque commendantes, vt recte conſideretur & exquiſite perueſtigetur ἀλλοτρίωσις illa perplexa, anceps, & per exempla perpetua veræ atque ſolidæ medicæ theoriæ nimium quam ſcandaloſa imo fatalis & funeſta, quæ alienis rebus animum temere implicans & occupans propriarum, vere vtilium, imo neceſſariarum conſiderationi tanto plus impedimenti adfert, quoniam inter has & illam nullus nexus, nulla conſpiratio apparet, adeoque hæ ad illam ne quidem pertinere aut illi reſpondere iure meritoque reputari debent.

GEOR-

DE
MIXTI ET VIVI CORPORIS
VERA DIVERSITATE,
ET VTRIVSQVE
PECVLIARIVM CONDITIONVM ATQVE PROPRIETATVM NECESSARIA DISCRETIONE
DEMONSTRATIO.

Qua vberius declaratur, quod non ſolum decens atque ſufficiens conſideratio viui corporis, quatenus talis, nec in phyſicis nec in medicis ſcholis hucusque inſtituta ſit: ſed in primis etiam in medica ſchola huius rei defectus in culpa ſit, vt non ſolum theoriæ, ſed & rationalis praxeos omnis ſpes atque conatus in irritum hactenus ceciderit.

PRO
VERO ATQVE SOLIDO FVNDAMENTO
medicæ doctrinæ propoſita, & tanquam apex præcognitorum phyſico-medicorum exhibita.

§. I.

§. I.

CVm iam inde ab antiquiſſimis temporibus non ſolum theoriam medicam, ſed etiam reuera ſub hac ipſam therapiam, ſeu methodum inueniendi & applicandi conuenientia auxilia, grauiter afflixerit atque fruſtrata ſit perplexa illa implicatio, qua corporis MIXTIO & corporis VITA inter ſe mutuo confunduntur: poſtulat omnino neceſſitas, vt, antequam vllam bonam ſpem concipiamus de medica qualibet, imo in ſpecie therapeutica conſideratione, hanc rem prius enodemus, & ab illis difficultatibus, quibus in hodiernum vsque diem grauiter premitur, illam explicemus atque liberemus.

Corporis mixtio & vita inter ſe confunduntur.

§. II. Nullum dubium eſt, quin verus fundus mali, inprimis in antiquiore ſchola, hæreat in illa Ariſtotelica ſpeculatione, a vero phyſico conceptu æque atque actu aliena, de *diuiſibilitate corporum mathematica* ſeu *in infinitum.* Hæc enim, ſi res decenter æſtimetur, eſt illa *prima* aberratio & verum πρῶτον ψεῦδος, cui ſuperſtruere neceſſe fuit *ſecundum* illum non ſolum perplexum ſed re vera plane nullum conceptum, ſeu verius defectum conceptus, de *mixtione.* Dum videlicet mixtionem ſibi figurauit tanquam actum imo effectum, qui corpus illud, cui obtigiſſe dicitur, ita penitiſſime penetret, vt quæcunque corporis talis particula, etiam *infinite minima*, adhuc retineat illam *eandem per omnia & æqualem* penitus *mixtionem*, quæ in corpore tali ſupponi poſſit, quantacunque tandem maiuſcula *mole*, quantitate atque dimenſione ſenſibili illud inſtructum ſit.

Fundamentum huius confuſionis, ſeu πρῶτον ψεῦδος.

§. III. Quamlibet autem *Democritus* huic ſententiæ aduerſaretur, & recentiores, quotquot hanc rem non ſolum loquuntur, vti ad memoriter didicerunt, ſed etiam intelligunt, ſatis commode moneant, quod in phyſicis acquieſcendum ſit certæ cuidam *vltimæ magnitudini ſimpliciorum*, imo *ſimpliciſſimorum* corporum naturalium; adeo,

Phyſici recentiores non admittunt diuiſibilitatem elementorum in infinitum.

vt illa quidem *combinationem* variam ſubire, & ſub hac maiorem molem formare poſſint, minime vero quocunque diſſolutionis genere vlterius ita comminui, vt magnitudinem illam ſuam vltimam amittant, quam ſiue in ſtatu combinato ſiue in ſimplici re vera habent atque retinent: non potuerunt tamen hanc aſſertionem ſatis firmiter ſtabilire, neque poſſunt hoc hodie, niſi illi ſoli, qui *chymiæ* æque atque *mechanico-geometricæ* tam experientiæ quam rationis ſatis compotes ſunt.

Hoc non ſolum ex geometria & mechanica, ſed præcipue ex chymia demonſtrari poteſt.

§. IV. Quamlibet enim geometria atque mechanica conceptui facile perſuadere poſſit, quod etiam ſimplex arctiſſima & intima *appoſitio*, *innexio* & mutua *compreſſio* formare poſſit atque fouere ſiue ſuſtentare *combinationes* tales, quas partim *mixtiones* partim *compoſitiones* vocamus; & quod ſub tali ſtatu nulla vera *phyſica diuiſio* (ſeu vera atque realis *diſſiſſio*) locum habere poſſit ſolum in numeroſas nedum in infinitas minores minutias: ſed vnice illa *duo* vel *tria* corpora, quæ combinatione ſeu complicatione ſui præſentem aliquem ſtatum mixtionis ſubierunt, per *dimotionem* ex illo ſitu, ſub quo iam inter ſe cohærent, primo & immediate magis ſeiungi poſſint; dico per vnam ſolam lineam, nempe *commiſſuram* illam, qua ſe mutuo exquiſite contingunt, minime vero (in ordine directo ad præſentem mixtionem) per vllam aliam lineam &c. Quamlibet, inquam, hæc ita ſeſe ſatis recte habeant, & conceptui reſpondeant, quod ita eſſe & ſeſe habere POSSINT: veritatem tamen facti ipſius, quod non aliter ſe habere SOLEANT, adeoque vere probabiliter non *poſſint* aliter ſe habere, ſola vtique chymia commonſtrare valet,

Diſtinctio inter corpora mixta & compoſita.

§. V. Ex hac certe ſola eluxit luculenta illa diſtinctio, quam primus in hoc genere ita dilucide ob oculos poſuit *Becherus*, inter corpora *mixta* ſimplicius, & *compoſita*: quorum illa quidem ex vltimis illis phyſice *indiuiſibilibus* per combinationem coaleſcant: hæc vero *compoſita* e *mixtis*, aut ad minimum valde inæquali numero *homogeneorum* ſimplicium corpuſculorum in vno huiusmodi phyſico poſthac indiuiduo. Sane vero chymia magno exemplorum numero hoc teſtatum reddere poteſt, quod *compoſitiones* tales, imo hinc inde etiam *mixtiones* ſubtiles variæ, iterum dirimi poſſint in eadem illa intemerata priora ſeu *principia*, e quibus coaluerunt; & ſubſiſtant etiam ſincere talia, quoad nouo illo artificioſo interuentu dirimantur.

Differentia inter aggregatum & indiuiduum.

§. VI. Verum enim vero offert ſeſe hic noua charybdis, in qua Ariſtotelica certe, & omnino etiam per indiuidua non paucorum modernorum theoria in voragines ruit. Eſt hæc perplexus, imo verius

rius nullus conceptus de AGGREGATO phyſico, eiusque vera atque reali differentia ab illo phyſico *indiuiduo*. Ariſtoteli quidem non potuit non incumbere hæc confuſio, cum ille non agnoſceret *indiuiduum* phyſicum, adeoque neceſſario *aggregatum homogeneum* etiam non poſſet agnoſcere: quandoquidem aggregatum ex multis indiuiduis conſurgit; adeoque ſi indiuiduum non detur, etiam aggregatum e multis indiuiduis dari non poterit. Interim etiam aliis, qui chymicorum experimentorum nullam habent notitiam, ſatis certa eſſe minime poteſt hæc *aggregati* & *indiuidui* diuerſitas. Chymia vero monſtrat vtique & confirmat ingenti exemplorum numero, imo vndique ab omni dubio liberum reddit, quod corpora illa, quæ *phyſice indiuidua* dici atque haberi merentur, ita ſigillatim tantæ ſint *exiguitatis*, vt omnes humanos ſenſus ſub illa conſtitutione, vt ſingula, omnino effugiant.

§. VII. Vt tamen etiam huic rei lux ſua atque veritas conſtet, tenenda vtique primo loco eſt differentia inter aggregatum *homogeneum* atque *heterogeneum*. *Homogeneum* enim aggregatum vti ſecundum dicta & manifeſtam atque euidentem veritatem nunquam dari poteſt, ſi illa Ariſtotelis *diuiſibilitas in infinitum* vnius eiusdemque corporis valere debet: ita in aggregatis *heterogeneis* aliquibus alia eſt ratio partium minorum, e quibus illa conſtant, vti mox dicemus. Differentia inter aggregatum homogeneum & heterogeneum.

§. VIII. Interim illud tanto magis primo hoc loco fundamenti „inſtar ſolidi atque inconcuſſi valere debet, quod aggregatorum mixto„rum, qua talium, indiuidua, e quibus conſtant, omnino tantæ ſint „*exiguitatis*, vt illa ſub iſto numerico ſui ſtatu, ſingula inquam, nullus „vsquam humanus ſenſus aſſequi valeat. Proximum huic eſt, quod corpora hæc *minima*, mixta atque compoſita, hoc ſui reſpectu, *quatenus*, inquam, *mixta* ſunt *per & ex ſe*, prorſus indifferenter ſe habeant ad omnem *aggregationem*. Aggregationes autem hæ magis ſolum a poſteriori peculiarem aliquam diuerſitatem ex illis differentiis *mixtionum* ſeu corporum ita mixtorum nanciſcantur; prouti nempe vel e concurſu *inſtrumentorum* aggregationis certa alteratio oritur, vel e deſtinato *fine* plane peculiaris aggregationis ſpecialiſſima *diſtributio* & ordinatio, *vt propter finem*, adornatur. Mixtorum indiuidua exiguitate ſua ſenſuum aciem eludunt.

§. IX. Nempe ſunt, per dicta, aggregata vel *homogenea* vel *heterogenea*; porro, vel euidentius peculiariter *ordinata*, vel *minus*: *Ordinata* iterum vel ſimpliciter, vti vocant, *mechanica*, vel peculiariter *organica*, ſeu ad organicos *vſus* adaptata. In ſimpliciter *mechanicis* valet multum ipſarum *materiarum* peculiaris mutua Differentia inter aggregatum ordinatum & inordinatum, organi-

cum & mechanicum exemplo ferri explicatur.

proportio; in *organicis* particulariter nihil. Vt exemplis res fiat clarior: Ferri corpuſcula minutiſſima, in corroſiuo aliquo liquore diſſoluta, ſigillatim inuiſibilia ſunt: (quamuis enim in aqua forti colorem fuluum efficiant, tamen ſi huius coloratæ ſolutionis gutta vna in aliquot vnciis aquæ limpidæ diluatur, perit omnis viſibilis color; & quam diu etiam ille durabat, nullum vsquam corpuſculum ferri ibi ſeorſum dignoſci poterat.) Quando hic puluis ferreus e tali ſolutione nihil alteratus præcipitatur, coit mox in moleculas iam magis viſui propinquantes. Quando hic puluis funditur, exhibet *aggregatum homogeneum*, ſed ad ſenſum *minus ordinatum.* Quando vero malleo, lima, cote fruſtum tale ad peculiares inſtrumentales vſus *efformatur*, fit ita aggregatum peculiari plane modo atque more *ordinatum.* Et ſicuti eadem maſſa ferri, pro lubitu artificis, in hanc aut aliam figuram efformari poteſt, ita patet inde, quod *materiæ* conditio ad *organicam ordinationem* aggregationis qua talem, ſimpliciter & in genere, nihil cooperetur. Quemadmodum etiam omnes *muſculi* ſunt *carnoſi*, interim ſinguli diuerſæ configurationis &c. Ita etiam *inorganica*, & tamen *ordinata*, ſed a ſimplici materiarum & fortuitorum motuum concurſu oriunda, aggregata ſunt v. gr. *cryſtalli* tam montanæ quam ſalinæ: contra *inordinate* aggregata, *coagula* ſimplicia talium materiarum &c.

Diuerſitas corporum mixtorum & viuorum duodecim argumentis oſtentitur.

§. X. Imo vero vt ex hiſce rebus *philoſophico-phyſicis* progreſſum faciamus ad res noſtri fori *phyſiologico-medicas*, quin imo etiam ipſas *zoologico-phyſicas*, facimus ſtatim differentiarum harum hucusque ita traditarum applicationem, pro explicanda diuerſitate conſpicua corporum *vt mixtorum* & *vt viuorum.* 1. Vbi primum omnino locum occupat *contrarietas* illa non ſolum euidens & conſpicua, ſed etiam ex vtraque parte *neceſſaria*, & vt vocant *eſſentialis*, quod corpora *mixta*, qua talia, in *indiuidua* & numero *ſingula*, non ſolum ab *aggregatione* famoſo ſenſu aliena ſint: ſed etiam re vera aggregationis ſtatum ſub hac conſideratione reſpuant, dum non niſi *vt in vnitate* ſui *mixta* ſunt. Ex aduerſo vero *viua* corpora tantum abſunt ab hac indole, vt potius *abſolute & ſimpliciter* de horum eſſentia ſit, vt *aggregata exſiſtant.* 2. Secundo: *mixta* quatenus talia etiam indifferenter ſeſe habent abſolute ad aggregationem ſiue *homogeneam* ſiue *heterogeneam.* Ex aduerſo vero illa aggregata, quæ *viua* corpora dicuntur & conſtituunt, ſub abſoluta neceſſitate ex *heterogeneis* aggregata ſunt. 3. Amplius: corporum *mixtorum* numeroſa eſt varietas, & ſunt fere illa, quæ ſtricta vocis acceptione *mixta* dici merentur, a

promta

promta *diſſolutione* plurimum aliena: imo etiam *compoſitæ* ſpecies, ingenti numero, tam firmo nexu materialium ſui principiorum prædita, vt, niſi *arte* aut plane peculiari & rariſſimo concurſu *inſolito* fortuitarum cauſarum, minime *diſſolutionem* experiantur. E contra *viua* corpora, ſimpliciter ad vnum omnia poſſident imo poſtulant *mixtionem* aut compoſitionem e materiis minime firmiter & arcte cohærentibus: nempe *diſſolutioni* ſeu corruptioni *putredinis* peculiariter expoſitam. 4. Vlterius: *mixta* corpora, vt ex ſe directe ab aggregatione aliena ſunt, & ſolum per accidens & per *externarum* cauſſarum concurſum aggregationi expoſita: ita tanto magis, iterum dico, *ex ſe & per ſe*, etiam ad aggregationis *modum* certum, vt a priori, indifferenter ſe habent. Aggregatio vero in *viuum* corpus abſolute vt a priori penitus certam atque peculiari modo per ſingulas ſpecies *ordinatam* aggregationis *diſpoſitionem* requirit; ſine qua exſiſtere nedum ſubſiſtere neutiquam poſſint. 5. Interim: corpora ſimpliciter mixta ad *durationem* ſui nullam peculiarem rationem habere comparent, inprimis alio quocunque quam ſimpliciter *materiali* reſpectu. Contraria penitus etiam hic iterum eſt ratio viuorum; vtpote quæ ſimpliciter a *longa duratione* alieniora ſunt. Vbi inprimis ingens eſt differentia proportionis ex *magnitudine viuorum* corporum erga ſimpliciter *mixta* collatorum; dum mixta tam *exigua* immenſum quantum *durabiliora* ſunt, quam quælibet ingentia *viua* corpora. 6. Præterea mixta aut compoſita corpora, qua ſimpliciter talia, ſimplicem etiam rationem habent durationis ſuæ, ad ſimplicem *proportionem aliorum* mixtorum aut compoſitorum, inter quæ verſantur. *Viua* corpora prorſus oppoſita ratione longe diuerſiſſimam *rationem* habent durationis ſuæ mixtionis. Cum enim hæc ad diſſolutionem aptiſſima omnino ſit, & præſentiſſimam quidem atque velociſſimam; tamen contrario penitus modo ipſi euenit, vt contra omnem hanc ſui propriam atque directam conſtitutionem, & illorum etiam aliorum, inter quæ verſatur, proportionem, mixtio hæc, in hac comparatione, etiam immenſum quantum diutius duret, quam propriæ ſuæ materiali indoli conueniret. 7. Neque vero etiam videtur ſolum ſubeſſe, ſed ſubeſt omnino vere & realiter peculiaris plane diuerſitas in eo, quod durabilitas *mixtorum* reliquorum qua talium, maximam partem pendeat a *materiæ* eorundem conditione atque proportione: *viuorum* ex oppoſito durabilitas alieniſſima ſit a *materiæ* illorum quacunque conditione, imo eidem omnino *contraria*. 8. Quid? quod hiſce conſiderationibus, præter iam dicta, etiam re vera ſeorſim ac-

accenſeri debeat, quod in vniuerſo regno *mixtorum non-viuorum* illa indoles ita ſummopere corruptibilis ſeu *diſſolubilis*, qualis in *viuorum* vniuerſo regno viget, neutiquam occurrat, ſed huic ſeorſim *propria* obſeruetur. Vt illud ſilentio prætercam, quod *vitalis* quidem mixtio tota e *non-vitalium* materiis conflari neceſſe habeat; ſed non æque pariter etiam ſui diſſolutione ad reliquorum mixtorum geneſes tam promte iterum tota reuerti poſſit, quam ex illis coaluiſſe viſa eſt. 9. Præter hæc omnia autem primaria diuerſitas *cauſſæ* talis cuiuscunque durabilitatis in eo occurrit, quod ſimpliciter *mixta* nullam propriam *internam* cauſſam durabilitatis ſuæ poſſideant, præter nudam proportionem *materialem* illorum principiorum, e quibus conflata ſunt; & huius *proportionis analogiam* ad *externarum* occurrentium materiarum, & harum quoque proportionis menſuram: vbi inprimis, & ſpecialiſſime quidem, etiam in ipſam *vitalem* mixtionem, *quatenus mixtio* eſt, ingentem efficaciam habent abyſſi illæ mobiliſſimarum materiarum, *ignis & calor, aër, aqua & humiditas.* Interim plane oppoſita ratio eſt *vitalis* durationis, vtpote quæ etiam contra hæc omnia tam *materialia* quam *inſtrumentalia diſſolutionis* principia a cauſſa ſpecialiſſime peculiari, & interna quidem, ſibi omnino *propria* & a toto regno mixtorum non-vitalium alieniſſima, directe dependet. 10. Iuxta hoc, ſpecialiſſimæ vtique vlterioris conſiderationis ſubiectum præbet illud, quod etiam totus *modus agendi atque fiendi* in hac *vitali* duratione mixtionis longe diuerſiſſimus vtique ſit ab omni reſpectu atque effectu durationis aliorum mixtorum; dum hæc *vitalis* duratio ſimplici, *formali*, *incorporeo* & toti *materiali mixtioni* vere *externo* actu nititur imo abſoluitur. 11. Et hoc tamen iterum noua diuerſitatis ratione a principio agente, aggregato illi vitali vtique tantiſper, quam diu hæc omnia præſtat, *inſidente*, *inhabitante*, *immanente*. Cui in omnibus reliquis mixtis non vitalibus nihil vsquam geminum occurrit, ſed omne huic etiam analogum illis omnino deeſt. 12. Supremo loco commemorari meretur etiam illa diuerſitas, quod *indiuidua viuarum* ſpecierum, quando iterum diſſolutionem mixtionis ſuæ incurrunt, per plane ſpecialem directionem (inſtinctu, huic vitali agenti primitus ſtatim impreſſo) ſemper nouorum indiuiduorum productione reparentur: & hoc profecto in toto genere ſeu regno *viuorum*, non ſolum in annos, imo in dies, ſed etiam *omnino in momenta*, velut *immenſo numero*. Corporum e contra mixtorum non viuentium pleræque ſpecies, niſi quidem potius omnes, ſicuti per iam dicta ad *diſſolutiones* difficulter

pro-

procedunt: ita etiam ad *indiuidualem reſtitutionem*, ſeu *regenerationem* multorum in ſingulis ſpeciebus indiuiduorum, ſi verum æſtimamus, minime facile perueniunt. Quicquid autem vtique in hoc genere vere contingit, ſimpliciter *fortuitum* eſt, & ab externarum potius cauſſarum concurſu & occurſu pendent; plane contraria ratione, quam in *viuis*, vtpote e quibus *vegetabilia* quidem ipſamet ſemina ſuæ ſpeciei, aut germina ſimpliciter propagando augeſcentia proferunt: *animalia* vero peculiari *inſtinctu*, *appetitu*, *voluntate*, *deſiderio* tum *a priori* ad actus eo pertinentes feruntur, tum *a poſteriori amore ſobolis ſuæ* afficiuntur. E iam dictis autem num. IX. fluit, quod mixtarum ſpecierum non ſolum *deſtructio*, ſed etiam *regeneratio*, vt in genere *externis*, non raro etiam fortuitis, violentis & inordinatis cauſſis, ita etiam *artis* arbitrio, ordinationi atque directioni paſſim obſequatur & ſubiaceat: ex aduerſo vero *viui* corporis *corruptio* (licet illa quoque non ita ſimpliciter *immediata*) *arti* quidem expoſita ſit: poſitiua vero *regeneratio* abſolute & in ſolidum ab omni poteſtate *artis* ſimpliciter alieniſſima ſit. Tanto magis, cum etiam, vt iterum e iam dictis colligi poteſt, ne quidem nudæ *mixtionis vitalis* imitatio, e materiis non ex iisdem, ſpeciebus ſolum diuerſis, depromtis, *arti* conceſſa ſit: nedum vt præterea ad illam *ordinationem aggregationis* quicquam directe contribuere ipſi permiſſum eſſet.

§. XI. Hæc talis diuerſitas *mixti* atque *viui*, & vera conſtitutio *materialis* quidem ad mixtionem, ſimpliciter autem *formalis* ſolum habitus ad actum & effectum *vitæ*, vt in ſe vtique ſummam differentiam inuoluunt: ita in ordine ad phyſicam atque medicinam ſummopere neceſſaria eſt ſcientia ſufficiens, & minime ſuperficiaria, quidnam harum rerum in artis poteſtatem cadat, vel etiam non cadat. Hoc, ne fruſtra intentiones ſuas atque ſollicitudinem ad illam partem harum rerum dirigat, in quam ipſi nihil iuris conceſſum eſt. Illud e contra, vt quam maxime illarum rerum rationem habeat, in quas efficacia ipſi data eſt, vt illis, & per illas toti negotio *vitæ* atque *ſanitatis* humanæ ſubuenire poſſit. Quem vſum ſcientia huius differentiæ habeat in phyſica & medicina.

§. XII. Monſtro vero ſimile videri poſſet, aſſerere, quod hæc diſcretio in medicis ſcholis nondum decenter, imo potius nondum abunde tradita & inculcata proſtet; interim ſi nudam veritatem eloqui volumus, aliter profecto res ſe nequaquam habet: quod vel illo argumento, imo vero documento firmare licet, quod etiam hodie propoſitio atque commonſtratio harum rerum non ſolum hinc inde aſſenſum Hodie autem non vbique aſſenſum invenit.

non inueniat; & quidem inprimis in ſcholis, & inter Magiſtros earum: ſed etiam ne quidem intelligatur, verum ſub multis præconceptis alienis opinionibus paſſim neſcio quomodo effingatur & refingatur.

Tranſitus ad ſequentia.

§. XIII. Hoc itaque intuitu commodum erit, negotium totum ordine perſequi, & ante omnia poſitiue commonſtrare *proprium habitum corporis viui*, quem hactenus in *contradiſtinctione ad* corpus ſimpliciter *mixtum* delineauimus: vt ita tam *materialis viui*, quam *formalis*, *quatenus viuum* eſt, conſtitutio ſufficienter dilueeſcat.

Mixtio animalis ad diſſolutionem & putrefactionem procliuis.

§. XIV. Notabilis omni modo eſt in corpore *viuo* primo *mixtio peculiaris*, ſecundo *ſtructura* ſeu *aggregatio ſpecialis*. *Mixtio* duobus modis conſiderari poteſt, vel ſimplicius *materialiter*, vel etiam *finaliter*, nempe quamobrem, quem in finem & vſum talis maxime, qualis deprehenditur, eſſe debuerit. *Priore* intuitu eſt mixtio viuorum coagmentata e *ſubtili terra*, *pinguedine*, *&* *aqua*. Harum materiarum non poteſt fieri vere firma atque conſtans *vnio*, ſed nihil niſi qualiscunque, minus arcta atque vere tenax *cohæſio*. Vnde etiam eſt, quod hæc talis mixtio nimium quantum propendeat ad ſubeundam harum ſui partium conſtituentium *diſſolutionem* atque diuortium; & quidem illa maxime methodo, quam vulgo *putrefactionem* appellamus. *Terrea* quidem portio cum eius tenuitatis ſit, vt propiore gradu ad *ſalinam* prorſus extenuationem accedat, ſubit cum aqua ſatis *promtum* quidem ſed non ſatis *firmum* nexum, (quod ſub maiore *ſalina* extenuatione facit) adeoque format conſiſtentiam *mucilaginoſam*. Huiusmodi indolis terreſtreitati adhæreſcit iam pronius *pinguedo*, & hoc intermedio copulatur *aquæ*, quam alias immediate complecti reſpuit.

Fit hæc diſſolutio per inteſtinum motum.

§. XV. Exſerit ſe huius rei veritas in motu *corruptiuo* ſeu *diſſolutiuo* harum materiarum, ex hac mixtione diſturbatarum. Dum enim hæc diuulſio per modum ſubtilis *inteſtini motus* celebratur, quo ipſo hæ materiæ præter ſimplicem *diuulſionem* a ſe mutuo, etiam partim *in ſe* vlterius diuelluntur ſeu *extenuantur*, fit ita, vt aliqua portio illius terræ ſubtilis, quæ ſalinæ tenuitati hucusque proxime ſolum *acceſſerat*, iam etiam actu ipſo in talem eandem *deducatur*, & e ſubtili *mucilagine* verum *ſal* euadat. Cui quando etiam *pinguedo*, vlterius *extenuata*, intimius innectitur, naſcitur inde *ſal volatile oleaginoſum*, olidum, *inflammabile* (experimento *ſalis armoniaci* cum *nitro*, vbi inflammatio certe non oritur ab acido *ſalis communis* cum *nitro*, ſed a ſale *volatili* cum eodem &c.) Vbi vero pinguedo iam ante valde ſub-

ſubtiliata *abundat*, ibi *ſpiritus ardens* ex his extenuationibus prognaſcitur atque reſultat. Reliqua vero *craſſior* terrea & oleaginea pinguis ſubſtantia, extruſa aqua, in ſpiſſiorem terream ſubpinguem concretionem fatiſcit. Sed de his experimentis atque documentis chymia potius vere experimentalis, quam præſens noſtra tractatio prolixius teſtandi ius habet.

§. XVI. *Finalis* reſpectus huiusmodi mixtionis fundatur in eo, quod corpora *viua*, in ſpecie *animalia* manifeſtiſſime, propter ſuas operationes *loco-motiuas* imo etiam *ſenſitiuas* conſiſtentiam requirant tenuiſſime *flexilem*, minimeque ſub tenuibus flexionibus *fragilem*, ſed ſub media mollitie *tenacem*. Tali fini atque vſui non poterat inſeruire vel nimium *rigida terrea* temperies, vel nimium tenuitur terrea *ſalina* craſis, ad *fluiditatem* omnino prona atque promta. Mixtionis reſpectus finalis.

§. XVII. Interim ſiſtit ſolertiori conſiderationi pulchra harum rerum ſchemata prudentior penſitatio illius diuerſitatis; nempe diuerſæ *proportionis*, *rigidius* terreæ immixtionis in *eiusmodi* partibus viuorum, quæ non æque *flexiles* ſed *firmæ* eſſe propter certos *fines ſeu vſus* debebant, vt *oſſa*, *ſtipites*, *caules*: & contra, ſubtiliſſimæ terreæ *ſalinæ* indolis (quantumlibet etiam ſaltim adſcititiæ *interſperſæ*, *intermixtæ* magis quam *immixtæ*) in illis partibus, quæ ne *flexiles* quidem, ſed prorſus *fluidæ* eſſe debebant: vnde (in *vegetabilibus* manifeſtior & copioſior) in *humoribus* ſeu ſuccis ſincerior *ſalſedo*; in *animalibus* ad minimum *excrementitia*, & illa *tranſitoria* quidem ſed ſemper *repullulans ſeroſa* ſalſedo. Diuerſa proportio mixtionis principiorum in partibus diuerſis.

§. XVIII. Quemadmodum autem hæc in corpore viuo in genere, & omnibus eius ſpeciebus, omni modo dicta hac ratione ſeſe habent, ita commemoranda inſuper eſt *ſpecialiſſima* illa circumſtantia ſingularis in ſingulis ſpeciebus *intimioris* admixtionis ſeu *immixtionis* vere *ἀῤῥήτȣ*, qua etiam ſpecies vna ab altera ita differt, vt peculiarem etiam *ſaporem* & *odorem* exhibeat. Imo vero ratione *odoris* etiam vix credibilis huius rei adhuc per *indiuidua* ipſa *variatio* ſubeſſe videri poſſit, e canium ſagacium exemplo: qui non ſolum animalium *ſpecie* diuerſorum diſcretionem ex illorum odore aſſequuntur; ſed etiam *indiuiduorum* omnino, *heri* ſui ab aliis hominibus, differentiam, e ſolo veſtigiorum eius odore deprehendunt. Specialiſſima circumſtantia mixtionis ratione ſaporis & odoris.

§. XIX. Sicut autem hæc omnia & vera ita ſunt, & conſideratu proinde omni modo digna: ita ſuccedit porro *ſtructuræ*, *conſtructionis*, *ordinationis* atque *diſtributionis* illa peculiaris ratio, qua non Structura corporis.

ſolum in *ſolidum*, *ſolidarum* inquam partium, exædificatio celebratur, ſed etiam *fluidarum* diſpenſatio ad, & per ipſa, ſolidas peculiaribus per ſingulas ſpecies *modis* atque *modulis* peragitur.

Texturæ & ſtructuræ differentia.

§. XX. Non incommode diſcernitur in hoc negotio *intimior* atque ſubtilior conſtructionis pars a *diffuſiore*, illis vocabulis, vt illa *texturæ* nomine veniat, hæc communiore illo, & paſſim craſſioribus compoſitionibus adhiberi ſolito, *ſtructuræ*. Quamlibet enim, teneriore accipiendi modo, *conſtructio* etiam ſimpliciter accipi poſſit pro *collocatione*; omnis autem *conſtructio* in corpore abſolute vtique abſoluatur *collocatione*, ita vt tota corporis moles tam in *elephante* aut *ceto*, quam in *pulice* aut *acaro locatione* puncti vnius phyſici, ſeu corpuſculi, viſibili puncto minoris, iuxta alterum peragatur: cum tamen *ſtruis* nomen, vulgata magis acceptione, de laxiore atque craſſiore ſolidorum corporum inter ſe coaptatione in vſu eſſe ſoleat, *texturæ* vero vox de teneriore huius generis coniunctione in ſolemni vſu ſit; poteſt proinde etiam in hoc negotio locum ſuum tueri, vbi omni modo tenera maxime coaptandi ratio primatum omnino obtinet, & omnia vtique prius per *lineolas* phyſicas atque tenerrima *ſtamina* contexuntur, quam viſibili *conſtructioni* in vniuerſam illam molem corporis locus & tempus obtingant.

Vtrumque in ſuo ordine & mutua proportione procedit.

§. XXI. Vtrumqe vero hoc negotium vti ſimpliciter *ſponte*, quod aiunt, & ſine vlla directa ope *externa* procedunt atque ſuccedunt; ita exquiſitiſſimo penitus *ordine* & *ſucceſſu* agitantur non ſolum in *ſingulis* quibuslibet partibus imo particulis, ſed, quod inprimis conſiderationem tanto exactiorem ad ſe vocat, etiam in *mutua proportione* ſeu proportionata proſecutione omnium, ſed tamen *vt ſociarum*; breuiter: *ſocia* proportione. Quæ res profecto, & eius quaſi ſimplicior pars, efformatio *ſecundum dextrum aut ſiniſtrum*, decentem omnino conſiderationem meretur.

Specificæ mixtiones non fiunt ſpontanea concretione.

§. XXII. Hæc hactenus; neque enim inſtituti mei ratio æque permittit, nedum poſtulat, vt haſce res ita exquiſite exſequar, vt quicquid de illis vel poteſt dici, vel meretur, abſolute percenſere ſit animus. Primo enim loco denotanda foret conſideratio illa, quod hæ allegatæ ſpecificæ mixtiones minime omnium ſpontaneæ cuiusdam *concretionis* methodo fieri videri poſſint: cum ab omni ratione alienum ſit, quod in vno loco, *vt loco* ſimpliciter, ita plane diuerſarum rerum, quam in proximo alio loco, *determinata* collectio non ſolum poſſit fieri, ſed quod longe plus eſt, *non poſſit non fieri*.

§. XXIII

§. XXIII. Vbi nempe vere latus pateret campus notandi, quomodo illa *vitalia agentia*, quæ ſincerioribus antiquis philoſophis *Naturæ* & *Animæ* nomine notata fuerunt, vere *electiuo* actu has *ſpecificarum* etiam *mixtionum* diuerſitates adminiſtrent, quæ & quales extra ipſorum energiam nusquam alibi reperiantur; ne in illis ipſis quidem ſiue *rebus* ſiue *locis* & *materiis*, e quibus hæc ſuarum harum diuerſiſſimarum mixtionum materiam omnino deſumunt. Vt adeo hæc *agentia* ſint *mixtionum* illarum ſpecificarum veri atque directi *architecti*, & vere poſitiue *efficientes* cauſſæ &c.

Sed electiuo actu per agens vitale ſeu animam.

§. XXIV. Sed iam non placet tam late diſcurrere, imo diffundi. Sufficit ſimpliciter acquieſcere in illis, quæ ex his rebus medico foro atque ſcopo preſſius inſeruiunt; aut etiam e generalibus illarum contemplationibus dignoſcere, quæ & quatenus *medicæ* conſiderationi *non* faueant aut ſeruiant. Vt autem,ad minimum quantum huic intentioni ſatisfacit, ipſas quoque *circumſtantias* atq; conditiones *ſtructuræ* percurramus, tenendum omnino eſt, quod vtique omnes atque ſingulæ partes corporis hoc, maxime pro *organico ſuo vſu*, veluti directe & formaliter habeant, vt *ſpeciali* ſtructura efformatæ ſint, a minutiſſimis *ſtaminibus* ad vniuerſum ſui ambitum & *complexum*.

Circumſtantiæ & conditiones ſtructuræ.

§. XXV. Occurrit hic vtique conſideranda *magnitudo*, non ſolum *in genere* conueniens, *interna* quaſi, ſingularum partium & *propria*; verum etiam *mutua* & *ſocia*: *Continuitas* (in ſolidis) tam *interna*, per omnia ſua ſtamina & filamenta; quam *externa*, *ſocia*, cum aliis partibus *cohærens*, *conſpirans*, atque *communicans*: *Figura*, per ſingulas intimiores ſui minutias ad vniuerſum complexum: *Situs* conueniens, tam *proprius* quam reſpectiuus, *ſocius*; cuius poſterioris non poſtremum exemplum eſt, aptatio configurationis ſecundum latus *dextrum* aut *ſiniſtrum*.

Eius magnitudo, continuitas, figura & ſitus.

§. XXVI. Vniuerſæ hæ conſtructionis circumſtantiæ pertinent vtique ad reſpectum corporis *vt viui*, non ſolum generali accipiendi modo & vſu, quo inde antiquitus ſub ambitu *actus vitalis* ſeu *facultatis* vitalis comprehendi ſueuit *vita & nutritio*: ſed etiam vero aliquo *ſubordinato* progreſſu *actus*, etiam ſtrictiore modo vero & reali (nempe cum ipſa re conueniente) ſenſu, *vitalis*. Cum enim quam maxime ſtricte dictus *vitalis* actus, qui omnino *conſeruationem* corporis pro pleno ſuo *obiecto* habet, quomodocunque tandem adminiſtretur atque celebretur, non poſſit tamen hunc ſuum *ſcopum* atque *finem* ita ſimpliciter & abſolute exſequi, quin de principe totius corporis

Hæ conditiones ſtructuræ reſpiciunt corpus viuum & actus vitales.

parte, *ſanguine* & humoribus vitalibus indies aliquid fatiſcat & intereat: certe, niſi quidem ita pauciſſimo tempore interire debeat corpus, neceſſe omnino eſt, & aliter non poteſt fieri, quin & *reparatio* illius quantitatis, quæ ita *abſolutam conſeruationem* omni modo fallit atque ſubterfugit, omnino præſtetur atque celebretur. Qui ipſe effectus cum vtique nihil aliud ſit, quam vera *nutritio*, patet ex hoc immediata *ſubordinatio* nutritiui actus cum ſimpliciter *conſeruatiuo* ſeu ſtrictiore ſenſu *vitali*.

Principium vitæ actiuum eſt etiam principium nutritionis.

§. XXVII. Quorſum etiam facit, quod ipſa *inſtrumentalis* methodus ſtrictiſſime ſumtæ *vitalis* actionis abſolute requirat & *integritatem* partium omnium etiam *ſolidarum*, & *aditum* vndique conuenientem, ſufficientem atque liberum *fluidarum*: propterea abſolute vtique *connexus* & *ſubordinatus* ſit ipſe quoque *nutritiuus* actus *vitali* ſtrictiſſimo ſenſu appellato. Neque tamen vlla neceſſitas æque poſtulat, vt ordinem atque nexum ſtructuræ ad ipſam vitam curioſius excutiamus; alias enim ex alio capite tractanda eſſet hæc propoſitio, *quod principium vitæ actiuum ſit etiam principium nutritionis*: & cum tam vita quam nutritio *actus* quidam ſint, quod vnum idemque vtrorumque ſit *agens*, quod non ſolum neutrum horum actuum ſine altero peragat, ſed etiam, per ante dictam rationem, etiam *non poſſit* hoc agere, ſed neceſſitate realis dependentiæ & ineuitabilis *ſubordinationis* atque conſpirationis etiam teneatur vtroſque hos actus iugiter, & quidem *nutriticum* etiam in *ſubſidium vitalis* exercere.

Viuum corpus nullum aliud eſt quam ſtructum.

§. XXVIII. Nobis autem omnino ſufficit ſtabilire, quod nullum aliud corpus ſit vero ſenſu *viuum*, quam ipſum *ſtructum*. Vnde quantumlibet etiam magna pars ſtructuræ in quolibet tali corpore neque directe a *vita* ſit, neque directe ad vitam pertineat; cum tamen ad alios vſus & inſtrumentales effectus, qui omnino e propriis ſuis finibus neceſſarii omnino ſunt, ipſa quoque neceſſaria ſit: interim huius ipſius ſtructuræ ratio inuoluat eiuſmodi *texturam* atque *conſiſtentiam*, quæ ſine plane peculiari *conſeruatoria* ἐνεργεία eiuſque perpetuis ſubſidiis nequaquam poſſet ſubſiſtere; fluit propterea etiam ex hoc fonte hæc vera mutua ſubordinatio atque indiſſolubilis nexus.

Repetitio eorum, quæ in antecedentibus dicta ſunt.

§. XXIX. Preſſius autem ad noſtrum ſcopum pertinet conſideratio FORMALIS RATIONIS ipſius vitæ, ſiue quidnam vere ſit *vita*, & quid directe præſtet illi, de quo dicitur, & cui obtingit, corpori. Egimus hucusque de *corpore viuo*; demonſtrauimus ſummam eius *corruptibilitatem*, intuitu materiæ, e qua conflatum eſt; notauimus

mus memorabilem eius *durationem*, huic eius corruptibilitati ſimpliciter contrariam, interim *fini* atque deſtinationi ipſius abſolute neceſſariam; nominauimus proinde etiam huic neceſſitati conſulentem verum actum *conſeruationis*, cuius vtique præſidio fiat, vt non ſolum *duratio* illa aduerſus *corruptionis* actum ſtabiliatur atque præſtetur; ſed etiam interim *diſpoſitio* illa *corruptibilis*, nihilo ſecius etiam in hac ſua conſtitutione nihil mutata relinquatur; id eſt, nequaquam *corruptibilitas*, ſed vnice ſolum ipſe *effectus* ſeu *euentus corruptionis*, perpetuo præoccupetur atque arceatur.

§. XXX. Quia tamen hæc res, vera hæc, inquam, eſſentia atque *formalis ratio vitæ*, conſideratione exquiſita omni vtique modo digniſſima eſt; placet ipſam paulo clarius ob oculos ponere, & verum eius habitum cognitioni ſiſtere. Repetimus e dictis, quod *corpus viuum* non ſolum *a poſteriori*, & vt in ſenſus incurrit, ſumme *corruptibilis* ſit conſiſtentiæ; ſed etiam, vt *a priori* æſtimando, non videatur alterius conſiſtentiæ eſſe *poſſe*: cum hæc ipſa, qualis adeſſe deprehenditur, *ſola & nulla alia* idonea ſit vſibus & effectibus illis ſeu vſibus, quibus corpus hoc, vt inſtrumentum, proprie & directe deſtinatum eſt. Interim cum hi ipſi vſus & effectus multi atque varii prorſus ſint, qui *ſimul & ſemel*, aut breuibus tantum *temporis* ſpatiis expleri & abſolui etiam a priori non poſſint; a poſteriori vero, & ex ipſo ſolenni facto, altioris inſtituti atque ordinationis diuinæ lege niti videatur, vt omnino tam operoſe concinnata corpora non propter breuem & euanidum ſed potius diuturnum vſum & effectum exſiſtant; quemadmodum etiam ipſa prima productio illorum corporum, antequam vſus ſuos ſpecialiores aſſequi idonea fiant, non niſi longi *temporis* mora & ſucceſſibus *diuturnis* nititur & abſoluitur: Propterea neceſſaria vtique eſt poſitiua actualis *conſeruatio*; & quidem, rebus ita conſtitutis, re vera *externa*, & ab *alio* principio, quam hoc quocunque, ſiue *materiæ*, ſiue *conſiſtentiæ atque ſtructuræ* eius habitu, dependens: tanto magis, cum huic harum rerum habitui etiam contraria & *oppoſita* ſit.

Formalis ratio vitæ.

Quia corpus ſumme corruptibile, neceſſaria eſt eius conſeruatio.

§. XXXI. Inuoluit autem hæc *conſeruatio* primo atque principaliter integritatem huius habitus *materialis*; vt nempe corpus nec in ſui *materia*, nec in efformata inde *conſiſtentia*, *textura atque ſtructura* vllatenus mutetur; ſed quam maxime tale, quale per hunc *materialem* habitum eſt, imo, ſecundum dicta, propter ſuos *fines* eſſe etiam *debet*, *tale* omnino ſimpliciter maneat, relinquatur, quin exquiſite ſeruetur,

Hæc conſeruatio requirit tale ſubiectum & obiectum, quod corruptibile eſt.

uetur, & ſi quid illi decedit, aut ab ipſis primis initiis adhuc paſſim deeſt, etiam *ita*, & non *aliter*, *tali* ipſo, vno, eodem habitu ſuppleatur atque reſtituatur. Nempe vno verbo, *corruptibilis* ille habitus *talis & non alius* verum & adæquatum eſt *conſeruationis* huius *ſubiectum*, & certo reſpectu etiam *obiectum*: quamuis curioſiore magis æſtimatione verius euentus actualis corruptionis præoccupatio atque prohibitio pro *obiecto* conſtitui mereatur.

Adparens contradictio remouetur.

§. XXXII. Hæc *conſeruatio* cum non ſolum a priori, *ne* corruptio *fiat*, ſed etiam a poſteriori, vt corruptum *reſarciatur*, neceſſaria æque & actu efficax a nobis, per modo proxime dicta, celebrata ſit, ne videatur contradictione qualicunque implicari, dum videlicet memoratur inſtituta imo efficax eſſe ad *auertendam* corruptionem, imo ad hunc ſcopum & vſum neceſſaria; & tamen ſimul indicatur, quod ſub qualicunque eius concurſu nihilo minus corruptio fiat, quæ proinde nutritiuo-vitali actu *reſarcienda* & materialiter *ſupplenda* veniat; imo præterea diſerte etiam enunciatum a nobis ſit in proxime præcedentibus, quod ipſa actio hæc vitalis illam corruptionem, quam ita poſtea *reſarcire* tenetur, etiam ipſamet quadantenus *efficiat*, aut certe magis promoueat quam impediat: neceſſarium proinde erit hanc ipſam quoque rem e veris ſuis fundamentis eruere, atque clariori luci ſiſtere.

Corruptibilitas illa eſt putredinoſa, cui mox occurrendum eſt.

§. XXXIII. Sciendum itaque omni modo, quod *corruptibilitas* illa ſpecialiſſima, cui ſimpliciter atque directe expoſita eſt mixtio *viuentium* corporum, cui *vitalis actionis* interuentu atque energia occurrere atque reſiſtere ita neceſſarium eſt, ſit *ſimplex*, nuda atque directa PVTREFACTIO. Hæc cum non ſolum vera, ſed etiam ſumma atque efficaciſſima ſit ſpecies *fermentationis*, quæ præſentaneo ſucceſſu, breuiſſimo tempore latiſſime ſe diffundat atque ſerpat: propterea adeo neceſſe eſt, *præoccupando* ipſi occurrere, vt niſi hoc fiat, ſed vires, ſpatium acquirat, imo vero materiæ plexum copioſiorem ſemel occupauerit ipſe huius corruptionis effectus, irritum in poſterum ſit, & per ſtatas leges methodi huius vitalis etiam impoſſibile, damnum hoc iam actu ſuſceptum poſtliminio iterum depellere, & *poſitiue corrigere*; ſed abſolute nihil aliud ſuperſit auxilii, niſi illud vnicum, vt in locum ita corrupti, *ablata* omnino a reliqua viua parte iſta ita corrupta portione, ſimpliciter poſitiua noua *reſtitutio* peragatur atque præſtetur.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Circa hanc præſtationem autem, inprimis in *humana* viuentium ſpecie præ omnibus reliquis quæ notæ ſunt, occurrunt circumſtantiæ quædam exquiſitiſſima obſeruatione æque atque conſideratione omnino quam digniſſimæ; eo magis, quoniam inprimis *rationi*, quantumlibet vacillanti, atque circa præſens magis *trepidanti* quam futuris demum inuigilanti euidentius inniti videtur: vnde apud alia animalia minime pares huius rei, ad minimum non tam promti atque perpetui ſunt euentus.

In homine peculiare quid obſeruatur circa præoccupationem putredinis.

§. XXXV. Conſiſtit autem in eo, quod, coorta ſemel & vere in actum deducta huius ſpeciei corruptione in parte aliqua ſeu loco corporis, ipſi illi actus *vitales refugiant* quaſi, i. e. non ſufficienter amplius protendantur atque continuentur ad & per partem ita affectam, imo quod plus eſt, ne quidem vsque ad verum *ambitum* ſolum illius partis, cui actualis hæc corruptio iam innidulata eſt, ſed longius atque longius, propemodum per momenta circa ambitum eius deſtituantur. Vnde fit, vt omiſſa hac prophylaxi, adeoque *ſibi* directe *relicta* materia illa corporea, imo potius illis cauſſis, quæ in eandem directum ius & energiam corruptiuam habent, ita deſtituta atque permiſſa, etiam ſubeat illam diſſolutionis, ſiue vti nos per æſtimationem appellamus, *corruptionis* ſpeciem, cui ita directe & ſimpliciter *ex ſe* quadrat: adeoque procedente ita dicto modo deſertione illa *conſeruationis*, energia vero *cauſſarum* perpetuo præſentium, & *materiæ* receptiuitate iam vere ſincera, & ſibi ſimpliciter reddita, nihil aliud vtique ſequitur, quam ad *cauſſas* habiles promtus etiam *effectus*. Cum vero non ſolum a priori ex ipſa rei natura certum, ſed etiam a poſteriori ipſis exemplis firmum atque ratum ſit, quod hæc talis tam promta & tam lata per partes etiam vere adhuc ſanas diffuſio huius corruptelæ auerruncari poſſet, ſi modo *agens* illud *vitale* officium ſuum ſeu *actionem* ſuam ſolitam facere continuaret; dico diſertius, non ſimpliciter & directe deſtitueret a priori, nulla adhuc vera a poſteriori corruptionis continuatione actuali in illis locis prohibente: apparet hinc abunde agentis huius directa culpa & defectus in agendo *a priori*.

Fuga & defectus agentis in reſiſtendo.

§. XXXVI. Iam ſi conſideratio vere ordinata atque circumſpecta inſtituatur, quam ob rem hæc *vitalis* actio deſinat in huiusmodi caſu, ſeu verius *deſeratur*, & quidem in parte etiam adhuc omnino incorrupta atque ſana? certe in conſtitutione illius ſimpliciter *materiali*, ſub qualicunque reliquo vicinæ portionis ſtatu, culpa directe hærere non poteſt, quod tam *a priori*, quam *a poſteriori* intelligi poteſt. A priori,

Culpa huius deſertionis in materiali conſtitutione hærere non poteſt.

quia in illa parte, quæ vere adhuc incorrupta atque ſana eſt, eo ipſo vtique nihil noui ineſt, quamobrem aliud quidquam in illa etiam agi debeat, quam alias ordinarie agitur. Quod enim *corruptibilitatem impendentem* attinet, certe illud τὸ *impendens*, quatenus tale, nihil adhuc eſt *materiale*.

Neque corruptio in altera parte vicinam phyſice ad eandem diſponere poteſt.

§. XXXVII. *Diſpoſitio* autem ad talem euentum & effectum vtique in ipſo quam maxime florido & athletice *ſano* corpore materialiter nullo momento eſt minor, quamdiu actualis *ſphaceloſa* corruptio a toto corpore abeſt quam longiſſime: vt adeo etiam coorta eius alicubi præſentia, *phyſice* diſpoſitionem illam in reliquo ambientium partium latifundio, iterum dico, *diſpoſitionem* augere minime poſſit, cum illa ſemper ſit ſumma. Neque vero etiam *actus corruptionis* in aliqua tali portione ita cœptus *directe & ſimpliciter* hic aliquid detrahere poteſt actui *conſeruationis* in portione adhuc *incorrupta*. Cum enim hic *conſeruatorius* actus perpetuo opponatur, imo vero efficaciter etiam reſiſtat actui *corruptionis*: nulla vsquam hic ſubeſt proinde *phyſica* diuerſitas, ſiue in vicina portione actus talis corruptionis iam vere præſto ſit, ſiue minus.

Actus enim corruptionis, nullam phyſicam diuerſitatem facit.

§. XXXVIII. Quod, vt propter diſtinctionum minus peritos aut compotes, (quales profecto in medica ſchola etiam in variis ſubſelliis complures obuerſari non certius ſolum eſt, quam expedit, ſed etiam notius) adhuc ſimplicius diluceſcat, nec aliqua perplexitas & implicatio oriatur, quaſi in his caſibus, de quibus nobis ſermo eſt, actualis corruptio alicubi iam cœpta *phyſicam* diuerſitatem faciat: ſciendum quod alia ſit res, quando corpus ſimpliciter & abſolute adhuc liberum eſt ab omni corruptionis actu, adeoque methodo illa *conſeruatoria*, quam *præoccupando* maxime efficaciam ſuam præſtare aliquoties iam innuimus, ita auerti poſſit, antequam oriatur; alia vero, quando iam orta eſt, viget, imo perfecta eſt, &c.

Nec actui conſeruationis præiudicium adferre poteſt.

§. XXXIX. Hic aduertendus eſt animus ad expreſſionem noſtram, conſonam omnino ipſi veritati rei. Dum enim dicimus, quod actus corruptionis nihil præiudicii afferat *directe* ipſi actui conſeruationis, non dicimus hoc de vno eodemque ſubiecto, de vna *eademque portione* corporis. Sed determinamus manifeſto *diuerſas* plane *portiones*. Nempe aliam actu corruptionis iam vere affectam, aliam vero tantum *vicinam*, ambientem, *contiguam*, imo ſano ſenſu etiam continuam, ab illo actu corruptionis vero omnino adhuc *liberam*, atque *ſanam*. Quo intuitu a quacunque alia etiam longiſſime diſſita *phyſice* ſimpli-

ſimpliciter nihil differt; adeoque eo ipſo, quod adhuc integra eſt, non alio quam *præoccupatorio* conſeruandi modo indiget, quo vniuerſum corpus per quaslibet ſuas dimenſiones atque portiones reliquas æqualiter recte atque efficaciter conſeruatur.

§. XL. Alia vero, imo omni reſpectu atque ſenſu vere *contraria* eſt conditio illius portionis, quæ actu huiusmodi *corruptionis* iam realiter correpta eſt; illam enim facere, vt non corrupta ſit, dum corrupta eſt, non tantum omni modo contradictorium & impoſſibile eſt; ſed etiam alterum, quamuis non contradictorium, tamen per phyſicas hactenus *leges œconomiæ* vniuerſæ viuentium impoſſibile, vt hoc ipſum, quod actu corruptionis obſeſſum eſt, aut potius corruptione actu obſeſſum eſt, ab illa corruptione vel in totum reſtituatur, vel in tantum ſolum, vt aliquid *eius, quod actu corruptum fuit*, vere *conſeruetur*, vt legitima corporis pars eſſe & manere poſſit. Quamlibet enim in *ſuppurationis* actu liber ſucceſſus ſimplicis *corruptionis*, omnino per concurſum actus conſeruationis vitalis ita *interuertatur*, ne illa ſimplex *putredinoſæ* corruptionis ſpecies inde exeat, quæ iam, vti vulgo loquuntur, *in fieri* hic ſubeſt: minime tamen hoc ipſo *genus*, imo vere *ſubalterna ſpecies* corruptionis auertitur; talis inquam *corruptionis* ſpecies, quæ materiam ita a ſe mutatam a vera craſi corporis, qualis ipſi debetur, re vera ita alienam reddit, vt in ipſo manere nullatenus poſſit, ſed ab illo abſolute reiicienda atque depellenda ſit. Pars iam corrupta non amplius poteſt conſeruari.

§. XLI. Qui vero fiat, vt, obtingente ita alicubi ipſo putredinis actu, etiam per viciniam adhuc ſanam conſeruatorius ille *actus deſeratur*, quo omnis ſucceſſus ſeu *progreſſus corruptionis* illius actualis & poterat inhiberi & debebat; & quidem, quod iterum iterumque maxime notandum eſt, *in nulla vsquam animalium ſpecie æque facile atque ſolenniter, vt in homine*: illud non alii rei veriſimilius, imo puto euidentius tribuendum cenſeo, quam *principii* illius actiui *vitalis* ſeu *viuifici* in homine, nempe animæ *rationalitati;* ſed tali, qualis eſt, non qualis eſſe debebat, & fingi verius quam ſupponi ſolet. Eſt autem non *recta*, *ſimplex*, *directa*, & vt vulgo loquuntur, ſimpliciter *ſana;* ſed *corrupta*, *vaga*, *præceps*, & ad concluſiones intempeſtiuas *præpropera*, *πολυπράγμων* (multa & varia affectans, nihil autem vnum exquiſite atque preſſe ſine ambagibus & euagationibus exſequens) inprimis magis *ſpeculabunda* quam *penſitabunda*, aut ſedata methodo *conſultabunda*, *præuidere* magis futura, quam illis *prouidere* curioſa: ad impræuiſa iam *trepida*, iam *impatiens*, vtrinque *inordinata*, *inconſtans*, Culpa huius deſertionis in animæ rationalitatem corruptam & præcipitem reiicitur.

ſtans, præpoſtere neglectis *mediis* decentibus ad *finem* feſtinans. Cum in aliis animalibus magis preſſe & ſimpliciter *ſingulis* rebus, & quidem ſimpliciſſime vt in *ſenſus* impingunt, *directe* inſiſtat, easque ſimplici tali modo, qui *ſenſuali* illi præſentationi reſpondet, proſequatur paribus ſimplicibus concluſionibus, earumque directis exſecutionibus. Quam rem etiam tractaui in diſſertatione *de frequentia morborum in homine præ brutis.*

Ex quibus cauſſis rationi magis conſonum ſit energiam vitalem omittere quam proſequi.

§. XLII. Cum itaque vniuerſus actus *vitalis* indeſinente illa ſua *continuitate* & exquiſite, quam diu non vehementer perturbatur, *ordinato* ſucceſſu inſeruiat perpetuæ *præoccupationi* corruptionum, ſiue ſubtractioni illarum portionum materiæ, quæ quidem nondum actu corruptionem expertæ, interim in *proxima potentia* ad illam conſtitutæ occurrunt; adeoque tota intentio atque deſtinatio in hoc occupata ſit, hoc perpetuo in *propoſito*, *conſilio*, imo actu etiam ipſo fit, *agitetur*, *exerceatur*, vt omnes *occaſiones*, omnia *initia* huius corruptionis vigilanter atque alacriter actibus intentis abigantur, ne vsquam *ſimpliciter*, *libere*, minime omnium autem *affatim* & *confertim* in effectum deducantur: certe rationi etiam mediocriter adhuc ordinatæ ac tranquillæ conſonum eſt, ſicubi corruptio illa, tanto *ſtudio*, tam vigili atque conſtanti *intentione*, tam operoſa atque diffuſiſſimæ adminiſtrationis *inuentione indeſinenter* arcenda, nihilo ſecius aduerſus has omnes deſtinationes atque operationes, præſertim, vti communiter fieri ſolet, a *violento impetu* irruit, & præterea *multiplicatiua* ſeu late impulſiua *præcipitem* admodum ſuam actionem *languidiori* illi, & veluti otioſiori *vitali* methodo *ordinariæ* obiicit: conſonum tunc, inquam, vel etiam adhuc mediocriter tranquillæ atque ordinatæ rationi eſt, (*turbulentiori* autem vndique adæquatum) vt *trepidatio*, *metus*, *abhorreſcentia* totius intentionis *ad agendum*, ne dum trepida *perturbatio in agendo* ita oriatur. Imo, cum illius portionis, quæ corruptione actu iam occupata eſt, re vera abſolute *deſperata ſit* conſeruatio, interim difficilis, quantumlibet ſanæ rationi, ita ἀπὸ μηχανῆς amiſſæ portionis nuda, *ſimplex*, & penitus indifferens atque ἀπαθὴς *obliuio*: non ita abſolute irrationalis coorietur *deſperabunda* talis *formido*, quod etiam in partibus proxime continuis deſperata futura ſit aduerſus *agiliſſimum corruptionis* actum *ſegnioris* ſimplicis vitalis actionis ἐνέργεια. Vnde illam omittere quam proſequi etiam abſolute-ſanæ rationi ſimpliciter conſonum magis ſit. Cum enim ratio ſemper ad *concluſionem*, & in *actionibus* ordinandis ad *ſcopum atque finem* reſpiciat, in tali caſu, vbi, licet falſa in

ſe

ſe tamen *pro vera* ſupponitur ſeu præmittitur impoſſibilitas illa in ſolidum *reſiſtendi* ſeu *finem* aſſequendi: iuſta & æqua vndiquaque omnino eſt *concluſio*, quod *negato fine* etiam abſtinendum ſit a *mediis*, ad illum finem *ſimpliciter & vnice* pertinentibus. Quid? quod minime falſa atque ſolum ſuppoſititia ſed omnino *vera* ſit res, quod huiusmodi *actualis validæ* corruptionis progreſſui *nuda atque ſimplici ordinaria methodo vitali*, eiusque ſimplici illa ſ. n. *menſura* veriſſime non poſſit ſatisfieri, & *conſeruatio* ſufficiens aduerſus ita *extraordinarium* actualem inſultum ſimpliciter *ordinaria* methodo, & inprimis *menſura* eius ſimplici ordinaria non ſufficienter reſiſtere &c.

§. XLIII. Confirmatur autem totum hoc negotium tanto magis *a poſteriori*, nempe quod *vitalis* ille actus, ſi ſolum *decenter & proportione conueniente* continuetur, etiam actuali corruptioni omnino iam vigenti, & portionem aliquam omnino poſſidenti, nedum ſimplicius adhuc gliſcenti, & parua ſolum initia concipienti omnino efficaciter atque ſufficienter circumcirca reſiſtere & *ſatisfacere* poſſit, exemplis ipſius *ſphaceli* per conuenientia ſubſidia *medico - chirurgica* iterum compreſſi, & *ſuppurationis* etiam directe ſimplicioris. Sicut enim in *ſuppuratione ſimplici* totus motus, aditus atque tranſitus ſanguinis (*actus* ille inflammatorius) vere *vitalis* eſt, & ſimpliciter ad *conſeruationem* vitalem atque *corruptionis* ſinceræ atque *libere - putridæ* amolitionem vt in ſe quadrans & idoneus; ita in tali conſtitutione etiam ſimpliciter & abſolute *neceſſarius*, adeoque euidenter magis, quam ſolum probabiliter, *deſtinatus* ad hunc finem, & ad illum poſitiue ſuſceptus atque proportionibus iuſtis directus. Ita etiam in ipſa corruptione putrida, quam vulgo *ſphacelum* vocant, ſimiliter *nulla* vsquam *alia* eſt (hæc vero omnino *ſalutaris*, *vitalis* methodus, qua *ſphacelus* ab ambientibus proxime partibus excludatur, & liber eius atque ſincerus progreſſus arceatur,) quam huius corruptionis talis *modificatio*, vt loco ſimplicis *putredinis* conuerſio in pus perficiatur. Et hoc quidem generaliter *methodo* pure *vitali*, nempe *ſecretoria* atque *excretoria*. Sed ſubſiſtimus hic, ne præter inſtituti rationem nimium in hæc *ſpecialiora* excurramus.

Suppuratio ſimplex & ſphacelus ad dictorum confirmationem adlegantur.

§. XLIV. Sufficit e dictis illud præcipue adſumere, quod hæc prima omnium & præcipua ſit illa corruptio *putredinoſa*, cui non ſolum vt *ſimpliciori* atque magis directæ, ſed etiam vt *grauiori*, magis efficaci & inprimis *repentinæ* atque præcipiti etiam *directe, vigilanter &* ante omnia *tempeſtiue* reſiſtere vtique omnis ſana *ratio* non ſuadeat

Secundum indolem corruptionis inſtituitur etiam actio & reſiſtentia vitalis.

 magis,

magis, quam exigat, imo vrgeat. Interim aliis corruptionis ſpeciebus *minus velociter* actiuis *tranquille* etiam atque longe pulchrius ordinate occurrit atque ſuccurrit ipſa actio *vitalis*. Non iam dicam de eo, quod corruptionem *in genere* ſeu abſolute etiam propterea minus anxie ferre poſſit *principium* illud actiuum *vitale*, ſi cenſeatur qualemcunque γνῶσιν habere ſuæ electionis, qua materias conuenientes pro corporis ſui mixtione & ſtructura, vſibus eius futuris conueniente, eligit atque coagmentat: vnde adeo etiam ineuitabilis *corruptibilitatis in genere* talem γνῶσιν habere intelligi poſſit, vt etiam huius *genericæ* corruptibilitatis ſimpliciter nullo *faſtidio* aut ſolemni *metu* tangatur: tanto magis cum habeat, quo illi proportionate & *occurrat & ſuccurrat* &c. atque adeo hic quadret illud, quod vulgo dicitur, *qui vult finem*, *vult etiam media* &c. Dicam ſolum de re ipſa vt in ſe eſt, quod inprimis *ſanguis* vti non poteſt non *ſumme corruptibilis* eſſe, ita etiam non poſſit non tandem ab hac potentia corruptionis ad aliquem actum eius deuolui. De modo ſolum vario valet tandem ſpecialior illa proportio, quod, *quo ſegnior atque moderatior* huius *corruptionis* eſt indoles & progreſſus, eo etiam propior imo *proximior* ſit indoli totius *methodi* actionis *vitalis conſeruatoriæ*, adeoque & illi ſine peculiaribus anomaliis tam *intentionis* quam *exſecutionis* ſeu inuentionis tanto promtius obſequatur.

Segnior corruptio in ſanguine per motum inteſtinum.

§. XLV. Huiusmodi ſegnioris corruptionis prima atque primaria ſpecies eſt illa, qua, inprimis in viuentibus animalibus *ſanguigeris*, ipſe *ſanguis* ſucceſſiue fatiſcit. Quando nempe perpetuo illo *inteſtino* ſui motu, & inprimis quidem in *calidis* animalibus citatiore, atque *pinguem* ſanguineæ mixitionis portionem acrius exagitante, ſenſim auulſio non ſolum vnius portionis ab altera euenit, ſed etiam aliquarum ſingularum adhuc vlterior *diuulſio*: vnde maior tenuitas & conſequenter etiam maior mobilitas, ſucceſſiue etiam pro *inſtrumento* vlterius diffundendæ ſeu communicandæ huiusmodi nimiæ commotionis ſeruitura atque ceſſura, niſi ipſius *vitalis* actus proportionata methodus ſubueniret. Hæc ipſa vero *methodus* generalius conſiſtit in ita *alteratæ ſ. corruptæ* partis *exterminatione;* cæterum ne, qualitate licet ſalua, reſidui ſanguinis *quantitas* deficiat, huius *quantitatis*, quæ ita deperdita eſt, etiam reſtitutione ſiue ſuppletione.

Indicata ita formali vitæ ratione explicatio de ae-

§. XLVI. Ita ſatis patere poteſt, quænam ſit illa *formalis ratio* VITAE CORPOREAE, ſiue proprietatis illius digniſſimæ, qua corpora, quæ VIVA dicuntur, ſimpliciter MIXTA ſuperant & antecellunt.

ſunt. Vbi tamen, ſuperpondii loco, adhuc adiicere placet breuem explicationem de acceptione VITAE, quatenus ſimpliciter *mixtioni*, & *viui*, quatenus *mixto* opponitur, nempe vitæ *corporeæ* ſeu *de corpore* dictæ. Vulgo aiunt, etiam notiora, tamen non incommode doceri & inculcari propter iuniores; ego, quod ipſe iunior non credideram, multiplici experientia edoctus ſum, quod multa talia neceſſe ſit intentis plane digitis monſtrare, etiam propter minime iuniores, certe annis ad minimum non amplius, licet intellectu atque ſcientia tales. ceptione vitæ corporeæ adiicitur.

§. XLVII. Nempe, cum vera *definitio* vitæ nusquam condigne tradita occurrat, *diuiſio* etiam eius graues adhuc & perplexas implicationes paſſim peperit, imo fouet; dum videlicet habitus eius ad *ſubiectum*, cui ineſſe dicitur, non decenter attenditur. E quo defectu, cum homines ſimpliciter neceſſe habeamus, cognitionem rerum a poſteriori ſolum aucupari, & in ordine cognoſcendi re vera a ſpeciebus ad genus progredi, etiam coorta eſt inopia veri *generici* conceptus de vita, prout illa de diuerſis ſubiectis vulgo dicitur. Verus vitæ conceptus adhuc deficit.

§. XLVIII. Sunt autem re vera ſolenniſſima acceptione recepta non niſi *tria ſubiecta*, de quibus vita proprie dici ſolet. I. DEVS. II. Anima. III. Corpus. De *Deo* & *Anima* vix vllum eſt dubium, quin prudenter penſitata vitæ acceptio nihil aliud deſignet, quam *generice* quidem, & *metaphyſice-materialiter*, *actiuitatem*: *ſpecifice* vero, quatenus ab actiuitate ſimpliciter accepta aut ſuppoſita diſtingui poſſit, ſiue hoc ſenſu formaliter, actiuitatem circa *affectiones corporum* imo in *corpora*. Imo vero ſimillime adhuc ſtrictius, actiuitatem in & circa res & affectiones *corporeas*; harum inprimis *conſeruatiuam*, *reſtauratiuam*. Tria ſubiecta, de quibus vita proprie dicitur.

§. XLIX. Certe enim vbi in ipſis ſacris literis de ipſo *creationis* actu dicitur, quod homo factus ſit *anima viuens*, ſub illo rerum geſtarum articulo maxime hoc enunciatur, vbi memoratur infuſio animæ humanæ *in corpus* facta fuiſſe. Imo, cum ipſa verborum expreſſio in commemoratione huius rei ita poſita ſit, vt interpretes latini illam reddendam cenſeant: *factus eſt homo in animam viuentem*; nempe in id propterea, *vt viua ſit*: certe non abludit expreſſio a tali acceptione, quod homo factus ſit anima *viuifica*, nempe quæ *actum* vitæ *corporis conſeruatorium* exerceat, & *in corpore*, *per corpus* affectiones *corporeas*, actiones diuinæ ſapientiæ circa affectiones *corporeas* agat, agitet, ſectetur, recolat, æſtimet, & inter hæc verſetur. Verba ſcripturæ: factus eſt homo in animam viuentem explicantur;

§. L.

Euitanda eſt confuſio inter vitam hominis & vitam corporis.

§. L. Scio non eſſe operæ pretium, omnes implicationes perplexæ mentis humanæ, maxime ad errandum præcipitis, in vitam retrahere velle; vnde tempus perdere non placet in eiusmodi irritis παρεξηγήσεις corrigendis, quæ in omnia propemodum offendunt: ſed ſufficit vel obiter monere, ne quis alius, communium ſtudiorum, quæ *philoſophica* vocant, pariter imperitus, in eandem foueam cadat. Nempe euitari vtique debet alieniſſimarum illarum acceptionum ludibrium, qua *vita hominis* confunditur cum vita *corporis*: & vita corporis, cum *actione per inſtrumentum.*

Hominis ſeu animæ humanæ vita in quo conſiſtat.

§. LI. Cum enim homo proprie ſit *anima*, corpus autem vniuerſum nihil niſi *officina* eius; interim non ſolum huius officinæ *materialitati*, ſed etiam *obiectorum* ſuorum inhæſioni *in materiis*, nempe *affectionibus* materiæ addicta ſit hæc anima: vtique hominis, id eſt *animæ humanæ vita* conſiſtit non ſimpliciter & *in genere* in *actione*; ſed ſpecifice in actione *in corpore*, *per* corpus, *in & circa* res corporeas, & *in corpus* etiam ſuum *proprium.* (Phyſico nempe conceptu, quantum vere & euidenter de illa percipimus: quod quidem ipſos maxime Phyſicos paſſim præteruidere, dubito dolendum magis, an ridendum ſit.)

Corpus animæ inſtrumentum.

§. LII. Cum autem corpus hoc, *per quod* agit anima ſeu homo, ſimpliciter ſe habeat vt *inſtrumentum; inſtrumenti* autem alia ſit conſtitutio *materialis*, alia *ratio formalis:* certe diuerſos etiam vtriusque huius reſpectus eſſe, nulla rationalis anima neſciuerit. Cum autem omnis actio, quam anima *per* corpus exercet, ſit *organica*, ſeu corpus in ordine ad animam ſit ſimplex *inſtrumentum;* inauditum vero & ſine omni exemplo ſit, *actionem* cauſæ ſuperioris *in inſtrumentum*, ſiue *actuationem* vulgo dictam *inſtrumenti* ab vlla vnquam ſchola VITAE nomine appellatam fuiſſe: nemo vtique ita ceſpitabit in perplexa loquendi formula, *corpus organicum*, in ſermone de *vita.*

Vita corporis organici.

§. LIII. Cum enim κυρίως ſimpliciſſima ſit diuerſitas hæc, *corporis*, & *organici;* quilibet inde ſimpliciſſime etiam quaſi ipſo craſſo ſenſu comprehendit, quod diuerſa ſit ratio *corporis* ſeorſim, quatenus *non organicum*, id eſt non *in ipſo actu* organicum eſt; aliam autem conſiderationem deberi *organico*, quando, quamdiu, imo potius breuiter & *formaliter*, QVATENVS organice *actuatur.* Vnde nunquam homini errandi occaſionem præbebit nedum materiam formula loquendi: *vita corporis organici.* Niſi enim accipiat: *vita corporis*, QVOD *eſt organicum*, accipiendum erit: *vita corpois* QVATENVS *eſt organicum;* quam

quam locutionem ſciunt adoleſcentuli in ſubſelliis ſcholarum claſſicarum æquipollere locutioni: *vita organi* ſeu *inſtrumenti*, quod eſt corporeum. Hoc autem ſignificatu prodit inaudita illa *vita inſtrumenti* pro *actuatione* inſtrumenti, ſeu tranſitorio actu cauſſæ ſuperioris *per* inſtrumentum in quodlibet obiectum. Sed faſtidium certe eſt, his rebus immorari, quarum iudices e ſcholarum ſcamnis peti debent.

§. LIV. Neque minus de ipſo DEO vix vllum vsquam eſt dubium, nullo alio reſpectu quaſi propiore dici prædicatum *viui*, niſi duplici illo reſpectu, partim quod ipſe *duret* atque ceſſationis ſit expers; partim quod omnium a ſe creatarum rerum *durationem* atque perennitatem ipſe *præſtet*: quod etiam diſerte eloquitur D. Paulus, quod *in ipſo viuamus, moueamur atque ſimus*. Eiusdem ſenſus eſſe videtur illa loquendi formula, in veteri Teſtamento ita familiariter obuia: *viuit Deus, & viuit anima tua*; it. *viuit Dominus meus Rex* &c. quæ loquendi formulæ aperte non magis *affirmatiuæ*, quam vere *optatiuæ* ſunt, nempe ſignificantes: *velit Deus, vitæ Dominus atque fons, vt anima tua viuat, vt Dominus meus viuat*, & prolixe atque per longum tempus, aut poſt longum tempus veritatem aſſerti mei firmam, conſtantem, luculentam deprehendat, & vel vlciſci me, ſi fallax inueniar, vel diu mihi propitius eſſe poſſit &c.

Vita quo reſpectu de Deo prædicetur.

§. LV. Ita etiam quoquo modo recepta acceptio vniuerſalis *vitæ* atque *viui* perpetuo inuoluit euidentem aliquam *actiuitatem*, imo potius *actionem in* rebus corporeis, vel vere vel apparenter *inexſiſtentem* imo *immanentem*: non *tranſitoriam*, neque tam diu, quamdiu ineſſe agnoſcitur, penitus ab omni actu *ceſſantem*. Hæc de *vita* magis *in genere* ſumta aut intellecta, imo hoc ipſo in ſtatu magis *abſoluto*. In ſtatu vero *reſpectiuo* & in ordine *ad corpora*, imo in habitu *corporum* ad ipſam *vitam*, alia vt que mutui habitus æſtimatio inſtitui debet. Nempe non ſolum in genere conſiderandus ibi eſt aut inueſtigandus habitus vitæ *ad* corpus, ſed omnino *reciproce*, habitus *corporis ad vitam*. Ex hac enim demum comparatione reſultat & emicat magis *ſpecifica atque formalis* ratio tam vitæ, quam corporis ad vitam. Huic conſiderationi fauet vnice conſideratio corporis, *ſeparatim a vita* ſua ſpectati: & ex aduerſo *cum vita ſua* concreti, vita inquam illa *ſua* affecti.

Vita abſolute accepta quid inuoluat; & reſpectiue conſiderata quid doceat.

§. LVI. Hæc eſt illa & *vera* & *vnica* via, rationaliter percipiendi atque ſolide intelligendi & veram *exſiſtentiam* VITAE CORPORALIS, & veram *eſſentiam*: id eſt, tum quod re vera exſiſtat aliqua realis *ſingularis conſtitutio* in certis *corporum* generibus, ſecundum quam

Veram nempe exſiſtentiam, & eſſentiam vitæ corporis.

 illa

illa a *corporibus* non ita affectis exquiſitiſſime differant: tum, *qualisnam* illa ſit conſtitutio *in* ipſis *corporibus*, qua dum affecta ſunt ita eximie differant ab aliis non ita affectis: & reciproce, qualis nam ſit illa conditio, quæ hanc peculiarem certam differentem conſtitutionem illis corporibus ita *inferat*.

Vita ſi tantum in genere & ſimpliciter conſideratur nugæ ſunt.

§. LVII. Ita diſtincte ſi inſtituitur harum rerum æſtimatio atque comparatio, non poteſt fieri, quin dilucide comprehendatur, quanto alius ſit reſpectus atque habitus *vitæ*, quatenus *de corpore* aut *in ordine ad corpus* dicitur, vitæ *corporalis*; & corporis, quatenus de illo dicitur vita, quod illam habeat ſeu *viuat*: & e diuerſo, cuiuscunque alterius *acceptionis*, *conſiderationis*, imo ſubinde verius *opinionis* atque fictionis *de vita*, quocunque tandem alio modo explicanda. Vbi conceptus illi de *corporis vita* in *vnione animæ* ſimpliciter cum corpore, imo *actione* eius *ſimpliciter* & in genere, ne dum *actiuitate* tantum in corpore; imo de ſimplici, immediata, & abſoluta eius actiuitate aut *actione in genere* in ipſum corpus, ab illa vnione immediate pendente, profecto vndique & ſimpliciter nihil aliud ſunt, niſi meræ chimeræ, & vmbratiles aut ad ſummum ſuperficiariæ nugæ.

Vitæ & corporis vt viui conſtitutio non habet vſum medicum ſed phyſicum.

§. LVIII. Ita ſpero imo confido, abunde a me ſatisfactum eſſe quæſtioni, quidnam *formaliter* ſit VITA CORPORIS. Interim tota adhuc ſterilis imo vere in ſolidum inutilis eſt hæc, quantumcunque etiam exactiſſime percipiatur, indoles atque conſtitutio *vitæ* atque *corporis vt viui*, ad omnem *reſpectum* ne dum directum *vſum* MEDICVM. Ad *phyſicam* certe harum rerum ſcientiam non ſolum tota idonea eſt, ſed circa hoſce materiales & formales *reſpectus* etiam ſufficere poteſt hæc deductio, vt inde penitus intelligatur tum (1) quid ſit *corpus viuum*, & quid ſit illud, *ſecundum quod* tale eſt atque dicitur: & (2) quid ſit corpus *non viuum*, tum alias: tum (3) quid in illo ipſo iam viuo corpore ſit *ex ſe & per ſe* non ſolum a vita *alienum*, ſed illi etiam *contrarium*: licet (4) non tam propria aliqua actiuitate, ſiue, vti vulgus ſomniat, *reſiſtentia*; ſed nuda proportione *patibili* ad alias valde efficaces cauſſas: quæ ipſi non minus quam ipſum vitalis *actiuitatis principium inſint*, ad minimum certe præſentiſſime & immediate *adſint* & incumbant.

In quem finem hæc deductio ſit inſtituta.

§. LIX. Dixeris: ita ne vero tam prolixo apparatu opus erat, vt *nihil* ageretur? Certe enim cum præ me feram, quid maxime ad medicinam faciat atque pertineat eruere atque demonſtrare, non modo *nihil ad rem*, ſed inſuper etiam odioſe, *aliud* egiſſe atque tempus

per

perdidiſſe putari poſſim, quod hæc a ſcopo ita aliena tam prolixe agitauerim. Sed longe maioris ponderis ſubeſt huius meæ curioſiatis atque prolixitatis ratio. Non eo loco poſitæ ſunt res artis medicæ, vt ſimpliciter illam ſtatuere, & in proprios aliquos fines, velut a centro ad circumferentiam liberam effundere ſit integrum. Eo potius redacta eſt, vt non ſolum nullum vsquam *ſuum*, ſed ne vllum quidem etiam ſolum *pro ſe* locum habeat, ſed vix precario inter alienas vſurpationes hic illic quaſi per tuguria obrepere & qualemcunque receptum acceſſorium obtinere poſſit: ita vndique, quæ ipſi deberentur, alienigenis non ſolum adſignata ſed ipſo facto occupata ſunt. Vnde profecto vt iura finium reuocari, & ita ſuæ ipſi manſiones, ditiones, atque limites vindicari poſſint, opus abſolute eſt, vt ipſe genius, ſitus atque habitus locorum illorum, in quibus hodie paſſim peregrinatur, exploretur, & quomodo ipſa in illis tam habeat quam habeatur, decenter inſpiciatur, adeoque illa ab his rebus liberata ſinceris ſuis receptibus, in quibus & e quibus res ſuas & habere ſibi, & aliis depromere acſuppeditare poſſit, reſtituatur.

§. LX. Breuiter, plus multo omnino laboris eſt in *expurgandis* e medicæ doctrinæ ambitu eiusmodi rebus, quæ arti vere *inutiles*, *otioſæ*, imo multis exemplis non ſolum ſcandalo atque *periculo*, ſed familiariter etiam *damno* ſunt; & quia audaciſſimo abuſu prorſus etiam introductæ, omnino *expugnandæ* ſunt & eiiciendæ: quam in conſtituendis ſimpliciter atque producendis illis, quæ plane diuerſo imo paſſim contrario modo ſumendæ, *habendæ & agendæ* ſint. Huic ſcopo, *medicinæ hodiernæ expurgandæ & in alienam longe formam redigendæ* abſolute & vnice neceſſario, neceſſaria etiam eſt penitior euolutio illarum rerum, quæ cum in medicina proprie nullum vſum aut locum habeant, tamen in poſſeſſione plena conſtitutæ, imo in illam etiam ſpecioſis titulis & prætextibus paſſim immiſſæ potius quam intruſæ videri geſtiunt. Vnde etiam huic ampliori deductioni ad minimum hic talis erit locus & vſus, vt ex ipſa vera eius indole decenter cognita eluceſcere poſſit conueniente loco atque tempore, quam nullus ipſi, contra vulgi clamores, in arte vera competat vſus, & quam ſterilis, imo vero ſubinde contra, plane gratuitorum periculorum atque damnorum ferax ſit eius abuſus. Medicina expurganda & in aliam formam redigenda eſt.

§. LXI. Progredimur itaque ad deductionem atque demonſtrationem prorſus alterius commatis, de qua non vltimo ſed merito potius primo loco præmoneri meretur duplex ingens paradoxon, „I. quod hæc demonſtratio ad artem medicam adeo exquiſite pertineat, Progreſſus ad aliam demonſtrationem de cauſſa inſtru-

 „vt

mentali conſeruationis corporis.

„vt verum, euidentiſſimum atque firmiſſimum eius fundamentum con„ſtituat; & tamen II. pro tali, in primis in vero illo ſuo ordine & ho„nore, cum primis in hodierna ſchola medica, & nominatim quidem „practica, cuius tamen anima eſſe debuerat, vix vllum locum, in anti„qua vero certe minime ſatis dignum atque bene circumſeptum locum „inuenerit. Eſt autem hoc, quod ita demonſtrari debet, vera RATIO INSTRVMENTALIS, ſiue vt vulgo loquuntur, *modus fiendi atque agendi, vera media*, quibus illud, quod VITAM dicimus, effectus inquam ille *conſeruatorius* perpetratur.

Materiales plerumque cauſſæ vitalis conſeruationis ſupponuntur.

§. LXII. Nondum æque poſtulat locus hic, aut patitur ipſum tempus, vt de illis næniis nominatim dicamus, quæ in hoc genere ſcholas medicas paſſim perſonant; vbi pro vero vitæ medio (quanquam fere nusquam diſtincte ſiue de *formali* ſiue de *inſtrumentali* ratione, & inprimis quidem de hac, quando de *vita* mentionem iniiciunt, ſollicitos ſe exhibeant) alii, & fere communiſſime, *ſpiritus*, alii *balſamum vitale*, alii *ens aſtrale*, alii (vt *Helmontius*) *formam* quandam *ſubſtantialem*, imo *ens medium* quoddam inter materiale & immateriale &c. crepant. Nempe res eo recidit, vt omnes ſimpliciter MATERIALEM quandam *cauſſam* atque *rationem inſtrumentalem* ſupponant, quæ *præſentia* ſua, quia aliam rationem expedire non poſſunt, illud efficiat, quod quidem nominare ſed definire non poſſunt, quod *vitam* appellant.

Sed peculiari actione & quidem mechanica hæc efficacia conſeruatiua abſoluitur.

§. LXIII. Sed aliter omnino ſe habet res, dum nequaquam ita *materiali* ſed ſimpliciter *formali* influxu tota hæc res abſoluitur; nempe *actione* quadam peculiari, non tamen *innominata* forte aut *incomprehenſibili*, ſed *mechanica* prorſus, euidentiſſimæ efficaciæ: quæ, ſi ſolus *phyſicus* ad illam *habitus ſubiecti*, cui inſeruit, ſatis intelligitur, quomodo *effectum*, quem vtique præſtat, adſequatur, non poteſt ſolidum conceptum ſubterfugere. Dico quod *inſtrumentalis* illa cauſſa, qua *conſeruatio* corporis illa, quam *vitam* appellamus, adminiſtratur, quæque ſimpliciter *formali* agendi modo ad hunc effectum influere ſoleat, nihil aliud ſit, niſi *actus* quidam *mechanicus*, quo tota illa efficacia conſeruatiua ſimpliciter & directe *mechanice* abſoluatur.

Scilicet motu.

§. LXIV. Eſt enim nihil aliud quam MOTVS, quo illa heterogenea, quæ ab indole corporis non ſolum *aliena* ſunt, ſed etiam *periculum* illi minantur, perpetuis ſucceſſibus e corpore *ſemouentur* & penitus *eiiciuntur*, vt alienum quemcunque effectum corpori incutere nullo modo valeant. Neceſſarium autem omni modo eſt, vt

etiam

etiam hæc ipſa res, *efficacia* inquam *motus*, qua proprie *vitam* corpori vere *inſtrumentaliter* conciliat atque præſtat, ita vti decet, *explicite* atque diſtincte percipiatur. Eſt autem hoc tanto magis neceſſarium, quandoquidem etiam alibi paſſim occurrit *muſſitatio* illa ſeu confuſa aſſertio, *quod vita conſiſtat in motu.*

§. LXV. Nempe vti paſſim alias in medica doctrina, ita in hac etiam illius parte obſeruanda venit perplexitas illa, qua in genere quidem res agnoſcitur imo aſſeritur atque ſtatuitur, interim nullo modo euidenter confirmatur, atque ita vera redditur, vt de illa *diſtinctus* atque *firmus* aliquis conceptus formari poſſit. Sicut enim manifeſto perplexus & incertus eſt ſenſus locutionis: *conſiſtit in - -* quandoquidem ſtrictiore ſignificatu hæc loquendi formula accipienda videtur potius de *formali* rei alicuius habitu, quam alio quocunque eius reſpectu: ita nusquam tamen ſeſe ſubmittunt, qui ita loquuntur, diſerte illi aſſertioni & expreſſioni, *quod ipſe motus ſit vita*; multo minus, quod ſit *inſtrumentum* vitæ; imo vero proniores videntur in illum adſertionis huius ſenſum, quod motus ſit *effectus vitæ.* Quaſi dicerent: *vita conſiſtit in eo, vt corpori motum conciliet.* Qui ſenſus quam alienus ſit a mea acceptione *efficaciæ motus ad vitam*, imo ipſa veritate, palam vtique eſſe arbitror.

Confuſa aſſertio: vita conſiſtit in motu.

§. LXVI. Vt itaque recte & poſitiue magis innoteſcere poſſit, *qua ratione* motus *conſeruatorio* vitali negotio directe ſeruiat; ſciendum vtique eſt, quod hoc inprimis fiat *per remotionem alienorum* a reliqua debita & integra adhuc craſi ſingularum per vniuerſum corpus partium. Abſoluitur autem hæc *remotio* duplici ſucceſſu, nempe *ſemotione* ab aliis melioribus, & tandem *emotione* ſeu exterminatione ex vniuerſo corpore: vulgo appellantur *ſecretio* & *excretio.*

Secretio & excretio.

§. LXVII. Sicut enim ſatis ſimpliciter rationi manifeſtum eſt, quod ſi a reliqua *ſibi firmiter conſtante* corporis craſi atque conſiſtentia perpetuo depellatur, quicquid vel cauſſæ nomine craſin hanc lædere atque turbare poteſt; vel, ſi quid læſum in illa, adeoque decente ſua conſtitutione deſtitutum, *heterogeneum* redditum eſt, id eſt, alienum a corporis commercio, cito & *antequam latius noceat* e toto corpore cetera ſano eiiciatur: hoc inquam ſi his modis conſtanter ita perpetratur, ſimplici rationis veritati conſonum eſt, quod ita nihil deceſſurum ſit ipſarum ſingularum & vniuerſarum partium veræ *integritati*; quandoquidem *ab inæqualibus ſi auferantur quæ faciunt inæqualitatem, quæ reſtant erunt æqualia*: Ita ſi animus aduertatur ad veram

His motibus integritati corporis nihil decedit.

œconomiam corporum viuentium, (in primis in *animalibus* tanto magis, quanto præſentior eſt *corruptibilitatis* eorum ſucceſſus & energia) comparebit vtique facile, vbi libet, euidens illa non ſolum præſentia, ſed omnino etiam efficacia *ſecretionum & excretionum* tam poſitiua, quanto & in quantum fiunt, quam priuatia, ſicubi deficiunt.

Ratio inſtrumentalis organiſmi explicatur.

§. LXVIII. Confido quod ita ſimplex atque plana in genere, tam a priori quam a poſteriori, ſit harum rerum veritas, quod perpetua tempeſtiua *ſubtractio* alienorum ſimpliciſſime quadret atque ſatisfaciat *conſeruationi* domeſticorum, bonorum atque debitorum, vt nulla dubitatio locum inueniat, aut de illa *formaliter* vllum iuſtum oboriri poſſit dubium. Greſſum itaque promouere licet ad *inſtrumentalem* habitum, ſeu verius *materialem* conſtitutionem atque apparatum totius huius *organiſmi*, quanam ratione ille ad edendum ſuum effectum ſeu miniſterium procedat.

Se- & excretiones non promiſcue perficiuntur.

§. LXIX. Non ſimpliciter nempe, *immediate* & promiſcue perficiuntur neque *ſecretiones* illæ heterogeneorum, nec *excretiones*. Nihil inquam hic poteſt, vt nusquam alibi in phyſicis, *motus in ſe & abſolute* ſpectatus: non oritur ille ἀπὸ μηχανῆς, aut irruit in materiam, vt illam propellat & expellat: ſed admouetur omnino materiis illis *in machina* corporea, & attingit illas, imo exercet & agitat eas *ſub illa* corporea machina atque *per illam*. Adminiſtratur autem & applicatur materiis illis per diuerſos ſubordinatos modos atque ſucceſſus. In genere quidem tam proxime & ſimpliciter ipſis illis *materiis* ſeorſim directe *incumbens*, quæ expelli debent; ſed vniuerſæ potius illi maſſæ, quæ his materiis quam plurimum *expoſita* eſt, tum ratione *prouentus* illarum, tum ratione *effectus*: in ſpecie vero redundat vtique motus, ex illa generaliore ſui energia quaſi *progreſſiue aut ſucceſſiue*, tandem in illas materias ipſas, vt illæ a reliqua maſſa ſecedant; cooperantibus tamen hic etiam ſpecialibus talibus moderaminibus, quibus *materiales* peculiares *ſtructuræ transmiſſoriorum* organorum præſunt atque miniſtrant.

Solus motus ſanguinis non abſoluit negotium conſeruationis.

§. LXX. Eſt autem *generalior* ille *motus* ipſe ille impulſus totius maſſæ ſanguinis; quo hic perpetuo *progreſſu*, & vti appellari meretur, *circuitu* indeſinenter agitatur, quam vſitato nomine *circulationem ſanguinis* vocant. Hic totius ſanguinis motus quid magis directe reliquæ ipſius debitæ craſi atque conſiſtentiæ tribuat & conferat, intempeſtiuum eſt preſente loco ſpecialius explanare. Illud autem maxime conuenit attingere, quod *hic ſolus motus ſanguinis*, qua ſimpli-

pliciter talis, vtique *minime abſoluat negotium conſeruationis vitalis in ſanguine*, nedum toto corpore. Sicut enim a priori tota ſanguinis bonitas non abſoluitur nuda eius *fluxilitate*, ſed poſtulat tam *craſin* debitam, quam inuiolatam eius *conſtantiam* atque perennitatem: ita tantum abeſt, vt hic talis *progreſſiuus ſanguinis* motus, ſiue ad veram craſin ſeu mixtionem directe faciat, ſiue conſtantiam huius craſeos firmet, ne dum conſtituat; vt potius, plane contra, diſſolutioni huius atque deſtructioni alicui perpetrandæ idoneum ſe exhibeat; imo non *poſſit* hoc ſolum facere, ſed omnino ipſo vero effectu hoc ita faciat atque perficiat. Vt in ſpecialioribus phyſiologicis ad vſum medicum omnino idoneis latius atque dilucidius explanare ſoleo.

§. LXXI. Dum autem ſanguis vniuerſus perpetuo hoc progreſſu, ad omnes atque ſingulas corporis partes diſtribuitur, & illas perpetuo ſucceſſu præterit atque tranſit, fit certe eo ipſo, vt, vbicunque in illis partibus quidquam alienum & heterogeneum *obhæreſcit*, (*mixtionis* autem magis directe compagi detrimentum quam *ſtructuræ* machinans, adeoque *tenerum*, *ſubtile* & eo ipſo habile, vt cum ſanguinis raptu & vegeto tranſitu corripi & auferri poſſit) abripitur ita ſimul ab illo loco, vbi exſiſtit, adeoque liberatur ab eo pars talis. Dum vero ad varia paſſim tam ſecretoria quam excretoria organa perpetuis ſucceſſibus ita appellit ſeu admouetur ipſe ſanguis, obiectu horum, & vti loquuntur *receptiuitate* mobilitatis, quin potius receptiuitate *conſiſtentiæ* certorum cum ſanguine vna allabentium corpuſculorum, contingit ibi *ſeceſſus* talis ſeu ſecretio, vt reliquus equidem *ſanguis* (cuius conſiſtentiam iſti meatus penitiores, *teneriores* non admittunt) ſimplicis illius ſui progreſſus ſucceſſu hos tales meatus etiam ſimpliciter *præterlabatur*: ſi quid autem in ſanguine ſeu potius *cum ſanguine* remixtum vna appulit, cui recipiendo meatus illi proportionati exſiſtant, fit vtique facilius, vt huiusmodi materia, communi motu illi cum ſanguine incumbente & vrgente incitata, in receptacula hæc obuia impellatur & adigatur, adeoque a reliquo magis homogeneo ſanguine *ſemoueatur*. Secernendi methodus.

§. LXXII. Non incommode hodie vulgo *colationis* vocabulo exprimere ſolent hanc ſecernendi methodum ipſi phyſiologi, vt intelligatur, non abſimili ratione fieri, quam aliæ *ſeparationes* diuerſæ *conſiſtentiæ* rerum, ſub vno tamen ſchemate *fluido* comprehenſarum, exerceri ſolent; vt inprimis *tenuiores* a ſpiſſioribus hac ratione paſſim ſegregari conſueuerunt. Quæ ipſa res, vt nimirum inprimis illa, quæ *tenuitatis* diuerſa proportione ita a ſe mutuo differunt, tali *tranſcolandi* a phyſiologis colationis vocabulo exprimitur.

ope-

operatione etiam a ſe mutuo diſtrahantur, ſimpliciſſimæ proportionis mechanicæ eſt; ita valet etiam omnino, vt tales a *ſpiſſioribus* citra alias vlteriores ambages, ſimplicius ſecundum maiorem aut minorem tenuitatem conſiſtentiæ ſuæ, diuerſum illum per diuerſa colatoria ſeceſſum adipiſcantur.

Figura pororum colatoriorum.

§. LXXIII. Non fert tempus aut locus, vt plane ſpecialius has res hoc loco pertexamus; vnde neque gratuitas illas ſollicitudines taxare eſt operæ pretium, quas ἐν φρονήμασιν ἀυτῶν ματαιωθέντες hic confinxerunt, de neceſſaria meatuum colatoriorum exquiſitiſſima figura, figuræ ſingularium corpuſculorum transmittendorum appropriata: quam rem peculiari programmate *de paralogiſmo figuræ pororum colatoriorum*, etiam publice innui; vt a multis annis priuatim ad tabulam depingendo monſtraueram, ante certe quam *Pitkearnii* in eandem rem demonſtrationes editæ eſſent, nedum ad manus meas perueniſſent.

Materiæ per ſe & excretiones remouendæ ob tenuitatem & agilitatem ſunt metuendæ.

§. LXXIV. Interim illud magis generale vtique dicere non „fert magis quam poſtulat potius locus præſens atque tempus, quod vti„que pleræque illarum materiarum, quæ per has *vitales ſecretiones & „excretiones* e reliquo corpore & ipſo *ſanguine*, pro illo vitalis *conſer„uationis* ſcopo, remoueri debent, præcipue omnino ſint *tenuitate & „agilitate nimia metuendæ*; atque adeo inprimis & *actiuioris* ſeu præ„ſentioris & *penitioris* atque tenuioris *diſſolutoriæ* efficaciæ nomine pe„riculoſæ: dum interim *craſſioris* heterogeneitatis vix plus quam vna „ſpecies, ad minimum largiore prouentu, occurrit.

Præcipua organa excretoria.

§. LXXV. Breuibus & quaſi per ſummos apices tangendo, ſunt *excretoria* huiusmodi *heterogeneitatum* præcipua *organa* 1.) vniuerſa ſuperficies corporis per *cutem*, qua *tenuiſſimæ* materiæ *halituoſo-vaporoſæ*, & reliquæ quaſi ſincerius *aquoſæ* ſolenniter & *ordinarie* exterminantur 2.) *inteſtinorum* ductus, per quem *craſſiſſima* omnium, *ſpiſſa*, *mucida* recrementa corporis & humorum cum aſſumtorum furfuribus e corpore exonerantur. 3.) *Vrinariæ viæ*, per quas *ſalinæ* inprimis, ſimul parcius & fortaſſis etiam craſſius *oleagineæ*, exterminantur cum mediocriter larga etiam *aquoſitatis* quantitate. 4.) *Folliculus bilis* cum *ductu* ſuo, per quem *bilis* illa *ſincerior* immediate, per inteſtina vero deinde *mediate* cum aliis craſſioribus recrementis (quæ ipſam vt *acrem* atque *feruidam*, valde *tenuem* oleagineam & ſubtiliter ſalinam ſubſtantiam temperent, ſimul vero reciproce in ſui *lentore & inertia* illius agilitate temperentur) ita coniunctim eiicitur. Hæ ſunt *ordi-*

ordinariæ illæ ſolennes & vſitatæ viæ, quibus etiam *ordinaria* partim a conuenientibus *aſſumtis* proficiſcentia, partim ex ipſo *ſanguine* & aliis corporis portionibus *ſubnaſcentia heterogenea* perpetuis ſucceſſibus e corpore proſcripta, hoc ipſum ita *repurgatum*, *purum*, & ſibi-neceſſariis rebus *homogeneum*, ab alienis vero vindicatum atque liberatum relinquunt.

§. LXXVI. Et ita diluceſcit abunde, quonam *ordine*, motus ſimpliciter nempe *remotiſſimo*, *motus* ſeu circuitus *ſanguinis* mediato atque intermedio, ſed tamen adhucdum *remotiore*, *transcolatorius* ſiue e communi maſſa *ſecretorius* motus *propinquiore*, *excretorius* autem demum vltimo, proximo, imo *immediato* ordine, vt *inſtrumentum* ſeſe gerant, cuius miniſterio corpus, licet *corruptibile*, tamen tam a *cauſſis* quam *effectibus* corruptionum vndecunque obrepentibus vindicatur, adeoque ſibi ſuæque intemeratæ *integritati* conſtans, iugiter conſeruatur. Quo ordine motus ceu inſtrumentum corpus corruptibile conſeruent.

§. LXXVII. Ita vero omnino ſpero, luculenter conſtare & ab omni dubio liberum eſſe poſſe illud noſtrum dogma, quod *vita* " *ſeu conſeruatio corporis, in reliqua quidem ſua corruptibilitate, ſed tamen ab actu corruptionis perpetuo liberi, præſtetur & abſoluatur per* " *nudum actum mechanicum, in ſe formaliter incorporeum ſeu immaterialem, nempe motum; & quidem ſpecialiſſime, amotionem perpetuam* " *alienorum a bonis atque ſinceris, quo ipſo actu hæc ab iſtis ita expurgata* " *in propria ſui integritate ita perenniter conſeruantur.*" Et ita ſatis abunde deductum eſſe confido, non ſolum quomodo corpus *mixtum ſimpliciter* differat a *viuo;* quod etiam *viuum* debeat eſſe *mixtum*, & quidem valde *inſtabilis* mixtionis: ſed etiam quid ſit illud, quod *vita* dicitur *in corpore*, ſiue ſecundum quod *corpus* dicitur *viuum*: & denique quonam *modo* & qua *methodo* hoc ipſum, hic inquam actus, qui *vita corporis* dicitur, fiat & præſtetur, quibus *mediis* inſtituatur atque inſtruatur, imo abſoluatur. Breuis repetitio.

§. LXXVIII. Supereſt illud vnicum, vt etiam de *peculiari methodo*, quæ in iſtis *conſeruatoriis* ſeu vitalibus methodis ſeruatur, quæ neceſſaria ſunt ſcitu ſubiiciamus: quandoquidem omnino directe pertinent ad verum intellectum diuerſi *habitus motuum vitalium*, in ſtatu reliquo adhuc ſimpliciter ſecundum naturam, aut iam præter naturam conſtituto. De hoc tenendum omnino eſt, quod motus illi ſecretorii & excretorii, quando corpori adhuc *ſibi conſtanti*, nec vllo vrgentis *corruptionis* actu correpto & male affecto adhibentur, *moderatis* ad- Methodus peculiaris, quæ in illis motibus conſeruatoriis ſeruatur.

modum, *tranquillis*, & proinde pulcherrime atque commodiſſime *ordinatis* quoque abſoluantur ſucceſſibus. Cum enim ſemel decenter inſtructa & vndique conuenienti æqualitate inſtituta eſt motus huius *vitalis* energia, & ita *momentaneis* ſucceſſibus *perpetuo* continuatur, non poteſt aliter fieri, quin per omnes veluti minutias, vbicunque quidquam *alienum* vndecunque illud ſubnatum ſeſe offert, ſine vlla mora, ſine vlla copioſioris *prouentus* aut ſociæ *collectionis* temere relicta occaſione, ſatis *mature* & *diſtrahi* ita poſſit, vt nusquam pedem figere & innidulari ipſi liceat, & *tranquillis* etiam & inſuper *perpetuis* ſucceſſibus, quin etiam ſub parca quantitate, *parco* imo quaſi nullo peculiari *labore* ad ipſa vsque *emunctoria* ſeponi. Quemadmodum enim ad huius generis effectum abunde inſtructa eſt horum motuum methodus & energia, imo proprie & directe illis non tantum *intentione* dicata, ſed omnino etiam ipſa *inuentione*, *inſtitutione* atque *inſtructione* ad exſequendum talem effectum ſufficientiſſime exæquata: ita nulla vsquam intercedit difficultas, quin ita *vniuerſim* & recte atque *ſufficienter*, & *tranquille* & *ordinate* & quouis modo ac intuitu *proportionate* hæc omnia conſtanter ſuccedant.

Differentia inter methodum placidam & vehementem.

§. LXXIX. Eo ipſo vero ingens vtique intercedit differentia inter huiusmodi ſtatum, & inprimis quidem ita *ordinatiſſime* & *conſtantiſſimo* inſuper eodem tenore continuantem; & ex aduerſo aliunde irruentes illius energiæ vehementis *impetuoſas* ſeu *repentinas*, & *copioſas*, & *efficaciſſimi* ſucceſſus inuaſiones, *ordinariam* hanc tranquillam proportionem velut obruentes. Quemadmodum enim *a priori*, & ratione ipſius *intentionis* vel ad minimum *adminiſtrationis*, horum imo quorumlibet *motuum*, quando illi *diu*, *conſtanter*, *libere*, prorſus *æqualiter* ſuccedunt, huic tenori *proportionis* facile ita adſueſcit *agens* quodcunque *proportiones* illas *regens*; vt velut ex abrupto ad *proportiones* admodum *differentes*, liberali promtitudine nequaquam transcurrere paratum ſit: ita in hoc ipſo tam diffuſo *motuum* negotio, eiusque per tam longinquas diſtributiones non niſi tardioribus ſucceſſibus obtinenda multum diuerſa menſura ſatis apparet, difficilius fieri, vt ita *a priori* ſolennis vſitata *proportio*, & *diu* admodum *æqualis* tenor menſuræ motuum *ordinariæ*, ad *extraordinarias*, inprimis autem *plurimum differentes* incidentium aliunde *inuſitatorum* obiectorum proportiones immediate conuertatur atque transferatur.

§. LXXX

§. LXXX. Euidentiſſima huius rei exempla exhibet inprimis *humana* motuum vitalium œconomia. In hac enim non ſolum directe & ſimpliciter & euidentiſſime quidem, & inprimis ſolenniſſime transfertur tota illa proportio motuum a *vitali ſyſtemate* ad *rationale* atque *morale* officium; ſed reciproce etiam, quando hoc ipſum *rationale* & *morale* officium contra ſuam illam veluti *fixam* & prorſus *æqualem* ideam inſolentius confunditur, & contraria ſuo tenori incidentium obiectorum perplexitate percellitur: ibi non ſolum ſui ipſius & totius *actiuitatis* ſuæ, nedum *ordinis* decentis impos inde redditur; ſed etiam nimium quam præcipiti progreſſu hanc *eandem*, iterum & iterum dico *hanc eandem* & non aliam, *ideæ ordinis* motuum perturbationem ſimpliciter & directe in *vitalium* etiam motuum ſyntagma incutit, & vti vulgo loquimur, *transmittit*. Euidentiſſimum eſt inprimis hoc poſtremum, in efficacia illa *animi pathematum* in *vitales* motuum ordines. Quod ipſum certe negotium cum vulgares nudæ phyſicæ docendæ vſurpatores, *medicæ pathologiæ* etiam neceſſario expertes, vt innumera alia, non poſſint non neſcire; non poteſt etiam fieri, quin a veritate rerum harum, vt toti profani, ſimpliciter excluſi ætatem exſulent ab vniuerſa etiam cognitione rerum, quantumlibet de reliquo ante omnium hominum pedes iacentium. Demonſtraui has res, vt alibi paſſim applicando, ita magis directe etiam priore intuitu, quomodo *idea morum* ſeu animi *motuum* ab *idea mechanicorum* corporeorum *motuum* quam maxime prognaſcatur, in diſſert: *de Temperamentorum varia conſideratione*, & de *ſanguinis optima temperie*. Poſteriore vero reſpectu, programmate, *quod anomaliæ motuum vitalium patheticæ non ſint ſimpliciter tumultuariæ* &c. Audeo aſſeuerare, quod DEMONSTRATA ibi a me hæc ſint, modo non alii iudicent, quam qui compotes ſunt intelligendi.

Motus vitales œconomiæ humanæ cum moralibus conſpirant; ſi vero hi confunduntur, etiam illi perturbantur.

§. LXXXI. Super eſt vt in hac conſideratione, vbi *de iuſta proportione materiarum* excernendarum ad *ordinatam* tranquillam excernendi *methodum* ſermo eſt, etiam mentio decenter iniiciatur conditionis *materiarum* ad huiusmodi effectum proportionatæ. Actum equidem iam eſt de hac re ſparſim, ſed præcipue magis *abſolute*, & non æque in reſpectu ad *oppoſitas* præſertim *conditiones*: conueniet itaque adhuc præſente loco hoc ipſum exſequi. Nimirum, vt effectus actuum *ſecretoriorum & excretoriorum* feliciter ſuccedere poſſit imo exire, requiritur *materiæ proportio* tam materialibus *organis* ſecretionis & excretionis

Materiarum conditio ad methodum excernendi proportionata.

tionis adæquata, quam *ſcopo* illius, ſiue vt in ſcholis vocant, *impulſiuæ rationi proportionata.*

Prior conditio.

§. LXXXII. Prior conditio conſiſtit in eo, vt *heterogenea* illa, non *inutilis* ſolum ſed etiam ad *nocendum* idonea materia, *capacitati organorum* recipientium atque transmittentium ita quadret, vt ſine difficultate & ingredi poſſit ſatis expedite & progredi; & ſatis firmiter etiam, quando ſemel ingreſſa eſt, in illis *retineri*, & vsque ad locum vltimæ *excretionis* etiam deduci: ne in media via iterum alio *dilabendo* effectum conſtantis *ſecretionis*, nedum plenariæ *excretionis* fruſtrari poſſit. Sicut etiam non nimia *craſſitie* laborare debet, & ita ne ad ſubeundum quidem, nedum transeundum aut exeundum parem proportionem afferre.

Altera conditio.

§. LXXXIII. *Altera* conditio conſiſtit in eo, vt materia huiusmodi excernenda non ſit enormis *actiuitatis*; inprimis autem non ad ſimplicem illam corruptibilitatem *putredinoſam*, cui totus hic operoſus apparatus vitalium motuum directe oppoſitus eſt, efficacis. Hoc ipſo enim minime quadraret illi *ordinaria* illa proportio vitalium motuum, *lentioribus* ſucceſſibus & *longinquioribus* progreſſibus ſub ſimplici ſibi relicta corporis craſi ſatis reſpondens. Adeoque hoc ipſo ab illa actiuitate exceſſiua coortæ inſolenter copioſæ corruptioni minime ſatisfacere poſſet *ordinario* tenori relicta hæc talis proportio exonerationum: vnde vel euitari non poſſet ruina corporis, & omnium vitalium apparatuum *materialiter organicorum*; vel ſi hoc euenire non debeat, abſoluta neceſſitate ad illam exquiſitam proportionem inſtruendi eſſent *extra ordinem* illi vitales actus, qui præſenti neceſſitati & *vrgentis* materiæ indoli ex amuſſim conueniant. In qua tamen re, vti non ſolum intentio *extra ordinem* & *operoſe* quidem agendi difficultatis merito ſuſpecta eſt; ita tanto euidentior certe eſt illa difficultas longe ſpecialioris atque maioris operoſitatis, INVENIENDI non ſolum exquiſitam ſpeciem talium *extraordinariorum* motuum, ſed inprimis etiam debitæ *ordinationis*, & ordinatiſſimæ *continuationis* eorundem: manentibus nihilo ſecius adhuc paſſim ſatis dubiis & incertis, inprimis propter varia externa incidentia, certi felicis euentus, non ſolum *ſucceſſu*, ſed omnino etiam *ſpe iuſta*, nedum firma & inconcuſſa *fiducia*. Actum a me eſt hac de re prolixius in Diſſert. *de frequentia morborum in homine præ brutis.*

§. LXXXIV.

§. LXXXIV. Quantumlibet autem huiusmodi rerum gratiam facillime faciam illis hominibus, qui in ore quidem ſolos, in intellectu vero nullos habent *mechaniſmos*; ſiquidem *ideam typi* agendi ab *actu* ipſo, nedum ab *agente* ſeparare facile ſphæram diſcretionis minus regularem excedit imo ſubterfugit: tamen neglectus & inde contemtus etiam ſimplicis hiſtoriæ, & quidem non tam quotidie, ſeu quod aiunt *in dies*, quam *in momenta* ipſa obuiæ, & omnino abunde etiam notæ, ſed ſolum cum aliis phantaſiis non conciliandæ, peſſimi vtique exempli eſt, dum etiam directe ipſum quaſi *neruum veritatis inueniendæ* proculcat. Loquor de ſimplici conſideratione energiæ illius, quam *animi intentionum* repentinæ commotiones directe & immediate ingerunt etiam in *typum*, *ordinem*, & *ideam* motuum *vitalium*: Et hoc quidem immenſum *celerius* atque præſentius, quam abſolute nulla vulgo cognita *materia*, aut vlla ſimpliciter *corporea* actio facere ſolet. (Efficaciæ enim per *ſenſationem* valde præſentaneæ eadem ipſa eſt ratio, quæ *patheticarum*.) Certe enim monſtro ſimile eſt audire, quod *motus* tam ſani quam morboſi, vitalis tamen cenſus, nullo modo aut reſpectu vsquam ſint *in poteſtate animæ* rationalis. Quando enim iam e repentino, quantumlibet etiam abſolute *fictitio* & mendaci nuncio, e ſtrepitu pro muris motu intellecto, animo quidem oboritur terror, & *conſilii trepidatio*, & *pulſus cordis*, actus ille *eminentiſſimus vitalis* ne *momento* quidem alio, ſed ſimpliciter *eo ipſo*, quo animus percellitur, non ſolum ita *eodem tempore*, ſed reuera etiam *eadem* penitus *ratione*, eodem *typo trepidationis* corripitur: an hic ſeorſim *ſimpliciter vitalis* eſt actus? an *quatenus* actus, imo quocunque tandem ordine ab aliis magis directe *vitalibus* vel *principiis* vel *organis* ducit ortum ſuum; aut per hæc cum illo *animi pathemate* quemcunque conſenſum aut nexum?

Animi pathematum repentina efficacia in motus vitales.

§. LXXXV. Quis autem non erubeſcat has conſiderationes atque quæſtiones ventilare, circa *efficaciam* falſiſſimæ & ſimpliciter fictitiæ præſentaneæ *nauſeæ*, ad *ventriculi* conatus vomendi, ſubinde etiam & enormes & contumaces, obſtinatæ? vt nequidem tangamus & alios *palpitatorios* atque tremulos, & ipſos grauiſſime *conuulſiuos* motus, iam a *terrore* iam ab *iracundia* prouocatos: ſubinde etiam ſimpliciter *ſtata tempora* ſeruantes, & quidem cum *primo* illo tempore, quo talem ortum cœpit talis commotio, peculiariter ſymbolizantes. Hæc, quæ ne plebem quidem ipſam prætereunt, vel non intelligere, vel negligere, certe indignum fuerit harum rerum theoriam adſpirantibus.

Nauſea fictitia & alii motus tremuli & conuulſiui quam efficaciam habeant.

tibus. Ego vero & aſſeuero & conſtantiſſime vrgeo, quod *animi pathematum* ita *directa* & identica efficacia in actus *vitales* etiam *præcipuos*, imo a quibus reliqui *ſpecialiores* & ipſi *ſpecialiſſimi* indiſſolubili nexu pendent, ſit tale negotium, quod tam in *phyſica hiſtoria*, quam *medica theoria* æque atque *therapia*, præcipue etiam *prognoſi*, exactiſſimam penitus animaduerſionem ad ſe vocet, & nusquam negligenter haberi, aut quæ contra eius veritatem ſunt, falſo ingeri debeant.

Scopus præſentis deductionis.

§. LXXXVI. Sed abſit, vt omni, inprimis in ſenſus ipſos, ne dum rationem perſpicacem impingentes errores ſanare cordi habeamus: vnde recto potius gradu in via veritatis vltra progredi ſatis habemus. Semper certe menti obuerſatur egregium illud effatum, quod Cicero ſuis verbis protulit: *niſi vtile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.* Et puto profecto habere me, & quemlibet non penitus in diem viuere paratum, quod agnoſcat, *vitam eſſe breuem* artem autem *longam*, imo infinitam, ſi nunquam quisquam defectibus eius ſubuenire in animum inducat, aut incipiat ad minimum, ſin minus progredi, ne dicam abſoluere poſſit. Incuſſit iam dudum profundum animo faſtidium recentior illa polypragmoſyne, qua innumera non tam aguntur, ſed agitantur ſolum; nihil autem vsquam peragitur: imo ludibriis illis diſtractionum ſemel eneruatæ mentes, non ſolum ipſa intentione abeunt ab omni vtili ſcopo, & connexione rerum cum diligentia quærenda, atque proſequenda: ſed etiam intentionem ipſam amittentes, impares re vera euadunt ſeriis rebus & animi conſtantiæ, quæ ad operoſiorem inuentionem atque proſecutionem ſtabilium NEXVVM requiritur: ad quam rem liberæ illæ, imo effrenes euagationes atque graſſationes πολυπραγμονες, abſolute irritæ ſunt. Eſt itaque totius etiam huius prolixioris hactenus deductionis meæ *ſcopus* omnino præcipuus imo vnicus, vt vſus inde colligatur *medicæ* doctrinæ atque arti inſeruiens: neque hoc ſolum, ſed ſi quid etiam ſub hiſce rebus verſatur, quod medico vſui *moram* faciat aut *damnum* adferat, illi ſi quam gerit, larua detrahatur, & ab artis ſalutaris ambitu ac ipſis pomœriis proſcribatur.

Materiæ adfectiones internæ tribuuntur.

§. LXXXVII. Dudum profecto eſt, & antiquiſſimis temporibus, quorum ad nos monumenta durauerunt, iam viguiſſe apparet, quod homines non ſolum iuſto ſed fere paſſim etiam nimio plus nudis *materiæ adfectionibus internis ſimplicioribus* animum applicantes, tam ad multiplices *nexus*, quam præcipue ACTIONES circa illas materias occurrentes minime condigne attenderunt. Non placet numeroſa

harum

harum rerum exempla imo ſpecimina allegare, quomodo etiam ingentibus rerum corporearum *ſyſtematibus*, vt vero vocabuli ſenſu loquar, imputatæ ſint tanquam *propriæ*, *inſitæ atque immanentes* (ſcholæ dicunt *eſſentialiter inhærentes*) variæ adfectiones; vt aquæ *fluiditas* & *humiditas*; aëri *frigiditas*; igni *motus proprius ſurſum* aſcenſorius, imo propria & ſimpliciter ſpecifica *ſimplex* materia: rebus, quæ *graues* dicuntur, abſoluta, propria inſita *tendentia ad centrum* terræ deorſum &c. & plura adhuc craſſiora.

§. LXXXVIII. Recentior ætas, quamlibet ſatis oculate rebus corporeis præficeret *materiam atque motum*, tamen mox prolapſa eſt, & toto pondere procubuit ad ſimplicia illa *materiæ* attributa, *finitatem ſtabilem*, *magnitudinem*, *extenſionem*, *figuram*, & offendiculum illud leuius inſtructis, *ſoliditatem impenetrabilem*, & tamen *phyſicam diuiſibilitatem in infinitum*. Poſtquam autem ad MOTVM deuentum eſt, ibi planiora quidem ingenia & ad materias alligata ſatis habuerunt, *motum* etiam, ſi res recte æſtimetur, ſimpliciter reliquis *eſſentialibus materiæ internis proprietatibus* adiungere: non agnoſcentes, (nam diſſimulationem profecto non admittit negotium) non innumera ſolum, ſed maxima etiam exempla transcendentium, ſeu *transcurrentium motuum*, eorumque communicationis &c.

Ad motum autem ſatis digne non attenditur.

§. LXXXIX. Alia vero non huius commatis, ſed vtique profundiora, eo ipſo vero etiam pauciſſima ingenia, *motum* quidem eiusque affectiones *ſeorſim* aggredi laborauerunt: ſed fixit his etiam paſſim non vnam, ſed multas cruces, & impoſſibilis comprehenſio plerarumque *affectionum motus*, *quæ vere a relatione cum materia* abſtrahunt, adeoque variæ paſſim circa hanc rem titubationes; & ingens hinc inde implicatio, etiam reſpectu *materiarum*, circa motus *indiuidualium & aggregatorum*; circa motus *vniuerſales*, & vere *particulares* atque *ſpeciales*: & hinc vltimo propemodum loco circa AGENTIA MOVENTIA (cum *omnis actus* ſit *motus*, & contra) PARTICVLARIA, & vere magis *vniuerſalia*: quorum hæc certe *ſpeciebus* æque *ſubiectorum*, quam *obiecti* ſui longe minoris numeri, imo ſi quidem res ſagaciter æſtimentur, vel minimi; illa quolibet fere intuitu omnino magni numeri exſiſtunt.

Et licet quidam motum accuratius perpendere ſibi ſumſerint; multas tamen offenſiones repererunt.

§. XC. Certus autem ſum, quod bonum huic conatum atque conceptum nihil grauius afflixerit, quam defectus ſufficientis *hiſtoriæ rerum materialium*; & nominatim quidem per defectum *Chymiæ*, & non ſufficientem æſtimationem atque cultum *Zoologiæ*, id eſt, VIVORVM

Offenſionum harum cauſſa in defectu hiſtoriæ rerum materialium

& chymiæ ponitur.

VORVM ſcientiæ. Quemadmodum enim Chymia circa *diſpoſitiones ad motum* corporum *non viuorum* varia demonſtrat, tam poſitiue quam negatiue, circa ea, quæ POSSE generalius fieri equidem putantur, e falſis præconceptis theorematibus, quæ alias nunquam vere & *phyſice probabiliter* concipi valerent: ita plane propemodum incognitæ indolis eſt efficacia *mouentium viuentium;* & hoc quidem non tam ſimpliciter & vnice in ſtricte dicto illo *vitali* negotio, quam inprimis reliquo vlteriore SCOPO, *propter* quem *viua* eſſe atque *durabilia* corpora talia neceſſarium eſt.

Item in neglectu motuum in aggregatis organicis.

§. XCI. Quantum vero etiam in hoc negotio difficultatis inferat neglectus *motuum in* AGGREGATIS, & in primis ordinatiſſima *organicis*; & quantum præiudicii hæc res inſerat quibuslibet generalibus opinionibus de *motus indole*, quomodocunque ad hoc tempus adornatis, diſpiciant opto illi, quibus eſt otium; ſed omnino etiam & *natura* & *cultura* & expeditiſſimum & inſtructiſſimum *ingenium*: qui enim tali deſtituti hic ſe temere intrudunt, profecto toti humanæ rationi tandem pudori ſunt.

§. XCII. Ne vero multo latius, quam præſentis inſtituti ratio ferat, diffundar in haſce res, certe propria ſua extenſione latiſſime patentes; coërcebo potius ſtudium meum in ſtrictiore illa ſemita, quæ ad *ſcopum*, ad quem vnice tendo, nempe VSVM MEDICVM rectius ducit. Interim dum etiam deuia, ſed tamen huic viæ propius conterminа, indicare eſt animus, non equidem in illa exerrabo, ſed ſolum illud commonſtrabo, quod *alienationem* illorum *a* noſtro *tramite* declarare poſſit. Repeto autem breuiter ex hactenus deductis, quod illa corpora, quæ *viua* dicuntur, equidem ſine reſpectu vllo *viuacitatis* poſſint intelligi eſſe *mixta; talia* vero *talem* mixtionis ſpeciem habere non poſſint æque, niſi etiam vt *victura*: quandoquidem *vitali* conſeruatione nulla opus haberent, niſi *talia* eſſent: adeoque vita CORPORALIS nusquam eſſe poſſet, niſi huiusmodi *mixtione* affecta corpora exſiſterent. Verior interim & euidentior cauſſa, propter quam huiusmodi *mixtione* affecta corpora exſiſtere debent, eſt omnino *ſcopus* eorundem *organicus*, cui vllius alterius generis *mixtio* minime ſatisfacere poſſet.

Corpora, quæ viua dicuntur, ſine mixtione intelligi non poſſunt.

Corpus viuum eſt etiam aggregatum ordinatum.

§. XCIII. Denique omne corpus vero ſenſu *viuum* abſoluta neceſſitate non ſolum in genere, ſed etiam in ſpecie (& illa quidem numeroſiſſime multiplici) ſemper *ordinatiſſime aggregatum eſt.* Vbi, quantumlibet *vegetabilium* ſtructuræ *organicos* vſus minime cognitos ha-

habeamus; poteſt tamen vtique intelligi, quod ad minimum etiam ille generalior ſcopus ſubſit, vt & occupentur, & ab homine rationali etiam ita agnoſcantur, exſiſtere tam *numeroſiſſima agentia*, quorum quælibet ſpecies *peculiarem* ORDINATE *aggregandi* ordinem & exerceat & ſeruet: verum etiam immenſus plane numerus tam in ſpecie, quam inprimis in *indiuiduis*, effectuum huiusmodi ſtructoriorum re vera in actum deductorum. Cum præcipue etiam in omnium *animalium*, maxime tamen brutorum vniuerſis *actionibus*, & tanto magis *ſingulis*, nulla vera *finalis* ratio, niſi *vt fiant*, vltimo dari poſſit.

XCIV. Cum autem *viuo corpori*, ad minimum ipſo facto a poſteriori, abſolute neceſſaria ſit illius ſui corporis ita ſtructi DVRATIO ad longius tempus, cui tamen illa eius, pariter ſolennis, *mixtio ex ſe atque per ſe* minime par exſiſtat, ſed potius hoc ſui intuitu ſimpliciter ad *contrarium* durationis tota apta, nata atque prona: vt itaque *deſtinationi* illi durationis ſucceſſus ſuus conſtet, abſolute neceſſarius eſt interuentus alterius cuiusdam *ſubſidii*, & alius indolis, quam illa *materialis* conſtitutio; quod eſt *principium* non tantum *in genere* & ſimpliciter, ſed ſub plane peculiari *directione*, reſtrictione atque *ordine motus peculiares* adminiſtrans, qui huic *inſtituto*, quod proprie indoli *materiæ* etiam *contrarium* eſt, peculiari ratione ſatisfaciant. Sed hoc tamen vltimo, & immediata ratione, *formaliter*, non aliter quam *actu in ſe incorporeo*; quamuis *organis* corporeis, propiorem paſſim *proportionem* ad materiam illam corporis, quæ *durationi* vindicari debet, habentibus, in effectum deducatur.

Duratio corpori viuo neceſſaria quo ſubſidio obtineatur.

§. XCV. Quantumlibet autem hic actus, *in ſe* conſideratus, re vera ſit *incorporeus*, quoniam tamen ſit primo *propter* res corporeas, ſecundo *in* res corporeas, tertio *per* organa corporea, poterit certe tribus his *corporeis* non tam *reſpectibus*, quam ipſis *ſubiectis alterari*; licet nec ipſe *in ſe*, nec *agens* illud, quod illum primo & vere *efficienter* inducit, *immediate* attingi vel alterari poſſent. Sed hic certe valet diſtinctio illa, quæ proprie tanquam ſimpliciſſima cum ſui ſimilibus alias *puerili ſimpliciori* ætati in ſcholis merito inculcatur, inter τὸ *a priori* & *a poſteriori*, τὸ *immediate* & *mediate*, τὸ *poſitiue* & *priuatiue*. His enim puerilibus diſcretionibus a primis vnguiculis non decenter comprehenſis, nihil profecto poteſt per totam reliquam vitam ſolide intelligi, quin perpetuas & tam craſſas offenſiones in res etiam ſimpliciſſimas poſt ſe trahat, vt alacrioribus riſum, magis autem ſeriis faſtidium non poſſint non creare.

Huius durationis vindicatio eſt actus incorporeus, poteſt tamen per ſubiecta corporea alterari.

Vſus huius deductionis.

§. XCVI. Vt itaque deductionis huius vſum ad *medicam doctrinam* & *artem*, *theoriam* atque *praxin* tandem demonſtrem, iubeo ex ipſis dictis perpendere, quod *mixtio* corporis, & inprimis *ſanguinis*, alia neque ſit nec eſſe poſſit atque debeat, quam *ſumme corruptibilis*, & præcipue quidem *fermentatiuo - putredinoſæ* corruptioni tota ſua *materiali* conſtitutione ſimpliciter expoſita. Minime itaque vnquam in animum ſuum inducet Medicus, hanc corporis intimam atque *eſſentialem corruptibilitatem mutare* velle aut corrigere. Et hoc ita *a priori*. Tanto prudentius autem æſtimabit, quod hoc ipſum *præſtare* etiam nulla veriſimili ratione *poſſit*. Nempe nullis occurrentibus fide vlla dignis eiusmodi *experimentis*, quibus materiæ, putredinoſæ corruptioni obnoxiæ, conſeruari poſſint vlla *methodo*, quæ etiam in *corpore viuo*, ſaluis eius, quales eſſe debent, *materiis*, æque atque *actionibus* pari ratione effectus *conſeruatiui*, in effectum deduci poſſint.

Experimentum cum ſale volatili vrinoſo examinatur.

§. XCVII. Quod enim attinet ad experimenta aliqua recentioris obſeruationis, odioſum profecto eſt audire interdum talium ita crudas allegationes, vt non ipſis auribus ſtatim vim faciant. E quibus vt vnum tantum exemplum adducam, cum ab aliquo obſeruatum eſſet, quod *ſal volatile vrinoſum* ſanguini remixtum *coagulationem* eius impediat, ibi ſtatim Medici, *conſueta ſua logica*, decreuerunt, in *viuum* etiam corpus ingeſta hæc ſalia eundem effectum præſtitura eſſe. Cum autem, quæ recte vulgo *ſtultorum magiſtra* appellatur, *infelix experientia* docuiſſet, quod a largiore talium ingeſtione nihil niſi turbæ, & familiariter quidem non mediocres neque parui momenti, inde cooriantur, *paruis doſibus* acquieſcere conſtituerunt. Interim cum & illud primarium experimentum efficaciam illam laudatam non exhibeat, niſi proportionata *larga quantitate*, minime inquam parua, ſanguini adhibeatur; & ipſi etiam hi ſpeculatores efficaciam illam adſcribant non *formali* cuidam, ſed ſimpliciter *materiali* agendi modo, nempe *ſaturationi aciditatis* coagulantis per hoc volatile vt alcali, (qui effectus cum non aliter, quam *combinatione* alcali cum acido abſoluatur, vtique *proportionatam æqualitatem quantitatis* vnius ad alterum ſupponit) quis quæſo rationis adeo immemor cenſeri mereretur, vt neglecta adeo ſimplici atque manifeſta *diuerſitate reſpectuum* horum, tamen nihil diuerſum, ſed omnino parem effectum exſpectaret?

In Medici potentia non eſt, corruptibilita-

§. XCVIII. Cum autem regeri hic forte poſſet, quod Medicus non æque in animum inducturus ſit, *totam* craſin vniuerſi corporis eiusque corruptibilitatem *a priori* auferre; ſed ſolum *energiam* ipſius

actus

actus corruptorii partim anteuertere & præoccupare, partim effectus eius iterum *corrigere* & in integrum reſtituere. Ibi omnino ſciendum eſt, quod vt maximam partem in *phyſica*, ita certe abſolute in *medica* re, æſtimatio *potentiæ ad actum* prudenter inſtituenda ſit, & re vera canon talis formandus: *quicquid ab omni proportionata ſimilitudine generalium ſymbolicorum actuum, & ab omni certitudine ſpecialiter eorundem, adeoque abſolute ab omni generali atque ſpeciali* EXPERIENTIA *abit, illud nihilominus* POSSE *fieri, & verum eſſe minime credi debet.* Iam vero ſi ad huius canonis veram vim exigantur huiusmodi ſpes atque ſimplices intentiones, non aliter certe quam irritæ reputari poſſunt, vtpote quas etiam tot ſeculorum, & paſſim quidem abundantiſſima experientia non ſolum deſtituit, ſed etiam *contrario* euentu veluti poſitiue vanas atque irritas eſſe oſtendit. tem corporis mutare.

§. XCIX. Quid autem ita conſilii, ſi non tam ipſi corpori, vti ſimpliciter in ſe eſt, ſubuenire neceſſe ſit, vtpote cui iam propria *inſita illa energia* ſatisfacit: ſed alia *aduentitia* materia, quæ non ſolum *quantitate*, propriæ vitali corporis œconomiæ nimium negotii faceſſens ipſa illa acceſſione ad domeſticas iam impuritates; ſed inprimis *qualitate* & *energia* nimium *præſentanea* præter omnem reliquum conſuetum modum noxia ſe exſerit, *ordinariam* illam proportionem actionum ſpontanearum vitalium nimium anteuertat, vt ab illis edomari decenter non poſſit, adeoque omni modo ARTIS ſubſidio opus ſit? Certe, ſi a ratione conſilium quam ſimpliciſſimum petere, idque ſecundum ipſam formare velimus, nullum certius &, (ſi modo in effectum deduci poſſit) præſentioris æque atque conſtantioris vſus excogitari poterit, quam illud, vt talis ita *noxia materia ſimpliciter e corpore proſcribatur.* Quandoquidem ſimulac *in corpore non amplius præſto erit, cuiuscunque tandem de reliquo ad nocendum energiæ ſit, nihil nocebit, & ita abſolute ab illo tutum erit corpus, quando ab ipſo omnino aberit.* Cui rei ſi ſimul conſpiret etiam *promtitudo* huius extruſionis atque relegationis, inſanum certe foret conſilium, hanc ita periculoſam materiam in corpore quidem *relinquere*, ſed *correctioni* eius operam nauare velle, non ſolum ipſam quoque *lentam* atque *tardam*, ſed in fundo etiam ita *incertam*, vt nulla firma ſpes, ne dum fiducia locum inueniat.

Materia noxia quantocyus e corpore proſcribenda eſt.

§. C. Certe hac ratione *duplex* periculum erit, vtrumlibet quidem non exiguum, ſed alterum altero immenſum quantum maius. *Primo* enim, ſi correctio illa efficaciæ noxiæ non ſatis præſentaneo ſuc-

Correctio ſeu alteratio huius materiæ non eſt tuta.

 ceſſu

ceſſu abſolui poſſit, manebit vtique iuſtiſſimus metus, ne antequam correctio illa vere in effectum deducatur, interim malignam ſuam efficaciam paſſim exerceat hæc materia: ſi vero *ſecundo*, tentata illa induſtria exitum plane nullum inuenerit, plena illa ſua maligna efficacia conſtanter ita inſtructa, continuabit vtique ita vere ſibi relicta illam ſuam noxiam energiam, & ita tota Medici præſentia tantum valebit ſine medicamento, quantum cum medicamento, nempe nihil. Cum autem recte æſtimata, & non ex imprudentibus transſcriptionbus, ſed e vere circumſpecto vſu, & hinc inſtituta *ſincera* obſeruatione, confirmata illa, vti vulgo appellant ALTERATIVA *materiarum* morbidarum, & quidem ſimpliciter & directe *correctiua* earundem, ſit tam rara auis in terris, vti cordati practici probe ſciunt: friuola profecto, & honeſte patientis, qui in ipſum totam ſuam fiduciam collocat, curam gerente Medico abſolute indigna vtique erit, non ſolum ita otioſa & ad minimum ſumme dubia, niſi notorie irrita atque fallax habeatur, methodus, qua certo *periculo* tota illa medici opera, & quamlibet prolixo apparatu, patiens exponatur.

Alterantia remedia ſunt incerta fallacia & vana.

§. CI. Ne vero, cum hic locus & præſens meum inſtitutum non permittat, vt prolixius hanc ipſam rem tractem, quis interim rem ita accipiat, quaſi ea, quæ modo de *alterantium* ſeu *materias* ſimpliciter & directe *corrigentium* inefficaci vſu & vanis laudationibus protuli, *probabiliter ſuppoſita* magis, quam ſerio poſita & *poſitiue* vera „ſint: omnino hoc, quod verum eſſe & ego ſatis certo compertum ha„beo, & alii Medici rerum ſuarum ſincere ſatagentes, & a vanis oſten„tationibus alieni, mecum affatim ſciunt, & fere etiam miſerrimi quili„bet practici triuiales, & toti de reliquo ſplendidorum in hoc genere „promiſſorum perſuaſionibus capti, perpetuis ſuis quiritationibus, „inſcii & nolentes etiam, firmant (nam ieiuni ſocii, impium habentes talium panegyriſtarum fidei diffidere, ad minimum ſibi & dexteritatis ſuæ defectui, aut ſi etiam omnia ex præſcripto fecerint, infelicitati ſuæ hoc imputant, quod in ſe vtique dicunt atque plangunt, nempe „quod ego hic) diſerte omnino atque rotunde, & ex animi mei ſenten„tia dico: quod *medicamenta*, quæ vulgo directis *correctionibus* ma„teriarum morbidarum deſtinari atque commendari, etiam magno „numero, ſolent, maximam partem hoc effectu plane *caſſa* atque *vacua*, „& propterea ad hanc intentionem omnino *vana* ſint; pauca *fallacia* & „*incerta*, & fere ſimul *ſegnia;* longe pauciſſima *certa*, & vix credibile „quam paruo numero, ſi res candide & ſincere æſtimentur: multa autem

„ex

„ex illis, quicquid tandem forte efficaciæ in illis morbis, ad quos laudan„tur, vere exhibent, longe euidentius in ſubordinatione cum excretio„nibus hoc præſtent, quam vlla alia tali ſinceriore materiæ ipſius aut ſolitæ „eius energiæ ſubactione.

§. CII. Confirmant autem hoc non ſolum, ſed illuſtrant etiam obſeruationes eiusmodi patientium, qui in varii generis & *grauiſſimæ* paſſim *efficaciæ* morbis etiam SINE illis aut ſimilibus, imo ſæpe numero etiam aliqui ſub admodum *diuerſæ*, quin *contrariæ* efficaciæ *medicamentis* nihilo minus ab illis morbis liberantur: & quidem non ſolum *nihilo incommodius*, nihilo *incertius* aut *periculoſius*, nihilo *ſegnius atque tardius*, ſed & nihilo *inſtabilius*, aut minus *plene & plenarie*, quam qui etiam *affatim*, imo & *variis* inſuper iſtius cenſus glorioſis remediis tractati fuerunt. Imo vero non temere eſt, quod huius negotii mentionem faciam, *reſtitutionis* inquam innumerorum hominum, ipſis morbis actu obſeſſorum, *ſpontaneæ ſine medici vſu* aut vllorum *medicamentorum*. Neque reſtitutionis ſolum ipſius, ſed quod præcipue notari velim, *conditionum* illarum, quæ ſub hac reſtitutione concurrunt; nempe quod vere nihilo incommodius, nihilo magis ancipiti ſucceſſu aut euentu, quin ſubinde etiam nihilo languidius aut tardius exeant, & pariter etiam plenarie ſatis ad firmam & conſtantem ſanitatem patientes reſtituant, quam vsquam per *medicationes* illas ALTERATIVAS fieri obſeruetur.

Confirmat hoc reſtitutio ſpontanea multorum ægrorum.

§. CIII. His rebus ita conſtitutis, quid quæſo concinnius, & prudentiæ etiam mediocri conuenientius haberi poterit, quam planam viam atque tritam inſiſtere, vbi ſcopi attingendi etiam experientia ipſa multiplex non ſpem magis faciat, quam certitudinem polliceatur. Quadrat huc certe illud ſenecæ: *hæc eſt ſapientia, ad naturam conuerti, & eo redire, vnde excidimus.* Nihilominus, vt ſunt hodie *medicæ logicæ* calles, vel in hac plana via offendere poteſt inconſiderata feſtinatio; quod expertus loquor, qui e tali propoſitione meis auribus audiui ferri illam concluſionem: *ita ergo Medicus nihil aliud agere poteſt aut debet, quam otioſum ſpectatorem ſe præbere, vt, cum natura omnia agat, ipſe prorſus nihil agat.* Quæ certe concluſio hinc inde non niſi paululum, neque tamen ſatis callide, laruatis verbis infertur, tanquam ſimpliciter dehortando; ſed friuole ita profecto, & vix ſatis honeſte ſuſpicionem iniiciendo imperitis, quod illi, qui de his rebus, vti decet, loquuntur, ita ſtolidi ſint, vt illas eo ſenſu, quod iſti faciunt, intelligant, adeoque vel talibus, vt illi ſunt, adiutoribus opus eſſet, vt in viam etiam publicam & protritam reuerti valeant.

Via plana commendatur, in qua tamen etiam offendere poteſt feſtinatio.

Num & quibus conditionibus Medicus ſpectatorem agere debeat.

§. CIV. Interim quicquid ſit, re vera cedendum ipſis eſt ex parte, atque concedendum de via, ſi modo etiam hæc illis ceſſio ſatisfaciat; quippe mire cum ſe ipſis diſcordes, *dum alii nolunt ipſi volunt, ſi alii eadem velint, ipſi ſtatim iterum nolunt.* Itaque confiteor atque profiteor, quod vti multi alii de cætero nusquam ita inconſiderati viri, ita ego etiam, quisquis de reliquo eſſe poſſim, etiam hanc rem ita intelligam, atque ex me intellectam velim, vt inter TRES *conditiones*, quæ in curatione morborum, ſeu reſtitutione patientium ſperanda imo promouenda vſurpari poſſunt, DVAE intelligendæ ſint ſuadere, *vt negotium ſimpliciter naturæ relinquatur*, & Medicus nihil *niſi ſpectatorem* agere debeat, aut potius domi manere. Quo ipſo nempe intelligere poſſunt, quod ipſis minime ita pertinaciter omnia negare, minime omnium autem quæ vera, in animo habeamus. Vnde ex hac largitione ſi conficere velint, quod ita vtique autor ſim, vt maximam partem, (nempe *bis* inter *tres* conditiones) *nihil agat* Medicus, habebunt me vtique facilem, & per me hoc ipſis licebit.

Tres conditiones morborum tractandorum.

§. CV. Sunt autem illæ *tres* conditiones ſequentes. *Primo*, quando *natura* & actu concurrit, & *ſufficienter*, atque ſatis *ordinate* ac *decenter* agit, quæ *conuenit* fieri. *Secundo*, quando aut vulgo *vſitata*, aut ad minimum inter quotcunque eiusmodi fortes viros (mediciniſche Entrepreneurs, Waghälſe, und Ritter von der runden Tafel) familiariter graſſans morbis illis medendi ratio naturæ, quolibet ſenſu ſumtæ, *contraria* eſt. *Tertio*, quando per indiuidua ſibi non decenter atque *ſatis* conſtat ipſius naturæ energia; vel etiam *materia* morbi vel ſimpliciter *poſtulat*, vel ad minimum *admittit* externam opem. Prioribus illis *duabus* conſtitutionibus non *vtile* ſolum eſt, ſpectatorem, ſimpliciter agere Medicum, ſed potius, & abſolute quidem, ſub *ſecunda* conditione etiam neceſſe eſt.

Prima conditio exemplo variolarum & febrium explicatur.

§. CVI. Quod enim *primam* attinet, ſicut illa, vti vulgo loqui ſolemus, propria ſua luce radiat, quod videlicet certe ἄτοπον cenſendum ſit, ad ea, quæ *ſponte* fiunt, peculiarem operam conferre velle, quandoquidem illa hac ratione ſuperuacua & inutilis fuerit, dum quo non opus eſt, aſſe carum eſt: ita confirmat hoc etiam practicum exemplum, quod hodie paulo magis in vſum deduci apud cordatiores inprimis practicos obſeruatur, *variolarum.* Vbi videlicet recte agnoſcunt atque fatentur, quod *variolis ſponte* ſua bene ſuccedentibus non ſolum non *neceſſaria* imo ne *vtilis* quidem ſit directa aliqua artificialis medicatio, ſed etiam propius imo certius *periculoſa.* Quam rem primus ita

diſerte

diſerte commendauit *Sydenham.* Interim quam multiplicem vſum habeat hæc res in pluribus affectibus, & multis certe admodum ſonticis, exemplo eſſe poſſunt *variæ* (& inter illas etiam *malignæ*) *febres.* In quarum aliquibus exoneratio per *vomitum*, in aliquibus *exhalatio* diaphoretica, *tempeſtiua* vtrinque, eximium vſum habere poſſunt. Si tamen ipſa *natura* has, & inprimis *vomitum*, iam ita inſtruat, imo certo temporis articulo apparatum ad hunc effectum vegete exhibeat atque exſerat: & tamen eo ipſo tempore Medicus *remedio* vomitorio, quale etiam ſanum & penitus tranquillum hominem grauiter commouere valeret, vomitum etiam *prouocare* in animum induceret, quid eſſet *ἀλλότριον*, ſi hoc non eſſet; imo profecto non alienum ſolum, ſed etiam *periculoſum* imo noxium.

§. CVII. De *ſecunda* illa conditione nemo quidem rationis compos dubitat, quod *nihil agere præſtet*, quam *male agere*: interim vulgo fateri hoc renuunt, quod *male* agant. Nempe vti ſupra monui, ita omnia, vt ait *Heraclitus*, *ſecundum litem facta ſunt*, vt etiam hi noſtri homines cum aliis ſemper ſerram reciprocare ament, vt *nihil velint*, *niſi quod alteri nolunt*, *nihil nolint*, *niſi quod alteri volunt.* Illi nempe iidem, hic etiam nunquam otioſi videri geſtientes, conditiones has agnoſcere recuſant, &, quod *Becherus* de Aſtrologis ait, *rem faciunt* (nempe remediorum vſum) *neceſſariam*, *vt ipſi videantur neceſſarii*: ſuas autem illas varias methodos, artes atque ſpecioſas remediorum formulas & appellationes erroris aut culpæ poſtulari viui nunquam ſiuerint. Enim vero illos quidem ſuas res ſibi habere iubemus: aliis vero, qui dociles adhuc ſunt, imo auidi ſincerorum monitorum, commendamus has res, & vſum illarum exoptatum intemerata fide pollicemur. Secunda conditio.

§. CVIII. Quamuis autem ad *tertiam* illam morborum tractandorum conditionem iam ita ſatis plano gradu accedere eſſet integrum; tamen, quia a perplexis rebus ad conſtantes atque luculentas properando iam omnino ſpecialius de *ſpontanea* illa *vitali methodo* ad conſtitutiones *præter naturam* pergente, procedente, imo ad exitum vsque, & *ſalutarem* quidem, illas perſequente, & de huius iuſtiſſima conſideratione medica, mentionem facere non abſtinui, antequam hanc rem ſpecialius perſequar: placet adhuc filum tractationis noſtræ prægreſſæ generalioris recipere, & aliquo iuſtiore ordine illud proſequi. Tertia conditio.

§. CIX.

Corruptibilis corporis conſtitutio non debet nec poteſt mutari.

§. CIX. Nempe aſſerui ſuperius, quod *materialis* conſideratio corporis atque *mixtionis* eius *Medico* nullum vſum præbeat. Confirmo hoc merito præſente loco tum *a priori*, quod etiam iam paulo ſuperius feci, *quia materialis* conſtitutio corporis, qualis revera eſt ſecundum naturam, eximie nempe *corruptibilis*, tamen *non debet mutari*. *A poſteriori* vero nec illa (vtiliter) nec etiam alia quælibet ne quidem *poteſt* ita facile mutari: quandoquidem vera talia, & non ficta *alterantia*, ſiue *mutantia* remedia deſunt; & in plerisque huius generis caſibus etiam *tempus* ipſum *actiuitatis* eiusmodi materiarum *peregrinarum* & aduentitiarum talem methodum non patitur. Vnde quantumcunque in ſe vera, adeoque ſcitu *in phyſicis* digna ſit harum rerum hiſtoria, quatenus vere ita exſiſtunt; tamen quia Medico nihil lucis adferunt, ad inueniendam *directam* aliquam opem, oppido parum omnino ipſi ſeruiunt aut proſunt.

Materialis corporis atque mixtionis eius conſideratio phyſicum vſum ſed non pathologicum exhibet.

§. CX. Quamlibet enim in *pathologia* aliquem vſum habere videantur, re vera tamen, ſi ille ita intelligatur, vt vere dicta *medico-therapeutica* pathologia ſub hoc nomine accipi debeat, fallit omnino illa aſſertio. *Phyſicam ætiologiam* enim vti cum medica *pathologia* confundere minime decet; ita cum hæc *materialis* conſtitutio corporis viui magis directe phyſicam *ætiologiam*, nempe veram ſolum fiendi rationem ſimpliciter exhibeat atque ſiſtat, quam vt tales reſpectus nobis detegat, quibus *directam medendi rationem* opponere & accommodare eſſet integrum: propterea manet verum, quod tota hæc conſideratio *materialis* habitus corporis a *medico* vſu directo vix non vniuerſa ſit aliena. Certe enim neque tale quiddam comprehendit, cui *a priori* ſimpliciter atque directe, vt *materiali* obiecto, occurrere ſit in noſtra poteſtate ſeu arte, nec omnino *a poſteriori* eidem, iterum dico *directe* & *ſimpliciter vt materiæ*, ſuccurrere aut opem ferre liceat; ſed vnice dum vere intelligimus & agnoſcimus, quod *putrida* ſit pars ita corrupta, & (ſed hoc ipſum profecto etiam *a poſteriori*) certo ſcimus, quod ſemel ita corruptum neque ſponte nec arte in antiquam ſuam temperiem *reſtitui* poſſit, propterea ſimpliciter *exſtirpandum* illud eſſe inde concludamus.

Vera inſtrumentalis ratio ſeu habitus vitæ eſt efficacia motuum.

§. CXI. Omiſſis itaque hiſce rebus, tanquam nullam bonam ſpem vsquam admittentibus, progredior ad alteram partem, nempe *veram inſtrumentalem rationem* atque *habitum vitæ*. Diximus de hoc ſuperius, quod nihil aliud ſit, quam *efficacia motuum*. Dico *motuum*; non quod *motus* ipſe alius ſit hic, alius illic, cum potius *motus* vbilibet

non ſit niſi vna res: ſed quod diuerſitatis aliquas rationes ſumat ab *ordine* ſucceſſuum & effectuum ſuorum, ſecundum diuerſas *materias*, *loca*, & *organa* corporea, & ipſum tandem *tempus*. Ita nempe *primo*, totum ſanguinem cum quibuslibet ipſi remixtis aliis & alienis fluoribus impellendo concurrit vtique *vt inſtrumentum* ad vitalem conſeruationem ſiue energiam, ſed non niſi *generaliſſime* atque *remotiſſime*. Dum vero motus hic iam ſpecialius per *peculiaria* organa, inprimis *ſecretoria*, adigit ſanguinem, ibi *remouendo* hac ipſa actione, quicquid ab integra ſinceri ſanguinis craſi *alienum* eſt, præſtat omnino eidem hoc ipſo puritatis ſuæ perennitatem, adeoque conſeruationis ſanguinis *medium* euadit. Quia vero materiæ illæ, quæ hac ratione a *ſanguine* remotæ ſunt, iam corruptæ quadantenus & corruptiuæ, in *corpore* reliquo & quibuscunque illius receſſibus retineri ſine damno abſolute non poſſunt: quandoquidem non ſolus *ſanguis* corruptioni expoſitus eſt, ſed vniuerſum omnino *corpus*, & omnes eius tam ſolidiſſimæ quam molliores partes: non ſufficit, vt a *ſanguine* ſolum *ſecretæ* ſint ſeu remotæ illæ *heterogeneitates*, ſed oportet omnino, vt etiam ex illis receſſibus ſolidarum adhuc partium, adeoque *ex vniuerſo* tandem corpore *emoueantur*. Quod ſi non fieret, corriperentur vtique *ſolidæ partes* corruptelarum illarum energia: & ſi hoc ita procederet, quia ſanguis per partium ſolidarum texturam incedere debet, ea turbata, ibidem in ſtaſes & corruptiones ineuitabiliter, & præcipiti certe caſu rueret.

§. CXII. Hæc res, cum inprimis craſſa quædam, & etiam ab vniuerſo *ſanguine* eiusque *circulatione* in ſolidum diuerſa, corruptibilium & corruptiuarum materiarum genera ſub ſe complectatur, certe ſimpliciter κατ' ἄνθρωπον informare deberet ingenia, quamuis ad exactiores agnitiones reſpectuum *a priori*, & ſucceſſuum atque effectuum *a poſteriori* ſubſumtiones atque collectiones imparia. Quantumlibet enim ſatis cognitum habeam, quod alia ingenii ἀκρίβεια opus ſit ad cognoſcendam neceſſitatem *a priori*, eiusque nexum cum ſucceſſibus & effectibus *a poſteriori*: tamen etiam craſſiſſimarum rerum ignorantiam non cadere in quenquam merito putari deberet; præcipue, cum pro reliquis moribus, & nudis terminis in theſi alicui imputaretur, vel pro iniuria illud acceptum iri etiam indubium ſit. *Quæ cognita eſſe debet Medico.*

§. CXIII. Vt vero vtique luce meridiana clarius emicet, quod talia vere ita fiant, applicanda certe hæc veniunt etiam ita in ſe & a priori opinioni illi, quæ totum negotium vitale collocat *in circuitu ſanguinis* abſolute & ſimpliciter tali. Certe enim nemo videri volet ſen- *Conſeruatio corporis non ſimpliciter a nudo circuitu ſanguinis dependet.*

ſentire, quod *ſtercus* in inteſtinis ſit *ſanguis*, aut ſit *ex ſanguine*, adeoque *circumlatum* fuerit cum ſanguine; aut quod progreſſus eius per longitudinem inteſtinorum etiam ſit *ſpecies circulationis ſanguinis*, aut pars eius, aut ab illa quocunque tandem modo pendeat. Et tamen nunquam quisquam crediderit, quod hæc excrementa omnino abſoluta neceſſitate *eiicienda* eſſe e corpore negaturi ſint. Quamobrem autem *eiicienda?* Ita etiam *vrina*, quando ſemel in *veſicam* e ſanguine ſemota eſt, quid habet cum *circulatione* ſanguinis? An non autem hæc omnia atque ſingula etiam *a priori* neceſſario ſunt emouenda, & quidem ſub certo non ſolum, ſed maxime etiam veloci ſucceſſu *corruptionis*, non ſolum ſui, ſed etiam partium continentium, & in illis etiam commeantis ſanguinis? Tam longe abeſt ita NVDVS *curſus atque circuitus* ſanguinis a vera illa *neceſſitate* conſeruationis corporis; quæ etiam *a priori* adeo abſolute neceſſaria eſt, tum in genere tam in fluidis, quam ſolidis partibus: tum in ſolidis in ſpecie, cum illis corruptio accidere nunquam poſſit, quin directe etiam ſanguinis corruptionem immediate poſt ſe trahat.

Stimulatio materiarum excrementitiarum refutatur.

§. CXIV. Vt vero omnes illas ἀταξίας conſiderandi atque colligendi ad normam aliquam ſimpliciorem reuocemus, abſoluenda omnino breuiter erit inauſpicata illa *ſtimulatio*, cuius prætextu has res expediri poſſe ſibi perſuadent; dum nempe dicunt, materias tales excrementitias *ſtimulare* partes, vt illæ *ſe contrahant*, adeoque contenta illa ſtimulantia expellant. Quamlibet autem nimio plus ſciam, quod qui has res ita tractare deſudant, non ſolum a nominibus *cauſalium nexuum*, ſed etiam ab ipſa illorum hiſtoria admodum longe abſint, ſeu abhorreant; ſpero tamen adeo rigidos non fore, quin tam ſimplicem conſiderationem in animum admittant, vtrum ſanæ rationi propinquius videatur, an, quod v. gr. *veſica* facta ſit *eo fine*, vt aliquid eſſet, quod ab vrina *ſtimulari* poſſet? an vero vt eſſet, quod illam ſeorſim a ſanguine *ſuſciperet*, & tandem etiam emitteret? Vbi præterea de hac ipſa *ſtimulatione*, v. gr. *vrinæ*, quid manifeſtius eſt, quam quod illa *veſicam* minime ita ſtimulet; cum non in veſicæ, ſed *ſphincteris* veſicæ commotionibus omnis ille ad hanc *emiſſionem*, ſeu vltimam excretionem, effectus hæreat. Qui tamen *ſphincter*, quomodo ab vrina ita ſimpliciter ſtimulari poſſit, quis vnquam expediret?

Secretio etiam non ſufficit ad corporis conſeruationem.

§. CXV. Vt vero e perplexis hiſce rebus in noſtram viam redeamus, vtique nec ipſa adhuc *ſecretio* ſufficit pro vniuerſi corporis neceſſaria ſalutione, vt ab omni illa *energia deſtructoria* immune

per-

perſiſtat. Licet enim ſanguis immediate, ipſa *ſecretione* talium hete-rogeneorum tantiſper conſeruatus, in ſua integritate exſiſtere re vera intelligi debeat: tamen minime *durabilis* eſſet hæc conſeruatio, vtpote ſtatim interitura, ſimulatque illa ex ipſo ſequeſtrata, & alicubi etiam copioſe atque confertim vnita & collecta, *ſolidas* partes corruptura eſ-ſent; quarum interitu etiam ipſi ſanguini parem mox cladem incumbere nemo contradicet.

§. CXVI. Poſſemus de ſanguine ipſo, eiusque motu circu-latorio ſimpliciter & directe adhuc illud monere, vt perpendatur, quæ-nam veriſimilior ratio phyſica (dico, ratio) videri poſſit, cur ipſe ſan-guis ita *in circulum moueatur* ſeu indeſinenter circuletur? an veri ſimi-lius ſit, hoc fieri in *nullo penitus ordine ad vllam* phyſicam *vtilitatem aut neceſſitatem*, ſed ſimpliciter *ſolum fieri*, *vt fiat?* an vero proba-bilius ſit, & euidentiſſime quidem, fieri propterea, *quia niſi fieret*, *ſanguis ipſe non duraret.* Vere enim opinio illa, quod *vita in circula-tione ſanguinis* immediate conſiſtat, idem penitus inuoluit, ac ſi diceretur, *ſanguinem propterea exſiſtere*, *vt perpetuo moueri poſſit;* cum e veriore ſanguinis conſideratione euidentiſſimum ſit *oppoſitum*, nempe quod *motus ille ſanguini propterea adhibendus ſit*, *vt ſanguis perpetuo* (diu, in longum tempus) *exſiſtere atque manere poſſit*: quamuis præ-terea minime hic *ſolus circulatorius* modus, ſed vlteriore effectu, *ſe-cretorius & excretorius.* Quænam ſit ratio phyſica circulationis ſanguinis.

§. CXVII. Sed, miſſis tandem omnibus horum generum reſpectibus, vt illum directe atque preſſe proſequamur, cui præſens hic locus proprie deſtinatus eſt, venit tractanda illa quæſtio, quidnam ex hiſce reſpectibus *inſtrumentalium vitalium actuum* medico vſui ſer-uire poſſit? Dixi autem, & notum vtique eſſe debet, quod nihil cen-ſendum ſit Medicum, niſi quod ad vſum artis Medicæ quadret: & tanto magis quidem, quo magis directe hoc facit. Iam ſi intueamur RE-MOTIOREM illum habitum *inſtrumentalis* huius conſeruatorii actus, quem *circulationem ſanguinis* eſſe diximus, & perpendamus, quidnam in hanc, aut per illam in reliquum corpus directe poſſit Medicus? nihil profecto vsquam inuenietur, quod circa illam, ipſum inquam ſiue *im-pulſum* ſiue *progreſſum* atque *ſucceſſum* ſanguinis, Medicus reuera in poteſtate ſua habeat, vt illud *ordinate*, *moderate*, breuiter, vllo mo-do *proportionate*, nedum *variis modis* proportionate exercere & ad-miniſtrare poſſit. Statim enim hic iterum dehiſcit præcipitium illud, mendacium perſuaſionum tam de expeditiſſimis illis *alterationibus* Quidnam hi reſpectus inſtrumentali-um actuum vitalium medico vſui ſerui-re poſſint.

materiæ, tam de facillima illa *analepſi*, quæ omnes *anomalias* etiam *mouentium*, quæcunque tandem finguntur, non ſimpliciter ſiſtere aut temperare, aut ſuſcitare, ſed, quod hic proprie neruum totius rei conſtituit, IN ORDINEM REDIGERE poſſit: & quidem in illum *ordinem*, qui non ſolum *in genere* ſimplici motuum naturalium *ordinariorum*, vt in corpore ſibi conſtante, ſucceſſui quadrare poſſit; ſed etiam tali, qui quibuslibet *aduentitiarum* noxiarum materiarum, cuiuscunque *actiuitatis* illæ ſint, omnibus *inſolitis* proportionibus quadret atque ſatisfaciat. Plane contrario modo ſeſe habet *poteſtas Medici in actus ſecretorios & excretorios*: inprimis autem *poſteriores*. Quis enim neſcit, nedum vt negauerit, quod *ars* inprimis *excretiones* varias *prouocare*, *incitare*, *augere*, *minuere*, *cohibere* poſſit, communiter etiam vere artificialiter, quo *tempore*, quo *loco* (modo in genere *apto*) voluerit.

Quo modo Medicus corpori ſuccurrere poſſit.

§. CXVIII. Hæc certe eſt illa pars, vt vltima atque vere *ſpecialiſſima*, *vitalis organiſmi*, imo totius negotii vitalis, in quam *vnice* talia *vere* præſtare poſſit Medicus, vi per hanc ſibi conceſſam poteſtatem innumeris modis ſuccurrere variis occurrentibus corpori periculis valeat. Ad hanc ipſam rem adiuuandam, atque ſubleuandam corporis conſeruationem, inprimis per plenariam *euacuationem*, adeoque *remotionem* abſolutam rerum *alienarum noxiarum* a corpore, poteſt pluribus modis concurrere. Certiſſime *immediate*, ipſas illas ſpecies *motuum excretoriorum* quaſi *directe & ſimpliciter* incitando, aut inhibendo; paulo iam *impeditius* & incertiore ſucceſſu, *vias* diſponendo: *obſcuriore* omnium & paſſim etiam *difficiliore*, energia *materiam*, *peccantem directe & ſimpliciter* ad illas excretionis ſpecies, quæ illi proprie quadrant, diſponendo & adaptando.

Secretiones & excretiones œconomiæ animali perutiles ſunt.

§. CXIX. Habet itaque eximium penitus vſum conſideratio atque vera notitia illius efficaciæ, quam etiam *nulla arte adiutæ* in œconomia animali ſpontanee procedentes *ſecretiones & excretiones* poſſident & exhibent, ad præſtandam vitalem conſeruationem, tum *ordinarie*, in ſtatu corporis integro, tum etiam extra illum ordinem, quando nempe integro ſtatui iam multum inſolitæ, imo periculoſæ materiæ in corpore oberrant: vbi in indiuiduis, *vegeto & conſtanti* atque *ordinato* actionum harum ſuarum *typo* atque *exercitio* adſuetis, omnino ſponte perpetratur, quidquid in aliis, ab hac *al..ritate* alienioribus, per *artificioſa* moderamina atque regimina exigendum venit.

§. CXX.

§. CXX. Dico, ab *illis ipſis* exigendum: quia non ſolum *primo*, re vera ipſamet hoc poſſunt, modo poteſtatem illam ſuam in effectum deducere & ſuſcipere, & debito ordine atque typo proſequi re vera aggrediantur: Sed etiam *ſecundo*, quia omni modo abſolute & ſimpliciter neceſſarium eſt, vt ipſamet *concurrant*. Quandoquidem Medicus *per ſe* nihil, vel minimum omnium eorum efficere in corpore valeret, quæ ſola vtiliter ſibi proponere debet, nempe *motus* tum *remote*, tum *proxime* efficaces ad illam alienorum eiectionem: ſed vnice illorum effectum, in genere quidem, ab ipſo indiuiduo exſpectare debeat, ita vt ipſi Medico non tam ipſos illos *motus*, quam ſolum *modos* illorum producere obtingat. *Tertio* præterea, quoniam etiam in pleriſque omnino p. n. conſtitutionibus Medicus neque *faciliorem*, neque cumprimis *certiorem* atque ſecuriorem methodum inuenire valet, quam illa eſſe ſolet, qua varia huiusmodi indiuidua, etiam ſine vllis externis ſubſidiis, ſponte ſua, propria inquam *ſua energia* ab illis iisdem periclitationum generibus corpus ſuum liberant.

Quas Medicas non per ſe efficere poteſt ſed indiuiduorum energia concurrere debet.

§. CXXI. Vbi perpetuo notandum eſt, quod illa iterum nominata *energia* re vera corpori *viuo propria* intelligenda ſit; nempe, de reliquo abſolute ipſa illa *ordinaria*, non aliter, niſi ſolo *modo* ſeu *modulo*, vel paulo maioris *intenſionis*, vel verſus certum locum *directionis*, vel certi cuiusdam typi ſeu *ordinis*, varianda. Quod proinde in *alacrioribus* atque conſtantioris actiuitatis geniis factu nequaquam ita difficile eſſe, facile comprehendi poteſt. Hæc proinde re vera eſt illa, non ſolum vtilis, ſed etiam vnice *neceſſaria* theoria, notitia, imo ſcientia, quam de *vitali* negotio Medicus inprimis perſpectiſſimam habere debet; quæque non ſolum ſeruiat, imo neceſſaria ſit *intentionibus* eius, imo efformandis *inuentionibus*; ſed etiam e reliquo toto mediati *vitalis* negotii habitu vix non ſimpliciter vnice ita ſe habeat atque gerat: dum nempe ſecundum ea, quæ iam abunde deducta ſunt, omnes reliquæ circumſtantiæ vt a *poteſtate*, ita ab *vſu* Medici re vera alienæ ſunt.

Hæc energia corpori viuo propria eſt.

§. CXXII. Cum autem hac ratione ſatis diluceſcere poſſit, quantum interſit artis Medicæ, vt perſpectam habeat non tantum *diuerſitatem* corporis *materialiter*, ſed & contra, quatenus *viuum* eſt, conſiderati; quo ipſo propoſito meo ſatisfeciſſe videri poſſem: tamen cum multi hominum exſiſtant, qui animum ſuum componere ipſimet non valeant, quamdiu adhuc publice & ſolenniter obiecta dubia ante oculos iacent, quæ ipſi proprio marte ſatis enucleare forte non ſtatim compotes ſint; neceſſarium proinde duco antequam finem ſtatuam,

Quidnam ſub adminiſtratione actionum vitalium animæ humanæ tribuendum ſit.

adhuc ſuperpondii loco aliquid adiicere de dubio iterum iterumque recocto, *quidnam ſub actionum vitalium, ne dicam organicarum, adminiſtratione tribuendum atque imputandum ſit* ANIMAE HVMANAE. Ita enim formandus eſt verus quæſtionis ſenſus; qui in perplexa illa dubitatione pro reliquo conſtanti more nullus eſt niſi *indiſtinctus*, & generalitate nuda *confuſus*. Certe enim *brutorum animabus* hanc *actiones vitales* ſecundum *materialis* conſtitutionis exigentiam regendi energiam non denegauerint, cum in illa ceſſet iſta *ratio*, quæ *humanam* animam impedire ipſis videtur, nempe quod *a rebus materialibus* nec *affici* poſſit, nec in illas quocunque modo *agere*, quia *immaterialis*.

Corpus eſt propter animam, & hæc in illo eſt, atque per illud & in illud agit.

§. CXXIII. Interim nec in hac tractatione æque neceſſarium eſſe exiſtimo, de illis reſpectibus multa verba facere, quos partim in diſquiſ. *de differentia mechaniſmi & organiſmi* deduxi, partim aliis locis; nempe, quod non ſolum *corpus ſimpliciter propter animam humanam, rationalem* inquam, *exſiſtere neceſſario* oporteat, ſed etiam *abſolute propter nullam aliam rem*; & omnino etiam ne quidem vlli alteri rei vel vnicum vſum præſtare poſſit *organica* ſua conſtitutione; quod etiam *anima rationalis* non ſolum *corpori* huic *inſit*; ſed etiam & *per illud agat*, *ſentiendo*, & *in illud agat*, *motus locales* producendo. (Vbi merito deriſui ſunt, qui alias quidem *metaphyſicas abſtractiones* inconſiderate damnant; at hoc in loco rem effingunt neque *phyſicam*, proprio illorum teſtimonio ab *anima rationali* vtique perpetrandam; neque *metaphyſicam*, quippe in *phyſicos*, vt ipſi craſſo modo volunt, *corporales* motus locales efficaciſſime actiuam, nempe *actum directionis*, ſecundum illos ab *actu motus ſubſtantialiter* diuerſam atque ſeparatam.)

Anima in corpus agit per pathemata animi. Habilis eſt ad mouendum corpus. Per corporis læſiones triſtis redditur.

§. CXXIV. Quodque huius rei exempla & in *phyſicis* & in *medicis* conſideratu digniſſima, & omnibus momentis fieri parata, & *promtiſſime* & *fortiſſime* paſſim edat ſub *pathematibus animi*. Quod ſuper omnia anima etiam ſimpliciter *a priori compotem* atque *habilem* ſe exhibeat ad *mouendum* corpus; cum *motus*, vt res *incorporea*, omnino ſupponat *cauſſam* etiam parem. Sicut etiam vlterius, corporis *periclitationes inſignes*, aut plane *violationes*, *rationali animæ*, vti non inepte vocantur, *triſtes* reddunt ſenſationes & *anxios metus*. Quarum rerum agmen claudit, etiam ab *alia anima*, intentis *fictionibus* cum falſis *æſtimationibus* indulgente, *ſtructuræ alterius corporis*, nempe *actui ſtructionis*, oblata peregrina & a tota illa ſpecie ALIENA IDEA, (nempe *non ipſa* quidem *directio* immediate, ſed conceptus

tamen

tamen communicatus) *ad* ita *inſtituendam directionem*, ſeu potius tali directione perpetrandam *motionem*. qua *ſtructura* corporis efformatoria de puncto ad punctum peragitur, nempe in *næuis maternis*: vbi non tam inſolita *conſtructio*, quam præcedentis ſtructuræ, iam maximam partem abſolutæ *deſtructio*, & tunc demum noua in eius locum *coordinatio*, ſummam conſiderationem poſtulant. Vbi certe minime mirum eſt, quod, vt hæc ipſa vltima res, ita illæ etiam præcedentes, earumque legitimæ exquiſitæ penſitationes, ſpiſſa ingenia, & paſſim ſuper ipſas etiam materias ceſpitantia, tota, quod aiunt, arena poſt ſe relinquant.

Næui materni ſummam conſiderationem merentur.

§. CXXV. Omiſſis inquam his, ſolum illam quæſtionem luſtrabimus: *quatenus*, *in quantum*, *quo ordine* diuerſæ tales actiones non ſolum *animæ* imputari ſeu aſſignari poſſint; ſed in iiſdem, imo per eaſdem, omnino etiam anima ipſa a *directione* illa ſua, imo, pro modis diuerſis ita occurrendi, non raro ab vniuerſa ſua *intentione* circa varias tales actiones dimoueri poſſit? & ſi quid horum ita fiat, qua nam expreſſionis formula hoc enunciare conueniat?

Quatenus hæ actiones animæ imputari, & illa iterum in iiſdem turbari poſſit?

§. CXXVI. Ne vero prolixis poſitionibus *in theſi* immoremur, ſubminiſtrat occaſionem ipſa peculiaris *hypotheſis*, quæ arguit, quod quicunque hæc talia animæ tribuunt, faciant hoc reſpectu & ordine *nexus immediati*, ſiue actionis, nullo *medio* inſtrumento ſubnixæ. Quantumlibet enim hanc ſuam ſententiam, qui hæc ita proturbant, hiſce terminis nusquam forte eloquantur; quando quidem vim illorum, & reliquorum, cauſſalem ordinem vulgato vſu ſignificantium, vel ignorant, vel certe rebus applicare non intelligunt, quin paſſim ὕστερον πρότερον volutent: tamen hoc ipſum prorſus aliis verbis exprimunt, dum dicunt: ſi anima ſupponatur eſſe autor vitalium motuum, „hi autem motus quemcunque defectum incurrant, & Medicus hunc „corrigere in animum inducat, ſiue vti vſitato vocabulo loquuntur, „curare; quod intelligendum ſit, hoc idem ſonare, & Medicus putan„dus ſit idem velle, ac ANIMAM CVRARE. Quod ipſum cum nullo modo ita fieri poſſit, ridiculos putant fore, qui de hiſce rebus loquantur.

Hypotheſis aliena.

§. CXXVII. Niſi vero malitioſa fictio, ſed vera ignorantia elenchi huiusmodi imputationis, aut explicationis vel acceptionis, fundamentum eſſet, certe difficile neceſſario foret huic mederi, imo impoſſibile, per ordinatam methodum diſtinguendi atque demonſtrandi hoc præſtare. Certe enim irriti hic forent termini illi *a priori*, *immediate*; &, *mediate*, *a poſteriori*: Nedum *efficienter*, *directe*; aut

Malitioſe ficta & imputata.

inſtrumentaliter, *per indirectum.* Si enim intelligi poſſet, quid per hos terminos denotari ſoleat, & quid illud in rerum huius vniuerſi œconomia valeat, non poſſet quisquam in huiusmodi ſimpliciſſimis conceptibus tam perdite labi.

Cui argumentis κατ' ἄνθρωπον occurrendum.

§. CXXVIII. His autem rebus irritis, nullum vsquam remanet ſubſidium, niſi vt ſimpliciſſima illa via eligatur, quæ honeſta appellatione mitior, (cum alias hominibus κυρίως talibus, non æque per huiusmodi ambages incedere neceſſe ſit,) vulgo *argumentatio ad hominem, κατ' ἄνθρωπον*, appellatur. Nempe ſi ille, qui non ita multo ante in platea conſpectus eſt, poſtea in ſuperiore ædium contignatione, aut in turri conſpiciatur; non iudicandum eſt, quaſi alis eo ſubuolauerit, aut a ſpiritu quocunque eo deportatus ſit, aut vento raptus; ſed quod omnino pedibus ſuis facile eo peruenire potuerit. Nauclerus quando nauem flectere cupit, aut plane ſiſtere impetum curſus eius, non opus habet, vt ventum in aliud latus cogat, aut faciei illi, vt pictores rudes delineant, os obturet: ſed illic clauum inter aquas obuertendo, hic vela vento ſubtrahendo, facile voto potitur. Ita etiam fœminæ hoc ſciunt, in machina illa aſſatoria, cuius ſucceſſum, quoties inhibere placet, facillime ſiſtunt, non ſpiram totius machinæ impulſorem, elaſticam, propterea rumpendo; quamuis certiſſime ſciant, quod hac methodo motus ille in ſolidum ſiſti poſſit: ſed obiiciunt qualemcunque remoram, cuicunque, etiam ex vltimis, rotæ, aut ventilabro illi, quod aliæ Windfang, aliæ die Unruhe appellant.

Ex quibus intelligi poteſt, quod mouenti vtique impedimenta opponi poſſint.

Confido autem certo fore, vt ex his tam luculentis exemplis agnoſcatur, eſſe omnino poſſibile, *vt alicuius mouentis*, *ſi non ipſa efficacia*, *tamen effectus* (ſed, pax, ſtatim iterum termini metaphyſici!) dico, non mouens illud ipſum, ne mouere poſſit, impediatur, tamen *res*, *quam mouere deberet*, ita *occupetur*, vt illud mouens *liberam* ſuam vim in illud exſerere non poſſit. Quod certe maxime legitima appellatione tam ad *animam humanam*, quam ad *lapidem*, quo horologia publica impelluntur, quadrat.

Alia falſa hypotheſis de animæ actionibus.

§. CXXIX. Vt vero etiam commonſtrem, quam vtiliter hæc medicina adhibeatur etiam eiusmodi malis, quæ vulgo longe magis impedita videntur, & in quibus vir etiam non indoctus tamen certo deriſui fore iudicatur; inſpiciemus breuiſſimis, ſecundum hæc paradigmata, quæſtiones illas: ſi anima rationalis a *motibus* vitalibus nullo momento, ſi omnia recte fiant, omittendis, eorumque *proportione*, parem proportionem *in agendo* ſuas proprias actiones arripit, aut accipit, aut ſuſcipit, breuiter, ſi res hæc ipſa manifeſto ita ſit; an hoc ſit *animæ ipſius*

in

in ſe talis *diuerſitas*, quæ, vt *a priori*, *ſpecifica* appellari poſſit? Aut, ſi non *ſpecifica*, *eſſentialis*, *interna* hæc ſit alteratio, an propterea etiam illam nomine generalis *diuerſitatis* notare, inter homines (quantumlibet etiam hi ſoli riſibiles ſint) *ridiculum*, adeoque propterea quisquam honeſte *deriſui* haberi poſſit?

§. CXXX. Tota, de qua hoc dicitur, hypotheſis vt in ſe ſimpliciſſime perſpicua eſt ingeniis ratiocinandi peritis, ita tanto magis illud in ipſa euidens exſiſtit, quod ſimpliciter & abſolute has *duas* res pro fundamento habeat: 1) quod originem ſuam trahat *a poſteriori*, adeoque *redundet* demum *in animam*, *ſuperueniat* quaſi animæ, *accedat* eiusdem actionibus, neque tam ſit vlla *noua ſpecialis* res, quam ſolum *modus rei;* dico, non *animæ*, ſed *actionum* ſolum eius modificatio: 2) quod ortum ſuum ducat remotius *a cauſſis* omnino *corporeis*: propinquius *a motibus inter* atque *circa* cauſſas *corporeas*. Fundamentum huius hypotheſeos.

§. CXXXI. Iam omnibus hominibus, ſed tamen decenter vſus ſanæ rationis compotibus, notiſſimum eſt, quænam differentia intercedat inter ſimplicem rei cuiuscunque conſtitutionem, qualem *in ſe* ipſa, & ita in ordine ad alias res *a priori* habet; & e contra talem, qualem *accedentem* demum ab aliarum rerum concurſu *a poſteriori ſuſcipit* atque nanciſcitur; imo inſuper, quam non *res illa ipſa*, ſed ſolum aliqua eius *energia* induit atque recipit: & ſuper omnia, non recipit *abſolute*, vt velut nouum *concretum* cum illo hinc induat; ſed *ſuperficialiter* potius adſciſcat, nec illud æque abſolutiſſime habeat atque *detineat*, ſed velut *adhæreſcens* ſibi, vt vulgo loquimur, ſuſtineat atque gerat. Quemadmodum autem neminem præterire poteſt, quænam ſit defferentia inter *rem ipſam*, atque *modum* ſolum rei: ita tanto maiorem hanc agnoſcet in ſubiecto *motus*; vbi nempe *modus motus* nihil eſt niſi certus *modulus*, certus *ſucceſſus* eiusdem, certus *ordo*, ſecundum quem *motus* ipſe fiat. Differentia eſt inter conſtitutionem rei a priori, & a poſteriori. Differentia etiam eſt inter rem ipſam & modum rei.

§. CXXXII. Quæ quidem omnia aut ſingula in ipſo *mouente*, & ipſa eius *ſubſtantia* aut *eſſentia inexſiſtere* & *inhærere*, nemo vnquam, niſi iſti tales, in animum admiſerit. Quantumlibet enim *idea* illa, ſecundum quam anima quascunque ſuas proprias operationes regit & inſtruit, illi *eſſentialiter indita* cenſeri poſſit, quantum ad ipſam *ſpeciem* attinet: tamen quantum *proportiones* concernit, quæ ſunt inter actiones, atque ipſas res, in quas illæ exercentur, & in primis illam proportionem, quæ *tali tempore* etiam *talis*, *certo* tempore *certa* occurrit, hoc magis, vti vulgo aiunt a *receptiuitate* materiæ circumſcribitur, quam ab Hæc omnia non ſunt de ſubſtantia aut eſſentia animæ ſeu mouentis.

ab ipſa *actiuitate agentis* ſimpliciter pendet. Ita facile quilibet capiet, quænam differentia intercedat inter *generaliorem actiuitatis* illius *diſpoſitionem*, & ſpecialiorem *habitum*, in quem illa differentibus *modulis deduci* poteſt. Tanto magis, cum proprie & accurate loquendo vniuerſi illi *moduli*, qui ita in *actiones*, de quibus ſermo eſt, cadunt, minime vsquam differant tota aliqua *ſpecie*; ſed ſimpliciter nudo *gradu*, ſiue vt alias loquimur, ſecundum *magis & minus*: *magis & minus autem non variare ſpeciem*, adeoque Κυρίως dictam *diuerſitatem*, nempe *ſpecificam*, inferre non poſſe, adoleſcentes etiam norunt.

An Anima ad menſuras temporis atque motuum habilis ſit?

§. CXXXIII. Multo minus difficultatis cuiquam oboriri bono iure poteſt, *an anima rationalis* ad *menſuras* tales *temporis* atque *motuum* concipiendas, *diſtinguendas*, & *ſecundum determinationem* certam non ſolum repetendas, ſed hoc ipſum etiam cum *voluntate* aliqua ſua agendum habilis ſit? Quando conſiderantur illæ non raræ aut admodum inſolitæ, ſed quotidianæ & vulgo notiſſimæ *adſuetudines*, quibus, etiam ſecundum ſimplicem *voluntatem*, ſine corporalium cauſſarum concurſu, tum etiam cum tali concurſu, varia exempla edit, inter quæ familiariſſimum eſt, actus *certis horis euigilandi*; aut contra, certis horis *conſuetis dormiendi* &c.

Animæ nexus cum motibus corporeis.

Quemadmodum de reliquo *nexus animæ rationalis* cum *motibus corporeis* non ſolum diluceſcit ex illis ita dictis *directionibus motuum voluntariorum*, ſed inprimis etiam ex efficacia animæ *ſpeculantis* in *ordinem* atque ſeriem, imo vniuerſum *actum* ſupremorum motuum corporalium, *pulſus*, *toni* vniuerſalis, & regiminis eius particularis, circa *ventriculum*: nempe *pulſus* & præſentiſſimis & grauiſſimis mutationibus a *terrore*, vel etiam *iracundia*; *conuulſiuorum* motuum violentiis a paribus cauſſis, *ventriculi* ſubuerſionibus ab imaginaria *nauſea*. E quibus vniuerſis rebus, etiam *a poſteriori*, κατ' ἄνθρωπον, luculenter apparet *agilitas* ipſa *animæ* ad huiusmodi *menſuras* tam *temporis*, quam *motuum corporalium* & concipiendas, & determinandas.

Motus animæ commercio aptiſſimus.

Quemadmodum *a priori* penitius conſiderantibus ſatis manifeſtum eſt, quod non ſolum *motus* ipſe, vt *res incorporea*, *animæ incorporeæ* commercio, adeoque *conſenſui*, ſit *aptiſſima*: ſed tanto magis vtique *proportio* motuum, & quidem inprimis non tam *ad organa*, quam *ad fines*, ſit aliquid omnino vere θεωρητέον, non autem *corporale*.

Proportio motuum non tam ad organa

§. CXXXIV. Quod modo dixi, *proportionem* motuum aliquam non tam *ad organa*, quam *ad fines* directam exſiſtere, facile intelligetur, conſiderando, quod *magis* aut *minus*, *fortius* aut *ſegnius*,

vno

vno *tenore*, aut interpolato, omni *tempore* aut *certo* moueri, minime ab vlla *diſpoſitione organorum* dependeat; ſed ſimpliciter a ratione atque proportione FINIS, ſiue *veri*, & ſecundum naturam, ſiue *ficti*, aut alias præter naturam, vrgentis &c. Diluceſcit etiam hæc res ex ipſa *directione voluntaria*, quam cum vtique omnes ſimpliciter concedant *animæ in corpus*, eo ipſo non poſſunt non agnoſcere, quod *directio* hæc, ſiue *celeritas* eius inſtituendæ, ſiue *tarditas*, ab *organis ipſis* nequaquam pendeat, ſed ſimpliciter ab *inſtituto* ipſo, ſiue *voluntate* hoc ITA agendi: cum tamen ſucceſſus huius intentionis in effectum deducendæ bonam partem ab organorum *habilitate* pendeat; adeo, vt in impeditoribus organis, licet ſummæ rei nihil decedat, *energia maiore* ad minimum opus ſit. Tamen ex hoc *habitu organorum ad directionis intentionem* neceſſario redundat *modificatio* quædam, nempe illa ipſa, quam nomine *ideæ motus* vulgo denotant; cuius vt in rebus ſaltem frequentius occurrentibus, ita tanto magis in perpetuis tanto facilius fit *ſtabilis* quædam talis obuerſatio, imo *verſatio*, quam *conſuetudinem* vocant.

quam ad fines directa.

Animæ conceditur directio voluntaria in corpus. Hæc requirit habitum organorum.

Idea motus

Conſuetudo

§. CXXXV. Vniuerſum autem hoc negotium luculentiſſime percipi poteſt e recte intellecto *actu ſenſationis*. Quod tamen illis dico, qui intelligunt; nam hos, de quibus hic nobis ſermo eſt, minime intelligere, non certum ſolum eſt, ſed etiam omnibus notum. Cum enim *ſenſus* nihil aliud ſit, quam reactiones ſubtilium *motuum externorum* in ſubtiliſſimos *motus ab anima*, percipiendi fine directe inſtitutos; dico, vere *ex inſtituto* factos atque ſuſceptos; & quidem *reactio*, vti dictum, *externorum* motuum: quid non exſpectandum erit ab *internis* huiusmodi *reactionibus*, ſeu ſimplicium *actionum remoris*, earumque efficacia ad prouocandas *ideas*, imo *intentiones* peculiares circa motionum inſtituendarum *proportiones*, & illarum, vt alias e crebro vſu, ita hic e perpetuo tali ſtatu, *adſuetudines*. Quæ ſingula certe quisquis non intelligit, nihil intelligit.

Senſationis actus.

§. CXXXVI. Quemadmodum autem hæc ſatis demonſtrant, quod nemo ſit, qui *eſſentialem* diuerſitatem *a priori* animabus eiusdem ſpeciei, nempe *humanis*, in primis ex hoc capite, tribuat; ita certe ſi in ſenſu ſuo ſano res hæc concipi non poſſet, nempe quod *motibus*, & inprimis eorundem *proportionibus*, ſi nihil aliud, ſaltim *percipiendis*, *anima* ipſa *idonea* eſſe poſſit; & quod inde *ideam ſibi adſuefacere* poſſit, ſecundum quam etiam *directos ſuos* actus poſthac inſtruat: quid demum intelligi poterit de illis ſpeculationibus, quæ *rem ipſam* quidem

Si concipi non poteſt, quod anima motibus idonea ſit, quomodo intelligetur, quod eius actiones a rebus corporeis alterari poſſint.

omnino ſiſtunt, circa *modum* autem fiendi talia proferunt, quæ non ſolum multo difficiliora, ſed ſi iuxta verum ordinem conſiderationis expendantur, nullatenus vera eſſe poſſunt. Dico de illis opinionibus, quæ *animæ rationalis actiones*, *inclinationes* ſeu *voluntates*, *mores*, a rebus *corporeis* omnino varie alterari poſſe atque ſolere, ponunt; quod hoc autem per *motum* rerum illarum corporearum ita fiat, negant: ſed ſimpliciter a *materiali* ratione corporum hoc pendere, affirmant. Quantumlibet enim, vtpote a diſtinctis expreſſionibus alieniſſimæ hæ opiniones, *verba* hæc nusquam diſerte exprimant, & vim etiam *terminorum* horum nusquam aſſequantur; tamen alterius ſenſus compotes eſſe non poſſunt, quia ſententiam, quod in *motibus* hæc verſentur, ridiculam cenſent. Iam vero quænam alia allegari poſſunt corporum principia, ſecundum quæ illa aliquid perficere poſſent, quam *materia* & *motus*.

Exprimendum erit, quo modo res corporeæ in animam agant.

§. CXXXVII. Vt vero *difficultates* illas exuant, neceſſarium certe ipſis erit rotundius ſe exprimere, QVOMODO res illæ *corporeæ*, ſi *motu* in animam non agant, aliter agant? ſiue, vt vernacula opinionum lingua loquar, quonam alio *modo materiæ*? Porro, in quidnam in ipſa anima res illæ corporeæ agant? an in ſubſtantiam eius ipſam? aut in energiam eius, ſeu efficaciam? & in qualem? quod tamen fere ſic ſatis exprimunt, dum *ingenium*, id eſt *intellectum*, *inclinationes*, id eſt, *voluntatem*, & *mores*, id eſt, *directiones motorias* pro voluntatis exſecutione, adeoque *omnes animæ actus* ſub hoc iugum mittunt. Dico, vt re vera ſine ambiguitate aut latibulo ſincere ſeſe determinent, neceſſe habebunt eloqui, quonam *ordine* animæ actionibus ita obices ponant? Non dicam an *a priori* vel *a poſteriori*, ne terminorum metaphyſicorum difficultas bonum opus peſſundet; ſed ſolum an *animam ipſam* mutent? an vero *efficaciam* eius ſiue *energiam in ſe* ſimpliciter ita præoccupent, & eneruent? an ſolum *effectibus* ipſis ſeſe immiſceant, vt illi acceſſione harum materiarum impuri fiant?

Materiæ poteſtas in animam conceditur, energia autem animæ in corpus negatur.

§. CXXXVIII. Quamuis enim ita ſatis dilucide præ ſe ferant, quod vtique hæ *materiæ* ius & poteſtatem in animam habeant, non autem *reciproce* anima in has materias aliquid poſſit; tamen de *modo*, ceu fundamento cui hoc aſſertum innitatur, abſolute neceſſarium eſt *rationem*, cui inniti liceat, non ſolum proferre, ſed omnino ſtabilire. Cum enim ita hæ opiniones antiqua illa arma repudient, nempe canonem illum philoſophicum: *materialis & immaterialis nullum eſſe commercium*; aliud certe fundamentum ſubſternant neceſſe eſt, quo nimirum

ſit

firment; *immaterialis quidem nullam eſſe energiam in corpus per motus, corpori autem & liberam & variam eſſe energiam in τὸ immateriale.* Vbi commoditatis gratia, quamuis ego nihil præſcribere velim, poterunt tamen ad minimum commode ſub nouum hunc neceſſarium canonem redigere, & illi exæquare effectus illos, qui in *vitam*, in *motum ſanguinis*, in *motus partium ſolidarum*, in *variationes motuum corporeorum ſecundum certas menſuras temporum*, in *ventriculum*, in *conformationem magnæ partis corporis*, imo in omnes *motus corporis fortiſſimos*, numero innumeros, & ſpecie longe plurimos, quos *voluntarios* vocamus, per *directionem* illorum determinatam redundant, e *terrore, timore, anxietate, iracundia, deſiderio, gaudio, amore, faſtidio, nauſea, imaginatione*, & tandem *ſimplici voluntatis arbitrio.*

§. CXXXIX. Merito tamen omnino exigit publicum intereſſe tam *veritatis*, quam *vtilitatis*, vt hæc fiant *perſpicua*, minime *obſcura*, vt omni errori occaſio præcidatur. Tunc demum ſua luce radiabunt IV. *argumentationes* illæ, formalibus poſitionibus ita, vti ſequuntur, alicubi prolatæ:

Quatuor argumenta de animæ impotentia in res corporeas.

(I) Quod, quia negotia vitalia corporeis motibus peragantur, anima, TANQVAM SOLO IMMATERIALI ACTV potens, *propterea* in illos motus nihil poſſit. Vbi determinandum erit abſolute, quid in his corporeis motibus ſit *inſtrumentale*, quid vero *efficiens*, ſeu ſub illis conuenientibus, & tamen facile variabilibus motibus, *directionis* actum adminiſtrans, quod alias *actuans* vocant.

(II) Hoc tamen minime obſtante, poſſit reagere hoc SOLIVS immaterialis motus capax, Agens in motus corporeos; exemplo motuum, qui *ſenſuum* (non ſimplicem impulſum, ſed) *æſtimationem* ſequuntur. (qui nempe motus craſſo modo fortiſſimi ſunt per organa corporea, & quidem ſecundum *proportionem temporis, gradus, & finis;* quæ proportio motuum talium, non ſenſus obiectis, vt in ſe ſunt, ſed vti tunc *æſtimantur*, ſimpliciter reſpondet.)

(III) Quod, quamuis hoc Agens (per primum argumentum) nihil poſſit in res corporeas, PROPTEREA quia SOLO *immateriali* actu polleat; tamen *mere corporeæ* res, *externæ* etiam, *maximam potentiam* habere poſſint, in hoc ipſum, nempe animam, & omnes eius (etiam directas & proprias) actiones (nempe SOLVM IDEALES ET IMMATERIALES.)

IV. Et tandem pro colophone e præcedentibus his, ſingulis aut omnibus, ducta argumentatio pancratica: quod, quia hæc ita ſe habeant,

beant, LIQVIDISSIME INDE SEQVATVR, quod animæ actiones a motibus rerum corporearum quoquo modo alieniſſimæ ſint. Harum rerum ſeries, nexus, & vis eius, ſi firmiter ſtabilita atque præſtita fuerit, ego ſancte teſtor, & credo quod omnes prudentes & periti homines mihi non iurato fidem habeant, quod ſerio credam, imo pro certiſſimo habeam, quod tunc tantum abfuturum ſit, vt quisquam probationes illas vere ſtabilitas eſſe audiens, illas deriſui habiturus ſit, vt potius horrore perculſum iri ſciam, & mundi excidium inſtans exſpectaturum: quia ſub talibus rerum nexibus poſthac mundus hic nunquam ſtare poterit.

Quid Medicus fundamenti loco habere debeat.

§. CXL. Ego vero vt pergam in mea ſphæra verſari, & theoriæ medicæ tractationi ſolida fundamenta ſubſternere, moneo porro, ſecundum illa, quæ ſuperius dicta ſunt, vt Medicus non ſolum *veriſſimi*, ſed vere *vnici ſupremi fundamenti* loco habeat atque æſtimet *veram notitiam ſecretionum & excretionum*, earumque quocunque *intermedio ordine miniſtrorum*, ſenſim ſenſimque *generaliorum*, *motuum* & *organorum*. Longiſſime autem diſtantem, vt in ſe eſt, ita agnoſcat & intelligat *circuitum* ſanguinis, *in ſe & qua talem*. Sicut enim ille, dum etiam recte ſuccedit, ad *medicam* artem antea nihil reſpicit; & prætera ad miraculum raro, ſi ſimplex *materiarum*, nempe tam *ſanguinis* quam *viarum* habitus conſideretur, aliquid ſontici detrimenti incurrit: ita ſi tamen hoc fiat, Medicus nunquam *directe*, *vt circuitum*, vel minimum iuuare poteſt, ſed ſimpliciter ad ſummum *materiæ* vitium corrigere; aut multo frequentius, cum illud admodum difficile ſit, incoërcibiles *corruptelas* illius materiæ *ad bonam ſecretionem & excretionem* diſponere. Quamlibet certe niſi præcipua *naturæ efficacia* hoc ſecretionum & excretionum negotium abſoluat, ipſe etiam directe nihil poſſit.

In quo conſiſtat Medici præcipuum officium & artificium.

§. CXLI. Sicut autem prudens Medicus me monitore opus non habet, ne omnia *ſpecialiora* ſchemata motuum humorum variorum, quibus tam *inutilium* quam vtilium paſſim *ſequeſtrationibus* debitis, *ſecretionibus & excretionibus* perpetrantur, cum *circuitu* ſanguinis *generali*, *quatenus circuit*, in vnum chaos confundat; ſed potius ſatis intelligat, quod totum eius & officium & artificium nihil aliud pro obiecto habeat, quam vt *ſingularium* humorum, præcipue vero *a tota* ſanguinis *maſſa* penitus *alienarum rerum*, *particulares* & numeroſe varias *e ſanguinea maſſa ſegregationes*, earumque *tempora*, *ſucceſſus*, *loca* conuenientia, *exitus* plenarios non ſolum bene intelligat,

&

& *proportines* harum rerum vere ſciat: verum etiam vt *particulariter* exſequatur, quicquid ad *ſingularum* neceſſitates *peculiarium ſubſidiorum*, experientiæ ſuffragio, vtile, & inprimis *ſecretorias* & *excretorias proportionatas* ablationes abſoluens, didicit.

§. CXLII. Ita inquam, & profecto non aliter, naſcetur *vera atque ſolida* THEORIA MEDICA; dico vera *rationalis* perceptio VITALIS *negotii*, non ſolum vt *in ſe* verum eſt, ſine omni defectu *reſpectuum atque nexuum* cauſſalium, ſed etiam vti ad *artem* medicam, non ſolum *vere* atque *directe*, ſed etiam VNICE faciat. Hæc theoria non ſolum *ſcientiam* ſolidiſſimam, ſed etiam *conſcientiam* tranquilliſſimam ſuppeditabit. Ego per Dei gratiam ſcio, quid ſcribam, & audacter prouoco omnes homines, rationis ſuæ recte compotes, vt mihi circa haſce equidem in ſe vtique ſimplices res, defectum aliquem ſolidæ, directe ad rem pertinentis DEMONSTRATIONIS commonſtrent. Vera & ſolida theoria medica.

§. CXLIII. Quemadmodum ex aduerſo, ego ſum paratiſſimus, in 50. circiter lineis, plus quam totidem, ex magna parte etiam grauiſſimas hallucinationes demonſtrare, circa hoc negotium publice (& quidem κατ' ἀντίθεσιν, ſi diis placet, procedendo) factas: nempe varie ἄλογα, ἀντίλογα, ἄθετα, ἀδιάθετα, ἀσύνθετα, ἀσύστατα, ἀσυλλόγιστα, παρέλεγχτα, ἄσκοπα, ἀνιστόρικα, ἀντίπρακτα. Vt mirum merito haberi poſſit, tam paruo ambitu ita paucarum linearum tantum numerum offenſionum comprehendi potuiſſe, circa rem ſua propria indole adeo ſimplicem, & ſui compoti rationi planiſſimam. Talibus autem fundamentis artem medicam ſuperſtruere, nos, quibuscunque volupe eſt, poteſtatem minime eripimus; interim vt ſua ſibi habeant libere permittenti, vt etiam illi reciproce, quæ illius ſunt, ab illis ſe abſtineant neceſſe eſt. Ego iterum mea fide dico, quod ad apodictice demonſtranda hæc, quæ de 50. lineis dixi, ſine vllo labore aut opera qualibet hora paratiſſimus ſim: minime tamen (licet illæ ἀντίθεσιν in forma tractare affectent) vlla ratione auidus huiusmodi occupationum, tum quia vtilius, fauente Deo, tempus collocandi occaſio non deeſt, tum quia re vera ſine animi & ſtomachi faſtidio talis occupatio non poteſt ſuccedere. Hallucinationes alterius theoriæ.

§. CXLIV. Quemadmodum autem etiam alias ἀκυρολογία, ſeu res *in lato* aut *confuſo* ſenſu accipiendi incuria, omni veriori de rebus *conceptui* atque *perceptioni* obicem ponit; ita ſimpliciter & abſolute vtique abeſſe debet a *ſcientia phyſica*, vtpote *cauſſarum* euolutioni, quatenus ſcientia eſt, tota dicata. Abeſſe debet a *medicina*, *arte* me- Ἀκυρολογία abeſſe debet a medicina.

medica, quatenus *habitus* eſſe intelligitur *cum recta ratione effectiuus.* Vbi vero *recta* poteſt eſſe *ratio*, quamdiu peruerſis & præpoſteris, imo alienis conceptibus atque rerum tractandarum reſpectibus errat? Quid, quod nec ipſi *hiſtoriæ* ſimplici conuenit, rerum geſtarum *ordinem* inuertere, & *generalibus* inſiſtendo *ſpecialiora*, inprimis quibus *hiſtoria* ita particulariter exprimendis occupari debuerat, negligere, aut tanquam hæc etiam ex illis intelligi deberent, imo ſponte fluerent, quaſi ſupponere. Sicuti hoc tam in aliis hiſtoriis, quam inprimis in *genealogiis* abſurdum eſſet; ita, cum *ſcientificæ* euolutiones veræ ſint *genealogiæ* rerum, quam alienum foret *affinitates* has inuertere, aut paſſim *generationes* aut *connubia* quoque omittere, quilibet facile intelliget.

Neque etiam hiſtoriæ ordo inuertendus.

Hypotheſis, quod motus cordis & progreſſus ſanguinis vita habeantur multas implicationes inuoluit.

§. CXLV. Ita etiam ſolennis hnius hypotheſeos, vt illa quidem nominat, demonſtratio, quod *motus cordis*, adeoque *generaliſſime* ſumtus *progreſſus ſanguinis*, vere & immediate VITA haberi debeant; quia ſimulatque hic ſubſiſtat, omnes actiones per vniuerſum corpus, etiam *ſenſitiuæ*, & ipſæ *rationales*, ſtatim & *immediate* ſimul deſinant: hæc inquam locutio, quod & quantas diſtinctionum neceſſariarum, nedum verarum, *implicationes* inuoluat, cuilibet notum eſſe poteſt. Ita enim certe adoleſcentes logicam diſcentes ſtatim reſpondere poterunt, quod mirum non ſit, *negato genere*, eo ipſo momento *negari ſpecies* omnes, & tamen *genus* propterea non eſſe illas *ſpecies* aut *contra*; negatis *remotis cauſſis*, ſed tamen *eſſentialibus*, negari illarum *progeniem*, aut certe productionem, *propinquiores* & *proximas*: negato *inſtrumentali* miniſterio, negari *effectus* ſub illo perpetrandos. Poſita vero etiam (ad ſpecialem effectum directe) *proprietate ordinis*, minime tamen inde ſimul ſequi *prærogatiuam dignitatis*, aut *efficaciæ formalis* vltimæ. Ita enim circulatio ſanguinis, ſub hac eadem acceptione qua *vita* eſſe dicitur, ſimpliciter etiam dicenda eſſet *ratio;* quod certe adoleſcentes logicæ candidati hoc ipſiſſimo argumento, per nudam inſtantiam, prolixius demonſtrare parati erunt.

Inſtantia aduerſus corruptionem examinatur.

§. CXLVI. Eiusdem autem omnino cenſus eſt etiam illa inſtantia aduerſus *corruptionem*, tanquam *ſtrictiſſime* dicendam *mortem*, obiecta: quod *corpora in ſummis frigoribus non putreſcant*, & tamen vere ſint *mortua*: *ſpiritu vini* etiam ſtatim infuſa non putreſcant, & tamen ſint mortua. Certe vero debebant hic ſine ὀδηγίᾳ intelligere, quod licet in ſtatu *ordinario*, adeoque ſolenniſſimo, certum omnino atque conſtans ſit, quod veram deſertionem vitalium motuum *putredo* conſequatur; tamen hoc ipſo huius poſitione non auferantur *extra-*

ordi-

ordinariæ, imò quædam etiam *ordinariæ* corruptionis *ſpecies*. Sicut enim *conſeruationis vitalis* directum ſubiectum eſt illa *mixtio*, atque inde fluens *craſis* ſeu *conſiſtentia*, quæ finibus ſuis decenter quadrat: ita omnis omnino eiusmodi huius *craſeos* & *mixtionis* corruptio, quæ corpus *vſibus* ſuis conſtanter, & irreuocabili effectu abſolute inidoneum reddit, vere eſt *mors* eius. Vnde vtique ipſum *ſerum excrementitium* tam vere eſt *mortuum*, quam pars *ſphacelo* adfecta. Interim vti merito *a potiori* ſit denominatio, inprimis pro ſolenniori, non tamen prorſus *ἀκύρῳ* accipiendi vſu: ita valet hoc etiam de efficacia illa *frigoris*. Sicut enim de hoc *frigoris* effectu, quando vere *mortem* parti intulit, (id eſt *priuationem*, a qua non detur regreſſus ad habitum; talem inquam deprauationem, vt *conſeruationi vitali* nullus amplius poſtliminio ſit locus) falſo diceretur, quod corpus in vera *ſua mixtione atque craſi incorruptum* ſeruet; ita pari prorſus catachreſi e tali præmiſſa duceretur concluſio.

§. CXLVII. Minime omnium autem hæc inſtantia in terminis ſeſe probabit vlli CHYMICO, ſed tamen rationali, nempe diſtinctos rerum ſucceſſus ſecundum verum ſuum ordinem intelligenti, vt ipſe etiam *artifex*, nempe cum *recta ratione* efficax operator eſſe valeat. Sicut enim talis etiam *remotas* cauſſas, ſed veras tamen *cauſſas*, *ad ſpecialem effectum* vltimum tam certo pertinere nouit, quam *genus* ad *ſpeciem*, & *materiam* ad concretum quodcunque *ſpecifica forma* determinandum: ita ad *putredinem* pertinere vere atque realiter omnem *coagulationem ſanguinis*, niſi mature iterum diſſoluatur, experimentis ſufficientibus nouit. Ipſæ vero etiam fœminæ norunt illam experientiam, quod frigoris effectus ita penetrans, vt non poſſit amplius in antiquam *conſiſtentiam* reuocari res ita congelata, verum ſit *initium putredinis*; id eſt, ſimulatque hoc *gelu* deſinat, progreſſus vlterior *putredinis* non ſolum ineuitabiliter ſequatur, ſed etiam iam ibi notabiliter *inualuiſſe* ſtatim appareat.

Ex chymia & experientia notum eſt, quod frigoris effectus putredinis initium ſit.

§. CXLVIII. Quemadmodum enim etiam *congelatio* non ſimpliciter & abſolute *vitam* ſubiecti tollit, ſed tunc demum, quando *penitiſſime* penetrando ipſam *mixtionem* corrupit; quod non ſolum in *membris gelatis*, nondum tamen penitiſſimo frigoris gradu, notum eſt, quod prudente gelu illius reſolutione (per *niuem*, aut *aquam* valde frigidam) iterum *viuidis conſeruationibus* reſtitui poſſit: ſed etiam in *pomis*, in *ouis*, non vltimo frigoris gradu ſubtiliſſime penetratis, quæ pari *aquæ frigidæ* medio priſtinæ ſuæ integritati redduntur. Sicut etiam

Congelatio non ſtatim vitam aufert.

iam *carpio* piſcis, ſi notabili gelu regnante illi exponatur, donec obrigeſcat, in hoc ſtatu per aliquot horas relinqui poteſt, & tamen poſtea in aquam non plane glaciali frigori proximam repoſitus, in locum ab actuali congelatione adhuc alienum, v. gr. cellam vinariam reponendo, & glaciali ſuo rigore liberatur, & actionibus tam vitalibus quam animalibus reſtituitur &c.

Fortiſſimum autem gelu mixtionem intimiorem diſſoluit.

§. CXLIX. Si tamen gelu fortiſſimum *poma* ita adfecit, vt veluti glaciali *ſplendore* niteant, quod vulgus exprimit: daß ſie zu Glaſe gefrohren ſind, diſſoluta reuera eo ipſo etiam intimiore illorum *mixtione*, quomodocunque regelaſcant, ſtatim conſiſtentiam illam exhibent *mollem* atque adſpectu etiam *ſubputridæ* æmulam, vere autem citiſſime vlterius *putreſcentem*; quam proinde vulgus in *pomis* vocula morſch, vt in pyris teig, inſignire ſolet: cum alias idem vocabulum *contuſione* grauiter læſis etiam carnoſis] partibus, ſeu potius conſiſtentiæ ita læſæ, tribuere ſolet. Quod vero tali gelu fortiſſimo etiam intimior conſiſtentia *mixtorum* mutetur, liquet non ſolum *ouorum* exemplo, quæ huiusmodi actu in vnam fluidam intemperiem reducuntur, vt quoquo etiam modo a gelu liberata, tamen triplicem illam ſinceræ ſuæ conſiſtentiæ labem ſeruent (1) vt nullam *tenacitatem* ſed fluxilitatem præ ſe ferant, (2) *vitellum cum albumine* non ſolum *confuſum*, ſed & fere æqualiter ſubactum appareat, (3) etiam coquendo non ita, vti ſincera oua, vniuerſim *obdureſcant*: ſed exſerit ſe etiam huiusmodi efficacia in *vino*, *cereuiſia*, *aceto*, imo omnino *atramento ſcriptorio*, quin aliis inprimis tenerioribus *coloratis decoctis* officinarum tinctoriarum. Adeo vt etiam hic aduerſus chymiam experimentalem ἀκύρως loquantur, quicunque *ſummis* illis & *perpetuis* frigoribus corpus a *corruptione* etiam *putredinoſa* abſolute liberum ſeruari aſſeuerant.

Vera æſtimatio nexus tam motuum quam materiarum commendatur.

§. CL. Concludo itaque tandem, commendando verorum vbilibet, non ſolum e nudo ſucceſſu, ſed etiam *a neceſſitate* atque exigentia totius ſyſtematis, non ſolum *motuum*, ſed etiam *materiarum a priori*, & *vſuum a poſteriori*, dependentium *nexuum* veram *æſtimationem* & conſiderationem: ita enim facile apparebit, imo liquido diluceſcet, quid partim in propoſitis, partim in productis theſibus aut opinionibus firmo & intemerato imo inuiolabili nexu & vero ordine nitatur, aut contra illo deſtitutum, infirmo talo ſubnixum, titubantibus veſtigiis vacillet.

Num medicamenta in ipſam energiam naturæ operari poſſint.

§. CLI. Maxime omnium autem diſpicere de hoc conueniet circa applicationem harum rerum ad *vſum medicum.* Vtrum nimirum verum ſit, quod dentur talia *medicamenta*, & talis vniformis *methodus*, quibus ſimpliciter ſanguinem & *vtiles* humores impellendo, omnibus *particularibus alienis* humoribus; eorumque *effectibus*, quaſi ſponte ſua ſatisfiat: & hoc etiam tam *commode*, tam *cito*, tam *ſecure*, quam ſi *particulariter* magis *directe* humorum talium *ſeparationibus* & *expulſionibus* opera nauetur; inprimis ſub quocunque patientis ad *motus animi* atque *corporis* nimium quam συζύγῳ habitu, ſeu indole.

Vrgetur quidem αὐτοκρατία naturæ, ſed hæc omnia ſpecialiſſimis motuum directionibus agit.

§. CLII. Licet enim ego, profecto inter paucos propiorum horum temporum Medicos, quam maxime vrgeam αὐτοκρατικὴν illam *naturæ*, etiam ſine artis adminiculo, morborum expugnationem: tamen, cum illa hoc non præſtet, niſi in quibus *indiuiduis* & *indolis* ſuæ habitu, & *materiæ* optima diſpoſitione, & *organorum* plenaria tam *libertate* quam *habilitate* inſtructa eſt, præterea etiam, quandocunque hoc & intentiſſime & rectiſſime agit, minime omnium tamen hoc abſoluit ſimplici *ordinario* motu *generali* ſanguinis, ſed omnino *ſpecialiſſimis directionibus* motuum, ſecundum *proportionem temporis*, *menſuræ*, *ordinis*, & *locorum* excretoriorum. Tanto magis autem ad hoc ipſum vſurpat, nempe conuenienter inſtruit & actuat *peculiaria organa*, peculiaribus talibus effectibus idonea, vtpote qui ſimpliciter *ordinariis* illis *generalioribus* minime abſolui poſſent. Propterea certe minime inde mihi imputari poſſet, quaſi ex hac hypotheſi ſufficeret, ſi Medicus *ſimpliciter generali illi naturæ actui promouendo intentus ſit*; quandoquidem hoc ipſo ita *principium petitur*, quaſi natura hic nullo alio, quam ſimpliciter *generali* illo actu ipſa quoque ſic vtatur, non autem *ſpecialibus* plane eius directionibus, imo *ſpecialium* aliorum per ſpecialia organa, peculiariter *proportionatis* proſecutionibus.

Si generali ſanguinis motu tantum vtatur, Medicus per roborantia ipſi ſuccurrere poſſet.

§. CLIII. Ex hac enim non tam hypotheſi, ſed re ipſa vera e *naturæ* etiam *autocratica* energia nihil aliud conficere licet perita argumentatione, niſi illud vnum, quod ſufficere poſſet, ſi per *artem* natura directe in illa ſua *energia*, aut *alacritate ad agendum*, & ſimul tamen perpetuo ſeruando conuenientium *proportionum moderamine*, & quidem etiam multum a quotidiano *ordinario typo* differente, vt vulgo loquuntur, ROBORARI poſſet. At e diuerſo, minime inde fundamentum nanciſcetur illa directa ſubſumtio, quaſi hac ratione ſufficeret, *ſimpliciter circuitum ſanguinis in genere* augere, aut hunc in ſe expeditiorem reddere: cum vel ſimpliciſſime rem æſtimanti vtique palam

 ſit,

ſit, cardinem negotii verti in *ſpecialium & organorum*, *& progreſſuum* per illa, peculiariter etiam *proportionata*, gubernatione.

Roboratio hæc naturæ per medicinam vniuerſalem adhuc in ſpe poſſibilitatis hæret.

§. CLIII. Quantumlibet autem omnino libentiſſime conſentiam, quod optimum prorſus futurum eſſet illud conſilium, ſimpliciter atque directe *ipſam* NATVRAM ita vno ſimplici actu ROBORANDI, vt illa deinde vniuerſum negotium non ſolum *energia* ſua iuſta, ſed inprimis conueniente illius *moderamine* in poſterum ipſa proſequatur & exſequatur: tamen, quod meritiſſimo iure in altera illa intentione, *circulum ſanguinis directe* & inprimis *proportionate* PER ARTEM augendi, taxauimus; nempe quod illud nequaquam *in poteſtate* Medici, nedum ita in procliui poſitum ſit: illud valet tanto magis de hoc præſente etiam ſcopo. Cum nimirum hæc, de qua hic quæſtio eſt, ARS, ſimplicem illam talem NATVRAE ROBORATIONEM præſtandi, in hunc diem adhuc in *nuda ſpe* poſſibilitatis hæreat, ſub MEDICINAE VNIVERSALIS titulo, quam vt vllam propiorem *fiduciam* probabilitatis admittat, adeoque fere medicis vſibus, qui non *ſpem* ſed *rem* poſcunt, inepta ſit.

Vera methodus tam præſtandæ quam vindicandæ corporis vitæ.

§. CLIV. Vnde vtique tantisper illi methodo inſiſtere neceſſe eſt, quæ vere & re ipſa in effectum deduci poſſit; nempe vt A POSTERIORI PARTICVLATIM HIS INTENTIONIBVS SVCCVRRATVR, quod vnice fit per efficaces illas SPECIALIVM SECRETIONVM ET EXCRETIONVM, *ſpeciales* etiam, ſed *veras* tamen, & *factu* magis, quam quidquam aliud *poſſibiles* ARTIFICIALES moderationes, *a poſteriori* PROVOCANDAS atque GVBERNANDAS. Ita omnino & NVLLA ALIA VIA veram atque ſolidam vtilitatem MEDICAM capeſſere datur e vera *theoria vitæ*. Omnes autem aliæ illius conſiderationes, quemcunque tandem alium phyſicum vſum, modo ſine irritis figmentis inſtitutæ, re vera habere poſſint, a MEDICO tamen vſu certiſſime alienæ ſunt. Vnde debitam harum rerum diſcretionem idoneis ingeniis commendamus.

(o)

GEOR-

GEORGII ERNESTI STAHLII,

Doct. & Profeſſ. P.

DE

SCRIPTIS SVIS

AD HVNC DIEM

SCHEDIASMATIBVS

VINDICIAE QVAEDAM,

ET INDICIA.

Beneuolo Lectori Salutem!

CVm vsque ad hoc tempus partim directa officii mei ratione, partim temporis pro virili recte collocandi gratia variis ſchediis in lucem emiſſis monita diuerſa circa medicinam, & inprimis veram eius theoriam, veræ atque ſolidæ praxi conſentaneam, publico commendare cordi habuerim: euenit mihi, quod in talibus ſolet, vt, iuxta antiquam illam formulam, laudarentur ab his, culparentur ab illis; vtrumque autem fere præter meritum. Quamuis enim certo ſciam, ineſſe ſchediis meis varia, quæ a nemine Medico docto atque perito improbari poſſint, ſed re vera laude digniſſima ſint; quia tamen illa non tam mea ſunt, quam veritatis, imo diuinæ benignitatis humanæ naturæ collata beneficia, quæ ego ſimpliciter, tanquam rauca vox in deſerto medico, tantisper proclamare incepi: non potui hoc intuitu mihi ſumere, quicquid in hoc genere hic illic a viris, quorum de reliquo affectum gratus agnoſco, in hunc ſenſum amicis compellationibus litterariis mihi oblatum eſt. Cuius profecto rei non vltimo intuitu malui commercia litteraria penitus deprecari; quæ cæteroquin

captan-

captandarum huiuſmodi rerum, & famigerabilis celebritatis ſupremam machinam eſſe, vix puer ſit, qui neſciat.

Interim quicquid harum rerum negligens eſſe velim; eius exiſtimationis, quam ipſæ res merentur, ad ſolertiorem, ſi quæ futura eſt, poſteritatem ſecurus: non poſſum interim contrarium etiam probare, & indignas bonis notas in ſolidum negligere. Quamlibet enim illorum, qui vel plus, quam in me traham, fauent, non ſolum illud ſit, tam ex merito, quam ex numero, pondus, quo ἀντιστήκωμα illud, quolibet intuitu leue & inane, facile expendant, & altiſſime eleuent; quia tamen iſta inter varias arroſiones vnam atque alteram impreſſionem relinquunt, quæ acutioris dentis veſtigium exhibere imperitioribus apparere poſſet: non inconſultum duxi contrarium commonſtrare, &, quam nihil detrahant commorſicationes illæ, paucis condocere. Nempe, cum eiuſmodi male morati cenſores rem ipſam adeo non vituperare poſſint, vt illam quidem in ſe, & quantum ad ſummam ſuperficiem attinet, vel ex ipſo vſu edocti atque conuicti, etiam paſſim auidius, quam crudam decebat, aſſumant: tamen duplici modo ingrati ſunt. Nam, primo, hic illic corrupto ſuo palato non ſatis facere falſo quiritantur, interim etiam luxurioſe illam ingurgitantes, & paſſim pro toto obſonio & ſibi illam ſumentes, & aliis apponentes: ſecundo, ſi quid eius non

non poſſunt vt minus ſincerum faſtidire, extremæ plebis more, proborum ædilium fidem calumniari non verentur, quaſi hi plus huius ad ſe trahant, & populo temere caritatem faciant earum rerum, quæ alibi affatim & cura nulla, & pretio nullo, obuiæ, procurationem illorum & operam inanem atque ſuperuacuam reddant. Vt ſine tropo rem eloquar, non potuit non diſplicere, atque iuſtam animaduerſionem elicere, non tam fatua erraticæ litteraturæ ſolum oſtentatio, quam inuida ſiue inſcitiæ talium lacernarum, ſiue nequius, etiam diſerte, diſſimulatoriæ transſumtionis atque plagiorum realium imputatio: quando iam ex antiquiſſimis, iam ex recentiſſimis res tales, iterum dico, res magis ipſæ, quam conſiderationes aut ſententiæ conquiruntur; quas res, vti quidem etiam non exiguo numero aliquas, in circumſpecta quotidiana experientia obuias, vti cuiuis animum aduertenti, ita mihi etiam, ita aliis quibuslibet, liberrimum eſſe debeat producere: inſulſum autem ſit, hominum paucorum teſtimoniis colorare, cum omnino, vbi rerum ipſarum teſtimonia adſunt, non opus ſit teſtibus verbis: interim vel imperitiſſime, vel malitioſe, tacite inde obrepere tentatur, falſiſſima illa imputatione, quaſi *hoc eodem intuitu atque reſpectu, quem ego in huiusmodi rebus contemplationi ſiſto*, atque adhibeo, *iam dudum alii hoc perfecerint*, quod ego mihi, vel tacite, tribuendo, illis quidem præripiam ſuam, mihi vero rapiam alie-

nam (vtrinque vero reapſe etiam paſſim ieiunam) gloriam. Huiusmodi autem, vti in ſe indoctæ paſſim, ita pluribus reſpectibus de reliquo certe ineptæ malitiæ, & nimium quam ſterili inuidiæ, qualecunque operæ pretium viſum eſt, offam tantiſper obiicere, ſi obturare os poſſit, & ſine latratu transmittere; vt olim Aeneam, & maiorum ſuorum, & poſteritatis, veram felicitatem conſpecturum, Cerberus poëticus: ne, ex iisdem fabulis, ſi Hercules aliquis manum admouere occipiat, etiam nolens, inuiſam lucem inuiſus ipſe, ſubire cogatur. ARGVMENTVM autem totum præſentis ſchedii eſt, *quod, quæ alii fortaſſe vel per ſomnium, vel e longinquo, nusquam recte diſtinguenda, vel vt aliena quoque, imo ingrata, quoquo fugitiuo modo conſpecta, neglexerunt tollere, aut ſuis aliorumque vſibus, ampliſſimis etiam, adhibere: eas res, vt vere pro derelicto habitas, occupare, & non tam proprias poſſidere, quam publicis vſibus, ad quos natæ eſſe videntur, exponere ius fasque ſit: neque ibi locum habeat friuola interceſſio, ne dum indigna condictio priuatorum, qui temere forte viſam, ſed non intellectam, neglectam, faſtiditam, imo proculcatam rem, nec vsquam priuato potius quam publico fundo incumbentem, tanquam publicis vindiciis in ſeruitutem aſſerere, & in eam rem vel Appianis ſuperbiis & ſubordinationibus vti non vereantur.*

§. I.

§. I.

NOta eſt abunde ingens illa abundantia variorum ſcriptorum, vt in omnibus propemodum ſcientiis, ita in medica quoque doctrina, theoriæ æque atque praxis. Non eſt quod huius rei cauſſas anxie veſtigemus, cum fere notiſſimæ ſint *tres* inprimis eminentiores, & maxime conſpicuæ: 1) *typographiæ* commodiſſimum ſubſidium; 2) *libertas ſentiendi* in rebus minus directe ad religiones pertinentibus (quamlibet in his etiam paſſim ſatis libera ſit publice ſentiendi poteſtas; 3) nominum aliorum quidem *de ſe* ipſis indulgentior præſumtio, aliorum autem & *de perſonis* talibus, & *de rebus* variis ſpes & exſpectatio largiſſima, quam hodie *curioſitatis* nomine complecti ſolent. **Abundantia librorum tribus cauſſis attribuitur.**

§. II. Sicut autem ingens omnino eſt illud *typographiæ* emolumentum, ad vtiles res tum late diffundendas, tum ipſius poſteritatis certo & indubitato vſui vindicandas; quæ a præteritis, inprimis autem antiquiſſimis temporibus, talis artificii defectu interceptæ, poſteritatis magno paſſim vſui interciderunt: ita in noſtra maxime Germania per artificum multitudinem eo proceſſit negotium, vt etiam vile librorum pretium vel inutiles multos ita excuſare poſſit, vt ſi vel maxime parum commodi ex illis colligi poſſit, non multum etiam pretii ita amiſſum ſit, dum interim vel vnius melioris libri vſus multorum ineptiorum pretium rependere poſſit. Ita vt fere quolibet intuitu *vſus* typographiæ propter *abuſum* non temere taxari mereatur. **Typographia.**

§. III. Neque multo diſpar eſt ratio *libertatis* tam *ſentiendi*, quam ſenſa ſui animi *publice proferendi*. Quamuis enim negari non poſſit, imo contra nimium quam manifeſtum ſit, quod multa *improba*, ne dum *inutilia*, hac ratione paſſim proferantur atque diſſeminentur; tamen minus durum hoc ſit ex altero, dum etiam *diuerſa* ſentiendi libertas **Libertas ſentiendi.**

bertas manet, adeoque ineptas aut noxias opiniones contrariis demonſtrationibus detegendi, & ſaniora circa illas easdem res producendi.

Non facile neque cum fructu cohiberi poteſt.

§. IV. Quamuis enim moneri poſſit, quod multo melius futurum eſſet, ſi *inutilia*, *otioſa*, *inepta*, ne dum *ſuſpecta*, aut manifeſtius *pernicioſa* plane non tolerentur, ſed in ipſa, quod aiunt, herba ſuffocentur; tamen pluribus reſpectibus neque *factu facile*, neque proinde ita abſolute & vndique ratum eſſe hoc conſilium, vel paulo attentiore conſideratione ſatis diluceſcere poteſt. Primo enim, ingens adhuc eſt poſtulatum, quinam de dignitate talium rerum *iudicare* deberent, an ipſam in publicum emiſſionem mereantur, nec ne? Deinde, propter diuerſa hominum ſtudia, niſi quidem plane contra bonos mores impingant, varia certe, quæ aliis vno loco *inutilia* & male fundata, aliis contra luce atque lectu non indigna videntur. Quibus rebus accedit, quod etiam pro indole diuerſa ſponte *malis*, *friuolis*, *otioſis*, *ineptis* ingeniis, etiamſi noua non ſubiiciantur, fomenta propria & inſita propterea non deficiant. Melioribus interim, ſolidioribus & rerum ſuarum vere ſatagentibus huiusmodi ſcandala familiarius inſeruiant ad *ſuſcitandam*, *exacuandam*, *exercendam* illam ſuam indolem, in *examinandis & exagitandis erroneis* illis, quam vt ipſos etiam in transuerſum rapiant.

Cohibitio eius tam ab æqualitate iuris, quam ab æquitate abhorret.

§. V. Porro, quod ipſam illam *ſentiendi libertatem* attinet, non diſſimulo, quod vel mihi ipſi minus æquum videatur, cum in ſolidum iuſta cohibitio adminiſtrari hic non poſſit, *inæquali ſtrictura* alios quidem, & inprimis leuiores meritis, comprimere, alios autem magis promerentes vel non *velle*, vel non *poſſe* coercere. Proſtat huius rei iam a duobus ſeculis exemplum in libellis, *veritatem religionis* defendendam præ ſe ferentibus. Vbi ſi cui etiam parti vel placeret quies & modeſtia, vel etiam luculentam ſuam cauſſam verbis amplius exornare nulla vsquam poſtulet neceſſitas: nunquam ceſſat interim altera pars, vel centies recocta non tam reſcribere quam deſcribere. Sicut in illis rebus illi inprimis, qui a nemine cenſeri atque coerceri volunt, illis moribus paſſim vtuntur, vt paulo imperitioribus, æquioribus tamen & nihil præoccupatis, ſuſpicionem ad minimum non iniquam ſuppeditent, quaſi cauſſa ipſorum neceſſitate quadam ita ſemper ornanda atque ſarcienda eſſet: peritioribus autem, nihil niſi mores ab humano conſortio alienos, & animos non indoctos magis, quam incultos, ob ipſos oculos ponant. Alios itaque tales aut non velle comprimere, aut non poſſe, alios autem non tam moribus quam legibus, imo vero contra

tra

tra, non tam legibus quam moribus, aggredi, vt ab æqualitate iuris, ita certe ab æquitate abhorrere videtur. Vnde quidem, quicquid non ſimpliciter *diſſoluendorum morum atque ſocietatum* eſt, & euidentius ipſam bonam *politiam directe* turbat, cum rigore ſupprimere atque coercere, an æque conueniat, cuiuslibet maturo iudicio permitto.

§. VI. Interim illud vtique prudentiori æſtimationi commendari mereretur, (ſi modo prudenter ſperare hic aliquid integrum eſſet) vt in detrimentum ineptarum eiusmodi ſcriptionum meliores atque luculentiores tam autoritate atque fauore, quam qualibet ope atque ſubſidiis inſtruerentur atque promouerentur. Sed videtur propemodum, certe quantum praxis demonſtrat, non ſolum vt a poſteriori, ob manifeſtos defectus præſupponendorum, irritum eſſe hoc conſilium, ſed etiam vt a priori, ipſum votum improbum; dum VERITATI non ſolum forte *intempeſtiua*, ſed etiam *aliena* auxilia ſperare, nedum emendicare, iniuſtum etiam fuerit. Optandum potius, vt loco ineptorum meliora & luculentiora ſcripta promouerentur.

§. VII. Cœleſtis eſt illa cura, & ſuis temporibus nititur; vix etiam vllis exemplis, aut paucis certe talibus *inſtrumentis* vtitur, quæ inde ſibi multum arrogare vel poſſint, vel omnino velint. Vnde quidem commodiſſime, etiam bona voluntate, vti certe neceſſitate fere euenit, *bonis fatis* relinquendum eſt bonarum rerum arbitrium atque moderamen, quæ ſuo *tempore*, ſine dubio *iuſtiſſimo*, non modo quæ *vera*, ſed etiam quæ *firma* ſunt, imo *vſu* quoque laudabilia, luci aſſerent. Sed hoc bonis fatis eſt relinquendum.

§. VIII. Sicut autem illa quæ huc vsque dixi, paſſim ita vere deprehendi; ita proſtant eorum ſpecimina etiam in *medica* doctrina, ſcriptis inquam artem hanc, & quæ ad illam pertinent, tanquam pro ſubiecto ſuo & obiecto præ ſe ferentibus. Si quis numerum non ſolum autorum, ſed inprimis ipſorum voluminum inire vellet, quæ ab illis temporibus, quibus typographia in familiariore vſu eſſe cœpit, prodierunt, inueniet certe ille, quantam vix quisquam crederet harum rerum abundantiam. Qua de re vero, quid, & quomodo ſcripta ſint, prudenter diſpiciendi atque iudicandi facultas ſi ſuppetat, facile certe erit agnoſcere, quod propemodum vndique *de eadem* re, *eadem*, & *eodem modo* (ſi verum neruum atque ſummam rerum intuearis) agitent atque tractent. Proſtant etiam ſcripta medica in magno numero.

§. IX. Merito itaque in mentem venerit, quid ergo attineat, *toties & tanta prolixitate eadem* facere, ſiue vt apte loquuntur Latini, *actum agere*. Quid dicturi atque docturi ſint illi, quorum intereſt, vt Plurima vero nihil, niſi actum agunt.

huiusmodi quæſtionem ſoluant, ab ipſis exſpectandum venit. Erunt, qui præ ſe ferant, ſoli commodiori docendi atque proponendi methodo pleraque horum facta eſſe hodieque fieri. At vero, tantamne eſſe hominum, doctorum inprimis imo docentium, imperitiam, vt ſub tanto temporum interuallo, atque tanto tentaminum huiusmodi numero nunquam vsquam aliquid firmi atque ſolidi conſtitui contigerit, & talem tandem σύνταξιν (quando nempe de illa, vti prætexitur, hic ſit quæſtio) quæ veris regulis docendi atque demonſtrandi potita ſit, impetrare? Irritam autem hanc quæſtionem facient tum ſuperiorum æuorum cordatiores, tum inprimis proximæ imo noſtræ ætatis ſcriptores atque doctores. Non enim ſolius *methodi*, ſed ipſarum, quæ proponi debent, *rerum* ita diuerſimode accipiendarum hoc eſſe vitium; imo potius *hominum*, in illis ita difficilibus ſatis intelligendis, defectum profitebuntur.

Quæritur: adeone incertam eſſe artem medicam.

§. X. Imminet autem profecto huic etiam aſſertioni quæſtio non parui ambitus ſed tanto maioris certe ponderis ac momenti: *adeone incertam eſſe illam artem*, vt etiam *ſeculis*, & tot numeroſiſſimis non tam *tentaminibus*, quam audaciſſimis etiam & diffuſiſſimis *deductionibus*, imo concinnatis ſuper talia fundamenta ſpiſſis ſyſtematum voluminibus, & tanto horum *numero* tantaque *diuerſitate*, nihil tandem conſtitui poſſit ita luculentum, vt illi firmiter inhærere ius faſque eſſet?

Incertitudo illa per numerum diſſentientium opinionum quotidie augetur.

§. XI. Quid vero ad hoc dicemus, ſi hæc incertitudo toto hoc tempore tolli non potuit, imo tantum abeſt, vt hodie ſublata ſit, vt nunquam adhuc *maior diſſentientium opinionum numerus* viguerit. Quid fit interim ita in quotidiano huius tam male fundatæ atque incertiſſimæ artis exercitio? „Itane vero recte & feliciter *agi* poteſt, quod „ne *intelligi* quidem poteſt? ita ne vero & patientibus ſecure conſuli„tur, & *merces* iure meritoque, & illa quidem ampliſſima exigitur, et„iam ſub incertitudine adeo non coloranda, vt v. gr. decem diuerſi artifices non ſolum inuicem atque mutuo alter alterius opinionem & actionem reprobet: ſed etiam ipſo facto aliam agendi rationem ipſe ineat & ſequatur: imo non aliam ſolum, ſed re vera ipſa indole non diuerſam magis, quam aduerſam?

Quæ ſincerum animum facile frangere poſſet, vt plane ab hac arte abſtineret.

§. XII. „Quam grauia hæc eſſe debeant animo non ſimplici„ter in diem, quod aiunt, nempe temere inconſulteque viuere amanti, „ſed & ſcientiæ ſuæ & conſcientiæ ſatagenti, non poterit apud cordatos „arbitros prolixe in dubium venire.“ Sane vero præſtaret, ſi *res* nec ſint nec eſſe poſſint aliter conſtitutæ, vel a tali *arte* plane abſtinere, vel

ad

ad minimum irritis talibus *ſpeculationibus*, nunquam ad bonam frugem perducendis, in ſolidum renunciare: ſi quæ vero vel ſimplicis atque *nudæ experientiæ* veritatis adhuc ſpem aliquam admittat, illi non ſolum ſimpliciter, ſed etiam omni cum diligentia inuigilare atque inſiſtere. Sed quis hæc ſuadere ſuſcipiat, & cui perſuadere ſperet? Cum vtique ſingulari fortunæ ludibrio Medici, etiam vix non ante, quam legitima ad diſcendum ſubſidia aſſequi potuerint, imo voluerint, iam DOCTORIS nomen & exiſtimationem occupare, & *exercere* potius artem quam *exhaurire*, & *ſuæ* potius *vtilitati* conſulere, quam *aliorum ſaluti* pares eſſe feſtinent.

§. XIII. Verum enimvero, ne prolixius in has, quantumlibet etiam iuſtiſſimas querelas excurramus, cum ſatis notum ſit, quod per illas non ſolum nihil, ſed nec illud, quod poterat & debebat, obtineatur, vt nempe in animum admiſſa tanta ex his abuſibus atque defectibus eluceſcente artis & ægrotorum, imo communis hominum generis indignitate atque detrimento, tanto ſeuerius, & quanta fieri poteſt induſtria, quærere & admittere iuſtum conſilium tandem aliquando inſtitueretur. Sed non placet circa hæc prolixum eſſe, inprimis cum non ſolum ſatis perſpectum habeam, quid haſce res non impediat ſolum, ſed vetet verius fieri, quin etiam ſperare tantum a publicis conſiliis: præſtiterit, quid in hiſce rebus ipſe habeam, quod afferam, ediſſerere. Sed hiſce querelis nihil obtinetur.

§. XIV. Puto non amplius ignotum eſſe, quanto confidentior mihi ſit ſpes, quod ars *medica* METHODO aliqua vera, ita vti re vera & ſine fallaci fuco eſt in poteſtate humana, & ſcripto & intellectu comprehendi poſſit, quam aliis, qui nullam euidentem artis huius theoriam conſtitui poſſe etiam cum autoritatis præiudicio aſſeuerant. Fundamentum autem aſſertionis meæ conſtituo maxime in commonſtranda vera indole MEDICAE THEORIAE; & inſtruenda, quantum poſſim exquiſitiſſime, diſtinctione huius a *remotiore*, imo in hoc ordine *aliena*, PHYSICA contemplatione. Ars medica methodo vera comprehendi poteſt.

§. XV. Hanc rem, vt alias curæ cordique habere laboro, ita præcipuum eius & fundamentum & documentum exhibeo atque colloco, in ſtabilienda diſtinctione corporis MIXTI & VIVI. Quantumlibet autem etiam ad veram *phyſicam anthropologiam* pertineant, hanc vtramque conſiderationem de corpore humano luculenter perſpectam habere atque docere: vrgeo tamen maxime, quod *medicæ* cumprimis conſiderationi magis quam vlli alteri competat, ſi non penitus *vnice*, *abſolutiſſime* tamen, *exquiſitiſſime*, & *eminentiſſime* perſpectum habere, Theoriæ medicæ fundamentum eſt in diſtinctione mixti & viui.

ſecun-

ſecundum quid corpus ſit atque dicatur VIVVM? ſiue quid *in corpore*, & quo reſpectu atque intuitu *de corpore* dicatur VITA.

Ex quo luculenta doctrina de vita, & ex hac ætiologiæ pathologicæ & therapeuticæ deducuntur.

§. XVI. Sicuti vero in hac conſideratione corporis, quatenus *viuum* eſt, & in veris illis *vitæ* ORGANISMIS, totum atque ſolidum fundamentum theoriæ atque praxeos vere *dogmaticæ* ſeu rationalis, & cum *reali theoria* cohærentis, colloco: ita fieri certe aliter non poteſt, quam vt veram atque luculentam doctrinam de VITA, ſecundum omnes eius cauſſas atque circumſtantias, ſumma cum induſtria omni modo ſtabilire atque abſolutam dare neceſſarium ducam. Et ex illius *vitæ* circumſtantiis, reſpectibus atque tota conſtitutione etiam expendendas ducam tam *pathologicas*, quam ipſas *therapeuticas ætiologias*. Nempe euolutiones, quinam *vitalium actuum* defectus in ſingulis morborum ſpeciebus præcipue ſubſint, quantum a vera actuum horum *proportione* abeant, & quænam ſit illa differentia, ſeu veluti *diſtantia*, ad quam reuocari, imo *reſtitui* debeant, quomodo hoc, etiam ſine externo adminiculo, ſpontanea directionis *vitalis* αὐτ:κρατία innumeris exemplis fiat indies, *vt ſolis actionibus vitalibus, peculiari decente proportione adminiſtratis, omnis generis morbi etiam* SPONTE *expugnentur, & corpus integritati ſuæ vindicetur atque reſtituatur*. Et denique ita vere *methodicam* etiam *medicam therapiam*, quomodo Medicus hiſce vitalibus actibus, & huic tali illorum conſtitutioni, vere ad ipſius *naturæ ductum* & *inclinationem*, imo potius paratam atque promtam *cooperationem*, optime ſubuenire, & vere auxiliatrices manus porrigere poſſit, imo debeat.

Hæ poſitiones & adſertiones male acceptæ ſunt.

§. XVII. Hanc rem cum a pluſculis inde annis non ſolum ipſemet cordi habuerim, ſe l etiam publico vſui, & vt ſpero, publico bono per exſcriptionem in publicum offerre, merito officii mei duxerim: deprehendi a tempore propiore peculiarem quandam methodum, qua illæ meæ poſitiones & aſſertiones paſſim non ſolum in diſcrimen aliquod adduci, ſed vix non diſertis alicubi verbis in crimen etiam vocari viderentur, & quidem ex illo latere, e quo non ſolum ego nihil tale ſuſpicari in animum induxiſſem, ſed nimium quam facillimum etiam ſit, ſolidiſſima rei euidentia omnes minus ſinceros conceptus luculenter deſtruere atque declinare.

Duo hominum genera, ineptum & iniquum.

§. XVIII. Dudum eſt, quod peritis circa rem litterariam viris nota ſint duo hominum genera in hanc ſemitam ſeſe coniicientia, quorum vnum merito *ineptum* dixeris, alterum *iniquum*. *Priores* occupati ſunt in *conciliatione* etiam nimium quam *diffidentium*, ne dum *diſ-*

ſonan-

ſonantium, circa vnam eandemque rem *opinionum*. In quibus, præter alia abſona, etiam illud ineptiarum cumulum auget, quod familiariter labores hos etiam talibus *opinionibus* impendant, quarum, ſi vel maxime in ordinem redigerentur, tamen *neutra ſit vera*, adeoque etiam quantolibet negotio otioſus ſit totus labor. *Poſteriores* polyhiſtoriæ litterariæ ſpeciem præ ſe ferre gaudentes, *inuentis* delectantur, vt quæcunque ab aliis dici audiunt, ad id brocardicum mox applicent: *nihil dici, quod non dictum ſit prius.* Merito etiam his relinqueretur ſuum negotium, ſi in eo ſubſiſterent, vt non aliter, quam alterum præmemoratum, *otioſum* vel eſſet, vel eſſe vtique poſſet. Cum autem non ſolum poſſit eſſe, ſed ſubinde etiam ſatis probabiliter ſit *odioſum*, ipſa certe res exigit, nedum vt æquitas poſtulet, vt huic machinæ elater ſubtrahatur, ne temere e tenebris ferire compos ſit.

§. XIX. „Sane vero non ſolum docto ſed omni bono viro in„dignum eſſet cœptum, ab aliis paſſim tradita, imo tractata, diſſimula„tis imo ſuppreſſis auctoribus non ſolum tanquam noua, ſed inprimis „tanquam ſua in ſcenam producere, & ita Aeſopicæ corniculæ antiquam „fabulam nouam dare.„ Nihil autem iam dicam de iuſta etiam illorum infamia, quicunque tale quid iam aliis per calumniam imputare aggreſſi fuerint; ſed primo omnium potius ipſam veluti cynoſuram atque normam conſtituam, ſecundum quam huiusmodi negotia, quidque in illis ius aut fas poſtulet, iudicari debeant.

Iniquum eſt, ab aliis tradita tanquam ſua producere, aut aliis hoc imputare.

§. XX. *Primo* itaque omnium, vt hæc res ſibi decenter conſtet, iudicari poſſit, *antiqua* ne an *noua* magis, *propria* vel *aliena* proferantur? conſiderandus eſt propoſitionum ipſarum *verus ſenſus*; & ſimpliciter inde diſpiciendum, an ne & quantum hæc inter ſe re vera conſentiant. *Secundo*, dandum etiam omnino hoc eſt non incognitæ practicorum atque curioſorum virorum peritiæ, vt liberaliter potius *allegetur*, quam maligne *diſſimuletur*, quod *pluribus in vna eademque re perite verſantibus neceſſario eadem occurrant;* adeoque eadem res a pluribus obſeruari poſſit, citra neceſſitatem, vt *immediate vnus ab altero* aut plures ab vno eandem ſimpliciter aſſumſiſſe argui debeant. Et hoc tanto magis, quando etiam ipſa illa res, de qua eſt ſermo, ſit magis *quotidiana & obuia*, adeoque occaſio ad obſeruationem formandam non longius arceſſenda. *Tertio*, longe vero alterius claſſis eſt VSVS RERVM, obſeruationum inquam, atque phœnomenων vndecunque deſumendorum. In hac enim re tantum abeſt, vt hiſce ſimplicibus facti alicuius *narratoribus* hiſtoricis, ſine vllo eius VSV ſiue ad

Tria momenta, ſecundum quæ res examinari & iudicari poſſunt.

animum reuocato, ſiue impetrato, aliisque ſuppeditato, gloria aliqua iuſta debeatur, quam illi peculiari ſuo iure vindicare ſibi atque arrogare poſſint; vt potius, ſi proterue hic agere auſint, ad *Gallum Aeſopicum*, in ſterquilinio ſuo gemmam ſibi ſuisque inutilem offendentem, remiſſis ingerendum ſit illud Ciceronis: *niſi vtile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.*

Curioſitas quæ inuentis ſibi placet.

§. XXI. Næ vero merito aduertendus eſt animus ad ſterilem illam *curioſitatem* vltimorum horum temporum, quæ tot *inuentis* ſibi placet, & neſcio quid ex illis ſibi tribuere contendit. Pulchre certe, vt de omnibus propemodum rebus, *Seneca* de *conſulatu Ciceronis* loquitur, dum alicubi nominat: *non ſine cauſſa, ſed ſine fine laudatum* conſulatum. Nempe non denegans vtilitatem, quam e popularis & loquaciſſimi viri πολυπραγμοσύνη, & reliqua ſibi metuendi atque cauendi diligentia tulerat Reſpublica, vt in *Catilinæ* proditionem incidens totam rem & expiſcaretur, & palam faceret. Simul tamen meritiſſimo certe iure breuiter ridens ineptam hominis impotentiam, qua nullum ſibi finem imperare poterat, hanc ſuam felicitatem & ſibi in prudentiam ſummam, & toti populo atque patriæ in nunquam ſatis exſoluendam gratitudinem imputandi. Si vero hæc in talem rem non immerito dicuntur, quid de illis dicamus, qui etiam nuce caſſa inanioribus *inuentis* totum orbem liberatum ſibi deuinctum eſſe reputantes, etiam adiudicari ſibi obnoxios poſtulare auſint, quicunque illis rebus, quas iſti ſuas interpretantur, vti, frui, quoquo modo videantur.

Vocabulorum inuentio, inuentum, perire, perdere, reperire, inuenire nomenclatura.

§. XXII. Incidit certe iam pridem ioco-ſeria interpretatio vocis, *inuentio* & *inuentum*, rectiſſime quadrans vulgari talium *inuentorum* fato. Quid *perire* ſit Latinis, tum ſimplicius, tum in analogia cum τῷ *perdere* aut amittere, pueris notum eſt. Videtur alludere ad hunc conceptum vox *reperire*, quaſi dicas, quod ita *periit*, *reuocare* aut *reddere*. *Inuenire* totum ſonat, quod Germani appoſite dicunt, **darüber=oder über etwas kommen**, nempe *ſuperuenire* aut *interuenire* rei alicui. Ita certe vt ipſa vox magis *fortuiti* quiddam innuere videatur, tanquam *venire* ſaltem *in* vel *ad* rem, certe præexſiſtentem: cum *reperire* aliquid quod *periiſſe* videri poſſit iterum *adſequi* ſubindicare appareat.

Adplicatio ad recentiorum obſeruationes.

§. XXIII. Quadrat certe *inuentionis* appellatio quam maxime hoc ipſo ſenſu in multas illarum recentiorum obſeruationum, dum pleræque nihil minus quam tale quiddam cogitantibus occurrerunt, vt bono iure dici poſſint in illas *incidiſſe* caſu magis, quam conſilio illas

inue-

inueſtigaſſe aut eruiſſe, quam quocunque tandem tentamine, *ex propoſito* ſuſcepto *reperiſſe*: immo paſſim res eiusmodi, ſi etiam qualicunque animi aduerſione, cum primo occurriſſent, apprehenſæ ſint, tamen nulli poſthac vero VSVI adhibitæ, aut penitus peruerſis interpretationibus deformatæ, non modo deperditæ iterum, ſed diſperditæ, *actiua* nempe corruptione iterum euerſæ & proculcatæ eſſe dici mereantur.

§. XXIV. Quanto deterius autem eſt, rem vtut in ſe bonam, quacunque fortuna oblatam, non ſolum ad nullum vſum deducere aut adhibere poſſe; imo peruerſo vſu omnem eius *vtilitatem* euertere & obruere: ita certe tanto digniore loco habenda eſt *detectio* atque *manifeſtatio* tum reliquæ veræ *indolis*, tum *efficaciæ* & *vtilitatis* cuiuslibet rei: vt huius negotii demonſtratio ſimplici rei in ſe *conſpectui* nullo modo comparanda, & hæc rei deprehenſio non modo non *præ* tali vera *animaduerſione*, ſed ne quidem *cum* illa *inuentionis* nomine communi cenſeri mereatur.

Detectio rei bonæ & vtilis, ab aliis neglectæ, inuentionis nomine non eſt inſignienda.

§. XXV. Quid, quod apud omnes cordatos arbitros ab omni calumnia non faciles ſolum, ſed ſolidiſſimas etiam vindicias certiſſime „exſpectare poſſit talis, cum omni *applicatione*, & *vigilis iudicii* ἀκρι„βείᾳ non inſtituta magis, ſed longe lateque inſtructiſſima *deductio*, „qua non vnius aut alterius forte rei vera indoles & VSVS, & hic qui„dem luculentiſſimus atque *digniſſimus*, non ſolum e reliquis *tenebris*, „ſed omnino e *turbidis* multis diuerſarum opinionum *diſſidiis* ſuæ luci „reſtituitur; ſed ingenti numero non ſolum inaudita, ſed a multis etiam „diſerte negata, non vera ſolum, ſed facili etiam atque ſimplici eui„dentia non tantum adſeruntur atque demonſtrantur, ſed mutuus illo„rum nexus etiam atque conſpiratio nulla certe nuda *inuentione*, ſed „diligente & pro rei neceſſitate exacta vtique atque iudicioſa compara„tione atque firma & ſtabili concluſione, non ſibi ſolum, ſed *ingenti* „*totius generis humani vtilitati* vindicantur. Tale certe inuentum vti laudatione non indiget, nec illa quicquam ſolidæ vtilitatis pro ſe asſequitur; ita flagitioſum eſſet, illud calumniis dehoneſtare, & cum addere dignitati eius idoneus non ſis, detrahere velle.

Sed potius pro dignitate & vtilitate ſua accipienda & æſtimanda eſt.

§. XXVI. In tradendis veris, ſolidis, & ad publicum inprimis vſum non magis idoneis quam neceſſariis dogmatibus nonne conuenit, imo potius neceſſe eſt, vt ſi illa tractare cum animo conſtitueris, vel proſequaris condigne hoc propoſitum, vel ad minimum præ te feras hoc te acturum, imo vel ſolum hoc agendum eſſe: non vero vnum alicuius rei momentum ita obiter, ita alieno loco, & vere incidenter,

Dogmata tradenda non obiter tractanda ſunt.

aliis recitatiunculis aſſuas, vt ne ſpecies quidem alia obtendi poſſit, quam quod caſu oblatum aut non potueris, aut quod ſane multo deterius eſt, neglexeris, non ſolum in vſus ſuos conuertere, ſed ne quidem decenter intelligere.

Alias otioſus, corraſus & putido centoni ſimilis labor eſt.

§. XXVII. Iam vero ſi non hoc ſolum fiat, ſed etiam ſi quid tale, non aliter quam veluti per ſomnium, aut fugitiua & vmbratili ſpecie aliquando animo oblatum, & hoc ita factum eſſe pari tranſitoria annotatione alicubi ſubindicatum ſit; interim autem omnes reliquæ iſtius eiusdem hominis tum tractationes, tum actiones & fuerint alienæ ab huiusmodi negotio, aut potius leui imaginatione, & perpetuo ita alienæ maneant, iisque conſtanter, non emendato ad talem meliorem forte conceptum reliquo ſyſtemate, ſed potius ad antiquam normam continuato, inſiſtatur: quis tali homini talem ſententiam poſthac tribuat aut adſcribat, ſi etiam maxime illius aliquando mentionem feciſſe, aut in illam incidiſſe appareat? Quid vero aliud hoc eſt, quam putidi centonis dignum ſartorem agere, quando alicubi emicant, imo vero in plenam lucem producuntur non res ſolum tales, contra quarum vnam aliquando vnus, alteram alius, aliam tertius, aliam quartus, quintus, forte fortuna, inter exarationes ſuas veluti ceſpitando offendit; nemo vero propemodum horum ſaltem duas eiusmodi res ne dum plures, imo ne illam vnam quidem ſatis decenter ad animum reuocauit; ſed contra alienis ſuis, imo contrariis reliquis prolixiſſimis opinionibus priſtina pertinacia conſtanter adhæſit: quando, inquam, tandem plures tales res, imo magno numero poſthac ſimul & ſemel ſiſtuntur, & non ſolum vera illarum ſingularum indoles, ſed etiam peculiaris penitus & nunquam creditus vſus, & ſocius atque reciprocus nexus demonſtratur; tunc non ſolum otioſum illum laborem capeſſere, vt hic illic fragmentum qualitercunque parem ſonum referens corradatur: ſed vel plane ſyſtematis firmiſſimi auctori imputetur, quaſi ille talem lacer„nam e reliquis alienarum plane opinionum quisquiliis æque cordi ha„buerit corradere, vti nunc illi habent, qui in tales impuros labores „otioſam ſuam operam ſociare geſtiunt.

Monſtrent illi, quod ipſi hunc laborem perfecerint, ante quam aliis imputare volunt.

§. XXVIII. Quid vero, quod nec illi meliore aliqua & conſpicua fide ſcrinia ſua excutiunt, & monſtrant ita, vt fidem mereri poſſint, quod ipſi iam olim, inprimis ſinguli, hunc laborem perfecerint, vt illas lacernas cum ea cura, quam nunc exhibent, conquiſiuerint non ſolum, ſed etiam in illum ordinem & vſum, ex abſoluta illa vagabunda licentia & diſperſione, inter homines illos antiquos, qui nihil de

de his rebus inter ſe vsquam conſenſerunt, coëgerint? Quis vero hoc ab illis exſpectet, qui etiam nudis oculis conſpicit, quod nec hodierno die illa ipſa ſaltem *intelligere* ſatis poſſint, aut ad minimum non videri velint, quæ, cum aliis niſi per manifeſtam calumniam aſſerere, & quod ab illis deſumta ſint, ſuſpicionem incutere non poſſint, ad minimum craſſiora ipſa facta ſine omni reſpectu ad intellectum inde formandum, ne dum demonſtrationes perpetuorum nexuum conſtruendas, per triuia conquirere deſudant.

quod hæc ab ipſis deſumta ſint.

§. XXIX. Me certe quod attinet, facile a tali imputatione me vindicat vniuerſum meum a primis ſtudii mei annis viuendi atque diſcendi genus, a puluerulento illo labore, *bibliothecas antiquarias perreptandi*, alieniſſimum; ad exſcribendum & locos communes conquirendum totum inidoneum: ſed vnice ipſis rerum phænomenis, per ipſam experientiæ intentam obſeruationem deprehendendis, & quanta in me cadebat penſitationis ἀκριβεία, e vera ſua cauſſali habitudine, & mutuo inter ſe nexu ita æſtimandis, & tandem pernoſcendis, vt inde vera ac proinde firma atque immutabilis theoria conſurgeret, totum inuigilans. Quam quidem rem facillime probare poſſum illis ipſis meis ſyſtematicis conceptibus non ſolum, ſed deductionibus, quas iuuenis adhuc 24. annorum non ſolum diſcurſibus publicis, ſed plane ad calamum dictatis, non profecto vnquam e libris, ſed ſimpliciter e liberali ingenio & liberrimo animi conceptu, dogmatibus & collegiis, vti vocant, in Ienenſi Academia anno 1684. 85. 86. ingenuorum & certe maximam partem egregie eruditorum iuuenum non exiguo numero exhibui. Quibus ipſis dogmata ea, quæ hodie magis ſaltem illuſtrata reddere geſtio, iam pridem in publicum produxi.

Ex phænomenis per experientiam deprehenſis & e vera cauſſali habitudine & mutuo inter ſe nexu æſtimatis theoria hæc vera & firma conſurrexit.

§. XXX. Merito vero hic notanda eſt vana quædam ſpecies gratitudinis, quando variæ huiusmodi res ab aliquibus hic illic tanquam ſuis præceptoribus adſeruntur, dum hic vnam illic alteram iſtorum lacernam allegant, quæ ita ſeorſim inſpecta aliquam ſimilitudinem cum meis ſententiis præ ſe ferre videatur. Sed male merentur de illis, quibus ita ſupparaſitari apparent, dum illi communiter, vt hactenus paſſim factum, ne quidem videri velint, vel ſentire quicquam, vel ſenſiſſe penitus eorum, quæ mihi placent: quin etiam inſpectis ſolum illis locis, vnde hæc talia euulſa ab ipſis adducuntur, communiter ibi ſtatim compareant vel aliter plane dicta, vel longe aliter explicata & applicata eſſe.

Male merentur de ſuis præceptoribus, qui hic illic aliquid dictorum allegant, quæ in connexione alium ſenſum habent.

Dogmata nuſquam alibi producta & tradita recenſentur.

§. XXXI. Quamuis autem mihi etiam illud ſatis ad vindicias mearum rerum eſſe poſſit, ſi prouocarem ad publica ſcholæ medicæ cuiuslibet tandem dogmata, quibus nusquam quicquam horum, in quibus ego *veræ medicæ doctrinæ* ſolida fundamenta conſtituo, tali ſenſu vel ſolum productum, quin hiſtorice ſæpe numero ſolum vere ita memoratum, ne dum eo ordine deductum ſit, quo veræ *dogmatico-ſyſtematicæ ſyntaxi* reali, & vere *clinicæ medicæ* conueniat. Poſſum nihilo minus etiam varia, & quidem certe non poſtrema aut leuicula, ſed ipſum ſolidiſſimum totius medicinæ fundamentum concernentia, merito allegare, quæ, quantum ego ſciam, quod ſincera fide adſeuero, nec apud vllum vsquam priuatum in hoc genere ſcriptorem, ne dum vniuerſas ſcholas Medicorum decenter in animum admiſſa fuiſſe appareat.

1. Habitus mixtionis corporis ad putredinem ſubeundam.

§. XXXII. Ita enim, exempli cauſſa, quis diſerte locutus eſt apud ipſos etiam veteres, qui de *putredine morbida* in corpore adeo multa diſputarunt, quis inquam omnium decenter innuit *verum* illum *habitum totius mixtionis corporis*, ad ſuſcipiendam dictam *putredinem*? quis omnis æui ſcriptor reuocauit ad animum ſibi aliisque ſpecioſiſſimum illud paradoxon, *quod hoc ipſum corpus ita corruptibile, tamen non actu corrumpatur*? imo hanc inprimis *ſpeciem corruptionis*, cui & ſimpliciſſime, & *plane directe ſubiacet*, incredibile quam raro ſubeat aut incurrat?

2. Quod corpus corruptibile non corrumpatur.

3. Antiquorum diſtinctio inter temperiem mixti & viui non decenter in animum admiſſa.

§. XXXIII. Quantumlibet etiam apud antiquos ſine dubio vere ex antiquiſſimæ veritatis fragmentis manſerit adhuc traditio diſtinctionis illius inter temperiem MIXTI atque VIVI; quis hanc rem vsquam vel tetigit decenter, ne dum *luculenter*, & *phyſico-medice* explicuit? Nempe manifeſtiſſime per illam (quæ etiam recentioris phyſicæ animam vere conſtituit) ſummam confuſionem mixtionum atque compoſitionum e *primis* aut *ſecundis elementis* aut *elementatis*, *principiis* aut *principiatis*. Cuius intuitu nænias illas inter *calorem elementarem* & *vitalem*, *calidum* materiæ *immerſum*, & corpori *innatum*, *humidum elementare* & *radicale* occinerent. Dum recentiores fere ne quidem in animum hoc totum admittunt. Imo vero, quis vnquam, & decenter quidem, ſecundum hanc diſtinctionem *mixti atque viui*, *in vno eodemque corpore*, *habitus* credidit, ne dum tradidit, *quod homines*, vel leuiter rem æſtimando, *mirifice raro ægrotent*: ne dum *quo intuitu* hoc fiat?

4. Quod homines raro ægrotent.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Quis vero, nam ſincere confiteor meam de hoc inſcitiam, docuit, ne dicam aſſenſum meruit, quid ſit VITA *corporis?* *Corporis* inquam, ſecundum quam illud dicitur *viuum*: & ita quidem, vt eo reſpectu inprimis contradiſtinguatur indoli *mixtionis* ſuæ ſimpliciter. Frigidas enim illas philoſophias, quod *vnio* (directe *in ſe* & *ſimpliciter* qua talis) animæ cum corpore; aut *ſpiritus*, directa interna ſua eſſentia & materiali præſentia; imo inter recentiores ipſe perpetuus *circuitus humorum* (iterum directe *ſimpliciter*, & *immediate*) ſint VITA, noſtris rebus nihil præiudicii afferre ante oculos eſt. 5. Quid ſit vita corporis.

§. XXXV. Quis vero etiam Mechanicorum modernorum proſpexit, quod vita ſimpliciter fiat atque præſtetur *actu nude mechanico;* influxu, vt in ſcholis loquuntur, ſimpliciter *formali*, interim re vera *mechanico* (non vt anima, inconceptibili illa ſua nuda *vnione*) non vero influxu *materiali*, commercio *corporeo phyſico*; vt illi fingunt, qui vitam *ſpiritibus*, *balſamo* vitali, *enti aſtrali* incorruptibili, *irradiationibus*, *magnalibus*, & ſimilibus portentis, nullo vsquam conceptu, adſcribunt. 6. Quod vita actu nude mechanico præſtetur.

§. XXXVI. Quis autem in hodiernum vsque diem decenter ſecum reputauit, quam parum imo nihil directe ſalutaris vlla ARS poſſit tum in *mixtionem* corporis, tum in omnes illas res, quaſcunque tandem pro VITA, ſeu *formaliter vitalibus* venditant: cum tamen vniuerſum Medici officium proprie verſetur in TVENDA legitime, & integræ ſuæ libertati VINDICANDA VITA. 7. Quod ars parum imo nihil poſſit in mixtionem corporis.

§. XXXVII. Porro, quantumlibet circa *excretiones* adeo ſubtiliter occupati ſint recentiores, vt etiam ad *figuras pororum* vsque ſpeculationes ſuas extendant: tamen nusquam mihi quidem adhuc occurrit decenter & pro rei dignitate tradita animaduerſio, *quantum*, & *quo ordine* hæ *excretiones* ad *vitam directe* concurrant? Quod etiam fieri non potuit, cum vtique de *vita* ipſa ille conceptus ipſis deeſſet, quem negotium *ſecretionum & excretionum* potiſſimum reſpicit. 8. Quantum, & quo ordine excretiones ad vitam concurrant.

§. XXXVIII. Ita etiam in negotio *circulationis ſanguinis*, poſt multas operoſas & induſtrias perueſtigationes anatomicas, circa *cordis*, *vaſorum*, *valuularum*, *termini* motus conſtitutionem PARALOGVM illud ingens in hiſtoriam œconomiæ animalis intruſum eſt, *quod ſanguis per vniuerſum corpus ſimpliciſſime* æqualiter *moueatur*, *& ſi quid vsquam* inæqualitatis *occurrat*, *illud ſimpliciter* paſſiue *ab externis* obſtaculis *materialiter* obſtruentibus *dependeat*, *nihil vero vsquam* actiuæ directionis *in hoc negotio vel ſit*, *vel poſſit eſſe*. Nempe 9. Quod in ſanguinis circulatione actiua directio obſeruanda ſit.

pro-

propter vnicum æqualem ſanguinis impulſum e corde in truncum aortæ, & vnicum eius (æquale in ordine ad innumeras dehinc ramificationes huius) oſtium; quod etiam ſatis verum eſt, ſed propterea rem non exhaurit.

10 Quod motus tonicus circulationem ſanguinis promoueat, & pulſui cordis ſubordinatus ſit.

§. XXXIX. Interim cui in mentem venit, (& profecto in hodiernum diem, inprimis ex illis qui docent, pauci vel admittere in mentem & agnoſcere incipiunt) quod verus *motus* talis *tonicus* ad ipſum negotium *circulationis ſanguinis* perpetua *actione* concurrens, & *pulſui* cordis ſimpliciter *ſubordinatus*, mediante quo partes corporis poroſæ, non ſolum indeſinenter in certo *gradu tenſionis* ſubrigidæ ita conſeruentur, vt ab impulſu ſanguinis non temere in quamlibet amplitudinem diſtendi & inflari valeant: ſed hic etiam *motus* & *poſſit* promtiſſime variari, & *ſoleat* hoc etiam per leues occaſiones (*frigoris* aut blandi *caloris*, *terroris*, aut *iracundiæ*, *gaudii*, *pudoris*) in horas, imo quolibet momento, quo talia contingunt, ita ipſo facto perpetrare & in effectu exhibere.

11. In quo verſetur ille tonus partium & viſcerum.

§. XL. Imo, cum nota ſit antiquis vſitata vox *roboris partium*; recentioribus familiaris appellatio *toni partium*, imo *viſcerum*; quis definiuit aut agnouit, in quonam verſetur ille *tonus*? Certe enim nemo facile crediderit aſſertioni illi, qua alicubi doceri ſuſcipitur, quod decantatus ille motus tonicus ſit *rigida detentio voluntaria* membri cuiuslibet in ſitu recto: (*imo certe etiam* curuo, *modo fortis atque conſtans ſeruetur illa detentio.*) Quis enim ſibi ſub tali idea concipiat illud, quod *toni viſcerum* nomine indicatur?

12. Quod reſpiratione ſanguis non refrigeretur ſed caleſiat.

§. XLI. Piget autem certe hoc loco tangere varias illas aberrationes, quæ ſi non vndique & vniuerſaliter, tamen familiariter & paſſim, circa hoc negotium *motus* ſanguinis *progreſſiui & inteſtini* fouentur. Ne illis gratis me immiſceam, tantum illud moneo, quis ante illud tempus, quo ego primis meis dogmatibus 1685. ad calamum dictaui, ad minimum viginti auditoribus, ſtatuit, *quod reſpirationis actu* tantum abeſt vt refrigeretur *ſanguis*, vt potius re vera *caleſiat*? Illud ante oculos eſt, quod etiam poſt illud tempus, & quidem publicis dogmatibus, negatum hoc ſit, *quod ſanguis motu progreſſiuo incaleſcat*. Contra omnium hominum experientiam, in motu corporis, vel etiam propterea inſtituto in hybernis frigoribus, quotidianam: æſtiuis autem caloribus ſub laborioſis agitationibus etiam ad nauſeam vſque moleſtam. *Williſii* enim phantaſmatum de vere flammante igniculo, ſeu flammula in corde, a qua ſine tropo ſuccenſus ſanguis hanc ventilationem

nem

nem per reſpirationis refrigerium exigat, piget etiam mentionem facere.

§. XLII. De reliquo vero eo ipſo alieniſſimum eſſet, *Borello* hic aliquid tribuere velle, quod ille alicubi aſſerat, *progreſſiuo motu concaleſcere ſanguinem.* Si enim *de ſolo facto in genere* ſit quæſtio, pudenda certe eſſet diſceptatio, non tam quis hoc animaduerterit, ſed potius quis non animaduerterit ſeu intellexerit, cum vtique omnes ruſtici, quando per hyemem in foro otioſi frigent, hoc experimento ſe concalefaciant, & ſub tempeſtatis qualicunque tempore qualibuscunque laboribus in calores, ſudores, ſitim non homines ſolum ſe ipſos, ſed etiam iumenta ſua coniici ſentiant. Vnde cauendum, ne hic, loco ponderum argumentorum, ingentes ineptiæ ſuccurrant. Num Borellus aſſeruerit, motu progreſſiuo ſanguinem incaleſcere.

§. XLIII. Quis vero tetigit vlcus illud, niſi nude obiter, intelligo ἀσύςασιν THEORIAE ET PRAXEOS MEDICAE. Practici quidem ipſi, etiam non ſine indignatione hoc in dies arguunt; ſed *vbi proprie hæreat* vitium, ne dum quomodo ita corrigendum veniat, ego profecto apud neminem diſerte reperiſſe commeminiſſe poſſum. 13. Ἀσύςασις theoriæ & praxeos medicæ vulgaris.

§. XLIV. De differentia non ſolum, ſed etiam ἀλλοτριώσει *phyſicæ* theoriæ a *medica* tantum abeſt, vt quenquam quicquam conſideratu, ne dum rei veritate dignum ſcripſiſſe conſtet, aut tradidiſſe, vt potius ingenti conſenſu & auſu ipſa hæc *phyſica* theoria tanquam *medicinæ* ſimpliciter neceſſaria, & ad illam non ſolum illuſtrandam, ſed etiam *demonſtrandam* prorſus idonea, par, imo neceſſaria haberetur. Vnde paſſim inprimis PATHOLOGIA ad modulum *phyſico-chymico-mechanicum*, licet vix non per totum, meris (ſi ad veritatem facti reſpicias) figmentis adornata & inſtructa, non ſolum a vera, vt in VIVO corpore, medendi methodo aberrauit: ſed etiam vere paſſim *alienis*, *irritis*, & verius *noxiis* conſultationibus ex illa hypotheſi ſuperſtructa, INANEM illam RECENTIORIS PRAXEOS IDEAM peperit. 14. Differentia & ἀλλοτρίωσις theoriæ phyſicæ a medica

§. XLV. Vndique & vndique vero tantum abeſt, vt mihi quisquam præiuerit, MOTVS *potius in corpore quam* MATERIAS *directe & ſimpliciter medicam inprimis conſiderationem ad ſe vocare;* vt potius omnes *materiæ* conſiderationem etiam per miras ideas laborioſo conatu volutent, trahant, atque torqueant, vt ex illis quoquo modo extorqueant vmbratile quoddam ſchema, quomodo *materiæ* illæ *motus* hos corpori potius *incutiant*, quam vt illæ hiſce motibus *excutiendæ*, & illi *motus* in hunc *finem & vſum inſtituti*, *directi*, & pro circumſtantiarum concurſu etiam vlterius *inſtruendi atque dirigendi* ſint? 15. Quod motus potius quam materiæ in corpore conſiderationem mereantur.

Cum hæc ne quidem talia demonſtrantibus credantur, ne dum vt ab illo præmonſtrentur.

Antiquiores motus naturæ in praxi ſectari, & alia multa in hanc rem vtiliter præceperunt.

§. XLVI. At vero illud non ſolum agnoſco, ſed vrgeo vtique, laudo, imo prædico, quod ANTIQVIORES in hoc negotio nimium quantum recentioribus præferendi ſint, dum ad minimum ipſa *praxi* potius *ſequi & ſectari motus naturæ* cordi habuerunt, quam ab illis, tanquam ipſius morbi efficaciæ, iuxta neotericos, ſimpliciter conformibus ſibi metuere & abſtinere. Sicut etiam maximopere laudo, & paſſim etiam monſtrare ſatago, quod illi cum ſua *facultate retentrice, expultrice, criſibus, temporibus* & ſucceſſibus indicatoriis atque criticis, bonis *conatibus naturæ, robore* circa hæc *naturæ, ſubſidiis* naturæ ferendis, *obſequio* & *miniſterio naturæ præſtando, inclinationibus* naturæ, quorſum vergant, obſeruandis atque ſubleuandis, & congeneribus expreſſionibus atque præceptis veriſſima & vtiliſſima dixerint. Sed fecerunt hoc tantum generaliſſime nimis, & ſine firma & inconcuſſa harum rerum proſecutione per ſpecies; vbi potius iterum miro illo faſcino *materiæ* occœcati a vera *motuum* ratione, & *actione* vitali, potius *contra* materias illas inſtructa atque directa, imo ab arte etiam in ſubſidium *iuuanda* aut *irritanda*, paſſim minus conſulte ad ſpeculationes de *materiæ vitiis* & *materiæ auxiliis* dilapſi, parum vſus ſolidi aſſecuti, imo ſenſim a veriorum rerum vſu hinc inde abalienati fuerunt.

Auxilia etiam ad ſubiungendos motus ſe- & excretorios direxerunt.

§. XLVII. Mirifice autem omnino placet, & ſemper placuit, quod antiquiſſimi fere quisque auxilia illa ſua ipſis *materiis* adhibenda vix non ſemper dirigant ad *ſubiungendos motus*, & quidem vt implicite *ſecretorios* ita explicite & diſerte *excretorios*. Vnde illis ſolennes adeo *præparationes* humorum, nempe diſerte ad *excretionem*. A qua re plerique recentiorum alieni ſunt, aut ſane vagi, & more illo ſequiorum horum temporum *ambigui, ancipites, ditoni, bilingues, a ſe ipſis* paſſim *diſſidentes*: diſerte vero nimio plus tribuentes *correctionibus* potius *immediatis atque nudis* noxiarum *materiæ poteſtatum*, quam opportunorum *motuum* peritis adminiſtrationibus.

16. Excretionum doctrina longe aliter ac hodie tractata & tradita eſt.

§. XLVIII. Hæc doctrina EXCRETIONVM *hoc ſenſu, hoc ordine, hoc ſcopo* tractata aut tradita, vnde ad manus aut notitiam peruenire potuiſſet, imo hodie poſſet, iterum non fateor ſolum, ſed profiteor omnino, me ignorare; bene vero numerum inire poſſe non exiguum talium ſyſtematum, vbi tam aliena aut perplex harum rerum fit mentio, ne dum iuſta tractatio, vt ſi hæc qualiscunque tandem compare-

paretur, ſiue numero & prolixitati, ſiue ponderi atque momentis illic collocatis, quæ de *ſpiritibus*, de *irritationibus mechanico-phyſicis*, de *fermentationibus* & *fermentis*, de *propria indole* variorum *humorum*, de *particulis*, imo malis auibus, de *poris* ſanguinis, de *ſtructura organorum* ſingulorum, de *poſitu fibrarum* ad potentias motrices, de *figura pororum ſecretoriorum*, de *poteſtatibus ſalinis* (μυρίοις ἄλλοις Hippocratis, ſeu *ſexcentis* interpretum,) & ſimilibus aliis portentis, immenſum quantum diſpari & æſtimatione & labore hæc illam tranſcendat.

§. XLIX. Profecto nimio maioris *laboris*, & omnino quidem *intellectualis* potius quam *corporalis* fuerit, ex his adeo penitus *intricatis*, & a veritate naturæ alieniſſimis traditionibus ipſam hanc, *veritatem* inquam *naturæ*, quærere aut eruere, quæ in illis maximam partem non inſit, magnam vero partem tot atque tam alienis, imo paſſim ipſi contrariis, & nude fictitiis rebus obnubilata, imo euerſa, vt omnino re ipſa & planius & facilius ſit, neglectis illis ſimpliciter, ſolum ex ipſarum rerum *hiſtoria & experientia*, *nexum* verum & euidentem eruere atque colligere. 17. Neglectis intricatis & fictitiis traditionibus facilius eſt ex hiſtoria & experientia nexum rerum eruere.

§. L. Vnde quidem profecto non ſolum facillimum fuerit, apud omnes quoscunque homines, ſaltem ſimplicis intellectus compotes, ab illa imputatione me purgare, quod in huiusmodi œconomiæ corporis humani ſcena, qualem ego ſimpliciter hucusque pandere, & ſepoſitis paſſim *perſonis* atque *laruis* intueri connixus ſum, *alieno vitulo nusquam arauerim*; ſed ipſarum potius *rerum veritate* nixus & vſus, etiam non debuerim in illis turbinibus me implicare, vnde maior ſit labor, integro animo & iudicio iterum emergere, quam ſine vllis huiusmodi ambagibus ipſam potius veritatis ſemitam ſimplicem & nihil fucatam eoque ipſo tanto magis facilem, inſtitiſſe atque tenuiſſe. Hæc fuit via, œconomiam corporis humani intueri, ſine vllis aliis adminiculis & ambagibus.

§. LI. Iterum dico, & ſemper dixi, & teſtatur res ipſa, VETERVM ſubſidiis, monumentis atque documentis vſus ſum paſſim, cum multo etiam fructu, ſed SIMPLICITER CIRCA FACTA & experientiam. *Iunioribus* quidem meis annis in eum finem, vt haberem, quod ita ſe habere etiam ipſe diſpicerem per praxeos ſuſcipiendæ decurſum. Qua poſtquam per annos magis magisque plures potitus, & omnino hac mea *experientiam vere obſeruandi* intentione, cum quanta fieri poterat induſtria vſus ſum, & in illa ſic omnino reperi ipſa re, quod ſecus ſimpliciter credere ſcriptoribus, & propterea me ad illos referre neceſſe fuiſſet. Non neglectis veterum ſubſidiis circa facta & experientiam.

V 2 §. LII.

Offendiculum ſtudii medici, aliena fide & opinione niti.

§. LII. Nempe hac certe ratione nunquam prudenter a me exſpectabitur, vt ego res *in medio poſitas*, imo plurimas illarum etiam *quotidianæ* praxi obuias, potius ab *autoritate* allegare, & *fidei* referentium imputare debeam, quam mei ipſius & veritatis attendendæ teſtimonio, etiam propria cuiuslibet induſtria in ſui ipſius confirmationem vere ſolidam ita conquirendo. Plus dico, ſed ſolidam veritatem dico. Hoc eſt proprie offendiculum illud recentioris ſtudii medici grauiſſimum, quod *aliena* potius *fide*, *traditione* & *opinione* niti moribus receptum eſt, quam de *rerum* veritate diſpicere.

Hinc veræ morborum hiſtoriæ ſubductæ, & falſæ inde ætiologiæ confectæ ſunt.

§. LIII. Hinc ſubnati ſunt nobis tot NOVI MORBI, ſubductæ vero priſtinæ verorum hiſtoriæ; & ex omiſſis paſſim his illis veris circumſtantiis, aut confictis aliis, aut *accidentalibus*, *indiuidualibus*, ex aliorum concurrentium *complicatione* ortis, pro *eſſentialibus* atque *directis* intruſis, confictæ inde magis quam confectæ vmbratiles *ætiologiæ*, & rebus alienis adſignatio tanquam propriarum cauſſarum quæſita.

Peculiares forte circumſtantiæ hiſtoricæ eſſe poſſunt.

§. LIV. Interim, quemadmodum hæc, quæ veram hiſtoricam faciem, obuiarum etiam magis & iam amplioribus aliorum ſuffragiis inſtructarum rerum concernunt, hac a me indicata ratione non ſolum iure meritoque ſuo, ſed etiam vtiliter pro communi cuiuslibet induſtriæ prouocatione ita tractantur: ita omnino conſentio, diſparem poſſe, imo ſi mauis, debere eſſe rationem non tam hiſtoriarum *vniuerſaliorum*, quam ſeorſim *peculiarium* forte circumſtantiarum, quas vulgares obſeruationes vel plane non ſuppeditant; vel vbi etiam aliquæ harum mentionem faciunt, re vera ſiniſtram, imo vel plane contrariam de illis relationem proferunt: aut, ſi qui etiam ita memorant, vt veritati *in genere* propius accedere videantur, *in ſpecie* tamen etiam adhuc aliquod *præiudicium* adferunt. In talibus caſibus, quicunque tandem illud, quod omnibus modis ſpecialius veritati conſonum eſt, in medium ſiſtit, non ſolum adigi non debet, vt illorum, qui qualitercunque forte, ſed non æque formaliter ſeu ſecundum ſpeciem ipſam & ſpecificam determinationem ſimilium meminerunt, neceſſario vbilibet conquirat narrationes; eoque ipſo, ne quenquam horum ignorauiſſe videatur, neceſſario anniti debeat; aut ſecus cenſuram, imo notam ſubire, quod illorum labore, *diſſimulatis* veris autoribus, tanquam *ſuo inuento* ſeſe efferre, & ex aliena induſtria ſibi gloriolam arrogare, in animo habeat.

§. LV

§. LV. Exempli cauſſa; cum FEBRES, quas *petechizantes* appellare, eiusque appellationis etiam cauſſam reddere ſolitus ſum, numero certe omnino ingenti tractandas habuerim, & in illis non ſolum peculiaribus plane exemplis inductus ſim, ad animum curioſius aduertendum ad indolem *alui lubricitatis* in hiſce febribus: ſed etiam ad deſtinandam illi, & per diuinam gratiam cum feliciſſimo ſucceſſu applicandam talem *medicationem*, quæ non ſolum in ſpecie ad hunc vſum *inaudita*, imo aliquibus, qui etiam autoritate ſua præiudicia facere volunt, & paſſim inter ſuos poſſunt, in hodiernum vsque diem *incredibilis;* ſed etiam nemini omnium illorum, qui de hiſce fluxibus etiam moderatius ſentiunt, per reliquam tamen communem hypotheſin immediate placitura, videri poſſit: propoſui hanc, profecto abſolutiſſime bona fide meam, obſeruationem, tum anno 1695. in ſchediasmate *problemata ad febrium veram hiſtoriam pertinentia* complectente, tum latius etiam deduxi ſuccedente tempore in exercitationibus collegialibus practicis. In tractatione febrium petechizantium in primis obſeruata fuit alui lubricitas.

§. LVI. Quarto demum anno poſt incidi in libros aliquot, quos eo ipſo tempore plures coemeram e bibliotheca B. Schefferi, Francofurtenſis, illis annis diſtracta, qui meam obſeruationem etiam aliis, & olim quidem, imo vel circa primas petechizantis febris obſeruationes occurriſſe teſtabantur. Primatum inter hos & tempore & maxime notabili facti ipſius conditione ducebat *Gerhardus Columba, Meſſanenſis; Moræus* etiam quidam proximorum temporum, *Bruxellenſis*; & antiquior *Burſerus*, Poliater Annæbergenſis. Allegabam hos, cum iterum repetitis talibus collegiis huius eiusdem febris hiſtoriam tractarem. Conſcribebantur hæc non ſolum a præſentibus, ſed deſcribebantur etiam, imo transſcribebantur, & adeo quidem manifeſto, vt etiam illis, qui *Gerhardum Columbam* nunquam in mundo viderant, adeoque quod hoc in illo ſcriptum exſtet, (& quidem loco, vbi nemo quærere in animum induxerit, non tam in ipſa prolixiore tractatione, vbi ne quidem, quantum decebat, in conſiderationem deducitur, ſed *in præfatione* libri) non poterant præſcire, ipſum librum a me rogantibus commodato conceſſerim. Hæc etiam ab aliis antiquioribus adnotata poſtea comparuit.

§. LVII. Sub quibus circumſtantiis mihi tamen mea obſeruatio vtique integra manſit, & veritas ipſius rei certe inuiolata manebit, nempe quod aliter quam vel *Columbæ* ætate fuit, vel ille annotauit, *hodiernæ petechizantes* febres *fluxibus alui* minime *iudicentur*; neque ſecundum *Moræi* apparentem opinionem, æque *poſitiuam* aliquam vtilitatem Illorum obſeruationes cum noſtris non conueniunt.

ſitatem adferant; ne dum vt iuxta aliorum aſſertionem, *multum* etiam vtilitatis, ſiue *ſponte*, ſiue *arte* qualibet ſuſcitatæ conferant. Neque ſecundum *Burſerum* nocendo propiores ſint: imo ſi hoc etiam facere viderentur, ſecundum illam ſolidiſſime *meam* obſeruationem (imo, ne quis tamen ringatur, etiam *inuentionem*,) ſtatim ad *debitum moderamen* reduci poſſent.

In hac materia fruſtra allegabuntur auctores.

§. LVIII. In hac materia, licet ſemel iterumque, ſiue ſine mea præmonſtratione, ſiue per illam, non ſolum res ipſa, ſed inprimis illi autores rerum allegentur; tamen manifeſtiſſimum eſt, quod vel res ipſa perperam atque falſo ita præfiguretur, ſi accipienda ſit, vt ibi proponitur: vel ſi res proponatur, *vti ſe re vera habet*, fruſtra illi *autores* allegabuntur, apud quos *aliter*, quam ita re vera eſt, inuenienda, periculoſe confundere poſſit eum, qui hoc ad praxin transferre ſuſceperit.

Aſſertiones enim eorum periculoſe confundere poſſunt, qui eas imitari vult.

§. LIX. Certe enim illa *Columbæ* aſſertio, & obiter æſtimata plane peculiaris quædam altera medicatio empirica (nempe citra intellectum veræ indolis medicamenti) inducunt hinc ad credendum, quod etiam *artificioſa purgatione*, *qua tali*, febri huic *poſitiuum* commodum afferri poſſit. „Quam rem qui ita ſimpliciter auſus fuerit experiri, „opto, vt verum eius exitum ſine conſcientiæ ſuæ labe deprehendat.„ Qui *nihil omnino vtilitatis* habere perſuaſus fuerit, facillime in animum admiſerit credere, quod ad minimum *viribus* præiudicium adferre compos ſit, adeoque melius *compeſcenda*: quam intentionem ſi ita exſecutus ſit, vt in *alui*, ſed tanto magis etiam alias generaliores *adſtrictiones* fiat tranſitus, grauiſſime profecto errabit, & hac etiam contraria via, vti ſolidæ *ſcientiæ*, ita profecto etiam, quæ nihil ſine illa admittere debebat, *conſcientiæ*, non ita, ſicuti decebat, conſulet.

Quid de illis ſentiendum, qui alienos teſtes allegant.

§. LX. „Interim alii, qui ipſam quidem rem commodius „dicunt, ſed tamen ad illam directe tales *autores* allegant, qui illam *in* „*hoc præcipuo momento* ſui non ita, vti vere eſt, ſiſtunt atque tradunt; „nec ipſi etiam interim hanc differentiam attingunt: an illi non iuſtam „ſuſpicionem ſubeant, *quod etiam ipſi rem illam totam aliunde habe-* „*ant*, quam vel a ſe ipſis, vel ab illis, quos ita alienos teſtes faciunt, „penes cordatos & prudentes atque perite iudicandi compotes eſto ar- „bitrium.„

Item de illis, qui alios auctores exſcribunt.

§. LXI. A me profecto tantum abeſt, vt harum rerum ita vsquam ſuſpectus reddi poſſim, vt potius, ſi me illa tangeret, ne dum angeret, cura, variis vel in vna ſerie manifeſtis exemplis monſtrare valerem,

lerem, quid de illis ſentiendum ſit, quæ totis deductionibus (etiam *loquendi formulis alibi inſolitis, non æquali ſemper cura ſatis ſtudioſe euitatis*) tota ſerie ſecundum *vnius autoris*, & *in illa re* etiam re vera *vnius*, mentem vel in publicum exſcribuntur, & non ſolum *ſine vlla eius mentione*, (quod tamen illi ipſi ita exigere audent, vt alios arguere huius omiſſionis, tanquam criminis audeant) ita ſiſtuntur: ſed etiam adhuc ſub illa ineptiſſima, imo nefaria malignitate, vt hic illic *lacinia* quædam e talium hominum ſcriniis accerſatur, qui neque his ipſis ad vllum ſolidum *vſum* potiri, vel *voluerint* vnquam, vel ſub illa corrupta ratione, & per inſufficientia atque ſigillaria fragmenta introductis, aut temere illapſis παρέργοις, vllo etiam modo *potuerint*.

§. LXII. Quid, quod mihi facillimum ſit, etiam illo argumento huius rei veritatem demonſtrare, quod illorum, qui talia ita ex aliis pluribus conſarcinare, colligere, & ſi non apud illos, tamen ex illis inueniſſe videri volunt, neque ipſorum etiam ſit ea ipſa *inuentio*, ſeu *collectio*, & *connexio*; dum certe in aliis rebus, quæ non ſolum *connexione* opus habere, ſed etiam ex his ipſis, quæ hac maxime eadem connexione, quam in alteris illis afferunt, niti atque firmari potuerat, non ſolum longe ipſis abſint illi ſui celebres autores, ſed etiam, quæ ibi ipſimet agitant, ab alteris iſtis prolatis nimio plus deficiant. Quorum tamen opinio ab iis longe abeſt.

§. LXIII. Neque vero his inſiſtere vllum ſit operæ pretium, vnde potius mea ſaltim tantisper mihi vindicare ſuffecerit, in quem finem vna adhuc opus eſt admonitione. Imputatum mihi aliquando eſt duplex culpa litteraria; primo quod *aliorum ſcripta non allegem*, inprimis *recentiorum*: ſecundo, quod *mea ipſius* paſſim allegem. Iam quod ad *primum* horum attinet, habeo *tria* quæ reſpondeam, quæ etiam ſingula pondere ſuo atque dignitate minime deſtituuntur. *Primo* enim ne quidem ita verum eſt, quod *nullos* allegare ſoleam; illud autem veriſſimum, quod ſubinde nullum videam operæ pretium allegandi, cum in illis circa quæ poſſent in teſtimonium vocari, vulgo ſuperfluum ſit teſtes citare, ſed præſtet omnino ad rem ipſam prouocare, quandoquidem vbi talibus teſtibus locus eſt, *res* etiam velut ordinarie ipſa pro ſe loqui poteſt, vt *autoritati* ne quidem locus ſit. *Deinde* in talibus rebus tantus fere communiter occurrit teſtium talium numerus, vt pigeat *ſelectum* inire, quod tamen aliqui volunt. *Tertio*, vt illæ res, quibus teſtes tales reperire liceret, *nullis* communiter *indigent*; ita quibus, vt minus adhuc cognitis, aut ad animum reuocatis, illi ſuppeterent, nulli ſunt; aut certe, quod liberaliter confiteor, mihi noti non ſunt. Fecit Duplex culpa litteraria imputata auertitur.

enim

enim profecto portentoſa illa quidlibet etiam alieniſſimum fingendi atque proferendi non magis libertas quam libido, vt animus omnino abhorreat iſtarum rerum tædio ſe ſubmittere, cui etiam profecto otium mihi non ſuppetit. Vnde ſiue bona, ſiue mala, quæ forte ita exeunt, lubens ſuo loco relinquo.

Dogmata phyſiologica, quæ ab aliis differunt.

§. LXIV. Quemadmodum autem ita in *phyſiologicis* vſitatæ mihi, imo hactenus abunde confirmatæ atque demonſtratæ ſententiæ non potuerunt mihi a quocunque alio ſuppeditari, cum ego in illis vix non abſolute ab omnium aliorum opinionibus longe abeam; nempe *a motibus ad neceſſarios fines proportionatis atque directis* deducens pleraque, inprimis autem præcipua prorſus illorum, quæ alii, inprimis autem neoterici, *materiæ* nude *mechanicis*, nec ad vllum *finem* directis, ſed ſimpliciter vti materia *cadit*, huius efficaciæ ſuccedentibus motus exſtimulationibus tribuunt: ita non facile puto pro commodato mihi imputabitur, quicquid de *anatomiæ* modernæ ἀλλοτριώσει a medicis vſibus loquor atque demonſtro. Nempe quod non ſolum omnis conſideratio *intimioris texturæ partium ſolidarum* ab omni *medica* conſideratione re vera aliena ſit; dum illi poſitiue quoquo modo conſulere ab omni medicæ *artis* poteſtate ſimpliciter alienum eſt: ſed etiam aliqua, ad veriorem *phyſicum* & *organicum* conceptum de variis grauibus affectibus *hypochondriaco-hyſtericis* atque colicis, e minus ſufficiente adplicatione *ſtructuræ*, *connexionis*, *commotionis venæ portæ*, deficere demonſtrem. Sicut etiam quamlibet conſiderationem *mechanicam* aut *anatomicam* ad *rationes motuum*, qui per illa perpetrantur, *finales*, cur ita, tali *ordine*, tali *tempore*, tali *ſucceſſu*, tali vniuerſa *proportione ad finem* fiant, nihil vsquam lucis affulgere manifeſtum reddo.

Dogmata pathologica, quæ ab aliis recedunt.

§. LXV. Tanto magis aliorum certe non facile habebuntur ea, quæ in *pathologicis* non modo ponendo, ſed etiam deducendo conſtituo atque demonſtro. Quid enim magis ab ipſis fundamentis, vulgo vndique iactatis magis quam iactis, diſtare poteſt, quam illud, quod ego vt in *phyſiologia* ita etiam in *pathologia* pro fundamento ſubſterno, quod nimio maior & ſolenniſſimis conſiderationibus dignior ſit alteratio a naturali ordine recedens *motuum*, quam proportionata corruptio *materiarum*: *directa* inprimis, & quæ non ipſa etiam a *motuum* vitiis originem ducat. Præterea vero perſiſtam hic etiam quam maxime inculcare, quod varii ita *ſuccedentes* affectus motuum minime ſint aut fiant AB illis, quæ vulgo ita grauiter peccare cenſentur, *materiis* peruerſis; ſed ſimpliciter potius PROPTER illas. Inſuper etiam paſſim vrgeam,

quod

quod illæ materiæ, quas tales *motus inſectantur* potius, quam ſimpliciter ſequuntur, communiter nondum actu ſint illius *corruptionis* participes, quæ ab aliis ſupponitur; ſed potius inſtituantur ad *præoccupandum* illas ipſas tales corruptiones, ne in effectum deducantur, aut omnino nusquam inſoleſcant & præualeant.

§. LXVI. Quo quidem loco tanto longius abſum ab vllius propria ſententia, tanto magis autem ab vllius ex omnibus deductione atque demonſtratione ſolida *modi agendi*, aut *exſiſtendi;* adſerendo, imo indiſſolubili nexu demonſtrando, quod multi *motus* tales, qui *præter ordinem naturalem* in corpore fiunt, minime tamen ſecundum vulgarem acceptionem *præter naturam* fiant, & vt *morbidi*, aut ab ipſa cauſſa morbi *directe* ita alterati, perturbati, & contra vitalem ſiue ſalutarem proportionem & intentionem, velut *in transuerſum* acti ſint. Sed potius inter reliquam talem conſtitutionem adeo non ſolum *vtiles*, ſed in grauiſſimis quoque caſibus vere *neceſſarii* ſint, vt ſi illi maxime *non* ita *fierent*, tunc demum a *materia* peccante eo maius atque præſentius damnum exſpectari deberet. Adeo vt ibi paſſim non tam ſimpliciter & in genere *propter*, ſed potius in ſpecie *contra* noxiam illam materiam concitati eſſe illi motus euidenter compareant; ne dum vt iuxta communem illam ſententiam *ab illa* ipſa materia directe illati eſſe poſſint.

Motus in morbis non ſolum vtiles ſed neceſſarii, non a materia illati, ſed propter & contra illam directi ſunt.

§. LXVII. E quo etiam principio manifeſtam reddo rationem *paradoxi* illius, (in perita praxi certe notiſſimi, interim in communibus theoriis ignoti, & inde ad varios *paralogiſmos* practicos ſeducentis,) quod innumeris vicibus *plane nulla proportio inter materias atque motus* tales compareat; ſed inprimis *promtiores atque fortiores*, quam pro *materiarum* veriore *proportione* occurrant: & hoc quidem inprimis in *adſuetudinibus*, in quibus iuxta reliquam communem hypotheſin contrarium euenire deberet, nempe vt minus minusque materia talis efficeret. Quod ipſum etiam cum in aliquibus ſpeciebus re vera ita fiat, intricatius tantum inde vulgo eſt negotium, cum neque res ipſæ ſecundum *hiſtoriam* recte diſtinguuntur; nec proinde etiam *cauſſarum* verarum ſiue *inuentio* euidens, ſiue *diſcretio* inde adſignari poteſt.

Sæpe nulla proportio eſt inter motus & materias.

§. LXVIII. E quo fundamento non ſolum vniuerſam FEBRIVM ſcenam planiſſime aperio atque ſiſto: ſed etiam *motuum ſanguinis* ad *exonerationem* aliquam tendentium varios *apparatus*, varios *ſucceſſus*, & illis impeditioribus locum occupantia alia pathematum genera, *conatui* tamen horum generum non ſimpliciter morbido inni-

Ex hoc fundamento non ſolum febrium pathologia, ſed etiam varii motuum ap-

paratus & translationes deducuntur.

tentia, hinc luculentius vtique conceptui ſiſtere laboro. Iam pridem etiam obiectum hic eſt, quod diu ante nos iam ipſe *Campanella* declarauerit, quod *febris* videatur eſſe *res vtilis*. Sane vero ego hoc ipſum non ſolum non reticui, ſed tanto minus reticere aut volui aut debui, qui tanto melius ſciebam, quam qui monere hoc ſuſcipiebant: vtique totum librum *Campanellæ de febribus* perſpectum habens, quem illi ne quidem ſcriptum eſſe ſciebant. Eodem candore non reticui, quod etiam *Sydenham* febrem pro *ipſius naturæ opere* habeat: & *Helmontius* etiam eo reſpexerit.

Quid hæc theſis commune habeat cum veterum animaduerſionibus.

§. LXIX. Interim alia certe, quam qua homines vtuntur, ratione vti oporteat, qui huius theſeos, quæ mihi cum ipſis *communis* eſt, etiam demonſtrationem vel illis inter ſe, vel mihi cum illis *communem* eſſe, imo quidquam intimius commune habere, confirmare voluerit. Enim vero, cum res in ipſa natura ita & non aliter ſeſe habeat, & tanto magis mihi per luculentiſſimas demonſtrationes animum aduertenti talem ſe ſtiterit: impoſſibile fuit ipſo quaſi titulo ſeu lemmate aliter illam notare. Interim intelligentibus tantum, minime vero turbulentis ingeniis innoteſcere poteſt, quantum intercedat differentiæ, an ſimpliciter *a poſteriori* veritatem *vtilitatis* cuiuscunque ipſius *euentus* febrium agnoſcas; an vero etiam a priori, & per mediam *inſtrumentalem* habitudinem hanc rem vndiquaque firmam atque dilucidam habeas & reddas. Tanquam ſi ſcias dari in mundo panem, ſed neque vbi quæras, nec vnde compares intelligas aut habeas.

Veteres in febribus criſes, pugnam naturæ cum morbo eiusque victoriam conſtituerunt.

§. LXX. Idem ſentiendum eſt de veterum in hoc genere animaduerſionibus: dum in febribus, inprimis *acutis*, *criſin* præcipue per *excretiones* tempeſtiuas eminenter fieri intelligendo, ipſius *naturæ pugnam cum morbo;* & ſi ſatis expedite ad exitum vsque ſuccedat, etiam *victoriam* eiusdem *naturæ* conſtituant. Nempe hoc ipſo ſatis euidenter indicantes, quod ipſam *naturam*, quæ ad *ſalutem* corporis tendunt, & *tentare* atque *agitare* exiſtiment; & ſi illum effectum non ſatis feliciter obtineat, illud demum inſuperabili *materiæ* morbidæ conſtitutioni tribuendum ſit: omnis autem ad *bonum exitum* non ſolum *pertingens*, ſed etiam *tendens commotio* ipſius naturæ & *intentioni* optimæ, & efficaci *vigilantiæ*, & *proportionatæ operationi* in acceptis ferenda ſit. Ego certe liberaliter confiteor, me omnino ſentire, quod nihil magis appoſite dici poſſit; ſed nemo non videt, qui illorum monumenta reuoluit, quod vndique deficiat omnis *directa theoria*, vlla nempe indicatio, *quænam vere ſint illæ circumſtantiæ mediæ*, quinam continui *ſucceſſus*,

qui-

quinam *proportionati progreſſus*, quænam *materia* his rebus vere *proportionata*, quibus rebus vniuerſa hæc ſcena *vero ordine* inſtruatur, & ad optatum finem deducatur.

§. LXXI. Merito vero debuerant iam pridem, quicunque alios docere hic ſibi ſumſerunt, non vacuis commentatiunculis, ſed ſolida rerum demonſtratione ſtabiliuiſſe, imo vera tractatione *hiſtoriæ clinicæ* demonſtratum dediſſe, quod pridem indicauit *Hippocrates*, quod *natura*, *a nemine edocta*, *præſtet* τὰ δέοντα, quæ *debeant*, *deceat & conueniat* fieri; quod *naturæ ipſæ ſint morborum medicatrices*; quod multi homines *ſine medico* (atque medicamentis) ſanentur, nemo vero ſine medicina. Iam ſi vel non magnopere vtile hoc iudicatum fuiſſet, antequam res ipſa docuiſſet, profecto non potuiſſet non curioſum ad minimum reputari, vt perueſtigatum fuiſſet, in quonam vere fundetur *triplex* hæc tanti nominis *efficacia naturæ? An vere* τὰ δέοντα *ſint, quæ illa agit? quomodo curet morbos illa ipſa?* quænam ſit illa *naturæ ſpontanea*, vt quidem *Hippocrates* nominare ſuſtinet, *medicina?*

Sic recentiores idem obſeruare debuiſſent de natura, quid præſtet in morbis.

§. LXXII. Ego vero hic, ſi vsquam, arguendam, & propemodum dixiſſem deteſtandam duco illam *curioſitatem*, non quæ *aliena* tractat; ſed quæ ita tractat, vt *propriorum* & quæ *vere fieri debebant* obliuionem atque neglectum inde admittat. Certe non opus erat *Hippocratem* hic ſimpliciter auctorem ſequi, cum ante oculos, perpetuis etiam innumerabilibus *exemplis*, conſtituta ſit ipſa omnino res; nempe in multis præcipue vehementiſſimis quibuslibet morbis *ſpontanea ægrorum conualeſcentia.* Quam interim rem, vbi vsquam, etiam vel obiter ſaltem, & ſecundum apices in ipſis ſolennibus dogmatibus medicis *tactam* vel *indicatam* eſſe dicere poſſim, non habeo.

Aegrorum ſpontanea conualeſcentia.

§. LXXIII. Interim nemo non æquus atque prudens harum rerum æſtimator viderit primo intuitu, quod ſi in talibus actionibus natura dici poſſit τὰ δέοντα facere, *medicinam* facere, imo *ſanare*, non ſolum ingens operæ pretium ſit, ſed omnino quoquo modo neceſſe ſit, luci debitæ ſiſtere, an illa δέοντα ſint *ſimpliciter* talia, vt ita *debeant* fieri, vt non *debeant* aut *non poſſint non* fieri; adeoque etiam ſub ipſius *Medici* concurſu ita debeant præſtari atque perfici? an vero nomen hoc vel non *ſola* atque *abſolute*, vel forte *plane non* mereantur? An vere *naturæ poſitiue* medeantur, & ſanitatem corporis in integrum reſtituant; an vero iuxta neotericas opiniones, ſaltem ipſa *materia* in ſe tandem ita *deferueſcat*, vt ad nocendum vltra, ſeu turbandum corpus impar euadat, vnde corporis œconomia ab illa paſſione, quam hæc *actiua* hoc

Illa naturæ δέοντα vlterius examinari debuiſſent.

ſenſu *materia* intulerat, liberata ſuam propriam antiquam proportionem retineat?

Sic compareret diſcrimen inter ſimplicem titulum & luculentas rerum deductiones.

§. LXXIV. Iam ſi aliquis vnquam defunctus eſſet digniſſimo hoc negotio, ille quidem opprobrium hoc non ſolum *neglectus* huius, ſed etiam inde dependentis multiplicis grauiſſimæ *confuſionis* tam in *pathologia clinica*, imo vero *febrium* inprimis vniuerſa, & ipſa etiam ſolida methodo medendi amolitus vtique eſſet, ſed apud omnes iugiter peritos atque cordatos viros nihil certe vsquam præiudicii expertus eſſet a fatuo illo otioſiſſimorum hominum odio atque conuitio, quod iam dudum hoc dixerit Hippocrates. Facile enim vtique diſpexerint, quid interſit inter ſimplicem titulum atque leuem ſubindicationem, & contra ponderis rerum inculcationem atque luculentas deductiones.

Plethoram quoque veteres agnoſcunt, & morborum cauſſam conſtituunt.

§. LXXV. Pari ratione nemini, niſi inter Helmontianas, Tachenianas atque mechanicas nudas opiniones domi tantum, quod aiunt, peregrinanti incognitum, aut potius non abunde notum eſſe poteſt, quod veteres paſſim agnoſcant & arguant PLETHORAM, eamque etiam diuerſorum morborum cauſſam conſtituant. Interim quod vel ſimpliciter iuſta ſpecie atque numero, vel vero ætiologiæ nexu atque ordine, etiam reali illo, quo in ipſis factis a ſe mutuo dependent & circumſtantiæ & ipſi affectus varii, hoc ad vltimum exſecuti ſint, quis dixerit?

Digreſſio de reſpectibus cauſſalibus.

§. LXXVI. Obiter dum de nexu ætiologico mentionem iniicio, nemo arbitretur, quod de vocabulis illis mihi ſit ſermo, quæ, tanquam pueris logica inculcanda eſſet, nusquam quidquam ſuſcipiunt, quin omnem paginam impleat, hæc eſt cauſſa efficiens, hæc eſt cauſſa materialis, hæc eſt cauſſa adæquata (aliena prorſus acceptione) hæc eſt cauſſa remota, hæc proxima, hæc proximior, hoc eſſentialiter inhærens, illud eſſentialiter conſequens. Quantumlibet enim etiam harum appellationum vſum non ſimpliciter damnem, tamen alieniſſimum certe eſt eo loco, vbi ſimpliciter ipſe ſucceſſus, imo modus ſuccedendi ſiſti poſſet, non ſolum hanc enarrandi methodum per hæc vocabula tanquam neceſſariam vrgere: ſed etiam eo ipſo re vera diſtractis imo abſtractis conſiderationibus realem & proximum conceptum confundere. Quod profecto communiſſime fit, & proinde hi abſtracti theoretici vix quicquam ipſi percipiunt ſolide, nedum vt alios ita doceant. (Cui rei accedit, quod ſub hac ita anxia conſideratione aliorum reſpectuum cauſſalium communiſſime omnium obliuiſcantur reſpectus *inſtrumentalis*, & ſub hoc *finalis*, eoque ipſo in vere æſtimandis *viui* corporis,

& ad

& ad illud viuum conſeruandum directe pertinentibus negotiis a ſolida veritate aberrent, atque his tantum re vera ita alienis conſiderationibus inhæreant.)

§. LXXXVII. Sane vero, licet omnino veteres ſuper hoc fundamento *plethoræ* collocauerint v. gr. *hæmorrhagias*, tamen non ſolum in eo defecerunt, quod veram æſtimationem illarum, etiam ſimpliciter pro paſſiuis lapſibus illas habendo, ita amiſerunt: ſed etiam eo pertinentes motus (non ſatis attendendo, etiam *ſtatas* paſſim horum *periodos*) minus attente conſiderantes, vniuerſum verum fundamentum *morborum ætatum* in genere, & variarum *exacerbationum* in ſpecie ita amiſerunt, vt recentiores in harum rerum ſubſidium turmam illam *ſexcentorum ſaporum* producere neceſſarium duxerint, ad vnius ſolius rei neglectum ſarciendum.

Licet veteres ex plethora hæmorrhagias deduxerint, multa tamen circa eaſdem præteruiderunt.

§. LXXXVIII. Enim vero paſſim quidem inuenire licuerit inter qualeſcunque practicarum methodorum allegatas rationes, inter ipſos omnino veteres, admonitiones tales, quæ ſub vi atque forma *cautionum* moneant, prudenter verſandum eſſe in variarum hæmorrhagiarum curationibus; & paſſim etiam beneficio *naturæ* hic aliquid imputent. Qui vero ſolenniter, & quantum res ipſa mereatur hæc deduxerint, & in his ſuis aſſertionibus apud claſſicos Doctores aſſenſum atque dogmatum horum ſuorum receptionem & pro veritate propagationem adſecuti ſint, ego ipſe docendus fuero.

Cautelas etiam in hæmorrhagiis curandis dederunt.

§. LXXIX. Quid autem contra manifeſtius, quam quod maxime ab huius rei nullo decente intellectu non ſolum numeroſarum aliarum rerum, ortus inquam atque ordinis variorum aliorum affectuum ſolidior conſideratio hinc defecerit; ſed etiam tota illa controuerſia *de vero vſu venæ ſectionis* adeo non decenter ſuam demonſtrationem adſecuta ſit, vt ne quidem illud ſatis perſuaderi potuerit, quod non plane noxia haberi mereatur. Quamlibet enim minime neſciam, quod paſſim cum indocilibus hominibus ſit negotium in hac quæſtione, vt illos nulla re minus quam ſana ratione corrigere ſit integrum: ſubigere tamen, & apud alios æquos arbitros euidentius refellere non aliter contingere poteſt, quam ſi iuſta euidentia monſtretur, quid ſub ſtatu *plethorico*, eiusque *commotionibus* partim per *hæmorrhagias ſpontaneas*, *directi* commodi eueniat; partim his non procedentibus, *multiplicibus* incommodis & variorum aliorum affectuum *ſucceſſui* via ſternatur. Hæ enim res ſi ex ipſa *veritate* PRACTICA ſolide demonſtratæ

Deeſt conſideratio non ſolum variorum affectuum ſed etiam vſus venæ ſectionis.

præſto eſſent, qui illis auſcultare refragatus fuerit, eum a nemine non pro inſanabili habitum iri audeo omnino confidere.

Dogmata hæc diſtinguunt ſe ab aliis per connexiones & earum ſolidas deductiones, cum applicatione ad praxin.

§. LXXX. Vnde quidem non eſt, quod mihi pro aſſerendis meis in hiſce rebus deductionibus, earumque bona fide inter bonos quidquam metuendum veniat: adeo, vt potius liberrime auſim conſtantiſſima omnino continuatione *mearum* deductionum ſyſtema publice tueri, & ex illo vti ſimplicem ita certam atque ſolidam & vere DOGMATICAE PRAXI conſentaneam tam *theoriam* quam *therapiam* medicam polliceri. Quemadmodum autem in hiſce *ſingularibus* rebus, & quarum alias ex hoc, alias ex altero, alias e tertio, diuerſa de reliquo ſentientium opinionum ſenticeto decerptas a me eſſe inſimulari apparet; ab illis, qui talia tam ſub vera a me illis adſignata hiſtoria conſtitutionis ſuæ, quam ex vſu illarum a me aſſignato, minus communiter recepto, æſtimauerint, facile iuſtum mihi iudicium polliceri auſim: ita tanto magis in eiusmodi vniuerſarum rerum ſimpliciter *ſyſtematica connexione*, atque nusqnam *deficiente* aut *hiante deductione*, & *directa* tandem ad *veram methodum practicam applicatione*, nemo puto, niſi omnium rerum oblitus, in animum admiſerit, quod in illis mihi quisquam facem prætulerit. Cum enim harum rerum illa ſit indoles, quæ omnium verarum atque ſolidarum *connexionum* eſt, vt nihil penitus ex illis *diſtrahi* poſſit, quin eo ipſo tota *campages* dehiſcat; ita profecto niſi monſtretur, quod hæ res iam *toto hoc nexu* alibi traditæ atque tractatæ ſint, nihil omnino dictum erit.

Non inuidiæ ſed laudi ducendum illi, qui has res diſperſas conquiſiuerit.

§. LXXXI. Iterum autem merito repeto, quod iam ſuperius dixi, non *inuidiæ* mihi ſed *laudi* omnino ducendum foret, ſi etiam has res per numeroſorum fragmentorum modum alibi paſſim conquiſitas, & *ſub* illa diſperſione, imo verius *per* illam ipſam diſperſionem ab omni ſuo vſu intercluſas, ad eundem reuocare & ad illum ita ordinare atque inſtruere valuiſſem. Sicut enim longe facilius aliquis ipſas potius res, & inter quas quidem verſari, easque deprehendere ipſimet contingit, & inprimis ſub illo ſtatu atque *nexu* ipſæmet in ſe iacent, atque concurrunt, ſub eodem, ſine aliis præiudiciis, illas capeſſere; imo etiam ſibi ipſi conceptum aliquem de illis efformare, & nihil interpellata præfigurandi continuatione eundem ſibi fabricari atque coagmentare potuerit; quam neque *res connexas*, neque *opiniones* de illis *conſentientes*, ſed vtrasque longe lateque *diſperſas*, vel ſolum etiam *velle*, nedum *poſſe* conquirere: ita profecto quisquis demum hoc feciſſe diceretur,

tur, ad minimum hoc intuitu maximi atque *intricatiſſimi laboris feliciter* perpetrati gloriam meruiſſe omni omnino iure videri poſſet.

§. LXXXII. Non autem ſine ratione dixi, quod ne quidem veriſimile videri poſſit, quod aliquis huiusmodi res conquirendi vel ipſam *voluntatem* in animum admittere poſſit. Certe enim, vt *ignoti nulla cupido* eſt; ita niſi quis huiusmodi *res* iam aliunde ſic ſatis perſpectas, & illarum *vſum* plus quam mediocriter ſuſpectum aut inſpectum habeat, quomodo ille impelletur, vt ad hasce res, *fragmentorum more* hic illic diſperſas, colligendas, imo ſeligendas e reliquis inter quas oberrant, & *alteri* demum *nexui* cum *aliis*, *iterum aliunde conquirendis*, deſtinandas, animum ſubmittere & acquieſcere mallet. Faceſſant itaque inanes huiusmodi ſuſpicionum ſaturæ; & quæ condere certe nunquam potuiſſent, prodere tanquam aliena, imo rodere deſiſtant.

Nemo vero antea hoc facere in animum admiſit.

§. LXXXIII. Ego, & præſide & adſtite diuina gratia, *mea*, imo potius *vera*, pro virium modulo gnauiter proſequi nunquam abſiſtam, imo potius ad exoptatum finem exſequi. Nempe ante omnia e vero naturæ fundamento eruere veram atque ſolidam *diſtinctionem*, imo *diſcretionem* MIXTI & VIVI, & humani corporis *ſecundum hos reſpectus*, inprimis autem *poſteriorem* conſiderationem. Huic conſiderationi omni vtique modo ſubſternere neceſſe habeo veram demonſtrationem VITAE; in quonam illa, vt in ſcholis loquuntur *ſubiectiue*, *obiectiue*, *inſtrumentaliter*, *formaliter*, & ita etiam *efficienter conſiſtat*?

Recenſentur denuo peculiaria dogmata. Ex diſtinctione mixti & viui deducta eſt demonſtratio vitæ.

Id eſt, *quidnam in corpore* præcipue vita indigeat? Nam licet vniuerſum *corpus* illa indigeat, ita vt nulla eius pars ſine iſtius concurſu perpetuo vel per duodecim horas *tota incorrupta* perſiſtere poſſet: tamen *diuerſitas* etiam inſignis hic ſubeſt, vt aliæ huiusmodi partes longe citius & profundius quam reliquæ corruptiones has incurrant.

Nam ita *ſecundo* (*obiectiue*) vita verſatur circa corpus totum & ſecundum omnes ſui partes, circa habitum illarum *ſumme corruptibilem*, vt nempe propterea maxime, *quia* & *quatenus* ita ſumme *corruptibiles* ſunt, *conſeruationem* hanc proprie exigant.

Præcipuæ autem conſiderationis eſt ille reſpectus, quo *inſtrumentalis* habitus, *mediante* quo vita præſtatur, conſiderationi ſeſe offert. Quandoquidem ab huius vera *æſtimatione* atque perita *imitatione* maxime pendere videtur vniuerſus *nexus theoriæ* huius cum praxi, vt nempe vere *medica* fiat theoria; quæ non ſolum *quid ſit* vita, *quomodo ſponte* conſeruetur, demonſtret; ſed omnino etiam *veram viam* indicet, quomodo ipſa ARS quibuscunque *defectibus* aut *impedimentis*

mentis horum *inſtrumentorum* ſubuenire, defectus illos *ſupplere*, impedimenta eorum *ſubleuare*, & reſpectiue excutere atque *auferre* debeat aut poſſit.

Inde *quarto* reſultat *formalis* vitæ *ratio*, quod illa nempe nihil aliud ſit, niſi CONSERVATIO corporis huius adeo ſumme corruptibilis, etiam *in ipſa illa ſua corruptibilitate nusquam mutanda: actum* ſaltem ſeu euentum ipſum corruptionis perpetuo auertendo.

Vbi vtique *quinto* iuſtam deinde conſiderationem exſpectare videtur reſpectus *finalis*. Quamobrem ergo hoc corpus tam ſollicita & indeſinente energia atque opera ita conſeruetur? Imo non hoc ſolum, ſed etiam *a priori*, *quamobrem*, quo intuitu, qua de cauſſa hoc corpus, etiam vti eſt, ita corruptibile *factum eſſe debuerit*? Quandoquidem certe omnem humanam fidem abſolute excedat, quod *nulla de cauſſa*, ſed plane *caſu* aliquo aut potius *temere* hoc corpus ita conflatum ſit, ſaltem propterea, *vt neceſſarium eſſet corruptioni eius reſiſtere:* imo etiam ita nulla penitus ratio ſuppetere poſſit, quamobrem tandem neceſſaria ſit illa *conſeruatio*, & quomodo potius non *indifferens* plane ſit, relinquere corruptibilitatem illam actuali ſui euentui & effectui.

Cauſſa efficiens conſeruationis vitæ.

§. LXXXIV. Reperto vero reſpectu *finali*, non facillimum ſed etiam euidentiſſimum mox fuerit, quænam in hiſce rebus *efficiens* cauſſa, ſatis luculenter conſtitui imo agnoſci poſſit: talis nempe, quæ circa *finem* huius conſeruationis non ſolum magnum intereſſe habeat; ſed etiam *idonea* omnino atque compos ſit, *actus* illos & præſtandi ſimpliciter, conſideratione *a priori* inſtituta; & *a poſteriori* experientiæ ſimpliciſſimo teſtimonio, etiam ad cito & varie & *efficaciſſime alterandos* atque mutandos hoſce actus inſtructiſſima ſit.

Particulares conſiderationes. Sanguinis conſtitutio.

§. LXXXV. Inde progreſſus patet ad *particulares* magis conſiderationes, tam ſubiectorum illorum, quæ conditionem illam (*obiectum*) *neceſſitatis vitalis* quam maxime poſſident. Vbi *ſanguinis* conſtitutio peculiarem illam huius conſiderationis illuſtrationem exemplo ſuo locupletat. De quo facile deinde monſtrari poteſt, quomodo & quo intuitu ſanguis etiam ſub *mediis actibus vitalibus* integritatem ſuam abſolute incorruptam neutiquam tueri poſſit; ſed ſub illis etiam perpetuis vtique diſſolutionibus a prima ſua mixtione deſciſcat atque fatiſcat. Vnde mox cauſſa *finalis* maximæ partis *nutritionis perennis* & vltra terminos *augmentationis* totius corporis continuantis, tanto euidentius diluceſcit.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI. Peculiaribus autem demonſtrationibus hic firmare ſoleo prouentum *Plethoræ* ſeu *abundantiæ* ſanguinis: cuius rei tanto dignior eſt conſideratio, quanto *ſimplicior*, *promtior*, & hinc etiam *familiarior* eſt huius rei concurſus, tam ad *craſin* ſanguinis alterandam & lædendam, quam etiam ad *occaſiones* & inſtigationes ſuſcitandas, vt *motus* ſanguinis *ordinarii* non *ordinate* ſecundum reliquam ſuam ſimplicem proportionem procedant. Vbi porro vera *hiſtoria motus ſanguinis* magis diſtincte texenda venit. Et inprimis ibi monſtrandus *vſus* etiam *directe vitalis*, ſimpliciter *conſeruatorius*, e motu ſanguinis per partes muſculoſas, ambitum vniuerſum corporis inſtruentes. Vbi tam de *fluxilitate* quam *concalefactione* eius dicendi ſuppetit occaſio. Plethoræ prouentus.

§. LXXXVII. Ibidem autem omnino occurrit demonſtratio & *veritatis* & *efficaciæ* MOTVS TONICI; & quidem non ſolum ad *generalem* ſanguinis *progreſſum*, ſed inprimis etiam ad *ſpeciales* eiusdem *directiones*. VSV adeo abſolute ſcitu neceſſario, vt ab huius ignorantia præcipua variorum affectuum *phænomena*, nullo vno intuitu hucusque comprehendi aut intelligi potuerint. Tanto magis autem inſeruit notitia huius *motus* ſufficiens pro tanto melius intelligendo ipſo negotio *ſecretionum & excretionum*, quomodo videlicet illæ *huius motus beneficio* non ſolum in ipſis organis *colatoriis*, magis *immediate* laxius aut *ſtrictius* affectis, vario moderamine *regi* poſſint: ſed etiam *mediate* atque *remote*, *eminus* inquam & e longinquo, ita *inſtrui* atque *dirigi*, vt peculiares *congeſtiones* ex aliis regionibus ad illam, vbi talis *ſecretio* aut *excretio* fieri debet, *actiuo* motu ita præſtentur. Motus tonicus.

§. LXXXVIII. Quamuis enim iam pridem veritatem talium μεταστάσεων, ἀποστάσεων & διαδόσεων ſatis cognitam habuerint antiquiſſimi e praxi ipſa obſeruatores; imo ſubinde *intempeſtiuo*, ſed *breui* atque *repentino* impetu ita *rapi* agnouerint: perdiderunt tamen recentiores omnem huius rei fidem, qui vnice nudis *paſſiuis ſtaſibus* talia imputauerunt; & paſſim quidem ſub affectata illa *mechanica* conſideratione, re vera contra omnem *mechanicam* & *hydraulicam*. Sicut etiam hos recentiorum conceptus re vera penitus fruſtratur ac euertit, TONICI vero *motus* vſum inſigniter commendat circumſtantia illa tam *ſecretionibus* quam *excretionibus* variis, & frequenter quidem, familiaris, quod STATIS temporibus recurrat *euacuationum* ſimilium *periodus*; eæque adeo fruſtra certe huiusmodi cauſſis tribuerentur, quæ nihil Antiquiores aliquid de hoc motu cognouerunt; recentiores autem falſum conceptum de eo habent. Secretionum & excretionum ſtatis temporibus recurſus.

nihil vſquam tum ratione *materiæ* ſuæ, tum ratione talis *loci* cum certa *menſura temporis* commune habere poſſent.

Hæc directio ad loca certa, intra tempus certum, ſub motibus certis, non fit per accidens.

§. LXXXIX. Et ſane conſideratio illa, quomodo ordinarie *lenes* atque *lentæ* ſecretiones & excretiones, inſtabiles & quaſi fortuitæ, rebus vndiquaque tranquillis atque moderatis, veluti ſimplicier ſub reliquo ſanguinis circuitu, procedere appareant, ſeduxit maxime illos, qui *mechanismis* directe & ſimpliciter inſiſtere amant, vt hæc omnia ſine vlla peculiari *intentione*, ſed vt illi quidem loqui amant, ſimpliciter *per accidens* ita ſubſequantur. Aſt vero quando iam aliquid, quod proportionatum illum ordinem atque æqualitatem excedat, ſeſe offert, & aduerſus illud *directiones* peculiares ad *loca certa*, intra *tempus certum*, ſub *motibus certis* concurrentibus, inſtitui apparet: tunc ex huius conſiderationis neglectu nihil aliud poteſt pullulare, quam incondita illa opinio, quod vniuerſi etiam hi *apparatus* æque atque *exitus* ipſius ſolum *morbi effectus* ſint, & nihil vſquam *actiuum* ex parte œconomiæ ipſius ſub ſe complectantur; ſed ſi quid tandem *vſus* in illam hinc redundet, illud *ſimpliciter per accidens* ita eueniat. Niſi quod tamen peculiari inſtitutioni ipſius *diuinæ ſapientiæ* hoc adſcribendo, quod ipſæ materiæ in ſe ad huiusmodi ſucceſſus ita formatæ ſint, in *myſticam philoſophiam* omne vlterius dubium inuoluendo, *omnia dixiſſe velint, cum nihil, imo aliena dixerint.*

Hoc ex alterationibus per nudas animi fictiones oſtenditur.

§. XC. Quando enim etiam ipſum ſimplex vulgus hominum per nudam experientiam animaduertit, quam *ſolenniter* æque & *familiariter*, quam etiam *vehementer* atque *efficaciter* iſtæ ſuppoſitæ *immutabiles proportiones* atque *diſpoſitiones materiarum* atque *variarum*, etiam vere *phyſice-momentaneis progreſſibus* atque ſucceſſibus, grauiſſime alterentur *a nudis animi fictionibus*; apud æquos rerum arbitros etiam *iniuriæ in diuinam ſapientiam, potentiam, & benignitatem* poſtulari tales Philoſophi poſſent, quod *voluntatis diuinæ leges, materiæ ſeuere & immutabiliter impreſſas, friuolo* cuilibet, *pueriliter trepidantis*, aut *maligne indignantis*, atque *temere fictionibus offendentis* animi poteſtatibus ſubiiciant atque addicant. Quæ res nusquam aliunde, præterquam a ſola vera conſideratione & ſolido intellectu *motus tonici* ACTIVI medelam exſpectare poteſt.

Diſſertatio epiſtolica de motu tonico vitali.

§. XCI. Hoc intuitu maximopere etiam allaboraui, vt veritatem huius rei quoquo modo demonſtrarem; capta in eam rem occaſione e familiari diſcurſu, quo hanc rem proponere quidem contigerat, ſed ita, vt intelligeretur, deducere tempus non ferebat: vnde peculiari

culiari ſchediaſmate hoc præſtare in animum induxi, *epiſtolica* nempe diſſertatione *de motu tonico vitali*. Hæc quia ad Virum, & *Practicum* quidem in locupleti experientia conſtitutum deſtinabatur; præterea res ipſa & euidentiam maxime luculentam, & vſum etiam præcipuum in ipſa *praxi*, & phænomenis præcipuis *clinicis* tam intelligendis, quam in vſum & imitationem artificioſam conuertendis, habet: placuerat illam potius *practice*, ipſis nempe *hiſtoriis* & *exemplis* ſiſtere atque tractare, quam odioſis *ſyllogismis;* tanto magis, quoniam multis hominibus, quod mihi quidem abunde notum atque perſpectum eſt, nimio facilius per ipſas κατ' ἄνθρωπον oſtenſiones, nempe inductiones, & maxime ſenſibilium φαινομένων productiones, fere vulgo facilius ad concluſionem aliquam agnoſcendam præbeatur aditus, quam per *illationes*, quantumcunque *theoreticas*, aut *ſuppoſitionem* magis aliquam redolentes, quam ipſam mox *probationem* oſtendentes. Vnde in ipſo non ſolum frontiſpicio ſeu titulo ſtatim indicaui, quod de illo *motu* in animo ſit agere, mediante quo *ſanguinis progreſſus*, nihil mutata generali *circulationis* lege, interim ſpecialiter atque *particulariter* varie inſtrui, atque ad *certa loca corporis ſeorſim* compelli, tanto magis autem *a certis* huiusmodi *locis particularibus repelli* poſſit atque ſoleat: ſed illud ipſum etiam tam paſſim in tractatione, quam in ſpecie in vltima concluſione diſſertationis, tanquam facta collectione e tot notiſſimis & quotidianis phænomenis reſultante, obſignare cordi habui.

Diſſertatio de æſtu maris microcoſmici.

§. XCII. Cum autem, certe præter exſpectationem, experirer, quod non ſatis aſſecutus ſim intentionem meam, ſuſcepi repetitam non magis *prolixiorem*, ſed vti mihi quidem perſuadebam, etiam *vberiorem* huius negotii tractationem diſſertatione *de æſtu maris microcoſmici*: nempe non ſolum *effluxu* ſanguinis a centro ad circumferentiam, ſed etiam *refluxu* eiusdem tam pariter *vniuerſali*, quam etiam hinc inde *partiali*.

In febrium ætiologia motus tonici vſus multum iuuat.

§. XCIII. Quoniam autem ſpemper vtique *medicas* potius quam ſimpliciter *hiſtoricas phyſicas theorias* tractare atque demonſtrare in animo ſedit; & inprimis veram *febrium ætiologiam*, quemadmodum cum *clinicis* phænomenis conſentit, euidente demonſtratione tandem ſtabilire auerem: ad varias autem illas, (*tempore*, *ordine*, conſpicua *vehementia*, & manifeſtis *euentibus* variarum ſecretionum & excretionum,) inſignes diuerſarum febrium circumſtantias, hic præcipue *motus*, tanquam verum *inſtrumentum*, *actiue* adhibeatur; vnde illo ignorato, aut non ſatis pro dignitate æſtimato, impoſſibile etiam

ſemper fuit, vt vnquam vel vllius phænomeni, circa *paroxyſmos* etiam quotidiano euentu conſpicuos *tertianarum* febrium, ne dum aliarum, ratio reddi poſſit. Propterea ſuſcepi ſtatim etiam hanc totam rem vna indicare, & paſſim præmonere, quod vſus *motus* huius *tonici* præcipuus ſit in ipſa *facti veritate*, adeoque etiam conſiderandus & attendendus ſit in febrilium *paroxysmorum*, imo totorum ſyſtematum talium vera atque ſolida penſitatione.

Diſſertatio de motu humorum ſpasmodico.

§. §.XCIV. „Ne vero etiam hæc res iterum fructu careret „(poſſum enim ſancte aſſeuerare, quod poſt homines *ſuperſtitionum* „credulitate occœcatos, nullum hominum genus indocilius obſeruaue„rim, neque vere indoctius, ad aliquid ſolidi & connexi comprehen„dendum, quam vulgi Medicorum turbam, & inprimis ſiue *litteraturæ* „ſiue aliarum ἀλλοτριώσεων πολυπραγμοσύνῃ diſtinctam) ſubiunxi „diſſertationem de *motu humorum ſpaſmodico*.„ Qua nempe demonſtraui, non ſolum *a priori* & in genere, quod, quando partes corporis *poroſæ*, *ſpongioſæ* vt loquuntur, & ordinarie ſanguini copioſum aditum præbentes, eo ipſo *conſtringuntur*, ſanguinem, quem eo tempore forte continent, *exprimant* atque *repellant* ad alia receptacula, nempe *venoſa*; & quam diu in hac *ſtrictura* detinentur, atque adeo ſolitæ quantitati ſanguinis *ingreſſum* non concedunt, hoc ipſo efficiant, vt illa tota quantitas interea temporis ad alia corporis loca tanto maiore copia *regurgitet*. Sed commonſtraui etiam ſimul, non ſolum repetitis priſtinis, ſed nouis etiam eius generis exemplis, quod hæc talia minime ſolum POSSINT, aut fortaſſe POSSENT, ſed omni modo quam maxime SOLEANT ita fieri; neque vero *raris* aut *obſcuris*, ſed omnino & *frequentibus*, imo *familiaribus*, & ſimpliciſſima etiam paſſim *euidentia conſpicuis* harum rerum exemplis atque veris experimentis.

Non tam obſeruanda ſunt ea quæ fieri poſſunt, quam que vere fiunt & fieri ſolent.

§. XCV. Iam, vt etiam ab illa ſteriliſſima methodo, quæ modernarum theoriarum fundamentum totum *fluxum*, nedum *lubricum*, conſtituit, nempe ſemper & e circumſtantiis ipſis etiam *a veritate facti alienis*, & nuda *ſuppoſitione* introductis, non tam quid *fiat* ſeu vere *fieri ſoleat*, ſed potius quid ex illis ſuppoſitionibus fieri POSSE *videatur*, aliquid ſtatuendi atque concludendi, omnino abirem, & potius quæ vere FIVNT monſtrarem atque ſtabilirem, proximo loco ſeuerius prouocandos duxi animos ad illam *ſpontaneam adminiſtrationem* vitalium conſeruatiuorum actuum, non ſolum *ſecundum*, ſed etiam paſſim *præter naturam* inſtitutorum, quibus corpus ſuum etiam iam

peri-

periclitans iterum *exonerat* atque liberat. Propoſui in hunc finem *duas* inſinuationes; vnam *diſſertatione* de *ἀυτοκρατία* naturæ: alteram *programmate*, de *συνεργία* naturæ. Quibus vtrisque monere Medicum futurum conſtitui, quid ille tam ex parte ipſius *naturæ operantis*, quam ita etiam ex parte *ſui officii* obſeruare debeat. Et repetii etiam has ipſas animaduerſiones alibi paſſim, vt hac ratione etiam *vſus* earundem magis diluceſceret. Differt. de *ἀυτοκρατία* naturæ. Progr. de *συνεργία* naturæ.

§. XCVI. Ad declarandam autem huius rei *ſimpliciorem* etiam, licet *latiſſime* vtique *patentem*, veritatem, produxi thema inauditum illud in *theſi*, *hypotheſibus* autem recentioris pathologiæ *falſæ* atque ſimpliciter *materialis* etiam intolerandum, de INFREQVENTIA MORBORVM; ſiue *quod ſinguli homines raris & paucis ſecundum ſpecies morbis affici ſoleant*, ſed ad ſummum *eiusdem* magis *generis* morbos experiri ſoleant. Vt hoc tanto magis illuſtrarem, exhibui *genealogiam* illam, quantumcunque etiam ſimplex atque euidens ſit, tamen vsque hodie adhuc multis incredibilem, MORBORVM AETATVM. Quod quidem ſchediasma e reliquis huius generis meis rhapſodiis adhuc digniore aliquo loco habere ſoleo, quamlibet etiam in diſſertatione *de motibus humorum ſpaſmodicis*, æque atque de *infrequentia morborum* hanc rem delineauiſſem. De infrequentia morborum. De morbis ætatum.

§. XCVII. Plura vero ſimul ſcitu non magis digna, quam omnino neceſſaria in hiſce diſſertationibus tractaui atque monſtraui; cuius rei veritas vt pateat, breuem & præcipuarum ſolum cenſum agam. Nempe aſſerui (1) quod ipſa maxime *natura* (nempe etiam *Galeni* iam dum ſententia, & aliorum antiquorum, iuxta programma meum *iſagogicum*, ipſa *anima*) ſuis rebus etiam ipſa conſulat; & quidem (2) maxime per vſum *motus tonici*, inprimis (3) ad *exonerationes* abundantis *ſanguinis ſinceri*, per *hæmorrhagica* MOLIMINA, quæ (4) *peculiaribus* maxime *locis* adornare inſtituat: quod ipſum (5) ſi ſatis expedite *ſuccedit*, nec etiam alicunde *peturbatur*, cum *emolumento* potius quam damno corporis fieri: ſi vero (6) ipſa *actiuitas* naturæ *a priori* irritetur, vel, & fere quidem ſimul, nimis *ſæpe* prouocetur talis expulſio, inprimis etiam de reliquo ſatis *libere* procedens, vt ita in *adſuetudinem* abeat: aut contra (7) *iuſte* atque legitime *moliendi* tales exonerationes naturæ impedimenta temere obiiciantur, vt exitus facilis atque liber deſtituat: tunc quidem familiarem admodum euentum aliorum affectuum *circa illa emunctoria*, & ipſas eorum *ſpecies*, indicaui. Hoc ipſo vero ſimul *duo* illa ingentia *paradoxa* produxi, & Recenſio præcipuarum materiarum.

demonſtrationibus realibus per ipſa *exempla*, etiam *manifeſtiſſima* imo *notiſſima*, ſtabiliui (8) quod MOTVS *vitales*, etiam ſimpliciter *qua tales*, ſine *materiæ* aut *organorum* vero, nedum *proportionato*, vitio, & promte & ſubinde profunde lædi atque perturbari poſſint: deinde (9) quod tam multorum, & inprimis talium affectuum, quales hucusque aliena, nempe omnino minime vera explicatione, mire diſtraxerunt ita ſpeculantium animos, loco illorum in ſubſidium tantæ implicationis aduocatorum *ſexcentorum ſaporum*, & inde ſubnaſcentium alibi *obſtructionum*, alibi *irritationum*, alibi *tumultuum ſpiritibus* incusſorum, ſimplicitas veritatis ſiſtat nimio magis manifeſtam atque luculentam, & ipſam quidem longe alia euidentia fiendi & agendi *mechanicam* cauſſam vnam, & ipſam quoque *ſimpliciſſimam*, nempe *craſſitiem* ſanguinis, vel etiam a ſimplici defectu *ſufficientis dilutionis*, experientia etiam manifeſta, familiariter coorientem, quæ ſine omni difficultate *ſpeculationum* tot tantisque incommodis *occaſionem* ſufficientiſſimam ſuppeditet, imo etiam ex bona parte *materiam*.

Sanguinis abundantia commota naturæ anſam dare ſolet ad exonerationem eius.

§. XCVIII. Ita enim ſi a *ratione & experientia* intelligatur, iuxta ſimplicem veritatis experientiam, quam facile ſubnaſci poſſit ſanguinis *abundantia*; quæ grauius atque ſæpius *commota* iuſtum metum faciat grauiorum inde exſpectandorum incommodorum atque malorum: adeoque etiam rationabiliter potius *ſimplici exoneratione* præoccupari, quam ad iſta pericula introducenda *relinqui* mereatur: & naturæ ad haſce ita *iuſtas intentiones* re vera etiam familiaris, *promtus* non magis, quam in ſe etiam *efficax* tam *apparatus*, quam *actus* concurrendi animaduertatur: interim ſimul ſimpliciſſima quoque veritatis euidentia agnoſcatur, quam facile *poſſit*, imo vero quam familiariter, quin potius ſolenniter etiam *ſoleat* talis ſanguinis *conſiſtentia* contrahi, vt licet ille *quantitate* exonerationes poſtulet, *qualitate* tamen hac *ſimpliciſſima* vel ad *omnem*, vel ad minimum ad *promtum* ſucceſſum talium *exonerationum* ineptus fiat. Vbi inter *conatum*, meritam exonerationem abſoluendi, & materiæ impeditum *obſequium reſtitutiones* illæ, *reſtagnationes*, & tamen ſimul etiam vel ibi adhuc *in ſubſidium* ſuſceptæ *vegetiores motitationes*, apertiſſimam vndique *ſcenam* pandunt, & in plano penitus poſitam numeroſorum talium adfectuum, quorum alia explicatio non poſſit non *intricata* prorſus & ab omni conceptu aliena comparere, *cum re ipſa non vera ſit*, & a naturæ conſtitutione in ſolidum aliena.

Sed illius conſiſtentia & qualitas impedit, quo minus finem hunc attingat.

§. XCIX.

§. XCIX. Vnde non mirum, quod ibi etiam paſſim Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς in auxilium vocetur; nempe quod tales motus non quidem ab *anima proportionate ad finem ſibi neceſſarium tendente*, imo ita etiam *agente*, perpetrentur: ſed ab aliis quibuscunque ſuppoſitis, *agilibus* tamen magis, quam immediate *actiuis principiis*, *ſpiritibus*, *vi* atque *niſibus*, ipſi *materiæ inſitis* atque *concreatis*, ſed QVORVM VERA PROPORTIO ATQVE DIRECTIO IMMEDIATE AB IPSA VOLVNTATE DIVINA dependeat.

Hi motus autem non animæ ſed aliis principiis agilibus adſcribuntur.

§. C. Sicut enim ita non ſatis ſuas res intelligentibus, omnino tamen ad minimum ſummariter *apparet*, & *incumbit* etiam ipſis *neceſſitas* talis *dirigentis ad debitos fines*, & *proportionatum* ad illos agendi *ordinem determinantis*: ita, quo minus tale ipſam *diuinam voluntatem* immediate conſtituere ſit integrum, impedit omni modo facillima illa non ſolum, ſed etiam familiariſſima huius negotii *friuola* quidem, ſed etiam *profunda* perturbatio, imo *ſubuerſio* a rationis *temerariis fictionibus*, ſeu vulgo dictis *animi pathematibus*. E quibus longe magis diluceſcit, quod *anima* ſicuti *tranquilla*, ſui corporis *conſeruationem* etiam *ordinate* atque *tranquille* proſequi ſolet; ita quando illa in ſuis *intentionibus* perturbatur, immediate *perturbationes* illæ etiam redundent in haſce, (agnoſcendas hinc omnino etiam *ſuas*) *operationes* & *adminiſtrationes*.

Directio horum motuum non dependet a voluntate diuina, id quod exemplo animi pathematum probatur.

§. CI. Id quod tanto magis confirmatur demonſtrationibus illis, quæ tantum abeſt, vt illi, cuius aliquod momentum exſtet, homini ex illis principiis, e quibus a me monſtrata eſt, deducendæ viſæ fuerint, aut ſaltem in mentem venerint, vt etiam hodie poſtquam a me diſſert: *de temperamentis* capite X. exhibita eſt, a multis non intelligatur, qui non ſolum *mechanici* eſſe, & omnia *mechanice* intueri contendunt; ſed etiam in ipſa naturæ œconomia, iuxta ipſos ſimpliciter *mechanica*, *proportiones motuum*, vt præcipuum principium *ab immediata voluntate diuina* & immittendum & fouendum ſupponunt.

Demonſtratum hoc eſt diſſert. de temperamentis.

§. CII. Quibus autem opinionibus in ſolidum refragatur obſeruatio illa, *hiſtorice* quidem & ſimpliciter quoad τὸ ὅτι iam ex ipſo *Galeno* ex parte notata, a me vero etiam ex altera parte tanto magis ad notandum commendata; nempe (1) quod *animi mores ſequantur temperamentum corporis*; (2) quod *œconomia motuum vitalium* ſuorum *motuum proportione* etiam *animi motuum proportioni* ſtabilem *ideam* offerat: ſeu potius, (abſtrahendo ab omnibus abſtractis etiam loquendi, ne dum concipiendi formulis) quod *qualem typum & proportionem mouendi*

Obſeruatio, quod animi mores ſequantur temperamentum corporis. Et quod motus vitales animi motibus ideam offerant.

uendi anima in ſui *corporis adminiſtratione* ſeruare neceſſe habet, ſecundum eius *mechanicam proportionem* (*viarum* ad *quantitatem*, & *mobilitatem* a conſiſtentia humorum,) eundem *typum* etiam poſtea transferat ad ordinem atque *proportionem moralium motuum.*

In vitalibus anima etiam mores adſuefactos ſequi ſolet.

§. CIII. In motibus autem ſuis vitalibus, tum *ſecundum naturam*, tum, vt vulgo loquuntur, *præter naturam*, verius, *præter*, ſiue vti vulgo loquimur, *extra* ORDINEM agitantis, etiam *adſcititiorum morum*, ab *externis fortuitis* rebus adſuefactorum, *typum* e conuerſo ſequi ſoleat: quod non ſolum in *acutorum* inprimis *motuum* typo ſolertius experientiam obſeruantibus perpetuo deprehendendum ſeſe offert; ſed etiam *inſtantaneis*, vti *efficaciſſimis*, ita *euidentiſſimis* exemplis in omnium hominum ſenſum incurrit, & proinde etiam notiſſimum eſt, in *repentinis* illis vitalium motuum mutationibus, ab *animi* minus bene atque conſtanter morati *patheticis* commotionibus.

Motuum vitalium alterationes per animi motus concitatæ nihil turbulenti habent.

§. CIV. In qua quidem re tanto magis etiam intentus eſſe debui, ad extricandam confuſionem illam, qua, *tumultuariis* illis libere ſpeculantium imputationibus, tales anomaliæ vitalium motuum, quæ *animi commotionum* concitationi etiam in eodem inſtanti ſeſe ſociant, a *generali perturbatione* atque *tumultu*, ſpiritibus illis ſuppoſitis incuſſo, directe & ſimpliciter dependent. Quanquam enim me de reliquo parum tangat, quid *ſeditioſorum* morum & propenſionis ad *tumultuandum*, contra leges œconomiæ vitalis, contra *neceſſitates* ſibi ſimpliciter inſitas, imo plane (omnia iuxta ipſorum propriam ſententiam) contra *voluntatem diuinam*, illi ſuis *ſpiritibus* imputare poſſint aut velint: *tumultuariis* tamen talibus, & omni modo altiori longe *perturbationi* ipſius *veritatis* idoneis opinionibus, opponere neceſſe habui nouum illud paradoxon, quod illæ *vitalium motuum alterationes, quæ animi motuum concitationes inſequuntur, plane nihil turbulenti habeant, ſed potius typum ſingulorum talium animi motuum, morum atque intentionum exquiſite ſeruent & ſequantur.* Id quod non exemplo *ſenſus frigoris*, aut *caloris*, *terroris*, *timoris*, *iracundiæ* ſolum in diſſertatione de *æſtu maris microcoſmici*, (ad ſuſcitandos nouos inſultus ad aliquid *moleſtum* in corpore hærens, nouis inſultibus denuo inuadendum, eiusque excuſſionem e corpore pertinaciter tentandum &c.) Sed inprimis etiam vndique euidentiſſimo exemplo *nauſeæ* vomibundæ, a nuda morali *opinione* familiariſſime coorientis: ſed etiam peculiari diſſertatione, noui pariter & omnino inauditi argumenti, de *frequentia morborum in homine præ brutis*; vbi hanc *frequentiam* inprimis a perverſis

Diſſertationibus de æſtu maris microcoſmici, & de infrequentia morborum in homine præ brutis commonſtratur.

verſis *animi moribus* & *erroribus*, humanæ inprimis indoli, niſi quidem abſolute vnice, tamen maxime omnium, proprie familiaribus, præcipuas occaſiones atque origines ſumere, quæ brutis minime cognitæ aut vſitatæ ſint, commonſtraui.

§. CV. Cæterum autem hanc ipſam rem nunquam potuiſſem ad vllam aliquam conceptuum veriſimilitudinem, nedum euidentiam perducere, niſi primo omnium *confuſam* illam apud *veteres*, apud *recentiores* autem *nullam*, aut paſſim ſolum temere exploſam atque deridiculo habitam theoriam *de temperamentis*, & quatenus illa in veritate fundata, atque omnino conſideratione digniſſima ſit, reliqua *de temperamentis diſſertatione* oſtendiſſem: explicando videlicet, non ſecundum infauſtam illam *corpuſcularem*, ſed veram *aggregatiuam* atque *machinalem*, imo *organicam* ſeu *inſtrumentalem* MECHANICAM, quod *temperamenta* corporis *totius*, quæ vulgo *complexiones* vocant, *vere atque proprie conſiſtant* in *partium ſolidarum*, *poroſarum permeabilium*, *imo humoribus transeundarum proportione ad humores*, quos admittere, recipere & transmittere debent. Theoria de temperamentis.

§. CVI. Cuius rei generalem vſum vno continuo conſpectu exhibui in diſſertatione *de mechaniſmo motus ſanguinis*; certe alia methodo & ordine, alio verarum rerum & demonſtrationum etiam phyſico-mechanico-organicarum numero, & alio paſſim inprimis autem præcipuo vſu atque neceſſitate ad veram *corporis vitam*, quam vsquam compareat in iſtis claſſicis in hunc vsque diem productis de *circulatione ſanguinis*; *figura particularum ſanguinis*; *poris ſanguinis*; *energia ſpirituum vitalium in ſanguine*, & *in ſanguinem*; *aura vitali*; *balſamo vitali* atque *mumiali*; *flammula cordis*, *primi elementi influxu directo*, *obliquo*, *luminoſo*, *tenebricoſo* &c. *ventilatione refrigeratoria ſanguinis* per aëris inſpirationem, & *emiſſione fuliginum* per exſpirationem; de *vniuoca ſanguinis diſtributione per pulſum* ſolum; de *facilitate & promiſcuo euentu obſtructionum*; de *grumeſcentia ſanguinis a cauſſis & generaliſſimis & communiſſime familiaribus*; de *diffuſis non ſolum reſtagnationibus*, *ſed etiam ſtaſibus ab exiguo aliquo meatu*, per *ſpinæ* infixionem, imo ſolum *compunctionem* inducendis; de *fluiditate ſanguinis & calore* eius, nempe *motu inteſtino*, *progreſſiuum* ſimpliciter *præcedentibus*, & *nihil ab illo dependentibus*; de *calore inflammatorio ab* ipſius *puris* generatione, ſimpliciter & *immanenter* ſuſcitato; de ſanguine vt *theſauro vitæ* ſimplici, eiusque ita *nunquam nimia* menſura; de *eruptionibus ſanguinis* ſimpliciter *paſſiuis*, & ab *obſtructione* Diſſertatio de mechaniſmo motus ſanguinis.

materiali, ab *infarctu* paſſiuo *viarum* dependentibus (niſi quod *menſtruæ* fœminarum, imo forte etiam aliæ *exquiſitæ ſtatæ*, non æque pertinaciter ad hunc cenſum adigantur, magis tamen, *quia ita placet*, quam quod *ratio* inueniri poſſit;) de *prouocatione motuum ſanguinis* extraordinariorum omnium, *a ſtimulis ſexcentarum poteſtatum ſalinarum* (ſeponendo tamen hic etiam, ſed magis *ſecundum voluntatem quam intellectum*, commotiones tales *per animi pathemata* præſentiſſime certiſſimeque coorientes; aut per *ſpiritus* illos degeneres, tanquam vera τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ſphæræ animalis, tumultuum, atque ſeditionum reos agendo;) de *acido volatili ſphacelum conſtituente*. &c. &c.

Diſſertatio de vera ætiologia inflammationis.

§. CVII. Quam ipſam rem vt tanto magis demonſtrarem, produxi in medium diſſertationem, quæ exhibet *veram ætiologiam inflammationis;* qua ſub *materialium* cauſſarum *præſente*, imo vero in ordine fiendi exquiſito potius *præcedente*, conſtitutione tali nullam *neceſſitatem phyſicam*, imo vero nullam *poteſtatem* huiusmodi *caloris*, *tumoris*, *ruboris* & ſenſibilis *ardoris* re vera præſto eſſe demonſtraui: non ſolum *a priori* rationibus, (vbi primo loco ſtat verus intellectus de *conſeruatione* & *intenſione* vitalis *caloris ſanguinis*) ſed etiam euidentiſſime *a poſteriori*, exemplo *ſphaceli*, & præſentiſſimi æque atque ſubtiliſſimi in illo *motus inteſtini*, & omnino *corruptiui*. Ex aduerſo vero *neceſſitatem motus* ſanguinis *inflammatorii*, ſub illa præcedente materiali reliqua conſtitutione, *moralem;* nempe, niſi partis, & per illam reliqui corporis inualitura libera & *irreparabilis corruptio* liberaliter, & per ſimplicem incuriam atque inertiam totius intentionis atque ſcopi vitalis vniuerſi, concedi & ſecure exſpectari debeat.

Diſſert. de vena portæ, porta malorum; de malo hypochondriaco; de ſpaſmis & motibus humorum ſpaſmodicis.

§. CVIII. Quemadmodum autem hæc ita ad *excretionum* ſanguinis ipſarum veram indolem commonſtrandam præcipua euidentia reſpiciunt atque inſeruiunt; ita eandem vtique vtilitatem atque conſpicuam certitudinem offerunt, ad intelligendam veram indolem multorum etiam talium affectuum, qui, licet non æque ad actualem *euacuationem* ſanguinis collineent, tamen ad ſimplicem eius liberum *progreſſum* in ipſo corpore omnino faciunt. Quorſum inprimis varii *ſpaſtici motus hypochondriaci* pertinent. Quod vti diſſertationibus *de vena portæ*, *porta malorum;* & *de malo hypochondriaco*, nec non de *ſpaſmis*, & *motibus humorum ſpaſmodicis*, quin alibi paſſim per occaſiones demonſtrauimus: Ita nititur etiam duplici illo vti *ſimpliciſſimo*, ita *ſolidiſſimo* tamen fundamento (1) quod etiam tales adfectus nuda atque

ſimplex

ſimplex ſanguinis minor fluxilitas materialiter producat; (2) vitalis autem (nempe *moralis*, quatenus corpus non corrumpi ſed conſeruari neceſſe ſit,) neceſſitas remedium hoc poſtulet: quod vt certiſſimum & ordinarie vſitatum, ita in naturæ poteſtate etiam vnicum eſt, nempe *motibus proportionate auctis proportionem mobilitatis* non ſolum *compenſare*, ſed, quod præcipuum hic eſt, etiam *corrigere.*

§. CIX. Quemadmodum autem huc eodem pertinet tam MENSTRVORVM muliebrium, quam HAEMORRHOIDALIVM virilis, imo *vtriusque ſexus*, MOTVVM ſcena; ex hiſce autem rebus aliter, quam re vera ſe habent, intellectis, & *muliebres* varii, & inprimis *viriles*, affectus ne quidem in vllam iuſtam conſiderationem *poſſent* venire, ne dum vt *venerint*; interim, hi *motus* (& plus quidem quam maxima pars Medicorum, non dico *ſciat*, ſed ſciens dico, nimio plus quam *credere* poſſit,) familiares ſint virili ſexui *fluxus*, & inprimis MOTVS *hæmorrhoidales*; ſed & inprimis imperita (& neceſſario quidem, quia ignota) talium *tractatio practica* ingentia paſſim damna patientibus eiusmodi inferat; cuius rei exempla valde conſpicua me ipſum quam maxime mouerunt, vt altiori conſiderationi animum aduerterem: ita ſuſcepi propterea non tam repetitam huius theoriæ demonſtrationem, quam ex hac vera atque ſolida theoria potius affectuum conſideratu adeo digniſſimorum veram tam *phyſicam*, quam *medicam*, & ad ſolidam *medendi methodum* inde formandam vere idoneam ætiologiam. Præſtiti hoc diſſertationibus *de* MOTV *ſanguinis hæmorrhoidali & hæmorrhoidibus externis;* de *hæmorrhoidibus internis*, & *ileohæmatite Hippocratis;* de *podagræ noua pathologia;* de *ſanguiſugis;* & programmat. de *cephalalgia iliaco-hæmatitica.* Sicut etiam diſſertat. de *inſolitis menſium viis*, imo & de *menſium muliebrium fluxu ſ. & p. n.* & diſſertat. de *V. ſ. in pede*, his maxime fundamentis innixus deduxi, quæ ad veram horum affectuum indolem, & inſtruendam inde decenter cohærentem *therapiam* ſufficere poſſe confido. Ita quidem, vt inde variæ illæ cautelæ, quas alias Practici circumſpectiores ſparſim offerunt, ſed re vera cum ſolida *theoretica connexione* cuiuscunque hactenus cogniti opinionum ſyſtematis nunquam ſatis conciliari poſſunt, hac demum ſemita in veram viam quaſi ſponte redeant, & tam veritatem ſui, quam veram etiam vtilitatem ita tueantur.

Diſſert. de motu ſanguinis hæmorrhoidali & hæmorrhoidibus externis; de hæmorrhoidibus internis; de podagræ noua pathologia; de ſanguiſugis; de inſolitis menſium viis; de menſium fluxu; de V. ſ. in pede.

Hæ obſeruationes in praxi clinica plus vtilitatis habebunt, quam aliæ vanæ opiniones theoreticæ.

§. CX. Sicut enim hodiernis illis multifariis *opinionibus* theoreticis *vanis* grauiter impoſuit, & errandi occaſionem præbuit familiariſſima illa incondita ratio, neſcio quas phantaſias *obſeruationum practicarum* nomine temere in mundum exſcribendi; quæ recitatiunculæ ab incautis, & ad inſtituendas proprias obſeruationes occaſione debita paſſim deſtitutis, temere pro veris arreptæ occaſionem illis præbent ad plura explicationum etiam erronearum ſcandala hinc partim ſubeunda, partim ſuſcitanda: (Vbi inſuper paſſim vel in oculos incurrit, quomodo illa *ſpeculandi* vera libido etiam communiſſime talibus maxime *hiſtoriolis* delectetur, easque tanquam aliquid noui, inprimis ad fabricandas *nouas opiniones* eligat, & inaudita profecto ratione non tam e *conſtantibus* aliis *veris* atque *notis* circumſtantiis, ſed talibus *pauciſſimis* tanquam *rarioribus*, at re vera potius *non veris*, aut certe *ea ratione*, ſub qua afferuntur, *non veris*, ad vniuerſum morborum genium, eiusque integrum ſyſtema, inferre velle:) ita certe in ipſa re fundata vera talis conſideratio eo magis ſatisfacit rerum ſuarum ſolide ſatagenti animo, quod etiam in ipſa *clinica praxi* hæ a practicis aliis commendatæ & obſeruationes & cautiones cordate experientiæ animum aduertentibus etiam re vera vt veras, vtiles & neceſſarias ſeſe offerunt.

Diſſert. de fundamentis morborum ætatum, & de pathologiæ fundamentis; it. de pathologia falſa.

§. CXI. Sicut autem talibus exemplis tam theoriam quam praxin & vſum veri negotii *motuum ſanguinis*, eorumque *organiſmi* & *vtilitatis* atque *neceſſitatis*, nec non *ordinariæ* & *extraordinariæ* conſtitutionis, clariori luci ſiſtere cordi habui; & hoc quidem ita tantum veluti per fragmenta, niſi quod diſſertatio *de fundamentis morborum ætatum* aliquid etiam paulo magis *ſyſtematicum* animum ſolertius aduertentibus ſiſtere & exhibere poſſit. Ita placuit eius rei etiam alterum paulo magis ſyſtematicum quoddam ſpecimen, quamlibet ſuccinctum, exhibere, diſſertatione de *pathologiæ fundamentis practicis*, & progr. de *pathologia falſa*. Indicaui nempe in his, quid tribuendum ſentiam tum ſimplici *ſanguinis abundantiæ*, tum illinc ſubnaſcentibus *craſeos* eius ſimpliciſſimis læſionibus; nempe *ſpiſſitudini* iuſto maiori, quæ libero eius progreſſui moram obiiciendo, *neceſſarios* faciat conſuetorum de reliquo eius *impulſuum*, inprimis autem *tonicorum*, præſentiores & *extra ordinem* etiam *vegetiores* vſus, *adminiſtrationes*, imo in rem præſentem *proportionatas* applicationes. Vbi quidem tanto euidentiorem & vſum habent, & propterea maiorem conſiderationem merentur *tonici* illi *motus*, dum illi maxime *particularibus*, inprimis e tali conſtitutione pullulantibus incommodis etiam ita *particulariter* opponuntur;

ſed

ſed eo ipſo, niſi ſatis recte intelligantur, *morbidorum* affectuum & effectuum ſuſpiciones obiiciunt. A quibus autem quo modo ſibi temperare deceat Practicum, & haſce res non ſolum alio oculo intueri, ſed etiam ad *practicum vſum* transferre, variis omnino aliis deductionibus commonſtrare, & *practicis* quidem illis, cordi habui. E quarum numero ſunt omnino, (quanquam non a me, ſed tamen vtique *ab auditoribus* ſecundum mea dogmata conſcripta) diſſertatio de *V. S. patrocinio*, nec non de *V. S. vſu in acutis.* de V. S. patrocinio & de V. S. in acutis.

§. CXII. Quemadmodum autem iam ſuperius dixi, quod harum vniuerſarum theoreticarum *connexionum* longe maximum *vſum* inprimis referam ad illam partem *pathologiæ* vere *medicæ*, quæ conſpicua aliqua luce in hoc genere quam plurimum adhuc indiget, DOCTRINAM FEBRIVM intelligo: ita tanto magis ad illam quolibet modo ſtabiliendam dogmata etiam mea dirigere quoquo modo allaboraui. Vbi quidem ante omnia veram FEBRIVM HISTORIAM texere primo omnium loco neceſſarium fuit; cui ſcopo per illa, data opera a me ita nominata *problemata* ſatisfacere ſtudui: quibus nempe *eſſentialium* conditionum *febris*, *tam in genere* quam *ſecundum ſpecies*, ſufficiens deſcriptio ſuppeditatur. Deinde *febris in genere hiſtoriam* prolixiore diſſertat. in eum finem habita exquiſite recenſui; vbi tamen etiam mox illum ordinem ſeruare inſtitui, vt veluti digito ad ipſam theoriam intento ſtudioſius deſignare, *quid fiat*, & hoc nomine veram viam ſternere voluerim conſiderationi, quod hæc omnia non ſolum in peculiari quadam reliqua connexione ita fiant; ſed inprimis in manifeſto *nexu organico* ad *certum finem*, pro corporis *conſeruatoria* liberatione *directo*, ita peragantur, mox commonſtrare intendi. Doctrina febrium variis diſſertationibus tradita. Problemata febrium. Hiſtoria febris in genere.

§. CXIII. Subieci conſiderationem theoreticam iterum ſeorſim diſſertat. de *febris rationali ratione*; qua deducere laboraui, quod in tali materiali conſtitutione corporis, qualis in *febribus* præſto eſt, in aliquibus vix vlla *melior*, in variis & inprimis *periculoſiſſimis contagioſis* atque *peſtilentibus* etiam *nulla* ALIA *via* ſuppetere poſſit, qua corpus humanum tam a *funeſta efficacia*, quam ipſa talis efficaciæ compote *materia* iterum liberetur, quam per *ſecretiones* & *excretiones*, *ſpecie*, *ordine*, *loco*, *tempore*, tam *conſiſtentiæ* materiæ, quam *efficaciæ* eius, *proportionatas*: omni modo vero *auctiores*, quam ſimpliciter ſecundum naturam, & *ordinariam* ſolum *non naturalium* excernendorum *quantitatem*. Quæ auctiores ſecretiones & exeretiones non aliter, niſi etiam *auctiore* vniuerſo *ſanguinis circuitu* abſolui poſſint *in genere*; De febris rationali ratione.

& *directionibus* ad peculiariter conuenientes ſecretorias & excretorias partes in ſpecie, præſtari poſſint: augmentum interim tale circuitus ſanguinis non niſi directe *pulſus* ipſius augmento; *pulſus* autem & totius circuitus augmentum non niſi cum *caloris* augmento (cui vſui verus *mechaniſmus incaleſcentiæ ſanguinis* ab eius motu *progreſſiuo* vnice ſubſeruire debebat) fieri non poſſint; ſicut *ſpecialiſſimæ directiones* ſecretoriæ & excretoriæ reliquorum apparentium ſymptomatum ſcenam inſtruere, ceterum vt *fiant*, quæ omnino fieri *debent*, hæc etiam aliter fieri aut ſe habere minime poſſint.

Febrium therapia.

§. CXIV. Hoc ipſo vero vt ingens *paradoxon* produxi, quod non ſolum *febris in genere* vtili aliqua naturæ *intentione* oriatur, quod etiam alii ante me agnouiſſe apparent; ſed inprimis etiam, quod omnia illa *phænomena*, quæ communi reliquo conſenſu pro ſimpliciter *morbidis*, & neotericorum iudicio pro *materiæ morbidæ etiam mechanicis effectibus* DIRECTIS, ſeu *ſymptomatibus* ſimpliciter *paſſiuis* corpori, atque morbidis accuſata, potius pro *directis poſitiuis* naturæ ipſius *actibus*, ad *ſalutarem finem* & morbidæ materiæ expugnationem non ſolum *deſtinatis*, ſed illi effectui etiam omnino *mechanico organice proportionatis* atque paribus declaraui: ita hoc ipſo eodem vtique actu etiam veræ *febrium therapiæ* planam omnino ſemitam ſtraui.

Paradoxa aſſertio.

§. CXV. Sicut autem ita a lata conſentientium tam antiquarum quam neotericarum ſcholarum via in contrarium vsque diſceſſi; dum vtique e diametro inter ſe pugnant, *directe ipſum morbum eſſe*, & ſimpliciter *a morbo* corpori vti *pathema* abſolutum incuti; & ex aduerſo *directe contra morbum* & *materiam noxiam fieri* atque *inſeruire*; iuxta illam ſententiam ſimpliciter *paſſiuum*, iuxta hanc ſimpliciter *actiuum* eſſe: ita merito *paradoxam* appello hanc aſſertionem imo demonſtrationem. Vt haſce res etiam exemplis illuſtrarem, produxi conſiderationem, tam *bilioſarum*, quam *tertianæ*, *febrium*, duabus peculiaribus diſſertationibus.

De febribus bilioſis & febre tertiana.

Anima ſeu natura humana errandi & perperam agendi quam maxime habilis & idonea eſt.

§. CXVI. Imo vero, vt etiam quadantenus in viam reducerem illos, qui de *anima rationali* non æque ſecundum ſolidam rationem ſentiunt, & ex illo fundamento eludere contendunt animæ in hoc genere concurſum, quoniam in febribus multa, imo vt illi volunt *pleraque*, verius autem ſolum *plerumque*, non tam exquiſite ſecundum exigentiam ſanæ, aut potius *tranquillæ rationis* fiant: viſum hinc eſt non magis vtile, quam quadantenus neceſſarium, ad illam conſiderationem animos erigere, quod *humana* maxime *natura errandi* atque *euagandi*, atq; *per impatientiam*,

præ-

præcipitantiam, *trepidationem*, *metum & anxietatem*, *mœroris* aſſiduitatem, *intempeſtiuam ſecuritatem*, inordinatas *audendi*, *timendi*, *negligendi* & iterum *irruendi* viciſſitudines, perperam agendi quam maxime habilis ſit ac idonea: ſimul autem minime ita alligata ad *reminiſcendum* eorum, quæ agit, vt potius re ipſa etiam *abſolute intellectualium* atque *voluntariorum*, *qua talium*, actuum non *immemor* ſolum, ſed etiam *ignara* ſit. Tractaui autem hanc rem partim programmate *de differentia λόγου & λογισμοῦ*; partim diſſertatione *de frequentia morborum* in corpore humano; partim diſſertat. de *naturæ erroribus medicis*.

Progr. de differentia λόγου & λογισμοῦ.
Diſſ. de frequentia morborum in homine.
de naturæ erroribus medicis.

§. CXVII. Subiunxi vero tandem ſecundum hasce veras atque ſolidas conſiderationes etiam realem inſtructionem *therapiæ rationalis febrium*; partim rationi *a priori*, partim teſtimoniis atque monitis Practicorum *a poſteriori* reſpondentis. Monſtraui ibi, quam conueniens ſit, imo paſſim neceſſarium, naturæ iam in opere comprehenſæ, atque ſuis rebus conſulere motibus rei quadrantibus allaboranti, & in hoc *vigili* etiam atque ſollicita opera *intentæ* non ſolum ſua *ſine perturbatione* relinquere, non autem, peruerſiſſima illa interpretatione familiari, pro *ipſo morbo* eiusque hoſtilibus conaminibus accuſare; ſed etiam quolibet potius modo ita *ſubleuare* atque *iuuare*, vt quicquid *impedimenti* moram facit *ſalutari* naturæ inſtituto, illud omnino *remoueatur*, *mitigetur*, *ſedetur*, laborantes alicunde ſecretionum & excretionum *ſucceſſus* ab illis *impedimentis expliceñtur*, *titubantes* confirmentur, *aberrantes* in viam reducantur, *tergiuerſantes* etiam modeſte prouocentur: interim omnino hæc omnia ſimpliciter ſecundum inſtitutum *œconomiæ vitali*, ſibi alias conſtanti, plane *congruum*, ſecretionibus & excretionibus *tempeſtiuis* & vndique *proportionatis* decenter reſpondens.

Therapia rationalis febrium.

§. CXVIII. Indicaui vero ſimul regiam illam viam *theoriæ* harum rerum, ſimpliciter ita ad *praxin* manu ducentis; vt decenter expendatur, quam egregie in ſingulis *ſpeciebus* febrium *apparatus* illi *motorii*, ſecretorii nempe & excretorii reſpondeant *indoli materiarum* excernendarum; *proportioni* inquam eiusdem ad ſecretionum & excretionum ſpecies atque ſucceſſus. Vbi etiam vulgo hominum facile comprehendendas rationes commonſtraui, quam ob rem febres *contagioſæ*, *malignæ* atque *peſtiferæ* ipſæ, quo minus *alienis* commotionibus interturbantur, toto ſuo genere *leues* & admodum *tranquillas* commotiones præ ſe ferant (nempe omnino contra vulgatiſſimam opinio-

Apparatus motorii in ſingulis febrium ſpeciebus indoli materiæ reſpondent.

Febres contagioſæ, malignæ & peſtiferæ.

nionem, qua tales maxime febres, tanquam *violentiſſimæ*, & ex ſua propria indole ad *vehementes commotiones* quaslibet propenſæ accuſantur, quod, niſi per indiuiduales ſiue *humorum*, ſiue *motuum*, imo maxime etiam *morum* ἀταξίας, minime ita ſe habet) quomodo *tranquillis* vtique, ſub neceſſaria tamen illa *intenſione*, *aſſiduis* nihilominus, & maxime *æqualibus* talibus ſecretoriis & excretoriis *motibus* horum generum materiæ ad eliminationem ſui tractandæ ſint; imo etiam quam facile in hoc genere non *poſſit* ſolum, ſed re vera etiam *ſoleat* in vulgari turbulenta praxi offenſio inſignis circa hasce res committi, inprimis incondito vſu *alexipharmacorum* ipſorum, & male intellecti vſus *regiminis ſudoriferi*.

Alexipharmacorum inconditus vſus.

Materiæ correctio plerumque magis reſpicitur quam tempeſtiua eius euacuatio.

§. CXIX. Nempe quam maxime in *febrium* negotio, quamuis etiam hinc inde in aliis morbis, perperam ſperata *materiæ* morbidæ *correctio*, neglectui decentium *tempeſtiuarum euacuationum*, aut omnino efficacis *diſpoſitionis* ad illam, viam planam ſternens, ita obſedit *ſpeculatorum* plerorumque animos, vt totam ſuam operam perdant in confingendis *rationibus*, quomodo medicamenta per quascunque afflictas qualitates, imo *mechanicos* etiam operandi modos, *materias* potius mutando quam *exonerando* prodeſſe *debeant*, atque, ſed falſo, *ſoleant*. Vbi, præterquam quod innumeris inanibus, & a veritate praxeos ſimpliciter alienis commentis indulgetur, de variorum remediorum *certa* aut *magnifica* efficacia, quæ in ipſa praxi nulla deinde eſt, aut a tali fictione plurimum aliena: ſeducitur ita tum *aliorum*, tum *proprius* animus hac credulitate, vt neque *veritatem* operationis medicamentorum, nec e veritate *modi operandi*, etiam *indolem* ſiue *morborum*, ſiue *cauſſarum* morbidarum colligere vsquam poſſibile ſit. Mouit me etiam hæc res ad conſcribendam diſſertationem de *alterantibus*, qua quicquid in hoc argumentum dictu neceſſarium viſum fuit, prolixius deduxi.

Diſſ. de alterantibus.

Conamia naturæ in morbis chronicis. Diſſ. de affectibus periodicis; de morbis habitualibus; de conſuetudinis efficacia; de morbis contumacibus;

§. CXX. Cæterum *conamina* talia naturæ ſibi ipſi conſulendi, in materiis *chronica* potius quam *præcipiti* efficacia noxiis, coarguere etiam placuit diſputat: *de affectibus periodicis*; ſicuti *nexum* illum, quem tales *conatus ſæpe* quidem prouocati, ſed vel nimis parum ſuccedentes; vel ſub *ſatis facili* ſucceſſu ſæpius iuſta incitati progignunt, tractaui diſſertat: de *morbis habitualibus*, de *conſuetudinis efficacia*, & programmat: *de morbis contumacibus*. Quomodo vero perperam intellecta, & contrariis inſtitutis indigne habita varia, vtilis, imo paſſim neceſſaria *ſalutaris intentio* atque *contentio*, *degeneres* poſthac *commotiones actiue* ſuſcipiat; aut ab illis materiis, quas ita excutere impedita

fuit,

fuit, iniurias atque noxas corporeas *paſſiue* poſthac ſubeat, præter diſſertationem de *morbis corruptis*, commonſtrare etiam aggreſſus ſum diſſertat: de *erroribus medicinæ practicæ*. Interim omnino vindicare etiam naturam, & quidem argumentis ab hac ipſa maxime eius vera œconomia deſumtis, ſuſcepi, ab imputationibus ſimpliciter *friuolarum*, inprimis *patheticarum* in mouendo ataxiarum, programmate, *anomalias motuum vitalium patheticas non eſſe ſimpliciter turbulentas* admonente.

de morbis corruptis; de erroribus medicinæ practicæ.

Progr. de anomaliis motuum.

§. CXXI. Subiunxi tandem his omnibus iuſtam æque atque veram epanorthoſin aduerſus triuialis praxeos præſumtuoſam vanitatem atque faſtum, quo, profecto paſſim ignara plerorumque quæ agit, imo non raro iniuria potius in meliora naturæ conamina, *bonos euentus*, quantumcunque etiam difficiles ſubinde redditos, *ſibi rapit*, & non *venditat* ſolum ſed etiam aliis *vendit*; *infauſtos* ſolos naturæ imputat & inſuperabili morbi malitiæ. Egi hoc etiam in diſſertat: *de curatione per accidens*.

Diſſ. de curatione per accidens.

§. CXXII. His autem fundamentis, perpetuæ omnino & intemeratæ fidei, ſuperſtruxi etiam aliarum rerum tam ad theoriam, quam praxin medicam pertinentium dogmata hucusque a me tractata, imo reciprocæ illuſtrationi varias tales deductiones ita adaptare ſtudui, vt nihil iuſta *connexione* deſtitutum, quamuis in tumultuario tali & ſimplicia fragmenta delibante ſcribendi genere, remaneret. Vbi iterum moneo, quod ſuperius iam etiam dixi, non ſolum data opera, ſed aliquando etiam neceſſitate quadam adactum, paſſim me *allegatione propriorum meorum* in hoc genere *ſchediaſmatum* vſum fuiſſe. Partim propterea, quoniam re ipſa non habeam, quos in ſolidum teſtimonium aduocare poſſem alios: partim etiam, vt ipſarum harum rerum æque atque tractationum *verior inter ſe nexus*, atque *mutuus* ad vtilitatem dogmaticam *conſenſus* inde diluceſceret.

His fundamentis alia dogmata ſuperſtructa ſunt.

§. CXXIII. Non poſſum autem quin paucis hic moneam, quod illa affectata *allegatio multorum autorum* non ſolum veluti propria quadam ſua culpa nihil magni in receſſu habere iudicari mereatur; ſed tanto magis per illa hodierna in hoc genere plane peculiaria *ſubſidia*, quorum intuitu *transſcriptiones* illæ plus *otioſi*, quam *docti* laboris habere non temere æſtimari poſſint. Quod enim ad illas in ſe ſpectatas attinet; niſi illæ ad *auctoritatem* conciliandam, aut *peculiarem* aliquam *nouitatem rerum* aut *ſententiarum* producendam adhibeantur; vt nempe *hiſtorice* factis quibusdam eorumue circumſtantiis ita fides

Allegatio multorum auctorum vana eſt.

maior concilietur; aut peculiaris ſiue obſeruatio, ſiue conſideratio vel laudetur vel *examinetur*: niſi, inquam, ita inſtruantur *allegationes*, *otioſæ* profecto ſunt & *inanes*. Sicut enim res alias ſatis notæ teſtimoniis fruſtra firmantur; ita ante omnia *rationibus verum* in ſe decenter euolutis atque luculenter ſtabilitis, adeoque *cuiuslibet* alterius hominis *ſanæ atque exercitatæ rationi* commendandis, abſurdum eſt argumentum ab *auctoritate* petitum, & *præiudicii* potius faciendi, quam ſinceri atque ſolidi *iudicii* & conſenſus eliciendi haud iniuria ſuſpectum: ita inanis profecto merito iudicatur talis apparatus ad huiusmodi intentiones. Excepto ſolo illo caſu, vbi breuitas temporis, aut diuerſitas præſentis alicuius primariæ tractationis, ſufficientem deductionem impedire apparet, quo intuitu alio amandare lectorem, vbi rem abundantius deductam reperire poſſit, nemine contradicente ſit integrum.

Dictionaria practica, & curioſæ collectiones cuius vſus.

§. CXXIV. Hodierna vero illa *dictionariorum practicorum*, vt *Moroni*, *Lindenii*, *Lippenii*, *Waltheri* &c: nec non *indices*, *actorum naturæ curioſorum*, & *Lipſienſium* collectiones adeo certe *otioſum* faciunt hunc laborem, vt ad quantumlibet etiam locupletes talium allegationum turmas nulla magis re opus ſit, quam ſolo otio. Nam propterea autores multos allegare, & inprimis illud *pagina mihi* vbilibet addere, vt vel videaris vel intelligaris multis libris inſtructus eſſe, certe etiam otioſum quiddam eſt, & quomodunque res cadat, nec propterea ſimpliciter vel fide dignum, vel admiratione. Aſt vero ſi allegationes tales non tam ſimpliciter ad *iudicium* faciendum citentur, ſed *integris periodis*, imo *paginis*, quin *diſcurſibus* transſcriptis ita cumulentur, vt rem vel obiter æſtimando ſatis diluceſcat, quod tales laciniæ plus conficiant in ſcripto aliquo, quam propriæ deductiones, etiam aliquid amplius quam otioſum eſt. Dixi de ea re aliquid in progammate de *teſtimoniis medicis*, & de *auctoritate atque veritate medica*.

Progr. de teſtimoniis medicis; de auctoritate atque veritate medica.

Diſſertationes indicatæ non tumultuarie ſed iuſto nexu ſunt conſcriptæ.

§. CXXV. Non placuit magis, quam neceſſarium potius certis reſpectibus viſum eſt, hæc ita de ſchediaſmatibus a me ab aliquam multo tempore in publicum propoſitis monere; vt illis non ſolum retunderem illas, ex occulto *ſibilantes* magis quam *vibrantes* inſimulationes, quod ab aliis arrepta differam: ſed etiam ad monſtrandum, quod nec in illo *tumultuario* alias *diſputationes conſcribendi* genere alienus fuerit animus a rebus ſcitu neceſſariis, earumque peculiari *connexione* non magis *ſeruandis*, quam *monſtrandis*. Cum enim inde a prima iuuenta ſummopere ſemper diſplicuiſſet mirifica illa diſſenſio, & omnis iuſtæ *connexionis* defectus, non ſolum inter theoriam & praxin, ſed etiam *theo-*

viæ ipſius *dogmatum* inter ſe inuicem; imo etiam neſcio quæ, libido dicam, an potius neceſſitas, nusquam inter ſe cohærentia diſſertationibus pertractandi: placuit non ſolum hoc ipſo intuitu potius talia euoluere, quæ omnino propiorem inter ſe inuicem *nexum* præ ſe ferant; ſed etiam *materiarum dignitate*, *vulgari* vero *interpretandi indignitate*, maxime mereri videbantur, vt ſolertius enuclearentur, atque firmius ſtabilirentur.

§. CXXVI. Ceterum vti hæc omnia non niſi e CLINICA PRAXI, & huius obſeruationibus realibus verum fundamentum, quod nempe vere ita ſe habeant, nanciſci poſſunt; ita volui etiam in conſcribendis hisce diſſertationibus eandem viam inſiſtere, quam epiſtolico diſcurſu de *motu tonico* ſeruaueram: nempe vt ipſa potius *phænomena* affectuum primo loco in ſcenam producerem, & ex illis poſtea inferrem: quam contra *poſitiones* formarem exemplis practicis demum confirmandas. Quamuis enim etiam hæc methodus minime contemni mereatur, habet tamen illud incommodi, quod longe facilius ita ſolum ea phænomena *ſeligi* poſſint, quæ formatam per *præiudicium* opinionem colorare poſſint. Quando vero ſtatim potius res ipſa ſiſtitur, non poteſt ibi fieri fucus, quin *perito Practico* ſtatim appareat, ſi quid aliter, quam res ipſa habet, productum, ita pro falſo fundamento ſupponatur.

Omnia vero e praxi clinica fundamentum habent. Epiſtolæ de motu tonico methodus conſcribendi.

§. CXXVII. Ita quidem putarim ſatis dilucere poſſe, quod etiam in hisce ſcriptis concinnandis ſcopum habuerim, omnino talia in medium afferendi, quæ non ſolum *vera* & *vtilia*, ſed omnino etiam *neceſſaria* ſint ſcitu; & *vagis* illis quidlibet de medicina *fingendi* auſibus merito opponenda. Quisquis autem *absque* vllo *præiudicio* tum veritatem horum ab experientia, & quidem familiariſſima imo quotidiana, petere; tum *nexum* & *vim* argumentorum a me inde ductorum decenter comprehendere non ſolum *voluerit*, ſed etiam *valuerit*: ille omnino ſimul manifeſto comprehendet immanem illam differentiam, quæ inter ſimplicem *materialem habitum corporis*, & inter *motus in illo* & *per illud* fientes intercedit; eoque ipſo *differentiam* illam, imo potius *contrarietatem*, quæ inter conſtitutionem corporis *vt mixti* & *vti viui* viget. Ille idem vno intuitu ſimul & ſemel perſpiciet illud *paradoxon* hucusque inauditum: *quod corpus tota ſua materiali eſſentia ſumme corruptibile, ipſo tamen actu non corrumpatur*, ſed potius corruptionis expers maneat: imo potius *quomodo*, qua *ratione*, qua *metbdo*, quo *artificio* hoc fiat, *ſponte* ſecundum naturam, & fieri debeat, *arte* per

Breuis repetitio dogmatum in ſcriptis contentorum.

ipſam medicam praxin. Næ vero, illi ſimul ſtatim diluceſcet alterum *paradoxon*, quod *vniuerſa vſitata doctrina medica*, quatenus vnice *fictitiis* quibusdam *opinionibus*, *de mirificis conſtitutionibus materialibus corporis*, *ſ. & p. n. inſiſtit*, toto, quod aiunt, cœlo a veritate aberret: ad minimum autem vere e diametro abberret, dum *vitalitatem corporis* in *materia* eius quærendo, inde prolabitur ad *confingendas* tot huius peregrinas plane *permutationes*, atque deprauationes, quas vndique *aliis materiis* corrigere atque ſubigere affectat: ſimul autem, quod omnino eſt illud peſſimum, & malus harum aberrationum fœtus, multas *ipſius naturæ bonas commotiones*, aduerſus ipſam morbidam materiam & eius efficaciam corpori periculoſiſſimam, *pro ipſo morbo*, atque directis eius etiam *in perniciem* corporis effectibus interpretari neceſſe habet.

Cautelæ empiricæ & practicæ.

§. CXXVIII. E quo demum errore in praxin vel nude atque ſimpliciter *empiricæ cautelæ* reſultant; vel contra, ſi illis peruerſis theoriis inſiſtatur, irrita talia *ſyſtemata practica* inde reſultant, qualia hodie primas ſibi vindicant: vt nempe *fictis materiæ* vitiis numeroſa portionata *materialia corrigentia* opponantur. In quibus quidem generibus *cautelæ* illæ practicæ *duplicem difficultatem*, & vt irritæ fiant, facilitatem, habent: *primo*, quod etiam inter ſe non cohæreant, omnino autem, inter tot practica ſcribere affectantes, conſenſus circa hæc vnanimiter ita tradenda deſit: inprimis autem, quod hæ tales *cautelæ*, ab omni recepta *theoria*, & inprimis ipſa a talibus monitoribus quoque *ſuppoſita* longiſſime abeant: quo ipſo *ſecundo*, apud homines qualemcunque *connexionem* ambientes nullum aditum inueniunt: imo vero paſſim etiam non ſatis recte applicari poſſunt, dum conceptus theoretici, alieno modo atque modulo his rebus præmiſſi, perplexum reddunt lectorem, in quanam propriæ affectus ſpecie, aut ſub qua illius conſtitutione *cautelæ* illæ propriæ obſeruari debeant. Vnde nempe nihil mirum eſt, ſi e rebus vndique perplexis nihil ſolidum, & cui vel in theoria vel in praxi acquieſcere poſſit animus, inde obtineatur.

Cynoſura theoriæ & therapiæ.

§. CXXIX. Felicius ſpero incedet, imo habebit vnde greſſus ſuos dirigat, quin firmiſſime collocet atque ſtatuat, quisquis SIMPLICITATI VERITATIS inſiſtere memor, veram RATIONEM CONSERVATIONIS VITALIS ſatis comprehenderit, & pro *vera cynoſura* tam *theoriæ* quam *therapiæ* ſuæ conſtituerit. Ad quam intentionem quid ipſi etiam hæc mea ſchediasmata vtilitatis conferre poſſint, vſus ſolus ipſum edocebit.

MEDI-

MEDICINAE
DOGMATICO-SY-
STEMATICAE
PARTIS THEORETCAE
SECTIO I.
QVAM CONSTITVIT
PHYSIOLOGIA.

PROOEMIVM.

THeoriæ medicæ & vniuerſa doctrina, & ipſa etiam ſcientia quomodo differat a praxi, arte inquam eiusque exercitio, licet exercitata ratione bene inſtructi facile perſpiciant; tamen cum hinc inde huius veri exercitii, etiam præter ſpem & opinionem, maiores omni opinione defectus occurrant, & quidem non ſolum in percipiendo, ſed etiam in recipiendo, vt inde vel plane reſiſtatur, imo etiam doctrina talis e directo oppoſitis dogmatibus reprobetur atque penitus diſſuadeatur: neceſſe omnino eſt de hoc negotio pauca præmonere. Nota eſt illa inter Medicos loquendi formula, *quod Medicus incipiat, vbi Phyſicus deſinat.* Cum autem nusquam ſolide compareant veri limites *phyſicæ*, irritum hinc propemodum fuit in hodiernum vsque diem hoc conſilium: imo cecidit hinc etiam in irritum ſolidisſimum illud *Hippocratis* monitum, quo Medicum monet allaborare, *vt Phyſicus ſit*, rapta temere hac appellatione ad res ab Hippocratis mente alienisſimas; vt, dum ille non ſolum diſerte monet, quod qui conſueuerint aliter de

natura

natura diſſerentes audire, quam quantum ad artem medicam attineat, illis ſua dogmata non ſint accommodata; ſed etiam lib. de vet. med. proteſtatur contra Medicos & Sophiſtas, qui putent non poſſe medicinam cognoſcere eum, cui exploratum non ſit, *quid ſit homo, & quomodo primum factus atque* συνεπάγη *compactus ſit & conſtructus.* Quam tamen notitiam ille medicinæ non magis vtilem eſſe arbitretur, quam pictoriæ; cum ipſe potius cenſeat e re Medicorum eſſe, vt intelligant NATVRAM hominis, & quomodo ſe habeat homo ad bene aut male ferenda ea, quæ cibi & potus forma aſſumuntur &c. vbi etiam in paucis lineis tribus diſtinctis vicibus *naturam* appellat: illi interim nihil propemodum aliud vrgeant, quam ſcientiam compagis, opinionem mirifice variabilis craſeos, neglecta vere ſimpliciſſima fluxilitatis & putredinoſæ corruptibilitatis; alieniſſimo loco habita τῇ φύσει, actiuitate illa, vigore illo, vegetatione illa, qua corpus φύεται, vigoratur, actuatur, adminiſtrationes motuum conuenientes habet, & organice exercet atque ſubit; motuum, qui non ſolum fiunt vt fiant, ſeu exſiſtant, ſed directe, & exquiſite tam ad varios intermedios, quam vnum vltimum, effectus atque vſus tendant & exeant; & vſus quidem abſolute neceſſarios, non ſolum ad corporis vniuerſi ipſius conſeruationem, ſed etiam ita ad animæ actuum, adeoque exercitii actiuitatis eius præſtationem. Cum neque ipſum

ipſum corpus propterea ſaltem ſit, vt ſit, ſeu exſiſtat, ſed vt verum *organon animæ*, tam ad percipienda obiecta intelligibila, nempe ſenſibila, quatenus diſtincte perceptibilia, quam ad exſequendam voluntatem circa hæc eadem, præbeat atque conſtituat.

Talis autem cum ſit facies etiam harum a medicina adhuc remotiorum phyſicarum conſiderationum, vt nec in ſe (inprimis de craſi humorum) veræ atque ſolidæ exſiſtant, nec habitum illum ad veram τὴν φύσιν vsquam condigne attingant, nedum deducant atque demonſtrent; adeoque nusquam limites illos veræ atque realis phyſicæ ſiſtant aut exhibeant, a quibus iuxta receptam commendationem medica ditio territorium ſuum capeſſere debeat: vtile ad minimum, niſi quidem prorſus neceſſarium [pro vera theoria, vti ſtatim declarabo] videtur, has etiam res firmiter prius conſtituere, vt inde nexus ille verus, qui omnino ineſt, eluceſcat.

Optime nempe intelligenda in corporum viuentium negotiis venit antiqua illa, & vtique *Ariſtotele* prior, ab ipſo prolata, ſed male applicata, *naturæ* definitio, *quod ſit principium motus & quietis* &c. Vbi certe, quicquid ita vt φυσικὸν καὶ περὶ τῆς φύσεος conſiderandum aut tranctandum apparuerit, in hoc maxime tertio bene fundatum atque radicatum eſſe conueniat, vt de habitudine ad motum, & ipſa ratione motus, & inprimis proportione eiusdem, quaſi eminentiſſime agat, & huic maxime negotio,

præ omnibus aliis conſiderationibus inuigilet atque inſiſtat.

Sicut autem *proportio motuum* triplex habet obiectum, 1. organorum conditionem atque rationem; 2. materiæ per organa mouendæ; & 3. finis atque ſcopi per talem materiæ & organorum motum obtinendi peculiarem rationem: ita valet hoc etiam in negotio motuum τῆς φύσεος ζωικῆς, καὶ ζωοποιοῦ, vitalis, animalis, viuificæ; quæ etiam ſimpliciter proportionis directione vere animat totum negotium motuum in ordine ad fines per talem actum perficiendos.

Cum itaque & craſis corporis animalis, & conſiſtentia humorum, & ipſa ſtructura meatuum atque viarum, harumque rerum mutua proportio, & reciproci habitus, varios ipſorum motuum actus & vſus peculiares poſtulent, & tales interim exſiſtant, vt vtique non mereantur ſolum hiſce reſpectibus, ſed poſtulent etiam reuera, imo exigant veluti, recte & in vera ſua connexione conſiderari & intelligi: res ipſa omni modo exigere videtur, vt totum hoc negotium condigne euoluatur, & eo ordine deducatur, vt apparere poſſit nexus ille, quem vtique etiam hæc magis phyſica conſideratio ad medicum vſum habeat atque ferat.

Vbi quidem enixe vtique cauere conuenit, ne per ſummam imperitiam vniuerſæ methodi dogmaticæ, eiusque adeo confuſionem cum ipſa praxi,

& quæ

& quæ ad hanc directe & immediate pertinent, alieniſſime illa, quæ ſimplicia ſubſidia ad theoriam, non autem ipſa theoria ſunt, non ſolum cum theoria impertinentiſſime in eandem maſſam conculcentur, ſed plane ἀλόγως pro ipſa medicina, arte medica, praxi medica explicentur, aut arguantur.

Vnde quidem, quemadmodum ingens error habendus eſſet, ſi quis cum hominibus lingua aliqua exotica confabulari ſuſciperet, qui eius ignari eſſent: ita eiusdem certe commatis foret, illos hic in viam redigere, qui nullam adire vel ſubire compotes, nihil niſi quo fert lapſus atque impetus, temere ſequi valent.

His autem, qui verum nexum inter oeconomiæ animalis *conſtitutionem phyſicam*, *conſiderationem pathologicam*, & tandem *tractationem medicam*, vere cordi habent, aliter diluceſcet, quid proportionis huic œconomiæ intercedat cum *læſionibus* atque damnis, quibus VERE expoſita eſt; & ita etiam cum iſtis modis atque methodis, quibus ab illis læſionibus vindicari, & in integrum reſtitui debeat atque poſſit.

Vbi quidem, quando vocabulum *œconomiæ animalis* recte vſurpatur & conuenienter intelligitur, non vtique ſermo eſſe poteſt, neque de ſimplici eius materiali conſtitutione, & ab hac pendente craſi; neque de coagmentatione eiusdem per omnes quaſi minutias ſpecialiſſima, ſeu ſtructura; neque de huius habitu ſimpliciter mechanico, ad motum ſimpliciter;

ter; neque de motibus, qui in hoc corpore fiunt, vt abſolute & in ſe conſideratis.

Quandoquidem ex omnibus & ſingulis hiſce rebus duo illa vere præcipua, & abſolutiſſime œconomiam hanc abſoluentia *attributa* in plenis tenebris manent, 1. qualis ſit materialis craſeos huius corporis habitus verus atque directus ad læſiones illas, quæ vere fiunt, & ſemel factæ plures poſt ſe trahunt; 2. qualis ſit non ſolum ratio, ſed etiam conſpiratio motuum illorum, qui per hanc ita ſtructam corpoream machinam, tam ad ſaluationem eius ipſius, quam ad vſus intellectus atque voluntatis, iterum dico organice, fiant & inſeruiant.

Interim, quemadmodum hæc etiam rectiſſime conſiderata, alieniſſimum tamen eſſet ſimpliciter atque directe praxi medicæ deſtinare & applicare velle: ita ex aduerſo eſt tamen etiam illud paris dignitatis, denegare huiusmodi conſiderationi atque euolutioni omnem energiam, omnem ſymbolismum, vt ad agnoſcendam atque cognoſcendam, ita diiudicandam quoque, dirigendam, prouocandam, moderandam illam proportionem, quæ ex illarum rerum remotiorum reſpectibus, imo vero effectibus atque vſibus neceſſariis iuſto ſucceſſu procedit atque reſultat.

Quamlibet enim ego certe, ſi quis vnquam & vsquam alius, inſtantiſſime vrgeam *diſtinctionem* maxime neceſſariam, inter ſimplicem ætiologiam phy-

ſicam

ſicam alterationum, quæ corpori animali quoquo modo obtingere poſſe videntur, quin etiam vere obtingunt; & inter pathologiam medicam, quæ læſiones non ſolum quæ vere ſolent, & vt vere ſolent euenire, conſiderat; ſed etiam illud in his præcipue conſiderat, quod ad tractationem atque reſtitutionem medicam magis directe atque luculenter facere & inſeruire videatur: tamen tantum abeſt, vt in ſuo ordine ſuoque loco negligam etiam ætiologias illas phyſicas, quæ ad veram pathologiam quaſi aditum præbent, vt potius vel hoc ipſum qui vitio mihi vertat, reperiatur, quaſi remota & plane prima phyſica ad medicum cenſum vocem: ſed graui ceſpitatione inter diſtinctiones (1) methodi (2) theoriæ. Quandoquidem non ſolum ordo conſiderandi hoc omnino ita fert, ſed ipſa etiam indoles conſiderationis haſce res in ſuo ordine vtique poſtulat, eo ipſo quod ad praxin demum deducentia exhibet, & per illa tanquam rudimenta atque lineamenta ipſam praxin concinnare docet. Cum enim medicina, tanquam ars, habitus vtique eſſe debeat cum recta ratione effectiuus; recta vero ratio non ſit ipſe ille actus, quo efficitur, ſed ſolum illud, ſecundum quod actus recte ad effectum inſtruitur: manifeſtum eſt, quod ad praxin etiam pertineant rationes tales, quæ licet ipſa praxis non ſint, anima tamen atque cynoſura eius ſint.

Quemadmodum autem, vti etiam iam ſuperius dixi, ego ipſe quam maxime auctor ſum philiatris, vt diſtinctionem illam theoriæ, vere & in ſolidum phyſicæ, a medica theoria ſolide comprehendere atque dignoſcere cordi habeant: ita in mente primum habui in ipſa hac mea phyſiologica tractatione characteris diuerſitate illa quæ plus ad phyſicam, quam ſimplicius ad medicam rem reſpiciunt, diſcernere. Cum autem per alios meos labores quibus inprimis ſpartæ mihi concreditæ, tum etiam proximo auxilium meum poſtulanti inſeruire connitor, hoc perficere per tempus non liceat, cuiuslibet propriæ induſtriæ atque curæ hoc commendo: ſed omnino veram huius rei, quin etiam vſus illius, agnitionem atque cognitionem omnino vtique commendo.

DO-

DOCTRINAE MEDICAE

THEORETICAE

PARTIS I.

PHYSIOLOGIAE

SECTIO I.

DE

VITA ET SANITATE.

§. I.

CVm ARS MEDICA VITAM atque SANITATEN corporis humani *conſeruare*, læſiones illi impendentes monendo atque conſulendo quin etiam obſiſtendo *præoccupare*; labefactatam etiam ſanitatem, & periclitantem qualitercunque vitam *integritati* atque *libertati* ſuæ *reſtituere* pro vero ſuo obiecto habeat: neceſſe proinde vtique eſt, vt Medicus recte certus ſit vniuerſæ conſtitutionis atque indolis harum rerum, quarum ita curam gerere debet, vt ſecundum hanc notitiam, quid ita conſtitutis rebus quadret, atque tali rerum indoli conueniat, per rectam rationem comparare atque colligere poſſit. Artis medicæ obiectum.

§. II. NECESSARIA Medico eſt hæc ſcientia, non ſolum propterea, vt mox *a priori* intelligere poſſit, quid huiusmodi indolis conſtitutioni prodeſſe aut nocere poſſit; ſed etiam ad quem ſtatum *re-* Medico neceſſaria eſt ſcientia conſtitutionis humanæ,

ſtitu-

ſtituendæ ſint, quando a ſua vera atque debita conſtitutione defecerunt: cuius ipſius etiam *defectus* gradum necunde agnoſcere aut metiri poteſt, niſi verum atque debitam conſtitutionem *in ſeipſa* recte cognitam atque perſpectam habeat.

imprimis vero, quid ſit vita & ſanitas.

§. III. Ante omnia itaque ſcire conuenit, *quid* ſit illud, quod vulgata appellatione VITA dicitur? in quo conſiſtat *formaliter?* circa quid verſetur & occupetur, tam *materialiter*, ſeu *ſubiectiue*, quam *finaliter*, & *obiectiue?* cui *vſui*, imo cui *neceſſitati* in corpore ſeruiat? quid CORPORI præſtet? an & quantum vel *vtilis* ſit *corpori*, vel abſolute *neceſſaria?* Ita etiam de SANITATE ſcire vtique conuenit, quidnam dicatur *ſanitas*, ſecundum quam corpus dicitur *ſanum? in quo conſiſtat*, vt inde ſenſibiliter agnoſci poſſit? quinam ſint eius *actus* atque *ſtatus*, quibus ARS ſubuenire valeat?

Corpus humanum per ſuam mixtionem ſumme corruptibile eſt, hinc indiget perenni conſeruatione.

§. IV. Sub hac conſideratione primum omnium occurret, quod *corpus* humanum per ſuam MIXTIONEM, in promtiſſimam *corruptionem* totum propendeat. STRVCTVRA autem eius, quæ *actionibus* humanæ *ſpeciei* dicata eſt, fatiſcente illa *mixtione* neceſſario *funditus* atque penitiſſime dilaberetur: quam tamen in longum tempus *durare* poſtulat ipſa illa indoles *actionum*, huic *ſpeciei* propriarum. NECESSARIAM itaque eſſe apparet peculiarem aliquam CONSERVATIONEM, quæ impediat, ne illa *diſpoſitio* in *actum* deducatur. Poſtquam autem *diſpoſitio* illa ad *corruptionem* non *leuis*, *tranſitoria*, *accidentalis*, aut *aduentitia* eſt; ſed *intrinſeca* penitus corpori, adeoque *intime* inhærens atque *immanens*, & nullo tempore ſeparabilis: conſonum vtique eſt, quod etiam illa *conſeruatio*, huic labi oppoſita, *perennis* & *indefinens* eſſe debeat.

Hæc conſeruatio proprie eſt vita.

§. V. Hæc ipſa CONSERVATIO rei tam *corruptibilis*, ne ipſo *actu* corrumpatur, eſt proprie illud, quod ſub vſitato VITAE vocabulo intelligi debet: & hic eſt ille *reſpectus*, quo *corpus*, quatenus ſimpliciter MIXTVM, opponitur & contradiſtinguitur corpori quatenus VIVO. Quamuis autem hæc conſeruatio perpetretur per actum *formaliter mechanicum*: hic tamen *inſtrumentaliter* patratur per *corporeas machinas*, & ex pluribus *ſucceſſibus* atque *ſociis* actibus tandem ad hunc *vnum formalem* vltimum, CONSERVATIONIS nempe actum peruenit. Iam cum illa *corporea organa* pro *mechanico* ſui vſu vtique ſpecialiſſimam *conformationem* atque *proportionem* habere debeant; Præterea illi *intermedii* atque *ſocii* actus, quorum *vltimus communis*

effe-

effectus demum VITA eſt: vtique etiam vt a priori *proportionate* atque *ordinate* adminiſtrari atque agitari debent.

§. VI. Hæc tam *corporearum* illarum *organicarum* partium omnimoda debita *conformatio*, *integritas*, *libertas*, & tam *propria* quam *ſocia* ad ſuos vſus idonea *diſpoſitio*; quam *actionum* ipſarum *tempeſtiua*, *ordinata*, ſatis *vegeta*, & tam *ſigillatim*, quam in ſua *ſocietate* vndique *proportionata* adminiſtratio: Hæc talis, inquam, tam *partium*, quam *actionum* conſtitutio appellatur SANITAS. Sanitas.

§. VII. Vulgo dicunt *ſanitatem* potius deſcribendam eſſe, vt *potentiam* actiones legitime exercendi, cum non ſemper ipſo *actu* illæ exerceantur: quod confirmant per *animales* actiones. Cum autem VITALES *animalibus* non ſolum *tempore* ac *ordine* priores ſint, ſed etiam INDESINENTE actu perpetuo exerceri debeant, atque ſoleant: proinde rectius & intimius deſcribitur *ſanitas*, tam per ipſarum *partium* iuſtam integritatem, quam *actionum* conuenientem adminiſtrationem. Deſcriptio eius vulgaris.

§. VIII. Quantumlibet autem verum omnino atque certum ſit, quod partes *corporeæ organicæ* omnimodo conuenientem debitam *conformationem mechanicam* habere debeant; & quod etiam illa certam *proportionem* ad illos *motus*, qui per ipſas fieri debent, præſupponat: minime tamen inde tanta *neceſſitas* pendet, vt vel *abſolute* actus illi in ipſis agitari *neceſſe* habeant; vel ſimpliciter *ſoli* illi motus, & nulli prorſus alii in iiſdem inſtitui, & per ipſas exerceri *poſſint*. Nempe nimis quam leue, & omni phænomenωn ſuffragio contrarium eſt illud figmentum, de *ſtricte* & *ſimpliciter mechanica neceſſitate* ACTIONVM *in partibus*, & *per partes*: quaſi nempe partes tum *non poſſent non* agere, tum *non* poſſent *aliter* agere, quam iſtæ *mechanicæ* ipſarum partium *proportiones* inferant. Cum nihil familiarius & toti mundo notius ſit, quam quod *integris & illibatis* penitus partibus *actiones* tamen nihilo ſecius *omitti*, aut *alieno modo* atque more perpetrari poſſint: quod inprimis efficacia *animi pathematum* in varios *motus* corporis abunde teſtatum facit. Licet autem partes corporis mechanicam habeant proportionem; tamen actiones in illo non fluunt ex mechanica neceſſitate.

SECTIONIS I.

MEMBRVM I.

DE SCOPO SEV FINE CORPORIS.

Conſideratio, quem finem & deſtinatum vſum corpus humanum habeat, mechanicam energiam tollit.

CONfirmat autem hanc, *non* tam *puri* atque *ſimplicis mechaniſmi* NECESSITATEM, quam ad certos FINES atque VSVS quadrantem DIRECTIONEM, conſideratio inprimis veri *vſus* atque *finis humani corporis*, eiusque tam VITALIVM quam ANIMALIVM actionum: & præterea *harmonia* quidem illa, ſed omnino adhuc ſatis *libera*, *actionum*, quæ in hoc corpore contingunt, cum illis ipſis, de quibus loquimur, *deſtinationibus* atque *ſcopis*. Ex aduerſo vero *nulla abſolute connexio*, aut qualiscunque tandem *reſpectus* pure *mechanicæ* talis energiæ, per quam corpus ita ſimpliciter, ſine vllo *fine* aut *ſcopo* nude *mechanice* ſubſiſtere deberet.

Quidnam viuat, quomodo viuat & quamobrem viuat, perluſtratur.

§. II. Vt itaque ſatis liquere poſſit, *quidnam* ita *viuat*, tum etiam *quomodo viuat*, & *quamobrem* maxime *viuat*, perluſtrabimus ſingulos hos *reſpectus*. Interim cum inprimis illa conſideratio, QVOMODO vita, nempe qua maxime *inſtrumentali* ratione vigeat atque fiat, paulo *prolixior* ſit, & ſub multorum *ſociorum* atque *ſubordinatorum* actuum varietate diffuſior; placet potius Philoſophis conſuetam methodum ſeruare, & ſicut illa reſpectum FINIS inter cauſſas primo ordine ponit (quod *moueat efficientem* ad ſuſcipiendum *actum*,) ita hoc etiam loco conſiderare, quemnam verum & euidentem *finem* & plane *deſtinatum* vſum CORPVS humanum habeat.

Anima humana nihil poteſt ſine corpore;

§. III. Hic ante omnia conſiderandum venit, quod ANIMA *humana* circa illas res, quæ ad *actum* ipſius præcipuum atque *principem directe* pertinent in hoc mundo, *abſolute & ſimpliciter nihil poſſit ſine corpore*. Nihil enim *ſenſu* comprehendere, & conſequenter de nulla re *præſente cogitare* aut *cognoſcere* valet, ſine *ſenſoriis* corporeis. Nihil etiam in *effectum* deducere, ſeu *voluntatem* ſuam exſequi valet, ſine eodem corporeorum organorum *miniſterio*.

Organis corporeis opus habet non ad breue ſed longum tempus.

§. IV. Præterea non opus ſolum habet *abſolute* corporeis hiſce *organis*, ſed inſuper etiam adhuc ſub illo reſpectu, vt ad *longius tempus* iisdem indigeat: cum *anima per ſe* non niſi *ſucceſſibus*, & illis quidem paſſim etiam ſatis *languidis*, quicquid ſuum eſt, in *effectum*, ne dum in *habitum*, deducat; adeoque ex *ſua propria indole* proportionatum

natum *temporis* ſpatium requirat. Cui etiam addere licet illud ſatis veriſimile, quod *anima humana* non ita ſimpliciter & abſolute ſolum ad *exſerendam ſemel* forſan aut *breui* tempore, ſed *exercendam diutius* illam ſuam *cogitandi* atque *ratiocinandi* energiam deſtinata ſit, adeoque hoc ipſo etiam reſpectu *organa* ſua *diutius* in poteſtate habere debeat.

§. V. His omnibus modis atque reſpectibus cum neceſſe ſit, *exſiſtere* non ſolum, ſed *ſubſiſtere* etiam *corpus*: habet illud vtique eximium FINEM, & *abſolutæ neceſſitatis*, PROPTER quem eſſe debeat. Præterea vero, cum vniuerſum *corpus* in tota ſua conſtitutione illis duobus *effectibus* exquiſitiſſime operetur atque ſeruiat, (1) vt omnino *conſeruetur* actionibus *vitalibus*; (2) vt *ſenſibus*, *motibus localibus*, & tandem ipſi *cogitationi* miniſtret: tanto euidentius hinc eſſe poteſt, quod hic proprie ſit iſte FINIS, PROPTER quem corpus ita conſtructum eſt.

Corpus habet finem abſolutæ neceſſitatis propter quem eſſe debeat.

§. VI. Vt adeo merito, imo *neceſſario*, exſulet abſona illa opinio, quaſi corpus etiam *abſolute* PROPTER SE IPSVM exſiſtat: cum ſub tali opinione nullum *vſum* haberet, interim e contra re vera in vero atque perpetuo *animæ miniſterio* conſtitutum ſit; adeoque tantum abeſt, vt quoquo modo vere *ſui iuris* eſſet, vt potius manifeſtiſſime *alterius* ſit *iuris*, *animæ* inquam & *intelligendi*, & *volendi* actui *miniſtret*: & hoc inſuper etiam DIV; cum vere nulla vsquam *cauſſa* aut *ratio* vel in mentem ſolum venire poſſit, *quamobrem* CORPVS DVRARE deberet, niſi propter alium FINEM, cum ipſum *in ſe nullum* habere non ſolum concedatur, ſed quam maxime vrgeatur.

Propter ſe ipſum autem minime exſiſtit; ſed propter animam.

§. VII. Quemadmodum autem ita vel penitus *a priori* ſatis eluceſcit, quod *corpus* PROPTER *animam* exſiſtere *neceſſe* ſit: ita ſuppetit etiam aliud adhuc argumentum, quod hoc ipſum non minus, ita vt *a priori*, confirmare valeat. Nimirum *illud*, *quod* & totum *corpus conſeruat*, & *animæ vſus* in corpore præſtat & abſoluit, eſt *res*, *a corporis* ipſius *eſſentia* & *vniuerſa indole* quidem *aliena*: interim *animæ eſſentiæ* atque *indoli* abſolutæ & plane genuinæ *gemina*; nempe in ſe quidem *incorporea*, vt ipſa etiam *anima*; *in corpore* vero, imo *in corpore* efficax & *actiua*, vt iterum ipſa quoque *anima*. Præterea illud manifeſtiſſimum eſt, quod ſubſeruiat illa res non ſolum *neceſſitatibus* animæ, in *exſiſtentia* atque *duratione* corporis: ſed etiam quam maxime in *nudis*, *puris* atque *directis* illius *animæ vſibus* atque *intentionibus*. Idque adeo, vt *anima* in actibus quam maxime *eminentibus*, & ſummæ in hoc genere actiuitatis, huius, de qua loquimur, rei *veram* plenam

Argumento probatur.

Motus cuius eſſentiæ ſit, & vnde dependeat in corpore humano.

poteſtatem ita manifeſto habeat, vt illam vere abſolute *regat*, *dirigat*, *augeat*, *minuat*, & pro ſuo arbitrio *verſet* atque *flectat*. Imo vero hæc *res* animæ etiam *immediatis actibus* adeo ſimpliciter & *abſolute propria* eſt, vt quicquid animæ vere *eſſentiale* atque *proprium* exſiſtit agere & perficere, illud vniuerſum hoc *medio*, hac inquam re, vt vero ſuo *inſtrumento*, præſtet atque abſoluat. Imo vero non tam ſolum vti ſuo *inſtrumento*: ſed potius vti *generico* ſuo & fere magis *intermedio*, quam ſimpliciter *inſtrumentaliter* medio *actu*.

Animæ actus ſunt motus, quos dirigit & inſtruit.

§. VIII. Eſt autem hæc *res* nihil aliud quam MOTVS. MOTV enim omnia vtique ſua agit *anima*. Quandoquidem cum ipſa *ratio plurimum* ſit *comparatio*, perpetuo *tranſitu* atque *circuitu de re ad rem*, ac veluti *diſcurſu inter res* plures exercenda; vero, inquam, perpetuo MOTV; tota autem & *conſeruatio*, & *ſenſoria* atque *locomotoria vſurpatio* corporis, non ſolum *in genere* MOTIBVS exerceatur; ſed *ſpecialiſſime* inprimis motibus *proportionatis*, tam ad *finium* exigentiam, quam *animæ* DESTINATIONES; *conuenientia* etiam illa *eſſentiæ* quidem *incorporeæ*, ſed *actiuitatis* tamen *in corpore*, & *in corpus*, vtrique *communis* ſit: nihil ſanæ atque ſimplici *rationi* magis quadrat, quam quod hic MOTVS, vt ad ſuos *immediatos* actus & effectus, ita etiam ad *conſeruationem* & *vſum* corporis, pro ſuis *immediatis* effectibus, verum & *immediatum* ſit *inſtrumentum*. Imo *effectus* nulla magis atque verius quam hac *cauſſa* dignus, *anima* inquam. Atque adeo rem recte atque decenter æſtimando, omnes *actiones in* corpore, quæ tam ad eius *ſtructuram*, quam *mixtionis conſeruationem* pertinent, ab ipſa *anima*, & propter ſuos *vſus* atque *fines* ſuſcipiantur, & ea *proportione* atque *ratione*, quæ *ſcopis* illis atque vſibus conuenit, *ſcite & conuenienter* regantur, imo abſoluantur. Et hoc quidem actu illo, *animæ* ipſius *indoli* quam maxime *gemino*, nempe in ſe *incorporeo*, MOTV. Nec *incorporeo* ſolum, ſed etiam ita ſcite atque *proportionate* adminiſtrato, quemadmodum *conuenit* non ſolum *materialium* ſubiectorum indoli; ſed ipſis vsque nudis *ſimplicibus* & plane *directis* ANIMAE *intentionibus*, *generalibus* inprimis, vt in *animi pathematibus* reliquis; imo *ſpecialiori*, in *nauſea*.

Anima ſibi corpus ſuis vſibus aptum ſtruit, illud ſola regit & mouet.

§. IX. Ex hiſce decenter penſitatis puto ſatis diluceſcere poſſe, quomodo vniuerſum *corpus* humanum, tam in ſua *conſeruatione* atque *duratione*, quam in *ſtructura* ſua *ſpeciali*, tanto magis autem in ipſis ſui MOTIBVS, manifeſtis iisque plane *neceſſariis finibus*, nempe *alterius* vſibus, ita *deſtinatum* ſit, vt neutiquam *propter ſe ipſum*

ſiue

ſiue *exſiſtere* ſiue *diu ſubſiſtere*, ſiue ita *ſtructum* eſſe, ſiue talibus motibus *agitari*, iudicari poſſit. Vnde mox tanto iuſtior etiam apparet altera illa collectio, quod ipſa etiam *anima* & *ſtruere* ſibi corpus, ita vt *ipſius vſibus*, quibus SOLIS ſeruit, *aptum* eſt; & *regere* illud ipſum, *actuare*, *mouere* ſoleat, *directe* atque *immediate*, ſine alterius *mouentis* interuentu aut concurſu.

§. X. Quandoquidem perpetuis & inſanabilibus omnino intricationibus laborant antiquæ illæ næniæ, æque ac recentiſſimæ phantaſiæ, de quibuslibet *aliis agentibus* aut *actionibus*, præter *animam rationalem*, corpus *ſeorſim* mouentibus atque *regentibus*: & illud quidem propterea, quoniam *anima* tali actui *impar* ſit, quia *immaterialis*. Interim eo ipſo irreuocabilem implicationem iniiciunt, quomodo *anima* cum illis alteris ſuppoſitis agentibus *conſpirare* valeat, aut *cooperari*: cum vel tyrones logices offendat dilemma illud irreſolubile, quod ex illo canone hic *in infinitum* reſultat, quod *alia* illa *mouentia*, vel *in corpus* nullum ius habeant, ſi *immaterialia* ſint: vel ſi hoc non ſint, *anima in* iſta, & *per* iſta, in corpus nullum ius aut huius vſum impetrare poſſit, quando hæc *media agentia materialia* ſupponuntur. Alia intermedia agentia falſo ſupponuntur.

§. XI. Nam abſona penitus eſt, & ingeniorum acumine indigna diſtinctio illa, inter *craſſius* & *ſubtilius* materiale, & huius *poſterioris* maiorem *conuenientiam*, & propius aliquod *commercium* cum *immateriali*. Secundo loco, inuoluunt talia commenta non ſolum nouum *intellectum in iſtis agentibus*, vt *ſcite* atque *decenter* prorſus omnia & vndique agere poſſint: ſed & re vera, ſi res condigne æſtimetur, maiorem, quam in ipſa *anima rationali*. Hæc enim *agentia*, ſub hac præfiguratione, non ſolum *ſciunt*, *quid*, *quomodo*, *quando*, *quantum* ipſa agere debeant: ſed *intelligunt* inſuper omnes *nutus*, & exquiſitiſſimos etiam quarumlibet ſpecialiſſimarum *proportionum*, quas *anima* vult, *modulos*, eosque ita, vti *anima cogitat* atque *vult*, exacte exſequi cenſentur. Cum ex aduerſo *anima rationalis*, magis directe *cogitans* & *intelligens*, nihil reciproce *cognoſcat* aut *percipiat* de iſtis *actionibus*, *rationibus*, *proportionibus*, *reſpectibus*, quibus non ſolum iſta *altera agentia* vacare finguntur: ſed ipſa omnino *anima* illis vtendi tam eximium ius habet, vt etiam ſub paulo circumſpectiore penſitatione nihil aliud appareat, niſi quod hæc omnia, corpus, inquam, totum cum vniuerſis illis ſuis *agentibus*, *actionibus*, *proportionibus*, *poteſtatibus*, eminenter in eius ipſius, *animæ*, inquam, *vſus* non ſolum facta ſint, ſed etiam in eosdem *vſus conſeruentur*, imo perpetuo *adminiſtrentur*. Ex his commentis colligitur, quod hæc agentia maiorem intellectum de corpore habeant, quam ipſa anima.

Alii motus non a principio agente deriuant ſed in abſtracto conſiderant, ac ſi a voluntate diuina hoc impreſſum habeant.

§. XII. Nihilo prorſus melioris conditionis ſunt illa recentiorum commenta, quod hi *motus*, qui in *corpore* ita fiant in ſubſidium *vſuum animæ*, non in concreto ab aliquo *agente* ſeu *mouente* exerceantur, aut adminiſtrentur; ſed vt *in abſtracto* in corpore fiant atque vigeant: & habeant iam *concreatam* illam ſuam *proportionem immutabilem*: niſi forte a paribus nude *corporearum* rerum occurrentibus inſitis motibus alterentur. Et hoc quidem ita habeant a Deo abſoluta voluntate *determinatum* atque *impreſſum*. Interim, ſicuti hic rurſus nulla vsquam comparet *connexio* cum illis *animæ rationalis* nutibus, ad quos hi motus non ſolum *promti*, ſed toti penitus *facti* atque *deſtinati* videntur, in *ſenſitiuo* & *locomotiuo* negotio: ita in *vitali* etiam, in quo *anima* hiſce abſolutis motibus nihil præiudicii adferre poſſe cenſetur, tam manifeſta eſt in contrarium experientia, vt quidlibet potius diuerſum eluceſcat, non ſolum ex *animi pathematibus* in corpore iam *conſiſtente*; ſed etiam ex *impreſſionibus* matrum, in corpus *formandum*: imo vero iam recte *formatum*, aliter ſolum *reformandum*.

Alia adhuc agentia corpori adſignata.

§. XIII. Quemadmodum autem in hiſce implicationibus extricandis laborem inſumere non placet; ita tanto minus nimium prolixum eſſe conuenit circa reliquas ſpecialiores implicationes, quæ ex illis quaſi generalioribus paſſim pullularunt. Dum v. gr. SPIRITVS paſſim nominati ſunt, & velut in ſubſidium vocati, ad ſcenam hanc magis exornandam. Sufficiet autem, ſaltem ad verum de his rebus ſchema concipiendum, breuiter atque ſimpliciter differere, quid illi, qui de his rebus *varie* loquuntur, & *proferant*, & inter ſe mutuo *differant*.

Tres animæ antiquorum.

§. XIV. Antiquior ſententia, quæ corpori humano præter *rationalem* animam alia *agentia* aſſignauit, *animas* alias ſibi concepit, & officiis illis præpoſuit: nempe *vegetatiuam* atque *ſenſitiuam*. *Vegetatiuæ vitæ* atque *nutritionis* officium detulit: *ſenſitiuæ* ſenſus & *motus localis* exercitium. Ex his *animabus* ſolam quidem *ſtricte* dictam *humanam intellectus* compotem fecerunt: interim etiam *vegetatiuæ* atque *ſenſitiuæ* γνῶσιν certam tribuerunt, ſecundum quam ſuas res omni modo *ſcite*, *ordinate*, *proportionate* adminiſtrent.

Alii antiquiores vnam animam rationalem, ſed diuerſarum facultatum habuerunt.

§. XV. Alteri, & his vt apparet *antiquiores*, animæ VNI *humanæ*, a *ſpecifica* ſua adeoque *digniore* energia *rationali* dictæ, iuxta hanc *nobiliorem* adeoque *ſuperiorem* energiam tanto magis competere cenſuerunt etiam *ignobiliores* illas, ſiue *inferiores* energias: argumento omnino plauſibili, quod, *qui poteſt plus*, *poſſit etiam minus*. Interim antiquiore illa ad abſtractos conceptus temere multiplicandos pro-

propenſione, implicabant hanc de reliquo ſatis bonam ſententiam, introductione & incommoda valde præfiguratione, vt *ſubſtantialium energiarum*, FACVLTATVM diuerſarum huius animæ. Quam quidem præfigurationem vel ipſis vocibus fouebant & augebant; dum non iam amplius de ſimplici *potentia* loqui viderentur: ſed ποιότητος nomenclatura reuera realem quandam *faciendi poteſtatem*, tanquam *actiuam* atque *poſitiuam efficientem* in ſcenam producere, quæ *animæ* auſpiciis illud agat & perficiat, quod eidem tribuebant.

§. XVI. Non parua iam hinc ſubnata ſterilium conceptuum *multiplicatio* aucta eſt ſequiorum temporum ſucceſſu per commentum SPIRITVVM. Cum enim per illud πρῶτον ψεῦδος ineptiſſimi illius canonis, de *materialis* & *immaterialis* nullo commercio, ingens præiudicium impendere videretur *rationalis* animæ *immaterialitati*: ſopire hoc ſcandalum aggreſſi ſunt Medici, & in omnem alienam meſſem *uncos* magis ſuos, quam *falces* immittere paratos Monachos verborum ſono & ſpeculationis vanitate ſatiare, SPIRITVVM termino & figmento interpoſito. Quamuis enim ne pueros quidem fallat illa ſupra notata, in hoc etiam figmento, *in infinitum* progrediens difficultas: tamen cum his rebus acquieſcerent, quos non quieſcere periculoſum erat, & qui de reliquo de SPIRITVALIVM rerum vera indole ſoli iudicare poſſe videri volebant: recte quidem illos illorum temporum Medici his verbis pacauerunt: ſimul tamen ſaniori conceptui ſatis planam adhuc viam reliquerunt. Spiritus.

§. XVII. Abſolute enim & ſimpliciter hos ſuos ſpiritus *ſubiecerunt* animæ: vt ipſa illis tanquam vero *nudo inſtrumento* vteretur. Quod nihil quicquam *ex ſe* & *propria ſua ſponte poſſet*, aut certe *deberet* agere. Imo in illa ipſa ſua propria *deſtinatione* re vera nihil *ex ſe poſſet*: ſed *abſolute atque ſimpliciter* ab anima immediate ita *inſtrueretur*, *regeretur*, *diſtribueretur*, ſeu *mitteretur*, prout illa ſuo de his rebus interno intellectu *neceſſarium*, aut ſuis rebus *vtile* eſſe nouiſſet. Hos ſubiecerunt animæ.

§. XVIII. Inſeruiit huic ſcenæ peculiaris etiam horum ſpirituum *diſtributio* in INFLVOS & INSITOS: qua nempe ratione ſubleuari poſſe videbatur ingens illa actiuitas, quæ in *transmiſſione* plus quam momentanea, & ſtatim *robuſta operatione* conceptui obuerſari videbatur. Quam difficultatem facile euitaſſent, ſi neruos, quos *ſpirituum meatus* eſſe volunt, ſemper ſpiritibus *plenos* ſtatuiſſent: cum enim *plena habeant rationem continui*, ſublata ita fuiſſet difficultas illa *miſſionis* longinquæ, v. gr. *e cerebro in digitum* pedis, vt ille eodem Spirituum diſtributio.

momento, quo anima vult, moueatur. Cui rei alii ineptius adhibuerunt *ſimilitudinem*, ſeu *exemplum motus luminoſi*: nempe, quod non adeo incredibile eſſe debeat, *ſpiritus* tanta velocitate moueri poſſe, cum par tam inexſpectati motus exemplum exhibeat etiam *lumen*. Quam præfigurationem non intelligentes alii, *ſimilitudinem*, quæ hic allegabatur, pro *identitate* totius rei allegari putantes, extremis ineptiis ſpiritus *actu lucidos* eſſe hinc credendum putauerunt.

Archæus Helmontii.

§. XIX. Iam vti ſunt ſtudiorum diuerſi ſucceſſus, inprimis in rebus propria aliqua implicatione laborantibus, male intellecta ex his commentis vtraque, pepererunt *nouam* ex vtriſque illis *confuſam* opinionem, de ARCHAEO, qui ſecundum omnem reliquam deſcriptionem eſt *anima vegetatiua* antiquorum. Interim e *ſpirituum* hypotheſi *multiplicitatem* accepit apud Helmontium, & *inſiti* atque *influi* imo *inſitorum*, cuilibet membro *propriorum*, & plane *ſpecifica* indole præditorum, figmentum: alibi autem *anima vegetatiua* veterum ipſa re deſcribitur: ſed *ſpiritus* nomine notatur, alibi quidem *vitalis*, alibi *animalis*. Dum nempe *vtriſque his*, & iſti *Archæo*, & huic *ſpiritui* perfecta ΓΝΩ͂ΣΙΣ agendi, aut vndecunque tandem impreſſa *ordinatiſſima poteſtas* agendi, tribuitur: & abſoluta illa *poteſtas* agendi hæc non ſolum *ex ſe*, atque *per ſe*, *ſine animæ* auxilio: ſed ita etiam, vt anima actu ab iſtis ita *excluſa* ſit, vt ne quidem *poſſit* aliquid concurrere.

Energia animæ pathematum in motus vitales quo modo explicetur a ſpirituum patronis.

§. XX. Quando vero ingens energia *animæ pathematum* in motum *pulſus*, in motus *tonicos* & inuoluntarios, imo in *formationem* ipſam corporis, in contrarium allegatur, alii quidem MIRA hæc dicunt, ſed eo ipſo nihil expediunt; alii de *tumultibus* ſpirituum loquentes, aliena prorſus adferunt, cum in nullis talibus rebus quidquam *per tumultum*, aut *ſecundum tumultum* fiat, ſed omnia ſatis euidenter ſecundum *intentiones* atque *directiones*, luculentioribus exemplis *næuorum maternorum*, & *vomitus a nauſea*.

Obiectioni, quod anima non habeat harum rerum conſcientiam, occurritur per diſtinctionem τῦ λόγυ & λογισμῦ.

§. XXI. Obiiciunt quidem hi tales viciſſim, quod anima *rationalis*, ſi vel maxime *immaterialitatis* excuſatio ſeponeretur, *a poſteriori* tamen appareat nihil harum rerum adminiſtrare, cum nullam vsquam ipſarum *conſcientiam*, *recordationem*, *memoriam* habeat, quod ipſis neceſſarium eſſe videtur. Ego diſtinguendum eſſe arbitror inter λόγον & λογισμὸν, *intellectum* ſimplicem, *ſimpliciorum*, inprimis autem ſubtiliſſimorum, & *ratiocinationem* atque *comparationem plurium*, & inſuper quidem per craſſiſſimas circumſtantias *ſenſibiles*, *viſibiles* atque *tangibiles* notorum.

§. XXII.

§. XXII. Quandoquidem animum aduertentibus manifeſtum, quod tam in *ratiocinationem* diſtinctam, quam inprimis & abſolutiſſime quidem in *memoriam*, nihil vsquam cadat, niſi ſolæ res, craſſo quodam modo *figurabiles*; cum ex aduerſo nimio plures res cadant in verum *intellectum*, non ſolum *agnoſcentem*, ſed vere *dignoſcentem*, imo ſpecifice *definientem*: & hoc tum ſine vlla vulgaris acceptionis *ratiocinatione*; tum ſine omni ſpeciali ſiue *concurſu*, ſiue poſthac *ſucceſſu* MEMORIAE. Quod affatim demonſtrant diſcretiones promtiſſimæ *odorum*, *ſaporum*, *colorum*, *ſonorum*; imo *tactuum* vere formalis diuerſitatis. Quorum omnium tam *differentiarum*, quod non ſint *aliæ* ſpecies, quam *definitionum*, *cuius re vera* ſpeciei ſint, nulla vsquam *ratiocinatio* exerceri poteſt; neque magis vlla diſtincta *præfiguratio memoriæ*, quatenus nempe craſſa *figura* hæc carent, ſub qua recoli, ſeu *denuo depingi* poſſint, quod eſt *memoriæ* negotium.

In ratiocinationem & memoriam res tantum figurabiles cadunt, intellectus vero ſine his res agnoſcit, dignoſcit & definit.

§. XXIII. Imo altius cogitandum eſt, quod etiam in ipſis adeo ipſius *rationis abſolute propriis* actibus, eorumque *ſpecifica & formali* ſuprema *determinatione* conſtituenda, anima neque *ratiocinari*, atque ſimpliciter *comparare* appareat, nec vllam huius rei *conſcientiam*, ſaltem *quod hoc agat*, ne dum *memoriam* ſiue *quomodo* hoc egerit, quod tamen *agit*, habeat. Quotus quisque enim, aut quoties, cogitat quod *cogitet?* quis hominum *ratione* adſequitur, *quomodo* cogitet? ne dum vt huius meminerit, *quomodo factum ſit*?

Anima ipſa neque in actibus rationis rationatur, aut meminit.

§. XXIV. Ita in rebus *meræ voluntatis*, iactu ad certam *diſtantiam*, *intenſione* motus voluntarii ad certam *energiam*, ſublatione ſolum pedum, ad graduum altitudinem *proportionata* &c. præterea IVCVNDITATIS aut ADVERSITATIS æſtimatione, quid *ratiocinii* exercetur? quæ plerarumque harum rerum, ſaltem QVOD diſtincte fiant, *conſcientia* eſt? iterum dico, quid de omnibus ſuis actionibus *propriis*, non dicam *de ſe ipſa*, imo ne quidem de illa *habitudine* ſui, ſiue ſimpliciter *ad corpus*, ſiue ad quoslibet illos, qui etiam quorumcunque opinionibus ipſi ſiue adſcribuntur, ſiue conceduntur, *actibus*, eorumque quibuslibet *reſpectibus*, *proportionibus*, *poteſtatibus*, *ordine* & *ſucceſſibus*, *cogitat*, *conſcia* eſt, *meminit* ipſa anima?

Neque in actibus voluntatis cogitat, conſcia eſt vel meminit.

§. XXV. Quibus exemplis cum adeo manifeſto pateat differentia *intellectus* ſimpliciter, & craſſæ *ratiocinationis*, nempe *præfigurationis:* vix neceſſarium videtur allegare, quod & *ratiocinatio* & *recordatio* obiecta habeant EXTERNA non ſolum, extra ipſum corpus conſtituta: ſed inſuper & in reliquos *ſenſus* craſſius incurrentia, & in-

Ex his patet, cur anima motuum ſuorum vitalium nullam cogitationem habeat.

primis *dimenſiones*, *viſui* atque *tactui* craſſius obuias habentia. Quicquid autem non *externo* occurſu & *craſſiore* quidem ad *intellectum* deducitur, & dictas *figurabiles* circumſtantias non offert, illius diſtincta per *ratiocinationem perceptio* aut *comprehenſio* minime datur. Hæc quidem de FINALI reſpectu tam *conſtitutionis*, quam *conſeruationis* corporis, dixiſſe ſuffecerit.

SECTIONIS. I.

MEMBRVM II.

DE MATERIALI HABITV CORPORIS AD VITAM.

§. I.

Conſeruatio mixtionis requirit corporis habitudinem ad durationem.

CVm vita ſit *conſeruatio mixtionis* corporis, e re puto erit, ad meliorem perceptionem quam neceſſarium ſit, vt illa *conſeruatio* ita inſtituatur, & perpetuo *continuetur*, exquiſitiorem notitiam habere de MATERIALI conſtitutione corporis, & eius habitudine ad *durationem*: inprimis inter circumſtantias, quæ corpori huic non ſolum *familiares*, ſed pleræque etiam *neceſſariæ* & *inſeparabiles* ſunt.

Mixtio mucido-pinguis ad neceſſariam corporis flexilitatem aptiſſima.

§. II. Cum nempe corpus humanum non ſolum reliquorum *craſſiorum motuum*, ſed inprimis *ſenſuum tenerrimorum* cauſſa, totum penitiſſime FLEXILE eſſe debuerit; talis autem conſiſtentia e quacunque *rigidiore* materia efformari minime potuiſſet: adhibenda proinde vtique fuit talis, quæ ſub aliqua *tenacitate mollitiei* ſeu *flexilitati* illi exquiſitæ idonea eſſet. Talis fuit mixtio *mucido-pinguis*, qua omnes partes corporis *flexiles* inſtructæ ſunt: *rigidiores* etiam ad minimum huius interuentu *coagmentatæ*.

Hæc mixtio corporis ad putredinoſam diſſolutionem prona eſt.

§. III. Cum autem *mucido-pinguis* mixtio, & tanto magis in illo ſtatu exquiſitæ ſuæ *flexilitatis*, *aquoſitatis* conſortium complectatur; *aqua* vero & *pinguedo*, vti ſatis notum eſt, nullum *durabile* conſortium ſeruent, ſed ad *fermentatiuum* ſeceſſum quam maxime prona ſint: fit inde, vt hæc corporis animalis mixtio eandem indolem ſeruet, & *putredinoſæ* intimæ *diſſolutioni* tota expoſita ſit. Iam cum corporis animalis magis *formalis* ratio non tam in *mixtione*, quam in *ſtructura* peculiari verſetur; ita tamen, vt illud etiam quod ſtruitur,

mate-

materiam poſtulet aptam, tam ipſi *actui* conſtructionis, quam etiam *vſui*, ad quem ipſum *ſtructum* deſtinatur: ita ſi tamen *per minima ſingula* corpuſcula, quæ *ſtruem* illam formant atque conſtituunt, *diſſolutio* penitiſſima contingat, eo ipſo funditus euerſam eſſe totam *ſtructuram* euidens omnino eſt.

§. IV. At vero, præter hanc internam *materialem* aptitudinem ad huiusmodi *diſſolutoriam* deſtructionem, accedit *duplex* circumſtantia, *diſſolutioni* huius generis, ſi *materialis* habilitas ſpectetur, directe fauens atque velificans: nempe *multa humiditas*, & mediocris *caliditas*. De quarum quidem priore ſuo loco patebit, quomodo illa peculiari moderamine magis *formalis* concurſus, potius *contrario* effectui, nempe ipſi *conſeruationis* actui, applicetur: de *caliditatis* autem neceſſitate illud vero ſimillimum apparet, quod partim ad *conſiſtentiæ* TENACIS, aduerſus nimiæ *humiditatis* emollientem efficaciam conducat: partim autem etiam re vera ad *conſeruatorium* potius effectum, peculiari prorſus illa ratione concurrat, vt *ſubtiliſſimas*, eoque ipſo *agiliſſimas*, & certo reſpectu *actiuiſſimas* portiones *vaporetenus* diſpellendo, reliquarum illibatæ *durationi* hac ratione conſulatur. Cui duæ adhuc res fauent: humiditas & calor.

§. V. Sicut autem illa ipſa *corruptio*, cui expoſitum corpus animale, non ſolum in genere *fermentatiua* eſt, ſed in ſpecie *putredinoſa*, *intima* & vltima, ſubtiliſſima, penitiſſima: ita habet etiam mirifice promtum & *præcipitem progreſſum*, quando ſemel libere inualeſcit. Vnde tanto magis neceſſarium eſt, non tam *ſuccurrere* quoquo modo *coorienti*: ſed potius *occurrere* atque *præuenire*, antequam cooriatur, aut vllas vires nanciſcatur. Eoque magis, cum illa *methodus*, qua illi ita ordinarie *occurritur*, irrita omnino ſit, & nullam amplius efficaciam habeat, ſimulatque ita corruptio iam quantumcunque notabiliter *in actum* deducta eſt. Diſſolutio ſeu corruptio hæc putredinoſa præcipitis eſt progreſſus.

§. VI. Cum enim hæc *occurrendi & præoccupandi* methodus ſimpliciter conſiſtat in *motibus*, & quidem ſubtiliſſimis *tranſitibus* inter penitiores ſtructuræ receſſus; vt ita *abductis* per illum *motum* nimium *agilibus*, & a vera intimiore *cohæſione* iam *actu deſciſcentibus* portiunculis, reliquæ non ſolum in ſuæ mixtionis firma *cohæſione*, ſed tanto magis etiam in ipſa ſua *ſtructura* recte cohærente atque conſiſtente ſeruentur. Ibi, ſi impetus corruptiuæ illius *diſſolutionis* eo vsque progrediatur, vt iam totæ compages ſtructuræ funditus *diſſolutæ*, motibus illis atque *tranſitibus* abſterſoriis locum non amplius concedant; fieri hinc aliter non poteſt, quam, vt ſine ope vlteriore *conſeruatoria* relictæ Huic occurrendi eamque præoccupandi methodus conſiſtit in motibus abſterſoriis.

 tales

tales iam corruptæ moles, non ſolum ipſæ vlterius & *intime fatiſcere* pergant: ſed etiam *proximis* quibuslibet portionibus aliis ſimilem *inteſtinum fermentatiuum atque corruptiuum motum* porro affricent atque *communicent*.

Præ aliis partibus ſanguis huic corruptioni expoſitus eſt.

§. VII. Quemadmodum autem hoc vere ita ſeſe habet, atque omnino dicto hactenus modo valet de vniuerſo corpore; ita ſunt tamen in hoc etiam *aliæ partes præ aliis* corruptioni propius atque fortius expoſitæ. Prima harum atque *præcipua* eſt ipſe SANGVIS, verum penitus ſpecimen & exemplar *corruptibilitatis* illius æque ac *mixtionis* tenerrimæ *mucido-valde-pinguis*. Quo intuitu propterea etiam omnium vtique reliquarum corporis partium primo atque *promtiſſime putredini* ſubeundæ expoſitus eſt. Eoque ipſo *conſeruatorii* illius actus quam maxime indigus. In quo impetrando, mirifica Creatoris ſapientia atque arte, non *ipſi* ſolum decenter & affatim conſulitur, ſed etiam *per illum* omnibus reliquis partibus: adeo, vt dum ipſe ad ſuum ipſius commodum & ſummam neceſſitatem *mouetur*, ille ipſe ita *motus* etiam ab omnibus aliis partibus *abſtergat*, dum *tranſit*, & *auferat*, dum *abit* atque procedit, quicquid in illis *abſceſſioni* paratum, adeoque *ablationi* dicatum atque debitum præſto eſt.

Hinc conſeruatione maxime indigus, quæ ſub ipſius motu & tranſitu impetratur.

Quod inflammationis negotium declarat.

§. VIII. Quæ res, vt alias minoribus exemplis, ita præcipuo & maxime luculento ſeſe exſerit in *inflammationis* negotio; vbi *ſalutaris* ille ſanguinis *tranſitus*, etiam auctiore gradu atque impetu inſtitutus, ſolus efficit, ne *ſanguis* ita ibi *ſubſiſtens* temere in ſimplicem *corruptionem* prolabatur: ſed huius perpetuæ *abſterſionis* interuentu, tanquam *de momento in momentum* ablatis *tenerioribus* portionibus *corruptis*, præcaueatur, ne auctiore illo *inteſtino motu* libere ita latius diffuſo *ſphaceloſa*, id eſt *ſimpliciter putrida* corruptio latius inualeſcat. Sicut reuera & hoc *ſufficiens* eſt, atque aptum huic ſcopo remedium; & omnino *præter hoc nullum prorſus* aliud in naturæ, ſeu œconomiæ animalis ſibi relictæ, poteſtate exſiſtit. De quo pluribus in *pathologia*, & *diſputatione* de *inflammationis vera pathologia*.

Partes exſangues aliis corruptelis expoſitæ ſunt.

§. IX. Quo magis *peculiaris* alicuius *partis mixtio* atque *temperies* ab hac ſinceriore *putreſcendi* promtitudine abit, eo minus *periculoſis*, ſed magis ſolum *tædioſis*, *vlceroſis atque languidis corruptelis* expoſita eſt. Nec etiam propter *tales* coorientes corruptelas tam *anxii* aut tam *exquiſiti motus* inſtituuntur, ſiue *circa talem* partem, ſiue in reliquo *toto ſyſtemate*. Sunt autem huius cenſus, *exſangues* partes, *membranæ*, *tendines*, *glandulæ*, *ligamenta*, *oſſa* & *cartilagines*. Quan-

Quanquam enim etiam hæc e mortuo corpore decerpta, omni modo putridam corruptionem ſubeant; tamen cum nimium quantum minus *pinguis* ſubſtantiæ in ſua *mixtione* habeant, quam tenacius *mucidæ*; & præterea illa *humiditas*, quæ harum partium arctiſſimos meatus penetrare valet, *ſeroſo-ſalſa* exſiſtat: fit ita, vt vel obruantur huius humiditatis concurſu, vel omnino nimis quam mature auferantur illæ pauciores ſulphureo-pingues portiones; reliquæ vero *mucidæ* ſolum *colliqueſcendo* diffluant.

§. X. Vbi etiam anticipando, & ad illuſtrandum paulo ante allegatum terminum ANXII *motus*, breuiter indicare licuerit, quod ipſe *concurſus vitalis*, exercitium inquam & peculiaris *directio* vitalis motus *ad & circa* partem ita affectam, re vera non ſolum *ſollicite* atque admodum *intente;* ſed etiam, quanto plus eſt *molis* atque *laboris*, re vera *trepide* exerceatur: imo ita fugitiue, vt rebus, quantumcunque valde difficilibus, vel penitus *a priori* intempeſtiue (in homine præſertim) *deſtituantur*, adeoque *liberæ corruptioni* locus ſimpliciter relinquatur. Cum ex aduerſo, vbi *conſtanter* influxus hic vitalis locum inueniat atque ſeruet, vt ſimplices tales *vlceroſæ* corruptiones, ſæpiſſime etiam in longiſſimum tempus, admirandum in modum intra exiguos *limites* coerceantur, ne vltra progredi valeant.

Anxii motus vnde & cur inſtituantur.

§. XI. Cæterum ſemper vtique ante oculos eſſe debet *prioritas* illa *ordinis*, qua *mixtio* antecedit *ſtructuram*, adeo, vt nihil in corpore vsquam *textum* ſeu *ſtructum* occurrat, quin particulas omnes minimas, e quibus inter ſe coniunctis conflatum eſt, præſupponat ita ſpecifice *mixtas*. Vnde vtique ſimplici atque iuſta *conſequentia* fluit, quod, ſi *ſigillatim omnia* corpuſcula, e quibus totum aliquod *ſtructum* eſt, intime diſſoluantur, eo ipſo etiam fatiſcere debeat *funditus* & vere *intime* atque *penitiſſime* tota *ſtructura*, atque hac ratione veluti radicitus *diuelli*. Vnde etiam eſt, quod ad *ſtructuræ* læſiones *immediatas*, ſimpliciter *qua tales*, parum periculi *vitæ directe* impendeat; quin illæ etiam & ſatis placide *tolerentur*, & ſatis promte *reſarciantur*. Ex aduerſo vero, quicquid ex ipſa *mixtione* labefactatur atque læditur, imo vero euertitur, illud ſtatim vel *ſollicitos & exquiſitos* vitalium motuum intenſiores occurſus poſt ſeſe trahit atque prouocat; vel ſi hi ceſſent, aut nimium tarde ſuperuenientes, aut ſatis penetrare impotes, quousque neceſſarium erat, non pertingant, *ruina* certa & *mors* illius partis inde ſequatur.

Mixtio antecedit ſtructuram.

Vnde læſiones ſtructuræ non tam periculoſæ quam mixtionis.

Structuram abſolute in ſua poteſtate habet natura, mixtionem vero diuiſam cum macrocoſmo.

§. XII. *Structuram* enim abſolute vtique in ſua poteſtate habet *natura; mixtionem* autem nequaquam, ſed diuiſam illam habet cum *macrocoſmicis* alterationibus *putrefactiuis*. Vnde ſimulatque ipſi ſuorum *propriorum* motuum *ſecretoriorum*, *excretoriorum*, & *ſuppletoriorum* (*quantitatis*) poteſtas libera intercipitur, tunc ſtatim liberum ius adipiſcitur *motuum macrocoſmicorum*, *caloris*, *aëris* & *humiditatis* *συζυγία*, ad illas res in corpore, reliquum adhuc *viuo*, eadem ratione atque energia alterandas, quam ſi ſimpliciter a reliquo *viuo* corpore ſeparatæ, aut in toto *mortuo* corpore, nempe omni VITALI INFLVXV priuatæ eſſent. Vt autem etiam huius rei aliqua, imo quantum ſatis eſt, notitia conſiderationi ſuppetat, commodum erit veluti *generalem* conſpectum illius ob oculos ſiſtere.

SECTIONIS I.

MEMBRVM III.

DE STRVCTVRA CORPORIS IN GENERE.

§. I.

Ad ſtructuram corporis requiritur tam ſelectus materiæ cuilibet parti conuenientis quam ſpecificus poſitus.

DIximus iam ſupra de *mixtione* animali, quod illa maxime *talis*, vti comparet, *neceſſaria* fuiſſe videatur, pro efformando tali corpore, quod non ſolum ſumme *flexile*, ſed inſuper etiam peculiari *tenacitate* inſtructum eſſe poſſet. Nunc de *ſtructura* ipſa notandum venit, quod vtique ad illam condigne præſtandam requiratur non ſolum *ſelectus materiæ*, cuilibet parti ita vti *ſpecialiter* decet, conuenientis, ita, vt ſua *propria* materia *oſſi*, *ligamento* ſua, *tendini*, *membranæ*, *carneis fibris* &c. adhibeatur: ſed etiam *poſitus* ille plane peculiaris atque ſpecificus maxime in conſiderationem venire debeat, e quo eiusmodi ſpecifica *figura*, qualis cuilibet parti debetur, inde *conſletur* atque *coaleſcat*.

Conſideratur autem hic conformatio non tam externa quam interna.

§. II. In qua quidem re non tam conſideranda venit conformatio illa ſecundum *exteriorem* ambitum, *ſuperficialis* veluti, & omnino quolibet intuitu craſſa: quam *intima* potius, ſecundum *fibrillas*, *meatus*, *porulos*, etiam ipſum ſenſum ſubterfugientes; *ordinem* in-

interim exquiſitiſſimum omni modo habentes, & neceſſitate quidem vera *talem*, vti vulgo loquuntur, poſtulantes.

Anima ſeu ens ſtruens intellectum mixtionis habere debet.

§. III. Quamuis autem *medici* noſtri fori non ſit, in hac re prolixe occupari, *an* vtique *illa cauſſa*, illud inquam ENS ACTIVVM, quod *ſtructuram* ita exquiſite *ordinat*, & re vera *conſtruit*, etiam ipſam *mixtionem* inſtituere ſeu inſtruere cenſeri poſſit: eſt tamen illud omnino verum, & ſanæ rationi penitus conforme, quod talem *mixtionis* ipſius etiam *intellectum* habeat, vt nulli parti *alias*, quam quæ illius debitæ ſeu *deſtinatæ indoli* quadrant, mixtas particulas *applicet*.

Mixtio vegetabilium pinguis.

§. IV. Enim vero adhuc maioris conſiderationis, quam vulgo ſpeculantium in mentem venit, eſſe merito deberet illa, in *vegetabilium* cenſu ſolennis, *mixtionis* non ſolum præſtatio, ſed *promta* omnino & *breuiſſimo* tempore largiter ſuccedens. Dum videlicet in his *vegetabilibus* ſub ipſo CONSTRVCTIONIS illorum actu ſimul *per ſingulas ſpecies* talis *mixtio* adornatur, qualis in toto reliquo mundo nusquam occurrit. Dico, non ſolum tanta *quantitate* nusquam alias occurrit: ſed re vera *tota ſpecie*, & ipſa adeo *qualitate*. Eſt nempe hæc *mixtio pinguis*; quam illud maxime *principium*, quod vegetabilia *conſtruit*, ſiue *componere*, ſiue *colligere* alibi docere ſoleo. Neque hoc quidem *parce* aut parua quantitate, ſed *largiter* prorſus, atque *promte* inſuper, *multum*, inquam, *paruo tempore*.

Per aërem nutrimentum obtinet.

§. V. Et quidem non tam e *terra*; quandoquidem *pinguisſima* vegetabilia, *pinus*, *abietes*, *picea*, non ſolum *ſicciſſimas arenas* incolunt, ſed inſuper etiam *radicibus* nequaquam in *profundum* demiſſis, ſed *ſummo ſolo* incumbentibus. Vnde vero ſimilius eſt ex ipſo *aere* principium *pinguedinis* aſſumere; inprimis *ſolaribus radiis concalefacto*. Vnde etiam, quando talia vegetabilia in multa *vmbra*, & inſuper ſub pauciſſimo *aeris* aditu ſuccreſcunt, luxuriant quidem *incremento*, ſed *euanido*: & inprimis *pingui* illa ſua craſi, ſi non plane, tamen plurimum, deſtituto &c. quæ cum directe huius loci non ſint, non conſultum eſt latius deducere; interim in noſtros vſus allegaſſe, non inconueniens fuerit.

Mixtio hæc pinguis ab agente ſtruente inſtruitur.

§. VI. Nimirum, cum nusquam, nec in *aere*, nec in *terra*, indicari poſſint veſtigia talium iam actu *pinguium mixtarum* particularum, quæ hinc *ſimpliciter tranſſumantur* fortaſſis in craſin *vegetabilium*: probabilius certe eſt, *mixtionem ipſam* potius inſtrui ab illo AGENTE STRVENTE, quod vtique *materiam* ſuæ ſtructuræ aptam habere, aut niſi habeat, parare ſibi, neceſſe eſt.

§. VII.

Specialiſſimæ mixtionum determinationes panſpermiæ aereæ non poſſunt adſcribi.

§. VII. Iam, ſi iuxta hanc conſiderationem ſpectetur illa *tot mille ſpecierum* vegetabilium, *odoris* atque *ſaporis*, etiam ad craſſum ſenſum manifeſta *diuerſitas*, quæ inprimis ab hoc *pingui* principio, quantumlibet cum ſalibus concurrente, originem ſuam trahit; imo etiam in *animalium* ſingulis *ſpeciebus* non ſolum, ſed prorſus in *indiuiduis* ſeſe exſerit, dum, v. gr. *canes* ſuos *heros odore* perueſtigare videmus, *pullos*, (v. gr. *agnos*,) e maximis gregibus & agnoſcere matres ſuas, & ab his dignoſci ab aliis: talis certe ſpecialiſſimas *mixtionum* determinationes ſimpliciter decantatæ illi *πανσπερμία aereæ* adſcribere, e qua tales materiæ, iam ita *formaliter* præſentes ſaltem adſumi poſſint, licet in ſe etiam veluti craſſum quiddam, & hinc conceptu difficile ſit; reddit tamen difficilius illa conſideratio, quo nomine, qua de cauſſa, quo intuitu, quo inſtinctu ita quodlibet huiusmodi corpus talem *ſpecie propriam*, & ab aliis plane diuerſam portionem *adſumat* aut accipiat ſeu quocquo tandem modo adipiſcatur.

Subeſt potius electiua & arbitraria congregatio & mixtio corpuſculorum.

§. VIII. Quamuis enim vndique difficile ſit conceptu hoc negotium, certe tamen aliquanto minus difficile apparere poteſt, quod *electiua* aliqua & velut *arbitraria* ſiue *congregatio*, & præ aliis diuerſis, *aſſumtio*, ſiue plane eiusmodi adornanda *noua mixtio* ſeu *compoſitio* ſubſit; quam quod iſta talia *talis vere ſpecialiſſimæ mixtionis* corpuſcula non ſolum tali *ſpecialisſima ſpecie* in ſingula indiuidua *irruant*: ſed & inſuper eo ſpecialiſſimo *ordine*, *numero*, imo *ſitu*, in tota *ſtructura*, quo ibi præſto eſſe poſt hac ſentiuntur.

Fictio pororum ſyſtemati plantæ inſculptorum exemplo phantaſiæ maternæ refutatur.

§. IX. Cui intentioni vti minime quadrat fictio illa de *poris*, toti ſyſtemati plantæ non ſolum in *inuiſibili* ſed etiam in *incredibili paruitate* iam formatæ inſculptis, quorum exactiſſimæ imo abſolutiſſimæ proportioni illa adſumenda corpuſcula ita ſpecialiſſime quadrando, effectum illum innexionis ſubeant: ita diſturbat vniuerſum illud *commentum* notiſſimum illud *in animalibus*, ante omnia autem in *homine*, exemplum, quod *ſtructura* e *friuola pathetica* matris *phantaſia* ita promte *aliter* inſtruatur; & quidem non ſolum *alieno* more, quam illi ſpeciei toti quadret, ſed etiam ſpecialiſſime *tali*, qualis in *materna intentione* ſeu *imaginatione* eo tempore viguit.

Præter ſelectum particularum conſiderandus etiam eſt numerus & ſitus earum.

§. X. Quemadmodum autem hic iuſtæ *mixtionis* in genere, & ſingularum debite *mixtarum* particularum in *ſpecie*, & quidem *ſpecialisſima*, *ſelectus*, ad quamlibet *partem minimam* æque atque *maximam*, iuſtiſſimæ conſiderationis eſt; vndecunque tandem ſupponatur *materia* proficiſci, quæ ita *conſtruitur*: ita tanto ſolenniorem vtique

que meretur talem conſiderationem NVMERVS, qui apponitur, & SITVS, quo appoſitio illa contingit. *Numerum* quod concernit, certiſſimum eſt, quod *appoſitio* illa corpuſculorum ad *ſtruem* cuiuslibet partis formandam fiat per *minima*, ab *vno* tenerrimo corpuſculo ad *alterum*. Quod inprimis dilucescit ex *incremento* ſingularum partium, ad *vniuerſum* omnium *ſyſtema* ita exquiſite *proportionato*, vt etiam *ſingularum* tam inter ſe mutuo, quam *ad omnes & ſingulas* reliquas, *exacta magnitudo* ſeruetur. *Situm* autem conſiderare vtique conuenit cuilibet parti eiusque *figuræ proprium*: vt nempe ſingularum partium conſtituentes particulæ *de puncto ad punctum* ita collocentur, vt non ſolum *vltima* eius magnitudo, *ambitus*, & tandem ſub illo debita *figura* reſultet; ſed etiam mox ab initiis, ſub quantalibet propemodum magnitudine, *figura* illa ſemper & conſtanter ita præſtetur atque conſeruetur, quemadmodum tandem, abſoluto ipſo *vltimæ magnitudinis* termino, *perſiſtere* atque perennare debet.

§. XI. Longe exactior autem eſt illa *ſocii ſitus*, adeoque *ſingularum* particularum *poſitus*, exactiſſima proportio. Quæ partim quidem in modo dicta illa *ſingularum ad vniuerſas* ſemper atque iugiter proportionata magnitudine conſiſtit: longe ſpecialiſſime vero, & ἀκρίβεια omnium exquiſitiſſima, in collocatione illa vltimæ ſingularitatis, quæ *dextri & ſiniſtri* reſpectum abſoluit. Quas certe ſingulas & vniuerſas res tanquam ex vna olla coquere, & *generaliſſimis* quibusdam craſſis cauſſis aſſignare, vel mediocris prudentia atque attentio diſſuaſerit. Præſertim ſingularis conſiderationis eſt collocatio dextri & ſiniſtri.

§. XII. Neque vero hæc ſolum attentiorem conſiderationem & poſtulant re vera & occupant: ſed venit illis accenſenda illa ſpecialiſſima ſtructuræ *proportio*, quam habent ad ORGANICOS ſuos vſus debite præſtandos. Quemadmodum enim certum eſt, quod *inſtrumentum*, niſi ad *mechanicos* ſui vſus rectiſſime *conformatum*, inutile ſit, & nomine ſuo indignum: ita tanto maioris atque dignioris omni modo conſiderationis eſt hic actus, quo *inſtrumenta* hæc ita affabre efformantur, & ad VSVS illos ſuos ſpecialiſſimos aptantur, vt certe nihil quidquam ibi, ſiue in *numero* ſiue in *ſitu* materiarum ita poſitarum, aliter, quam *exquiſitiſſime* factum eſſe ſuſpicari liceat. Adeo, vt certe ex omnibus hiſce circumſtantiis nihil aliud colligere ſit integrum, niſi quod etiam *ſtructura* hæc eximio & penitus peculiari quodam *arbitrio* regatur atque geratur. Specialiſſima ſtructuræ proportio ad organicos vſus.

Hæ circumſtantiæ arguunt, quod anima hos actus intelligat, regat & exſequatur.

§. XIII. Quibus rebus cum accedat ſupra citata illa iuſtiſſima conſideratio, quod AGENS illud, quod *organis* his ad ſuas *ſpecificas operationes* vti conſueuit, ſecundum omnem rationi conformem veriſimilitudinem, γνῶσιν vtique aliquam habere debeat, *proportionis* illorum *mechanicæ ad* ſuſcipiendos actus ſeu *motus*, *finibus* eiusmodi idoneos: arbitror inde eiusmodi collectas atque connexas circumſtantias ſatis idoneum argumentum, ſeu potius argumentorum *ſyſtema* ſuppeditare poſſe, quo firmiter inferre liceat, quod ipſa ANIMA ſit illud principium *actiuum*, quod omnia atque ſingula hæc actionum momenta *intelligat*, *regat*, imo totam actionem *gerat*, & ad optatum finem *exſequatur*. Reliqua ſpecialius huc pertinentia ſub ſpecialiore deſcriptione NVTRITIONIS magis enucleabimus.

SECTIONIS I.

MEMBRVM IV.

DE ORGANISMO VITALIS CONSERVATIONIS.

§. I.

Motus progreſſiuus ſeu circulatio ſanguinis.

PRogredior ad commemorandum verum atque varium illum modum, quo negotium vitale INSTRVMENTALI ratione abſoluitur. Conſiſtit hic in *tribus* ſupremis MOTVVM apparatibus, quorum ſinguli iterum proprium veluti ſyſtema diuerſarum operationum conſtituunt. *Primus* horum eſt vniuerſalis ille perpetuus progreſſus atque *circuitus maſſæ humorum vniuerſalis*, quæ craſſiore acceptione *ſanguis* appellatur, & inde hic ipſe etiam, de quo loquor motus, CIRCVLATIO SANGVINIS.

Veteribus ignotus; a recentioribus quidem inuentus, ſed non ſatis digne conſideratus & adplicatus.

§. II. Verum omnino eſt atque certiſſimum, quod tota *antiquitas* defectu debitæ cognitionis huius motus abſolute non potuerit ad veriorem ſiue *phyſiologiæ* ſiue *pathologiæ* theoriam, ſiue *hiſtoriam* inquam ſiue *ætiologiam*, peruenire. Sed eiusdem etiam prorſus euidentiſſimæ veritatis eſt, quod etiam *recentior* ætas, quantumlibet inuentionis bona fortuna felicior videri potuiſſet, tamen *vſu* atque legitima *penſitatione* eiusdem nullam prærogatiuam aſſecuta ſit: adeo certe, vt ſi hic aliqua comparatio inſtituenda veniat, peius profecto meriti iudicandi

candi ſint *recentiores*, quod inuentum illud ſuum non melius *intellexerint*, adeoque *explicuerint* & *applicuerint*, quam *veteres*, quibus rei in totum ignotæ vlterior neglectus imputari minime poteſt. Re vera vero *fortuito* magis oblatum eſſe *recentioribus* hoc phœnomenon *motus ſanguinis progreſſiui*, quam vlla rationali penſitatione *veſtigatum*, ſatis monſtrat hæc etiam a poſteriori ita neglecta *vlterior conſideratio & applicatio* huius inuenti.

§. III. De qua tamen re, priusquam plura dicamus, conuenientius erit, ipſam eius *hiſtoriam* præmittere. Credebant *veteres*, quod ſanguis in vaſibus ſuis ita incluſus hæreat, vt ſolum *ſtagnantium* aquarum inſtar, ſimplicis *fluiditatis* motu gaudeat: nullum autem *progreſſum* ſolennem & conſtantem quaqua verſum exerceat: niſi quatenus ab *anima* pro neceſſitudinibus partium corporis huc illuc *motus* eius ita largius *dirigatur*, prout res poſtulare videantur. Quo nempe caſu, miniſterio *ſpirituum vitalium animam* has ſpeciales *directiones*, ſiue vt illi loquebantur, *miſſiones* perpetrari poſſe ſtatuebant. In qua opinione illos maxime confirmauit obſeruatio illa longe notiſſima, quod ingens *affluxus* ſanguinis ad partes, externa aliqua ſenſibili inſigni *irritatione* laceſſitas, adeo promte atque potenter euenire obſeruetur: vt a *ſpinis infixis*, *vulneribus* inprimis *ſenſibiliter* exſtimulatis, *contuſionibus* cum grauiore *doloris ſenſu* inflictis, *ambuſtionibus*, imo ſimplicibus mediocribus *ſanguinis ſtaſibus*. Vnde etiam alteram quandam difficultatem ſoluerent, quomodo videlicet ſanguis, quem ſenſim fatiſcere atque *conſumi* prudentiores omnes conſentiebant, nutrimento *reſtitueretur*, & quomodo hoc in vaſa perueniret, *attractionem* ſiue *ſuctionem* ſuppoſuerunt, qua ipſa vaſa neceſſarios nutritios humores *ſugant* atque *attrahant*. Quemadmodum autem *miſſiones* ante dictas, ita etiam inteſtinam ipſam *conſiſtentiam* debitam ſanguinis, eiusque inprimis *conſeruationem*, tam *fluiditatem* inquam, quam reliquam *craſin*, *ſpiritibus vitalibus* aſſignauerunt: ita etiam *ſecretiones* & *excretiones ſuperfluorum*, *emeritorum*, *alienorum*, his iisdem ſequeſtris tribuere ſatis habuerunt.

> Veterum opinio de ſanguinis motu.
>
> Directiones ſeu miſſiones ſanguinis.
>
> Attractio ſeu ſuctio eius.
>
> Spiritibus vitalibus hæc aſſignarunt.

§. IV. Aliam autem harum rerum faciem conſpicere ſibi viſi ſunt *recentiores*, quando videlicet *progreſſum* potius perpetuum ſanguinis e corde ad vaſa, & per hæc iterum ad cor deprehendere contigit. Perſpiciebant autem hoc manifeſtiſſime e *duobus* præcipuis phœnomenis; vno in *viuo* corpore, altero etiam in *mortuo*. Prius nempe illud eſt ipſa experientia per *ligationem* vaſorum in corporibus *viuis*, viuido ſan-

> Recentiores progreſſum ſeu circulum ſanguinis deprehenderunt e duobus phœnomenis;

ſanguinis motu adhuc inſtructis. In talibus enim, dum pulſus cordis adhuc recte viget atque fit, *ligatæ arteriæ* intumeſcunt inter cor & illam ſui ligaturam; detumeſcunt vero ab illa ligatura verſus extremitates ſuarum ramificationum, & conſequenter ipſarum etiam partium. Adeoque teſtatum reddunt hoc ipſo, quod ſanguis *per illas* moueatur *a corde extrorſum* verſus partes. Ex aduerſo *venis* ita ligatis comparuit, quomodo illarum plenitudo detumeſcat *inter* ligaturam atque cor; turgeſcat autem, & impleatur ab extremitatibus illarum *verſus ipſam* ligaturam: luculento indicio, quod ſanguis *per venas a partibus verſus cor* refluat. Alterum euidens huius motus documentum in toto corpore exhibuerunt comparentes tam in *minoribus* quibusdam vaſorum ramis, quam inprimis in ipſo *corde*, in *ampliſſimorum* illorum vaſorum ipſis *oſtiis* reperiundæ, ab vſu ſuo ita dictæ VALVVLAE. Quæ in *arteriis* quidem planiſſimum & procliuem aditum concedunt ſanguini *e corde in arterias*; *relapſum* autem eius ex arteriis in cordis cauitates ſimpliciter intercipiunt & *occludunt*. In *venis* autem contrario ſitu & effectu introitum ſanguinis *in cordis* cauitates equidem facile permittunt; *recurſui* autem eius e corde in easdem *venas* obicem ponunt. Imo in *venis* paſſim tales inueniuntur *valuulæ*, circa diuaricationes inprimis ramorum, quibus *relapſus* ſanguinis e *maioribus verſus minores* manifeſto mechanismo intercipiatur, imo cohibeatur. Quid, quod etiam ipſa ratio dictare poſſit, cum *cor* ſingulis diaſtolis aliquid ſanguinis in ventriculis ſuis exhibeat, quod ſinguli ſubſequentibus *ſyſtolis* inde exprimitur; alium proinde ſubeſſe debere huiusmodi *motus* ſucceſſum atque *progreſſum* quam nudum *illapſum & relapſum*, veriſimiliter non niſi *vnius eiusdemque* ſemper portionis.

1. Litigatione arteriarum & venarum.

2. Valuulis vaſorum.

Cur hic motus audiat progreſſiuus & circularis.

§. V. Hunc *motum* ſanguinis recentiores proinde omni iure appellauerunt non ſolum *progreſſiuum*; ſed etiam *circularem*. *Progreſſiuum* quidem, ad diſtinctionem *inteſtini*, tam *fluiditatis*, quam *caloris*: *circularem* autem, circulo *phyſico* & morali etiam interpretatione; dum quicquid ab vno termino egreditur, longius progreditur, & tamen ad illum eundem terminum, a quo proceſſit, regreditur ſeu reuertitur, *circumire* ſeu in *circulum* ire dicitur.

SECTI-

SECTIONIS I.
MEMBRI IV.
ARTICVLVS I.
DE
CIRCVITV HVMORVM CVM SANGVINE.

§. I.

Specialior huius rei, motus inquam huius *progreſſiui*, indoles vt recte innoteſcat, conſiderari meretur *primo* tum illa *humorum maſſa*, quæ hac circulatione ita *circumagitur*; tum *conditiones*, quas ad hunc circuitum afferre debet; tum *effectus*, quos ab hoc motu referre *poteſt*, *ſolet*, imo *debet*. *Secundo*, habitus *inſtrumentorum*, per quæ hic *motus* euidenter *impellitur*; *locorum ad & per* quæ compellitur atque *transpellitur*; & horum etiam *conſpiratio organica* & motoria. *Vltimo* tandem *loco* verus, tam a poſteriori euidens, quam a priori loco neceſſarius *vſus & effectus*, tam in *craſin* horum humorum ſingulatim, quam ad negotium *vitale* totum vniuerſim.

Specialior indoles motus progreſſiui tria conſideranda offert.

§. II. Quod itaque *primum* concernit, *ſanguis* ille, qui ita *circulari* dicitur, vt inde nomen *circulationis ſanguinis* ſolenne formatum ſit, eſt *maſſa* quædam *heterogenea*, e *tribus* inprimis generibus *fluorum* conſtans. Nempe primo SANGVINE, ſtrictiſſime dicto, ſubſtantia quadam *rubicunda*, *in ſe*, & extra aliorum *liquidorum* conſortium, ad *ſiccitatem* aptiſſima: adeo, vt etiam in hac reliquorum fluorum maſſa aliter ſe non habeat, quam *ſubtiliſſimus veluti puluis*, per craſin *ſubmucidam* in liquoribus leuiter *exturgeſcens*; vnde etiam per *microſcopium* bonum inſpectus vulgo dictus ſanguis repræſentat liquorem diaphanum, cum innatantibus *globulis rubicundis*, qui nempe ſunt *corpuſcula* illa ſtricte dicta *ſanguinea*.

Maſſa humorum ex tribus liquoribus conſtat 1) ſanguine ſtricte dicto.

§. III. *Secundum* genus liquaminis, hanc maſſam conſtituens, eſt LYMPHA vtilis, *nutritia*. Liquamen videlicet teneriter *gelatinoſum*, farraginem eiusmodi corpuſculorum continens, quæ ad *mixtionem* ſingulis partibus proportionatam *libero*, & nondum varie *connexo*, ſeu iam firmiter *mixto* ſtatu, præſto ſunt. Hæc *lympha* ſicuti magis immediate e *chylo* naſci apparet, ita fluit etiam ipſe *chylus*, priusquam in hanc *lympham* reſoluatur, tantiſper cum hac vniuerſa

2) Lympha nutritia.

 humi-

humida colluuie, donec ſenſim & ſucceſſiue in dictam *lympham* abeat atque reſoluatur.

3) Sero excrementitio.

§. IV. *Tertius* liquor, qui maſſam hanc, vti vocant, humorum (*maſſam ſanguinis* vulgo dictam) conſtituit, eſt SERVM. Eſt autem *ſerum* noua quædam colluuies humorum, a conſtante *vſu*, aut vero materiali *concurſu*, ſiue vt loquuntur *ingreſſu* ad conſtituendum ipſum *corpus*, aut *partes* eius, aut *ſanguinem* vel *lympham*, *inutilium*: ſed potius ad *grauandum* corpus, & varias *corruptiones* tam *ſubeundas*, quam *diffundendas*, idoneorum. Vnde hoc *ſerum*, quatenus tota eius temperies *inutilis* potius, imo *periculoſa* ſenſim ſenſimque eſt corpori, *excrementitium* merito vocatur. Quandoquidem re vera potius *excretionem* reſpicit, exſpectat atque ſubit, quam *retentionem*, ne dum vlteriorem aliquem *vſum* in corpore. Hoc *ſerum* ortum ſuum ducit bonam quidem partem e rebus per os aſſumtis; non exiguam tamen partem ex ipſo *ſanguine*, e ſua *mixtione* ſenſim iterum *reſoluto* ſeu *fatiſcente*. Conſtat autem e copioſa *aquoſitate*, corpuſculis paucioribus forte, ſed tamen agiliſſimis *orgaſticis halituoſis*, *fermenteſcentibus*, *ſalinis*, *mucilaginoſis*, & tandem *oleaginoſis*. Horum ſingulorum in hac *ſeroſa* colluuie, propemodum ſecundum modo allegatum *ordinem*, maior maiorque eſt *proportio*: præcipua tamen *aquoſitatis*.

Hæ partes maſſæ ſanguineæ ſpontaneis ſeceſſionibus aut exſiccatione & euaporatione ſe manifeſtant.

§. V. Hæc eſt illa *confuſanea vniuerſalis maſſa* humorum, quæ perpetua quidem *interagitatione* velut vnum *crama* conſtituit atque repræſentat: interim etiam ſpontaneo leuiſſimo *ſeceſſu* varie ſeſe manifeſtat, & in ſenſus incurrit. Ita enim v. gr. vel ſponte e *ſanguine* alicunde exſtillante, vel quomodocunque e corpore emiſſo, ſtatim atque promte ſecedit *humiditas* illa *ſeroſa* præcipue; quæ proinde maiori quantitati *ſupernatat*: e minore autem, vt *guttis* ſingulis, in *linteum* denſius, aut *chartam bibulam* paulo ſpiſſiorem, ſeſe longe lateque circumcirca inſinuat: ſeorſim relicta *ſpiſſiore* portione, partim ſtricte *rubicunda*, partim *gelatinoſa*. Sicut etiam, quando iam omne illud, quod ita repentina ſpontanea ſeceſſione reliquam maſſam deſerit, ſeparatum eſt, ſi tunc illud *gelatinoſo-rubicundum*, quod ſupereſt, ſiue leniſſimo calore exſiccetur, ſiue auctiore paulo, per euaporationem, aut deſtillationem, ad *ſiccitatem* redigatur: remanet denique valde exigua pars de priſtino vniuerſo pondere atque menſura; vix *nona* aut *decima*; dum interim reliquum totum in *aquoſitatem* ſimpliciorem, *halituoſa* forma ita euaporantem, diſcedit.

§. VI.

§. VI. Hæc *confuſanea fluida maſſa* eſt illud, quod vulgo *maſſæ ſanguineæ* nomine venit, & ſimul ita in *circulum mouetur*, vt e corde in vniuerſum corpus, & ex omni corpore iterum ad cor perpetuus *circuitus* celebretur. Valet autem præcipue huius talis miſcelæ quaſi largiſſima proportio in ſanguine *arterioſo* magis, quam *venoſo*; inprimis autem *venoſo* ab *internis* viſceribus refluo; maxime omnium autem a viſceribus *abdominis*. *Secedit* enim tum hinc inde in partibus, tum inprimis in illis viſceribus aliquid *lymphæ*, quod cum *arterioſo* ſanguine copioſius remixtum fuerat, & propria receptacula, adeoque diuerſa via a ſanguine *venoſo* reliquo, propius ad *cor* reuehitur. Interim minime adeo ingens eſt hæc ſeceſſio, quin etiam adhuc in *venoſo* ſanguine notabilis eius quantitas remaneat.

Miſcela hæc largiore proportione in arteriis quam in venis obſeruatur.

Secedit enim aliquid lymphæ a ſanguine venoſo.

§. VII. *Sanguinis ſtricte* dicti craſis comprehendit in *mixtione* ſua multum *oleagineæ*, quam vulgo *ſulphuream* vocant, ſubſtantiæ: imo *plus* quam omnes aliæ in corpore partes, excepta nuda ſincera *pinguedine*. Specialiſſimum *vſum*, adeoque ſpecialiſſimam quoque *cauſſam* talis mixtionis exquiſite aſſequi non datur, niſi quod *duplex* veriſimilis ratio appareat; nempe *primo*, peculiaris ab hac craſi diſpoſitio ſanguinis ad concipiendum *calorem*: *ſecundo*, peculiaris tum quatenus ita *ſulphurei*, tum quatenus etiam *calidi* effectus, ad operandum atque conſeruandum, vt conſiſtentia partium corporis mollium fiat atque maneat *tenax*, & a nimia *humiditatis* emolliente efficacia immunis ac aliena: cui cæteroquin admodum expoſita appareret.

Sanguinis ſtricte dicti craſis, eiusque vſus atque cauſſa.

§. VIII. Quamlibet autem etiam exquiſite demonſtratiua ratio reddi non poſſit, quomodo *ſanguis*, ſiue ex hac ſua *craſi*, ſiue ex ſuo *motu*, tam inſignem *actualem calorem* concipere poſſit; probabile tamen ſatis eſt, quod materia, quæ etiam *ſummi caloris*, *flammei* inquam *motus*, capax eſt, (imo in omnibus ad *calorem* directe concipiendum aptis materiis & præſto eſt, & præcipuum magis immediatum *caloris* illius *ſubiectum* conſtituit) illa inquam *materia* etiam hoc loco idem præſtet; nempe *ſulphurea* dicta.

Vnde ſanguis tam inſignem calorem habeat.

§. IX. Quod autem *motu* inprimis *incaleſcat* ſanguis, notum eſt *experimentis* omni plebi familiariſſimis; dum nempe per fortes *agitationes* partium corporis & hoc, & vniuerſus *ſanguis*, proportionate, citius atque fortius, incaleſcit. Imo vero etiam *quietis* reliquis corporis partibus, quando per *pulſum* multo vehementius agitatum ſanguis fortius circumpellitur, indiuiſus comes incedit *incrementum* etiam *caloris* proportionatum.

Quando ſanguis motu incaleſcat.

§. X.

Reſpirationis efficacia circa hanc calorem.

§. X. Nota eſt veterum de hac re ſententia, quamlibet illa quoque paſſim varie perplexa. Nempe non *calorem innatum*, ſed *calidum* innatum arguebant. *Subſtantiam* inquam peculiarem *phyſicam*, quæ communi tam in corpus vniuerſum, quam in ſanguinem efficacia *calorem* in his excitet, imo vero potius *conſtituat*, & ſui perpetua *admixtione*, *interceſſione*, imo *interagitatione* tam *fluiditatem* atque tenuitatem debitam ipſi adeo ſanguini quoque, quam *calorem* conuenientem conciliet. Huius proinde maxime *calidi* diuerſæ *quantitati* atque *influxui* diuerſo tribuerunt diuerſam *caloris*, in variis & propemodum ſingulis corporis partibus, *temperiem*, eiusque *gradum*. Cæterum, ſi cui otium eſt, patientia, & inſuper ſufficiens ἀκρίβεια, *metaphyſicos* conceptus atque reſpectus argute penſitandi: ille apud *Caſp. Hoffmannum* proprio tractatu de *calido innato & ſpiritibus* inſpicere poteſt, quot viri, ad illorum temporum rationem etiam docti, quot modis impingere potuerint in perplexa hac præfiguratione concipienda, ſeu ad præſcriptum effingenda. Ipſe vero *Caſp. Hoffmannus* ex hoc *calido innato* proprie conficit *ſpiritus*; quod tamen ſi eſſe debuerit, cui bono tot perplexæ & ſuperuacuæ appellationes, & per illas paſſim etiam realium, vel quaſi, conceptuum ſuperfluæ multiplicationes?

Calidum innatum veterum.

§. XI. Sed de his poſt videbimus. Hoc loco autem ſiſtenda eſt mea a reliqua medica ſchola, iuſta tamen, vti puto, diſſenſio, de *efficacia* circa hunc *calorem reſpirationis*. Antiqua ſchola conſtanter, a qua tamen minime receſſit etiam recentior, ſanguinem ita *poſitiue & eſſentialiter calidum* ſtatuit, vt ipſi etiam opus ſit moderamine aliquo, ſeu *refrigeratione*. *Calorem* hunc inprimis in *corde* ipſi imprimi omnes conſentiunt; plerique a *ſpiritibus vitalibus*, quorum officina ſit *cor*, deducentes. *Williſius* autem, ineptiis hic indulgens, etiam ſine omni æquiuocatione veram *ardentem flammulam* in corde conſtituit, quæ non tam *calefaciat* ſanguinem, qam veras ſine omni tropo *ſcintillas candentes* ſanguini immiſceat &c. Sanguinem ita & impetu maximo & gradu nimio *feruefactum refrigerandum* cenſent quadantenus, ne partes violet; imo etiam neſcio quas *fuligines* ab illo ſeparandas, & in liberum aërem emittendas. Huic vſui ſeruire volunt *reſpirationem*, nempe *frigidioris aeris* attractionem.

Flammula cordis.

§. XII.

§. XII. Mihi vero plane contrarium viſum eſt verius, nempe quod ſanguis *in pulmonibus* magis, quam vllis aliis corporis locis atque partibus, *concaleſiat.* Probo hoc diuerſis, tam a priori quam poſteriori, argumentis. *Primo* enim *rigidiore tranſitu* per partes, voluntario *motu* non ſolum magis *tenſas* ſed etiam *agitatas*, ſolito fortius atque citius pulſatus ſanguis ſolito magis *incaleſcit.* Aſt vero *pulmonum* motus reſpiratorius tam fortis ſine dubio eſt, quam nullius alterius partis in corpore: nempe facile tantus, quam alias plurium muſculorum conniſu ad *centenarium* eleuandum requiratur. Præterea impetus *pulſus* cordis, quantumlibet e laxiore *dextro ventriculo*, tamen ſi breuitas viæ conſideretur, non ſolum nihil cedit energiæ *ſiniſtri*, tam *longe* & inprimis *late* vim ſuam diffundentis. Vnde euidens eſt, quod actionum vndique parium etiam pares ſint effectus. Et inde etiam *ſecundo* a poſteriori notiſſima eſſe poteſt attendentibus illa vtique experientia, quod e profunda atque tenſa *reſpiratione ſermocinantibus*, *cantantibus*, diu multumque *clamantibus*, quieto etiam reliquo corpore, nihilo minus inſignis, & plane euidens *concalefactio* eueniat. Hoc intuitu, non per petitionem principii ſed per veriorem demonſtrandi vim, vtor phænomeno illo, tanquam argumento imo documento meæ aſſertionis, nempe: quod *quæcunque animalia reſpirant*, *calidum ſanguinem habeant.* Vbi non ſatisfacit *conuerſio* illa; quod quæcunque habent calidum ſanguinem, reſpirent (nempe *refrigerandi* ergo.)

Sanguis reſpiratione magis caleſit, quam refrigeratur. Probatur argumentis.

Phœnomeno in animalibus reſpirantibus.

§. XIII. Neque hic ſatisfaciunt exempla producta, *febrium*, aut ſanguinis a *curſu*, aut præcipitibus *motibus laborioſis* concalefacti, quibus citatior & frequentior *reſpiratio* ſemper comes incedat; adeoque cum ſanguini *aliunde calefacto* adhibeatur, potius huius *refrigerationi* inſeruire debeat: cum nempe alias *concalefactum* etiam adhuc magis concalefaceret. Sed ante oculos hic eſſe poteſt diuerſitas illarum circumſtantiarum, quæ *circulationem* ſanguinis reſpiciunt; & quæ *concalefactionem* eius concernunt. Quando reliqui totius ſanguinis *circulatio* fortius impellitur, tunc vtique *tranſitus eius per pulmones* etiam proportionate *augeri* debet, cum hic ſit veluti *fons* & *ſcaturigo* totius reliqui circuitus. Cum vero tranſitus hic per pulmones non poſſit fieri, niſi ſub horum ſufficiente *expanſione;* hæc autem *reſpirationis* actu vnice abſoluatur: neceſſe proinde vtique eſt, vt vbi vniuerſa reliqua *circulatio intenditur*, adeoque per pulmones etiam intendenda venit, *reſpiratio* augeatur.

Exempla citatioris reſpirationis a ſanguine concalefacto.

Augmentum reſpirationis frequentiam quidem ſed non vehementiam infert.

§. XIV. Vt autem rei tanto melius & euidentius ſatisfiat, conſiderandum vtique eſt, quod illud *augmentum* reſpirationis, quod in huiusmodi caſibus contingit, *frequentiam* quidem inferat, ſed non parem *vehementiam*. Cum enim *incaleſcentia* ſanguinis etiam in vniuerſo reliquo corpore non quolibet *exiguo* ſanguinis motu nitatur, ſed *fortioribus* & impetuoſioribus: quibus nempe partes *rigide tenſæ*, & velocius etiam preſſæ, ſanguinem non modo fortius impellant in poros aliarum, ſed etiam in his rigidius tenſis eundem fortius *allidendo*, & *affricando*, illum *inteſtinum caloris motum* auctiorem ipſi concilient. Quod idem etiam ita & non aliter de *pulmonibus* valet; vt tunc demum eo magis per illos *incaleſcat* ſanguis, quando *profundius* adeoque *fortius* inflati, & hoc tali modo ſæpius & velocius agitati, ſanguinem *fortius* percellunt. Dilucescit ibi facile in allegatis exemplis, *febrium* inprimis, quam etiam adhuc poſt *curſum*, *citatioris reſpirationis*, quod vtraque *frequens* quidem ſit, ſed *breuis* etiam, non *profunda*: adeoque dum pulmones non admodum in amplum, adeoque *rigidius*, tendit; neque tam inſigniter iuuandæ *transpulſioni*, quam ſolum pandendo *tranſitui*, pulmones mediocriter extendit. Apparet inquam ita, quod hac ratione, & ſub talibus conditionibus, *circulationi* ſanguinis quidem augendæ ſatisfaciat: peculiari autem reliquo *calefactionis* fortiori impulſui non quadret; adeoque augmentum ſenſibile *concalefactionis* ſanguini non conciliet: ſed vix tranſcendat ordinarium ſui effectus gradum. Dum nempe, quantum *frequentia* augeſcit, reliquo impetu & *energia* deficit: in qua tamen proprie, per *rigidiorem* motum, præcipua hæc *calefaciendi* energia conſiſtit.

Circumſtantiæ quædam.

1. Sanguis non irruit ſed impellitur in ventriculos.

2. Sanguis venæ pulmonalis floridior vnde.

3. Spumeſcentia ſanguinis vnde

4. Num aër ingrediatur ſanguinem.

§. XV. Superſunt pauca quædam, quamuis reuera ſimpliciter *phyſica* potius quam *medica*, circa ſanguinis motum per cor & pulmones, quæ proinde breuiter commemoraſſe ſufficiet. Non *irruit* ſanguis in ventriculos cordis, ſed *menſura* certa in illos *impellitur*. Recepta nempe primo ab *auriculis* & ex illis hinc in cor refuſa. In *vena pulmonali*, qua ad *ſiniſtrum* cordis ventriculum defertur ſanguis, qui e *dextro* per *arteriam pulmonalem* expulſus erat, *colore floridior* eſt, quam vel in *vena caua*, vel *ventriculo dextro*, vel ipſa *arteria pulmonali*. Præcipue per intimiorem *ſubagitationem lymphalis ſubſtantiæ*, qua ita dilutior apparet. Vulgo veram *ſpumeſcentiam* ab admixtione *aëris*, adeoque ab hac caloris dilutionem, aliarum *ſpumarum* exemplo, huc trahunt. Quamuis autem non omnem abſolute aditum cuiusquam rei *ex aëre* in ſanguinem, in pulmonibus per *reſpirationem*, denegemus:

mus: *aëris* ſimpliciter tamen *talem*, imo *tantum*, vt agnoſcamus, reuera nullam ſufficientem rationem inuenire valemus. Imo quod etiam aliqui, vti hodie peculiari exemplo fit, ſententiam illam iam *a viginti duobus* annis a me propoſitam, de *reſpiratione ſanguinem calefaciente*, equidem amplectuntur, ſed modum purius *mechanicum* a me propoſitum reiecturi, *phyſicum* ſubſtituere ſperantes, *aetherem ex aëre* per reſpirationem attractum ita *materialiter calori augendo* ſeruire volunt: illud vt *a priori* demonſtrationem nullam præ ſe fert; ita *a poſteriori* ſufficienter refelli videtur ex eo, quod in quibuslibet etiam *aliis corporis partibus*, (v. gr. *brachio*, *humero* & *ſcapula*, *ſerram* trahente, aut ſaltem in pugnum collecta manu & rigidius tenſis muſculis, aliquoties cito atque vegete ita agitatis) eadem ſanguinis repentina in his partibus *incaleſcentia*, etiam craſſo cuiuslibet experturi ſenſu, deprehendi poteſt. Vnde ab identitate ſimpliciter *mechanici* motus, eiusque effectus in aliis quibuslibet partibus, ad parem rationem & efficaciam in *pulmonibus* & iuſtiſſima eſt & manifeſtiſſima conſequentia. Nam ad *aetheris* talem attractionem non opus eſſet craſſi *aëris* hauſtu. Digna vero notatu non ſolum, ſed iuſta etiam conſideratione eſt illa circumſtantia, quod ſingulis *exſpirationibus* aliqua pars *humiditatis* in *vaporem* reſoluta in auras emittatur. Quod quidem cum aliquibus *aëris* ipſius immediatæ *conuerſioni in aquam*, per nudum hunc inſpirationis actum, tribuere non fert animus: interim conſideratu dignam omnino ducimus etiam hanc *halituoſa recrementa excernendi* viam, inprimis cum eadem ſub continuo ſucceſſu certe *non parum* excernatur.

5. Num æther per aërem attractus ſanguinis calorem augeat.

6. Exſpiratione aliqua humiditatis pars in vaporem reſoluta in auras emittitur.

SECT. I.

MEMBRI IV.

ARTICVLVS II.

DE ORGANISMO MOTVS HVMORVM.

§. I.

Poſtquam quantum ſatis eſt de *humorum*, qui mouentur, indole diximus, proximum eſt, vt etiam de *organiſmo motus* ipſius, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, adiiciamus. Peragitur autem hic motus per *cor*, *arterias*, partes ipſas *poroſas*, & tandem *venas*. *Muſculoſum* eſſe *cor* non inepte detexit recentiorum cura anatomica; *fortiſſimum* autem, plus

Cor fortiſſimus muſculus eſt.

plus certe, quam ita ſimpliciter vulgo credatur, eſſe *muſculi* huius robur, monſtrat circumſpectior penſitatio *impulſus* illius, quem *pulſus cordis* in vniuerſum corporis ſyſtema perpetrat.

Energia pulſus cordis.

§. II. Diluceſcit hæc energia ſpecialiter ex alto illo *iactu & impulſu* ſanguinis, e vulneratis *arteriis* erumpentis. „Deinde ex illo „inſigni phænomeno, quando v. gr. ſedens poplitem vnius cruris alteri „genu imponit, vt ramus ille magnus arteriæ cruralis inter poplitem at„que genu prematur; ibi oculis diſcerni poteſt, quomodo ſinguli ictus „pulſus tantam habeant energiam, vt totam tibiam atque pedem ita pen„dentem, eoque ipſo inſignis ponderis vim habentem, ſingulis pulſi„bus ad ſenſibilem, & arteriæ inflatione immenſum maiorem ſubſulta„tionem impellat.„

Vnde, & a quo cor moueatur.

§. III. *Vnde, & a quo cor* ipſum immediate moueatur, ſterilis eſt diſceptatio. Vulgo dicunt a *ſpiritibus*, ſed tam exiguo, quam quæcunque aliæ loquendi formulæ, ad intelligendum *conceptu*. Valet hoc etiam de reliquo qualicunque *modo* huius motus *mechanico*; dum nempe cor, velut in *turbinem* quadantenus diſpoſitis ſui fibris, ita in non nihil *intortum motum* corripitur. Sicut etiam non adeo nimis multum huc facere poteſt illa huius motus ingens energia, de qua etiam, quantum ad τὸ ὅτι, iam locuti ſumus: cum τὸ διότι nulla vniuerſarum harum conſiderationum expediri poſſit.

Syſtole & diaſtole.

§. IV. Illud ſolum dicendum venit, quod *ſyſtole*, ſeu *contractio* cordis, proprie & ſtricte loquendo ille eius MOTVS exſiſtat: *diaſtole* vero magis *omiſſio motus*, vnde cor *flaccidum* maneat, & veluti nudo *ponderis ſui* motui relictum. Aliena enim penitus eſt illa præfiguratio, quaſi etiam *diaſtole* cordis *poſitiuus* eiusmodi *motus* exſiſteret, vt etiam ad *hauriendum* ſanguinem, *antliæ* velut inſtar, inſeruiret: quod ſe minime ita habet. Nec etiam certe vllum vſum haberet, cum cordi opus non ſit, vt ſanguinem alicunde *hauriat*, *ſugat*, ſiue, vti vulgo loquuntur, *trahat*: quandoquidem ille in cauitates cordis *poſitiue* potius *impellitur*, *iniicitur*, *intruditur*:

Auriculæ cordis.

§. V. Nempe ab *auriculis*, *propria* etiam tali *ſyſtole* gaudentibus; quemadmodum harum etiam *diaſtole* ſimpliciter *flaccida*, ab *irruptione ſanguinis vndique preſſi* facile expletur: vt neque illis proprio aliquo *motu vere diaſtaltico*, & *poſitiue*, adeoque etiam cum *ſuctione* aliqua *dilatatorio*, vsquam vſus, ne dum opus ſit.

§. VI.

§. VI. *Cor* quantum ſingulis *diaſtolis* recepit, *ſyſtole* ſubſequente expellit in *arterias*, quæ hinc *inflatæ* digitum tangentis feriendo *pulſare* dicuntur. Eſt itaque *pulſus* vulgo dictus nihil aliud, quam *inflatio* arteriæ a *ſanguine*, per *cordis expreſſionem* in illas *intruſo*: vnde etiam *diaſtole arteriarum ſyſtolæ cordis* reſpondet.

Expulſio ſanguinis in arterias: inde pulſus.

§. VII. Sicut autem *pulſus* etiam *arteriarum* harum *paſſiua diaſtole* eſt, ab aliunde in illas *intruſo* humore; ita habent etiam ipſæ *propriam ſyſtolem*: quamuis quidem illa *placida* prorſus ſit atque *leuis*, διαστολῆς earundem energiæ *tempore* & *impetu* non comparanda; & a circumſtantium etiam omnium reliquarum partium *tono* plurimum adiumenti capiat.

Arteriæ propriam habent ſyſtolem.

§. VIII. Tanto magis abſona hic eſt illa paucorum imaginatio, quaſi *motus arteriarum*, qui *pulſus* dicitur, *arteriis* ſit *proprius*, quod illorum expreſſione ſonat, quod *arteriæ pulſent*. Sicut enim illud, quod in arteriis *pulſus* nomine vulgo audit, noua *dilatatio* eſt, a ſanguine in cauitates illarum *impulſo* per vegetum illum *cordis motum*: ita *ſyſtole* arteriarum tam languida atque mitis, vti fere a nemine horum pro illo *pulſu*, quem arteriis tribuunt, diſerte habetur; ita haberi etiam pro tali, propter exiguam ſuam efficaciam, re vera ne quidem mereretur.

Pulſus arteriis non eſt proprius, nec earum ſyſtole pro pulſu habenda.

§. IX. Vnde etiam in irritum omnino recidit illa quorundam recentior loquendi formula, quod in *febribus*, licet ſub *frequentiore arteriarum motu*, tamen *progreſſus ſanguinis fiat minor*: dum nempe ſanguinem quidem valde *ſpiſſum*, imo vt illi loquuntur, *coagulatum* ſubeſſe ſupponentes, *arterias* tantum veluti per *inanem* quendam *indignandi* atque *ſatagendi* conatum ita frequentius *pulſare* ſibi concipiunt. Cum enim illud, quod ipſi cum omnibus *pulſum* vocant, ſit *dilatatio* arteriæ; fortis inquam illa, *ligaturas* etiam, niſi fortiſſimas & cum dura compreſſione factas, *ſubterfugiens* & eludens: nemo profecto hinc, ne quidem vlla veriſimilitudine, hoc negotium *arteriarum proprio motui* tribuere in animum admiſerit.

Num in febribus progreſſus ſanguinis minor fiat.

§. X. Piget propemodum in hac re prolixum eſſe: ſed cum tamen in illa etiam ceſpitare appareant, a quibus nihil tale exſpectare conueniebat, placet ſimpliciſſimum *mechaniſmum*, qui has imaginationes refellit, in teſtimonium adhibere. Si *dilatatio* arteriæ eſſet ab illius *motu proprio*, *ſugere* illa deberet ſanguinem; ſeu hoc ipſo tempore locum amplum ipſi potius parare, quem *ſyſtole* ſua demum iterum propellat, & e ſua cauitate expellat. Quando vero arteria *vulneratur*,

Quod dilatatio arteriæ non ſit ab illius motu proprio, læſio eius docet.

imo penitus *diſſecatur*, ibi ſanguis ſub momento *pulſus*, ſeu *diaſtoles* arteriæ, *ſaltu* inſigni ex eius vulnere expellitur: quem effectum *propriæ arteriæ diaſtolæ* tribuere, vt omni *mechaniſmo*, ita ipſi omnino *rationi* contrariatur.

Saltus ſanguinis ex arteria læſa non eſt a ſpirituoſitatis energia.

§. XI. Quod enim viuidus ille *ſaltus* ſanguinis ex arteriis, & ipſa quoque *arteriarum dilatatio* ita viuida, quæ *pulſus* nomine venit (adeoque reſpectu *arteriæ* pure *paſſiue*) fit a *ſpiritu vitali*, ſeu tali *ſpirituoſitate* ſanguinis arterioſi, ad fabellas pertinet. In quo commento inprimis nemo expediuerit, quomodo illa *ſpirituoſitatis* energia ita per *interualla alterna* ſolum ſeſe exſerat. Aut, ſi vtique hoc ab immiſſione e *corde*, & tranſitu *per cor*, illi obtingere dicatur, nihilo facilius fuerit intellectu, quomodo tanta illa *ſpirituoſitas* non magis, quam in ſingulos *pulſus*, adeoque per tam *breuiſſimum momentum* duret, quo prætermiſſo, quid de illa fiat, quorſum illa ita ſtatim *abeat*, aut *euaneſcat*, vt illam e corde *noua portione* velut in momenta *reſtitui* atque inſtaurari neceſſe ſit: ſed apage hæc.

Ex æquali & vniformi ſanguinis impulſu in arterias æqualis etiam & vniformis diſtributio eius per omnes ramos ſequitur.

§. XII. *Impulſus* ita *ea quantitate*, quam *auriculæ* ventriculis *admetiuntur*, ſanguis *imprimitur* in arterias, & primo quidem æqualiter & ſimpliciter in ipſam *arteriam aortam*, tanquam omnium reliquarum truncum communem. Vnde etiam fit, vt ex hoc *vniformi ſimplici* impulſu *diſtributio* deinde per omnes ramos tanto magis etiam *vniformis* ſequatur: adeo, vt iſtius impulſi ſanguinis proportionata quantitas in omnes, quotquot ſunt, etiam minutiſſimas arterias neceſſario *redundet*, poſtquam vtique ſimplex & æqualis impulſio totam maſſam liquidam *æqualiter premendo*, per modum *continuitatis* in anteriora propellit. *Intumeſcunt* inde arteriæ; ſed *detumeſcunt* etiam iterum leuiſſime, ad ſenſum maiore temporis momento, quam ipſa *inflatio* durauerat.

Ex arteriis in poroſitates partium tranſpulſus ſanguis reuertitur in venas, contra recentiorum ſpeculationes de continuitate arteriarum in venas.

§. XIII. Decedit ita contentus tantisper in ipſis ſanguis, & *per poroſitates partium tranſpulſus* reuertitur in *venas*. Noua hic ſpeculatio recentiores fatigat. Negare malunt, quod ſanguis *extra vaſa* ſua, extra *arterias* inquam, in vllos partium *poros* effundatur. Sed ſupponunt, quod *arteriæ*, poſtquam in numeroſiſſimas atque tenuiſſimas ramificationes extenuatæ fuerunt, *ſponte* iterum in amplitudinem magis magisque augeſcentem abeant, donec tandem omnino in capaciſſimos truncos iterum coëundo, hac ratione totum genus & *ſyſtema venoſum* conſtituant. Quid, quod adhuc nimio plus vltra extendentes, etiam in media hac ſua via & progreſſu plexibus ſupra omnem con-

ceptum

ceptum tenuiſſimis, *circumuolutionibus* nempe ſui, *gyris* & *anfractibus* miris prorſus, *glandulas* formare, & tandem exitu ſuo ex hiſce *tricis* in *venas* iterum mutari, eodem modo arteriis iterum tribuant.

§. XIV. Ego pro canone ad res ſimiles ſupponendas, aut admittendas, habeo: *quæcunque conſtitutio nec a priori vllam neceſſitatem, imo ne quidem vtilitatem offert; nec a poſteriori ſiue quod ſimpliciter fiat, ſiue quod ita fieri poſſe aut debere e phænomenis facti concludi poſſit: illa vel ſupponi vel recipi non meretur.* Item: *quæcunque phænomena alia aliqua ſatis euidente ratione explicari poſſunt, quæque minimum difficultatis ſecundum pleraque, ne dum omnia phænomena inuoluat: illis operoſas alias, ne dum pluribus reſpectibus dubias fiendi rationes aſſignari non debere.* Quid autem difficultatis haſce opiniones de nihil interrupta *continuitate arteriarum in venas* inuoluat atque premat, tam circa negotium *ſecretionis* variæ, ſ. naturam, quam circa *reſtitutionem in integrum* cuiusque magnitudinis vulnerum, vt ego quidem conuenientibus locis in decurſu operis indicare non obliuiſcar, ita tamen ſuper cuiuslibet prudenti penſitationi propriæ relinquo. Argumenta contra has opiniones.

§. XV. *Pulſationis* autem ipſius diuerſitates innituntur partim ipſi *motui*, partim *numero*, vtrisque ad *tempus* relatis atque comparatis. Vbi ſicuti affectiones *motus*, ſimpliciter *ad tempus* relati, ſunt ἐνέργεια & *impetus*, *duratio ſimplex*, & *proportio ad ſuum finem*, cui ſeruire debet: ita e conſideratione *pulſus* reſultat *menſura ſucceſſuum*, & eiusdem varius *ordo*, ſiue vti vulgo loquuntur *rythmus*. Priore intuitu eſt pulſus *fortis aut debilis*, *celer* aut *tardus*, imo *mollis* aut *durus*, *ſerrinus*, ſeu quaſi cum *tremore* peculiari aut *fremitu* quodam factus. Poſteriore reſpectu, pulſus eſt *frequens* aut *rarus*, *æqualis*, aut *inæqualis*, *intermittens*, *caprizans* &c. Pulſus diuerſitas.

§. XVI. In hanc vtramque rem *curioſitatis* gratia conſiderari merentur fragmenta illa traditionum de pulſibus *Sinicarum*, quæ *Cleyerus* Europæ communicauit, imo vero vniuerſa illa commemoratio de exquiſitiſſima illa *Sinenſium* peritia, circa *miras* & *maximo numero* pulſuum diuerſitates, ſolo *tactu* deprehendendas atque diiudicandas. Sinenſium peritia de pulſuum diuerſitate.

§. XVII. Quamlibet autem *pulſus cordis*, ſibi ſimpliciter relictus, ſatis *ordinate* fiat in corpore ſano, etiam nobis, vt loquuntur, *non cogitantibus*; vnde etiam hunc actum *vitalem* præcipuum hoc ipſo argumento ab *animalibus*, ſeu quoquo modo *cogitationem*, *intentionem*, *voluntatem* ſequentibus, *toto genere* diſtinctum eſſe volunt: notandum tamen apprime vtique eſt, quod nobis *cogitantibus* actus hic, Pulſus cordis nobis non cogitantibus ordinate fit, varie tamen nobis cogitantibus alterari poteſt.

pulſus

pulſus cordis, vtique & *facile* & *varie* alteretur. Et quidem non ſolum, quando etiam alia cogitamus, *terrefacti*, *timentes*, *iracundi*, *gaudio* aut *deſiderio* acrius perciti: ſed quando etiam de ipſo *pulſus* negotio ſubinde cogitamus; quod illis notiſſimum eſt, qui *palpitatione* cordis laborare ſolent, quibus ſolenne eſt illam cooriri, quoties de ipſa *cogitant*.

Mutatio pulſus conuenit cum indole cogitationum, quas ſub animi pathematibus fouemus.

§. XVIII. Vbi etiam eo magis notanda venit peculiaris conuenientia manifeſta iſtius mutationis pulſus, eiusque gradus, cum *indole*, nimirum *intentione* atque deſtinato *ſcopo morali* illarum *cogitationum*, quas ſub huiusmodi *animi pathematibus* fouere ſolemus. Quanta vero ſit hæc energia, quæ ex huiusmodi *cogitationum* intentione in hunc *vitalem* pulſus *actum* redundat, diluceſcere poteſt e grauiſſimo illo effectu, quando e repentino ingenti *terrore* & *pulſus* vniuerſus, & omnium reliquorum *vitæ* indiciorum actiuitas ſimul & ſemel tollitur, ſæpe ad aliquam multum temporis: exemplis non ita plane rariſſimis, etiam conſtanter, vt nempe vere *mors* ſit & maneat.

Conſideranda quoque eſt energia motus pulſus in cogitationem.

§. XIX. Neque vero minus notanda venit, & ſolertiæ conſiderationis ἀκριβεία penſitanda *reciproca* illa energia *motus pulſus*, ſiue ſucceſſus atque tranſitus ſanguinis per totum corporis poroſum ſyſtema, in ipſam *cogitationem*, ſeu *cogitabundam indolem* animi. Fuit hæc iam olim non ignota; ſed nec in *phyſicis* nec in *medicis* ſcholis condigne & decenter tractata: verum vnice *Phyſiognomis* a poſteriori, & a nuda empiria, vſitata. Inter *Phyſicos* autem & *Phyſiologos* perplexa conſideratione TEMPERAMENTORVM deſignata. Vnde de hac etiam re aliquid dicere expediet.

SECT. I.
MEMBRI IV.
ARTICVLVS III.
DE
TEMPERAMENTIS.

§. I.

In veterum ſcriptis multæ obſeruationes occurrunt,

MVlta inter veterum traditiones occurrunt mutila, aut alio detorta, quæ ſub accuratiore conſideratione non leue argumentum, imo vero paſſim etiam documentum ſuppeditent, quod apud antiquiſſimos variarum ad phyſicam & medicinam pertinentium obſeruationum & conſi-

conſiderationum aliquis apparatus occurrerit, qui & euidentiora, & vtiliora complexus ſit, quam poſtea ſequioribus vel certe perceptum, vel ſincere acceptum ſit.

quæ poſtea non recte perceptæ ſunt.

§. II. Adnumero huic cenſui merito dogma illud de *temperamentis*; ſiue vti poſteriorum ſeculorum ſcriptores ad mentem & expreſſionem Arabum loquuntur, de *complexionibus*. Qui *temperamenta* nominant, loquuntur hic de *qualitatibus* vulgo dictis *elementaribus*, *frigore*, *calore*, *humiditate* & *ſiccitate*. Quærunt has *ſubiectiue* partim in *humoribus*, partim *in ſolidis* partibus: imo iterum, ſed magis magisque deuia curioſitate, etiam *ſingulis partibus* ſolidis *ſingulas* adſignant huius temperiei *differentias*. Interim extendunt vtrique has *materiales* atque *corporeas* temperamentorum *craſes* etiam ad *animi habitum*; ita vt hunc *calidum* ſeu *feruidum*: *frigidum*, *ſegnem atque torpidum*: *humidum*, *laxum*, *mollem* atque *fluxum*: & *ſiccum*, *durum*, *grauem*, *firmum* atque *ſtabilem*, reputare deprehendantur.

Dogma de temperamentis.

§. III. Sicut autem re vera maxima pars reliquæ illius doctrinæ, inprimis quæ ad ipſa *partium* temperamenta reſpicit, ſterilis eſt, imo omni fundamento deſtituta: ita diſpar contra eſt ratio *temperiei vniuerſalis*, ſeu *complexionis*, nempe *totius corporis habitum complexæ*; & vere inde reſultantium etiam *animi morum* peculiariter diuerſorum. Omni modo namque certum eſt, quod tales diuerſæ corporum *texturæ* exſiſtant, vel ipſa αὐτοψίας teſte. *Secundo* nota etiam eſt, & quidem iam propemodum in vulgus *animi habitus ſecundum hanc corporeæ texturæ diuerſitatem* vera differentia. Et quamlibet etiam antiquorum acceptioni in hoc genere non abſolute denegari poſſit aſſenſus, quod re vera etiam *humorum* peculiaris hic ſubſit *mixtio*; euidentior tamen, & tanto maioris proinde etiam conſiderationis eſt illa relatio, qua *e ſolidarum partium cum fluidis comparatione atque conuerſatione totius* corporis ſub vno complexu ſumti *habitus* vel *humidior* dicitur, vel *ſiccior*, *calidior*, aut *frigidior*.

Licet maxima pars ſterilis & ſine fundamento ſit, vera tamen eſt diuerſitas texturæ corporum & ſecundum hanc differentia animi morum.

§. IV. Quoniam autem circa hanc conſtitutionem aliqua peculiariter notandi veniunt, & ex illis etiam aliqua antiquis non ſatis perſpecta, aut deſignata: e re omnino erit illa ipſa prius debite proponere atque ſupponere. Poſſunt *humores*, qui vulgo *ſanguinis* nomine veniunt, *quadruplici* diuerſa *temperie* inſtructi eſſe; nempe *primo* per mixtionem largiter *ſulphuream* non ſolum *teneriter fluidi*, præterea ad *incaleſcentiam* maiorem tanto aptiores; ſed etiam ad penitiores & acriores

Quadruplex diuerſa humorum temperies & denominatio.

res *fermenteſcentes corruptiones* tanto magis idonei. Poſſunt contra *ſecundo aquoſiore* ſui temperie, *fluidi* quidem ſatis eſſe, ſed neque ad *feruorem* calidum, nec ad *fermentationem* admodum perinde procliues, verum magis ad qualemcunque *ſalinam* potius, quam ſimpliciter *putredinoſam* colliquationem. Poſſunt *etiam tertio* inter hanc vtramque conſtitutionem, veluti *medio* quodam vere temperato ſtatu eſſe *fluidi* valde commode, *floridi*, blandiſſime *calidi*. *Quarto* poſſunt etiam *ſpiſſiores* eſſe, *minus* diluti, *minus tenuiter* fluxiles, *minus ſulphurei*, ſed plus *terreæ* ſegnioris materiæ complectentes. Primam horum generum temperiem *cholericam* ſeu *bilioſam* vocant; ſecundam *phlegmaticam*; tertiam *ſanguineam*; quartam *melancholicam*.

Secundum hanc diuerſam humorum temperiem textura corporis etiam diuerſa eſt.

§. V. Iam peculiariter notandus venit habitus etiam corporis, *texturæ* inquam corporis *in ſolidum* habitus, ſecundum has *humorum temperiei* diuerſitates, ipſe etiam diuerſus. Ita enim *ſanguinei ſtructuram* atque *texturam* corporis obtinent *laxam*, affatim *poroſam*, *ſpongioſam*; conſtructam nempe in partibus ſolidis mollibus tam ſubtiliter *ſpongioſa* molli textura, vt *copioſus* etiam ſanguis in tam *laxa* atque *diffuſa* capacitate abunde ſpatii atque *liberi progreſſus* & commeatus obtineat. Quo intuitu etiam corpora, ad hanc normam conſtructa, *exigua* vndique *habent vaſa*. Dum videlicet ſanguis, in tali *poroſarum* partium *capacitate* plurimum loci nactus, minore copia in ipſis *vaſis* contineri poteſt. Et cum præterea talium corporum ſanguis etiam velut a priori *bene fluxilis* ſit, conſpirans hæc inuicem *proportio* humoris optime *mobilis*, & viarum optime *permeabilium*, facilem atque promtum *ſucceſſum* motus huius progreſſiui ſeu *circulatorii* pollicentur, imo vero præſtant & conſeruant. Vnde quidem in huiusmodi corporibus, ſub tali humorum atque partium optima *mutua proportione*, non ſolum ipſe *circuitus* ſeu progreſſiuus motus humorum ſimpliciter commodiſſime atque liberrime ſuccedit: ſed procedunt etiam ſimul commodiſſime *ſecretiones & excretiones*, adeoque vniuerſum prorſus *vitale* negotium.

1. Sanguineorum textura, vaſa, ſanguis eiusque circulatio, ſecretiones & excretiones.

§. VI. In ea, quæ *cholerica* appellari conſueuit, conſtitutione corporis *textura* ita comparata eſt, vt longe iam *ſtrictior*, minus *diffuſus*, minus *turgidus*, minus *ſpongioſus* ſit mollium muſculoſarum partium apparatus. Vnde veluti *macilentiores* apparent: ſed tamen *ſubturgidula*, & *colore* etiam qualitercunque *florido* conſpicua conſtitutione. Cum autem *cholericæ* temperiei *ſanguis* admodum *ſubtilis* ſit, & *teneriter fluidus*; ſufficit quidem ipſius *motui* ſeu ſucceſſui etiam talis

2. Cholericorum textura, ſanguis,

pororum & meatuum capacitas: interim ſubuenit etiam huic viarum arctitudini *impulſus* cordis *vegetior*, huic maxime generi complexionis familiaris. Inprimis cum huius ſtructuræ corporibus etiam *vaſa* iam ſint *notabiliter capaciora*: nempe in quibus quantitas ſanguinis, minus *ſpatii alibi* adepta, tanto magis neceſſario *in vaſis* ſuis eo copioſius hoſpitari debeat. Procedunt autem in his etiam omnia ſatis *commode*; imo, quicquid *commoditati* decedit, ſarcitur tanto magis *vegeto actu*, qui huic indoli præ reliquis familiaris eſt, imo quaſi *proprius*: vt videlicet ipſe *motus pulſus* tanto *vegetius* impellatur.

pulſus, vaſa, negotium vitale.

§. VII. Illis, qnibus *aquoſitate* multa valde *dilutus*, & hac maxime ratione *tenuis* eſt ſanguis, euenit etiam eiusmodi reliquæ *texturæ ſolideſcentis mollior conſtitutio*, quæ conſpirationem etiam *ſolidarum* partium intimioris temperiei cum *fluidis* ſatis commonſtret. Quamuis enim illis etiam, qui hac *aquoſiore* ſanguinis fluxilitate gaudent, totius reliqui corporis ſtructura *laxa* eſſe ſolet, & valde *poroſa*; vt nimirum ita etiam fluxili materiæ *viæ* affatim pateant: obtingit tamen iisdem inſuper peculiaris quædam intimior harum earundem partium *mollities*; eaque euidenter ſatis ab *humiditate aquea* fibris copioſius & intimius *imbibita*. Vnde quidem hæ, *exturgeſcentes*, mollitiem peculiarem præ ſe ferunt: ſimul tamen etiam hac ipſa *turgefactione* inter ſe mutuo *ſpiſſius appreſſæ*, qualitercunque craſſioris ſanguinis tranſitui penitiori eo ipſo obſiſtunt. Vnde his corporibus, præter *turgidam* illam mollitiem, etiam & *caloris* minoris, & coloris pallidioris circumſtantia maxime familiaris, imo veluti propria eſt. Huic interim eidem *texturæ* etiam vaſa ſanguifera adſunt admodum *anguſta*. Et inſuper illud dignum quam maxime memoratu ineſt, quod hæc maxime ſanguinis *craſis*, atque corporis *textura*, collectioni *pinguedinis* copioſæ inprimis velificentur, magis quam alia quælibet temperies.

3. Phlegmaticorum textura. ſanguis, peculiaris mollities, color, vaſa, pinguedo.

§. VIII. *Melancholicorum* dictorum corpora *ſpiſſiora* ſunt, & ab omni phyſica atque morali *mollitie* alieniora. *Denſatæ* magis quam alibi partes poroſæ mox ipſi adſpectui *ſtrictiorem*, ſiue, vt vulgo loquuntur, *ſicciorem*, & quaſi *macilentiorem* conſtitutionem offerunt. Et carnes, & oſſa pro reliqua in ſingulis talibus indiuiduis corporis magnitudine, *robuſtioris* atque *denſioris* texturæ eſſe comparent, quam in aliis hactenus dictis. Inprimis *denſata* partium *ſpiſſitudo* ſanguinem, etiam ipſum *ſpiſſiorem*, per texturam etiam alioquin *denſiorum* cutanearum partium, tam alte atque ſubtiliter non recipit, vt inde floridior aliquis *color* apparere poſſit: vnde talia corpora vel *pallent*, vel ex *liuido*

4. Melancholicorum textura. ſanguis, color,

 ſub-

vaſa, pulſus.

ſubnigricant. Habent interim, in ſubſidium reliqui tam *ſtricti* habitus, inprimis *vaſa* admodum *ampla*: & *pulſum* inſuper *tardiuſculum*, ſed *fortem* omnino atque *magnum*.

Hæc temperamenta ſimplicia ſeu pura adparent plerumque inter ſe mixta.

Sanguineum prædominans & homini maxime naturale.

§. IX. Hæc quidem vulgo memorantur *quatuor* quaſi *ſummæ genera* ita dictorum *temperamentorum*; & occurrunt etiam paſſim ita ſatis ſimplicia atque pura: nimio autem familiarius inter ſe quaſi *commixta*, & in vicinum gradum propenſa. Cuiusmodi maxime familiaria ſunt, quæ de *prædominante ſanguineo* in reliqua alia declinant. Habetur enim non inepte *ſanguineum* dictum temperamentum, vtpote omnium ſimpliciſſime reſpondens *mutuis* corporis *neceſſitudinibus*, communiter, & merito quidem, pro eo, quod *homini maxime naturale*, id eſt, toti eius indoli vere dicatum & *aptum* reputari mereatur. Vnde naturali propemodum ordini magis reſpondet, vt *prædominetur*, ſeu preſſius loquendo, ad aliquas diuerſitates ſolum *deflectat*. Quicquid autem huius ſit, negari minime vtique poteſt, quod etiam paſſim *infantes* naſcantur, tum ſtatim ab ipſo quaſi partu aliorum *corporis habituum*, quam *ſanguinei*, ſatis manifeſto compotes. Et mox etiam, ſimulatque viſibiliter *ſuccreſcunt*, *parentum* ſuorum texturam manifeſtius æmulantes; mox ab illo eodem etiam tempore dictorum illorum ſuorum parentum indolem, etiam in hac *texturæ* peculiari ratione, ſimpliciter ſequentes.

Antiquiores hanc proportionem humorum ad vias non potuerunt conſiderare, recentiores eam fictitiam iudicant.

§. X. Quemadmodum autem *antiquiores* hanc rem, *reciprocam proportionem* inquam *humorum ad meatus corporis*, & *progreſſum* per illos magis aut minus expeditum, tanto minus in conſiderationem trahere poterant, quod totius *motus progreſſiui* ſanguinis imperiti eſſent: ita tantum ſane abeſt, vt etiam *recentiores* huius eiusdem rei qualicunque tandem *intellectu* potirentur, vt potius vniuerſalem de *temperamentis* doctrinam, nullo vsquam intuitu quidquam veri fouentem, ſed vndique ſimpliciter *fictitiam* atque cerebrinam iudicarent & exploderent. Quo ipſo certe factum eſt, vt tanto minus animum vsquam aduertere poſſent ad negotium illud *curioſæ* profecto atque *ſolertis* conſiderationis, & vſus multiplicis, tam *phyſici* atque *medici*, quam *phyſiognomici*: nempe: *qualisnam ſit conſpiratio inter illas* humorum & meatuum proportiones, *quæ vulgo* temperamenti *nomine*, *recte intellecto*, *præcipue veniunt*; & *inter animi mores*, *diuerſis eiusmodi corporis* & humorum proportionibus *perpetuo reſpondentes?* Laudabilis certe in hoc genere fuit, & eſt omnino poſt tot ſecula, *Galeni* ſolertia, quod iam illa ſua ætate rem hanc, quantum ad τὸ ὅτι *obſeruatam*, ad poſteros

Galenus tamen ſuo tempore iam obſeruauit.

trans-

tranſmiſerit. Sed tanto minus certe laudis meretur poſteritatis ille neglectus, qui totam hanc rem non tam *prætermiſiſſe* ſilentio, quam *inuoluiſſe* apparet.

§. XI. Sunt autem hi, de quibus loquimur, *mores* diuerſi, diuerſis *temperamentis* familiares, imo re vera quaſi *proprii*, ſequentis typi. SANGVINEI omnimoda *animi libertate* gaudent; *hilares* proinde, *ſecuri*, *voluptuoſi*, *abundantia* rerum acceptabilium *gaudentes*, qualium etiam non inepti ſunt arbitri; *otii* amantes, *mediocrium* negotiorum compotes, *honorum* amantes, & *gloriæ*, inprimis quæ *ex facili* venit; ſunt etiam *aperti*, non *vafri*, non *callidi*, neque ad *ſimulandum* vel promti, vel ſatis apti; *æquitatis* præterea fautores, imo *æqualitatis*; ab *operoſis* negotiis alieni, ad res ſubitas *trepidi*, circa ſubita *impedimenta* grauiora, & quantæcunque periclitationis ſuſpecta, *anxii*, in veris *periculis* prementibus omnis *conſilii inopes*, & veluti *deſperabundi*, poſt eadem vero exhauſta, ſi quantumcunque feliciter euaſerint, nimium quam *glorioſi*; ſin minus, difficultatum *toleratarum* valde *facundi* præcones, leuioribus etiam periculorum experimentis promte in poſterum *timidi*; vbi vero nihil periculi adeſt, ingenio facile indulgentes, & *ſecuritate* tantiſper fruentes. Sangineorum mores.

§. XII. CHOLERICI *libertatem* quidem illam animi imitantur; *ſecuritatem* autem in tantum quidem, vt non facile aliquid *timeant*, facile tamen *exſpectent* ingruere aliquid, quod incommodum ſit; vnde *vigiles*, ſemper *alacres* & *promti* ſunt; ad *negotia* faciles & proni, in adminiſtratione eorum cum *alacritate* æque ac *dexteritate* habiles; impedimentorum *minus patientes*, *iracundi*, ad *reſiſtendum*, & *expugnandum* quicquid obſtat, aut obnititur, *parati*, ad ipſa etiam *pericula intrepidi*, ſed ad illa *actiuitate* & labore *ſuperanda* etiam cupidi; ſi quid etiam peius ſucceſſit, non facile tamen propterea in poſterum *timidi*, ſed *audaces* potius, imo *temerarii*, & ad excuſandum potius, in quo ipſi defecerint in periculis, & ad ipſa *exaggeranda* potius, quam *contemnenda*, procliues. Eo ipſo *glorioſi* ſunt, & ad aliorum *contemtum* proniores, inprimis tamen *ignauiorum*; quandoquidem ipſi ſemper parati ad *actiuitatem*, & in hoc etiam prorſus *intenti* ſunt, vt omnino habeant quod agant, *otii* inprimis impatientes. Cholericorum mores.

§. XIII. Ex aduerſo *ſegnes* ſunt atque *torpidi* PHLEGMATICI; rebus *præſentibus* equidem *gaudentes*, ſed propemodum ipſo quoque gaudio *ineptiore*; certe non *intimioris* alicuius *æſtimationis*, ſed ipſo etiam quaſi *frigido* magis atque *ſomnolento*; *ſecuri* ſunt ad *otium* Phlegmaticorum mores.

atque *ſomnolentiam* vsque; in actionibus ſuis *remiſſi* & *languidi;* alieni a *laboribus*, & mox illorum *pertæſi*, & proinde *languidi* atque facile fatigationibus *laſſi*; a *curis* alieni; *auari* propterea maxime, ne, dum *præſentia* amittuntur, *nouis laboribus* opus ſit. *Meticuloſi* interim circa obiecta impeditiora negotia, imo *trepidi*, & *anxii*; ad *pericula* vrgentia *deſperabundi*, magis tamen *quietem* in extremis, vt ipſa morte, quam quidquam reliquis illis *periclitationibus grauius*, affectantes.

Melancholicorum mores.

§. XIV. MELANCHOLICI de *præſentibus* ſatis *quieti*, iisque *contenti*, de *futuris* perpetuo *dubii*, *diffidentes*, *ſuſpicaces*, viuunt. Rectiſſime propemodum *perpendunt*, & inde etiam *æſtimant*, res; nempe tam quidnam *vtilis* inſit & *iucundi*, quam quid *moleſti*, *aduerſi*, *ancipitis*, *periculoſi*: niſi quod fere ſemper magis intenti ſint in illa, quæ ita quouis modo *in peiorem partem* euenire poſſunt, quam quæ iam reapſe in illam *vergunt*, aut *cedunt*. Vnde quidem ſemper *circumſpectos*, *cautos*, *penſitabundos* ſeſe gerunt; *aſſidui* ſunt, ad *labores* moderatos *parati*, ad *neceſſarios intenti*, *induſtrii*, quin *ſolliciti*; *vigiles*, imo *indefeſſi*, niſi quantum *timor*, & ex illo tandem *trepidatio*, in *dubiis valde* rebus, vires ſuccidit: in valde impeditis rebus non tam ſimpliciter *deſperabundi*, quam ad *extrema remedia* extremorum apparentium malorum impetu quodam ruentes, aut ſane tota *intentione* tendentes. *Tenaces* propoſiti, quod inprimis vel non ſine ratione, vel non ſine inſigni, & apud ipſos omnino ſeria, eius *ſpecie*, ſuſceperunt. Ceterum a *fraude* alieniores ſunt, niſi quantum *diſſimulare* neceſſarium ducunt; *iuſti & æqui* amantes, eoque ipſo etiam a *ſimulatione* alieni, cum falſa veri-euentus inania eſſe ſciant, *veri*, ſi quisquam alius, & *incorrupti* iudices; ad *amicitiam ſinceri* atque *fidi*; ſed minime *procliues* atque *confidentes;* a quibus omnes facilius exſpectare poſſint, quam quod ipſi ab vllo *cum fiducia ſperare*, *æquum & bonum*. Semper enim *ſuſpicaces* ſunt, & deteriorum euentuum metuentes.

Cauſſa ſeu fundamentum huius rei poſitum eſt in proportione viarum atque humorum, ſecundum quam natura motus ſuos inſtituit,

§. XV. Harum rerum *cauſſam* poſitam eſſe iudico in *proportione* illa *organica* MEATVVM *atque* HVMORVM, & MOTVS ad hanc *proportionem conuenientis*. Cum enim hic MOTVS, *pulſus* nimirum & *circulationis* ſanguinis, *continuus* ſit, nunquam intermittendus, præterea & *ordine & dignitate* omnium *primus;* quandoquidem *eſſe* prius, & *viuum* quidem eſſe vtique debet corpus, quam *anima* ſiue *in* illo ſiue *per* illud agere vsquam poſſit: fit inde, vt ex hoc *primo & primario* ſuo actu, eiusque ita neceſſariæ PROPORTIONIS IDEA, TYPVM ſibi formet, cui adſueſcat etiam in aliarum quarumlibet ſui

actio-

actionum proportione. Vt videlicet has etiam omnes ſecundum illum *typum* proportionis exerceat, quo *motum* illum *primarium & perpetuum*, *vitalem*, perpetrare *adſueuit*, imo potius indeſinenter hoc ipſum agitat, vt nempe hoc vitali *actu & motu* hunc *proportionis* TYPVM exerceat atque ſeruet.

& huic typo deinde in aliis agendi modis adſueſcit.

§. XVI. Inde enim eſt, quod verbi gratia SANGVINEI dicti, cum & *ſanguine optime fluxili* præditi ſint, & *vias* etiam habeant ita *patulas*, *multas* atque *liberrimas*, vt non ſolum moderato *impulſu* omnia *facile* atque *commode* procedere poſſint: ſed etiam in ita conſtitutis hiſce rebus nullum *de futuro* ſubſit *periculum*, niſi plane *inſperatum* quiddam aliunde irruat. Hi tales inquam transferunt ita hanc *proportionem agendi* ad omnes ſuas alias tam *intentiones* agendi, quam *proceſſus & methodos* in agendo; vt *libertate* peculiari animi, *ſecuritate*, *æqualitate* conſpicui ſint, omnia *in procliui poſita* ſibi præfigurent: de *futuris* etiam, aut impendentibus quibuscunque impedimentis aut *difficultatibus*, ne *cogitare* quidem facile, ne dum *ſolliciti* eſſe ament.

Sic ſanguineorum humores fluxiles & viæ patulæ de libero ſucceſſu motuum tam vitalium quam animalium teſtantur.

§. XVII. CHOLERICI cum ſanguinem quidem ſatis *floridum* habeant, interim *vias* & minus largas, & minus patulas, ſed *arctiores* anguſtioresque: ſarciunt hunc qualemcunque defectum *impulſus* maiore energia adhibita, quod etiam ſub inſigni illa *fluxilitate* humoris quam commodiſſime ſuccedit. Interim ſub *ſegniore* impulſu fieri vtique poſſet, vt per *anguſtias* meatuum alicubi *detentus* ſanguis in ſtaſin, & hinc in *corruptionem* rueret: cui periculo eiusmodi opera atque labore *occurrere*, ipſa adeo neceſſitas poſtulare videtur. Huic *motuum typo* ita *neceſſario* reſpondet etiam *morum*, ſeu *intentionis* atque *proportionis* omnium ſui *actionum* typus; vt *promti* ſint ad agendum, *vigiles*, *alacres*, *impigri*, *circumſpecti* quidem, ſed ſine multa *dubitatione* aut *metu*, *parati* ſemper ad proſpiciendum, & *actionibus* quidem magis *promtis atque vegetis*, quam *ſpeculationibus* aut *longinquis conſultationibus*.

Cholericorum ſanguis floridus per arctiores vias maiori impulſu indiget. Hinc etiam actiones morales ſecundum hunc typum exercentur.

§. XVIII. Diuerſa ratio eſt MELANCHOLICORVM, quorum ſanguis *ſpiſſus* per vias inſuper *arctas*, & in pellendo peculiare *moderamen*, quantumlibet ſatis *vegetam* etiam *preſſionem* requirit: & quicquid etiam ita fiat, *periclitationem* vtique perpetuam ſeruat atque fouet, etiam ex ipſa *interna* conſtitutione ipſius ſanguinis, ad *ſpiſſeſcentiam* vtique apta; tum etiam e facili externorum occurrentium promto effectu ad *ſpiſſitudinem* hanc augendam, adeoque ſtaſium *pericula* (& ita *mortiferæ corruptionis*) inducenda. Non fruſtra inde

Melancholicorum ſanguis ſpiſſus per vias arctas vegetam quidem attamen circumſpectam requirit transpreſſionem.

meti-

Hæc aſſidua & circumſpecta actio etiam in moribus animaduertitur.

meticuloſiores ſunt de *futuro* & *ſuſpicaces* ipſi *Melancholici* in omnibus ſuis actionibus; non *ignaui* ad labores, ſed magis *aſſiduitati* & operum ſuorum *perfectioni* inſiſtentes, quam *negligentioribus ſuperficiariis* tentaminibus fauentes: ab *intricatis* & *friuolis* rebus æque ac aliis a *multis ſimul occupandis* alieni. Circa omnia, quæ fieri *poſſunt*, *ſpeculabundi*; *ſuis* etiam rebus & *ſibi ipſis diffidentes*; *moderationis*, *proportionis*, *certitudinis* amantes; in *impeditioribus* rebus nihil *mediocre*, ſed fere *extrema* quælibet metuentes.

Phlegmaticorum ſanguis tenuis & partium habitus laxior fortiorem motum non perfert. Hæc ſegnities etiam in moribus eorum conſpicitur.

§. XIX. PHLEGMATICIS vti ingens *diluti* ſanguinis tenuitas, & partium diffuſior atque laxior habitus ad facilem ſucceſſum ſatis commodi præbet: ita nec *opus* eſt *impulſu* fortiore, nec eidem etiam *vſus*. Licet etiam *lenteſcenti*, *muceſcenti corruptioni* expoſitus ſit; quia tamen huius vlterior ſucceſſus non æque *præceps*, *fermentatiuus*, adeoque toti ſyſtemati *cito* & æqualiter *periculoſus* obtingit: fit ita, vt minor de illo ſit *metus*. Præterea etiam *mollis* ab abundante humiditate aquoſa partium textura *duo* inſignia incommoda inueheret *fortioris motus* vſui; primo, vt vtique ad *flaccidiores* partes cum energia impellendas huius maior gradus requiratur, quam ad *ſubrigidas*: ſecundo, quod etiam talis textura a minus moderato vſu citius *labefactari* atque fatiſcere poſſet. Nihil inde mirum, ſi *ſegnes* ſunt, *otii* amantes, rerum ſuarum profunde *ſecuri* atque *incurii* tales animi. Nec etiam mirum, ſi *laborioſiores* motus *auerſentur*, & ab illis etiam re vera *phyſice* citius *defatigentur*, quam alii; & re vera reparatione virium per *quietem* opus omnino habeant, &c.

Hunc typum actionis vitalis, quem in immobili idea habet anima, ad reliquas actiones applicat.

§. XX. Ex his puto ſatis diluceſcere poſſe, qualis & quanta ſit *proportionis identitas* inter ACTVS tam *vitales* quam *animales*, imo ipſos *morales*. Et hoc nulla alia ratione, niſi quod animus illum TYPVM, quem *primæ* ac fundamentali, *primariæ* imo *perpetuæ* & indeſinenti *vitali* ACTIONI, MOTVS *humorum per meatus* certæ *proportionis*, adhibet, pro *fundamentali* habere atque ſeruare adſueſcat: vt illum omnibus ſuis etiam reliquis *actionibus* applicet; adeoque omnia ſua illo modo, modulo, atque more peragat, quem, vt *primum* inter omnes reliquos, & inſuper *indeſinenter* exercendo, hac ratione iugiter in *intentione*, & velut *immobili* IDEA (INTELLECTVALI nimirum, non *memoriali* aut *figurabili*) habeat.

§. XXI. Cæterum habet etiam notitia *temperamentorum* non exiguum vſum ad intelligendam *diſpoſitionem* variam diuerſorum ſubiectorum ad diuerſos *affectus*, qui tam a *materiæ motui* minus obſequentis *ametria*, quam *impetus*, *ordinis*, *tenoris*, *exitus* motuum ipſorum varia *ἀταξία* dependere poſſunt atque ſolent.

Alius vſus quem notitia temperamentorum habet.

SECTIONIS I.

MEMBRVM V.

DE ACTIVITATE VITALI.

§. I.

CVm temperamentorum occaſione dicendum fuerit de peculiari varia *proportione*, plus minus conſtante, *actiuitatis vitalis*, quatenus illa *a poſteriori* ab *organorum* & *materiarum* peculiari habitu diuerſimode ſeſe habeat; non alienum a propoſito erit, aliquid inſerere, & huic negotio veluti attexere, de *energiæ* ſeu *actiuitatis* huius, velut *a priori*, peculiari indole atque conſtitutione.

Secundum temperamentorum diuerſitatem actiuitas vitalis etiam diuerſa eſt.

§. II. Sciendum videlicet eſt, quod *actiones* in corpore humano, imo vero in ſingulis *ſpeciebus* animalium, peculiarem reſpectum & relationem habeant ad *tempus* peculiariter dimenſum. Ita quidem, vt partim *minores* quosdam *certos ambitus* forment aut ſequantur: aut vniuerſam quandam quaſi *generalem periodum* habeant, cuius velut vltimo limite comprehenduntur. *Generalis* hæc periodus eſt *ambitus* ille peculiaris *totius vitæ*, quali vario varia animalium genera ita gaudent, vt alia *pauciores*, alia *plures annos* viuendo aſſequantur.

Peculiaris eius indoles: actiones vel minores ambitus, vel generalem periodum habent.

§. III. De aliis nos quidem minus ſolliciti ſumus, de *homine* vero notamus, quod equidem nulla *exquiſita* menſura conſtitui poſſit, ad quam homines peruenire ſiue poſſint, ſiue debeant. Interim etiam illud ſatis manifeſtum eſt, quod *centum* annos pauciſſimi hominum *attingant*; pauciores *prætergrediantur*: plerique vero longe *infra* talem terminum *deficiant*. Vnde quidem nihil definite dici poteſt de illa e *ſacris* paginis allegari ſolita, *hermeneuticis* etiam difficultatibus non plane deſtituta, expreſſione, *centum viginti anni dies eius*: ſicuti Lutherus diſerte accipit de *dilatione* quadam peculiari, quam Deus tanquam ad reſipiſcendum conceſſerit *ante* ipſum *diluuii ſupplicium*. Satis in-

Hominis periodus vitalis incerta. Pauciſſimi centum annos attingunt.

terim manifeſtum eſt, quod *e multis hominum millenariis vix vnus centeſimum* annum adſequatur.

Annus quinquageſimus certos limites energiæ vitalis ponit in vtroque ſexu.

§. IV. Quanto minus exquiſitæ certitudinis autem eſt vniuerſalis huius periodi definita menſura; tanto certior e contra eſt proxima huic, non multo minus generalis *temporis dimenſio*, qua energia vitalis ita circumſcribitur, vt partim *augeſcendo*, partim *ſubſiſtendo*, partim *decreſcendo* hanc temporis ſatis *certam menſuram* affatim demonſtret. Ita enim *quinquageſimus* annus, *ſepties ſeptenorum* pediſſequus, limites ponit *energiæ vitalis* ſatis manifeſtos. Eluceſcit hoc manifeſtiſſime quidem in *fœminino* ſexu, e *generationis energia* tunc temporis *ceſſante*: haud multo minus ſenſibiliter tamen etiam e *maſculini* ſexus iisdem annis vtique etiam ſenſibiliter *decreſcente* ad minimum harum earundem rerum energia.

Ceſſat incrementum corporis; fatiſcunt etiam reliquæ tam corporis quam animi vires.

§. V. In vtroque vero ſexu notoria eſt tam *incrementi corporis* in quamcunque tandem dimenſionem *ceſſatio*: quam etiam reliquarum corporis *virium* ad labores, ad fatigationes & onerationes corporis, imo ad negotia etiam *animi ipſius* ſenſibiliter fatiſcens energia. Quamuis enim e longo *habitu* & exercitio ſeniores iudicio & conſilio iunioribus præpollere poſſint; minime tamen *duratione actiuitatis* pariter hos anteire poſſunt.

Gradus ætatum.

§. VI. Tanto magis autem euidentes ſunt illæ, ſecundum temporis *peculiares dimenſiones*, *energiæ* mutationes, per ita dictos *gradus* AETATVM, *infantiam*, *pueritiam*, *adoleſcentiam*, *virilem*, *ſeneſcentem* atque *ſenilem*. Vbi quidem *infantilis* ætas circiter ad *ſeptimum annum*; *puerilis* ad *duodecimum* vel *decimum quartum*; *adoleſcentia* ad *vigeſimum quintum*, vel circiter, porrigitur. *Virilis* ætas ad *quinquageſimum* quidem vulgo numeratur; ſed re vera multis modis apparet, quomodo etiam hæc periodus *vltimo* ſeptenorum *ſeptenario*, a *quadrageſimo ſecundo* circiter anno, ita ſenſibiliter decreſcat, vt vſitata illa *appellationis* ratio de *ætate conſiſtente* hic certe inſignem *inæqualitatem* inuoluat. A *quinquageſimo* autem anno inepta excuſatione vlterius remouetur *ſenium*, & ibi demum ad 60. annos quaſi *ſubſiſtentia* quædam fingitur: niſi quidem vera interpretatio adhibeatur, quod a *quinquageſimo* anno *fiant* ſenes, vt *ſexageſimo ſint*, vltra diſſimulationem.

Septenaria minores vitæ periodos abſoluunt.

§. VII. Nominaui *ſepties ſeptenum* numerum, nempe annorum *quadraginta nouem*, quos L. excipit. Hæc nempe *ſeptenarii* ratio abſoluit *minores*, imo *minimas* humanæ œconomiæ ſolennium

m-

temporum *periodos.* Ita enim *ſeptem menſibus* abſoluitur *ſtructura* hominis, vt etiam ad partum *maturus* ſit, nempe quantum ad *ſtructuram* partium attinet, ſatis quidem *abſolutam*, ſed nondum pariter *firmam* atque *durabilem.* Septimo *anno dentes* priores iterum *cadere* incipiunt; imo *ſecundi* huius *ſeptenarii* progreſſu & ambitu omnes dentes excidunt ſucceſſiue, & alii ſubnaſcuntur. Magis exquiſite ſub *finem* huius ſecundi ſeptenarii *pubertas* ſeſe exſerit; & in fœminino quidem ſexu etiam cum *menſtrui ſanguinis* e genitalibus eruptione: in *virili* ſexu cum illa notabili *mutatione ſoni vocis* acutioris in grauiorem & aſperiorem.

§. VIII. *Tertius ſeptenarius* annorum nihil magnopere mutationis habet effatu dignæ; *tertius & dimidius* autem, nempe *ſepties ſeptenorum dimidium*, notabilem illam adfert *incrementi* ceſſationem; vt videlicet, cum corpus hucusque in *longitudinem* inprimis, & carnium veluti ſucculentam quandam floridam conſtitutionem ſuccreuerit, hi quidem *incrementi modi* poſthac deficere obſeruentur: bene vero in *denſum*, *firmum* atque *ſolidum*, *oſſium* inprimis compagem auctam, homo poſthac ſuccreſcat; & hoc maxime ab ipſo etiam hoc *dimidio* ſepties ſeptenorum annorum numero, ad *terminum* vsque illorum, nempe *quadrageſimum nonum.* De quo tamen iterum moneo, intelligendum illum magis eſſe de *totius illius* vltimi ſeptenarii *complexu*, quam præciſe de *vltimi* iſtius anni *limite*: quandoquidem hic etiam ſe exſerit illud iam ante tactum, ita *ſucceſſiue fatiscentis* per hanc ætatem *energiæ* decrementum.

Tertio & dimidio ſeptenario mutatur modus incrementi corporis.

§. IX. *Breuiſſima*, ſed etiam ab omni propemodum ætate maxime proinde notabilis & veluti celebris, dimenſionum temporis ratio in corporis humani *vitalibus* energiis ſiſtit ſeſe in CRISIBVS *febrilibus*, id eſt morbidarum noxiarum materiarum *expulſionibus* vitalibus, *ſtato tempori* omnino innexis. Quæ tamen inſuper etiam *medietates* ſuas habent; quibus vulgo quidem *quartus dies* aſſignatur: ſed verius *tertius & dimidius*, adeoque *ſeptimi* veluti *medium* exſiſtit.

Breuiſſima dimenſio energiæ vitalis ſiſtit ſe in criſibus febrilibus.

§. X. In vlteriores harum rerum cauſſas inquirere, in noſtro quidem foro fere inutile videri poteſt: interim ſi quid eius ſuppeteret, inprimis *in acutis* ad *prognoſin* non inepte adhiberi poſſet. At nemo quisquam hic aliquid in medium afferre hactenus ſuſcepit præter *Aſtrologos*: quorum ipſorum etiam traditiones licet a priori nullum *demonſtratiuum* fundamentum habeant, non tamen propterea abſolute reiici poſſent, ſi modo a poſteriori *tolerabilis* aliqua *veriſimilitudo* euinci poſſet.

In quarum rerum cauſſas inquirendum eſt.

poſſet. Quam rem ita in medio relinquimus; vt tamen ſolertiore poſteritatis ſcrutinio omnino dignam iudicemus, ea tamen cum circumſpectione, vt ſufficiente ἀκρίβεια adhibita, perpetuis illis altercationibus de *veritate atque conſtantia* FACTORVM via præcludatur. Argumenta enim, quæ *a priori in contrarium* hic allegantur, neminem prudentem quicquam mouerint; vtpote ſatis certum, quod ne illarum quidem rerum, quæ paſſim ſub pedibus iacent, *rationes a priori* vsquam diluceſcant.

Nulla ratio dari poteſt, quam ob rem homo naturaliter moriatur.

§. XI. Conſideratio vero, quæ ex his etiam circumſtantiis reſultat, omnino ſatis digna, verſatur in eo, quod ex nulla harum circumſtantiarum vlla elici poſſit veriſimilis argumentatio: QVAMOBREM HOMO NATVRALITER MORIATVR, ne dum, quamobrem huiusmodi *minoris periodi viciſſitudines* experiatur. Sicut enim nimis craſſa eſt illa traditio, quod hoc fiat a poſteriori, *materiæ & organorum materialium* vitio: vtpote quorum defectus, etiam ex hac hypotheſi, *ſucceſſiuos* certe *ſucceſſiue reſtitui* & inſtaurari poſſe, monſtrant quarumlibet partium violatarum reſtitutiones. Ita nihil vtique certius conceptui reſtat, quam quod ille defectus magis certo dependeat ab ipſius ENERGIAE, *a priori*, *circumſcripta poteſtate*: cum alias re vera nulla veriſimilis ratio allegari poſſit, cur illud *conſeruationis* negotium, quod per L. LXX. imo C. annos continuari poteſt, non *in perpetuum* continuetur? Nam *materiæ* nulla vsquam *vnquam* eſt prærogatiua; quandoquidem illa *primis* vel *diebus*, ne quid de *annis* dicam, eiusdem eſt ad promtiſſimam corruptionem ſubeundam aptitudinis, quam *centeſimo*, imo quolibet *milleſimo*, eſſe poſſet.

Aetates ex adſpectu diiudicari poſſunt.

§. XII. Pertinet ad circumſtantias & peculiaria phænomena harum *ſecundum ætates* mutationum inprimis etiam illa *viſibilis* alteratio *texturæ* corporis *ſolidi*, vt vulgo homines ex ipſo nudo *adſpectu* diiudicare nouerint, quod homo alius *iunior* ſit ætate, alius *annoſior*. Quæ res a *magnitudine* aut *robore* corporis ſimpliciter minime dependet; cum etiam æque *iuuenes*, imo *adoleſcentes*, magni & robuſti paſſim occurrant, atque *annoſiores*, imo *ſenes*, exiguæ atque teneræ ſtaturæ.

Rugæ.

Sicut etiam *ſeneſcentis* corporis indicium faciunt *rugæ* paſſim comparentes: *atoniam* certe quandam, ex parte etiam priſtini vberioris ſuffarctus, a ſanguinis vegetiore impetu, iam ſuccedens decrementum pro cauſſa agnoſcentes.

Ratio, cur habilitas ad pro-

§. XIII. Tactum iam eſt ſuperius ſub *ætatum* diuerſitate tam *emicans*, quam rurſus *euaneſcens* negotium *habilitatis ad propagationem*

nem ſpeciei. Quod cum tanto manifeſtius contingat in ſexu *fœminino*, placet meam ſententiam de huius rei *ratione* ediſſerere. Dictum eſt, quomodo intra *ſeptimum ſeptenarium*, nempe ab anno 42. ad 50. corporis humani vniuerſum ſenſibile *augmentum ſtructuræ* deſinat. Quod adeo euidenter obſeruari ſolet, vt etiam, ſi quid de *textura* violatum *reſarciri* neceſſe ſit, maior hinc *tarditas*, imo ſubinde factæ reſtitutionis *debilitas*, obtingat, quam in *iunioribus*, inprimis quanto *magis talibus*. Iam cum ad *geſtationem* & *nutritionem fœtus* in vtero omnimodo neceſſe ſit, vt *vterus* ipſe fœmininus non ſolum reliquæ ſuæ texturæ, ſed inprimis *vaſorum* peculiariter ampliſſima *expanſione augeatur*: quin etiam ipſe ſanguis maiore quadam *compreſſione* e reliquo corpore vniuerſo eo adigatur, vt ita ſufficiens *nutrimentum* lymphale fœtui offeratur. Ad quas res ita debite perpetrandas opus omnino eſt *peculiari* quadam *directione*; vt de aliis paulo obſcurioribus *conſenſibus* inter corpus & animum *matris* & *fœtus* taceamus. Puto ex hiſce rebus ſatis commode colligi poſſe, quod tanto minus mirum eſſe debeat, ſi in tali corpore, quod iam *ſui ipſius* vlterioris *ſtructuræ* labore abſtinet, tanto magis abſtineatur a *ſociis* laboribus, & qualicunque operoſo *concurſu*, ad *alieni corporis* intra ſe ipſum *ſtructuram*, quoquo modo operoſius *inſtruendam*, *ſuſtentandam*, aut *promouendam*. — *pagationem iterum euaneſcat.*

§. XIV. Tanto dignioris autem conſiderationis eſt hoc negotium *fatiſcentis* ita *energiæ* corporis *conſtructoriæ*, cum etiam *animi energia* ſecundum ætates ſenſibiliter diſtincta eſſe obſeruetur. Imo non ſolum *diſtincta* eſſe, ſed etiam *cum corporis* ſtructura & adminiſtratione eius euidentes prorſus *conſpirationes* fouere. Ita enim nota eſt *minor* promtitudo & *agilitas* animi, inprimis ad *comparandum* atque *ratiocinandum*, in ætate *teneriore*, quam prouectiore. Sunt, qui hic etiam organorum nondum ſufficientem aptitudinem inſimulent, ſed reuera inepte; cum non de *ſpecie*, ſed ſolum de *numero* rerum percipiendarum ſit ſermo: ita vt etiam *infantes*, & inprimis *pueri*, intelligant, ſed ſolum non *tam multa* intelligibilia ex defectu inprimis *exercitii*; imo vero ex defectu *promtitudinis* procedendi, ſeu inter *multa progrediendi*, & reflectendi. — Animi energia ſecundum ætates diſtincta eſt, & cum corporis ſtructura conſpirat. Organorum aptitudo hic nihil confert.

§. XV. Quem actum *organicum* eſſe, quis conceſſerit? Vnde etiam in pueris, qui *acrius excitantur*, & inprimis cum *iucunditate* quadam ad *alacritatem* inducuntur, notiſſima eſt illa *præmatura* ingenii acuminis politura: cum ſiue propria *alacritate*, ſiue qualitercunque *coacta* diligentia *voluntatis*, *organicarum* qualemcunque ſiue — Ingenia præmatura.

neceſſitatem ſiue *vtilitatem* ita citius ad debitam ſuam maiorem aptitudinem inſtrui poſſe nemo crediderit. Imo vero apparet potius non obſcure aliquid *contrarii*: dum pueri, qui ita *præmaturius* rationis penitiori exercitio addicuntur, quo magis in hac re *excedunt*, eo magis & reliqui corporis *textura debilitetur*, atque *ſegnius* procedat, & ipſe hic rationis vſus aliquid *detrimenti* ſeu labefactationis in reliquam ſuam *durationem* experiatur: & iam *memoriæ*, iam *phantaſiæ* vitia potius poſt ſeſe trahat, quam vt ſuppoſitam aliquam *organicam* aptitudinem præcocem perficeret.

Horum textura corporis magis debilitatur.

Mœror cum ingenti deſiderio corporis ſtructuram impedit.

§. XVI. Tanto manifeſtior autem eſt *animi*, corporis expeditam & alacrem ſtructuram *impedientis*, *energia* in *mœrore* cum ingenti *deſiderio* coniuncto, quem Germani vulgo ſehnen oder Sehn-Sucht appellant. Multis enim exemplis hoc innoteſcit in *puerili ætate*, quando a ſuis ad peregrinos transmittuntur, & his adſueſcere non poſſunt, quomodo *nihil augeſcant*, ſed ſæpe etiam per longum tempus *extenuati* maneant, imo velut indies magis *tabeſcant*: reuerſi vero ad ſuos, cito ſatis atque promte cum *animi alacritate* etiam *corporis incrementum* præſentaneum & quam maxime conſpicuum adſequantur. Ita etiam de *inuidis* & cum *inuida* malignitate *iracundis* notum eſt vulgi adſertum, es ſeye ein grämiſches, mißgünſtiges Gemüth, und könne vor Neid und Gram nicht gedeyen, noch zunehmen, vnde etiam antiquior verſiculus: *Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.* Ita etiam *animus* in iuuentute ad *memoriæ* actum vulgo expeditior eſt: in *virili* & *ſeneſcente* ætate ad *iudicii* exercitium.

Inuidia itidem.

Luxus eneruat corpus.

Temperantes tamen etiam ſuo tempore ſenium experiuntur.

Laborioſa vita corpus durat.

§. XVII. Quamlibet etiam nimis quam verum atque certum vtique ſit, quod nimius *abuſus* rerum ad *luxum* pertinentium corpus *debilitet*, & velut ante diem *ſeneſcere* faciat; nihilo tamen etiam minus certum eſt, quod quantumcunque etiam tandem *temperanter* ſeſe gerat homo, *ſenium* ipſum nihilo tardius, quam in annos ſupra notatos, vtique perſentiſcat & experiatur. Imo eſt in eo etiam hoc peculiariter notatu dignum, quod *iuſtis laboribus* & *operoſa* vitæ ratione homines, veluti magis *durato corpore*, ad ipſam vsque *ſenectutem*, etiam *ſeram* ſubinde, & *alacriores* ſint, & *firmiores*: qui vero *mollius* habiti, nedum qui ipſo *luxu* eneruati, longe maturius in varias *debilitates*, imo *ſenium* vndique magis elumbe tranſeant. Vnde recte antiquitus iam notatum: *Iners & luxurioſa iuuentus effœtum corpus tradit ſenectuti.*

SECTIONIS I.

MEMBRVM VI.

DE SECRETIONE ET EXCRETIONE, VLTIMO VERE FORMALI *VITAE* ORGANISMO.

§. I.

PErpetuæ *circulationis* ſanguinis proximus comes eſt *perpetua* etiam *ſecretio* de ſupra nominatis illis diuerſis humoribus, inprimis *lympha*, tum ipſius etiam *ſeri* diuerſis apoſpaſmatibus. *Lympha* quidem ſecernitur ita maxime a *ſanguine*, & eius *ſero* magis *excrementitio*, vt in corpore remanens ſaltem ad aliquod tempus ſuæ *puritati* reſtituta, atque adeo *ſincera*, redeat per notabile illud interuallum, donec eidem ſanguini denuo remiſceatur, & cum illo *nouum circuitum* verſus omnes corporis partes coniunctim ſubeat. Circulationem perpetuo ſequitur ſecretio lymphæ & ſeri.

§. II. Circa hanc *ſecretionem lymphæ* huius a reliqua maſſa ſanguinis notari merentur illæ circumſtantiæ, quo *veriſimili mechaniſmo* ſeceſſio hæc contingat, & *quem in finem* veriſimiliter ita ſuſcipiatur? *Mechaniſmi* illius, quo *ſecretiones humorum* a ſe inuicem fiunt, commode conſiderari poteſt conſtitutio magis *generica*, & deinde demum magis *ſpecifica*. *Genericam* quod attinet, inuoluit illa peculiare paradoxon, dum nimirum omnes *ſecretiones* humorum, qui non *directe* & ſimpliciter ad ſuccedentem *excretionem* e toto corpore deſtinantur, ordinarie talem ſequeſtrationem *ſpiſſioris a tenuiore* inuoluunt, vt illud quod *ſpiſſius* eſt, *per tenuiſſimos* meatus in peculiaria receptacula ſecedere atque recipi ſentiatur: cum interim *tenuior* ſubſtantia, veluti non recipienda, ab his meatibus excludi videatur. Dico quod hoc inferat verum *paradoxum mechanicum*, quoniam ſimplicioris vtique conceptus atque veritatis *mechanicæ* eſt, vt *prius atque promtius tenuiores* potius humores in *tenues vias* penetrent, *excluſis* aut ſane *poſtpoſitis* ſpiſſioribus, quam contra. Mechaniſmus ſecretionum eiusque generalis ratio. Paradoxon mechanicum.

§. III. Suſceperunt hanc difficultatem expedire valde laborioſis *concipiendi*, nedum *fiendi* modis: dum videlicet, vti *ſingulis particulis* minimis humorum, ita etiam *ſingulis* colatoriorum *porulis* ita *determinatas figuras* adſignant, vt hæc nullius alterius *capacia* exſiſtant, quam talium, quæ ſibi mutuo ſimpliciter & abſolute *reſpondeant*. Sed quemadmodum huius opinionis difficultates poſthac ſeorſim monſtrabo, Ad hoc expediendum particulis & poris determinatas figuras adſignarunt.

ſtrabo, ita placet in præſenti potius poſitiue monſtrare, quomodo hæc ipſa talis *ſecretio* ſine vera eminente difficultate aut impedimento ſatis commode ſuccedere poſſit.

Secretionis huius modus fiendi.

§. IV. Primo notum eſt, ſub perpetuo progreſſu motuum horum humorum vaſa & meatus perpetuo in quodam *plenitudinis* ſtatu verſari, adeo vt non immediatus liber tranſitus ab extremitate tenuiſſimarum *arteriarum* per tenuiſſimas extremitates venarum, intra harum magis magisque ampliores ramificationes ita ſimpliciter pateat, ſed omnino *mora* quædam & veluti *reniſus* intercedat, donec *deceſſione* alicuius *partis* e toto alueo venarum, nouo *ingreſſui* minus impedito harum talium via pandatur: adeoque inter arterias atque venas humores hi, (quos *cum ſanguine* vna circumferri indicauimus) tantisper librati, *tandem* demum admittantur. Intra quod temporis ſpatium in partium mollium *poris* & *meatibus* medio illo tempore *preſſi*, *tenuiores* quidem in alios aliosque, inprimis autem ipſos etiam *tenuiores* ſtrictiorum partium *meatus* dilabendi tempus habent: eoque ipſo, *his delapſis*, interim reliquus ſanguis, quando tandem ita in venas *admittitur*, hac ſeceſſione neceſſario *ſpiſſior*, hoc ipſo tanto manifeſtius hanc fiendi rationem veluti commonſtret.

Seceſſio tenuiorum a craſſioribus quo modo fiat.

§. V. Quamuis autem hæc ipſa res pari penitus ratione etiam ad reliquorum humorum ſecretionis modos absque vlla difficultate applicari poſſit, v. gr. ad *lymphæ*, *ſpermatis*, *lactis* ſeceſſiones: meretur tamen in hoc negotio adhuc inſuper conſiderari etiam alia ſimplicis cuiusdam *mechaniſmi* ratio, quæ totam rem tanto proniorem reddit. Licet enim hi liquores, inprimis autem *lympha*, ſanguine non multo tenuiores haberi poſſent, monſtrat tamen illorum *diaphaneitati* vndique propior conſiſtentia, quod res aliter ſe habeant. Deinde inferuntur vtique hi ipſi etiam *ſpiſſiuſculi* humores in propria illa ſua receptacula primo ſemper *ſub conſiſtentia* ſatis fluida, *diluta*, cum *multa* inquam *aquoſa* ſeroſitate. Aſt vero cum etiam per illa ſua colatoria, non ſimplici aliquo & *indefinito* impetu irrumpant, ſed re vera in hoc ipſo etiam *mora* aliqua, & ſubinde quidem ſatis *notabilis*, requiratur, donec per ipſa *transmiſſi*, in ductus ſuos proprios iam ſinceriores pertingant: fit hoc ipſo *repetita* huius eiusdem indolis *ſeceſſio tenuioris* a craſſioribus.

Tribus rationibus confirmatur.

§. VI. Quam rem euidentius confirmat (1) *ſpiſſiorum* horum humorum ad menſuram reliquorum admodum exigua quantitas; (2) *vaſorum lymphaticorum* tanta *teneritudo*, vt etiam adhuc per ipſa

aquo-

aquoſæ tenuiori humiditati facilis *exſudatio*, adeoque ſeceſſio a ſpiſſiore portione ſatis manifeſto contingere poſſit; (3) in ipſa conſiſtentiæ *lactis* obſeruatione ſecundum experientiam; qua videlicet affatim notum eſt, quod *lac* nimis *copioſe*, aut nimis *ſæpe* emulgendo, neque notabilem aliquam *temporis* moram inter repetitas emulſiones interponendo, magis magisque *tenue & aquoſum* prodeat: ſpiſſius autem euadat, quando *plus temporis* interpoſitum fuerit.

§. VII. Cuius rei etiam exempla in *excrementitiis* nota ſunt; quandoquidem & *vrina* ſi mox poſt liquida aſſumta emittatur, non ſolum *copioſior* ſed omnino etiam valde tenuis prodit: e contra ſi diu retenta poſt plures demum horas profluat, & *pauca* comparet, & conſiſtentia quolibet intuitu *ſaturatiore*. Quid, quod vel ad ipſa *alui reiectamenta* hoc vere ſeſe extendat; vt ſi aluus *breuioribus* interuallis exoneretur, *liquidior* procedat: ſin autem ſponte, aut quacunque tandem neceſſitate *diu* cohibeatur, nihil niſi *ſicciora* & indurata ſcybala demittat. Quæ res etiam eo vsque nota eſt, vt plane ad leues *laxationes* ita ſe extendat, quibus promtius procedentibus etiam fluida reiiciantur: alicunde vero ſponte cohibitis, poſt aliquot horas *ſpiſſa*, imo poſt plures *dura* ſuccedant.

Exempla vrinæ & excrementorum hanc rem illuſtrant.

§. VIII. Nempe vt ex hiſce *factis* a poſteriori rei ipſius veritas ſatis diluceſcit: ita *modus* eius *fiendi* etiam a priori omni concipiendi æque atque ſuccedendi difficultate carere poteſt, quando talis meatuum atque receptaculorum *capacitas* agnoſcitur, in quam quidem cum *multa tenui* humiditate inuehi atque prolui poſſint huiusmodi etiam *ſpiſſiores* particulæ; interim per *longitudinem & anfractus*, tardius ſuccedente progreſſu *directo*, *tenuiores* humiditates INTEREA etiam per *transuerſum* paſſim, per *rariſſimam* ipſorum meatuum *texturam* exſudantes, & in quælibet alia receptacula facile iterum *irrepentes*, ſpiſſiuſculas illas portiones ita ſenſim DERELINQVANT, vt in talem conſiſtentiam, ſub qua deinde vlterius progrediuntur, ſinceriorem coëant. Commendat ſe hæc methodus ſumma certe & ſimpliciſſima inſuper facilitate ſuccedendi; cum altera illa & a priori nulla neceſſitate nitatur, quod hæc præſens tanta facilitas atque ſimplicitas pro eodem effectu affatim demonſtrat: ſed etiam multis manifeſtis difficultatibus inuoluta ſit.

A priori etiam nulla difficultas ſubeſt, ſecretiones hoc modo fieri poſſe.

§. IX. Enim vero, ſi hæ ſecretiones per illam commentitiam abſolutiſſimam *proportionem reciprocam particularum & pororum* colatoriorum perfici deberet, requireretur I. Vt cuiuslibet humoris *par-*

Altera methodus autem multis difficultatibus inuoluta eſt.

Prima deſumta eſt ex numero particularum, quæ non ſingulæ ſed in aggregato & largiſſimæ ſecernuntur.

particulæ per colatoriorum ſuorum poros tranſirent abſolute & ſimpliciter SIGILLATIM. Quod ex eo manifeſtum eſt, quia ſi *plures* quam *vna* eodem tempore tranſire valerent, abſurde allegaretur *figuræ ratio*; vtpote quam *magnitudo* pororum *duplex* ad *ſingula* corpuſcula transmittenda irritam ita redderet & inanem. Sed refragatur hic primus conceptus (1) *indoli* atque *motui* FLVIDITATIS; cum enim *fluiditatis* proprium & eſſentiale ſit, vt in AGGREGATO ſint eius conſtitutiuæ partes, non facile inde locum habet tam ſimpliciter *ſingularum* particularum quaſi proprius motus & inceſſus. (2) Abludit talis ſeceſſus per mera *ſingula* ab vſitato ſecretionum variarum TEMPORE; quandoquidem hoc ſatis *præceps* eſſe poſſe monſtrant *diabetes*, *diarrhœæ*, *ſudationes* &c.

Altera ex ſitu, qui in celerrimo humorum motu multis modis variatur.

§. X. II. Fuit hoc impedimentum ex NVMERO; ſuccedit ſecundum ex SITV, his rebus maximam difficultatem comminante. Certe enim qualiscunque, vt quidem abſolute neceſſe eſt, diuerſitas *figurarum*, ſiue in *anguloſitate*, ſiue *oblongitate* differente *particularum* & *meatuum* quæratur, quando horum talium *mutua* conſpiratio ad tranſitum fieri debet, abſolute neceſſe erit, vt SITVS *angulorum* corpuſculi cuiuslibet ad eosdem *apices pori* exquiſitiſſime correſpondeat. Quoniam autem tale quiddam in tam *citatiſſimo motu*, qualis in hiſce negotiis fit, ſimpliciter & *abſolute mechanice* ita infallibiliter euenire ab omni mechanica probabilitate alienum eſt: (vtpote quæ inter multarum diuerſarum *ſpecierum*, *numero* etiam innumerabilia corpuſcula, in *aggregato* inſuper fluido, & tamen ita *heterogeneo ſingula* cuiusque generis corpuſcula ſimpliciter exquiſitiſſimo quodam motu DIRECTO progredi, facere aut cogere poſſe, nemini videbitur: ſed potius nude ſimpliciter *fortuito*, quantum ad *ſingula* attinet, *motu* incedere atque ſuccedere veriſimillimum erit,) neceſſe itaque hic foret nouum quoddam Ens iterum ſuperaddere, nempe quod particulas illas ſingulas exquiſitiſſima DIRECTIONE *quolibet* MOMENTO ita coaptet cum PORIS pariter ſingulis, vt quolibet momento quælibet particulæ, iuxta ſuos ANGVLOS, quibuslibet APICIBVS, pororum etiam ſingulis *angulis* exactiſſime quadrent. Si enim hoc non fieret, ab inſequentium vlteriore impulſu APPRESSA ſub aliqua *obliquitate* vna aliqua particula porum ita *occluderet*, adeoque promtiſſime reliquum ſucceſſum ſufflaminaret. Præterea, ſi etiam eiusmodi *director* ad *ſingulorum porulorum oſtia* per nouam multiplicationem Entium apponeretur, (nam *ſingulis particulis* illum adiungere nimio plus eſſet) inuolueret

vtique nouam remoram *phyſici temporis*: quæ certe cum in *ſingulorum oſtiorum* tanto *numero*, quantus in variis *colatoriis diffuſioribus* agnoſcendus venit, non exiguam *retardationem* inueheret, addita illi *moræ*, quæ ex corpuſculorum *ſigillari* ingreſſu necteretur; iam multo plus *tarditatis* exhiberet, quam euidentibus ſecretionum ſucceſſibus *a poſteriori* reſpondere poſſet.

§. XI. III. Ingens noua difficultas eſt, quod per hanc mechanicam abſolute *neceſſe* eſſet, vt *nulli poro vlla alterius generis ſeu figuræ particula incideret*; præcipue talis, quæ aliquam multum in illum porum inſinuari valeret, qualia ſunt *conica*, *pyramidalia*, *cubica per diagonalem* &c. Vnde hic iterum opus eſſet *directore*, & quidem vel *nouo*, qui ALIENIS *appropinquationem præriperet*; vel certa noua energia inſtructo, præter ante dictam *appropriata* corpuſcula *dirigendi*, hac etiam altera, vt ALIENA corpora ſtatim & immediate *amoliretur*, niſi quidem ſemel per negligentiam admiſſa iterum operoſe *emoliri* velit.

Tertia ex alienorum tranſitu, quæ per eosdem poros tranſcolantur, licet alterius figuræ ſint.

§. XII. IV. Cum etiam *figura*, quæcunque a *globoſis polyedris* longius recedit, *fluido* motui inepta ſit; PLANA vero a motu fluiditatis alieniſſima exſiſtat: oritur hinc etiam *noua* difficultas. Cum enim introitus pororum ſub qualiscunque *planitiei* ratione concipi debeat; *globoſa* vero *polyedra* non niſi in SECTIONE exquiſitiſſime DIAMETRALI (nec ſane ibidem ſemper, repeto, *globoſa polyedra*) maximum ſuum ambitum habeant: omnia vero alia *diametro* ſaltem PARALLELA *ſegmenta*, cum *minoris* ſint ambitus, cum illa exquiſita *figuræ* ratione, quæ maximo *ſegmento* reſpondet, nihil commune habentia, hic prorſus in nullam conſiderationem veniant; interim tamen in talibus *globoſis polyedris*, etiam per quamlibet aliam *diuergentiam diametri* concepta *ſectio*, aut ſolum *inclinatio* talis corporis, diuerſam etiam *figuram* inferret: ſequeretur hoc loco iterum neceſſitas noui generis *directionis*; quæ quodlibet tale globoſum *polyedrum* in illum *ſpecialiſſimum ſitum diametralem* arrectum, *oſtio* ita *proportionato* admoueret, ſub quo ille e numeroſiſſimis diuerſis vnice, (in ipſo vno eodemque illo corpore, inquam diuerſis,) huic ſimpliciter quadraret. Vnde hic iterum plane *ſpecialiſſimo* directore, omnium autem exquiſitiſſime ELECTIVA directione, abſolute certe opus foret.

Quarta a motu fluiditatis, quæ nullam aliam quam globoſam figuram requirit, oſtia pororum vero ſunt plana.

§. XIII. V. Difficultas autem maxima, & vere *ſimpliciſſimus* omnium reliquorum *paralogiſmus*, eſt reſpectus MAGNITVDINIS AD FIGVRAS diuerſas. Certe enim corpora, quæ per hunc apparatum

Quinta a reſpectu magnitudinis ad figuras diuerſas.

tum *exquiſitiſſimæ figuræ pororum* diſcerni deberent, *erunt* vel eiuſdem *magnitudinis diametralis*, aut reſpectiue *diagonalis*, aut *diuerſæ*. Si *eiusdem* magnitudinis, *omnia pauciorum laterum* poterunt penetrare poros *polyedrorum*, & hæc *ſphæricorum*. Si *diuerſæ* magnitudinis, poterunt iterum *minora* penetrare per *foramina maiorum*. Quod autem *maiora* reciproce non poterint penetrare foramina minorum, nullo reſpectu *figuræ* nitetur, ſed ſimpliciter *magnitudinis*.

Sexta ab heterogeneitate liquorum ſecernendorum, qui ſecundum hanc hypotheſin homogenei eſſe deberent.

§. XIV. VI. Vt autem modo dictus *paralogiſmus* facile inducere poteſt, vt *ſubtilioribus* præmemoratis difficultatibus ſuperſedere liceat, ita iuuat hanc facilitatem notorium *practicum* phænomenon in contrarium. Per hanc enim operoſam hypotheſin neceſſarium vtique eſſet, vt hac ratione liquores a ſe mutuo ſecederent ſimpliciter & *abſolute homogenei*. *Contrarium* autem non magis in vno aut altero, quam ſingulis omnium abunde patet, vt nempe nullus illorum, vel vmbram velut *homogeneitatis* præ ſeſe ferat, idque adeo vsque, vt etiam in ipſis *excrementitiis* pars non ita minima *meliorum* ſubeſſe animaduertatur.

Simplicior eſt methodus, vt per poros differentis magnitudinis modo tenuiora, modo craſſiora decedant; & ſucceſſiue tenuiora a craſſioribus abſcedant.

§. XV. Certior autem & euidentior, quam hi irriti & inanes labores, eſt efficacia ſimplicis differentis *magnitudinis meatuum* ſecretoriorum, vt per alios *tenuiora* decedere poſſint, per alios contra *ſpiſſiora* ſolum. Huic enim rei ſicut ipſa diuerſitas *conſiſtentiæ* humorum, qui ita ſecernuntur, ſuffragatur, ita tanto facilior eſt conceptui *methodus* etiam, ſuperius a nobis indicata, qua *ſucceſſiue tenuiora a ſpiſſioribus abſcedunt*. Dixi quod experientia a poſteriori hoc ipſum confirmet; quod omnino ita eſt, dum primo *lympha* notabiliter *tenuior* eſt *ſanguine*; *ſerum* eminenter tenuius *lympha*; *ſaliua* & *ſputum* tenuioris conſiſtentiæ, quam *bilis*; *mucus* etiam inteſtinalis *bile* tenerior; *vrina* diuerſæ ſpiſſitudinis, ſemper tamen maioris quam *ſudor*. *Lac* & *ſperma*, quamuis vltimo ſatis ſpiſſa appareant, dignam tamen omnino notatu ducimus ſtatam illam noſtram animaduerſionem, quod ſub *liquida* magis ſpecie, nempe *diluta*, in ſuos meatus inferantur hæc liquamina, vbi demum per ſuccedentem *vehiculorum* ſuorum alio *dilabentium ſeceſſionem* hanc ſuam ſpiſſeſcentiam acquirant atque ſubeant.

Ad ſecretionis negotium præcipue tempus & organorum

§. XVI. Cæterum inter circumſtantias præcipuas ad ſecretionis negotium pertinentes, omnino vtique eſt *tempus*. Vbi notanda etiam eſt illa peculiaris circumſtantia, in variis *organis* ad excretionem etiam aliquam *ſecernentibus*, quod illa partim *mole exigua* ſint, & tamen

non

non ita raro ſic ſatis *multum euacuent.* Vbi quidem ratione minoris ipſorum molis notari vtique ſimul meretur, quod proinde etiam communiter non niſi *tardiuſcule ſecretiones* ſuas, nempe valde *ſucceſſiue* abſoluant, & rariores etiam *excretiones* inſtruant: reſpondente ita omni modo *temporis* menſura ſucceſſibus illis. Interim quod etiam per talia mole *minora* organa (v. gr. *per renes*, in potus inſolita copia ingurgitata, & *diabete;* per *inteſtinales* glandulas in *diarrhœis*) etiam intra *exiguum tempus multum* ſecernatur, partim tribuendum eſt *tono* harum partium tali *tempore* ad huiusmodi actus ſpecialiſſime *remiſſo;* partim etiam conſideranda ſimul familiaris in talibus caſibus materiæ etiam ita *ſecretæ & excretæ tenuitas*, ab ea conſiſtentia, qualem hæc organa alias magis *ordinarie* percolant, hoc ipſo plurimum diuerſa. Neque vero interim ſola *magnitudinis* minoris ratio ſatisfacit ad exhauriendam illam *tardioris ſecretionis* rationem; ſed pertinet certe eodem etiam proportio *vaſorum*, quæ ſub tali conſtitutione atque proportione partium & *pauciora & minora*, quam ad inſignem appulſum quadraret, neceſſario ſupponunt longiorem *temporis* menſuram, vt ita ſub *multis* circuitibus *ſenſim ſenſimque* aliquid ſeparetur. Vnde etiam talis ſtructura atque proportio inprimis obtinet in illis *ſecretoriis* organis, quæ dicata ſunt materiis *nunquam penitus* auferendis, ne dum *ſimul & ſemel* exſtirpandis: ſed potius vti ſucceſſiue ſubnaſcuntur, neque adeo ſimpliciter aut ſumma *promtitudine* nocent, ita *imminui* ſatis eſt, ne nimium increbeſcant; penitus autem, & inprimis *breuiſſimo impetu* exhauriri nullo intuitu neceſſarium. diuerſa magnitudo referri debent.

§. XVII. Dicendum autem etiam aliquid eſt de illa modernorum quorundam præfiguratione, vt illi quidem volunt, *mechanica*, quaſi nimirum materiæ ſecernendæ peculiari ſua propria *configuratione* partes illas *ſecretorias* ita *irritent*, vt illæ hinc conſtrictæ materias has ea ratione *exprimant & expellant.* Sed præter incommodiſſimum illud ſchema de *irritatione*, quod certe de rebus *mechanicis* prædicari abſolute ineptum eſt, contrariatur etiam experientia. Ita enim v. gr. non ſolum *vrina* poſt largiorem potum *tenuior* maxime, & profecto ſubinde a ſimplici *aqua* vix minimum diſcrepans, & *mox & affatim* ſecernitur; ſed etiam ex aduerſo *ſalſior* vrina (vt in *hectico-hydropicis*) & *rariſſime & parciſſime* ſecernitur, modis certe huic perſuaſioni e diametro contrariis. Vt nihil dicamus tam de ſpecifica illa *translatione medicamentorum purgantium ad inteſtina*, quando illa etiam ſolum immediate *ſanguini* per chirurgiam infuſa fuerunt: quam de *adſuetudinibus*, has Irritatio materiarum an locum habeat in hoc negotio.

euacuationes certis ſiue diei ſiue noctis horis perpetrandi; ſiue multum ſiue parum adſit materiæ, ſiue minus ſiue plus ſaturatæ, & ad quamlibet *irritandi* ſuſpicionem aptæ aut ineptæ. Quæ nempe omnia ab iſtis opinionibus alieniſſima vtique ſunt.

SECTIONIS I.
MEMBRI VII.
ARTICVLVS I.
DE
LYMPHAE SECRETIONE.

§. I.

Lymphæ & glandularum intellectum veteres nullum habuerunt, ſed eſt inuentum recentiorum.

PRæmiſſis his ita de generali ratione *organico-mechanica ſecretionum*, reuertimur ad *lymphæ* ſpecialem in hoc genere ſecernendi apparatum. Vti *lympha* ipſa veteribus ignota fuit, ita etiam *glandularum*, qualiscunque veræ *indolis* aut *vſus*, nullum reuera, quantumcunque etiam exiguum, *intellectum* habuerunt. Debetur autem hoc omnino recentioribus, quod vtrumque rectius obſeruauerint, ſiue vti vulgo loquuntur, (& communiter quidem veriſſimo ſenſu de *fortuito* vt a poſteriori actu) *inuenerint*. Detexit autem primus publice vaſa *lymphatica* in *meſenterio Bartholinus*: ſicuti paulo pleniorem *adenographiæ* rationem iniit *Warthonus*. Deinde *ductum thoracicum* adiecit *Pecquetus*: & de *meſenterii* præcipua in brutis glandula, ſano ſenſu centrali, *Aſellius* egit.

Hi tamen etiam poſterioribus aliquid vlterius examinandum reliquerunt.

§. II. Quemadmodum autem nihil ſtatim in ipſis ſui initiis perfectum eſt, ita hic etiam diuerſa vtique per ipſa initia adhuc reſtiterunt, quæ nondum ſatis perſpicua vlterioris demum peruestigationis, imo vero iudicii, opem atque operam exſpectarent. Primo enim non ſolum *Bartholinus*, ſed omnino plures etiam poſt ipſum, non obſcure *vaſa lymphatica* per *meſenterium* conſpicua diuerſa facit a *lacteis*, ibidem ſuo tempore conſpicuis. Deinde mutua proportio illorum *lymphaticorum*, quæ ex *hepate* deſcendentia liquorem ſuum pariter *ad* ſeu potius *per* centrum meſenterii ad *ductum thoracicum* conferunt, vix vsquam in iuſtam conſiderationem veniſſe apparet. Variis tamen ſuccedentibus temporibus obſeruari cœpit ex omnibus propemodum partibus

bus corporis recurrens *lymphaticorum vaſorum* multitudo; quorum etiam ſatis operoſas delineationes dederunt *Ruyſchius & Rudbeckius.*

Glandularum ſtructura qualis ſit.

§. III. Sunt itaque peculiaria *ſecretioni lymphæ*, & ſecretæ *receptioni* dicata organa, *glandulæ*, & *propria* magis *vaſa*, ab hoc ipſo vſu *lymphatica* dici ſolita. Circa *glandulas* nouus iterum ſpeculatoribus recentioribus obtingit labor, dum antiquorum opinionem, quod glandulæ *ſpongiarum* inſtar ſint, quæ tenues humiditates combibant, antiquare cordi habent. Volunt itaque, quod glandulæ omnes atque ſingulæ ſint *glomeres*, e tubulis ſubtiliſſimis filorum inſtar per numeroſiſſimos *anfractus* in huiusmodi *acerunm*, & veluti globulum *complicatis*, ita, vt vna quidem extremitas, qua aditus ad glandulam fiat, proprie ſit extremitas *arteriæ* alicuius: Quæ magis magisque tenuis, imo tandem tenuiſſima reddita, longiſſimo ſed tenuiſſimo tubulo, eiusque per innumerabiles anfractus atque mæandros facta complicatione, *glandulam* formet: altera vero ſui extremitate iterum in maiorem amplitudinem, ſenſim etiam vlterius ampliandam faceſſens, conſiſtentia interim ſumme tenui, *vaſcula* illa formet & conſtituat, quæ poſtea ſinceriorem *lympham* prouehere conſpiciuntur.

Conceptus de ſpongioſo-poroſa conſiſtentia glandularum illum de ſeceſſione tenuioris lymphæ a craſſiore ſanguine faciliorem reddit.

§. IV. Quamuis autem huius opinionis exemplum aliquod allegare poſſint in *teſticulorum* partim *humanorum* aliquali conuenientia; partim *murium* noſtratium *maiorum* teſticulis, qui huius rei ex ea parte, qua vaſa deferentia format, veluti exemplar euidens conſtituunt: fruſtra tamen ſit, *ſimilitudinem* generalem ſtatim & immediate pro vera abſoluta *identitate* ingerere, inprimis quando nulla reliqua neceſſitas talium rerum certitudinem ſuadeat aut confirmet. Sane vero in noſtro negotio etiam ipſe conceptus de *ſpongioſo-poroſa* conſiſtentia *glandularum* ſimplicius, quantum ſatis eſt, elucidare poteſt conceptum reliquum de *ſeceſſione tenuioris* lymphæ a *craſſiore* ſanguine, & ipſius *tenuiſſimi ſeri* a craſſiuſcula lympha. Interim circa hoc negotium non eſt quod cuiquam temere litem mouere velimus, contenti ſolum monuiſſe, quod quidem nec improbabiliſſimum ſit, ne dum abſolute negandum, quod glandularum ſtructura fortaſſis etiam illo modo ſeſe habere poſſit. Interim tamen re vera etiam nulla peculiaris *probabilitas*, præter nudam ſimilitudinem, hoc ſuadere poſſit, nedum vt vlla ita ſtatuendi *neceſſitas* incumberet. Tanto minus autem intereſt Medici circa has res intentius ſollicitum eſſe, cum illi ſimpliciter ſufficere poſſit nouiſſe τὸ ὅτι, *quod* glandulæ ſint organa *lymphæ ſecretioni* dicata; vt nempe inde

inde *reciproca vitia lymphæ in glandulas*, & *glandularum in humores* agnoſcere poſſit.

Vaſorum lymphaticorum ſtructura tenuis.

§. V. Vaſorum autem *lymphaticorum* paulo quidem manifeſtior eſt ſtructura, duabus præcipuis circumſtantiis conſpicua, *tenuitate* ſumma; & *valuularum multitudine*. *Tenuitas* certe tanta eſt, vt ſi hæc vaſa ab inuolucris illarum partium, inter quas ita diſcurrunt, curioſius denudentur, vel *digiti* ſubaſpero contactu fatiſcere poſſint. Interim cum ſub hac tanta propria ſui tenuitate nihilo minus variis aliis *tenacibus* partibus innexa ſint, duabus peculiaribus conſiderationibus anſam præbent. *Primo* nempe quaſi ſponte ſoluunt omne, quodcunque ſuboriri poſſet dubium, qui fiat, vt tam *rariſſime aliqua vere probabiliſſima talium vaſorum ruptura* eueniat? *Secundo quid attineat, vaſa hæc ita tenuiſſima formari?* ad quam ipſam etiam tam exquiſitem *teneritudinem* peculiaris aliqua ἀκρίβεια poſitiua concurrere iuſtiſſime concipi poſſit.

Eorum ſpecialis conſtitutio in homine.

§. VI. Sicut autem prioris illius rei iterum *ſpecialiſſima* quædam *conſtitutio in homine* peculiari nouæ penſitationi materiam ſubſternit; dum nempe in homine plus, quam in vllis brutis, aliarum fibroſarum texturarum *implexu* firmata ſunt *vaſa lymphatica*, & tamen homini præ omnibus brutis familiarior eſt *hydrops*, quem vulgo ab horum vaſorum *ruptura* deducunt: ita ſepoſita tamen tantiſper illa conſideratione, illud adſerere auſim, quod hæc ipſa tanta, & vndique quidem æqualis vaſorum lymphaticorum *teneritudo*, potius hinc poſitiue ad vlteriorem *ſeceſſionem tenuioris aquoſæ* ſeroſitatis facta videatur, quam vllius alterius reſpectus intuitu.

Teneritudo cuius vſus ſit.

Vaſa hæc magna potius ἀκρίβεια quam negligenter facta ſunt.

§. VII. Vnde quidem minime omnium me tangit, nedum mouet, illa forte ratiocinatio, quod vaſa hæc propter id ipſum tam *tenuia* relicta ſint, quoniam reliquæ *fibroſæ atque membranaceæ* texturæ implexu ſatis roboratæ, propria quacunque firmitudine eo ipſo nihil indigerent. Cum enim antea merito monuerimus, quod hæc *teneritudo* tanta ſit, vt longe certius *poſitiua* quadam ἀκριβείᾳ, quam nuda *priuatiua* quaſi *negligentia*, *facta* potius ita quam *relicta* eſſe appareat; præterea hic etiam *poſitiuus* huius rei *vſus*, quem allegauimus, ſatis probabilis ſit: habemus propterea talem *negligentioris* huiusmodi *ſtructuræ* opinionem pro minus, quam noſtra ſit, probabili.

Lymphæ negotium parum ad medicinam facit.

§. VIII. Vt verum fatear, quemadmodum vniuerſum *lymphæ* negotium ad *medicinam* directe oppido parum facit; vt nimirum ſiue ipſa *lympha*, ſiue quæ ipſi euenire poſſunt *læſiones*, ſiue *conſilium*

ſiue

ſiue *directum auxilium* Medici admittant; *pathologiam* vero etiam reuera magis *phyſicam* (nempe *ætiologiam*, quæ quidem *modum fiendi* forte adumbret, *indicationibus* autem *medicis* nihil lucis affundat) quam reuera *medicam* reſpiciat: non placet proinde nimium huic rei immorari, ſed potius progredi ad *vtilitatem* huius perpetuo ita *repetendæ* atque *continuandæ* ſecretionis.

§. IX. Quemadmodum *lympha* conſiſtentiam habet *ſpiſſiuſculam*, *gelatinoſo-ſubmucidam*, quæ cum *ſero ſalino bilioſo* formare poſſit conſiſtentiam *lentam muceſcentem*; cauere proinde expedit, ne talismodi materiæ *perpetuo ſui commercio* & *indiuiſo* concurſu in labem hanc mutuam incidant, ſed potius veluti perpetua aliqua matura *ſequeſtratione* intercipiatur illud vitium, quod e *ſocietate iugiter inſeprabili* ſubnaſci potuiſſet. Videmus certe huius rei ſpecimina a poſteriori, dum, quando *glandulæ* ſiue in *hepate*, ſiue in *meſenterio*, ſiue in *cute*, tanto magis autem hæ omnes coniunctim, ſucceſſiue obſtipantur, & *commeatum* debitum ſufficientem amittentes, *ſeceſſionem* hanc fruſtrantur, *hydrops* inde oriatur; cum manifeſta *lymphatico-ſeroſæ* humiditatis *mucoſitate*, & quidem non tam æque *lenta ac tenaci*, quam *pulpoſa* veluti, qualem *tragacantha ſoluta* formare ſolet. Ita nimirum *alterna* hac *ſequeſtratione* præoccupatur, ne *ſpiſſitudo* hæc oriatur, ſed potius *lympha* hac ratione alternis *ſinceritati* ſuæ reſtituta, velut ad ſe redeat atque reficiatur, dum interim illæ portiones *ſeri*, quæ ſub *hac mora* temporis ipſi intimius colliquari potuiſſent, etiam hinc inde per varia idonea *emunctoria* ſimiliter expellantur.

Margin: Vtilitas huius ſecretionis.

Margin: Hydrops vnde oriatur.

§. X. Cæterum *reditum lymphæ* per proprios ſuos ductus ad intima corporis, præter horum ex arctitudine in amplitudinem magis magisque augeſcentem progreſſum; & *valuulas*, omnem reditum ex *amplioribus ad arctiores* intercipientes; præter *tonum* vniuerſalem, quo humores ſemper *preſſione* quadam *contenti* incedunt; iuuat etiam maxime ipſe *pulſus arteriarum*: ad cuius vſum percipiendum, *maximo, quo magis ſimplex eſt, artificio vaſa* hæc *lymphatica* velut vndique non ſolum *arteriis* ad latus poſita incedunt, ſed etiam *fibris* tenacibus membranaceis, ſeu membranulis tenuibus quidem, ſed ſatis tenacibus, ita iuxta ipſas *arterias*, & ad harum latera, *concluduntur* atque *premuntur*, vt ſingulis *arteriarum pulſibus* hæc etiam vaſa *percellantur*, adeoque contenta in illis *lympha* hac preſſione pellatur, qua patet *progreſſus*, nempe hic quidem vnice retrorſum ad interiora.

Margin: Reditus lymphæ ad interiora corporis quibus adminiculis promoueatur.

SECTIONIS I.
MEMBRI VII.
ARTICVLVS II.
DE
SERI SECRETIONE.

§. I.

Secretio ſeri ſecundum diuerſas ſuas partes etiam diuerſis locis inſtituitur.

PRogredimur ad *ſeri* ſecretiones. *Serum* autem cum ſupra monuerimus, quod ſit *colluuies variorum* liqueſcentium χεραμάτων, proinde etiam *ſecretio* eius non *vno* ſimplici *loco* aut *organo*, ſed *pluribus* ac diuerſis, ſecundum has diuerſas ſui *partes*, inſtituitur. Progrediemur autem facilioris conceptus & ordinis ergo a copioſioribus eius partibus ad pauciores, adeoque primo loco de *humiditate* tenuiſſima *aquea*; deinde de *craſſiore*, & cum hac *ſalina* ſubſtantia; poſtea de *ſpisſiore mucida*; tandem de *bilioſa*, *acri*, ſulphurea dicemus: *tenuisſimam* autem maxime ad *halituoſam* atque *orgaſticam* indolem accedentem, cum *tenuisſima aquoſa* paſſim euacuari notabimus.

Colatoria materiis transcolandis capacitate pororum reſpondent.

§. II. Vti præcedente capite monuimus, quod *organa* colatoria *materiis*, quas transcolare debent, manifeſtiſſime omnium reſpondeant *capacitate pororum* ſimplici, ſiue ſecundum nudam *magnitudinem*: ita apparet huius rei documentum inprimis in hiſce colatoriis & emunctoriis, quæ *tenuisſimæ* ſeri portioni colandæ & ad excretionem admouendæ ſeruiunt. Quis enim in controuerſiam vocet, quod *cutis* textura inter omnia illa *organa*, per quæ aliquid humidi inſigni aliqua quantitate *transcolari*, aut penitus ad *euacuationem* magis immediatam deduci deprehenditur, omnium ſit denſiſſima. Merito ergo per illam, *cutim* inquam, inſtituitur *ſecretio* a craſſioribus, imo tandem admotio ad immediatam magis *emiſſionem*, ſeu excretionem humiditatis omnium *tenuiſſimæ*, nempe ſimplicius *aqueæ*.

Cutis textura denſiſſima ſerum tenuiſſimum transmittit.

Cutis etiam lymphalem humiditatem transſudat; præcipue tamen ſecretionis negotium inſtruit.

§. III. Interim non adeo æque vnice & abſolute *aquoſitatis* huius tenerrimæ ingreſſui patet *cutis vniuerſim* ſumta; cum notum ſit, quotidiano exemplo *ſcalptionis* intemperantioris, quomodo *excoriata*, vt vulgo vocant, ſumma ipſius ſuperficie omnino etiam *gelatinoſa lymphalis* humiditas ſatis promte & copioſe ita per hanc transſudet, vt etiam *cruſtam* ſpiſſam atque duram efformet. Sed eſt præcipua *vltimæ* organicæ ad minimum *excretionis* efficacia in cuticula, nempe

nempe ſuprema totius texti cutanei veluti *fornice*, & *coagmentatione* denſiſſima. Interim *ſecretionis* negotium, vtique vsque ad proximum vltimæ tenerrimæ *emiſſionis* gradum, non eſt dubium, quin reliqua etiam vniuerſa *cutis* inſtruat; ſicuti vel ex hoc ipſo phænomeno colligere licet, dum vtique niſi *profundius* lacerata cutis, nihil præter ſimplicem *limpidam* ſubſtantiam transmittit, ſi vel maxime ſumma *cuticula* violata fuerit.

§. IV. Habet quidem *cutis* etiam intertexta copioſiſſima, licet vtique tenuiſſima, *ſanguifera* vaſcula; habet innumeras quaſi *tenerrimas glandulas*. Interim quemadmodum *vaſa* acceſſui humorum, a quibus illa portio *ſegregari* debet, inſeruiunt; *glandulæ* vero veriſimiliter *lymphæ* retrouehendæ receptationi: ita reliquam *texturæ cutaneæ* ſpiſſitudinem vero ſimillimum eſt deſtinatam eſſe ad nudam atque ſimplicem *tenuiſſimæ* huius *aquoſitatis* per ſummam ſui ſuperficiem *emiſſionem*; ita tamen, vt tota ſua reliqua *textura* ſaltem *magis magisque tenue* & ſimplicius fluxile a quibuslibet *ſpiſſamentis ſequeſtratum* tantisper receptet, donec *tenerrima* eius portio per *tenerrimam* totius ſuæ texturæ tenuitatem tandem euadere poſſit. Vaſa cutis ſecretioni inſeruientia.

§. V. Notandum autem eſt, quod *excretio* hæc communiſſime atque ordinarie non fiat ſub conſiſtentia *fluida*, ſed potius *halituoſa*, per modum *euaporationis*, ſiue, vti vulgo etiam vocant, *tranſpirationis inſenſibilis*. Poteſt tamen etiam leuiter ſatis atque promte fieri, vt per leues commotiones, quibus humores & corpus paulo fortius *concaleſiant*, hæc *excretio* etiam ita *vbertim* procedat, vt re vera *fluxilem* conſiſtentiam *aquoſam* ſeruet, adeoque *ſudorem* formet: qui quidem, quando ſatis *placide* procedit, nihil aliud quam *tenuiſſimæ aquoſitatis* faciem exhibet. Excretio ſeri fit in conſiſtentia halituoſa, nonnunquam etiam aquoſa.

§. VI. Diluceſcit autem *mobilis* huius atque *volatilis* indoles etiam ex eo, quod in nudo temperatiſſimo etiam aëre *ſudor* talis longe citius ſicceſcat ex indúſiis illo imbutis, quam quælibet alia *humiditas aquea* iisdem pariter for[illegible] imbibita. Quando tamen *maiore impetu* atque copia profluit, contingit non raro, vt etiam de *ſalſedine*, ſi quæ per indiuidua in ſanguine *abundat*, aliquid ſecum proluat. *Spiſſiorum* autem materiarum, vt *glutinoſæ lymphæ*, *flauæ bilioſæ ictericæ* ſubſtantiæ, aliquando *ſanguinis* dilutioris, cum ipſo *ſudore* emiſſiones, per *præternaturales* meatuum huiusmodi *laxitates* eueniunt, & proinde non ſunt huius loci. Sudor citius ſicceſcit quam alia humiditas.

Huius ſecretionis & excretionis organa non ſolum in vniuerſa corporis ſuperficie patent.

§. VII. Quamuis autem huius generis *ſecretionis* & *excretionis viæ* atque *organa* latiſſime pateant, nimirum per *totum* corporis *ambitum*, & *vniuerſam* eius *ſuperficiem*; imprimis tamen qua *carnoſæ ſanguiferæ* partes *cuti ſubiacentes* eo *copioſiora vaſa ſanguifera* ad hanc distribuuntur: Ita nihilo minus non *ſola* hæc eſt via *ſecretionis & excretionis* huiusmodi *teneri aquoſi* humoris; ſed inuenit ille etiam tranſitum, imo exitum, per aliam *ſuperficiem*, ſi recte æſtimetur atque computetur, certe ipſam etiam *in ſpatium ingens patentem*.

Sed etiam in partibus internis reperiuntur.

§. VIII. Loquor de *internis illis* ſuperficiebus *veſicularum pulmonalium*: mirificæ certe, ſi *ſecundum ſuperficies æſtimentur*, *extenſionis*. Per has enim *tenues*, ſed *tenaces* tamen, adeoque denſius *textas* membranulas transſudat tenerrime *humiditas*, ſeu natura omnino apprime *tenuis*. Neque *transſudat* ſolum ita, adeoque *ſecernitur* a reliquis humoribus ſpiſſioribus: ſed *excernitur* etiam in *vaporem* reſoluta; nec omnino exigua *quantitate*, ſed ſi perpetuus eius *indeſinens ſucceſſus* æſtimetur, certe notatu quam digniſſima.

Transſpiratio hanc habet prærogatiuam, vt etiam per transuerſum exhalet.

§. IX. Habet hæc *transſpirandi* ratio prærogatiuas aliquas, ab *anatomicomechanicis* conceptibus non parum alienas. Cum enim his nulla alia via quadret ac reſpondeat, niſi ſola illa, qua humores *per vaſa* ad certas *partes* delati, in illas ita directe *influant*, adeoque ex illis fluoribus aliquid vlterius *diffluat*: habet, inquam, circa hanc conſtitutionem *transſpirationis* negotium illam prærogatiuam, vt etiam alicubi quaſi ſimpliciter per *transuerſum* exhalare, & veluti *ſpirare* poſſe appareat. Specimen eius rei peculiare exhibent caſus p. n., quando v. gr. in *fiſſura cranii*, ſi *lutum* loco affecto imponitur non admodum ſpiſſum, ita vt intra vnam aut alteram horam *ſicceſcere* poſſit, quando hoc deinde *amouetur*, conſpicitur quidem de reliquo ſuper denſo cranio ſubiacente *ſiccum*; quoad autem *fiſſum* fuit cranium, ſecundum ductum iſtius *rimæ* etiam *linea humida* in ipſo luto reſidua conſpicitur. Vnde vero hoc, niſi ab illis *humidis exhalationibus*, quæ ſpiſſam etiam tegumenti capitis *tunicam*, non ſecus quam *directe*, penetrarunt: aut ad minimum certe viuido ſuo incurſu ita partim ſuſtulerunt, partim impulerunt.

Effectus quidam recenſentur, qui de exhalatione fieri interna teſtantur.

§. X. Et occurrunt certe huius generis effectus etiam v. gr. in *pectoris vitiis*; vbi *refrigeratio* externa directe admiſſa ſenſibilioribus facile *oppreſſionem pectoris humoroſam* inducit. Imo etiam in *tenerioribus obuiſcatio* pororum in *cute pectoris* per *vnguinoſa* illita facile ſimilem *humectationem* copioſiorem internam producit: ſicut etiam

inun-

inunctio *abdominis* per nuda *pinguia alui humiditatem* ſeu *fluxilitatem* &c. Neque vero hic ſolum ſubſiſtit illa partim *effuſio*, partim *exhalatio* huiusmodi tenuioris aquoſitatis per exteriorem *ſuperficiem* corporis; ſed exſerit ſe eadem circa *internam* quarumlibet partium *ſuperficiem*, quacunque illæ non actu inter ſe inuicem *connexæ* ſunt, tam in *pectore*, quam *abdomine*. Vnde nimirum fit, vt omnes huiusmodi partes perpetuo *madore* inter ſe mutuo adfectæ & imbutæ ſentiantur, & tota ſui ſuperficie perpetuo humeſcere.

§. XI. Interim etiam *reditus*, ſeu nouæ inſinuationis quaſi poſtliminii iure, euacuatæ huius materiæ exemplum eſt etiam in ipſa hac ita *interna* eius partim *transſudatione*, partim nihilo ſecius iterum *reſorptione* eiusdem in *venas* communes ſine dubio ſanguiferas. Cuius quidem rei alterum exemplar aliquando ſeſe offert in *aquis hydropicorum*, etiam notabili quantitate iam *extrauaſatis*, dum illæ per *ſpecifica*, aut nuda *fortiora purgantia* aliquando ſimul & ſemel ita in vaſa *reſorbentur*, & ad inteſtina, aut ad *veſicam* per *diuretica* fortiora deducuntur, & *ſimul & ſemel* transferuntur, vt inde liquere poſſit, quam fortis atque copioſa fuerit illa *reſorbendi* efficacia. Altera ſubſtantia, quæ cum *tenuiſſima* hac aquea, inprimis ſub *halitus* forma recedente, vna non ſolum ſecernitur, ſed etiam ſucceſſiue excernitur, eſt vere *halituoſa* atque *vaporeſcens*, adeo vsque quidem, vt etiam ſub huiusmodi conſiſtentia ſæpenumero *in corpus ſeſe primo inſinuauerit*, quod in morbis *contagioſis* euenire ſolet. Huius rei exemplum peculiare offerunt *odores* cum *ſudore*, aut certe reliqua transſpiratione largiore *exhalare* ſoliti. Imo, ſi res bene ſuccedunt, etiam dictorum *contagioſorum halituum* per hanc eandem viam *inuiſibiles* euacuationes.

Materia illa interne exhalata partim per corpus peruagatur, & tandem per poros cutis erumpit; partim in vaſa reſorbetur.

§. XII. Quamuis autem in corpore bene conſtituto omnia *tranquille & æqualiter* procedant, vt quaqua verſum *decentes euacuationes* proportionatarum materiarum ſuccedant: notabilis tamen eſt in admodum *malignis contagiis* peculiaris illa naturæ *directio*, dum, vt tanto ſincerius ad hanc viam pro decente euacuatione breuioris moræ compellatur, cum vniuerſa reliqua humorum maſſa hac ipſa etiam ſubſtantia, *interiores meatus*, *inprimis ad quos plus ſeroſæ colluuiei penetrare ſolet*, vt inprimis *inteſtina*, magis ſollicite *conſtringit*, vt omni aditu illac intercluſo ad hunc vnum magis locum totus decubitus impellatur.

Tranſpiratio tranquille & æqualiter ſuccedit; præcipue vero in malignis contagiis.

Craſſior aquoſa portio per renes ſecernitur.
Renum ſtructura.

§. XIII. *Aquoſa* portio paulo craſſior, certe ad minimum per *ſalino-ſubmucidas* copioſiores particulas ſpiſſiuſcula reddita, ſecernitur maxime per *renes*. Non iniucunda vtique eſt horum corporum, *renum* inquam, ſtructuræ contemplatio; quomodo vaſa ſanguifera velut e centro aliquo per dimidium velut ouale corpus vsque ſub huius ſuperficiem diſtribuantur, interim illinc a ſanguine, ibi cum preſſione conſueta prætereunte, *tenuiores ſalino-aquoſæ* partes iterum *ad centrum* huius ſemi-oualis corporis tranſcolentur. Vnde etiam omnibus propemodum ſenſibus manifeſta eſt illa *condenſatio texturæ renum*, quæ a *ſuperficie* vniuerſa illorum *verſus centrum* illud ita luculenter augeſcit, vt cum in ipſo ambitu *molliculi* ſint (nempe a *laxiore textura*) renes, verſus illud ſui *meditullium* hæc laxitas magis magisque *conſtricta* tandem in *ſpiſſam* admodum *denſitatem* coëat. Vt adeo velut ad oculum hic diluceſcat, quomodo nihil niſi *tenuiores* portiones a *ſpiſſioribus*, per *arctatos ſucceſſiue* huiusmodi meatus, ſenſim ſecedere poſſint.

Vrina,

§. XIV. Eſt autem *vrina*, bonæ atque legitimæ conſiſtentiæ, liquor e *multa aquoſitate*, *moderata ſalſedine*, & late expanſa *mucido-pingui* ſubſtantia, *ſalſedini* ita ſatis tenaciter intertexta, compoſitus. Quanto melioris eſt temperiei, eo temperatius *flaueſcit* eius color; ita vt *citrinum* ſupremum repræſentet. In corporibus recte ſanis & inſuper vegetiore calore præditis, etiam bibere largiuſcule inprimis potus temperatiſſimos adſuetis, vt emiſſa eſt vrina, ita *limpida* atque *clara* perſiſtit, neque niſi poſt pluſculos dies, & vniuerſa quidem æqualiter, ſubturbida euadit. In iis tamen, qui multum edere adſueuerunt, nec alias etiam admodum calidi ſunt habitus, multum autem *humidi*, euenire familiariter ſolet, vt *turbida* non nihil euadens illorum vrina poſt aliquam temporis moram aliquid ad fundum demittat, quod ab hac ſubſidendi ratione vulgo *ſedimentum* vocatur. Quamlibet autem vrina his modis mutetur, dum tamen *emittitur* non ſolum, ſed etiam quam diu *calet*, *limpida* manet & citrina.

eius color,

ſedimentum.

Renes modo laxari modo ſtringi poſſunt.

§. XV. Interim dum per naturam etiam ſatis *craſſa*, nempe *non ſatis pellucida*, nedum *limpida*, emittitur vrina, quæ etiam ſæpe pro varietate affectus, dum refrigeſcit, non ſolum *copioſum*, ſed etiam ſatis *ſpiſſum* ſedimentum deponit: recte inde colligi & agnoſci poteſt, quod hi etiam *meatus renum* non ſemper eandem *ſtricturam* ſeruent, quam alias etiam ſecundum naturam exhibent. Sicut etiam alii caſus, ſed pariter præter naturam, occurrunt, vbi *arctioribus meatibus* per denſationem redditis nihil niſi *nimium tenuis aquoſitas*, & reliqua conſiſten-

ſiſtentia, & *coloris* etiam ingente pallore, a legitima vrinæ conſiſtentia plurimum diſcrepans, ſecernitur. Vt nimirum hic etiam ſatis diluceſcat, quod *renes* etiam *motui* eiusmodi pateant, quo tam *laxari* per tempus, quam iterum *ſtringi atque denſari* poſſint.

§. XVI. Diximus ſuperius, quales opiniones *de poris organorum colatoriorum* ad humores transmittendos ſibi finxerint recentiorum plerique, & monuimus etiam quid contra illas pugnet. In *renibus* alii iterum diuerſum quiddam ſuppoſuerunt, nempe *fermentum* peculiare, quod veluti *transmutando* ſimpliciter vrinam quaſi generet: aut certe peculiaribus illis, *odoris* non ſolum, ſed vere totius ſuæ conſiſtentiæ, adfectionibus inſtruat. Quamuis autem ſatis certum ſit, quod vtique vrina ad *fermenteſcendum* (nempe *putreſcendum*) admodum procliuis ſit; longe tamen inter ſe differunt *ad fermentationem* ſubeundam *aptum* eſſe, & *ex fermentatione* ſimpliciter & immediate ſubnaſci: iterum dico *immediate;* nempe in ipſis demum *renibus*. Cum alias geneſin vniuerſi *ſeri*, adeoque & omnium eius partium, per generalem quendam *concurſum fermentatiui* cuiusdam inteſtini motus ſubnaſci, non in dubium vocemus. Nec etiam ſermo hic nobis eſt de illis indiuidualiter ſingularibus impreſſionibus, quales vnum hominem præ altero vt in reliquo vniuerſo humorum ſuorum *ſyſtemate*, ita in *vrina* quoque habere probabile eſt. Quicquid autem huius ſit, teſtantur inprimis euidentiora huius rei exempla, quod mutationes iſtiusmodi ſpecialiſſimæ iam in vniuerſo complexu humorum præſto ſint (vti de *ſelectu canum ſagacium ex odore veſtigiorum* liquet) adeoque fruſtra eſſet illis aliquid in *vna aut altera parte ſeorſim* ſpecialiſſime imputare.

Fermentum in renibus vrinam generare aliqui ſupponunt.

§. XVII. Eſt autem motus hic *ſecretorius* vrinæ iugiter *continuus*, & nulla interruptione notabilis. Defluit inde e *renibus* vrina ad *veſicam* per *vreteres;* *membranaceos* nempe ductus, ſua natura quidem ſatis anguſtos, ita tamen *denſatis* ſui fibris, vt etiam *relaxari* poſſint, adeoque interdum ſatis amplam *capacitatem* formare. Ad *phyſico-mechanicam* conſiderationem curioſum omnino eſt inuentum illud *inſertionis* vreterum in veſicam, qua impeditur, ne quid e veſica in eosdem canales *retrocedere* poſſit. Dum nimirum *inter externas* fortiores carnoſas *fibras* veſicæ, & *membranaceam* eius *interiorem* tunicam ad aliquam diſtantiam decurrunt, & tunc demum *papilla* aliqua in ipſam cauitatem veſicæ patent; ita tamen, vt etiam ibi adhuc hæc papilla tenuem *veſiculam*, exiguo foramine peruiam appoſitam habeat, quæ, vt leui-

Vrinæ ſecretio & excretio. Vreterum inſertio in veſicam.

leuiter *flacceſcit*, ſi quid illam *a cauitate veſicæ* premat, comprimitur promte, vt nihil retrorſus intra ſuam aut vreterum cauitatem recipiat: quando vero ex vreteribus *deorſum* aliquid defluit, illam *extendendo* facile ita foramen eius expandat, & per illud in veſicam effundatur. Gemina huic ſtructura eſt etiam in *ductu cholodocho*.

Poſt potum largiorem tenſio a lumbis deorſum per ilia ſentitur.

§. XVIII. Interim etiam ſanis de reliquo, poſt *potum* tantum copioſiorem ſub noctem aſſumtum, quando vel *per ſomnum* profundiorem, vel etiam *per pigritiam* qualitercunque ſtimulanti vrinæ non obſequentes, ita vsque ad alterum mane inprimis *ſupini* iacere perſeuerant, familiariter euenit, vt *a lumbis deorſum per ilia* ad pubem tenſionem quandam ſingularem incurrant, cum vero quodam *plenitudinis* cuiusdam reſiſtentis ſenſu, qui etiam *emiſſa* largius vrina mox ſubſidet atque remittit. E quo phænomeno colligere eſt integrum, quod in hiſce caſibus, repleta ad tolerantiam veſica, etiam *vreteres* ſenſim ab *affluente*, ſed non in veſicam ſuſcepta, vrina ſenſim pariter *diſtenti* hunc ipſum ſenſum huiusmodi diſtenſionis efficiant.

Notanda hic eſt remiſſio toni; & reſumtio tenuioris ſubſtantiæ in vaſa venoſa.

§. XIX. Interim notanda vtique in omnibus huiusmodi caſibus eſt peculiaris illa naturæ, pro *admiſſione* recipiendorum affluentium, *remiſſio toni* fibrarum in partibus receptantibus, adeoque in præſenti negotio in ipſa etiam *veſica*. Ceterum iam ſuperius in genere traditum monitum quadrat huc etiam, quod nempe ex ipſa vsque *veſica* ſub longiore admodum *mora* temporis, multum ſimplicius *aqueæ tenuioris* ſubſtantiæ *dilabi* poſſit, & in vaſa venoſa *reſorberi*, remanente ſolum *ſpiſſiore* ſubſtantia.

Vrina ex ſanguine nata, & ſalinæ ſubſtantiæ ſalſior reddi poteſt per alimenta ſalſa.

§. XX. Quemadmodum autem cum *vrina*, ſi corporis etiam propriam internam œconomiam reſpicimus, *ſeri* ex ipſo ſanguine nati *ſalina* ſubſtantia ſecernitur; ita fit etiam par effectus in illis *ſalinis* rebus, quæ etiam *per os* in corpus demiſſæ fuerunt. Notum eſt eius rei ſpecimen ſatis euidens in *infantibus* adhuc *lactentibus*; dum quando *nutrices* admodum *ſalſis* vtuntur cibis, infantes non ſolum *multam* & *frequenter*, ſed etiam ita *acrem*, *ſalſam* reddunt vrinam, vt teneram illorum cutem etiam arrodat. Non diſpar ratio eſt etiam *oleagineorum acrium*: ſicut enim etiam in ipſa *vrina* aliquid tale *bilioſo-oleagineum* concurrit, ita fit etiam, vt exterius per ipſum *os* aſſumta *oleaginoſo-acria* ſimiliter ad *vrinarias* vias, & *craſin* vrinariam vergant, & per hanc euacuationem demum commode ſecedant: quod in *oleo deſtillato ſuccini & terebinthinæ* eluceſcit, quæ vrinæ non ſolum copioſius prouocandæ, imo *ſtimulandæ* (maioribus doſibus) inſeruiunt; ſed etiam

odorem

odorem peculiarem, doſibus quoque ſatis exiguis, ipſi conciliant. Sicut etiam ex aduerſo pinguia teneriora *acrimoniam* vrinæ mitigare, *acriuſcula* intendere, exemplo ſuo comprobant *amygdalæ:* quæ *dulces* priorem, *amaræ* poſteriorem effectum exhibent.

§. XXI. Cæterum in ipſis etiam *renibus* certum talem ſubeſſe *tonicum motum*, qui modo *intendere* poſſit illorum *ſtricturam*, modo *remittere*, exemplo eſt non ſolum ingens *imminutio*, ſed ſatis frequenter *ſuppreſſio* vrinæ, in *nephritide*: rene per ipſum manifeſtum ſenſum *altero* ſolum, & communiter quidem *ſiniſtro*, adfecto. Vbi per *conſenſum* etiam alter ren, tonica ſtrictura denſatus & compreſſus, parum aut nihil vrinæ transmittit, nulla alia eiusdem læſione intercedente. Ex motus tonici variatione imminutio & ſuppreſſio vrinæ deriuanda.

SECTIONIS. I.
MEMBRI VII.
ARTICVLVS III.
DE
MVCOSITATIS SECRETIONE.

§. I.

MVcilaginoſa ſubſtantia quando corpori inutilis imo *intolerabilis* eſſe incipit, proſcribi etiam ex illo & excerni debet. Fit autem *intolerabilis*, quando amiſſa *fluxili* ſua *gelatinoſa* lubricitate, atque placidiſſima *ſpiſſitudine*, in *lentam tenacitatem* tranſire incipit: adeoque *ſecretionibus* paſſim potius *impediendis*, quam quoquo modo *iuuandis* aut *ſubeundis* inſeruit. Mucoſitas inutilis & intolerabilis excerni debet.

§. II. Hæc talis materia ſecernitur ordinarie per *inteſtinorum* interiores glandulas atque villos, aut certe alterutrum horum. Vnde etiam communiter perpetuo hoc liquamine *lubrica* eſt hæc inteſtinorum ſuperficies: quæ etiam hoc ipſo a renum tranſeuntium duriuſcularum iniuriis illam tuetur, & harum ipſarum renum facili ſucceſſui, conciliata tali *læuitate*, velificatur. Neque hoc ſolum, ſed immerſa etiam & intertexta hac ſui ſubſtantia partim conſiſtentiam illarum reliquam arctius conſtringit, aut certe *compingit* & veluti *conglutinat*; partim *mollem* inſuper eandem conſeruat, neque facile *ſicceſcere*, adeoque indureſcere ſinit. Ordinarie per inteſtinorum glandulas atque villos ſecernitur.

Rarius & non ſine periculo in aliis locis fit eius ſecretio.

§. III. Rarius euenit, & ſemper quidem perperam, vt hæc *muci* talis ſecretio in intimiore *larynge*, *aſpera arteria*, imo ipſis tandem *pulmonibus* cooriatur. Quin etiam in *naribus*, *infundibulo*, & ſupremis *faucibus* per glandulas ibi ſitas, *tonſillas*. Licet autem hæc ſecretio etiam in his locis ſæpenumero *promte* ſatis & *copioſe* fiat; nunquam tamen fit *commode*, imo ſine *periculo*, inprimis autem in *pectore*.

Veſica mucore illita ab vrinæ ſtimulo munitur.

§. IV. Ceterum immiſcetur etiam non nihil huius ſubſtantiæ *vrinæ;* tanto magis, cum ipſa interior *veſicæ ſuperficies* perpetuo tali mucore ita *illita* conſpiciatur, vt nullum dubium ſit, quin illius *lentore & lubricitate* ab vrinæ ſtimulatione muniri debeat.

Mucoſitas hæc corpori alias inutilis magnæ tamen vtilitatis eſt.

§. V. Notabilis autem eſt vtique ſapientiſſimi in *ſimplicitate* magna artificii vſus, energia atque ſumma vtilitas, dum hac ratione ipſum etiam hoc *excrementum*, quod corpori nihil amplius vtile, imo potius intolerabile, iam iam ex illo emouendum eſt, ſub ipſo hoc tempore adhuc *vſibus* peculiaribus inſeruit, vt alterius *craſſioris* excrementi faciliori expulſioni ſubueniat, quæ quidem ſine hoc ipſo medio plane non ſuccederet, quin certum damnum inferret. Neque vero ſolum aduerſus iniurias atque noxas *fæcum* aluinarum, a cibis reſiduarum, inteſtinis ſubuenit hæc *mucoſitas;* tam hæc *lubrica* reddendo, quam ipſas illas fæces, intermixtione ſui *molles* conſeruando, quæ alias facile ſicceſcentes, aſperitatem certam ſubituræ eſſent: ſed defendit etiam ipſa adeo a *bilis* ſimpliciore acrimonia, ne illa profundius in tunicam inteſtinorum penetrando, *ardoribus* variis anſam præbeat, & ita varias horum ſtricturas atque ſpasmos poſt ſeſe trahat.

Hæc inprimis animaduertitur in embryonibus.

§. VI. Eſt autem huius rei ſpecimen prorſus peculiare in *infantum* corporibus, quamdiu adhuc in materno vtero detinentur. Sicut enim in his *bilis* vtique e ſanguine ſecernitur, & tanquam per ordinariam ſuam viam ad *inteſtina* deponitur, ita quamcunque etiam mitis eſſe poſſit, tamen in proportione teneritudinis inteſtinorum infantilium non caritura eſſet ſufficiente tali ſtimulandi energia, niſi *muci* huius interceſſio impediret. Interim cum etiam hic ipſe mucus in iisdem omnino ſimiliter & *ſecerni* debeat, & *excerni*, interim *excretioni* hoc quidem tempore locus nondum pateat: temperat tantiſper hic *mucus bilis* acredinem, vt ſine damno in inteſtinis toleretur, quoad tandem edito in lucem fœtu, totum hoc magma ſimul eiiciatur. *Meconium* vulgo vocatur, & eſt re ipſa nihil aliud, niſi hoc quod diximus *magma*, *e bile* & *excrementitio muco* conflatum.

SECTIO

SECTIONIS I.

MEMBRI VII.

ARTICVLVS IV.

DE BILIS SECRETIONE.

§. I.

VTi propemodum in omnibus rebus œconomiæ corporis humani recentior ætas aliquid innouare opinionibus in animum induxit; ita etiam de *bile* proprios quoſdam ſingulares conceptus ſibi paſſim formauit. Fuerunt, qui *bilem* non e *ſanguine* vndique *ſecerni*, atque tandem *excerni* agnoſcerent, ſed magis *immediate* ſubtiliorem, imo ita *meliorem* atque floridiorem partem, e cibis, per *ductum cholodochum ad folliculum fellis aſſurgere* ſibi perſuaſerunt. De bile etiam ſingulares conceptus formati ſunt.

§. II. Quemadmodum autem nemo facile aſſentietur, quod ita ſimpliciter e *promiſcua maſſa* ciborum vix dum reſolutorum, per ſimplicem quendam ductum, aliquid ita plane ſincerum e media colluuie ſecedere potius, quam vllo modo ſecerni poſſit: ita tollit vniuerſum hunc conceptum ſtructura ipſa *inſertionis*, qua hic ductus in inteſtinum ingreditur; *deſuper* inter *fibroſas exteriores inteſtini tunicas* ad *pollicis* latitudinem *ſuper interiorbus* membraneo-villoſis *rependo*, & tunc demum in cauitatem inteſtini ingrediendo; vbi inſuper *orificium* eius parua quadam *veſicula* hemiſphærica inſtructum eſt, quæ minutiore foramine peruia eſt. Vnde quidem, ſi quid e *cyſtide* ſeu veſicula fellis *deſcendit*, facile inde & vniuerſus *ductus* & hæc *veſicula* inflantur; & per huius *foramen* hac ratione *expanſum* effluit contenta materia. Illam e cibis per ductum cholodochum ad cyſtidem aſſurgere inſertio huius ductus refutat.

§. III. Per has eaſdem autem circumſtantias reuera impoſſibile eſt factu, vt ex inteſtino aliquid vel *in ductum* ipſum ingrediatur, vel per ipſum *ſurſum*, ad veſiculam fellis perueniat. *Compreſſus* enim, niſi quid *deſuper* in illum impreſſum ipſum expandat, & alias eſt hic ductus inter haſce tunicas; & eo inprimis tempore, quo cauitas inteſtini ciborum liquamine *inflata*, adeoque *interior* membranarum pars *extrorſum* diſtenta, adeoque contra illum ductum *appreſſa* eſt, eumque hac ratione contra exteriores carneo-fibroſas tunicas *premit*: quæ Per quam impoſſibile eſt, vt ex inteſtino aliquid in ductum ingrediatur vel per ipſum ad veſiculam perueniat.

cum in perpetua aliqua tenſione ſint, reniſu quodam ductum hunc verſus interiorem reprimendo, omnino illum potius oppreſſum & *occluſum* detinent, quam vt quicquam in illum ingredi permittant, niſi aliunde & inprimis quidem *deſuper* a veſicula fellis aliquid in ipſum impellatur.

Figmentum Syluii.

§. IV. Succedit figmentum illud *Syluii*, quod longo tempore multum aſſenſus apud varios reperire apparuit; quaſi nempe *bilis* quidem e veſicula fellis *deſcenderet*, ſed non tam *excrementi* alicuius vicem ſubiret, quam magnis imo *neceſſariis* prorſus vſibus inſeruiret, ad chyli vtilis ſeparationem ab inutilioribus & feculentis plane portionibus. Sicut autem hoc commentum ſtatim in eo ſponte fatiſcit, quod in *humano* corpore ipſa *bilis* cum *ſucco pancreatico* immediate concurrat, antequam in inteſtina perueniat, adeoque *ſucceſſiuam* illam commixtionem cum cibis, & huius medio, effectum illum ſuppoſitum *præcipitationis* penitus amittat: ita perit totus huius opinionis neruus. De quo etiam plura, vbi de *chylificatione* dicendi erit occaſio.

Bilis ab aliis pro balſamo corporis habetur.

§. V. Sunt alii, qui *bilem* pro peculiari *balſamo* corporis interpretantes, illam equidem e *folliculo* ſuo in inteſtina effundi, interim ibidem non tam *excrementis* ſociari, quam cum *chylo* quoquo modo denuo remixtam, in maſſam humorum refundi contendunt. Sed ſubſunt hic etiam variæ difficultates partim a *priori*, *partim a poſteriori*. *A priori* volunt illi, quod *balſamica* illa efficacia *bilis* præcipue conſiſtat in humorum præſeruatione a *mucida* ſpiſſeſcentia, aut *vappida* corruptela: a qua *hydropicas* & *œdematoſas* intemperies prognaſci autumant. Refellit autem hanc opinionem, quantum ſatis eſſe poſſit, notus ille *fœminarum* affectus, *iuniorum* inprimis, *chloroſis*; vtpote qui familiariſſime cum *cachectica* conſtitutione concurrit, *œdematode*, inquam, ſubtumida: cum tamen hæc *bilioſa* conſtitutio e *colore* poſitiue flaueſcente euidentius diluceſcat. Deinde & a poſteriori videmus vtique in *ictero*, inprimis ſaturatiſſimo, quem *nigrum* vocant, nusquam apparere vllam, nedum proportionatam, efficaciam cuiusquam talis energiæ *bilis* in reliquos humores, quod tamen omnino per hypotheſin fieri neceſſe eſſet.

Duas bilis partes vtilem & inutilem ſupponere, difficultatibus laborat.

§. VI. Præterea non ſatis diſtinguunt harum rerum adſertores, *tota ne* bilis, an aliqua ſolum, *certa* illius portio, huiusmodi effectui idonea, aut ad illum deſtinata exſiſtat? Communiter enim hi tales etiam neutiquam inficiantur, quod non minima reliquæ bilis portio cum *aluinis* fæcibus extra corpus eiiciatur. Duplicem etiam *bilis* ſubſtantiam ſupponere, quarum altera *inutilis*, adeoque magis ſimpliciter

ter excrementitia ſit; *altera* ita iuxta hypotheſin *vtilis* & *balſamica*, nusquam adhuc æque diſerte ſupponunt. At vero etiam reliquam *bilem* vel perpetua illa *balſamica* energia, imo vſu illo pollere, vel indifferenter ad vſum talem aut ſimplicem *excretionem* ſeſe habere, nusquam æque definiunt; quo intuitu quidem ita hæc etiam opinio, difficultatibus ſuis implicata, manet.

§. VII. Interim illud certum eſt, quod *bilis* ipſa *alui excrementis colorem* conciliet, adeoque cum ipſis vtique egeratur. Patet hoc tum e *defectu* bilis, quando obſtructo *ductu* cholodocho excrementa, caninorum inſtar, *alba* prorſus egeruntur: tum ab *exceſſu* eius, aut magis corrupta conſiſtentia, vnde deiectiones *bilioſæ* varii generis iam *vitelli* ouorum inſtar *flaueſcentes & renteſcentes*, iam *graminis virorem* referentes, iam altius *æruginis* inſtar virentes, tandem obſcuro ex viridi quaſi *cærulaſcente* colore conſpicuæ, quas proinde *iſatodes*, tanquam *iſatide* herba (qua cœruleus color tingitur) infectas, appellant. Bilis alui excrementis colorem conciliat.

§. VIII. Quæ res, vt inprimis in *infantibus* maxime conſpicua, ita *bilioſam* eſſe hanc æque atque *meconii* tincturam *vireſcentem*, tria ſuppetunt argumenta: (1) quod *acriores* illæ corruptelæ infantibus inprimis eueniant ab *iracundia* nutricum; quam in *adultis* etiam *bilis* intemperantiorem effuſionem ſuſcitare notum eſt: (2) quod huiusmodi *colorum* bilis alterationes etiam *artificiali* imitatione eueniant, quando bili extra corpus exemtæ *acida* remiſcentur; *lac* autem nutricum (nam *lactentibus* hæc talia euenire ſolent promtiſſime, aliis rariſſime) vti ſponte ad *aceſcentiam* vergit: ita cum *bile confermentans* vehementem *aciditatem* huic conciliat; quam etiam ipſe *nidor* in diſtans diffundit, atque adeo teſtatam reddit: (3) quod canes, qui reliqua lactentium excrementa auide deuorant, *bilioſa* talia ne quidem attingant. Cæterum de *acida* huiusmodi bilioſorum excrementorum *acredine* teſtari vtique poſſunt tum καύσεις, *arroſiones*, & *excoriationes* ani, quæ *infantibus* ab huiusmodi excrementis exterius, vt interius, grauia tormina obtingunt: tum *linteaminum* penitus tam vehemens *corroſio*, ac ſi *aqua forti* infecta fuiſſent &c. Tribus argumentis confirmatur. Bilis acida acredo.

§. IX. Neque vero etiam de nihilo eſt illorum ſententia, qui bilem ſui affuſione etiam *ſtimulare* quadantenus inteſtina ad tempeſtiuam *excretionem* fæcum aluinarum, e cibis reſiduarum, interpretantur. Sicut enim aucta illa bilis *acrimonia* inteſtina fortiter ſtimulat; imo etiam *inferne* per *clyſteres* iniecta bilis animalium alui excre- Bilis inteſtina ſtimulat ad excretionem fæcum aluinarum.

 tio-

tionem fortius ſollicitat: ita in *proportione* ordinariam etiam bilem aliquid horum efficere rationi omnino eſt conſonum.

SECTIONIS I.
MEMBRI VII.
ARTICVLVS V.
DE
FAECIBVS ALVINIS.

§. I.

Excretiones non ſolum domeſticas, ſed etiam alienas aduentitias materias afficiunt.

SIcus hactenus dicta excretionum genera etiam materias veluti *domeſticas* corpori pro ſubiecto habent, ita *aduentitias* quoque a reliqua corporis vtilitate alienas ſimiliter afficere, vti neceſſitas poſtulat, ita effectus docet & commonſtrat. Sunt autem præcipua & craſſiora quidem horum generum *recrementa*, quæ ex *aſſumtis ſolidioribus*, dimiſſis tenerioribus nutritiuis partibus, in inteſtinis reſtitant.

Fæces nulla ſecretione ſed tantum excretione indigent. Motus periſtalticus.

§. II. Hæc vti nulla *ſecretione* indigent, niſi *priuatiua* ſolum, quæ nempe ab illis potius aliquid ſeparet, & aliorſum deducat; ita tanto facilior eſſe poteſt *excretio* horum ſimplicior. Fit hæc itaque ſolo *motu* inteſtinorum, quem *periſtalticum* vocant; compreſſione nempe inteſtinorum ab ambitu verſus interiorem cauitatem facta, adeoque & ſpatium continens anguſtante, & materias contentas hoc ipſo pellente. Notanda autem venit huius motus plane peculiaris moderatio, qua circa res omnem alterationem *concoctoriam* reſpuentes nihil mutationis admittit aut ſuſtinet, ſed conſuetum ſuum reliquum *progreſſum* ſimpliciter ſeruat. Eſt vero hic veluti ſtatus huius *periſtaltici motus* progreſſus, vt intra 24. horarum ſpatium fæces aſſumtorum egerantur.

Propulſio fæcum moderate & tacite procedit.

§. III. *Succeſſus* propulſionis harum fæcum per longitudinem inteſtinorum, quæ in homine ſatis magna eſt, (maxima vero propemodum in *graminiuoris* animalibus) proinde admodum moderatus eſt: vnde etiam nullum ſui ſenſum exhibet, ſed prorſus tacite ita procedit. Expoſitus tamen eſt hic etiam motus *conſuetudinis* mutationibus; vnde ſecundum hanc in aliis *bis intra vnum* diem, in aliis vix *duobus diebus ſemel* ſeſe exſerit. Promouet hanc excretionem ſufficiens *dilutio*, & *motus corporis* moderatus: retardat vero *deſidia* ſimplici-

pliciter *otioſa*, quin leui ſtimulationis etiam *voluntarius neglectus* atque *retentio.*

§. IV. Fæces autem has non ſimpliciter ita, ſicut ab aſſumtis reſtiterant, iterum recedere, ſed notabiliter vtique *alteratas*, manifeſtum eſt: inprimis e peculiari *fœtore*, non tamen ſimpliciter *putrilaginoſo.* Innoteſcit hoc inprimis ex illo notiſſimo phænomeno, dum diuerſi generis animalia, v. gr. *homo*, *canis*, *felis*, *porcus*, quando etiam cibum atque potum prorſus eundem, v. gr. *panem & aquam* vſurpant, diuerſiſſimi tamen nidoris fæces reiiciant, imo reliquæ etiam conſiſtentiæ diverſitatem manifeſtam habeant.

Fœtor earum in diuerſis animalibus diuerſus.

§. V. Sicut autem ad hanc ipſam diuerſitatem *bilem* aliquid contribuere poſſe vero ſimile eſt; cum *ſulphureæ* ſubſtantiæ etiam vulgo, neque quidem ita plane contra bonum ſenſum, pro præcipuo *principio odorum atque ſaporum* habeantur: ita adhuc certe a veriſimilitudine alienius eſt, peculiari ad hanc rem deſtinato *fermento* ſtercorifico hanc veluti peculiarem poſitiuam efficaciam ita tribuere, vt illud proprie *in hunc finem* præſto eſſe cenſendum ſit, vt *ſtercus* directe ita & non aliter fiat. Quod profecto a ſana ratione vehementer alienum, & potius quoquo modo credibile eſt, per prægreſſas longinquas alias ſpeciales prædiſpoſitiones hoc euenire, vt rerum etiam iam olim, & velut e longinquo ſpecialium, tandem etiam in ipſa *corruptione*, nulla directa *eſſentiæ* ſed magis nudæ *conſequentiæ* ratione, etiam talis vltima corruptio ſubſequatur.

Hæc diuerſitas potius bili quam fermento ſtercorifico tribuenda eſt.

§. VI. Re vera vero vt in ipſo *phyſico* negotio res hæc inſignem conſiderationem non mereri videtur, ita tanto minus *medicam* conſiderationem ſingularem poſtulat. Vnde etiam de ſede & velut officina peculiari huiusmodi fermenti minus placet ſollicitos eſſe. Ad illud autem, quod vulgo de *inteſtino cœco* hoc nomine adferunt, dicere conuenit, quod in illis animalibus, in quibus hoc inteſtinum quam *maximum* eſt, nihil huius effectus ſentiatur: ſed potius ſimpliciter hoc inteſtinum denuo accipiendis, & velut vltima quadam ad *concoquendum* mora detinendis atque fouendis cibis inſeruiat. Quod quidem in omnibus *graminiuoris* obuium eſt æque ac *graniuoris*; quæ vltima etiam plane *duplex* habent tale *cœcum* inteſtinum, cuius capacitas reliquam ſuperiorum proportionem totam euidenter ſuperat. Secundum quas circumſtantias tam diuerſos effectus vel *vni eidemquem* iſtorum *inteſtino cœco*, vel diuerſarum ſpecierum diuerſis, ſed non adeo abſolute aſſignare, cum veriſimilitudine conſiſtere poſſe non apparet.

Num inteſtinum cœcum ad hunc effectum aliquid conferat.

§. VII.

Liquidior fæcum ſubſtantia ſæpe iterum in vaſa reſorbetur.

§. VII. Diximus aliquid iam ſuperius de illa ſecretionis etiam hoc loco aptitudine, vt, quod iam ad *excretionem* propius admotum eſt, tamen denuo de *liquidiore* ſubſtantia ſibi admixta aliquid amittere ſoleat, vt in tenuiores vias reſorptum in reliquam humorum maſſam redundet, per alias vias reiiciendum. Illud confirmatur etiam exemplo *dyſenteriæ* vehementioris reciproco; vtpote in qua cum tanta copia *ſeroſæ*, crudioris materiæ per aluum exturbetur, ſæpe contingit, vt *vrina* tantiſper plane ſubſiſtat.

Prouida excretionis fæcum adminiſtratio in rebus ſolidis & peregrinis.

§. VIII. Notabilis autem omnino eſt *motuum* horum, quibus *excretio* harum fæcum perpetratur, ſumme prouida adminiſtratio in rebus *ſolidis*, *periculoſæ* admodum habitudinis, exemplo minime raro aut inſolito *vitriuororum*; ſicut etiam in deglutitione v. gr. *nucleorum integrorum* prunorum: e quibus vtrisque in inferioribus quidem inteſtinis rariſſime vlla noxa obtingit.

Eiusdem inverſio; & breui tempore ad inferiora proturbatio.

§. IX. Inſuper autem notanda etiam vtique venit illa huius generis varia *moderatio motus* huius, qua ipſe non ſolum, vti ſupra monitum, *velociter* aut *tarde* perpetrari *poteſt* atque *ſolet* in diuerſis ſubiectis; ſed etiam penitus *inuerti*. Vt videlicet, loco progreſſus ſui *a ſuperioribus ad inferiora*, plane *contra* ab *inferioribus ad ſuperiora* dirigatur: vti non ſolum in reliquo ſimpliciore, ſed inprimis *Ileode vomitu* notum eſt. *Deorſum* etiam hunc ipſum motum breuiſſimo tempore *proturbari* poſſe, tum aliæ *diarrhœæ* exemplo eſſe poſſunt, tum inprimis *dyſenteriæ*: in quibus familiare eſt, vt hauſtus aliquis potulentus, intra dimidium horæ quadrantem per ſedem iterum reiiciatur.

Hæc excretio fit motibus. Hic neque veterum facultas retentrix debilitata, neque læuitas, laxitas & lubricitas agnoſci poſſunt.

§. X. Cæterum omni modo memoriter tenendum eſt, quod hæ excretiones *motibus* fiant, *contractionibus*, *compreſſionibus* inteſtinorum. Vnde aliena eſt illa vulgaris locutio veteris ſcholæ, de *retentrice facultate debilitata* in talibus caſibus; cum ibi potius ſemper, iuxta illorum eorundem loquendi modum, *expultrix irritata* accuſanda veniret: re vera enim non *debilitas* inteſtinorum, aut vt quidam loquuntur *laxitas*, *læuitas & lubricitas*, ibi agnoſci poteſt: ſed actualis *ſenſibilitas* maior, & propter illam eiusmodi *motus* celeritas. Quamuis hic *ſenſibilitatem* non æque intellectam velim craſſiorem, ad *dolores* vsque: quandoquidem notiſſimum eſt, & *dolores* inteſtinorum ſine talibus *motibus* vigere poſſe; & *motus tales* ſine manifeſtis *doloribus*.

SECTIO-

SECTIONIS I.

MEMBRI VII.

ARTICVLVS VI.

DE LACTE ET SPERMATE.

§. I.

SVperſunt *ſpermatis* atque *lactis* ſecretiones. De vtriſque quantum ad *inſtrumentalem* rationem attinet, oppido parum dici valet. Quamlibet enim de *teſtium* ſtructura non contemni mereantur recentiorum obſeruationes anatomicæ, quomodo illi tanquam e *filamentis*, *concauis* ſine dubio, per innumerabiles anfractus inter ſe replicatis, coagmentati videantur: tamen cum tali liquore taliter *ſecernendo*, *elaborando*, aut quocunque tandem modo *afficiendo*, nulla profecto abſoluta *connexio*, aut qualiscunque tandem ſimilitudo comparet. Duplicatur difficultas ex eo, quod etiam de *ſpermatis* propria conſiſtentia nullus penitus conceptus nobis ſuppetat; adeoque neque ex parte ipſius, neque ex organi latere, vllus *mutuus reſpectus*, aut vlla *proportio* appareat.

De ſpermatis & lactis ſecretionibus parum dici poteſt,

§. II. Vnde quicquid de hac re annotare eſt integrum, nihil niſi *hiſtoriam* complecti poteſt, in qua præcipuam notam meretur *tempus primæ eruptionis*. *Pubertatis* tempus vulgo dicitur, quando huc-usque velut inutiles teſtes, poſthac veluti *ſimul & ſemel* facta perruptione, liquamen ſpermaticum ſuppeditare obſeruantur. Fit hoc, vti iam ſupra tactum eſt, circa finem *ſecundi ſeptenarii*, anno *decimo quarto* vel circiter. Contingit autem ſimiliter vna cum hac perruptione notabilis quædam *inflatio* cum reliqui corporis, tum inprimis *glanduloſarum* & *ſpiritalium* partium. Vnde notæ ſunt duæ illæ mutationes, altera in *maſculino* ſexu, *vocis*, vt illa e *clangoſiore* in *aſperiorem* & *retuſiorem* tranſeat: in *fœminino* vero ſexu, facta genitalium partium & humorum prima inſigni commotione per coitum, *turgeſcentia* quædam *colli* obtingat, de qua iam olim poëta, quod - - - *queat heſternum collum circumdare filo*, nec omnino plane de nihilo eſt traditio.

Tempus primæ eruptionis ſpermatis, & mutationes cum ipſa contingentes.

§. III. Quemadmodum autem valde diuerſa eſt *liquoris genitalis maſculini* ab *humoribus fœmininis*, magis ad *externa generationis* concurrentibus, indoles; dum hi *fœminei* magis ad *ſinum* ſolum *pudoris*

Semen maſculinum ab humoribus fœminarum differt.

pudoris, ſeu *vaginam vteri* prodeuntes, magis ſimpliciter *cohabitationi* ipſi ſubſeruire videntur, quam vlterioribus eius effectibus: ita obſeruatur etiam altera peculiaris circumſtantia in *maſculinis* corporibus, quæ, inprimis in vniuerſo *brutorum* genere conſpicua, meretur vtique conſiderationem, ad minimum tantiſper, quantum ad ipſam *hiſtoriam* ſeu facti veritatem.

Corpora fœminina quomodo a maſculinis diuerſa ſint.

§. IV. Antiqua eſt traditio, quod fœminæ temperamenti ſint *frigidioris & humidioris* quam viri; vnde pullulauerit, non æque certum habeo. Illud autem experientia teſtatur, quod *humores*, & cum illis vniuerſa *texturæ* conſiſtentia, ſimplicius *aquoſioris* ſint craſeos: in *virili* autem ſexu magis γλισχρȣ, *ſpiſſiuſculæ* conſiſtentiæ, *ſubmucidæ*, *gelatinoſæ*. Innoteſcit hoc & incurrit manifeſto in ſenſus, *duplici* experimento. *Primo* nempe *viſu*, dum animalium *maſculinorum* carnes etiam *viſibiliter* & *rubicundiores* ſunt, imo tam ad *viſum* quam *tactum* nimio magis *lubricæ* atque *rubicundæ* etiam. Id quod non ſolum in *taurorum* non caſtratorum, ſeu gregariorum, carnibus manifeſtum eſt, & *hircorum* etiam, atque *hædorum* ouilli generis: ſed ipſorum omnino *gallorum* gallinaceorum. Tanto magis autem deprehenditur ingens illa γλισχρότης *guſtu*. Quemadmodum enim *taurorum* gregariorum, (Bullochſen-Fleiſch) *hircorum* & *hædorum* carnes propter hoc ipſum vel ipſi plebi diſplicent, quod *faſtidioſa* quadam *lubricitate* palatum offendere videantur; quod ipſum etiam proportionate in ipſis *gallis* gallinaceis pari ratione ſeſe habet: ita contrarium huius rei adeo pariter ſolenniter notum eſt in fœmininis carnibus, vt hinc inprimis male audiat *vaccina* caro, quod coctione (velut *aquoſitatem* ſuam reliquæ aquæ aſſociando) nimium contabeſcat, es ſchrumpfe gantz zuſammen, laufe gantz ein, ſed etiam *guſtui* deinde nihil niſi odioſam quandam quaſi *ſicceſcentem*, *exſuccam* ſane inertiam offerat, vnde indignantur, es ſey altes zähes Kühe-Fleiſch, da weder Kraft noch Saft innen, ſeye nicht anderſt, als wann man Säge-Späne im Munde hätte &c.

Prouentus ſeminis corpus inſigniter alterat, & magnam diuerſitatem efficit.

§. V. Quamuis autem negari non poſſit, quod hæc res etiam ſtatim in *primis teneris* ætatibus ſeſe ita offerat; quod e curioſa animaduerſione *ſaporis* magis aut minus γλισχρȣ in ipſis vitulis diuerſi *ſexus* facile deprehendi poteſt: ita certiſſimum tamen eſt, quod circumſtantia illa prouentus *ſpermatici*, & inde in vniuerſum corpus redundantis *materialis* cuiusdam alterationis, inſigne quiddam hic poſſit; monſtrantibus hoc ſpeciminibus diuerſitatis ſecundum has circumſtantias in *ma-*

ſculis

ſculis ſibi relictis, & e contra *caſtratis*. Siquidem notiſſim hic eſt diuerſitas in hoc genere tam *boum caſtratorum* a *tauris* integris, & *hædorum* a *veruecibus*; quam peculiares præterea illæ conſideratu certe digniſſimæ mutationes, tum *odoris* olidiſſimi in *hircis*, qualem etiam, licet paulo mitiorem, ipſi *hædi* offerunt, tum inprimis vniuerſæ *conformationis* reliquæ *externæ* figuræ: dum nota vtique eſt ingens illa differentia externæ configurationis *boum caſtratorum*, in comparatione ad *tauros* integros, imo ipſorum *caponum* a *gallis* aliis; quandoquidem *graciliorem* quidem, ſed omnino etiam *diffuſiorem* corporis molem ita adſequuntur. In *humanis* etiam corporibus notum ſatis eſt ex Italicis exemplis, quomodo in prima pueritia *caſtrati* neque ſupra dictam illam *vocis* alterationem incurrant, neque *barbam* nanciſcantur; *capillis* interim propius ad muliebrem morem ſuccreſcentibus, vbi etiam *Hippocrates* iam annotauit, quod caluities ipſis non obtingat.

Seminis ſecretio non ſtatim efflagitat ſui excretionem.

§. VI. Notanda porro eſt huius *ſeminalis* ſecretionis peculiaris habitudo, dum licet omnino *ſecretio* eius etiam iam procedat, *excretio* tamen retardari poſſit. Vbi certe altioris merito conſiderationis eſt, quomodo hoc ita fieri poſſit in *hoc vno* ſecretionis genere, quod in nullo alio ita pari penitus ratione obtingere obſeruatur. Enim vero idem *numero* ſperma, quod ſemel in teſtes ſecretum eſt, ibidem retineri per longiſſimum ſæpe tempus, nemo crediderit. Quomodo itaque in reliquos humores *reſorbeatur*, & ibi etiam ſenſim *emeritum* fatiſcat, & ſui *diſſolutione ſerum* ipſum augeat, dignum vtique eſt penſitatione: cum, quod iterum monemus, nusquam in reliquo toto corpore tale quiddam contingat.

Retentio eius interdum incommoda adfert.

§. VII. Enim vero fit etiam, ſed omnino rarius, vt huiusmodi *retentio* grauia incommoda tam in *motus* quam in *phantaſiam* incutiat: nempe affectus *conuulſiuos* & *deliria*. Sed omnino ſatis raro hoc facit, imo vix vnquam, niſi peculiaris *commotio ad excretionem* proximam multum *irritationis* conferat, ſiue *corporalis* ſit, ſiue *intentionalis ſpeculabunda*, *phantaſiis venereis* ſuperſtructa.

Pollutiones nocturnæ.

§. VIII. Euenit tamen etiam adhuc in ſtatu, vt loquuntur, ſic ſatis *ſecundum naturam*, in hominibus *ſanis*, in *pleno victu & otio* viuentibus, fere tamen etiam *libidinoſæ phantaſiæ* indulgentibus, vt hæc excretio ſpontaneum exitum affectet per *pollutiones nocturnas*, vbi cum *phantaſiis* in ipſo ſomno *venereis* excretio hæc perpetratur. Quamlibet autem *laborioſiores* motus corporis in otioſioribus de reliquo ſubie-

ctis huic eiectioni modum faciant; euenit tamen in *alacrioribus*, vt nec ipſæ laborioſæ corporis fatigationes huic effectui aliquid detrahant: imo ſubinde exagitato ita ſanguine velut aliquam *ſtimulandi* efficaciam exſerant. Non placet autem in præſenti de his rebus prolixiorem eſſe, cum alio adhuc loco, vbi de *generatione*, aliqua ad hanc claſſem reſpicientia dicenda veniant.

Semen ſingularum partium deciduum.

§. IX. Iam ante monuimus, quod de *eſſentia ſpermatis* aliquid dicere irritum ſit & *impoſſibile* factu. Vnde etiam veterum circa hanc rem conceptus re vera fruſtra ſunt. Putauerunt autem, ſemen *a ſingulis partibus* totius corporis *decidere*, ſingulas inquam partes corporis *ſingulare ſui ſeminium* præbere. Sicut enim quotidiana experientia variorum *mutilorum*, qui tamen *integros infantes* generant, facile contrarium docet: ita nimio notior eſt etiam energia *imaginationis*, quæ non ſolum partes aliquas *auferre* poteſt, etiam eo tempore quo iam penitus *formatæ* fuerant, ſed etiam non ſolum *nouas*, ſed penitus *alienas* ſuſcitare. Vbi in priore caſu ſeminis illius non tam *rudimenta*, quam pleniora iam *incrementa*, ſimpliciter ita *in nihilum reducere*, aut ad minimum *diſſoluere*, minoris ſine dubio operæ atque laboris eſſet, quam *nouum* tale ſeminium pro tali noua parte, *iuxta has hypotheſes*, progignere.

Leewenhoeckii & Dalempacii opinio de ſemine.

§. X. Abeunt in hac re iterum recentiores in conceptus varie diuerſos, quibus tamen præeunt tres præcipui hodegi, *Leewenhœk*, *Malpighius*, & *Sturmius*. Primus horum aſſignat *maſculo* ſemini non ſolum *materialem* futuri fœtus ſuppeditationem; ſed etiam inprimis ſtatim ad ipſum viſus conſpectum, *viuidam* huius materialis quaſi rudimenti *actuationem* & *agitationem*: & hoc inſuper adeo fœcundo prouentu, vt in vna ſpermatis eiaculatione huiusmodi realium *vnius ſingularis corporis ſeminiorum*, etiam numero plurima ineſſe intelligi debeant: (dum vtique autor vel in *vnius guttæ* adhuc parua *portiuncula plura* vno talia conſpexiſſe profitetur.) Euagatur adhuc vlterius *Dalempacius*, dum *Leewenhœckio* oculatior eſſe affectans, in iſtorum quaſi *vermicularium* corpuſculorum, de quibus ille agit, velut inuolucris *integrum humanum corpus iam efformatum* ſibi conſpicuum affirmat, atque pictura ipſa efformat.

Malpighii.

§. XI. *Malpighius* e contra, *materiale* illud imo corporeum rudimentum, quod viſibilibus indies incrementis augeſcens, corporis totius texturam tandem adſciſcat, in fœmineo tributo ſpermatico hære-

re,

re adeo luculenter confirmat, vt v. gr. *in ouiparis* hoc corporeum *rudimentum*, & primum quaſi *filamentum*, etiam in illis ouis reperiri teſtetur, ad quorum conceptionem & excluſionem *maſculus* plane non concurrerit.

§. XII. Maxime omnium autem ſpeculabunda eſt *tertia* illa præfiguratio; quaſi nempe *numerus* innumerus & indefinitus corpuſculorum iam *integre efformatorum* omnium ſpecierum *animalium*, *magnitudine* imperceptibili exigua, in tota atmoſphæra obuolitet. Hoc nusquam obhæreſcere poſſe, aut retineri, quam in *ſolo* tali loculamento, quale in vtero fœminino *per fœcundum coitum* maſculinum, ſiue *efformetur*, ſiue iam in iſta minima ſtructura a prima inde creatione efformatum hac ratione ſaltem *expandatur*. Vt nihil dicamus de hac tali ſpeculationum miſeria, ſatis tamen illud hinc eluceſcit, quod tot conatibus veritas nusquam magis firmari, quam potius in dubia adduci videatur. Sturmii.

§. XIII. Interim cum ex allegatis, & inprimis *extraordinariis* illis ſecundum conceptam *alienæ imaginationis* præfigurationem, corpus exſtruendi energiis ſatis compareat, quod *materialis* cuiuscunque lineamenti aut rudimenti oppido parua ſit neceſſitas, excepta fortaſſis illa vna, ſub qua, aut a qua hæc actiua energia realiter atque ſubſtantialiter communicatur: manet hinc re vera probabiliſſimus omnium ille conceptus, quod maxime *actiuum* tale ens per ſperma transfundatur. Quamuis illud propterea ſpermati quaſi *materialiter* ineſſe aut inhærere, & perpetuo inexſiſtere, propterea non ſtatim neceſſe ſit ſupponere: ſed etiam ſub *actibus* demum *externis* generationis ipſi imprimi, & in ipſo veluti concitari. Clariores autem conceptus in negotio vndiquaque obſcuriſſimo exſpectare irritum omnino arbitror. Ens actiuum per ſemen transfunditur.

SECT. I.

MEMBRI VII.

ARTICVLVS VII.

DE LACTIS SECRETIONE.

§. I.

Lactis ſecretio quamuis in ſatis amplo atque diffuſo organo fiat, nempe copioſa *glandularum* compage in *mammis*: manet tamen abſo- Lactis ſecretio implicata manet.

 lute

lute implicata tam *proportio* glandularum harum, ad huius generis liquorem ſecernendum, qualis *ſpecifice* exſiſtat; quam *progreſſus* huius humoris plane peculiaris ratio atque proportio.

Mammæ ſecretionem non præſtant.

§. II. Quod enim hiſtoriam huius rei attinet, ſciendum omnino eſt, quod *mammæ* quidem alias *ordinarie* nullam huiusmodi ſecretionem præſtent. Licet enim in ipſis nuper natis infantibus ſortius compreſſæ atque vellicatæ *mammæ* aliquid *turbidi liquaminis* ſuppeditent; imo etiam in *adultis virginibus* tam preſſione frequentiore, quam *ſuctione lac* aliquando ſuppeditare poſſe, exemplis teſtibus agnoſcantur: tamen ſimplici ſibi relicto naturæ curſu & progreſſu horum nihil fieri, ſatis etiam notum eſt.

Secretio & excretio quando & quomodo fiat.

§. III. Fit autem & *ſecretio* eius, & ad *excretionem* veluti conniſus, quando mulier vel *partui vicina* eſt, quamuis hoc ipſum aliquanto rarius; vel quando partu iam *edito nutritioni infantis* ſui merito intenta eſſe debet. Aſſurgit ita *puerperis*, de reliquo vndique bene conſtitutis, etiam vel ipſo *primo die* a partu aliquis in mammas *confluxus*: ſed eſt communiter humiditas, quæ illo tempore ſeſe ſiſtit, *tenuior adhuc*, etiam alterius lactis *ſero* ſimillima, *ſubturbida* magis quam *lactea*. *Tertio* vero circiter, aut *quarti* potius initio, craſſius etiam *lac* copioſius in mammas *irrumpendo*, *tendit* has atque premit tanto magis, donec *exitum* nanciſcatur, aut iterum *diſſipatum* ab hac via in poſterum abſtineat.

Lac non ſponte erumpit, ſed preſſione aut ſuctione opus eſt.

§. IV. Enim vero ſimpliciter propria ſponte non facile perrumpit *lac*, vt liberum ſuum ſucceſſum ita vel *quærere* impetu quodam videatur, vel *adſequatur*. Adiuuandum potius vtique eſt tam *preſſione* mammarum emulſiua, quam *ſuctione* infantis. Vtroque modo, inprimis autem ipſa *preſſione* cum prudente *moderamine* inſtituta, extenduntur magis *meatus*, vt tanto patentior exitus liquori contingat. Qui cæteroquin, per ſuam reliquam eximiam *ſpiſſitudinem*, longe facilius reſtagnare atque ſubſiſtere poſſet.

Lactis ſecretio ſtatim excretionem efflagitat, alias ceſſat.

§. V. Interim notanda hic omnino eſt etiam plane peculiaris huius ſecretionis inſtitutio. Sicut enim paulo ante de *ſpermate* notauimus peculiarem prorſus eius *tolerantiam*, qua ſub perpetua *ſecretione*, omnino ad *excretionem* reſpiciente, nihilo minus *actualem excretionem* non æque ſimpliciter ſiue ſpectare videatur, ſiue vrgere; ſed potius continuante perpetuo iuſta ſecretione *excretioni* quandocunque tandem promtum & paratum ſeſe gerere: ita penitus contraria ratio ſeſe ſiſtit in *lactis* ſecernendi & excernendi negotio. Quando enim

hoc

hoc commode quidem, & inprimis etiam copioſe colligitur, atque reſtagnat, ſi tunc eius nihil omnino excernitur, familiariter intra 2. 3. dies, etiam hæc eius ſecretio ita *retrocedit*, vt poſtea etiam quoquo modo reuocari recuſet, ſed fere pertinaciter emaneat, donec de integro noua penitus eius productio locum inueniat, nimirum nouo partu obtingente. Valet hæc res adeo, vt quando etiam fœminæ iam *expeditiſſime* lactantes, in quibus & *promte & copioſe* lac ſecernitur, imo etiam per infantes iam *robuſtiores ſuctione* proportionata copioſius excernitur, ſi tales, ſepoſito tali, infanti *recens nato* mammas præbere ſuſcipiant, qui *parum* ſolum & *debilius* ſugere ſolet, familiariter fit, vt lac ipſis ſponte *euaneſcat*, id eſt *ſecretio* eius ceſſet, illo etiam quod iam ſecretum eſt denuo in antiqua vaſa, venoſa nempe, & adeo in maſſam humorum communem, *regurgitante*.

§. VI. *Conſiſtentiam* imo *eſſentiam* ipſam lactis quod attinet, poteſt de illo in genere affirmari, quod nihil aliud ſit, quam ipſe *verus* CHYLVS, ab *heterogeneitatibus* magis depuratus & ſincerior. Speciatim autem dici debet, quod ſit compoſitum quoddam e *ſubmucido-pinguibus* atque *ſubtiliſſimis terreis*, & quadantenus etiam *ſalinis* corpuſculis, *multa aquoſitate* dilutis, *indolis* inter animalem atque vegetabilem craſin adhuc *mediæ*. Hæc ipſa vero *media* adhuc eius indoles præbet proprie præcipuum argumentum, quod lac re vera nihil aliud ſit, niſi *chylus*; ſubſtantia nempe adhuc quadantenus *crudior*, & a craſi *animali* remotior, nempe propinquior adhuc illi, vnde proceſſit. Cum vero animalia, quæ lac *ſaturatioris* conſiſtentiæ præbent, ſint maxime talia, quæ *vegetabilibus* plurimum nutriri amant, vt *quadrupedes graminiuoræ*, *vaccæ*, *capræ*, *oues*; imo etiam homines *pane* copioſo victitare ſueti, *fermentato* & *fermenteſcente*, *cereuiſia* etiam, imo vino valde *ſalino*, vtentes: fit inde, vt in lacte etiam, nempe vti diximus *chylo recentiore*, ad *animalem* craſin minus adhuc *aſſimilato*, & reliqua vegetabilis temperiei veſtigia perſiſtant, & inter hæc primore quaſi loco *aciditas*, imo potius *aceſcentia*, nempe *fermentatio aceſcens*, ab *animali craſi* reliqua alieniſſima.

Conſiſtentia ſeu eſſentia lactis.

§. VII. Monſtrat autem huius compoſitionis in lacte veritatem etiam crudior experientia. Dum *pinguedinem* eius monſtrat ſeceſſio *cremoris* ſupernatantis; adhuc magis autem ex hoc *cremore* craſſo etiam quodam atque promto modo contingens ſeceſſio *actualis pinguedinis*, *butyri*. *Mucilaginoſam* eius conſiſtentiam commonſtrat tum ſimplex aceſcentis lactis *grumoſitas*, ita omnino *lubrica* guſtui atque tactui,

Compoſitio in lacte ab experientia demonſtratur.

tactui, vt etiam inde apud Germanos noſtros locus ſit appellationi, Schlipffer-Milch: ſicut etiam *ſerum* lactis, poſt iam inde præcipitatam hanc ſpiſſiorem portionem, tamen adhuc notabilem ſubmucidam *lubricitatem* retinet. *Terreſtris* autem *aridior* eiusdem ſubſtantia ſatis vtique dilucescit in *caſei* conſiſtentia, illius inprimis, qui e lacte *pinguedine ſui cremoris* iam priuato conficitur. Neque vero de *acetoſitate* eius, aut de modo, quo illam contrahit, nempe per *moram* & *calorem*, cooriente promta *fermenteſcentia*, prolixum eſſe placet, cum res ſit notiſſima.

Aliud teſtimonium de lactis conſiſtentia.

§. VIII. Imo vero ſuppetit aliud adhuc huius rei teſtimonium, quod etiam adhuc crudiores, minus alteratæ, quin forte etiam minus alterabiles, variæ particulæ, *vegetabilem* inprimis ſuam indolem adhuc retinentes, ſicut in recente *chylo* ex inteſtinis ſecretæ, & in maſſam humorum transmiſſæ fuerunt, cum hoc ipſo *lactis* nomine ad mammas perueniant. Ita enim inprimis e *purgantium* vſu nutricibus exhibitorum ipſos etiam infantes purgari notiſſimum eſt; & plebis etiam obſeruatione notum, quod per hyemem, quando *ſtramine* forte hordeaceo vaccas ſuas alunt pauperiores, lac inde proueniens, præter reliquam inertiorem conſiſtentiam & ſaporem etiam *amaricantem*, *butyrum* præbeat non ſolum *parcius*, ſed etiam *pallidum* & *amarum*. Quamuis etiam in huius eiusdem rei documentum aliquæ ſolertiores matres familias per æſtatem *frondes iuniores arbuſtorum*, quales alias libenter admordere ſolent vaccæ, reſiccatas per hyemem pabulo commiſcendo, eo ipſo hyberno etiam butyro *colorem* ſatis flauum conciliant aut conſeruant.

Prima irruptio lactis in mammas.

§. IX. Cæterum de *motu lactis particulari* notari meretur, quod fœminæ, inprimis autem ſub eius prima *irruptione* in mammas, exprimere ſoleant ſenſum quendam *tenſionis*, qui veluti *trans axillas*, ſeu *a clauiculis deorſum* in mammas ſeſe extendat; vnde Germanæ noſtræ illa expreſſione vtuntur: die Milch komme ihnen über die Achſeln herüber gezogen, nicht anders als wie ein Strickchen. Quod nempe eſt ab illa *tenſione in arteriis mammariis*, & *contentione toni* etiam fibroſarum circa, muſculoſarum partium.

Toni efficacia & contentio in mammis.

§. X. Sicut etiam ſeorſim notabilis eſt *toni* talis efficacia in ipſo mammarum corpore; cuius intuitu ſæpe numero ſit, vt fœminæ, quando mammas cito denudant, adeoque *frigoris* aliquo ſenſu percelluntur, imo interdum ſolum *pudore* ſuffunduntur, mammæ hinc ita pertinaciter *denſentur*, vt ne guttulam quidem vnam lactis emittant,

quan-

quantalibet etiam *preſſione* ad emulgendum, aut infantis *ſuctione* interueniente. Quando vero ſolum leui frictu excutiæ ſetaceæ non valde rigidæ (**einer weichen Kehr-Bürſte**) mamma leuiter fricatur, mox ſua *ſponte* ſine vlla reliqua compreſſione emittit imo effundit ſubinde copioſius ipſum lac. Imo tanta eſt variationis huiusmodi *tonicæ* in mammis efficacia, vt etiam quando iam *nodi* etiam plures ad notabilem mammæ intumeſcentiam collecti fuerunt, ſola modeſta tali frictione etiam molliſſimæ excutiæ (**einer Sammet-Bürſte**) intra *quadrantem horæ*, ſub *ſpontanea* copioſa lactis e papilla emanatione, illos ſponte reſolutos, & mammam ſinceræ ſuæ conſiſtentiæ reſtitutam, non ſine admiratione viderim.

§. XI. Imo vero commonſtrat ſimile quid ex aduerſo *conſtrictio* illa repentina *tonica inæqualis & pertinax*, qua *nodi* tales etiam derepente in mammis formari ſolent per *terrorem*. Sentiunt hoc omnino fœminæ, conquerentes proinde, **es ſeye ihnen wie Meſſer, wie Nadeln, in die Bruſt gefahren**; *ſtrictura* ſane tali repentina, qua etiam reliquum corpus vniuerſum ita varie *percelli* ſolet, vt illic de vario eiusmodi ſenſu repentinarum, *fremebundarum* ſtricturarum notiſſimus fit inſultus, quem Germani exprimunt, **es ſeye ihnen wie ein Meſſer durch das Hertz gefahren**, (eſt vero in *præcordiis* ſeu *ſcrobiculo cordis* magis ille ſenſus) **ſie ſeyen erſchrocken, daß es ihnen zu denen Nägeln hinaus gefahren ſey, daß es ihnen in denen Fingerkupffen wie Nadeln geſtochen habe.** Dum autem in mammis repentina talis *fremebunda ſtrictura* ſuſcipitur, diſpulſis per illam velociter *tenuioribus ſeroſis* partibus, *incarceratum ſpiſſius* lactis κρᾶμα, per longiorem moram magis magisque denſatum, tandem etiam *aceſcendo* in durius *coagulum* abiens, periculoſas turbas dehinc concitat.

Conſtrictio tonica repentina per terrorem, eiusque effectus.

§. XII. Cæterum quod antiqui de peculiari immediata quadam communicatione, ſiue ita dicta *anaſtomoſi*, & quidem *venarum epigaſtricarum cum mammariis*, tradiderunt, non tam vlli αὐτοψίᾳ ſuperſtructum fuit, quam ſoli hypotheſi. Nimirum vt ita expedirent aliquam rationem pro illo phænomeno, quod *lac mox poſt partum* in mammas redundare incipiat: huic rei hanc præfigurationem idoneam eſſe cenſuerunt, quod, cum natura hucusque ſanguinem (tanquam *ex ipſorum mente materiam nutritionis*) peculiari abundantiore prouentu ad vterum direxerit, poſtquam nunc ſimul & ſemel vſus eius ceſſet, imo vero hinc etiam vel labor aliquis oriri poſſet, ne ille iam nullam amplius conſumtionem hinc ſubiens, hic aliquid periculi incurrat, aut

Anaſtomoſis venarum epigaſtricarum cum mammariis ex nuda hypotheſi allegatur.

 infe-

inferat: (quanquam hoc veriſimiliter metuere non potuerunt; quia ipſis propter ignotum ſanguinis *motum progreſſiuum* omnis ſanguis perpetuo *ſtagnabat*: imo etiam tam cum *partu*, quam poſtea per *lochia* ſanguis hic a nuda otioſa *ſtaſi* ſatis excuſari poterat) ſuppoſuerunt ita, fieri inde magis immediatam huius ſanguinis *regurgitationem* ab vtero ad mammas per *vaſa hypogaſtrica*, vtpote cum *vterinis* plerisque communem ortum ab *iliacis internis* ſortita. Verius autem apparet potius, hanc immediatam communicationem atque *transmiſſionem* ab vtero ad mammas non tam moleſtiæ alicuius ab vtero *auertendæ* cauſſa fieri, quam poſitiuæ *prouidentiæ* nomine, vt ita infanti in lucem edito conuenienti alimento conſulatur, per conſpirantes inter ſe vias easdem, per quas in ipſo vtero eidem conſultum fuerat. Certe vero ſi res recte æſtimetur, nemo hic vllam magnopere *neceſſitatem* talem agnouerit *organicam*, quin potius natura deſtinato conſilio atque ſcopo *miſſiones* huiusmodi *ex ipſa hypotheſi* inſtituens, facile directe per ipſa etiam *mammaria* vaſa *directiones* illas ſuas perficere poſſit: quod etiam mediantibus *tonicis motibus* actu & *poteſt* facere, & *ſolet*. Vnde quidem irrita profecto fuit Anatomicorum ſollicitudo, in has *anaſtomoſes* earumque veritatem inquirendi, cum, vti dictum, re vera ſatis euidens ſit, quod illæ ab anteceſſoribus noſtris ſimpliciter *ex nuda hypotheſi* ita allegatæ fuerint: vnde quidem tanto alienius eſt, quando quisquam ipſas a ſe etiam ita repertas eſſe profitetur.

SECT. I.
MEMBRI VII.
ARTICVLVS VIII.
DE
SALIVAE SECRETIONE.

§. I.

Saliua antiquitus pro humore excrementitio habita hodie vtilis iudicatur.

RESTAT ſecretio peculiaris humoris, qui antiquitus quidem magis ſimpliciter pro *excrementitio*, & forte ſub ſui excretione velut *in tranſitu leues* quasdam vtilitates præſtante, habitus, hodiernis obſeruationibus & æſtimationibus aliquanto circumſpectioribus multo maiorem atque digniorem inprimis vtilitatem habere merito iudicatur. Loquor autem de SALIVA.

§. II.

§. II. Proximis demum luſtris vtique huius liquoris *hiſtoria* magis innotuit; & detectæ ſunt non ſolum *glandulæ*, quæ ipſi ſubſeruiunt, ſed inprimis etiam varii *ductus* atque *meatus*, de quorum *inuentionis* gloria autores, fere etiam cum ambitu, certarunt. Aſſignata eſt etiam ipſi liquori ſpecialis *energia*, pro ciborum *concoctione* facillima, neque hoc quidem incommode aut improbabiliter.

Hiſtoria eius etiam magis innotuit.

§. III. Interim quicquid etiam horum actum ſit, ſubſunt *difficultates* peculiaris ponderis inprimis ſequentes. *Primo*, quod *hiſtoria* ſaliuæ, quantumcunque *phyſice* vera & indubia, minimum tamen habeat vſum *medicum;* nempe, vt vel *methodo medendi* directum aliquem vſum adferat, vel talem *pathologiam* præbeat, quæ vllum vſum aut *nexum* ad *curationem* præ ſeſe ferat, aut ſuppeditet. *Secundo*, quod etiam in ipſa *hiſtoria* vix ſimplicibus verbis, ne dum vlla magis reali diſcretione, a ſe mutuo *diſtincti* ſint liquores illi *diuerſi ſaliuales*, qui manifeſta ſua *viſibili* differentia etiam *intimiorem* quandam diuerſitatem ſubeſſe, ſatis teſtantur: v. gr. e ductibus *Stenonianis* & ſublingualibus *Warthonianis*, & his quidem inprimis, effluens *ſaliua fluxilis* eſt, *tenuis*, *limpida;* e glanduloſo *periſtromate* totius oris interni confluens *ſpiſſiuſcula* ſubmucida; adhuc magis autem illa, quæ e *tonſillis* emergit. *Tertio*, vti non ſatis vulgo agnita, ita neque ſatis perſpicue commonſtrata, illa copioſa *communicatio* ſaliualis humiditatis ex intimo *Oeſophago* ſcaturientis, in qua aſſerenda prolixus fuit *Geuderus*. Quarto, vti horum ipſorum, de communi conſenſu, *ſalinalium* liquorum *propria indoles* nondum ita exquiſite determinata eſt; ita tanto maiorem obſcuritatem, quanto fere magis intenta cura tractabatur, fouit adhuc atque ſuſtinuit *ſuccus* PANCREATICVS dictus.

Quæ tamen adhuc difficultatibus & obſcuritatibus ſubiacet.

§. IV. Licet enim hic etiam, quolibet intuitu, nihil aliud, niſi ſimplex *ſaliualis* humor eſſe ſatis appareat, tamen ab huiusmodi curioſioribus minime pro tali, ſed prorſus alterius, imo *proprii* potius cenſus humore habetur. Et hoc quidem peculiari ludibrio ſciolæ curioſitatis humanæ a priori, quia *Syluius* vt ſuæ fabulæ ſcenam ornaret, ſuccum hunc *aciditate* peculiari inſtructum eſſe debere voluerat: vnde, licet nullum eius rei argumentum nec *a priori* nec *a poſteriori* ſuppeteret, quia tamen *Syluio* ita viſum fuerat, paſſim næniæ iſtæ decantatæ fuerunt.

Succus pancreaticus.

§. V. Quod hiſtoriam *motus ſaliuæ* attinet, in corporibus velut ad ſtateram ſanis, moderatus omnino eſt eius prouentus; ita quidem, vt etiam perpetuo tantum eius in os dimanet, quantum ad hume-

Saliuæ motus & effuſio qualis ſit & quando copioſior contingat.

ctationem eius perpetuam ſatis eſſe poſſit: eo vero tempore, quo eſculenta, imo & *ſapida* potulenta, in os ingeruntur, & illa etiam *commaſticantur*, *largiore* quantitate erumpat, atque cum ipſis ita remiſceatur. Quod quidem adeo ſolenniter fit, vt etiam vel ad ſolum *conſpectum*, inprimis autem *propinquum* contactum, (licet nondum actu ipſo abſolutum) *ſapidorum* & palato alias iucundorum *ciborum* inprimis, tum etiam *potuum* ſaliua ſtatim anticipando *largiter* effundatur, euentu familiariſſime noto. Præter hæc ſolet eiusmodi *copioſa repentina* ſpontanea ſaliuæ effuſio etiam euenire in *auerſione* nauſeabunda, maxime omnium autem in actuali *vomitu impendente*, vbi ſimiliter ſaliua ita affatim in os confluere ſueuit.

Eius vſus in guſtatione & concoctione.

§. VI. Quamuis autem nullum ſit dubium, quin ſaliua hæc vtique etiam *guſtationis* negotium ſuſtentet *concurſu* ſuo: nihilo tamen minus certum etiam eſt, quod ciborum *concoctioni* in ventriculo adhuc maiorem vſum præſtet. *Fermenteſcentis* enim indolis ſaliuam exſiſtere, vti varia, etiam ſatis ſimplicia experimenta probant; ita poſtquam cibis fermentationis vtique *indigis* ſtatim eo ipſo loco, a quo ad fermentationem progrediuntur, admiſcetur, nulli vsquam dubio locum ſupereſſe puto, quod iisdem etiam ad hunc *effectum* ſubſeruiat.

Succus pancreaticus quem vſum habeat, & qualis humor ſit.

§. VII. Sicut autem ſaliua ex ore cibis *interfuſa primam* craſſiorum illorum *reſolutionem* in ipſo ventriculo reſpicit: ita vlteriorem & nouam *intimiorem* eorundem diſſolutionem promouere præcipue videtur ſuccus ita dictus *pancreaticus*, tanquam nouum ſaliualis humoris penu. *Saliualem* autem hunc eſſe humorem ſuadet magis *a priori textura* pancreatis, cum illo glanduloſo plexu, qui ſub *auribus* collocatus ſimiliter per capaciorem ductum ſatis copioſum liquorem fundit, penitus conueniens: *a poſteriori* vero confirmare hoc idem videtur illud, quod, ſicuti ſaliua etiam reliqua, non tam ad *nudam ſimpliciſſimam* fermentationem (qualis ſimplici ciborum mixtioni directe conuenit) ſuſcitandam ſolum ſimpliciter deſtinata videtur; vtpote quæ etiam ſponte cooritura eſſet, aut ad ſummum certe tanta fermenti cuiusquam *quantitate* adiecta minime indigeret, quin exiguo aliquo ſtimulo ſatis excitari poſſet: ſed potius peculiaris quædam *confermentatio*, ſpecialiſſimæ indolis *ſegregatio*, forte etiam ſpecialiſſimæ materiæ ſubtiliſſima *aſſociatio*, adeoque vti vulgo generalius loquuntur, *noui characteris impreſſio*, nempe *nouæ ſpecialis mixtionis* partim per *interpoſitionem*, partim tranſpoſitionem productio: (ad cuiusmodi effectus præſtandos mirificam eſſe in phyſico-chymicis efficaciam *fermentorum* innumera exem-

exempla docent) ita veriſimile tanto magis eſt, quod etiam ipſe hic *pancreaticus* ſaliualis ſuccus ad *renouandam*, imo potius *materialiter inſtaurandam* atque agendam, illam ſpecialiſſimam *mixtionis animalis* indolem omnino inſeruiat; vt nimirum, cum *crudi* cibi in ipſo ventriculo aliquam huiusmodi *impreſſionem* iam nacti ſint, illa interim per ipſam *copiam* materiæ ciborum propriæ, & illius conceptam commotionem fermentatiuam vegetiorem, ita ſupprimi poſſet, vt hi ſimplicem ſuæ propriæ indolis fermentationem ſubire poſſent, ab animali craſi alieniorem, hoc ipſum impediatur per hanc recentem affuſionem *ſincerioris* eiusmodi *ſpecifici*, imo vero *ſpecificantis*, *fermenti*. Quod nimirum *abſoluat* illud, quod a ſuo *compari* in ventriculo iam *inchoatum* eſt; ſed per præualidam ciborum *propriam* fermenteſcentiam ſimplicem iterum fortaſſis obrui poſſet.

§. VIII. Quod autem hæc ipſa res, de illa ſpecialiſſima *mixtionis* aſſumtorum *permutatione* in animalem *craſin*, ſeſe reuera ita habeat, ſimplicitate ſua luculentum teſtimonium perhibet ipſe vtique CHYLVS, ex huiusmodi reſolutione atque concoctione ciborum immediate reſultans: qui, quantumlibet adhuc aliquas priſtinæ ſuæ indolis, v. gr. *vegetabilis* in *graminiuoris*, reliquias conſeruet, tamen iam nimium quam ſenſibiliter nouæ cuiusdam *peculiaris* craſeos ſpecimina exhibet, etiam in ſingulis ſuæ mixtionis portionibus, *pinguedine*, *mucilagine*, *terreſtreitate*, imo ipſa vsque *ſalſedine*, quæ *vrinoſæ* craſi craſſiori, a *vegetabili* indole plurimum alieniori, iam proxima penitus eſt, longe plus atque citius, quam quidquam vsquam in vegetabilibus: id quod ſuperius ſub *chyli* atque *lactis* conſideratione latius indicauimus.

De permutatione mixtionis aſſumtorum in animalem craſin chylus teſtatur.

§. IX. Res quæ in corpore animali longe plurimum obuia, interim etiam longe minima ſiue cura ſiue dexteritate exculta aut detecta eſt, eſt *ſecretio pinguedinis*. Sicut enim ſpeculatio illa de *ſacculis* quaſi quibusdam in omento non ſolum per ſe & ſimpliciter rem parum exhaurit; dum neque vllam veriſimilitudinem adfert, aut ſolum relinquit, quanam ſecretionis ratione pinguedo in illos ſacculos *ſecedat*; *vbi* & *quomodo* ad talem ſeceſſionem prædiſponatur; quomodo in tam parua *mole* huius partis tam *promto* & tam *largo* prouentu, qui exemplorum phænomenis quadret, ſiue *ſeparari*, ſiue præparari poſſit; & quibus tandem *viis* atque *mediis* ex *omento* in reliquum vniuerſum corpus distribuatur: breuiter, omnibus legitimi ſecretorii, & proprie quidem atque directe, imo ſpecifice & priuatiue præ aliis, *ſecretorii organiſmi* requiſitis plane deſtituatur; nimirum *non* habeat *materiæ* proportionate

Pinguedinis ſecretio.

Sacculi in omento rem non exhauriunt.

ſufficientem *aditum*; *texturæ* ad peculiarem ſecretionis actum qualemcunque ſpecialem *apparatum*; denique materiæ a ſe ſeparatæ vllum idoneum *abitum* & proportionatum diſceſſum; imo tota ſua & harum circumſtantiarum menſura, quantitatis effectus ſui, non poſſit decenter quadrare atque reſpondere.

Animalium ſpecies, in quibus nullum omentum reperitur.

§. X. Vt taceamus illas animalium ſpecies, in quibus nihil omento geminum reperitur, & tamen vel promtiſſima pinguedinis productio celebratur. *Aues* intelligo, de quarum aliquibus admiratione certe digna eſt (niſi quidem pro friuola accipiatur, quam tamen conſtanter adſeuerant) aucupum obſeruatio, v. gr. de *alauda*, quod poſtquam veſperi probe obſaturata ad quietem ſe compoſuit, ſi ita noctu tempeſtiue capta iuguletur, pinguiſſima ſit omnium; ſi vero poſt plures horas, altero *mane*, quoquo modo deprehendatur, multo iam macrior; ſi per reliquum diem, adhuc macilentior; ſi per *crepuſculum* ſatur a paſtu, & ad quietem tendens, *ſubpinguis* quidem, ſed tamen ob nondum digeſtum atque diſtributum alimentum longe minus quam ſub *medium noctis* ſuccedentis. Ita etiam de auicula, quam cupediarii *Ortolan* vocant, notum eſt, quod vel vnius diei ſpatio ad tantum *pinguedinis exceſſum* perueniat commodi pabuli abundante obiectione, vt non ſolum tota cooperiatur pinguedine, ſed ita etiam vere obruatur, vt niſi detrahatur pabulo, aut liberis volatibus reddatur auicula, pinguedine oppreſſa ſuffocetur.

Porcorum pingueſcendi promtitudo.

§. XI. Præterea videmus veluti portentoſam illam pingueſcendi promtitudinem inter quadrupedes in *porcis*, vtpote in quorum corporibus familiariſſimum eſt tantum pinguedinis colligi, & breui quidem omnino tempore, vt, ſi oſſa & recrementa ex inteſtinis detrahantur, reliquam vniuerſam corporis *carneomembranoſam* texturam (detracto humore) *pondere* multum ſuperet, nedum *menſura*. Quibus omnibus certe rebus, tam largo, & tam promto prouentui, omenti qualiscunque organiſmus minime quadrare videtur.

Pinguedinis nulla vtilitas aut neceſſitas comparet.

§. XII. Accedit autem omnibus hisce difficultatibus illa inſuper non minus ponderis habens, quod reapſe non ſolum pinguedinis ſimpliciter, ſed inprimis etiam tam promti atque *copioſi* illius prouentus, nulla æque *vtilitas*, nedum *neceſſitas* vsquam compareat. Dico *vtilitas*; cuius nimirum intuitu qualitercunque corpori ſimpliciter conducere videatur, vt *ſolideſcente* illa pinguedinis *coagmentatione* atque *textura* peculiari inſtruatur.

§. XIII.

§. XIII. Aliud autem eſt *vſus* pinguedinis; ſiue an pinguedo ipſa reliqua ſua craſi aliquem vſum in corpore ita habere poſſit aut ſoleat, vt non ſimpliciter & abſolute omni fine careat: adeoque fortaſſe penitus magis præter naturam, aut vt ſimplex aliquod *recrementum* ita coaceruari atque ſeponi videri poſſit. Hoc autem non ita ſe habere, non ita purum *recrementum*, omni poſitiuo *vſui* ineptum, eſſe ipſam pinguedinem, diluceſcit affatim ex eo, quod pinguedo, ſicut ex ipſa *abundantia* optimi nutrimenti colligitur atque progignitur, ita etiam deficiente reliqua *nutrimenti copia*, imo vero *neceſſaria* etiam nutrimenti quantitate, ipſa iterum abſumatur. Quorſum autem? & quosnam in vſus? certe in *ſupplementum* reliqui nutrimenti deficientis: quæ quidem res vt notiſſima extra controuerſiam puto poſita eſt. Præſtat interim hoc, vti diximus, non *congregatione* illa ſua & *contextu* in ſolidum, aut peculiari *ſitu* circa has vel illas corporis partes; ſed potius reliqua illa ſua ad *fluiditatem* ſubeundam tenera atque *molli* conſiſtentia, qua *macrioribus* etiam alimentoſis *mucidioribus* partibus ita intertexitur, vt illæ hinc huius conſortio debitam conſiſtentiam tractabilem, inprimis ipſe *ſanguis ſulphuream* ſuam temperiem, inde nanciſcantur. Vnde profecto minime negligenda eſt illa ab *Hildano* conſignata obſeruatio, quod in hominibus *fame* intermortuis deprehenſum ſit, ipſam *medullam* ex oſſibus abſumtam fuiſſe.

Vſus autem illius in corpore negari non poteſt.

§. XIV. Enim vero meretur omni modo aliquam conſiderationem *medulla oſſium*, quandoquidem hæc non tantum ſola propemodum eſt talis ſpecies pinguedinis, quæ præ omni alia, circa quæcunque alia corporis loca, *certum* ſuum *poſitum* conſtanter ſeruat, idque in omnibus ſpeciebus & indiuiduis: ſed etiam plane peculiaribus quibusdam phænomenis peculiarem ſecretionis aut certæ ſeceſſionis modum quaſi paulo luculentius innuere videtur, ad minimum magis, quam reliqua illa cuiuscunque pinguedinis phænomena. Certe enim eluceſcit in hac *medullari* ſubſtantia, inprimis in animalibus adhuc *iunioribus*, quomodo illa etiam velut vndique ingens commercium cum ipſo *ſanguine* habeat; vnde medulla in eiusmodi iunioribus tota prorſus *cruenta*, & interſperſo ſanguine *imbuta* viſitur. Neque hoc ſolum, ſed perennat vtique par conſtitutio etiam in *adultis* vsque ad quemlibet ætatis ambitum, vt ad minimum circa *capita* oſſium, arctioribus poris ſpongioſa, adhuc affatim *ſanguineus* talis influus cum ipſa pinguedine ſinceriore *medullari* commercium ſuum habere ſentiatur. Cum autem *inſertio vaſorum* ſanguiferorum in ipſa oſſa non in hæc *ſpongioſa* illorum *capita*

Medulla oſſium,

cum ſanguine commercium habet.

con-

contingat; (ſine dubio propter faciliorem in hiſce locis violationem ſub fortioribus motibus; tum etiam, quod cum vaſa ad oſſa hic illic per ipſos muſculos transmittantur, horum autem ſitus paſſim magis mediam oſſium longitudinem tam ortu ſuo, quam tendinum termino, occupet;) diſcurrunt tamen vtique hæ ipſæ vaſorum ramificationes ad iſta oſſium loca, nempe *capita* ſpongioſa.

Separationes pinguedinis directe ad medullæ geneſin fiunt.

§. XV. Vt verum fateamur, non eſt tanti in medicina *medullæ* conſideratio, aut ſi etiam aliqua eſſet, parum certe lucis promitteret *generationis* ipſius methodus atque ratio, vt propterea de his rebus prolixum eſſe neceſſe ſit: interim ſeparationes has, veluti primigenias ipſius pinguedinis, re vera directe ordinarie ad *medullæ* geneſin, imo *per illam* fieri, & inde quicquid *abundantius* gignitur, in reliquum corpus diffundi, veriſimile duco. Idque hoc maxime argumento, quoniam reliqua quidem vniuerſa pinguedo minus *certi*, *ſtati*, imo *deſtinati* eſt prouentus; *medullaris* autem contra *poſitiue*, tanquam vera *pars*, ad corporis conſiſtentiam pertinet.

Alia ſimplicior ratio ſeceſſionis pinguedinis a reliquo ſanguine per tranſſudatoriam ſecretionem.

§. XVI. Niſi quidem etiam per longe *ſimpliciorem* quandam ſecretionis rationem pinguedinem a reliquo ſanguine *ſecedere* veriſimilius videatur. A qua quidem ſententia tanto minus alienus eſt animus, cum *ſeceſſio* ſimpliciter ipſius pinguedinis a reliqua humorum craſi res videatur promtiſſimi ſucceſſus; quandoquidem vere *pinguis* ſubſtantia a reliqua, quantumcunque ſimplicius *aquoſa*, notiſſimis promtiſſimis diſſidiis vtriusque huius craſeos innititur. Separata autem ita ab intimiore nexu cuiuslibet alterius materiæ pinguedo, vti propria ſui teneritudine etiam valde ſubtiles *meatus penetrare* valet, vt in charta & membranis videmus: ita ſimplici etiam *tranſſudatione* a ſpiſſioribus reliquis humiditatibus ſegregari poſſe, a veritate nihil abludere putamus.

Conſpicua illa eſt circa teneriora vaſa, & per ambientes partes membranaceas adiuuatur.

§. XVII. Roborat autem hanc coniecturam illud ipſum inprimis, quod hæc promtior atque copioſior ſeceſſio pinguedinis inprimis conſpicua ſit crica *teneriora* vaſa tam *ſanguifera*, quam *lymphatica* & inprimis quidem hæc poſteriora. Magnopere vero hanc etiam ſimplicem *tranſſudatoriam* ſecretionem adiuuare videntur ſubtiles *membranaceæ* partes, quæ dicta talia vaſa, tam inſigni pinguedinis ambitu conſpicua, ambire ſolent. Dum enim hæc, eminente illa ſua texturæ *denſitate*, non niſi ſumme tenuibus humidis particulis tranſitum concedunt; inprimis dum velut originaliter atque perenniter *humiditate* imbutæ ſunt: fit ita, vt ex vtrisque ſimul tranſſudantibus, *pinguibus*

bus & *humidis*, *humidæ* quidem per vias, eadem ſubſtantia iam penitus *imbutas*, latius diffuſæ ſerpant; *pingues* autem, vt ab *humiditate* iam ſponte diſſidentes, imo ab illa inſuper *relictæ*, dum hæc dilabitur, in illo loco ſubſiſtant; poſtquam vtique *humectatos* meatus ſolo fluxu, ſine aliquo vrgente impulſu, proſequi & penetrare non valent. Filtrationis exemplo.

§. XVIII. Quicquid autem interim huius ſit, certe nullus *nudus phyſico-mechanicus* conceptus exhaurit tam *ſeparationis* quam *aſſeruationis* iam ſeparatæ pinguedinis veras conditiones, quales etiam ſola ſimplex αὐτοψία offert. Nempe minime ita ſimpliciter ſiue effuſa, ſiue *confuſa*, vsquam *hæret* pinguedo; ſed omnino *textis* peculiaribus incluſa, diſtributa, diuiſa & diſgregata ſpectatur. Quod quidem minime a ſe ipſa habet, ſed plane ab alia *efformatione*, atque *texendi* compote energia: ſicut ea res tanto manifeſtior eſt in craſſiſſimis etiam pinguibus *textis*, *lardo* inprimis, quod totum penitus *ſubtextum* atque innumerabili *fibroſitate* tenerrima interſeptum eſſe, αὐτοψία monſtrat. Veras conditiones ſeparationis & aſſeruationis pinguedinis phyſico-mechanicus conceptus non exhaurit.

§. XIX. Suffragari autem poteſt ſententiæ noſtræ, de *modo ſeceſſionis* pinguedinis cum tenui *aquoſitate*, quæ etiam vlteriorem iſtius peculiarem reſtitationem promoueat, phænomenon illud merito notandum, quod nullus habitus corporis ad *prouentum* pinguedinis abundantiorem aptior ſit, quam ita dictus *phlegmaticus*; nempe tam *humorum* craſi, quam *partium* humoribus ita imbutarum temperie magis *aquoſa* inſtructus. A qua ipſa diſpoſitione, & inprimis iam ſupra notata illa ſimpliciore, adeoque etiam tenuiore aquoſitate, eſt peculiaris ille euentus in *fœminino* ſexu, quod hic præ *virili* longe familiarius, imo vero ſpecialius ſeu *ſpecifice* quaſi, tum ad reliquam *molliorem*, turgidulam, ſucculentiorem, breuiter *humidiorem* texturam pronior ſit, imo indidem etiam præter naturam, vel ad *aquoſos tumores*, vel ad ſimplices *exſiccationes* promtior; tum etiam ad *pinguedinem*, ſiue vti vulgo loquuntur *corpulentiam*, præ viris plerumque facilior. Modum ſeceſſionis pinguedinis cum aquoſitate habitus corporis phlegmaticorum & fœminarum comprobat.

§. XX. Quemadmodum autem de *generatione* atque prouentu pinguedinis ita parum certi innoteſcit, ita tanto minus nota eſt ſpecialis aliqua methodus *conſeruationis* eiusdem; niſi quidem vel ſimplex illa continua *transcolatio* aquoſæ tenuioris humiditatis hic ſatisfacere poſſit. *Vaſa* enim de reliquo *peculiaria* pinguedini ſeorſim *propria* dicata eſſe, iuſtiſſimum dubium eſt ex eo, quod etiam in eadem *diffuſiſſima*, vt in *porcis*, nihil tale ſingulatim conſpiciatur, ſed ſolum *ſanguiſera* & *lymphalia communia* vaſcula, tum ad cutem tum ad reli- Conſeruationis modus huius pinguedinis ſatis certus non eſt.

quas principales corporis partes pertinentia, per illam *excurrere* magis quam *diſcurrere*, conſpiciantur. Omnino autem, quicquid etiam per ipſam pinguedinem veluti priuatim atque proprie *diſtribui* videtur, oppido *parum* ſit.

Homines ſiccioris habitus, & color eorum ſubfuſcus.

§. XXI. Illud notatu non indignum puto, quod homines *ſiccioris* habitus corporis, ſicuti propter *magnitudinem* vaſorum ſuorum vniuerſalem ab illa ſecretione pinguedinis tranſſudatoria, de qua ſupra diximus, alieniores eſſe videntur; imo forte etiam ipſa *ſubſtantia pinguis* ſanguini ipſorum firmius *immixta* hæret: ita apparet in ipſis peculiaris quædam *excretio ſubpinguis*, per vniuerſam peripheriam corporis, cum *ſudore*; vnde re ipſa non ſolum ſuperficies corporis ipſorum veluti magis *ſubnitida* eſt, ſed ab inhæreſcente illa ſubſtantia etiam ſenſim *color* quidam *ſubfuſcus* ſubnaſcitur, quem acria *lixiuia* abſtergunt, ſimplex autem *aqua* nequaquam, ſed hæc potius ipſum *obfirmare*, aut certe velut *expolire* apparet, vnde etiam vulgi dicterium: **je mehr ſie ſich waſchen, je ſchwärtzer ſie werden.**

Color ſpecialiſſimus in Aethiopibus.

§. XXII. Obiter quidem, cum hæc mentio *coloris* inciderit, attingere licuerit ſingulare illud phænomenon *coloris* ſpecialiſſimi in *Aethiopibus*. Quem ſicut a *ſolis ambuſtione* ortum ſuum ducere, nemo facile hodie amplius ſibi perſuaſerit, cum & in *Europa*, & ipſa *Septentrionali* eius parte, *Aethiopas* ſibi ſimilem prolem progignere, & in omnibus *Africæ* regionibus *albos* gigni, in *America* vero etiam, tam ſub *æquatore* quam alibi, ita diuerſam eſſe propagem *nigrorum* atque *fuſcorum* notum ſit; adeo vt inde ſatis diluceſcat, quod peculiaris *gentis intimior* potius hæc ſit *indoles*, quam vt ab *externa* aliqua cauſſa originem ſumeret: ita *confirmari* tamen huius coloris ſucceſſum ab ipſa quadam e *ſanguine* huc depoſita, & magis magisque *augeſcente* ſubſtantia, veriſimile videtur ex eo, quod hi homines non ita, vti poſtea in libero aëre maturius euadunt, exquiſite nigri *prognaſci* memorentur, ſed ſolum *intenſe rubicundi*, qui *rubor* non niſi *pededentim*, ſequentis temporis ſucceſſu, in magis magisque *obſcuram*, & denique nitide *nigram* prorſus illam tincturam progreditur.

Caſus de fœmina nigrum infantem enixa.

§. XXIII. Cæterum meretur fortaſſis hæc ipſa res aliquam memoriam, ad diſtinguendum illum caſum, qui noſtra adhuc ætate obtigiſſe fertur, vt *fœmina* nigrum infantem enixa in dubium adduceretur, an ex *obuerſatione* ſolum, an vero *conuerſatione Aethiopis* hunc talem concepiſſet. Veriſimile enim eſt, quicquid tale e *ſola imaginatione* ſubnaſcitur, ſi non exquiſite in *ſummo* gradu (quod quidem etiam in aliis

aliis *næuis* non fieri notum eſt) tamen aliquo *magis eminente* gradu euenturum eſſe, quam ſimpliciter *tali*, qui genti huic in ſua natiuitate *proprium* eſt.

§. XXIV. Cæterum *alborum* etiam, vt loquuntur, nempe *Europæorum* hominum, intuitu *coloris*, vti vulgo loquuntur, *viuidi*, nempe *rubelli*, ea etiam eſſe ſolet differentia, vt plurimum quidem coloris huius exhibeant ita dicti *ſanguinei*; & poſt hos proxime *cholerici*; *melancholici* dicti pallide rubicundi coloris habentur, ſed *ſubfuſci* tamen apparent; *albi* reuera, ad oppoſitionem *melancholicorum*, & *pallidi*, ad diſtinctionem *rubellorum*, ſunt *phlegmatici*. Europæi ipſi intuitu coloris differunt pro diuerſitate temperamentorum.

§. XXV. Sunt interim integræ quaſi gentes hac etiam leuiore coloris diuerſitate conſpicuæ, ad quam magis veriſimile eſt, quod *ſolis* feruor & vrentis *frigoris* vis alibi *poſitiue* alibi *priuatiue* concurrat. Ita enim *Hiſpani* inprimis, deinde *Galli*, tandem *Itali*, *fuſci* coloris diuerſitate diſſident a magis ad *ſeptentrionem* diſſitis. Sicut autem etiam hi *ſeptentrionales*, ante omnia autem ex his illi, qui *ſiccioris* ſunt habitus, obuerſatione in feruido ſole, & concurrente inprimis qualicunque *ſudatione*, etiam paucis diebus ad ſimilem cum iſtis *colorem* perueniunt: ita nihil ignotum eſt quod etiam iſtæ gentes, quando vel in *frigidiores* regiones tranſeunt, vel in ſua quoque patria ſolis feruorem curioſius vitant, *albedine* ſatis conſpicua aliis *albis* gentibus minime cedant. Sic aliæ quoque gentes coloris diuerſitate conſpicuæ ſunt.

§. XXVI. Alia vero eſt coloris diuerſitas longe magis peculiaris atque ſpecialis in *oculorum* colore; *iride* nempe ita dicta, ſeu *choroidis* tunicæ anteriore adeoque *conſpicua* parte, quæ in aliis *cæſium* ſeu *ſubcæruleum* colorem repræſentat, in aliis autem *fuſcum*. Vbi quidem certum eſt, *fuſcum* illum veluti *proprium* magis eſſe *meridionalibus* & *orientalibus*; *cæſium* autem *ſeptentrionalibus & occidentalibus* notioribus *Europæis*. Interim, ſicuti recentior experientia monſtrauit, quod ex *alborum Europæorum* & *nigrorum Afrorum* connubiis *mixtum* genus oriatur *fuluorum* hominum: ita *connubia* etiam illud hic poſſunt, vt ex illis, qui *fuſcos* habent oculos, & qui *cæſios*, non tam *media* quædam & veluti *mixta* coloris ſpecies prodeat, ſed reapſe alii ipſorum infantes *cæſium* illum, alii *fuſcum* colorem ſequantur. Coloris diuerſitas in oculis.

§. XXVII. Ita notabilis pariter eſt ſpecialiſſima illa peculiaris *idea* certarum *familiarum*, imo ex illis ſubnatarum *gentium*, quæ *pura* ſua propagine, ab omni *peregrina* miſcela abhorrente, peculiarem quandam *gentilitiam ſimilitudinem* retinent, prorſus ad oculum conſpicuam. Teſtes ſunt huius rei maxime inſignes *Iudæi*, qui adeo peculiare Certarum familiarum & gentium ſimilitudo gentilitia.

quiddam habent, vt omnes propemodum noſtrates illos facile dignoſcant. Sicut etiam inter *criteria* vulgo nota de *Iudæis* illud peculiariter eſt, quod nemo fere illorum *candidiores* habeat capillos, ſed vel *nigricantes*, vel *rubros*. Alterum ſpecimen exhibent *Chinenſes*, qui peculiari *oculorum paruitate*, tam quantum ad *aperturam* quam *corneæ* ambitum, inſtructi ſunt. *Simos* Aethiopum *naſos* & *labia* retrorſum inflexa imputant aliqui hiſtoricorum *arbitrariæ* matrum *efformationi* per compreſſiones: quod quidem in *naribus* veritati non abſimile eſt, in *labiis* autem minime gentium; minime omnium autem quidquam horum in *capillis*; vtut hos *non omnes* nigræ gentes ita *breues* atque *criſpos* habeant &c.

SECTIONIS I.

MEMBRVM VIII.

DE DIVERSITATE CORPORIS ET ACTIONVM SECVNDVM SEXVM.

§. I.

Maris & fœminæ diuerſitas.

DEductis hucusque quæ ad hominis in ſe ſpectati *ſubſiſtentiam* incorruptam pertinent, ſupereſt vt pauca adhuc dicamus de diuerſitate ſecundum SEXVM. Differunt autem MAS & FOEMINA euidentiſſime quidem *organorum* peculiarium diuerſitate, quibus *generationis* negotium peragitur; ſimul tamen etiam aliis quibusdam circumſtantiis, quæ animum circumſpectius aduertentibus minime etiam incognitæ ſunt.

Senſibilitas fœminarum maior tam in corpore.

§. II. Sunt autem ex his præcipue maior in *fœminino* ſexu *ſenſibilitas*, tam in *corpore*, quam in ipſo *animo*. *Senſibilitas* illa in *corpore* partim *ſecundum naturam*, varios *iucunditatis* affectus complectitur; partim *præter naturam*, fundamentum conſtituit ad promtiores *extraordinarias commotiones vitales* ſolito fortiores, ad excutienda impedimenta & pericula quæcunque circa *vitales* ſanguinis *diſtributiones* & *progreſſus*: vnde quidem inprimis *hypochondriacis* commotionibus *ſpaſticis*, quæ ad excutienda impedimenta *debiti progreſſus* ſanguinis tendunt, & *promtiores* ſunt quam ipſi viri, & *fortius* ac *impetuoſius* illas exſequuntur;

§. III.

§. III. Peculiaris autem penitus fœminis præ viris ineſt *animi ſenſibilitas*, & promtitudo æque atque vehementia ad quælibet πάθη: inprimis autem *metum*, & *otioſiorem* potius quam *laborioſam* vitæ rationem. Sicut autem re vera etiam variæ illæ *corporeæ* ſenſibilitates eiusmodi *animi indoli* ſuperſtructæ eſſe apparent, vt *propterea* maxime & promtus & vehementior etiam *ſpaſticus* varius ſuſcipiatur *motus*, quia *metus* damnorum impendentium eſt maior.

quam in animo.

§. IV. Si qualemcunque longinquiorem rationem quorumlibet παθῶν, & promtitudinis *ſexus fœminini* ad eadem, integrum eſt proſpectare, fas fuerit illam quærere in ſexus huius *fine*, ſeu vera *deſtinatione*, nempe *generatione*. Sicut enim *pathemata* illa *animi* in *tribus* forte *ſummis generibus* conſiſtunt, *iucunditate*, *metu*, & *inconſtantia*; videtur vtique *iucunditas*, & quæcunque ad illam reſpectant, fundari in intentione ad *amorem*, & eius ſupremum effectum, *generationi* dicatum. *Meticuloſitas* omni modo non iniuſta eſſe videtur in eiusmodi indiuiduo, quod *non ſibi ſolum*, ſed *tenerrimo* etiam *alii* indiuiduo *proſpicere*, *cauere*, & quia facile *externæ* iniuriæ obtingere & grauiter nocere poſſunt, illi etiam non iniuria *metuere* videtur. *Inconſtantia* illa in *vna* quacunque re reſpectum etiam aliquem habere videtur ad *pluralitatem* concipiendorum *fœtuum*, quandoquidem non *vni* ſoli, ſed *pluribus* vtique concipiendis deſtinatæ videntur fœminæ. Ita etiam *otii* maior amor propter *curam* tam in *vtero gerendorum*, tranquillius & ſecurius, fœtuum; quam in lucem editorum neceſſariam omnino velut *aſſiduam inſpectionem*, *fomentationem*, *tutelam*.

Longinquior ratio huius animi ſenſibilitatis fundata eſt in deſtinatione ad generationem.

§. V. Meretur autem re vera non vltimo loco inter differentias haſce *fœminei* ſexus a *virili* etiam connumerari *textura* omnino corporis longe *mollior*, *laxior* & *infirmior* fœminarum præ viris. Quorſum etiam pertinet ſupra, vbi de temperamentis, a nobis allegata illa maior mollities *humida*, *aquea*, præ virili ſexu.

Textura corporis mollior, laxior & infirmior fœminarum præ viris.

§. VI. Specialiſſima omnium diuerſitas (quamlibet adhuc manifeſtius reliquo generationis negotio abſoluendo, nempe nutritioni fœtus, ſymbolum ſuum conferens,) eſt *directio* illa peculiaris ſanguinis *ad vterum*; quæ dum *vacuo* a fœtu *vtero deſtinationem* ſuam non adſequitur, *ſtatas* per ipſum vterum *eruptiones*, imo verius *exonerationes*, ſubit, adeoque *excretionem ſanguineam* format. Alias a corpore *exquiſite ſecundum naturam* conſtituto aliena eſt omnis excretio *ſanguinis ſincera*. In fœminis autem fit illa etiam *vere ſecundum naturam*; quan-

Specialiſſima diuerſitas eſt directio ſanguinis ad vterum, eiusque excretio.

docunque infantem non *nutriunt*, inprimis *in vtero*, vel etiam *extra vterum*, lacte ſuo.

Initium & finis huius excretionis.

§. VII. Hæc autem *excretio ſanguinis* habet inprimis illud peculiare, vt *cum pubertate* fœminina ſeſe exſerat; illo inquam tempore, quo *conceptioni* idoneæ fiunt fœmellæ: & *deſinat* etiam iterum ac euaneſcat, quo tempore fœminæ *concipere deſinunt*. De quo quidem negotio iam ſupra dixi ſententiam, quod nimirum non ita accipiendum cenſeam, quaſi *concipiendi energia* deſinat, *quia menſes* deſinunt: ſed *contra*, *menſes* deſinant, quia *concipiendi energia* aut *intentio* deficit; *concipiendi* autem energia deſinat, quia *proprii corporis ſtruendi* vlterior vegeta *intentio* & energia ceſſat. Sicut itaque hæc vlterius *proprium* corpus exſtruendi *intentio* deſinens, etiam intentionem *alterius* corporis exſtructioni velificantem, tanquam iuſta quadam negligentia, tollit; ita omittuntur tanto iuſtius etiam illi *apparatus*, qui magis adhuc eminus his ipſis negotiis ſuccurrere debent, atque ſubſeruire.

Modus huius excretionis ſanguineæ.

§. VIII. Conſiſtit autem hoc negotium excretionis huius *ſinceræ* ſanguineæ in eo, quod fœmellæ 13. aut 14. annum agenti e *genitalibus* effluere incipiat ſanguis; & hoc quidem, ſi reliqua recte ſeſe gerunt, *tranquille*, *moderate*, quantum ad fluxum ſimpliciter, *modice*, quantum autem ad *ſucceſſum* eius, non ita *parce*, ſed ſatis *largiter*; dum nimirum ad *aliquot dies* continuari ſolet hoc profluuium, in aliis *ſex*, in aliis *ſeptem*; & omnino *legitime*, neque multo minus, neque plus, quam tot diebus.

Tempus, quo ſe exſerat, & reuertatur.

§. IX. Exſerit ſe vero huiusmodi fluxus magis ordinarie, adeoque veluti magis *legitime*, ſub *lunæ* inſignibus mutationibus *plenilunio* aut *nouilunio*. *Reuertitur* etiam ſtato huiusmodi tempore. Seruat tamen illum *ambitum*, vt octiduum illud, quo ipſe fluxus erumpit atque durat, cum tribus aliis ſeptimanis menſem totum abſoluat: adeoque ab vna eruptione ad alteram equidem plenus *menſis* exeat; ita tamen, vt tempus *durantis* etiam *fluxus* ſimul complectatur. A qua periodo etiam vulgo *menſtruus fluxus* appellatur.

Menſtruus fluxus aliquid critici fouet.

§. X. Dixi alias peculiari *programmate*, quid ſuſpicer de hoc tali circuitu; nempe quod ille mihi videatur *rationem* quandam *criticæ periodi* fouere. Sicut enim reliquæ *criſes ſeptenariis* dierum ita circumſcribi ſolent, vt plurimum *vrgentes* noxiæ materiæ *ſeptimo* die eiiciantur; quæ non adeo *actiuæ* nocendi energiæ ſunt, *decimo quarto*; quæ plurimum *mitiores* ſunt, aut fiunt *vigeſimo* demum, aut *vigeſimo primo*: ita cum præſens etiam negotium excretionis huius ſanguineæ equi-

dem

dem intentionem excernendi omni modo firmam & conſtantem ſequatur atque ſeruet, interim nihil æque valde neceſſarium *vrgens* foueat, aut complectatur; fieri ita arbitror, vt hæc *eccriſis* longiſſima illa ſolitarum periodorum menſura inſtituatur, eamque adeo ſeruet & ſequatur.

§. XI. *Lunæ* namque mutationibus licet forte per initia hic aliquid tribui poſſit; conſtanter tamen illam hic nullum abſolutum *dominium* habere, ſed potius magis & ſimplicius alteram illam *ſeptenorum dierum* menſuram, argumento peculiari eſt illud, quod multæ ſint fœminæ, quæ minime ſecundum dictas has *lunares phaſes*, bene tamen interim ſecundum *menſtruos dierum numeros*, ita purgantur, vt ſub *initium quartæ* ſeptimanæ erumpat ſanguis, *per illam* ipſam fluat, & *poſt tres alias* quietas pariter iterum ita reuertatur, & hoc identidem ita continuet, qualiscunque de reliquo ſit lunæ ſtatus. Interim verum etiam illud eſt, quo magis cum *præcipuis lunæ phaſibus* conſpirat, eo melius ſuccedere.

Lunæ abſolutum dominium hic nullum eſt, ſed potius menſuræ ſeptenorum dierum.

§. XII. Quamuis autem, in fœmellarum talium reliqua exquiſite optima ſana conſtitutione, hæc excretio ſanguinis ita ſatis communiter cum vix ſenſibili quacunque reliqui corporis *alteratione* ſuccedat: nunquam tamen euenit ſine ſatis manifeſta quadam reliqua ipſius *ſenſibilitate*, velut *a poſteriori*; vt nimirum fœmellæ ita affectæ ſi non æque *ante* fluxum, aut *dum* ipſe erumpit, tamen *ſub fluxu* hoc, & *animo* magis *faſtidioſo* eſſe obſeruentur, & ipſo *corpore* v. gr. *frigoris* inprimis, vel etiam maioris *caloris* vices & promtius *perſentiſcant*, & *incommodius* ferant.

Excretio hæc plerumque ſine notabili alteratione ſed non ſine ſenſibilitate contingit.

§. XIII. Tanto magis autem exſerunt ſeſe concurrentes ad hanc excretionem peculiares circumſtantiæ, quando iam paulo *impeditius* ſuccedit; quod nempe ſatis promte fit per *ſpiſſeſcentiam* ſanguinis iuſto maiorem; quæ quidem ex *abundantia* ipſius, per *edacitatem* & *otioſiorem* atque *ſedentariam* vitæ rationem, res huic ſexui familiariter vſitatas, ſic ſatis promte cooritur, ſimulque *placidum* & veluti *tacitum* ſucceſſum immediate turbat: ita neceſſarii fiunt ſenſibiliores quidam tales *conniſus*, quibus ſanguis difficilius mobilis ad teneriores tales vias & exitus melius *adigatur*, imo per eosdem *exprimatur*.

Spiſſeſcentia ſanguinis, hanc excretionem impediens, in primis ſenſibiliores conniſus requirit.

§. XIV. Velificatur huic negotio ſupra ſub *circulatione* ſanguinis citatus *motus tonicus* mollium mobilium corporis partium, cuius interuentu ſanguis tum ab vna *regione* ad alteram comprimi, tum fortiore huiusmodi *vibratiua preſſione* etiam per vicinos meatus *exprimi* poteſt.

Motus tonicus hoc negotium ſubleuat.

eſt. Cuius proinde rei documenta in his etiam perſonis ita conſtitutis manifeſto ſeſe exſerunt; vt nimirum in reliquo quidem corporis ambitu *denſationem* ſenſibilem percipiant, qua humores maiore quantitate *ad interiora* conſtringantur: quem actum proinde *exterioris* corporis peripheriæ *calor* detepeſcens, *color* palleſcens, *vaſorum* ſanguiferorum in his locis *exinanitio*, & velut euaneſcentia atque *diſparitio*, imo totius habitus corporis quædam veluti *macilenta atque tabida extenuatio*, comitantur. *Intus* autem in corpore, in *pectore* quidem *anguſtiæ*, in *abdomine* vero *tenſiones*, *preſſiones*, *micationes* atque *vibratiuæ* motitationes, quæ ſubinde ad *torſiones* vsque progrediendo non ſinunt ignorare, quid *motibus* hic agatur.

Excretionem hanc actiue peragi confirmat. 1. ſtatum tempus;

§. XV. Vnde quidem ſatis diluceſcit, quomodo hic ſanguinis *excretorius motus* in his ſubiectis & hiſce locis *actiue* peragatur; quod ſicut ex illis ita plane *ſtatis* reuertendi *periodis* ſatis elucet, ad quas ſimpliciter *mechanicam* vllam cauſſam, ſiue exquiſitiſſimæ *quantitatis*, ſiue ſpecialiſſimæ *qualitatis*, v. gr. grumoſitatis *obſtruentis*, nemo in terminis quæſtionis de *ſtato* exquiſite tempore, & *tali*, quale humanum corpus eſt, *machina*, facile in animum admiſerit: inprimis cum hic *progreſſus* atque *ſucceſſus*, etiam ſub manifeſtis quantitatis *ataxiis*, *æqualitatem* ſuam non omittat, v. gr. ſub notabili appetitus diminutione, imo *inedia*, ſanguinis etiam vel ſpontaneis *profuſionibus*, vel artificialibus *imminutionibus* prægreſſis &c.

2. modus expulſionis per preſſiones;

§. XVI. Quantumlibet autem etiam hoc *ſtatum tempus* expreſſionis huius *commouendæ* ſic ſatis probat, quod *actiua* potius quædam cauſſa ſubſit, quæ ad *expulſionem* talem vniuerſum *apparatum* ita inſtruat; præterea etiam ipſe *modus* expulſionis per *preſſiones* idonearum partium conſpirantium, *actiuitatem* talem ad excernendum ſatis demonſtret: Confirmat tamen hoc adhuc inſuper etiam ipſe *finis* atque *ſcopus*, *propter* quem hæc expulſio in effectum deduci ſic ſatis manifeſto apparet. Nempe nullum eſſe putamus dubium, quod fœmina proprie (*phyſice*) facta & conſtructa ſit ad *ſpeciem propagandam*. Quod etiam vel inde confirmari apparet, quod fœmina *ſana* a tempore ſemel impetratæ pubertatis (ſub proprii nempe ſui corporis perfectione) *ſemper & perpetim idonea* ſit ad infantem vel *concipiendum* atque *geſtandum*, vel *nutriendum*. Huic ſcopo neceſſarius eſt maior *prouentus* in fœmina *nutrimenti*, quam qui directe atque ſimpliciter ad ipſius *propriam* ſuſtentationem ſufficeret. Cum autem, vti modo dictum, fœmina perpetuo ad hanc nutritionem ſiue *embryonis* ſiue *infantis* deſti-

3. finis & ſcopus, nempe propagatio ſpeciei.

nata

nata ſit, obtingit etiam illi propterea talis proportionate abundans *prouentus* nutrimenti, infanti etiam ſuffecturus.

§. XVII. Quando vero iam infantem neque *geſtat* neque *nutrit*, & tamen *nutrimentum* ita largius retinetur, facile fit, imo vero fieri aliter non poteſt, quin bona eius portio in ſanguinem abeat, *ſanguis* inquam *fiat*. Hic cum eiusmodi *excedente quantitate vitali* ſui *motui* inſigne præiudicium adferat, vti mox monſtrabimus: eſt vtique *ſimpliciſſima*, adeoque naturæ adhuc conuenientiſſima, via atque *methodus*, illud quod ita abundanter ſubnaſcitur, directe & *ſimpliciter*, per modum nudæ ſinceræ *euacuationis*, iterum *exonerare*. Vti vero ſubſtantia illa, e qua hic abundans ſanguis ſuccreuit, immediate antequam ſanguis fieret, ad *vterum deſtinata* fuerat; (ad *mammas* enim in ſtatu adhuc *remotiore*, vt adhuc ſimplicior *chylus*, transmittitur) ita adigitur etiam ipſe *ſanguis* ex illa factus ad hunc *eundem locum*, vt ibidem exoneretur.

Quando autem fœmina neque geſtat, neque nutrit, abundans nutrimentum alia via euacuandum eſt.

§. XVIII. Notæ vero de reliquo ſunt antiquæ næniæ de huius ſanguinis *directa & abſoluta ſpecifica impuritate*, *venenoſitate*, breuiter, ſpecialiſſime diſtincta *indole* a reſidua ſanguinis vniuerſa maſſa. Exſpirauerunt illæ propemodum, poſtquam detecta eſt ſanguinis *circulatio*, ſeu indifferens eius ad quaslibet partes circuitus. Incondita etiam, vti fere paſſim in phyſicis, eſt circa hanc rem allegatio, imo vero potius *explicatio* intempeſtiua, legis Moſaicæ circa hoc negotium propoſitæ, vtpote cuius *phyſicus* ſenſus nihil deterius infert, quam conſona altera lex, quæ qualemcunque *emanationem vlceroſam*, imo propemodum *ſanguinis* contactum intimiorem aut cupidiorem, abſolute *impuritatis* damnat, & *reatum* e ſanguine contrahendum denunciat. Præterea facilior forte hinc colligi poſſet ſenſus atque ſcopus moralis, circa prohibitam cum menſtruata cohabitationem; quoniam tali tempore, quo actiua ex his partibus expulſio viget, omnis *effectus* cohabitationis, tanquam notorie *irritus*, atque adeo totus actus ſimpliciter *friuolus* exſiſtat. Interim quod ſanguis etiam ſimplicior, dum ad has partes copioſius adigitur, & per easdem ita *transpellitur*, in indiuiduis ad *res venereas* aliunde *procacioribus*, per commotionem qualemcunque ſeminalis *orgaſmi impreſſionem* aliquam ſuſcipere poſſit, abſolute quidem negare non contendo: interim certe vulgares illas fabulas, de varia præſentiſſima atque vehementiſſima huius generis *efficacia*, quenquam facile in animum admiſſurum eſſe minime ſpero: ſicut

Næniæ antiquæ de ſanguinis menſtrui impuritate & venenoſitate.

etiam commentum illud, de *ſpeculorum ex obtutu menſtruatæ* corruptione, ne quidem fatua ancilla credid rit.

Tempore lactationis fluxus tantiſper ceſſat.

§. XIX. Cæterum ſeruat hic fluxus, quando omnia reliqua ſatis exquiſite ſeſe habent, illum vtique etiam conſtantem ordinem, vt *quamdiu* fœmina infantem ſanum atque vegetum *lactat*, & diæta vtitur tam *temperante* circa quantitatem, quam *temperata* circa qualitatem aſſumtorum, fluxus hic *tantiſper* ceſſet: adeoque hoc ipſo etiam conuenienter ſeſe gerat *finibus* ſuis.

Tempus plenariæ ceſſationis huius fluxus.

§. XX. Non placet autem prolixe repetere, omnino vero prudenti conſiderationi commendare, quæ & in hac ſectione, & iam ſupra de *energia a priori* indicata ſunt, de *tempore*, quo hæ exonerationes *ceſſant*: & quod illa *ceſſatio*, per allegatas ſolidas rationes, omnino non tam *cauſſæ* efficaciam habeat, quam *effectus* potius. Nempe, dum *intentio* omnis concurrendi ad fœtus nutritionem deponitur, etiam *apparatus* eo pertinens, & omnis *euentus* illum alias conſequens, eo ipſo ſimpliciter *omittatur*, *a poſteriori*, depoſita *intentione a priori*.

Vaſa vterina non ſufficiunt ad hanc excretionem, ſed aliæ adhuc viæ ſunt;

§. XXI. Supereſt, vt aliqua dicamus de illis *vaſis*, per quæ hæc excretio celebrari videatur. Sunt non ita pauci, qui, dum ex *intima vteri* capacitate menſtruas excretiones erumpere arbitrantur, vaſa etiam alia hic non æque admittant, quam *directe* & ſimpliciter *vterina*, quæ *hypogaſtricorum* ſodales, *iliacorum* autem internorum *ſoboles* ſunt. Cum autem *vterus vacuus*, & in tota ſua mole valde *paruus* ſit, & conſiſtentia ſua *ſpiſſus*, *denſus*, imo *durus*; *vaſa* præterea hæc, ad ipſum directe tendentia, eo ipſo tempore, vel circa ipſam extremam eius *ſuperficiem*, ne dum intimam ipſius exiguam *cauitatem*, certe exiguæ *capacitatis* exſiſtant; præterea in reliquo vniuerſo corpore nullum ſit exemplum, ne quidem *præter naturam*, quod per tam *ſpiſſa* interſtitia aliqua ſanguinis eruptio penetret: difficilius propterea certe eſt credere, quod hoc vno loco tale quicquam ita ſolenniter contingat. Et hoc quidem inprimis, cum aliæ adhuc viæ præſto ſint, quæ non ſolum *a priori aptitudinem* ſuam ad huiusmodi negotium inſignem exhibeant, ſed etiam *a poſteriori* a variis conſpirantibus effectibus tanto magis hanc ſui *indolem* & *vſum* confirmare appareant.

nempe venæ hæmorrhoidales; quod tria

§. XXII. Sunt hæc ipſa vaſa, quæ ad *ceruicem* atque *collum* vteri porriguntur a vena *hæmorrhoidali*. Ex his enim effuſiones iſtiusmodi fieri, innuere videntur *ſequentia* diuerſa phænomena. *Pri-*

mo

mo enim contingit non ita raro, vt ſanguinis non ſolum lenis, qualis *menſtrua* eſt, emanatio, ſed omnino *profuſio* larga eueniat, ipſis etiam *grauidis* ſine fœtus detrimento: cuius rei exempla non ex alienæ fidei hiſtoria, ſed propria experientia habeo inſignia. *Secundo* quod etiam in aliis fœminis, exemplis minime infrequentibus, tales *menſtruæ hæmorrhagiæ* contingant, cum eiusmodi grumis quoque ſanguinis, quales *capacitas* vteri *fœtu vacui* vel decimam partem non admitteret, nec *orificium* eius emitteret; ne quid de eo dicam, quod hoc orificium ſub talibus caſibus tactu conſtanter deprehendatur clauſum. *Tertio a poſteriori*, quod tam præſentiſſimus ſit *conſenſus hypochondriorum* cum vtero, & inprimis directe cum *menſium* negotio. E quibus vniuerſis circumſtantiis mihi quidem longe veriſimilius videtur, quod menſtruus ſanguinis fluxus potius erumpat ex illis *hæmorrhoidalibus* venis, *venæ portæ* propaginibus, quam aliis vteri vaſis. A quo mutuo conſenſu tanto facilius proficiſci poſſe putamus, non ſolum ante dicta illa *hypochondriacorum* impedimentorum in ipſos *menſes* præſentiſſimam conſpirationem: ſed etiam *viciſſim menſtruæ* euacuationis violatæ præſentiorem energiam, & communicationem veluti noxiam, in *hypochondriacæ* diſtributionis ſanguineæ integritatem. phœnomena probant.

§. XXIII. Quemadmodum autem merito memori plane mente ſeruatur euacuationis huius *ſincere* ſanguineæ *vtilitas*, imo quaſi *neceſſitas*; neque vero minus eiusdem etiam *ſpontaneus*, toti ſexui *ordinarius*, adeoque recte etiam ipſi *debitus* iudicandus, exonerationis *modus* atque *motus* conſiderationem prudentem omni modo meretur: ita placet ea, quæ circa huius muliebris excretionis negotium hactenus allegata & ad explicationem eius vſurpata fuerunt, adhuc ſemel veluti de integro perluſtrare. Idque propter rationes omnino prægnantes, quarum eximium momentum fortaſſis etiam ſub ipſa deductione ſtatim eluceſcet, velut *a priori*, in ipſa adhuc præſentis noſtri inſtituti tractatione, *ſtatus* nempe etiam *ſecundum naturam*: quemadmodum *a poſteriori*, ſumma penitus eſt huius contemplationis non magis *vtilitas*, quam re vera abſoluta *neceſſitas*, ad intelligendum primum *gradum*, imo veluti *greſſum* atque *paſſum*, ad declinationem ſtatus *naturalis* ad *præternaturalem*: & quidem *primo ſimpliciſſimum*; mox vero *ſecundo, locupletiſſimum* & variis vlterioribus commotionum ataxiis fœcundum; & hoc *tertio* etiam perpetuo ſub iuſti alicuius *ſcopi* atque *finis vitalis, ſalutaris* vero reſpectu; materiam talium reliquæ refractariæ diſpoſitioni omnino *reſpondente* atque quadrante. Quod ipſum ſicuti verum

Propter vtilitatem & neceſſitatem huius exonerationis totum negotium in ſequentibus denuo perluſtratur.

 atque

atque ſolidum fundamentum eſt veræ & realis *pathologiæ* plurimorum *affectuum*, & inprimis *phænomenorum* adhuc plurium; adeo, vt citra hanc nihil niſi alienum a veritate & erroneum de talibus agnoſci aut concipi poſſit: ita præbet etiam verum atque ſolidiſſimum fundamentum *therapiæ* & *methodi medendi* vere rationalis atque naturalis.

Speciatim quod excretiones ſanguineæ etiam virili ſexui obtingant.

§. XXIV. Recte itaque ordine nos facturos, eiusque rei omni modo nobis incumbere ſolertiorem demonſtrationem iudicamus; vt innoteſcat luculenter, quam *ſolenni* more atque via hoc ita euenire poſſit, vt *excretiones ſinceræ ſanguinis* etiam *virili* ſexui impendeant imo obtingant, & ſub quibus circumſtantiis illæ vel *commode* ſuccedant; vel, quando in hoc impediuntur, aliis modis vlteriora *incommoda* imo *pericula* parturiant. Quod ipſum tamen hic quidem non niſi ſimpliciter reflexiue, & in ipſa theſi indicabimus, cum deductio καθ ὑπόθεσιν ad doctrinam conſtitutionis *præter naturam*, vel pathologiam, ſpectet.

SECT. I.

MEMBRI VIII.

ARTICVLVS I.

EXACTIOR PENSITATIO EXCRETIONIS SINCERE SANGVINEAE.

§. I.

Anticipando de ſanguinis quantitate hic agitur.

CVm, vti paulo ante dictum, maximæ prorſus conſiderationis ſit familiaris ille, etiam apud *virilem* ſexum, euentus *excretionum ſanguinearum*; ex vſu omnino erit contemplari conſtitutionem *ſanguinis*, etiam adhuc ad tolerantiam *ſecundum naturam* ſeſe gerentis, quatenus ad hunc effectum proxime inclinat. Ago quidem hoc in præſenti velut anticipando, quantum ad ſanguinis quantitatem attinet; vtpote de qua magis forte conueniret ſub theoria NVTRITIONIS verba facere: interim cum *ſincera* ſanguinis excretio, quæ in ſexu *fœminino ſecundum naturam* fieri omnium, quantum ſcio, conſenſu agnoſcitur, occaſionem ſubminiſtret, hanc rem in eo maxime ordine atque reſpectu, quatenus *excretioni* velificatur, expendendi, non agnoſci-

gnoſcimus ἄτοπον hanc, alio forte reſpectu ita dicendam, anticipationem.

§. II. Cum *ſanguinis* imo totius reliqui *corporis* conſeruatio *vitalis*, & ab omnibus periculis directis vitalitatis, *præſeruatio*, conſiſtat fundamentaliter in perpetuis debitis atque ſufficientibus *ſecretionibus* atque *excretionibus*; ad has autem requiratur *liber* & *expeditus* ſanguinis *circuitus*: manifeſtum vtique eſt, quod, quicquid ad hunc liberrimum *circuitum* atque *tranſitum* ſanguinis pertinet, decentiſſime ſeſe habere debeat, aut ſecus *impedimentum*, & conſequenter *periculum* exſpectare conueniat. Requiritur autem adhuc progreſſum in *libertate* decente continuandum, vt non ſolum conueniens *qualitas*, ſed omnino etiam recte proportionata *quantitas* ſanguinis præſto ſit atque maneat.

Liber & expeditus ſanguinis circuitus requirit decentem eius conſtitutionem vel qualitatis vel quantitatis.

§. III. *Quantitatis* enim ſanguinis proportio *duos* infert maximæ conſiderationis reſpectus; *primo* enim, a priori quaſi, *molis* atque *ponderis proportio* conueniens cum ipſius *energiæ motoriæ* modulo ſpectari hic debet. Quandoquidem rationi conſentaneum eſt, plus, quam iuſtum ſit, *molis* atque *ponderis*, inprimis ſub *capacite viarum* certa atque proportionata, hanc *abundantiam* veluti *reniſu* quodam aduerſante, etiam plus *energiæ* poſtulare, qua impellatur, & ſub huiusmodi diuerſis velut *obſtaculis* etiam debite transpellatur.

Quantitas ſanguinis duo infert conſideranda 1. molis proportionem ad energiam motoriam,

§. IV. Tanto magis autem conſequentiæ vlterioris, vt a poſteriori, intuitu neceſſaria vtique eſt hæc *quantitatis* iuſta *menſura*; quoniam ſi contingat, vt ſanguis tum capacitatis *viarum*, tum *energiæ* impulſum diuerſo modulo, *languidius* circuletur; *qualitatis* etiam *ſimpliciſſimum* quidem, ſed etiam non contemnendum, & variis vlterioribus *periculis* aptiſſimum, *detrimentum* imo *vitium* ſubeat, quo *motus* ipſius & *certiſſime* & *citiſſime*, & iuſtis ſucceſſibus etiam *grauiſſime*, impediatur, imo *lædatur*. Cum enim *mobilitas* ſanguinis ipſo eius *motu* præcipue ſuſtentetur; quo nempe per *ſpongioſas* partes transpulſus, veluti *conquaſſatione* quadam ſubagitetur; & hoc tanto facilius ſuccedat, quanto *breuioribus periodis* ad illa eadem conquaſſationis loca atque organa iterum iterumque reuertitur; quam *periodum* vtique inſigniter moratur *quantitas* materiæ ſolito plurimum abundantior: ſequitur vtique poſt tales exceſſus illud etiam *ſucceſſus* debiti incommodum atque vitium, cui & plura & grauiora vlteriora pericula, imo damna, imminent. Loquor autem de *ſpiſſeſcentia* ſanguinis.

2. ne languidiore circulatione ſanguis ſpiſſeſcat.

Quo modo & quibus mediis hoc quantitatis moderamen obtineatur.

§. V. Cum itaque tantum momentum habeat *quantitatis* ſanguinis iuſtum moderamen, meretur certe etiam contemplationem conuenientem, quibusnam circumſtantiis, etiam *ſecundum naturam*, quam maxime vſitatis, hæc ſanguinis conſtitutio ita inniti poſſit, vt vel deſideratum illud *quantitatis* huiusmodi moderamen exinde ſibi recte conſtet, vel etiam ataxiæ cuidam forſitan exponatur. *Bonus victus bonum ſanguinem gignit*; ita quidem, vt ſicuti hæc iſtius qualitas qualitati ſanguinis inde prognaſcentis reſpondet: ita etiam *quantitas quantitati* ſymbolizet.

Qu. an e victu bono & largo plus imo nimium ſanguinis generari poſſit?

§. VI. Quæſtio interim non contemnenda videtur inſtitui hic debere, an etiam e victu quantumcunque tandem optimo atque *largo plus* ſanguinis generari poſſit, quam ipſius corporis *vſibus* non ſolum *tolerabile*, ſed adhuc maiore quæſtionis ἀκριβείᾳ, etiam omnino *neceſſarium* ſit? Affirmant hoc iam inde ab antiquiſſimis temporibus Medici communiter, documento cum primis a poſteriori *duplici*. *Primo*, quod res ipſa hoc docere obſeruetur, per comparentem ſanguinis affluentem *abundantiam*, poſitiue; *ſecundo*, quod in tali inprimis conſtitutione comparente non ſolum ſine vllo incommodo *tolerentur*, ſed etiam ſenſibilia potius commoda atque leuamina adferant eductiones ſanguinis atque *imminutiones*, priuatiue. Pauciores, qui negant quæſtionem, argumento vtuntur a priori, quamuis ex altera parte tam ratione acceptionis, quam probationis non parum ancipiti, nempe: quod *Deus & natura nihil faciant fruſtra*. De *Deo* quidem facile damus manus: de *natura* vero, nempe, de qua hic quæſtio eſt, *humana*, & *animali* reliqua, inprimis autem *humana*, quis temere adſentiatur, cum hanc inprimis *erroribus* patere notiſſimum ſit.

Affirmatiua eligitur, & argumentis roboratur.

§. VII. Vnde quidem mihi penitus *inuertendum* videtur hoc argumentum; ne tamen etiam ſimpliciter *erroris* in hoc negotio ipſam damnemus, dabimus potius argumenta pro *affirmatiua*, omnino etiam a priori. Certum nempe atque notum eſt (1) quod corpus humanum *a natiuitate*, imo ab ipſo ortu ſui *creſcere* & *augeſcere* debeat, nempe *extendi* atque *expandi*; (2) quod magnam huius *extenſionis* partem non ſolum ſimpliciter *ſuffercire*, imo iam maiore vſu ita diſtentam *ſuſtentare* debeat ſanguis; ſed etiam (3) ipſo tali ſui infarctu *iuuare* atque *promouere* hanc ipſam expanſionem. Sicut itaque *expanſio* illa in corpore bene *ſuccreſcente* non ſolum quotidianis incrementis augeſcit, ſed re vera etiam concurſu ſanguinis *diſtendente* au-

geri

geri poteſt, atque promoueri: ita videtur etiam ſanæ rationi omnino conſonum, quod huiusmodi ſanguinis quantitas non ſolum conueniens, ſed etiam omnino *debita* hic agnoſci mereatur, quæ non tam *præſenti* ſolum corporis capacitati quadret, aut illam ſimpliciter ſolum ita ſequatur; ſed omnino talis, quæ ad *futuram* eius extenſionem atque diffuſionem ita reſpiciat, vt illi non ſolum ita ſimpliciter *ſuccedat*, ſed omnino potius *præcurrat*, imo actiuo quodam ſui influxu illi inſeruiat, *concurrat* atque adiumento ſit.

§. VIII. Quemadmodum autem talis locupletior collectio ſanguinis, pro dicto ſcopo, *vſum* ſuum præcipuum non vltra illos annos habere videri poſſit, quibus notabilis talis *extenſio* corporis & *incrementum* eius locum habeat; ita quantumlibet etiam hoc tempus ſeſe ſatis longe, vt in annum vsque 25. extendat, eſt tamen inſuper etiam notanda promta illa humano inprimis generi ſusceptio *adſuetudinis; adſuefactio*, inquam, *intentionum* inprimis, & ſub certa intentione, *motuum*. Sufficere poſſe puto hoc argumentum, eiusque deductionem ita a priori, quod *abundantia* ſanguinis etiam quam maxime *naturaliter* dari poſſit; *plus*, inquam, ſanguinis progigni, quam ad *præſentem* immediatum *vſum* corporis *abſolute* & ſimpliciter requiratur, ſed potius in *futuros* demum vſus deſtinetur.

Licet extenſio corporis tantum ad annum 25. duret; collectio tamen ſanguinis abundantis non ceſſat.

§. IX. In qua tamen menſura, tam a priori, *exceſſus* aliquis facile committi poteſt, intentioni vtique qualicunque indulgendo magis ſecundum *moralem* æſtimationem, quam ſimpliciter *mechanicam* proportionem eiusque neceſſitatem. Ne vero hæc etiam vniuerſa gratis, & tanquam ſimpliciter qualicunque *probabilitati* relinquenda, nec vllum aliud teſtimonium parallelum admittentia, ita in medium producere videar, confirmare hanc meam ſententiam aggredior exemplo prorſus parallelo a poſteriori. Cuius ad argumentandum atque demonſtrandum neruus vt tanto rectius pateat, placet ipſum thema ediſſerere, cuius probatio nobis exhibenda venit, quod eſt: **Quæ ad ſuſtentationem augmenti corporis pertinent, facilius atque promtius abundanter colligi, & ſupra, quam ad vllum præſentaneum vſum, nedum neceſſitatem.**

Poſſibilitas abundantiæ ſanguinis commonſtratur argumento a priori.

§. X. Exemplar huius rei prorſus euidentiſſimum eſt PINGVEDO. Quam quomodo in variis indiuiduis natura ita copioſe *coaceruet*, & prouide atque curioſe *diſponat*, eiusque ſuſtentationi,

Exemplo pinguedinis a poſteriori.

ne

ne vtique corruptionem aliquam incurrat, perpetuis vitalibus *conſeruatoriis* actionibus ſuccurrat, tum aliunde, tum ex illis, quæ ipſe in hanc materiam ſuperius protuli, non poteſt ignotum eſſe. Quemadmodum itaque in hac materia natura tam promte atque ſollicite ſuſcipit agere, quod non niſi in *remotos vſus*, *neceſſitatem* autem plane nullam, vergat: ita tanto minus mirum, aut dubio ſolido propinquum, æſtimari poteſt, quod eadem natura etiam tanto magis *ſanguinem*, cuius perpetuorum ſummorum *vſuum* vtique amantiſſima eſſe debet, pari eum indulgentia, imo verius *luxuria*, coaceruet. Accedit autem huic coaceruationis velut a priori intentioni etiam familiaris ille *defectus* a poſteriori, dum inter *plenum* & optimum victum, & reliquam vegetam & alacrem *ſanitatis* præſentiam, imo & efficaciam, adeoque ſanguinis largiorem prouentum, otioſa nimium *deſidia*, conſumtioni eius a poſteriori non ſatisfaciendo, hanc eiusdem retentoriam *coaceruationem* ita (*priuatiue*, vt aiunt) fouet, & auget.

His ſuffragatur veritas in exemplis ætatum, inprimis iuniorum.

§. XI. Puto hæc ita ſufficere poſſe pro commonſtranda tam a priori, quam a poſteriori, per exemplum parallelum, *abundantiæ* ſanguinis *poſſibilitate*: quibus tanto magis ſuffragatur ipſa veritas euentu, in quotidianis exemplis omnium ætatum, inprimis tamen *iuniorum*. Quamuis neque *prouectiores* exceptionem hic admittant, quotquot inprimis *iunioribus* annis, ſiue *euacuationibus ſpontaneis*, ſiue *violentis*, ſanguinem iam minuere aut amittere, iam reſarcire, *adſueuerunt*. Vel etiam inter *laborioſiores* corporis *motus*, fatiſcenti indies ſanguini per præſentiorem reſtaurationem nutritiam, quaſi iugiter *ſubuenire adſuefacti* ſunt.

Natura adſueſcit amiſſioni & imminutioni ſanguinis per maturam reparationem ſuccurrere.

§. XII. Ita enim certe, vti ſuo loco de CONSVETVDINE monendum erit, tam directæ atque ſinceræ *amiſſioni* ſanguinis, quam mediatæ eius *imminutioni per conſumtionem* (de qua ſupra ſub geneſi SERI actum eſt) *adſueſcit* natura nonſolum ſuccurrere per maturam reparationem *iuſtæ* quantitati ſanguinis; ſed etiam occurrere per *farraginem* veluti eius, in anteceſſum comparandam. E quibus ipſis etiam rerum ſuarum ſatagendi conatibus paſſim obſeruatur largior talis & *abundantior* ſanguinis collectio proficiſci, quam vel ipſa *neceſſitas* ſimpliciter *poſtulare* videatur, vel reuera etiam reliqua corporis œconomia citra omne incommodum *tolerare* poſſit.

Hæc abundantia corpori moleſtiam

§. XIII. Fuit hæc habitudo illa *quantitatis* ſanguinis, ad leges efficientiæ veluti in corpore: ſubiungenda venit conſideratio eius, ad leges *tolerantiæ*, nempe quomodo *abundantia* huiusmodi, quando inſigni-

ſigniter inualeſcit, reuera etiam corpori non ſolum *moleſtiam*, ſed etiam *periculum* adferre ſentiatur. Omnino vero notandum eſt, quod multi paſſim occurrant homines, *abundantia* huiusmodi reuera affecti, qui tamen illam ita ſatis commode ferant, ſine valde ſenſibili ſanitatis ſuæ ſiue onere, ſiue damno; interim aliquid ſequentium generum communiſſime experiuntur. imo periculum adferre poteſt.

§. XIII. Nempe *primo*, vt ad *motus* corporis *voluntarios* tam *in genere* magis *prægrauatos* magis *oppreſſos* ſeſe ſentiant, quam *in ſpecie* ad *durationem* atque continuationem illorum minus ſufficiant, ſed longe citius quam alii defatigentur: adeoque niſi quidem incommodis exerceri velint, neceſſe habeant ab illis ſibi ſollicite temperare. *Secundo*, quando etiam hiſce conditionibus morem gerere renuunt, ſed agitare corpus *laborioſius* audent, *incaleſcunt* inde longe citius atque fortius quam alii, *turgeſcit* importunius *ſanguis*, & ſentiunt inde varias *oppletiones*, *tenſiones* atque *preſſiones* internas. Imo *tertio*, quando etiam quietus *calor* externus ambiens intemperantior accidit; aut *vini* abuſui indulgent, *iracundiæ*, *veneri*, *vigiliis* nimium permittunt: incurrunt inde *laſſitudines* tales *oppletiuas*, *æſtuationes* vagas, *dolores* capitis, *ſomni* perturbationes. Sicut ipſis etiam valde familiare eſt, ſub qualibet incaleſcentia, quam etiam cito incurrunt, *compunctiones* quasdam in cute moleſtas, quaſi ſetis incuſſis, perſentiſcere. Imo ſunt omnino tum aliis p. n. *periclitationibus*, tum inprimis *capitis*, *oculorum*, *aurium*, *dentium*, *faucium*, *pectoris*, *lumborum*, *inteſtinorum*, *renum*, ACVTIS doloribus; *inflammationibus*, propter leuiores cauſſas, promtis & grauioribus; FEBRIBVS *acutis*, *intermittentibus* æſtuoſioribus, ſub *contagio periculoſioribus* anomaliis, PRAE ALIIS hominibus expoſiti. Moleſtiæ recenſentur. Pericula morborum.

§. XIV. Ante hæc omnia vero, quoties quidem res FELICIVS cedunt, *ſinceris* ſanguinis *eruptionibus* ſeu HAEMORRHAGIIS. Quamlibet autem hic minime immemor ſim inſtituti mei præſentis, quod certe aliud non eſt, quam de conſtitione corporis humani ſibi recte conſtante, ſeu *ſimpliciter ſecundum naturam*, tractare: Cum tamen *excretionis ſincere ſanguineæ* in ſexu fœminino mentio facienda fuerit, eaque communi conſenſu pro negotio vtique *ſecundum naturam* agnoſcatur, tali inquam, quod & fieri *debeat*, & ſolum quando *non fit*, tranquillum corporis ſtatum in *damnum*, aut ad minimum *periculum* coniiciat; hæc ipſa vero excretio, vere & realiter *abſolute* illis *iisdem* fundamentis innitatur, quibus omnes aliæ SIMPLICES Hæmorrhagiæ.

HAEMORHAGIAE: non iniquum hinc mihi vtique viſum eſt, etiam generaliorem mentionem, & vberiorem quidem, facere iſtius conditionis, a qua & illa muliebris, & omnes reliquæ, SIMPLICES inquam HAEMORRHAGIAE pendent.

Plethora œconomiæ corporis non ſolum moleſta ſed etiam periculoſa eſt.

§. XVI. Nempe monſtrare, quod etiam illa ipſa conditio corpori humano in genere vtriusuis ſexus non ſolum valde familiaris, ſed omnino recte conſiderata etiam aliquo reſpectu exquiſite *ſecundum naturam* ſolennis, imo debita exſiſtat. Loquor autem de PLETHORA, quæ, ſi vel *accretio* corporis, vel laborioſa (cum etiam ad conſtitutionem ſ. n. & ipſum quadantenus *finem* hominis pertineat, *non otioſum eſſe) conſumtio* ſanguinis non vegete fiat, *coaceruatione* ſui toti œconomiæ non ſolum *moleſtiam* creat, eamque prægrauat, & libertatem motus corporis voluntarii magis magisque opprimit: ſed etiam facile poſitiue in *pericula* corpus coniicit, multa æque atque grauia.

Huic ataxiæ natura in virili ſexu æque ac in feminino conſulere conſueuit.

§. XVII. Ita quidem huic ataxiæ in *virili* ſexu eadem *generali* ratione conſuli, qua in fœmineo fieri conſueuit, nemo puto magis ſimpliciter *præter naturam* eſſe euicerit quam in *fœminis*, licet *locus exonerationis* variet. Interim ſub hac ipſa etiam conſideratione, ſtatui *ſecundum naturam* adhuc ita tolerabiliter attexenda, perpendi omnino debet allegata illa a nobis *facilis declinatio craſeos* ſanguinis a debita ſua tenuitate, per ipſam *abundantiam* & neglectum *motuum* vegetiorum. Quæ *ſpiſſeſcentia* vti tantiſper etiam adhuc ſub *latitudine ſanitatis* comprehendi poteſt, & ſine *ſupremis* incommodis aut præſentiſſimis *periculis* ſubinde ſatis diu tolerari: ita eſt tamen iuſta contemplatio & admonitio, quod etiam directe velut ex ipſa *media ſanitate*, imo eius aliqua veluti affluente *abundantia*, directus gradus atque progreſſus ad *morbos*, nempe *offendicula* imo *pericula* vitæ, non *poſſit* magis quam familiariter etiam *ſoleat* euenire.

SECTIO

SECTIO II.

MEMBRVM I.

DE REBVS NON-NATVRALIBVS.

§. I.

CVm ſolennis occurrat apud Phyſiologos ſuperiorum temporum mentio & appellatio RERVM NON NATVRALIVM; præmittant autem his appellationem atque cenſum rerum, quas *naturales* appellant: ſenſus appellationum harum verus in eo fundatur, quod aliquas res abſolute ad ipſam *internam corporis conſtitutionem* & *exiſtentiam* pertinere interpretentur, adeoque *naturam* velut eius *conſtituere*, aut *ingredi*; alias autem ad *ſubſiſtentiam* eius omnino pertinere, ſed tamen *externo* quodam *concurſu* aut *occurſu* ſolum ipſi obtingere intelligi debeant. Hoc ſenſu *priores* illas velut *emphytas*, *innatas*, *inſitas*, & *inhærentes* conſiderare ſuſcipiunt: has poſteriores autem veluti *ſymphytas*, imo *epiphytas*, *ſuper accreſcentes* atque *concurrentes*: vbi neminem perturbare debet vocabulum *quaſi-negatiuum*, ac ſi cum humana *natura* vel plane ſtare *non* poſſent. Appellatio rerum non-naturalium & naturalium.

§. II. Operoſi enim fuerunt horum nominum architecti in explicanda ipſis rebus mente ſua, quid velint per vocabula *non naturale*, *præter naturam*, & *contra naturam*. Vbi merito valet illud Galeni: *In verbis ſimus faciles*. Propr:e itaque appellatione illa *non-naturalis* nihil aliud intelligi debet niſi tales res, quæ quidem ad *internam* corporis *eſſentiam directe* & *ſimpliciter* non pertinent, ſiue ſecundum vſitatam loquendi formulam, *eſſentiam* corporis non *ingrediuntur*, ad *conſtituendum* illud ipſum: interim ad *conſeruandum*, atque *durationem* eius ſuffulciendam, abſolutæ prorſus neceſſitatis ſunt. Quid per res non-naturales intelligatur.

§. III. Minime vero diſſimulo, quod quidem in ipſis veterum conſiderationibus non ſatis diſtincte *ſeparatos* inueniam *reſpectus* illos, quibus corpus vel ſimpliciter *in ſe* ſpectatur, vel in ordine ad longiorem *durationem*, ſiue *conſeruationem* ſui *in tempus*. Quamuis enim ſatis recte *naturam* ſimpliciter diſtinxerint a *vita*; minime tamen recte actus, quos *naturales* vocant, *naturæ* illo ſenſu ſumtæ (vitæ contradiſtinctæ) tribuerunt, aut *toto*, quod aiunt, *genere* a *vitalibus actibus* ſeiun- Veteres reſpectus corporis mixti & viui non diſtincte ſepararunt.

xerunt. Actus enim *naturales* eo ſenſu, quo vulgo apud Medicos cenſentur, nihil aliud ſunt, quam *negotium* NVTRITIONIS. Cum *natura*, quatenus *vitæ* directe contradiſtinguitur, potius ſit conſtitutio corporis in plena ſua &, quod aiunt, abſoluta *perfectione* conſiderati. Quaſi diceres, quando hominem exacte *ſecundum naturam* conſtitutum, qualem Adamum ſtatim in prima *creatione* efformatum eſſe credimus, non ſolum *temperie* atque *conformatione* exquiſita, ſed etiam *magnitudine* atque *maturitate* corporis *integrum*, & omnibus ſuis numeris *abſolutum*, ad quaslibet actiones perpetrandas idoneum, concipimus aut præfiguramus; hanc eius perfectam conſtitutionem, qualis vel vno obtutu conſpici, vel ſub vno pleno ſchemate in mentem venire poſſet, *naturam* hominis appellemus: quod alias veræ *indolis*, & intimæ, abſolutæ *conſtitutionis* nominibus atque conceptibus indigitare ſolemus.

Natura hominis.

Indicatur connexio rerum non-naturalium cum rebus naturalibus.

§. IV. Cum autem hodie homo non ita amplius conſiderari valeat, ſed ad *abſoluendam* omnino vniuerſam eius indolem, nempe tam *corporis* quam *animi agilitatem* & *habilitatem* TEMPVS omnino requiratur; intra cuius *ſucceſſus* tam *vita* quam *nutritio fiat*, *vigeat*, corpus *perficiat*, & abſoluat: apparet certe hinc ſatis luculenter, quanta ſit connexio harum *non-naturalium* dictarum *rerum* non ſolum ad *conſeruandas*, ſed omnino etiam *conſtituendas*, & ad perfectionem ſui *deducendas* res *naturales*.

Aetas merito ad res non naturales referri deberet; imo ipſa vita.

§. V. Manifeſtiſſimum eſt negotium in productione & efformatione AETATIS, quam illi diſpenſatores paſſim etiam referre ſolent ad *res naturales*. Cum enim AETAS res *non-naturales* ſimpliciter & abſolute ſequatur, & ipſe quam maxime curſus atque *ſucceſſus* rerum *non-naturalium ætatem* conſtituat, debebat profecto etiam AETAS magis iure aliquo ſuo ad res *non-naturales* referri. Imo ipſa VITA *in actu* ſuo conſiderata pertinet longe magis atque verius ad *res non-naturales*: ad *naturales* autem magis ſimpliciter VITALITAS, ſiue (ne tamen quenquam offendat verbum) VIVACITAS; *aptitudo* inquam, & vndique recte idonea *diſpoſitio* ad *continuandam* corporis *conſeruationem*.

Aër licet eſſentiam hominis non ingrediatur, tamen ad conſeruationem eius neceſſarius eſt.

§. VI. Enumerant autem vulgo rerum iſtarum, quas *non-naturales* vocant, SEX ſpecies. I. AEREM, II. *aſſumenda*, CIBVM & POTVM, III. MOTVM & QVIETEM, IV. SOMNVM & VIGILIAS, V. ANIMI PATHEMATA, VI. EXCERNENDA. Eſt omnino AER talis res, quæ licet ſimpliciter & abſolute ad *vitam* neceſſa-

ceſſaria non ſit, quandoquidem etiam *infans in vtero viuit*, citra verum *aëris* commercium: hominis tamen *completi*, & ad *actiones* ſuas rite obeundas iam *maturi*, *conſeruatio* in longius tempus, imo re vera vniuerſa conſtitutio, etiam ſecundum ſui *fines*, tam homini, quam omnibus *animalibus reſpirantibus* perfecte neceſſarium reddit circuitum in *aëre*. Quamlibet itaque ipſe *aër*, ille inquam, quem vulgari acceptione ita appellamus, *eſſentiam* hominis intimius non æque ingrediatur; (alieniora enim ſunt, quæ moderni de *aëris inſinuatione in ſanguinem narrant*) adeoque ad hominem ſimpliciter concipiendum non abſolutæ neceſſitatis videri poſſit eius concurſus: eſt tamen omnino ad *durationem* eius atque conſeruationem in longius tempus.

§. VII. Concurrit autem *aër* cum corpore hominis & aliorum animalium in aëre viuere ſolitorum *duobus* maxime modis, (1) *reſpiratione*, (2) *ambitu* atque adeo *contactu* perpetuo totius externi corporis. *Reſpirationis* apparatus imo vniuerſum negotium quantumlibet reuera magis ad *phyſicam* contemplationem pertineat, neque proinde ad noſtram *medicam* conſiderationem aliqua neceſſitate referri poſtulet, poterit tamen etiam breui neruoſa commemoratione ὡς ἐν παρόδῳ illi inſeri.

Duplex aëris concurſus cum corpore.

§. VIII. Ante omnia notari meretur *trium viſcerum*, quæ innumerabili vaſorum diſtributione ſubtexta ſunt, imo maximam partem e vaſorum variorum ramulis conſtant, artificioſiſſima diuerſitas in *ſuffulciendis* illis numeroſiſſimis *diuaricationibus* vaſorum, ne inter ſe mutuo implicari poſſint. In *hepate* quidem *interponuntur* diuaricationibus vbique *glandulæ*, ne vſquam iterum inter ſe mutuo veluti *conniuere* valeant. In *liene* curioſum eſt vtique intueri, quomodo diſtributio illa innumerabilium ramulorum *fibris* peculiaribus, poris immenſi numeri ſuſpenſa, & mutuo quidem *deuincta* ſit, & tamen eo ipſo etiam inter ſe mutuo *diſtineatur*, ita, vt nihil confuſionis aut *implicationis* mutuæ vlla ratione oriri poſſit, ſed omnia veluti perpetuo *in ſuſpenſo* teneantur. Operoſiſſima vero omnium eſt illa textura, quæ in *pulmonibus* viſitur. Conſtant autem pulmones e *tribus* conſpicuis (nam *lymphatica* æquali diſtributione cum illis incedere, hic immenſum minus probabile eſt, quam in *hepate* ita penitus *glanduloſo*) *vaſorum* & *meatuum* generibus, nempe *arteriis*, *venis* & *aſperæ arteriæ tubulis*.

Trium viſcerum hepatis, lienis & pulmonum conſideratio vaſorum.

§ IX. Habent autem in *pulmonis* ſtructura primarium vtique vſum, eamque adeo proprie conſtituunt & abſoluunt hæ *aſperæ arteriæ* ramificationes. In quibus illud ſpectatu dignum eſt, quod, ſicut

Specialis conſideratio ſtructuræ pulmonum ad reſpi-

 aſpera

rationis negotium. Ramificationes arteriæ aſperæ.

aſpera arteria & *craſſiora* eiusdem bronchia, alternis eiusmodi *circulis cartilagineis* reuinctam, & velut *interſtinctam* habent reliquam ſuam tunicaceam ſubſtantiam; ita hi *vlteriores* imo *vltimi* meatus, nempe *ramuli* horum bronchiorum, ſubtiliſſimi quidem *membranacei* tubuli, tenacibus tamen huiusmodi, & filo ſerico comparandis alternis *ſubligaculis* ita pariter diſtinguantur, vt ab inſpiratione *inflata membranacea* pars, *diſtenſione* ſui per ſingula *interſtitia* huiusmodi tenacium *ſubligaculorum*, veluti *veſiculam* efforment; eoque ipſo, hac inquam inflatione, non ſolum in *latum*, ſed etiam in *longum* expandantur: ceſſante vero inflatione, etiam in vtramque dimenſionem ita collabantur, vt *expanſionem* totius huius molis, nempe ex innumerabilibus huiusmodi ramificationibus conſtantis, multum iterum *minuant*, ſicut *inſpiratione* magnopere *ampliant* & extendunt.

Ramificationes vaſorum arterioſorum & venoſorum.

§. X. Iugi progreſſu cum hiſce ductibus incedunt *vaſorum* tam *arterioſorum* quam *venoſorum* eadem quantitate innumerabiles *ramificationes.* Hæ, quando ante dictæ illæ tubuloſæ propagines *exſpiratione* collabuntur, *corrugantur* & velut in ſe retrahuntur, *corrugant*, ita, & veluti *ſerpentino* tractu atque replicatione *abbreuiant* etiam ſanguifera illa vaſa. Quo ipſo fit, vt per *arterias* quidem ita immenſis, *ſecundum longitudinem*, *plicis* & *anfractibus* obrutas nullus pateat progreſſus; per *venas autem* hac ipſa vniuerſæ molis ſubſidentia recurſus e *minimis* ramulis in maiores, veluti præcipiti quodam impetu compellatur.

Actio totius thoracis.

§. XI. Quorſum quidem, dum de *ſubſidentia* totius molis loquor, referenda vtique venit illa præcipua ad hanc *expanſionem*, eiusque iterum *oppreſſionem*, actio totius *thoracis*; cuius vtique *ſublatio*, qua attollitur, adeoque *aerem* in pulmones reuera attrahit, quando ſimpliciter remittitur, atque ita nudo pondere ſuo tota moles anterioris *pectoris* (vt a ſpina dorſi, tanquam a centro grauitatis ſuæ pendet) iterum deorſum labitur, *oppreſſionem* huiusmodi, mole profecto inſigni grauitatis, inducit.

Effectus huius texturæ pulmonum ſub inſpiratione & exſpiratione.

§. XII. Conſideratis ita decenter omnibus his circumſtantiis, apparet affatim, quomodo totum ſyſtema *pulmonum inſpirationis* actu illud inprimis adſequatur, vt ante omnia (1) *expanſione* eius, *vaſa ſanguifera* per illud excurrentia, ex illo *rugoſo & anfractuoſo* ſitu, quem ſub ſui compreſſione habent, in *rectitudinem* aliquam *exporrigantur*, adeoque, veluti *arbor* quædam cum innumeris ſuis ramis, *erecto ſitu* ſtantia facilem etiam ingreſſum atque progreſſum humoribus concedant: quod ſub

ſub illo prorſus velut *infinite rugoſo* illorum ſitu, nequaquam fieri potuerat. (2) *Inflatione* hac *veſicularum* pulmonalium *premuntur* fortiter per totum ſui ambitum *vaſa;* quandoquidem hæc ipſa *ad vtrumque latus* tubulorum illorum adiacent, qui *reſpiratione* ita in innumeras veſiculas expanduntur: adeoque expanſione hac, circa ſui finem fortius aucta, *premuntur* omnino vaſa hæc. Vbi, cum ex *arterioſis* vaſibus nihil *retrorſum* in dextrum ventriculum impelli poſſit, fit vegeta, & certe violenta preſſio ex *arterioſis* in *venoſa* & e *venoſis* tenerioribus in *maiores* venoſos ramos, verſus ſiniſtrum ventriculum cordis. (3) Imo augeſcit hæc *repreſſio* in & per venoſa vaſa, per ipſam *ſuccedentem* inſpirationis remiſſionem, quam vulgo *exſpirationem* vocamus: qua videlicet, vt antea monitum eſt, toto vniuerſi thoracis pondere iterum ſubſidente, vt vniuerſi *pulmonis* inflatio, ita etiam *vaſorum* horum *expanſio* in arctum redigitur.

§. XIII. Hi quidem ſunt directi effectus *texturæ* huius, atque diſtributionis *dilatabilis*, *tubuloſæ*, imo *veſiculoſæ pulmonum* & variorum ad harum veſicularum latera excurrentium vaſorum ſanguiferorum. *Secundarii* effectus ſunt partim augmentum *caloris* ſanguinis, de quo iam ſupra pluribus actum: partim *excretio* illa *halituoſa*, quæ ſub exſpiratione contingens, pariter iam ſupra notata fuit. Effectus ſecundarii.

§. XIV. Supereſt vt aliquid dicamus de illa inſigni vtique ENERGIA, qua actus *reſpirationis* perpetratur. Equidem mechanicam huius conſtitutionem ingenioſe penitus monſtrauit *Schwammerdam.* Quomodo nimirum pulmones ad ſui expanſionem abſolute nullo *proprio motu* polleant; ſed vnice ſequantur totius *thoracis* elationem, ſiue ſurſum quadantenus facta ſublatione, amplitudinis eius internæ *expanſionem.* Reliquam vero peculiarem organicam, quomodo hæc ipſa *thoracis* elatio, maxime ex oppoſito *ſterni*, per ipſa capita coſtarum, qua *vertebris* ſpinæ dorſi cohærent, ita contingat, vt *tota hæc moles thoracis* proprie *ab altera ſui extremitate trahatur*, (*impeditiſſimo* certe motionis genere) non memini quis animaduerterit. Omnino enim totam hanc motionem proprie abſoluunt *muſculi longiſſimi dorſi*, & *ſemiſpinati*: minime co concurrentibus *ſerratis.* Energia reſpirationis, cuius mechanicam conſtitutionem Schwammerdam, organicam autem nemo animaduertit.

§. XV. Sicut autem interim, etiam ex obſeruatione huius facti a poſteriori, de *magnitudine* illius ENERGIAE aliquid in genere cogitare integrum eſt, licet ſpecialiori conſiderationi ſimpliciter nullus hic ſit locus: ita ſuppetit par, imo maius documentum *magnitudinis energiæ* huius ex illo experimento, quando *oſſi ſterni* (ita tamen ne maior pon- Experimentum, quando oſſi ſterni centenarius dimidius imponitur, de magni-

deris

tudine huius energiæ teſtatur.

deris pars *molliori parti abdominis* incumbat) *moles dimidium centenarium pendens imponatur.* Quandoquidem ſub tali pondere nihilo ſecius reſpiratio adhuc tanta promtitudine peragitur, vt minime ex ſenſu ſuo hoc pondus inſigne eſſe exiſtimet, qui experitur. Quod certe pondus, cum reliquo *ſpontaneo molimini* reſpirationis adiectum tam parum augeat difficultatem, ſatis innuit, quod etiam *ordinarius* reſpirandi impetus motum conſtituat longe maiorem, quam ad tale pondus tollendum alias requireretur.

Efficacia huius motus ad calorem ſanguinis concitandum.

Energiæ huius augendæ neceſſitas ſub mutationibus aëris.

§. XVI. E qua quidem conſideratione tanto magis eluceſcit, quantæ contemplationis ſit hæc *efficacia*, ad *calorem* ſanguinis *in ipſo actu reſpirationis* concitandum; cum vtique alioquin tali vi, qua *dimidius centenarius* tollitur, in aliis muſculoſis partibus ita fortiter preſſus ſanguis & agitatus inſigniter ſemper *incaleſcat.* Non placet de negotio illo re vera imperſcrutabili prolixiorem eſſe, quanta ſit *augendæ huius energiæ* neceſſitas, ſub *mutationibus aëris Barometrico-elaſticis*; vtpote quarum intuitu tempore ſummæ ſerenitatis *ambitus thoracis* facile *duorum centenariorum* pondus æquante *compreſſione* magis adficitur, & velut includitur, quam tempore *maxime humiditatis* ſub procellis *auſtrinis.* E quibus ſcilicet omnibus phænomenis ingens illa *actiuitas* huius *motus reſpiratorii* affatim diluceſcit.

Effectus reſpirationis eſt 1) expanſio ſeu erectio vaſorum ad facilem ſanguinis progreſſum; & 2) caloris eius incrementum; 3) lymphæ ſubagitatio.

§. XVII. Gerit ſe itaque *effectus reſpirationis*, in ordine ad vaſa ſanguifera per pulmonem diſtributa, non aliter, quam vt illa, medio quidem ſui actu, ita in *directum* expandat atque *exporrigat*, vt velut *erecta* ſeu arrecta ſtent; adeoque progreſſus ſanguinis per ipſa *in directum* promte atque facile ſuccedat. Vltima vero ſui *intenſione premit* hæc expanſio pulmonis etiam fortius vaſa, & compellit tanto intenſius ſanguinem per ſubtiliſſimarum ramificationum mæandros, vt inde illud *caloris* incrementum in ſanguine prognaſcatur. Cæterum ſub hac ſubtiliſſima tranſpreſſione contingit vtique etiam *ſubagitatio* illa eximia tenerrima *lymphæ* cum reliquo *ſanguine;* de qua iam ſuperius diximus.

Explicatur phœnomenon illud interceptæ, anxiæ & anguſtæ reſpirationis in locis calidis.

§. XVIII. Reſtat breuiter monendum, quod ipſe *aer* inſpiratus in calidos pulmones, & ſub augeſcente (ſimpliciter tamen magis *mechanico* quam *phyſico* eius concurſu) hac *incaleſcentia* ſub eius ingreſſu, etiam ipſe hinc cito *expanſionem elaſticam* maiorem nactus, repentina *inflatione* veſicularum pulmonalium, effectum illum *preſſionis* fortioris eo vegetius peragat. Vnde vere eſt, quod in valde *calidis* locis, v. gr. in primo ingreſſu *balnei* furnis concalefacti, ſub primis reſpirationibus

bus ſpiritus veluti, ſeu *anhelitus* nos *deſtituere* appareat: imo, toto etiam tempore, quo in *balneo* perſiſtimus, veluti magis *anxia*, *anguſtior*, & *defectum* aliquem minitans reſpiratio ſentiatur.

§. XIX. Sicut autem ad hoc negotium vniuerſum *aer* ita ſatis euidenter non niſi *formaliter* tantum, vti loquuntur, concurrit atque contribuit; ita *an*, *vbi*, *quomodo*, *quantum*, aliquid *materialiter* conferre videri poſſit, etiam iam ſupra nonnihil attigimus: certum interim omnino eſt quolibet intuitu, quod illud, quicquid tandem eſſet, nec adeo *multum*, nec adeo *craſſum* eſſe poſſet; interim neque etiam a reliqua vera indole *aëris atmoſphærici* alienum; quale quid neceſſarium eſſet, ſi *Spiritus* ſuppeditare deberet: ſed potius longe ſimplicius φλογιςὸν quoddam principium; quamuis de hoc etiam non minoris ponderis *dubitationes*, quam *adſertiones*, ſeſe offerant. Vt enim nihil aliud dicam, certe tanta quantitate in *aere* non abundat hoc *principium*, vt in ſingulas *reſpirationes* inſigne quiddam præſtare & ſanguini communicare poſſet: quod vel a poſteriori ex eo diluceſcit, quod *materiæ* huius parum certe in magnam quantitatem aëris receptari poſſit, etiam tali loco vbi affatim in illum ingeritur, nempe per *incenſionem* rerum inflammabilium. Quicquid tamen omnium harum rerum ſit, quanquam *curioſitati* conſiderationes hæ multum velificentur, *vſui* certe *medico* abſolute nihil conferunt: vnde etiam tempus illis amplius inſumere non conuenit.

Aëris concurſus formalis ad hunc motum pulmonum euidens eſt, materialis autem tantus non eſt.

§. XX. *Ambientis* aëris varia in corpus eſt efficacia, *prima* quidem, & veluti directa apparens, cum primis in *ſenſum*: vera autem & *vltima*, in *craſin* humorum. Producit autem huiusmodi effectus aër, non tam propria ſui, quatenus aër eſt, indole; vtpote ſecundum quam potius ſimpliciter *elaſticas* illas mutationes præſtat: ſed quatenus *frigoris* aut *caloris* mutationes ſubit, & *humidas* etiam partes ſub craſſiore *nebuloſa* conſiſtentia intertextas gerit, & vagis *ventoſis* atque *procelloſis* inſultibus corpus percellit.

Aëris ambientis efficacia in corpus.

§. XXI. Vtique enim notari meretur, quod *ſenſui* immenſum quantum minus moleſta accidat *caloris*, *frigoris*, *humiditatis æqualis* & *conſtantior* perceptio, quam *vagi* ſolum *inſultus* contrariorum, vt *frigoris*, inprimis *humidi*, inter medium *calorem*. Reuera autem nihil magis moleſte afficere obſeruatur corpus, quam *frigus humidum*, inprimis medio *calori* temere inſultans, eumque interturbans: vtpote quo quam maxime repentinæ & euidentes penitus *alterationes* in corpore cooriri obſeruantur.

Senſui minus moleſta eſt æqualis & conſtans perceptio caloris, frigoris, humiditatis, quam vagi contrariorum inſultus, inprimis frigoris humidi.

Effectus, quos conſtitutiones aëris in corpore exſerunt.

§. XXII. Sunt autem *effectus* illi, quos tales *aeris* conſtitutiones ita ſenſibiliter in corpus exſerere ſolent, prouocationes *motuum* diuerſorum *tonicorum*. A *frigore* enim cito ſequitur *conſtrictorius* quidam *ſuperficiei corporis* motus, quo *humores* ad intimiora corporis *repelluntur*. A *calore* temperato e contra *euocantur* veluti *humores*, vt *laxato* partium *tono* altius *verſus ſuperficiem* effluant. A quibus quidem rebus, a *priore* illa *pallor* corporis, adſpectus cito *ſtrictus*, *frigoris* repentina peruaſio, *vaſorum* ſanguiferorum ex hiſce locis veluti *diſparitio*, *ſenſus* etiam quidam *grauitatis tenſiuus*, cooritur: a *calore* vero omnia contraria, *color* floridus, *calor* vegetus, *turgidula* corporis inflatio, *vaſorum* etiam *impletio*, *alacritas* atque vigor corporis; ab exceſſu tamen etiam *tenſiua* ſ. *oppletiua* quædam ſenſatio, & veluti *fatigatio ponderoſa*.

Num a grauitate ſeu potius preſſione aëris hæ mutationes euenire posſint.

§. XXIII. Qua ratione hæ *mutationes motuum* euenire posſint, ſi in animum inducamus conſiderare, minimum ſine dubio omnium locum ibi habere poterit illa recentiorum quorundam præfiguratio, quaſi hic aliquid imputandum ſit *grauitati* aëris; qua quidem re nihil a vera hiſtoria *motus* vulgo dicti *Barometrici* alienius in mentem venire poſſet. Cum enim præcipuus gradus *preſſionis* illius *elaſticæ*, (quam illi hactenus perperam *ponderoſam* interpretati ſunt) in conſtitutione aëris cum *ſiccitate frigida*, minime vero *humida*, contingat; interim *ſicum frigus* huiusmodi effectus immenſum quantum *minus* producat, quam *humidum*: adeo, vt manifeſtiſſime ſub *auſtrina* potius conſtitutione *hyberni* de reliquo temporis, qua niues ſoluuntur, & *Barometrum* ad infimos gradus deſcendit, *faſtidioſa* illa *ſenſibilitas* frigoris corpora percellat: patet inde ſatis opinionis error.

Energia aëris preſſoria elaſtica vniuerſalis eſt, hinc non ita pro lubitu variari poteſt.

§. XXIV. Adhuc autem nimio craſſior circa leges *Barometricas* eſt ille error, quod, cum energia illa *elaſtica preſſoria*, quam illi ſimpliciter *grauitati* adſcribunt, aliquid adeo *vniuerſale* ſit, vt vel *integras prouincias* æqualiter afficiat; in his caſibus intra quoslibet quatuor *paſſus*, imo pluribus in locis intra *pedis* diſtantiam, velut in momenta, non ſaltem is ſe variare, ſed pro lubitu variari poſſit. Ita enim ſi ex *humido* illo *frigido* aëre in *calidum* hypocauſtum tranſeas, ibique te contineas, periit omnis effectus in corpus, nempe ita præſentaneus & ſenſibilis. Et ex aduerſo, ſi pedem ex hypocauſto efferas in domum venti talis flatibus peruiam, *calidiore* inprimis ad madorem vsque corpore, contrario penitus modo ſe res habeat. Par ratio eſt illius phænomeni, quod non tam eminenter vniuerſalis huiusmodi conſtitutio

fri-

frigido-humida tam præſentaneos effectus edat; ſed inprimis incurſus vagi *ventorum* in corpus incurrentium. Quæ ſingula, nedum omnia, opinionem illam funditus euertunt: vnde ne quidem allegare placet vlterius paris in hoc genere dignitatis illud argumentum, quod in negotio *preſſionis*, ſeu vulgo dictæ *ponderoſitatis* illius aëreæ, par efficacia ſit *caloris ſicci*, vti *frigoris ſicci*: & tamen nemo mortalium pares inde effectus circa illam ſuppoſitam *compreſſionem* corporis, *vagam* atque repente *mutabilem*, exſpectauerit.

§. XXV. Sicut itaque alibi certe & aliæ quærendæ ſunt huius rei rationes; ita videntur illæ eluceſcere e reliqua efficacia talium aëris conſtitutionum tam in *humores* corporis, quam partes *fibroſas* eiusdem: & inſuper *vitali* aduerſus eiusmodi effectus *deſtinatione*, & *actione conueniente*. *Humores* certe a *frigore*, & inprimis *humido*, non ſolum ad *ſpiſſitudinem*, ſed *lentam* præcipue atque *tenacem* diſponi, notum eſt. *Fibras* ſolidarum partium ab *humiditate frigida*, adeoque *inſiſtente*, ſenſim *emolliri* atque *relaxari* poſſe, pariter notum eſt. Quando iam inſultus huiusmodi vel ex improuiſo veluti *impetu* quodam in corpus irruunt; vel frequentiore *repetitione* atque continuatione hoc agunt, *iuſtum* vtique & æquum eſt, his rebus præoccupando conſulere. Quod quidem melius fieri non poteſt, quam ſi *humores* a *contactu* ſubſtantiæ ita lædentis mox ſubtrahantur, & longius ad intimiora dirigantur atque adeo veluti *recondantur*: *fibræ* vero ipſæ vegetiore motu ita *denſentur*: ne aduentitia illa *humiditas* altius ſe illis inſinuare, adeoque hæc damna inferre valeat.

Aliæ rationes ex efficacia talium aëris conſtitutionum tam in humores quam partes fibroſas, & directione motuum contra hos inſultus deductæ.

§. XXVI. Certe quam *iuſtæ* ſunt hæ, & *vitali* conſeruatorio ſcopo abſolute conſonæ, *intentiones*, *materiali* totius negotii conſtitutioni exquiſite reſpondentes; tam bene quadrant *ætiologiæ* huius efficaciæ præ quibuslibet aliis conceptibus. Oportet enim profecto huic rei, circa negotia vitalis conſeruationis corporis, abſolute ſubmittere animum, vt agnoſcamus, ſicut *a priori* rerum talium conſtitutio in ipſo corpore *finali* quadam neceſſitate actiones eiusmodi *poſtulat*, ita actiones illæ huic *fini* quadrantes etiam illa *intentione*, vt hunc *finem* adſequantur & illa *inuentione* ſeu methodo, vt eiusmodi effectui *quadrent*, atque ſatisfaciant, & *intendantur*, ſiue *deſtinentur*, & *adminiſtrentur*. Quod quidem in noſtro præſente negotio tanto euidentius eſſe apparet, dum in illo re vera etiam *animi* ſeu *voluntatis* aliquod *faſtidium* vna concurrere ſentitur, id eſt, generalis quædam *intentio* huiusmodi conſtitutionem *fugiendi* atque vitandi.

Concurrit in his rebus intentio animi, ad fugiendam & vitandam talem conſtitutionem.

Infans cur reſpirationem ſemel ſuſceptam poſthac ſine damno omittere non poſſit.

§. XXVII. Supereſt de *reſpiratione* illud conſiderandum, qui fiat, vt *infans*, qui in vtero materno nulla reſpiratione indiguerat, & tamen *vixerat*, poſtquam illam ſemel celebrauit, eandem poſtea perpetuo *continuare* neceſſe habeat? Quamlibet autem facile ſponte fateamur, quod veram cauſſam *abſolutæ neceſſitatis reſpirandi* in animalibus, quæ in aëre viuunt, *a priori* non æque agnoſcere liceat; a poſteriori tamen multo minus difficile fuerit rationem reddere, quamobrem *ſemel* vtique ſuſcepta reſpiratio poſthac ſine graui *periculo*, imo vero certo *damno*, non amplius omitti poſſit. Cum enim, antequam infans reſpirat, magna illa *vaſa pulmonalia* adhuc plane ſimpliciter *conniueant*, & nihil ſanguinis admittant, corrugatis ſimul penitus ipſis pulmonibus: per primam autem reſpirationem & *expanſionem* pulmonum hæc vaſa non ſolum *diducantur*, ſed etiam veluti eo ipſo actu *ſugendo* hauriatur, veluti attrahatur ſanguis, qui poſtea magis magisque ipſo pulſu penitius impellitur. Facta ita ſemel huiusmodi impreſſione ſanguinis in hæc vaſa, e quorum penitioribus innumeris ramificationibus non detur poſthac verus *plenus recurſus* ad cor, *ſimpliciter*, & *vno quaſi actu*; quin certiſſime aliquid, & quidem ſecundum omnem euidentem probabilitatem, non parua quantitas huius in penitioribus meatibus otioſe hæſura eſſet; niſi ita identidem *continuaretur* reſpirationis actus, nihil vtique certius exſpectandum eſſet, quam vt illud, dicta ratione ſemel ita *ſubſtitiſſet*, ſimpliciter in *corruptionem* ruens toti corpori ruinam illaturum eſſet.

Licet foraminis oualis occluſio poſt reſpirationem explicationem faciliorem dare poſſit; nulla tamen mechanica ratio ſubeſt.

§. XXVIII. Quemadmodum autem ſimpliciorem forte conceptum admiſerit factum illud, quod *canalis*, qui *pulmonalem arteriam & aortam* in embryone intercedens tranſitum ſanguini ex huius velut oſtio in illam concedit, poſthac *conniueat*, imo conſolideſcat: dum nempe eadem illa iam notata *expanſione* pulmonis *arteria* pulmonalis re vera etiam ita ſurſum tenditur, vt non ſolum ſitus ille *obliquus* iſtius canalis quadantenus inde mutetur, ſed re vera etiam aditus ſeu introitus ab ipſa hac ita magis *ſurſum* tenſa pulmonali arteria hac ipſa *tenſione* conſtringatur, adeoque liberum illum ſui aditum amittat. Licet inquam hoc ita ſeſe habeat, tamen non pariter euidens eſt *mechanica* aliqua ratio aut conſequentia, quamobrem *foramen ouale*, per quod ſanguis e dextro ventriculo cordis in embryone *immediate* ad ſiniſtrum penetrare poteſt, poſthac, quando ſemel via per pulmones patet, etiam occludatur.

§. XXIX.

§. XXIX. Conſpicuus vtique eſt huius foraminis rugoſus quidam *gyrus*, qui promtiorem aditum a *dextro verſus ſiniſtrum*, ab hoc autem retrorſum conſpicuum quendam velut anfractum exhibere apparet. Interim, ſicut in ipſo illo ſui vſu, dum fœtus adhuc in vtero exſiſtit, hæc eius qualicunque *gyro anfractuoſa* diſpoſitio nihil impedimenti afferre potuit, quo minus ſub vno eodemque etiam *ſyſtaltico* actu liber tranſitus e dextro in ſiniſtrum pateret, & plane commode ſuccederet: ita non æque apparet, quid etiam poſt cœptam *reſpirationem* adeo inſignis mutationis hic contingat. Niſi quidem forte *deſcenſus* ſanguinis e *vena pulmonali* in ſiniſtrum ventriculum aliquid peculiare hic conferre debeat: quamlibet certe in impedito hoc propemodum ſit, ſi energia pulſus conſideretur, qui vtque nimio fortior eſt, quam nudus ille ſimplex deſcenſus huiusmodi.

Gyrus membranaceus anfractuoſus huius foraminis aliquam retropreſſionem & liberi tranſitus occluſionem inferre videtur.

§. XXX. Liceret autem forte rem ſub tali ſchemate concipere. Cum *foramen* illud *ouale* vtique talem *gyrum* membranaceum habere obſeruetur, qui a ſiniſtro latere verſus dextrum peculiarem quandam *retropreſſionem*, & ita liberi tranſitus occluſionem, inferre videatur. Quando iam ſanguis e *vena pulmonali* per *auriculam* ſiniſtram, huic foramini in propinquo poſitam, in ipſum hunc ventriculum iniicitur, apparet non ſolum inde veluti quadantenus *comprimi* hunc membranaceum eius gyrum, verſus oppoſitum dextrum ventriculum: ſed quando etiam ita per hanc ſanguinis iniectionem *repletus* ventriculus poſtea conſtringitur, videtur hinc eo ipſo continuari, aut quaſi repeti *tenſio* hæc, ab ipſo hoc *ſiniſtro* latere *verſus* dextrum. Et hoc quidem maxime per manifeſto *dichronum* illum motus ſucceſſum, dum *prior* iniectio ex auricula in ventriculum membranam hanc verſus oppoſitum latus iam apprimit, vt per *ſuccedentem* totius ventriculi *ſyſtolen* appreſſio illo tanto certius continuetur. Cæterum cum etiam hæc ipſa res ad *medicam* conſiderationem nihil lucis adferat, merito proinde abrumpenda potius erit curioſitas circa illam prolixius ſcrutandam.

Quod explicatur.

SECT. II.

MEMBRVM II.

DE

CIBO ET POTV.

§. I.

Sanguis perpetua reparatione opus habet.

ILlorum, quæ *per os aſſumuntur*, quanta eſſe poſſit in corpus efficacia, vti per ſe facile patet, ita ſufficiet pauciora de illis, & quæ veluti directe ad theſin pertineant, protuliſſe. Cum *ſanguis* ſubſtantia ſit, *diſſolutioni* ita penitus expoſita, vt etiam *ſub* reliquo ſui *conſeruatorio* motu, imo vero proprie etiam omnino *per* ipſum, ſucceſſiue *fatiſcat* atque *diſſoluatur*: opus hinc vtique habet perpetua *reſtauratione*, *reſtitutione* inquam *materiali*, qua illa *quantitas*, quæ per huiusmodi conſumtionem deceſſit, denuo *reparetur*. Huic ſcopo ſeruiunt *cibus & potus*, quibus nempe tam *ſolideſcens*, quam *fluidior* ſubſtantia reparetur. Imo non *reparetur* ſolum, quod quidem ſanguini inprimis competit, ſed etiam *ſubminiſtretur* pro reliqui vniuerſi corporis, eiusque *ſolidarum* partium etiam ſimplici *augmento*: quandoquidem huic, ſi vel maxime nihil *decedat*, *adiiciendum* tamen quotidie eſt, adeoque huic fini materia ſubminiſtranda.

Materiæ, e quibus reſtitutio hæc fieri debet, indole ſua reſpondere debent mixtioni animali.

§. II. Quemadmodum ergo hic etiam valet, *qualis cauſſa, talis effectus*, & contra; ita facile apparet, quod *materiæ*, e quibus hæc reſtitutio fieri debet, neceſſario etiam materiali ſua, ad minimum *generaliore*, indole reſpondere debeant *mixtioni* illi, quæ hinc produci debet, *ſanguinis* videlicet atque vniuerſi *corporis*. Sicut itaque *mixtio* corporis *mucido-pinguis* inprimis eſt, largiore quoque *ſiccæ terræ* hinc inde quantitate intermixta: ita dictat ſana ratio, quod omnino etiam aſſumi debeant materiæ, quæ ſimilem compoſitionem in ſe complectantur.

Animalium victus ratio eſt materia difficilis.

§. III. Quemadmodum autem hæc *mixtio* non ſeorſim humano corpori competit, ſed vniuerſo *generi* animalium; ita mereretur ſine dubio paulo altiorem penſitationem generalior illa *victus ratio*, quæ omnibus animalibus communis eſſe appareat. Vbi tamen mox non exiguæ difficultatis materiam obiicere poſſent non ſolum *aquatilia*, velut in genere, ſed in ſpecie ex *amphibiis ſerpentes*; vtpote qui non ſolum per ſatis longum tempus (*quinque* vel *ſex menſes*) ſine omni *ſo-*

lido

lido cibo viuere poſſunt: ſed etiam inſuper ſimplicis *aquæ fontanæ* tam parco potu contenti eſſe, vt vel *ſenis* diebus *aqua* ſatiari ipſis ſufficiat.

§. IV. Sicut autem hæc ipſa res ſeppeditare vtique poteſt *Phyſicis* materiam ſpeculationes ſuas gnauiter exercendi; ita habet tamen etiam aliquid lucis ab antiquis inde profecta animaduerſio, quod animalia, quorum corpus actu *calet*, tanto maiore conſumtione etiam afficiantur. Enim vero eſſe hanc *caloris* in huiusmodi animalibus energiam prorſus inſignem, teſtatur phænomenon illud notiſſimum, quod animalia, inprimis quanto magis *voracia* ſunt, etiam in ipſis *frigaribus hybernis* non *viua* ſolum maneant, ſed omnino quantum ſatis ſit *caleant*. Calor maiorem conſumtionem efficit.

§. V. Vbi iterum ſpecimen eluceſcere poteſt illius ſupra a nobis tactæ præcipuæ efficaciæ *frigoris* per ſenſum, & vt ita dicam, ſecundum *æſtimationem ſenſualem*. Ita enim nonſolum videmus, quod vnus homo præ altero frigus diutius, & ſine valde notabili incommodo, tolerare poſſit, quam alius, ex nuda *adſuetudine*, & re vera minore eius *metu* aut *tædio*: ſed etiam notiſſima ſunt exempla *maniacorum*, qui alienato propemodum a *ſenſu*, inprimis *teneriore*, animo etiam inſigne frigus, & cui nemo ſanus ſufficeret, ita tolerent, vt maxime vegeta adminiſtratione *motuum ſanguinem calefacientium*, & *attenuantium*, efficaciæ *frigoris* nullum ius relinquatur. Huiusmodi vero calorem corporis ad vehementem *tranſpirationem*, adeoque humorum *diſſolutionem*, atque *diſſipationem*, efficaciam vtique eximiam habere, nemo puto dubitabit. Frigoris ſenſus diuerſus. Maniacorum exemplum.

§. VI. Sunt itaque ASSVMENDA illa CIBI & POTVS talia neceſſario eligenda, quæ *ſcopo*, cui deſtinantur, nempe ſanguini atque corpori inſtaurando, idonea ſint. Non eſt, quod hic prolixi philoſophemur a priori, *quæ*, *qualia*, *vnde* petenda, *vbi* inuenienda? cum ſatis præiudicii exhibeat praxis omnium ſeculorum, vt nempe e *vegetabilibus* & *animalibus* hic ipſe victus petatur. Equidem & ipſum primorum parentum victum e *vegetabilibus* inprimis fuiſſe, innuit ſtatim ipſa *maledictio agris* incuſſa, vt in neceſſario ipſorum cultu *laborem* prius atque multas *moleſtias*, quam *panem*, quod aiunt, *deuorare* homo cogeretur. Aſſumenda petuntur e vegetabilibus & animalibus.

§. VII. Quicquid autem horum ſit, quicquid, inquam, tandem præiudicii *vſus* inferre videatur, manet non iniuſta conſideratio, quid ex illis, quæ in *vſu* ſunt, *optimum* eſſe poſſit. Sicut enim nemo forte dubitauerit, & paſſim res ipſa hoc affatim loquitur, quod in multis locis Quid ex illis optimum ſit alimentum.

locis etiam nuda *neceſſitas* atque *defectus meliorum*, certas quaſdam res vſui neceſſarias fecerit: verbi gratia: dum in extremis *Hyperboreis leguminum* atque *frugum* prouentui nullus patet locus, & tamen homines illas ſedes mutare non ſuſtinent, *piſcibus* vtique ſuis *exſiccatis* vitam tolerare neceſſe habent, & *carnibus*, quas ſors obtulit indefeſſæ induſtriæ, fami ſubueniunt. At in illis locis, vbi harum rerum præ *abundantia* etiam *electio* locum habet, iuſtior eſt quæſtio, *quodnam ſimpliciſſime optimum* haberi poſſet *alimentum?*

Vegetabilia homini ad nutriendum ſufficere poſſent.

§. VIII. Patitur hæc res duplicem conſiderationem, (1) ſecundum ipſum *genus*; (2) ſecundum *ſpecies* ſub vno quoque genere. Dico, an *vegetabilia* præferenda ſint *animalibus*, aut contra? & quid ſiue ex *vegetabilibus*, ſiue ex *animalibus*, nutritionis *ſcopo*, præcipue & *eminenter* accommodatum eſſe poſſet. De *vegetabilibus* certum eſt, quod illa ad *nutriendum* hominem *ſufficere* poſſint. Quamlibet enim eo prolapſa ſit intemperantia humana, vt etiam inter pœnas numeret, ſolo *pane & aqua* ſuſtentari; *phyſice* tamen certum eſt, & multis quotidianorum exemplorum myriadibus notum, quod *panis & aqua* nutritioni ſatis *ſufficere* poſſint.

Exemplo animalium.

§. IX. Tanto magis autem notum hoc eſt aliorum *animalium* exemplo; quæ etiam huiusmodi alimentis, *frugibus*, inquam, cum *aqua*, lautiſſime viuere, atque *ſaginari* prorſus, obſeruantur. Vbi bene notandum venit, quod in hac parte, quantum ad *ſimplicem nutritionem* attinet, *nulla* penitus *intercedat diuerſitas homini* ſimpliciter conſiderato a reliquis *animalibus*. Ita *glandibus* etiam, *quernis* æque atque *fagineis*, homines aliquando victitaſſe, vt hiſtoriæ antiquæ innuunt, ita nihil vsquam eſt, quod fidem ſuſpectam reddat: & licet de vna magis *familia*, aut ſecundum illa antiqua tempora, *gente*, hoc forte ſolum valuerit, quicquid tamen factum hic eſt, vt *hominibus qua talibus* inquam tribuendum vtique eſt.

Quis farinæ fermentandæ auctor fuerit.

§. X. Curioſior eſſet, ſed ſine dubio etiam fruſtranea, illa quæſtio, quis primo hominibus *farinæ fermentandæ* auctor fuerit; niſi quidem vero ſimilius habeatur, hoc ipſum etiam *vſu* potius, & e *fortuitis euentibus*, in morem tractum eſſe, ſimpliciter a poſteriori, quam vt ſtatim a priori certo alicui *fini* veluti conſulto *deſtinatum* fuerit. Potuit tamen ad hoc inducere *auium* inprimis, quotquot granis viuunt, exemplum; vtpote in quarum *ingluuie* tam diu aſſeruari conſpicitur granorum copia, donec non ſolum *emollita* per ſuperbibitam *aquam*, ſed etiam ſenſibiliter iam *fermentatione* adfecta fuerit. Imo, potuit

potuit etiam ipſa experientia fortuita docuiſſe, quod *maſſæ* ſimplices in tenerioribus ventriculis ſenſibiliter plus laboris faceſſant, quam *præfermentatæ*.

§. XI. Quamlibet autem *vegetabilia*, & ex his inprimis *fruges*, nutritioni hominum *ſufficere* poſſe ſatis conſtet; poteſt tamen denuo in quæſtionem venire, quidnam ex his alteri præferendum videri poſſit? Non equidem de vlla *neceſſitate* ſed magis commoditate hic eſt ſermo, & non eſt dubium, quin etiam aliquando deterioribus *adſuefieri* homo poſſit: interim, vbi aliqua *electio* ſuppetit, etiam a delicata malacia aliena, non indigna eſt conſideratione disquiſitio. E *frugibus* omnes quidem atque ſingulæ nutriunt ſatis, ſed cum diuerſis circumſtantiis, maioris aut minoris *incommodi* concurrentis. Ita enim v. gr. *auena* caput perturbare ſolet, & non ſolum *vertigine*, ſed etiam *doloribus* afficere, ſi largius aſſumatur. *Hordeum* panis formam, ſub qua aſſeruari diutius poſſit, ne indies denuo coquere neceſſe ſit, non fert, quin nimis cito valde *ſicceſcat*, & velut *obrigeſcat*: ipſi inſuper pinſitationi in molendino refractarium, & *feſtucis* rigidis horridius. *Triticum* ſatis quidem nutrit, ſed *mollius* magis, quam commode *firmum* alimentum præbet. *Secale* ſolum ita mediæ veluti conſiſtentiæ eſt, vt neque tam *exſuccum*, neque ita nimis *laxum* habitum induat. Vnde quidem, vbi harum rerum *electio* ſuppetit, *ſecale* aliis præferri meretur, *purum*, aut cum *tritico* etiam remixtum. Vbi non tam de *commoditate* quam *neceſſitate* eſt ſermo, *hordeum* quoque, ſed *coctum* potius quam *piſtum*, ſatis commode nutrit, modo decenter excorticatum: ſicut ipſa quoque *auena* excorticata coctione miteſcit, & *ſimplici nutritioni* non deeſt. Quomodo apud orientales multos populos *oryza*, *ſimpliciter coquenda*, in perpetuo vſu ſit, hiſtoria docet: ſicut tam apud *Africanos occidentaliores*, quam *Americanos ſeptentrionales* vulgo noſtrati ſic dictum *frumentum ſaracenicum*, his ipſis populis *Mayz*, aliis *radix Mandioca* in vſu eſt.

Quidnam ex vegetabilibus alteri præferendum.

Fruges.

Auena.

Hordeum.

Triticum.

Secale optimum.

Hordeum & auena coctione miteſcunt.

Oryza.

Frumentum ſaracenicum.

§. XII. De reliquo vero ſunt vtique nutritioni etiam aliæ partes *vegetabilium* ſic ſatis aptæ, ſed nec in tanta *quantitate* obtinendæ, vt pro ſimplici alimento ſufficerent, nec ita ſimpliciter omnibus numeris abſolutum *æquale* atque *firmum* nutrimentum ſuppeditaturæ. Huius generis ſunt inprimis *nuclei dulces & oleaginei*, inprimis *amygdalarum* atque *pinearum*; tum etiam alii his appropinquantes, e variis *nucum* generibus: quibus tamen communiter aliquid minus tolerabilis ineſt, ad peculiarem aliquam *acrimoniam* concipiendam procliue.

Aliæ partes vegetabilium.

Nuclei dulces, amygdalæ, pineæ.

Legumina, folia oleracea, radices, rapæ, paſtinaca. Arborum fructus.

Legumina pleraque *duriora* ſunt, & longe magis *exſucca*, quam *fruges*: *folia oleracea* ſufficiente γλισχρῷ deſtituta: quod ipſum etiam *radicibus* ſucculentis, *raparum* atque *paſtinacarum* variarum ſolenne eſt. *Arborum* quoque reliqui *fructus* ſucculentiores vulgares, & qui maiore copia haberi poſſint, eadem labe laborant, vt partim nimis *aquoſum*, *dilutum* & *inſufficiens*, partim etiam *peregrinis*, non æque facile domandis, *fermenteſcendi*, & *acredinem* peculiarem contrahendi, propenſionibus, difficile alimentum præbeant.

Fruges, qui reliquis ſpeciebus antecellunt.

§. XIII. E quibus omnibus circumſtantiis ſatis diluceſcere poteſt, quod non ſolum *fruges* omnibus aliis vegetabilium *ſpeciebus* atque *partibus* antecellant; ſed etiam ex his inprimis *ſecale*, *hordeum*, *triticum*, *oryza*, *milium*, *piſum*, *amygdalæ*, *pineæ*: imo harum rerum prudentes *coaptationes*, & alternationes. Certum interim omnino ſimul eſt, quod fruges præſtent *fermentatæ* leuiter, quam ſub ſimpliciore *paſta*, *crudius* aſſumendæ, aut *coctæ* ad mollitiem qualemcunque.

Animalia.

ventriculorum diuerſa ſtructura.

§. XIV. Quemadmodum autem eadem, quæ cæteroquin ſano ſenſu non incommode *magiſtra rerum* dicitur, *experientia* monſtrat, quod homo præter *vegetabilia* etiam *animalia* in vſum alimoniæ aſſumere, iisque hoc effectu feliciter vti *poſſit*; non immerito etiam conſiderandum hinc eſt, quid ipſi hac in parte magis aut minus exquiſite *conuenire* aut *conducere* colligi poſſit. Ante omnia meretur aliquam peculiarem conſiderationem etiam *ventriculi humani*, *ſuilli*, *canini*, *felini*, peculiaris conſtructio, cum ventriculis animalium ſimpliciter *carniuororum* quaſi penitus conueniens. Sicut enim illa *ſtructura ventriculorum* in *carniuoris* adeo veluti penitus eadem eſt, vt etiam *aues* ſimpliciter *carniuoræ*, immani diſcrimine a *graniuoris* hic abeant; & *quadrupedia carniuora* a *graminiuoris* inſignem diſtinctionem in hoc genere oculis offerant: ita peculiari conſideratione omnino digna eſt, quantum mihi quidem videtur, hæc tanta, & velut abſoluta *conuenientia humani* ventriculi cum *carniuoris*: & contra, *abſoluta* prorſus *diuerſitas* tam a graniuoris, quam graminiuororum ventriculi potiſſima parte.

Ventriculus humanus ad carnium eſum aptus & deſtinatus eſt.

§. XV. E qua certe conſideratione illud reſultare apparet, quod ita etiam *a priori* ex ipſius ventriculi *humani* conſtitutione, imo quaſi deſtinatione compareat, quod homo, ſi non *ſimpliciter* ad *carnium eſum*, tamen ad vſum illarum, & aliorum iam magis ad concoctionem paratiorum ſubiectorum *aſſumtionem*, veluti *deſtinatus* habere-

beretur. *Carnes* certe, & quicquid tandem, præter *ſolida oſſa*, animalis texturæ eſt, *poſſe* hominem edere, quotidiana experientia monſtrat; & adeo quidem, vt etiam a *crudis carnibus* non abſolute alienum eſſe eius ventriculum, affatim monſtrent tum *Tartari* feriores, tum *Samoiedæ*, quorum etiam *infantes*, ſimulatque dentes permittunt, *crudas carnes*, vel *morticinas*, ab oſſibus morſu auferre, videas.

§. XVI. Interim, vt aliæ ſunt varietates *partium* ab animalibus deſumendarum, ita notiſſima omnium eſt ſubſtantia illa, e corpore animali inter ſpecies viuiparas proficiſcens, & ipſa natura inſtigante ad vſum nutritionis transferenda, nempe LAC. Sicut autem certum eſt, quod equidem *lac*, ſi non æque *tota ſua ſubſtantia* ſimpliciter, tamen diuerſis ſui *partibus*, diuerſimode ſed facile tamen aptandis & inſtruendis, *nutritioni* omnino *ſatisfacere* poſſe; ita eſt tamen certum, quod pro *vnico* velut expreſſe *deſtinato* medio & materia nutritionis conſiderari non debeat; per rationes maxime euidentes potiſſimum ſequentes. Lac.

§. XVII. *Primo* enim tam notum eſt, quod *lac* ſimplex atque ſolum ſatis *firmum* nutrimentum, & eius quidem quantum *ſatis & neceſſe* eſt, corpori non ſuppeditet, vt nota inde ſit locutio vel ipſius plebis obſeruationi veraci ſuperſtructa, quod *infantes ſolo lacte nutriti*, *ſine ſolidiore aliquo cibo*, *corporis texturam* inde contrahant nimium *mollem atque laxam*, quam proinde ſchwammichtes weiches milch-fleiſch appellant; a qua conſtitutione etiam re vera nimium quam *ſenſiles*, & ad quascunque iniurias accidentales impares euadunt. Non ſatis firmum præbet nutrimentum.

§. XVIII. Et licet argui hic poſſet diuerſitas variorum generum lactis, vt quod vni generi deeſt, altero ſuppleri poſſe videri poſſet: refragatur tamen duplex conſideratio. *Primo* enim vtique eidem ſpeciei *lac maternum* ita ſatisfacere deberet ad minimum per primam illam ætatem trium vel quatuor menſium; interim hoc non ita fieri, ſed reuera minus commode *ſolo materno lacte*, ſine *ſolidiore* aliquo ſubſidio tunc etiam ſuſtentari infantes, certum eſt. *Secundo*, licet hæc proportio, v. gr. *vaccini* lactis ad *muliebre*, valere poſſet in hac *ætate infantili*; minime tamen quadrare poſthac augeſcenti, & *robur* debitum exſpectanti corpori poſſet. Neque lac maternum ſufficit.

§. XIX. Secundo reclamare videtur *inſtructio*, & ex hac eluceſcens *inſtitutio* corporis velut *a priori*; vnacum exemplis huius inſtituti, per peculiare præiudicium *in actum deducti*, a poſteriori. Dentes ad ſolidiorum eſum deſtinati ſunt.

 A prio-

A priori, dum vtique homini æque ac aliis animalibus *dentes* prognaſcuntur; cui autem alii *fini*, aut vſui, quam *ſolidiorum* eſui? *A poſteriori*, dum vtique in variis animalium generibus hoc affatim videre licet, quomodo illa, ſimulac a *dentibus* ſatis valent, non ſolum ſua ſponte ad *ſolidiores*, ſuæ ſpeciei idoneos, cibos ferantur; ſed etiam vbera materna poſthac non amplius petant; imo vero, iam firmiora & adultiora illud ipſum actu *faſtidiant*.

Singulæ animalium ſpecies ſelectum ciborum ſeruant.

§. XX. Cui omnino addere conuenit illud inſuper phænomenon, deſtinationes huiusmodi *a priori* tanto euidentius confirmans, quod etiam ſingulæ animalium ſpecies, non ſolum hoc tempore, quo *ſolidos* cibos appetunt, non quoslibet promiscue, ſed qui ipſorum *ſpeciei* veluti propriæ dicati ſunt, quærant, neglectis aliis: ſed etiam circa diuerſas *ſpecies*, *ſub eodem* de reliquo *genere* ſtantes, peculiaris *ſelectus ſeruandi* notitiam habeant: quod de *graminiuoris* notiſſimum; de *carniuoris* etiam illud ſatis notum eſt, quod non ſolum ab eiusdem *ſpeciei ſuæ*, ſed propemodum a *totius generis carniuororum* eſu familiariter abſtineant. Harum rerum tanta conſpiratio facit vtique probabilem etiam *humanæ* ſpeciei, tanquam *a priori*, vt *inſtructionem* ab organis, ita *inſtitutionem* ab ipſo *appetitu* ſeu *inſtinctu innato*, aptationem ad *ſolidiora* nutrimenta aſſumenda: tum *a poſteriori*, effectum optime vtique cedentem.

Homo etiam ſine carnium eſu viuere poteſt.

§. XXI. Pro meliore vero argumento, quod *homo* etiam *ſine carnium* eſu ſatis *commode* viuere poſſet, integrum forſan eſſet allegare illam ſatis notam *auerſionem appetitus a carnibus*, quæ homini obtingit, ſimulatque in reliqua *œconomia vitali* aliquid impeditius ſuccedit, *labor* aut *periculum* aliquod incumbit. Vbi quidem notabilis eſt non ſolum *promta atque matura* huiusmodi, nempe carnium *auerſatio*: ſed etiam tardiſſima ad illarum *tolerantiam* reuerſio. Ex aduerſo vero illorum, quæ e *vegetabili* regno proficiſcuntur, tam reliquorum magis *ſapidorum*, quam ipſius præcipue *panis* longe melior tolerantia. Vnde notabilis *Auicennæ* locus, ab interpretibus quidem corruptus (dum vertunt: *omnis oppletio mala*, *panis autem peſſima*) ſed ex vera mente autoris reſtituendus: omnis *inappetentia* mala, *panis* autem peſſima.

Appetitus auerſio.

§. XXII. Quamuis enim hæc appetitus *auerſio* tribui fortasſe poſſet peculiari magis conſtitutioni ſolum *a poſteriori*, certorum *adfectuum morboſorum*, v. gr. *putredinis* periculum fouentium; quibus *chylus ex animali mixtione* ſubnaſcens fomitem ſuppeditare compos,

pos, propterea hoc tempore ſaltem propter hunc peculiarem caſum faſtidio illo quaſi caueatur: eſt tamen atque manet omnino certum, quod hæc *chyli ex animali mixtione* oriundi habitudo ad corruptionem putredinoſam procliuis *perpetuo* vtique maneat, atque adeo chylus *e vegetabilibus*, inprimis *moderatæ aceſcentiæ* capax, ſicuti de reliquo *nutritionis* vſui aptus, ita ab iſto incommodo promtæ *putridæ* corruptionis *ſemper alienior*, præferri mereatur.

Chylus ex animali mixtione ad putredinem pronus eſt.

§. XXIII. Quo quidem loco omni omnino iure notari debet illa recentiſſimorum hominum, vt in multis aliis rebus ita in hoc negotio, certe exquiſite ſuperuacua ἀκρίβεια, qua mirifice metuunt atque damnant *dulcia*, non ſolum *in genere*, ſed tanto magis *in morbis*, & iam adfecto corpore. Et hoc quidem ex eo fundamento, quod dulcia *aceſcant*; *aciditas* vero ſanguinem coagulet, adeoque motui illius aduerſando ſummum periculum inducere poſſit. Quantumuis autem negari neque poſſit, neque debeat, quod ingens *copia vehementiſſimorum* acidorum vtique hoc poſſit, vt ſanguinem valde *inſpiſſet*: alienum tamen fuerit tantum periculi exſpectare mox etiam a qualibet modica quantitate & moderata qualitate, qualis interim alio nomine *digeſtionibus in primis viis* ſubuenire poſſit. Per totam autem humorum maſſam omnino *præoccupare* & *impedire* poteſt, ne ſimplicius, & magis immediate *putredinoſa* corruptio vsquam inualeſcat. Quæ ſicuti & alias *præualida*, & corpori animali immediate *deleteria* eſt, & ex illo *expulſionem* nullam propemodum agnoſcit, ſed velut immediate profundius atque latius *graſſatur*: inprimis e *vegetabilibus*, *leuior* & *ſalino-ſulphurea*. Ita ex aduerſo *ſalina* hæc *aceſcens* intemperies paſſim iterum *ſecerni* & *excerni*, imo etiam ſubtilibus *terreſtribus* corpuſculis obtundi atque ſatiari poteſt. Quod quidem tanto citius atque certius fit, quando ita per os aſſumta *acida* cum aliis magis *terreſtribus* materiis ſtatim in ventriculo concurrunt.

Dulcia & acida num tantopere metuenda ſint.

§. XXIV. Imo vero *dulcia*, quatenus demum *aceſcere*, ſeu *fermentando* in ſucceſſiuam *euolutionem* aciditatis ſuæ deduci poſſunt, obſaturantur ſub hoc ſucceſſiuo fermentationis actu tanto facilius a ſimpliciter occurrentibus *terreſtribus feculentis* corpusculis. Interim ſub ita *ſolubili* conſiſtentia atque ſpecie, humoribus denuo ſe ſe inſinuantia, nihilo minus ibidem *abſterſoriis* illis, atque *colliquatoriis* potius, quam *denſatoriis* effectibus quadrant.

Dulcia fermentando euoluta aliis terreſtribus ſaturantur.

§. XXV. Vnde quidem, niſi vbi *ſpecialiſſima* quædam *auerſio per indiuidua* ipſa ſubeſt, inprimis in *ſenſibiliore* fœminino ſexu,

Dulcia & moderate acida conceduntur.

xu, nulla omnino cauſſa eſt, quæ circa *vſum moderatum* tam *dulcium*, quam *moderate acidorum*, ſcrupulum iniicere poſſit. Quo nomine certe ante omnia *acetoſitas citri*, *acetum* ipſum, inprimis *fortius* potius, quam *vappidum*; eſculentorum, quæ *fermentare* conſuetudo fert, *acidior* potius, quam *vappidior* ſapor (quod de *braſſica* muriatica, *cucumeribus*, imo ipſo *pane* valet) aut vere *dulcium*, inprimis autem *ſacchari* magis, quam *mellis*, *moderatus* vſus, nullo vsquam intuitu formidari meretur.

Aliis fermentationi minus idoneis apte admiſcentur.

§. XXVI. Tanto magis autem laudatur, quando eiusmodi eduliis reliquis hæc talia admiſcentur, quæ ex *proprio* ſuo ingenio *teneræ fermentationi* minus idonea ſunt. Quo nomine verbi gratia in *cucumeribus* & *melonibus fortis aceti* & multi *piperis* in iſtis, in his autem *ſacchari*, vel etiam *piperis* atque *ſalis* additio fermentationem horum per ſe *vappeſcentium* atque *lenteſcentium* concretorum rectisſime ſubleuant: quod etiam de *lactuca* valet. Ita *braſſicæ* omnis generis *muriatica* fermentatio, & ſimiliter *cucumerum*, niſi bene *acetoſa* exeat, (quod inprimis per additionem *pinguium ſeminum*, ante omnia *ſubdulcium*, *aniſi*, *fœniculi*, *baccarum iuniperi* &c. obtinetur) *vappidum*, *lentum*, *mucidum* tantum inde erit κρᾶμα, *concoctioni* veræ refractarium: aut nimio ſale, quo ipſi *guſtui* aduerſatur, deinde obruendum &c.

Multiplicia non temere ingerenda ſunt.

§. XXVII. Sicut autem per dicta homo non ſolum etiam *ſimpliciore* victu contentus eſſe, interim tamen & *multiplici* vti poteſt; ita in tali *multiplicitate* eo vtique reſpicere conuenit, vt illa multiplicia non abſolute *temere* ingerantur, ſed re vera aliis ita *in ſubſidium* adiungantur, vt quod vni deeſt per alterum compenſetur. Quod quidem inprimis reſpicit ea, quæ ſufficienti *fermentationi* velificari poſſunt. Quod quidem tam *aceſcentia* directe, quam aceſcentiam promouentia, *aromatica*, *noſtratia* & *exotica*, præſtant.

Potus ſimplicior.

§. XXVIII. POTVS, vti victus, quo *ſimplicior*, eo *melior*, & certe etiam ſimplex pura nihil inquinata *aqua* ſatis vtiliter eſſe poteſt. Interim non inconſultum fuit cœptum, *potum* etiam *ſolideſcentibus alimentoſis* particulis imbuere; inprimis *fermenteſcentibus*, imo paſſim iam quadantenus *fermentatis*, vt in *cereuiſia* & *vino*. Videtur enim hac ratione præoccupari, ne *aquoſitas* illa nimia ſua tenuitate nimis promte iterum per *ſecretiones & excretiones* e corpore elabatur; ſed humorum corporis indoli, quæ *ſpiſſeſcens* eſſe debet, ſtatim ab ipſis ſui initiis ſimilior reddatur.

§. XXIX.

Potuum fermentatorum ſpirituoſitas aut ſtupefactiua efficacia. Cereuiſia.

§. XXIX. In *fermentatis* potibus illud ſolum cauendum eſt, ne nimia *ſpirituoſitate* caput offendant. Quod tamen adeo ſimpliciter etiam non paſſim contingit, ſed multum debet ſpecialiori cuidam indoli *materiarum*, potui tali aliquando præcipuam, aliquando acceſſoriam materiam ſubminiſtrantium. Vbi v. gr. cereuiſia *lupulo* crudiore fœta, aut e copioſa *auena*, hordeo addita excocta, non tam *ſpirituoſitate*, quam peculiari *ſtupefactiua* efficacia caput ferit & perturbat. Quo nomine etiam *vini* pro diuerſa patria diuerſam eſſe indolem inebriatiuam, teſtantur vina *Hungarica*, *Thuringica*, *Miſnica*, & quæ e *Gallicis*, *calce* & *alcalibus* ſub fermentatione adiectis adulterata ſunt. Quamuis etiam ſua ſponte; vt vulgo vocant, *calcaria* vina, qualia inprimis e *Thuringicis* ſunt *Ienenſia*, hoc nomine male audiant: & iam olim apud *Athenæum* vinum tale notetur, *caput grauius feriens*, διὰ τὸ λαβεῖν γύψον: quæ verba non video cur *Cauſabonus* per paraphraſin vertat, *quod gypſum doliis immittatur*, cum illud eodem more, quo *Thuringica* illa, altius etiam intra ſuam vniuerſam ſubſtantiam velut *innatum* comprehendere poſſit.

Vinum.

Potus calidus an proficuus.

§. XXX. Nouiſſimis hiſce temporibus inter alia multa noua innotuit etiam, & a gentibus ex Oriente in noſtras regiones translatus eſt mos, *calidum potum* aſſumendi; & orta hinc eſt quæſtio, an etiam hic mos *prodeſſe* poſſit, aut *nocere*? Enim vero reſponſio eſt facilis: *calidum* aliquando bibere, non ſolum non nocet, ſed tantundem certe prodeſt, imo amplius, quam *offam calidam* vſurpare. Sed *nunquam niſi calida* bibere, quamlibet forte *directe* nihil noceret; (cauendo tamen a *feruidiore* calore) tamen per indirectum poſſet omnino nocere; dum eiuſmodi *adſuetudo* in poſterum quoslibet *frigidulos* potus, ne dum *exquiſitius frigidos*, *intolerabiles* reddit. Cuius rei exemplum eſt in Actis Anglicanis *repentinæ mortis a potu frigido* poſt *ſolum calidum* diutius *adſuefactum*.

Generalis regula medica.

§. XXXI. Ego vero *medicam* exiſtimo circa talia adſumenda *regulam*, ſimul ciuili praxi, vt hodie ſunt res, quam maxime accommodam, vt homo *adſueſcat moderate* edere atque bibere *varia*, modo non *nimium* a bona concoctione aliena: & caueat ſibi quouis modo a nimium *timida*, *delicata*, atque *ſcrupuloſa* circa has res *electione*. Minime enim ita facile inſigne incommodum adfert horum aliquid homini cætera ſano, ſi *metus*, atque *trepidatio* abſit. In ſtatu vero iam aliunde morbido a priori quidem etiam ipſa ratio ſuadet circumſpectionem; & reddit hanc a poſteriori tanto faciliorem ſpon-

tanea

tanea communiter his temporibus patientis *nauſea* a rebus *vere* minus conuenientibus. (Modo inter has non abſolute connumerentur omnia *ſapida*, *dulcia*, & *acida*, & quoquo modo *fermenteſcentia*; iuxta illud ingens præiudicium, iam ante merito taxatum.)

Tempus aſſumendi.

§. XXXII. Non placet prolixum eſſe de *tempore* aſſumendi. Naturæ conuenientiſſimum ſine dubio eſt illud, quo *legitimus appetitus* poſtulat. *Legitimus* autem appetitus complectitur ante omnia *victum ſimpliciſſimum*, nullo alio guſtus *lenocinio*, aut opinionis *præiudicio* intercedente, nec etiam per *diuturnum defectum* nimium collecto impetu: quo caſu etiam in *ſimplici victu* nimium fieri poteſt.

Vno ſimplici ferculo & pane ſanus contentus eſſe poteſt.

§. XXXIII. Hoc intuitu notum eſt, quod *ſimpliciore* aliquo *vno* ferculo, & *pane* bonæ notæ, nemo ſanus homo non valde famelicus, facile exceſſum admittat. Familiariter autem, quando de *vno* aliquo ferculo quidquam amplius edere appetitus non tulerit, ſi *nouum* aliquod, imo plura deinceps, offerantur, ſuſcitato reuera *phantaſtico* appetitu, homines familiariter *ſeducantur* ad edendum, non modo *plus*, quam vllo modo *neceſſe* ſit: ſed plus etiam quam reapſe *tolerare* poſſint.

Genuina menſura cibi & potus.

§. XXXIV. Interim ad illud *naturale tempus* edendi atque bibendi, pertinet etiam illud, vt *vna vice* adſumatur, quantum ad *appetitum eius temporis* ſatiandum ſufficere poſſit. Et ſane hæc eſt genuina *menſura* cibi atque potus, quoad *præſens appetitus* ita ſaturatus ſit, vt non amplius *inſigniter* inſtiget. Si tamen etiam circumſtantiæ hoc non permitterent, vt *ſatietas* obtingeret, ſed infra illam ſubſiſtendum eſſet; conuenientiſſimum vtique naturæ fuerit, quocunque tempore appetitus *denuo* flagitat, denuo etiam adſumere. Metus enim ille popularis, ne cœpta ſemel *digeſtio* nouis cruditatibus perturbetur, *in corpore ſano* reuera *inanis* eſt: quandoquidem ſiquid inde incommodi pullulat, a male *conſuefacta ſenſibilitate* illud eſt, non a ſimplici *materiali* harum rerum conditione. Iterum dico, plurimum hic valet *conſuetudo*; vnde cauendum, ne nimium *mollitiei conſueſcendæ* tribuatur.

SECT.

SECT. II.

MEMBRVM III.

DE MOTV ET QVIETE.

§. I.

TErtio loco inter res non naturales numerantur MOTVS & QVIETIS viciſſitudines. Sane vero quod Apoſtolus dicit, *non edere debere, qui non laboret*, naturæ conſentaneum videtur; inprimis de *victu* paulo *pleniore*, aut *craſſiore*. Imo vero nocet *deſidia* etiam in ipſis *motibus ſanguinis progreſſiuis*, vt illi *ſegnius* ſuccedant, aut *inæqualiter* vtrumque male, & cum damno inde exſpectando. Deſidia nocet.

§. II. Promouet enim bene *temperatus* motus diſtributionem *æquabilem* humorum; iuuat *transpreſſiones* adeoque *attenuationes*, *ſecretiones*, & *excretiones*; ſeruat etiam, imo reddit atque præſtat magis magisque *agiles* ipſas partes, *flexiles*. Imo, cum *motus* plurimum etiam ſeruire debeat ad præſtandas *actiones* ipſi ſpeciei, imo *generi animalium* debitas; omni modo vero ad talem *habitum* non niſi *vſu* pertingere liceat: eſt propterea etiam hoc intuitu hic eius vſus *neceſſarius*. Motus quos vſus habeat.

§. III. Quemadmodum autem omnia œconomiæ corporeæ negotia *placide*, *tranquille*, *moderate* inſtructa obſeruantur; & quidem vndique etiam *motibus & ſucceſſibus* ſuperſtructa: ita rationi conſentaneum eſt, quod huiusmodi *moderamini* etiam reſpondere debeat *motus voluntarius*. De *voluntario* enim motu ſermo hic eſt. Nam licet etiam totius *vitæ* fundamentum ſit *motus*, *inuoluntarius* nempe ille, & præter *cogitabundam intentionem* ſuccedens, & habeat ipſe quoque *moderamina* ſua, aut incrementa: eſt tamen hic maxime ſermo de eiusmodi *motu*, qui totum corpus *validius* exercet, & a *voluntatis* maxime moderamine gubernatur. Motus voluntarius debet eſſe placidus & moderatus.

§. IV. *Menſura* huius motus circumſcribitur inprimis his duabus circumſtantiis; vt *impetu* quidem *moderatior* ſit: *duratione* vero eo *longior*; & toto ſui ambitu etiam vsque ad *fatigationem*, ſed *leuem*, continuet. *Impetuoſus* enim, non ſolum nimis cito, ſed fere etiam *inæqualiter*, certiſſime vero *nimium*, exagitat ipſum *ſanguinem*: Eius menſura.

vnde periculoſa intemperies in eius *craſi*, & ataxiæ in *motu*, vndique ad nocendum promtæ. Nimis *breuis* etiam motus, vti in genere parum prodeſſe poteſt; ita in ſpecie minus *æqualiter* totum corpus afficiendo; etiam minus *commode* cedit.

Diuerſa corporum proportio has menſuras circumſcribit.

§. V. Quam maxime vero etiam ipſa proportio corporum diuerſa circumſcribit tanto magis has menſuras; dum *diffuſiora laxioraque* atque *molliora*, vtique omnibus his reſpectibus circumſpectius circa motum gubernari debent, eumque *moleſtius* quam gracilia & agilia ferunt. Quamuis etiam, vbi *humores abundant*, motus decenter *temperatus* non vtilis ſolum, ſed etiam, ſi res recte æſtimentur, *neceſſarius* ſit: poſtulat tamen hæc conſtitutio tanto maiorem circumſpectionem in *moderamine* eius conueniente ſeruandam, ne humores ita *intempeſtiue*, *immoderate*, aut inprimis ſimul *inæqualiter* exagitati, grauia pericula incurrant & inferant.

Varia genera motus.

§. VI. Sunt autem motus corpori proficui vel ipſius in ſe, *artus* & *truncum* varie exercentes: vel aduentitii, totum corpus, aut diuerſas eius regiones varie adficientes. Prioris generis ſunt variæ *ambulationes*, iam in *plano*, iam *ſcandendo*, *connitendo*, diuerſæ; *curſus* cum maiore aut minore *ſuccuſſatione*; *flexiones* variæ corporis cum *niſu* etiam iam maiore, iam minore, vt *fiſſio lignorum* laborioſior *cuneo* & *clauo*, *ſecuri* quoque fortius vibranda; *tractio campanarum*, exercitium *pilæ* ſeu *ſphæræ* maioris &c. Alterius generis ſunt *equitatio* ſuccuſſatoria, *vectura* concuſſoria, *onera* motus varie alterantia &c. Et habent certe hæc etiam poſteriora vtilitates ſuas non contemnendas: inprimis in diſpoſitionibus iam actu morbidis: de qua re meretur legi *Sydenham de efficacia equitationis in tabidis.*

An motus mox poſt cibos conducat.

§. VII. *Moderatus motus* omni *tempore* vtilis eſſe poteſt; vnde cadit quæſtio, ſimpliciter ad delicatos reſpiciens, an conducat, imo an non noceat, *mox poſt cibos* vegetius moueri? reſponſionem petere licet a *ruſticis* & *opificibus*, imo quibuslibet fere *mercenariis*, qui ſimpliciter a laboribus ad ientaculum atque prandium, atque ab his iterum ad labores progredientes, optime habent. De reliquo vero, vt hoc in genere dicam ad ſanitatem optimam, prout illa plurimum *humorum libero motui* innititur, facit omnino illud par, ſono latino conſpirantium rerum, *potus* & *motus*; quarum prior expeditam *mobilitatem* conciliat: poſterior *effectum* iuuat, & ipſos eius rei *fines* promouet, nempe conuenientes *ſecretiones* & *excretiones.*

§. VIII.

§. VIII. Cæterum vti hactenus paſſim monuimus, quod in corpore humano; imo vero animali in genere, omnia ad *placidos & ordinatos* ſucceſſus inſtituta atque diſpoſita ſint: ita habet hoc etiam præſens negotium, vt nihil ibi, niſi *tranquillis ſucceſſibus* bene fiat. Hoc ipſo intuitu ſuccenturiari *motui* etiam debet QVIES: recte iuxta illud poëticum: *quod caret alterna requie, durabile non eſt*. De *quiete* non eſt quod prolixitatem admittamus; ſufficit illam motui ſubordinare, *otioſæ* autem *deſidiæ* contradiſtinguere. Quies.

§. IX. Vnum autem præcipuum eſt etiam circa *quietem* capiendam apprime notandum, ne *immediate a motu ad quietem* ſuſcepto tranſitu etiam aliter, quam conuenit, fiat. Quod quidem tanto magis caueri debet, quo magis diuerſi *modi requieſcendi* aliquid hic turbare poſſunt. Ita enim v. gr. poſt *fortes commotiones* cito *deſidendo* in ſenſibilioribus *inæqualis* fieri poteſt commoti ſanguinis diſtributio, & inde aliqua, ad minimum temporaria, incommoda exſpectari. Qualis motus in quiete capienda obſeruari debeat.

§. X. Imo meretur certe conſiderari illa in vulgus maxime nota *intempeſtiuæ quietis* efficacia, dum v. gr. quando quis minus adſuetus, imo vero etiam quantumlibet adſuetus, *pedeſtre iter* gnauiter conficiens, circa medium forte itineris diutius *ſedendo* interquiescere ſuſcipit, corripitur inde quaſi familiariter tanta *laſſitudine*, aut *obrigeſcente* certe tenſione, vt non niſi laborioſius recentem motum iterum ineat, & quantum ſatis eſt, exſequatur. Eadem ratio eſt ſenſus illius ingentis *laſſitudinis*, imo veluti *contuſionis* artuum, quando aliquis minime adſuetus, aut ad minimum diu deſuetus, laborioſiorum aliquem motum admittit, longe & grauiter *ambulando*, *equitando*, imo *vectura* minus commoda corpus immoderatius *quaſſando* &c. A quibus quidem fortioribus exercitiis ſi immediate ad ſegnem quietem transferat corpus, ſolenniter inde ſequitur dictum illud incommodum, vt ſequente die quaſi contuſum ſentiatur corpus. Intempeſtiua quies maiorem laſſitudinem adfert.

§. XI. Vt rem breuibus expediam, dico, quod omnino inter *quietem* ingens *proportio* ſeruari debeat ad *motum*, quæ maxime in eo conſiſtere debet, vt ſtrictius dicta quies omnino motu *longior* nunquam ſit. Motus autem *moderatus* & valde *remiſſus* iam pro *gradu* quodam *quietis* valeat: intemperatiori autem motui *quies* etiam aliquanto *longior* ſubordinetur. Quantum tamen fieri poteſt ita, ne a motu, *fortiore inprimis*, IMMEDIATVS AD QVIETEM *fiat lapſus*. Proportio inter quietem ad motum ſeruanda.

SECT. II.

MEMBRVM IV.

DE SOMNO.

§. I.

Vti quies motui reſtaurando, ita ſomnus ſenſuum energiæ refocillandæ inſeruit.

CAeterum promtior fuerit attendentibus ratio diſtinctionis inter *quietem* & SOMNVM; dum illa *motus* ſolum reſpicit, hic etiam *ſenſus*, vti ſtatim patebit. Nempe SOMNVM etiam cum oppoſitis *vigiliis* in cenſu rerum *non-naturalium* merito vtique numerant, dum ſicuti *motus localis & voluntarius* vitæ actionibus varie ſubuenit, ſimulque *rationis* placitis in effectum deducendis famulatur; *vigiliæ* vero per *ſenſuum* vſum alacrem, tam vitalibus *cautionibus*, quam *rationis* exercitio ſeruiunt: ita vti *quies motui* reſtaurando, ſic *ſomnus ſenſuum* atque *cogitationum* energiæ refocillandæ famulatur.

Vigiliæ quid ſint.

§. II. *Vigiliæ* nempe nihil aliud ſunt, niſi *alacritas animi ſentiendo* atque *cogitando* occupati: quandoquidem *vigilare & cogitare*, rebus de reliquo ſecundum naturam conſtitutis, abſolute inſeparabilia ſunt. Quoniam autem, per alibi iam abunde tradita, *actiuitas* animæ tam in *ſentiendo* quam *cogitando* minime *abſoluta*, ſed nimium quantum *limitata* eſt: fit ita, vt anima in perpetua ac indeſinente *actione* manere non poſſit, quin ipſius ſuæ *energiæ*, *alacritatis* atque *conſtantiæ* ordinatæ inſignia detrimenta incurrat.

Somnus pro re ſimpliciter paſſiua non debet agnoſci.

§. III. Reſarcit hæc interpoſita ab his rebus *quiete*, quam *ſomnum* appellamus. De quo certe miri paſſim paralogiſmi audiuntur. Nempe vulgariter *ſomnus* potius pro re ſimpliciter *paſſiua*, *comprehenſione primi ſenſorii*, *obnubilatione ſpirituum* a neſcio quibus *vaporibus*, nimia *humectatione cerebri* &c. arguitur. Sed re vera aliter ſe rem habere diluceſcit tum a priori, a conſideratione *actiuitatis* ſeu *energiæ animæ*; tum a poſteriori, ex energia omnino libera ſatis ad *ſubtrahendum ſe* illis rebus, quæ alias ad *ſenſum* vehementer incitant *animum*. Certe enim, poſtquam *anima* ita opus habet intercedente ceſſatione, non poteſt *ſomnus* pro re ita ſimpliciter *paſſiua* agnoſci, quæ etiam mediam *actiuitatem* animæ interturbaret, & velut obrueret. Sed debet ita potius omnino pro tali effectu explicari, cui ipſa anima *operam* potius *dare*, *poſitiue & libenter locum concedere*, imo illum certa ratio-

ne

ne atque methodo potius *poſitiue ſuſcipere* atque *præſtare*, vti *debet* atque *poteſt*, ita etiam *ſoleat*.

§. IV. Præcipua difficultas concipiendi atque intelligendi, quomodo ipſa *anima ſomnum capere* poſſit, per *remiſſionem actiuitatis* ſenſoriæ, dependet hactenus ab inſufficiente intellectu veræ indolis *ſenſationis*. Hanc ſicuti præſente loco deducere non conuenit, ita ſufficiet, ſaltem ipſam ſummam negotii, vt *ſuppoſitam*, in noſtros vſus tantiſper aſſumere, & præſenti negotio applicare. Nempe ſuppoſito, quod anima *ſenſationes* maximam partem *poſitiua* quadam *actiuitate* præſtet, ſiue vt vulgo generalius & magis abſtracte loquuntur, *ad illas influat* atque *concurrat*: manifeſtæ erit conſequentiæ, quod, ſimulatque anima hanc ſuam *actionem* remittat, *agere* & *influere* ad hunc effectum abſiſtat, quod hoc ipſo *ſomnus* ſit atque exſiſtat. Hoc ipſum, ſicut ita a priori omni dubio carere apparet; (nempe, ſi *ſuppoſitio* decenter demonſtretur) ita confirmat has res tanto euidentius conſideratio illorum *euentuum*, qui in hoc negotio quotidie ante oculos occurrunt.

Quo modo anima ſomnum capere poſſit per remiſſionem actiuitatis ſenſoriæ.

§. V. Ante omnia certiſſimum eſt, & neminem, qui animum decenter aduertit, fugere poteſt, quod ad *ſomnum* promte atque placide capeſſendum, non ſolum plurimum conferat, ſed etiam abſolute veluti concurrat, primo, *ſecuritas* alta *mentis*; ſecundo, *alienatio eius* a *poſitiuis intentis cogitationibus*, atque ſollicitis *ſpeculationibus*; tertio, *faſtidium* potius quoddam, quam intentum deſiderium, *ſentiendi* atque *agendi*.

Quid ad ſomnum promte capeſſendum conferat.

§. VI. Sicut etiam notiſſimum eſt, quod ingens & intentus *metus*, *mæror*, *ſollicitudo*, *ſomnum* efficaciſſime interpellent; ita nihilo minus familiariter nota eſt etiam illa eadem efficacia *deſiderii* eximii, & *exſpectationis* rerum gratarum, *præfigurationum* atque *cogitationum viuidarum*: adeo, vt huiusmodi res, ſi non plane *rumpant* ſomnum, tamen viuidis *phantaſiis*, & *cogitationibus* ad minimum confuſis, nempe *ſomniis*, obturbent.

Quæ ſomnum interpellent.

§ VII. Peculiaria autem, ſed & eadem paſſim quotidiana ſunt exempla *ſomni* a *faſtidio viuidiorum*, imo qualiumcunque tandem *obiectorum ſenſationis*. Vnde non ſolum homines ad *æſtimatione* rerum, quæ vel *ſenſum*, vel *animum* concernunt, *alieniores*, *ſtupidiores*, *faſtidioſiores*, ad *ſomnum* admodum procliues eſſe fere notum eſt: Sed quoties etiam ingenia de reliquo ſatis viuida *locis* & *occaſionibus* admouentur, vbi non habeant, quæ huic ſuæ *indoli* quadrent, ibi ad *ſomnum*, etiam præter reliquam conſtitutionem, tanto magis autem circa eius-

Quænam ingenia ad ſomnum magis procliuia ſint.

dem *ſolita tempore*, non ſolum ad ſomnum ſumme proni ſunt, ſed etiam vix ſibi ab illo temperare valent.

Ad ſuetudo ſomnum certo tempore capiendi, aut certa hora dimittendi.

§. VIII. Accedunt his phænomenis adhuc varia alia, inter quæ vltimum certe locum minime occupat promtiſſima illa *adſuetudo*, ſomnum ſiue *certo tempore capiendi*, ſiue certo tempore *dimittendi*. Prioris exemplum maxime vulgatum eſt in *ſomno meridiano*, quem vel ſemel aut ad ſummum bis ſuſceptum pluribus ſequentibus diebus exquiſite *pari hora* ita potenter repeti obſerues, vt niſi *intentiora*, inprimis autem *gratiora* huiusmodi, ad *auocandum* apta ſuſcitamenta intercedant, vix omitti poſſit: aut ſane (quod tanto magis conſiderandum) non niſi *animi* euidente *faſtidio* omitti. Alterius ſpecimen præbet promta illa *adſuetudo*, qua *certa nocturna* aut certa *matutina hora*, aliquando ſecundum *voluntatem* & velut *ex propoſito*, aliquando etiam *ſponte*, expergiſci vſitatiſſimum eſt: aut ad minimum, ſi non *exquiſite* ad illam *ſtatam* propoſitam *horam* expergiſcamur, inprimis in proæretica euigilandi *intentione*, ad minimum *intra illud tempus*, ſub ipſo inquam reliquo *actu ſomni*, ita *ſæpe* a ſomno expergiſcamur, vt inde notiſſima illa loquendi formula in vſum venerit Germanis: mit Sorgen ſchlaffen, ſub intenta ſollicitudine videlicet, ad præfixum tempus expergiſcendi.

Hæc omnia mens humana ſecundum propoſitum ſuum præſtare poteſt, quod euincit, ſomnum minime paſſiuum quiddam eſſe.

§. IX. In qua profecto re vt alia plura ſunt conſideratione digna, ita illud inprimis, quod hoc ita præſtare poſſit *mens* humana ſecundum *propoſitum* ſuum, ſeu ſimpliciter *arbitrariam voluntatem*, & tamen nullum *complexum theoreticum*, ſeu *conceptum* vllo modo *figuratiuum ratiocinalem* habeat, de *ambitu* ſeu *menſura temporis*, *cogitatione definienda*. Et licet nullum ſit dubium, quin hanc *dimenſam comprehenſionem vſu* ſeu *adſuetudine* magis *excolat*, & velut manifeſtius *diſcat*; manet tamen ſimul extra omnem dubitationem poſitum, quod, quicquid etiam tandem in his rebus *adſueſiat*, nunquam tamen de huius adſuetudinis *modo aut ratione* quidquam intellectu comprehendere, aut vere de illo negotio *cogitare* valeat. Ad noſtram præſentem rem nihil niſi hoc inde conficimus, quod *ſomnus* minime *paſſiuum* quiddam in *natura humana* ſimpliciter inferat, ſed omnino potius *actiuum* aliquid. Cuius *vtilitas* imo *neceſſitas* a priori, & multum *voluntarii* concurſus admittendi a poſteriori, euidens conſtitutio ab omni *nude paſſiua* receptione, aut *ineuitabili inuaſione* prorſus alienum quiddam teſtetur.

§. X.

§. X. Quemadmodum autem *ſomnus* ita de *rerum non-naturalium* cenſu eſt, vt vtique ſine ipſius *decente vſu* œconomia corporis & actionum eius, ſecundum *inſtitutionem* ſui atque *deſtinationes*, ſubſiſtere nequaquam poſſent; ita neceſſarium tamen eſt etiam harum rerum; *ſomni* inquam & *vigiliarum*, conueniens quoddam *temperamentum*, non ſolum ne nimis *parum*, ſed etiam ne *nimium* in alterutro fiat. Conſiderari autem inprimis debet illa ſomni veluti naturalis atque ſolennis *differentia*, ſecundum *temperamenta* & *ætates*, vt aliis horum *longior* & *profundior*, aliis *breuior* atque *leuior* eueniat.

Somni & vigiliarum conueniens temperamentum.

Somni differentia ſecundum temperamenta & ætates.

§. XI. *Profundum* vero ſomnum dicunt vulgariter, e quo non ſolum non *promte* atque *facile* expergiſcatur homo; ſed etiam in ipſo ita velut immerſus totus appareat, vt *actiuitatis* non ſolum *externorum* ſed etiam *internorum ſenſuum* velut expers omnino videatur. Cum *leuis* ſomnus ſimpliciter contrario modo ſeſe habens, & alias ad *externorum* ſenſuum obiecta ſenſibilior ſit; & ſub ſui duratione etiam ipſa *phantaſiæ* & *memoriæ* actibus plurimum irrequietus, adeoque *inſomniorum* viuidis effictonibus reuera *vigiliarum cogitabundam actiuitatem* quadantenus præ ſe ferat.

Somnus profundus & leuis.

§. XII. Contingit autem & *breuior*, & ita quoque *leuior* ſomnus inprimis temperamento corporis *cholerico*, & *melancholico*; *longior* autem & *profundior*, *ſanguineo*, & maxime *phlegmatico*. Sicut autem hoc vtrumque plurimum debet illi *animi habitui*, quem in hiſce temperamentis diuerſis diuerſimode ſe habentem ſuperius notauimus; dum videlicet *cholerici inquieti*, & ad *actiuitatem* perpetuo proni; *melancholici* tam ad *agendum* etiam promti, quam perpetuo quadantenus *ſolliciti*, rebus ſuis *diffidentes*, atque *meticuloſi*; vtrique hunc typum, vt in omnibus ſuis *actionibus*, *actionibus* inquam, ita in hac etiam circa *ſomnum actione* & *occupatione* ſeruant, & ſequuntur; *ſanguineis* autem per *liberam*, *phlegmaticis* etiam per *negligentem ſecuritatem* in diuerſum hic abeuntibus: ita contingit tamen etiam paſſim, vt per interuenientes *morales* occaſiones, & illis ſuperinductas *adſuetudines*, intentiorum *cogitationum*, *ſollicitudinis*, *metus*, etiam diuerſa aliqua ratione corporea conſtitutis, diuerſa ſomni *ratio* obtingat.

Quibus temperamentis ſomnus breuior & leuior & quibus longior & profundior familiaris ſit.

§. XIII. *Aetatis* intuitu, familiaris eſt *longior* & *profundior* ſomnus *iuniori*, *breuior* atque *leuior prouectiori*: certe quia *tenerior* ætas ab *animi intenſioribus intentionibus* alienior, & a *multiplici actiuitate*, *voluntate* ad minimum remotior eſt. Quaſi præ ſe haberet intuitum

Aetatis intuitu quo modo ſomnus differat.

tuitum illum, quod *ſatis ſpatii ad actiuitatem* quamlibet ſibi pateat: cum contra *annoſior* animus, tanquam *præuidens metam*, multum in breuiori ſpatio abſoluturus, *inſiſtat operi*, & *quietem* faſtidiat. Interim hic etiam valent eædem *morales* & *occaſionales mutationes*, quibus etiam *iuniori* ætati obiectæ inſignes *inquietudines*, vt alias *actiones*, ita *ſomnum* etiam interuertunt, imo quadantenus inuertunt.

Opinio, quod ſomnus aut vapores aſcendentes obruant naturam paſſiue, refellitur per hoc phænomenon, quod nimis ſomnus magis ſomnolentos reddat.

§. XIV. Vt illud adhuc addamus argumentum aduerſus ſupra dictam opinionem, quaſi ſomnus pure *paſſiue* eueniat, & velut *obruat* naturam, ſeu *animam cogitantem*, per *fatigationem* organorum, aut *vapores*, incertum vnde, aut quomodo aſcendentes; neceſſario tamen poſt aliquas prægreſſas *fatigationes*, aut quæcunque tandem illæ ſint, factas *vaporum* talium commotiones, aut collectiones: ita vt ſupponendum vtique eſſet, quod hæ *vaporum* eruptiones ſuccedant peculiaribus prægreſſis cauſſis, non autem ſemper ita *abundent* aut *præſto* ſint: imo vero, *ſomno* ipſo potius ſenſim iterum *diſcuti* & *conſumi* ſupponantur, dum vtique rurſus *euigilat* anima; adeoque cum totum hoc negotium, vt *paſſiuum* ſupponatur, neceſſe vtique ſit ſupponi, quod diximus: aut *animæ* ipſi, contra hypotheſin, *peculiarem actiuitatem* aduerſus has paſſiones denuo deferri. His inquam rebus contrariatur phænomenon illud penitus oppoſitum, quod ipſa *abundantia ſomni* ex mera indulgentia deſidiæ magis magisque *ſomnolentos reddat*; imo reuera ipſi etiam *animo* peculiarem *inertiam*, quin *ſtuporem* omnino incutiat. Quod quomodo cum dictis illis opinionibus conciliari poſſit, vt iuſtam ſimilitudinem veri aſſequatur, non perſpicio, niſi ſemper alienas ſententias aliis apponere ſuſcipiamus.

Cauſſæ materiales, quæ ſomnum prouocant.

§. XV. Dari interim *materiales* etiam cauſſas, quæ *ſomnum* veluti propius *prouocent*, vti minime negari debet: ita meretur tamen ſimul notari; quod quæcunque hoc potentius aut præſentius faciunt, inprimis *mentem* ſimul ſingulariter afficiant. Non tam, vt vult illa hypotheſis, *pura* quadam paſſiua *obnubilatione*, ſed reuera ſpeciali quadam ſui *actiuitate*, vt illa omnino *cogitationibus* intentius vacet: *præfigurationibus* inquam *viuidioribus*, & ſecundum illas variis *voluntatis* ſucceſſibus, vnde modo *ſpes impetrandi*, modo *metus*, grauia experiendi, vtraque male fundata, cooriuntur. Quarum rerum ſpecimina in *ebrietate* adhuc ante *ſucceſſum ſomni* præſto ſunt; in vſu *opii*, *ſub ſomno* tali, & *poſt* eundem. Quod autem corpore per cibos atque potum qualitercunque etiam legitimum *repleto* pronior ſit ad *ſomnum* propenſio, illud vtique etiam a priori ita recte harum rerum conditioni

Ebrietas opium.

Repletio corporis per cibos & potum.

ni quadrat; dum videlicet ſanæ rationi quouis reſpectu maxime vtique conſentaneum eſt, & reliquæ digeſtionis indoli conuenientiſſimum, vt tantiſper, donec *potior concoctio atque diſtributio* fiat, interim ab *aliis* vel *incitamentis* ad occupationes, vel *occupationibus* ipſis *quies* potius ſeruetur, vt iſtæ tranquillius, ſine diſtractione *virium & energiæ* ad plura, vniformiter & nihil interpellato ſucceſſu adminiſtrari poſſint. Fit hoc nempe placida illa *ceſſatione*, quaſi voluntaria ſeu *ſpontanea*, a *ſenſuum irritamentis* admittendis, & *cogitationum* laboribus ſuſcipiendis, vt ita vni rei & intentio & actiuitas commodius vacare, aut locum concedere poſſit.

SECTIONIS. II.

MEMBRVM V.

DE EXCERNENDIS.

§. I.

Licebit nobis conſuetam formulam enumerationis mutare, & EXCRETIONES *animi pathematibus* anteponere; tanto magis, cum de his iam pleraque ſuperius recenſuerimus: vnde hoc loco nihil niſi illud iterum attingere placet ſecundum quem reſpectum hæ *ſecretiones & excretiones* res *non-naturales* cenſentur. Fit hoc vtique per illum *reſpectum*, per quem vniuerſas hasce res hoc nomine cenſeri ſupra notauimus; nempe quod non tam abſolute veluti ad ipſum nudum conceptum *exſiſtentiæ* hominis abſolute, quam ad illum eius reſpectum pertineant *excretiones*, quo ad longius *tempus conſeruandus* conſideratur.

Quo reſpectu ſecretiones & excretiones res non-naturales cenſeantur.

§. II. Ita enim *aſſumtione* talium rerum indiget, quæ non ſimpliciter totæ, vti *aſſumuntur*, in optatos vſus cedere idoneæ; ſed *alienis* portionibus ſcatentes talia ita in corpus inferunt, quæ non ſolum *inutilia*, ſed paſſim etiam *noxia* eſſe aut fieri poſſint; adeoque neceſſitas omnino poſtulet, vt e corpore iterum eliminentur.

Inter aſſumta quædam inutilia immo noxia ſunt, quæ iterum eliminari debent.

§. III. Cæterum vtuntur vulgo vocabulis, dum de his rebus tractant, *excernendorum & retinendorum*. Vbi quidem *retinenda* tanquam ita ad corpus directe pertinentia, quomodo dici poſſint res *non-naturales*, non facile fuerit determinare. Mihi ita videtur ſecun-

Vocabulum retinendorum adæquatum non eſt.

dum conſiderationes *vitæ* hactenus propoſitas, quod dici potius debeant in hac claſſe *ſecretiones* & *excretiones*.

Secretiones etiam ad rerum non-naturalium cenſum referendæ ſunt.

§. IV. Cum enim *ſecretiones* equidem etiam ad *excretiones* ipſas requirantur; interim certum ſimul ſit, quod aliquæ *ſecretiones* exerceantur, quarum producta etiam intra ipſum corpus *retineri*, & non ſolum ab *inutilibus*, ſed etiam *vtilibus* aliis, aliquem *ſeceſſum* facere debeant; quod de *lympha* ſuo loco notauimus: ita meretur hoc ſenſu etiam talium ſecretionum actus ad rerum *non-naturalium* cenſum referri; dum quolibet intuitu non tam ſimpliciter ad *exſiſtentiam*, quam *ſubſiſtentiam* corporis humani, ſeu *diuturniorem* conſeruationem, pertinet. Cum vero de hiſce rebus iam ſupra pro reliqua illarum dignitate latius egerimus, non eſt, quod hic denuo vlterius in illis occupemur.

SECTIONIS II.

MEMBRVM VI.

DE ANIMI PATHEMATIBVS.

§. I.

Animi pathemata recte inter res non-naturales referuntur.

ANIMI PATHEMATA vt a maioribus in cenſum rerum *non-naturalium*, ſine quibus nempe homo *diutius* eſſe non poſſit, recte relata ſunt, ita aſſerimus iisdem nos etiam locum ſuum; imo extendere potius limites quam coarctare parati ſumus, *diſtinctionem* ad minimum adhibendo, quod *animi pathemata* homini diutius viuenti certo & indubie obtingant, non ſolum in negotio directe & ſimpliciter *rationali*, ſed etiam *vitali*. Cum enim *animi pathemata*, etiam ſecundum reliquæ ſcholæ medicæ ſententiam, veluti magis ſimpliciter *rationalem* actum, aut ad ſummum *ſenſitiuo-rationalem* concernant; adſero ego, quod etiam *vitales* actiones, tam *generaliores* quam *ſpeciales*, extra *ſenſitiuum* negotium eiusue *concurſum pathemata* talia in animo varie perturbent.

Homini certo & indubie eueniunt, & ad tempera-

§. II. Sicut autem de prioribus nemini eſt dubium, nempe quod *humanus* animus ſine variis *alterationibus* ſubſiſtere non poſſit: ita minime diſparis euidentiæ, ſi res recte penſitentur, eſt etiam illud, quod

quod velut *originaliter* ad certos *typos* perennes animi *morum* atque *motuum* homines ſinguli diſponantur ab ipſa *proportione corporis & humorum* eius atque *motus* eorum. De qua re latius dixi ſupra, vbi de TEMPERAMENTIS, *quomodo animi mores ſequantur temperamentum corporis*. mentum corporis inſtruuntur.

§. III. Neque vero hoc ſolum, ſed habent etiam *ſpeciales* actus *vitales* adeo eximiam vim in *animi motus*, vt ſenſibiliſſime, pro vt *bene* vel *male eſt corpori*, ita *vigeat* aut *langueat* etiam ipſe *animus*: imo pro varia harum *corporalium* læſionum *dignitate* etiam grauiter confundatur, vt in variis *deliriis* inprimis autem ſimpliciter *melancholicis* diluceſcit. Imo vero ſupereſt altera paris dignitatis conſideratio *reciprocæ* efficaciæ, *animi* quoque pathematum in ipſos actus *vitales*. Vbi certe nihil *leue* aut veluti *precarium* ex *animi* pathematibus præſentioribus in *corpus* redundat; ſed *grauiſſimi* ſubinde iam *exceſſus motuum vitalium* iam *defectus*. Motus vitales eximiam vim habent in motus animales, & verſa vice.

§. IV. Præſentiſſima & in vulgus notiſſima rei exempla ſunt in *mutatione repentina & notabili* totius *impulſus ſanguinis*, *pulſus* inquam a *gaudio*, notabilius ab *ira*, maxime *notabiliter* a terrore. Sicut a ſumma *gaudii* commotione, velut *attonito* & obſtupeſcente *animo*, etiam totum *pulſus* negotium velut *obrigeſcere*, & aliis & *e repentino gaudio mortuorum* exemplis conſtat: tanto magis autem e paribus multo *præſentioribus* & *frequentioribus terroris* effectibus: ab *iracundia* vero grauiore, quin etiam a *trepido* & maxime *anxio terrore*, cum extrema ad *reſiſtendum*, validiſſime *eluctandum*, aut celerrime *effugiendum intentione*, *vitales tonici* motus in repentinas *ſpaſticas conuulſiuas* exacerbationes familiariter coniiciuntur. Repentina pulſus mutatio a gaudio, ira & terrore.

§. V. Sunt autem harum rerum exempla tanto euidentiora in *animis ſimplicioribus*: qui ſicut vndique euidentiorem exhibent *conſpirationem* hanc *vitalium* & *rationalium* actuum *reciprocam*, ita in his etiam eminentioribus effectibus nimio plus exſerunt ante dictos maxime inſignes *animi* commotionum *in* ipſum *corpus* redundantes tumultus. Sunt autem huiusmodi *ſimpliciores* animi, & cum vitalibus negotiis velvti fideliore nexu ſimplici deuincti, *infantibus*, *ſexui muliebri*, quin omnibus hominibus, quicunque *rationem* non admodum probe *exercitam* & ad fortuita *obfirmatam* habent. Inprimis autem euidens eſt horum generum energia in *infantibus*; vtpote in quos etiam per ipſam *lactis* ſuctionem effectus pathematum ad *vitalis* œconomiæ perturbationem transmitti ſolere, experientia docet. Quænam ſubiecta hos effectus ab animi pathematibus præ aliis experiantur.

Variæ ſubtiles quæſtiones circa hoc negotium.

§. VI. Non quidem placet circa hoc negotium reliquas λεπτολογίας enucleare, a quo *principio*, aut quonam *modo* ſiue pathemata hæc *in animum*, ſiue illorum effectus *in corpus* inferri videatur. Faſtidit enim animus, poſt alia inania miſeras illas fabulas recentiſſimas enarrare, quomodo *obiecta externa phyſica* ſiue per *radium viſorium*, ſiue per *fremitum auditorium*, ſiue per *vellicationes* reliquas ſenſorias, manipulo ſeu *pugillo ſpirituum veram figuram* ſui imprimendo hoc efficiant, vt dum hi in talem formulam diſpoſiti aut *compacti* in ipſum vsque *cerebrum* pertingant, ibi non ſolum in huius molliſſimam ſubſtantiam *ſtabilem* ſuæ configurationis *impreſſionem* faciant: ſed etiam in *motorios neruos* talem tumultum incutiant &c. Non piget ſolum, ſed profecto pudet plura memorare.

Effectus animi pathematum in corpus tumultui ſpirituum attribuitur.

§. VII. Illud ſolum non ita acute deſirantium adſertum tangere ſuffecerit, quo *effectus* animi pathematum in corporeas vitales actiones attribuuntur TVMVLTVARIO *motui ſpirituum*. Quaſi videlicet, dum animus *tumultu* velati titubans, & ita ad intempeſtiuas & intemperantes actiones præceps, (ſed tamen in ſua ſolum ſphæra, in actionibus, inquam, ipſis *intellectus & voluntatis*, quamuis hic etiam alia fingente *Helmontio*,) *ſpiritus*, vt illi volunt, vel ad ipſum etiam actum *rationalem* ſibi vſitatos hac ratione præter conſuetudinem & ordinem *vehementius exagitet*, *turba* hæc ita ſenſum in totum genus *ſpirituum* redundans etiam *animales* in eundem *fremitum* corripiat: qui inde in ſuis ſtationibus ſeditioſe *tumultuando* hæc grauia *anomalorum motuum* ſpecimina exhibeant, &c.

His conceptibus generaliores quidam motus explicari poſſent, minime autem ſpelialiores circumſtantiæ.

§. VIII. Hoc vero ſenſu videretur quidem ſatisfieri poſſe *generalioribus* quibusdam, veluti *trepidis*, concuſſionibus vniuerſalioribus, v. gr. in *terrore* coorienti *tremori* & *palpitabundæ* impotentiæ totius corporis: in eodem & *ira* grauiore, etiam *conuulſiuis* aliquando motibus. At vero ſubterfugiunt penitus haſce *generales* ideas circumſtantiæ diuerſorum pathematum *ſpecialiores*, imo veluti *ſpecificæ*; quæ longe aliam fiendi rationem deſignant, nempe talem inprimis, quæ cum *intentione animi*, ſub certo quolibet *pathemate certa & ſpecifica*, manifeſto conſpirans dependentiam ſui a tali pathetica *intentione*, tanquam cauſſa non *per indirectum* ſed *directe* prorſus hic *agente*, ſatis indicat.

Verus conceptus de animi pathematibus.

§. IX. Nimirum vt *verus* &, quantum fieri poteſt, *realis* conceptus de *animi pathematibus* ſuppetat, ſcire vtique neceſſe eſt, „quod *animi pathemata* nihil aliud ſint, quam *intempeſtiuæ & præmaturæ*,

„*turæ quædam concluſiones de rebus vel ſenſu oblatis, vel nuda interdum* „*fictione ſecundum memoriam efformatis, ſine decente circumſtantia*„*rum omnium aut ſane potiſſimarum vere rationalium conſideratione,* „*æſtimatione morali potius quam directe & ſimpliciter ſenſuali expen*„*dendarum.*„ Secundum has *crudas* atque *præmaturas* concluſiones ſuccedunt ſecundo loco etiam intempeſtiuæ *intentiones* ſeu *voluntates*, & ſecundum has etiam *executionibus* huiusmodi *intentionum* pares atque reſpondentes *motus* reuera *voluntarii*; v. gr. in *iracundia* impetuoſi *motus* atque *niſus* ad *occupandum*, *repellendum*, *diripiendum*, *ſubigendum* &c. in *terrore anxia intentio* generaliſſima ad *aufugiendum*, aut ad minimum *deliteſcendo* ſeſe ſubducendum, aut præſentiſſimo malo quantacunque tandem *vi atque virtute reſiſtendum* atque *renitendum* &c. in *deſiderio* tum *reſpectationes* ad *obiectum*, imo ſaltim ad *locum* ſperatum, tendentia atque *conatus* ad illud comprehendendum, fruendum &c. ſicut huius rei *ſimpliciores* actus in *infantibus* aliquid *deſiderantibus* intueri licet &c.

Commotiones iſtæ, a pathematibus animi excitatæ, cum intentione voluntatis conveniunt.

§. X. Iam ſi ſpectentur effectus illi, qui ab animi pathematibus cooriri obſeruantur, etiam circa actus *vitales*; illos inquam actus, qui cum *intentionibus* & qualibuscunque *directionibus voluntatis* nihil manifeſti commercii habere apparent: diluceſcet puto affatim, quod etiam *actuum* horum ſub talibus pathematibus coorientes peculiares & inſolitæ commotiones cum reliquis illis *voluntariis*, ab aperta atque directa *intentione* pendentibus, minime diffideant. Ita enim ab *iracundia diffuſio ſanguinis* in *ſuperficiem* corporis & partes muſculoſas, *tonus palpitabundus* & ad *rigiditatem* propior, quid aliud, quam *præparat* corpus ad *violentorum fortiſſimorum motuum voluntariorum* maius *robur & energiam* fortiorem? imo conuulſiui motus quam exquiſite coincidunt cum illis violentis *luctis*, quas ſubinde exercere videmus eiusmodi grauiter *iracundos* aduerſus illos, qui ſaltem *retinere* & *impedire* ſuſcipiunt ipſorum impetum. Sicut etiam notatu omnino dignissimum eſt illud, quod *iracundia* ſecundum animi ſententiam *exſatiata*, & nullam *pœnitentiam* poſt ſe ferens, *corpori nihil nocere* obſeruetur. Cum ex aduerſo, ſi *iracundia* vehemens ſolum *ſupprimatur*, vt *in animo* longum *tædium* atque *ſimultatem*, ita *in corpore digeſtionis* atque *nutritionis* vitia & *vitalium* etiam actionum *languores* atque *marcores* poſt ſeſe trahit: imo vt aliquando in animo *deliria*, ita in corpore *conuulſiones*.

Si in directum obiectum non licet impetum facere, in aliud obuium effunditur.

§. XI. Imo digniſſima eſt in hoc genere notatu etiam illa *paritas intentionis* circa res *morales* æque atque *vitales*; qua, ſi in directum obiectum præſentis *iracundiæ* non liceat impetum animo conceptum exercere & *exſatiare*, in *alterum* quodcunque obuium, tanto magis autem iam aliqua diuturniore *ſimultate odioſum*, & iuſto aliquo reſpectu *moleſtum*, impetum illum effundere, & tale etiam *odioſum* obiectum *alterius loco* corripere ſolet, ad excuſſionem atque ſubactionem tendere.

Paroxyſmi quidam morbidi per iram reſuſcitantur.

§. XII. Huius rei vt in *voluntariis* atque ciuilibus reſpectibus notiſſima ſunt ſpecimina; ita profecto non video, quomodo ab hac intentione abludat aut ſeparari poſſit illa efficacia *iræ* in negotia corporea, qua *paroxyſmi* quidnam morbidi per iracundiam *reſuſcitantur*: v. gr. *calculi*, paſſionum *hypochondriaco-hyſtericarum*, *arthritidis*, *podagræ* &c.

Nauſea hanc conſpirationem commotionum patheticarum cum intentione animi præ reliquis declarat.

§. XIII. Sicut autem in his pathematum generibus a ſana ratione nihil abludere videtur allegata hæc conſpiratio *patheticarum* huiusmodi commotionum etiam in *vitalibus* negotiis cum directa *intentione* ipſius *animi* atque *rationis*, *cogitationis*, imo ipſius *voluntatis*: ita ne in *veriſimilibus* nimium hæreamus, tanquam certiora non ſuppeterent, ſupra omnem in hiſce rebus difficultatem poſitum eſſe comparet illud animi pathema, quod NAVSEA appellatur. Sicut enim ibi etiam nullus reliquus *ſpirituum tumultus* fingi poteſt, dum certæ *rationis* in hoc negotio *aberratio* ſatis *taciturna*, neque ad vllam *repentinam perturbationem* reliquam inclinans apparet; ita nihil *turbarum* aut *tumultus* reliquæ etiam *vitali* ſpirituum illorum occupationi incutere poſſe manifeſtum eſt. Dum autem *motus* vtique fiunt, neque tamen per dictas circumſtantias *tumultuarii*, ſed plane *peculiares*, & qui non totum corpus ſed *ſpecialiſſimam* eius *partem* tantum afficiant, fuerit puto tanto facilior horum conſideratio.

Nauſea imaginaria animi pathema eſt.

§. XIV. *Animi pathema* eſſe imaginariam *nauſeam*, ex eo manifeſtum eſt, quod in ſimplici *æſtimatione* conſiſtat rerum, vel per ſimplex & nudum præiudicium opinionis aduerſarum & *ingratarum ſapori* aut in genere *eſui*; vel *deglutitioni* peculiariter refragantium, vti ſunt *pili*, *muci* tenaces, *puluerulenta*, *ſicca* & *aſpera* &c. Talia ſi in os atque fauces peruenire contingat, certe non *faucium* ipſarum, aut *œſophagi*, vel *ventriculi* eſt illa commotio, ſed illius principii, quod *ſentire*, per ſenſum inquam & de ſenſu *iudicare*, imo ſecundum hoc de ſenſu iudicium *velle*, & ſecundum voluntatem *mouere* ſolet.

Quod

Quod ipſum principium cum in hoc negotio & primo & primario concurrat, nempe præfiguratione illa *æſtimatoria*, (quando v. gr. etiam propter *pilum*, quem alius in ſuo *diſco* reperit, imo a *narratione nuda* de rebus ita nauſeoſis in tales præfigurationes dilabi ſolet) tanto iuſtius certe ipſi etiam reliquæ horum motuum *concitationes*, & ad hoſce *ſcopos* atque *intentiones* proportionatæ *directiones*, *perſecutiones* & *exſecutiones* adſcribendæ videntur.

§. XV. Adeo enim euidenter in toto hoc negotio nihil *tumultu* aut *fortuitis* vllis motibus fieri apparet, vt potius omnia quæ fiunt, re vera ſimpliciter *intentioni* illi ex amuſſim reſpondeant, quæ eo ipſo tempore in *animi* præfigurantis atque ratiocinantis collectione viget. Quod, vt ex omnibus reliquis circumſtantiis, ita ex illa etiam inter reliquas omnes pariter notiſſima elucescit, quod etiam e nuda *commemoratione*, aut viuidiore *recordatione*, pariter atque e nudo *conſpectu* rei diſſitæ, *vomibunda nauſea* cooriri indies obſeruetur. Ex nuda commemoratione & recordatione nauſea oritur.

§. XVI. E quo ſcilicet exemplo ſimpliciſſime comparere confido veritatem illam, quod *animi pathemata* non ſolum non ſimpliciter ab omni *rationis* energia abſint, ſed ſolum circa *ſufficientem* omnium conſpirantium circumſtantiarum comparationem deficiant: ſed etiam commotiones partim *voluntariæ* partim inuoluntariæ, circa *vitales* actus ſubſequentes, nullo *tumultu* ſimplici ſed vere ſecundum certas & ab *æſtimatione* rationali atque *intentione* ad certum finem, non *prorſus* abſonum aut ſimpliciter erroneum, minime alienas *deſtinationes* ita ſuſcipiantur atque adminiſtrentur. Animi pathematum effectus in corpus non eſt tumultuarius.

§. XVII. Confirmat vniuerſas haſce res nota illa ſatis circumſtantia, quod, vti animi pathematibus in genere, ita his etiam illorum effectibus in *vitalia* negotia non *ſinguli* homines vna eademque ratione obnoxii viuant, ſed alii plus, alii *minus*, imo *minimum*. Et hoc manifeſto a magis aut minus *exercita*, & ad patienter *colligendum*, ſufficienter *comparandum*, & tranquille *concludendum*, exercitata atque adſuefacta ratione, eiusque ita vel *placido* atque *ordinato*, vel *præcipiti* vſu. Quia non in omnibus eſt æqualis.

§. XVIII. Mouet me hæc ipſa res, ad faciendam inter animi pathemata mentionem CONSVETVDINIS; potentiſſimæ certæ circumſtantiæ circa actiones tam *vitales* & *animales*, quam ipſas omnino *rationales*. Deſcribo autem *conſuetudinem*, quod ſit *promtitudo certa, tam ad ſuſcipiendas quam decenter exercendas varias actiones*. Sicut enim *conſuetudo* in genere vtique verſatur circa *actiones*, id eſt, in corporis Conſuetudo quid ſit.

poris œconomia *motus* eorumque directiones; ita certum vtique eſt, quod *conſuetudo* occupata ſit, tam circa *capeſſendos* & alacriter *exercendos* atque *perpetrandos*, quam etiam *faſtidiendos*, *metuendos*, *negligendos*, imo *fugiendos*, & aliis contrariis *actualibus motibus detrectandos* varios motus.

In conſuetudine promta eſt ad agendum intentio.

§. XIX. Dixi *conſuetudinem* conſiſtere in *promtitudine* certa, (maiore vel minore) ad motus primo capeſſendos & ſuſcipiendos. Cum enim motus ſint vtique tales actus, qui propter aliquem *finem* regulariter ſuſcipiuntur, & *proportionate* atque conuenienter ad illum *diriguntur*: ita in ordine fiendi aut agendi primo vtique loco ſtat ipſa ad agendum *intentio*, *voluntas* quaſi agendi. In qua re quanta ſit vis *conſuetudinis*, dilucеſcit exemplis penitus quotidianis, inprimis talium rerum, quæ cum manifeſta quadam animi *æſtimatione* concurrente perpetrandæ ſunt, verbi gratia *araneum*, *ſerpentem* attingere: vbi ſimulatque *animus a præiudicio* liberatus eſt, nulla vsquam eſt mora & *volendi* & conſequenter *agendi*; quamdiu autem, ſiue ex toto ſiue ex parte, animus a *decernenda* actione, *voluntate* inquam ipſa agendi, diffidet, tunc vel plane non fit actio, vel ſecundum proportionem *trepide*, *fugitiue*, *tremula manu* &c. Ex aduerſo vero in *adſuetudine*, per plures conſiderationes, tam a priori quam inprimis a poſteriori per ipſam experientiam firmatas, introducta, *promta* eſt prorſus ad agendum ipſa *intentio*, & facile, non ſolum *ſine* omni *tergiuerſatione*, ſed familiariter etiam *cum* peculiari aliqua veluti *propenſione* ipſius animi ad agendum, cito atque promte decernitur huiusmodi actus, & quoties occaſio illum exercendi occurrit, promte in effectum deducitur.

Hæc magni quoque eſt momenti in moralibus.

§. XX. Magni autem momenti etiam in *moralibus* æſtimationibus eſt hæc *adſuetudo* ipſius ſtatim *intentionis*; *promtitudo* inquam etiam VOLENDI, nempe vel circa *ſuſcipiendos* vel *omittendos* motus. Ita enim circa *terrorem* quotidianum certe eſt obſeruare, quomodo circa easdem res, circa quas olim varii *motus geſtuum* ſuſcipi ſolebant, imo etiam *trepidi* atque *tremuli* motus veluti ſpontanei, ſubſequi; circa has ipſas, inquam, adſuetudine parta, in poſterum quidem nulla vsquam amplius ne *intentio* quidem talium actionum locum inueniat; adeo quidem, vt etiam veluti manifeſtius *a priori* vel *riſus* quidam & *contemtus* priſtinæ de talibus rebus *opinionis* cooriatur, quoties eadem occaſio ſeſe offert, quæ olim *terrorem* & *effugiendi intentionem* prouocare ſolita erat.

§. XXI.

§. XXI. In *agendo* inducitur *promtitudo* illa, tam circa *methodum* & *ordinem* actionis, ipſi *fini* conuenientem; quam circa ipſorum etiam *inſtrumentorum agilitatem.* Sicut enim *repetito* ſæpius *vſu* ipſa *methodus*, iuſtus inquam *ordo* atque *ſucceſſus* actionis, magis magisque comprehenditur; adeoque in poſterum nullus amplius circa has agendi *menſuras* & *opportunitates* ſupereſſe poteſt error: ita ipſa etiam *organa* multiplici eiusdem actus vſu ad illum magis *aptari*, per communem variorum inſtrumentorum experientiam notum eſſe poteſt.

Promtitudo hæc inducitur tam circa methodum quam circa organorum aptitudinem.

§. XXII. Illud quod hic omnino in conſiderationem venire atque notari mereatur, eſt, quod *conſuetudo* maximopere contingat ipſi *animo.* Vt enim taceamus exempla harum rerum a poſteriori, inprimis cum illa iam modo allegauerimus ſub reliquis *animi pathematibus*, & in ipſa nuda atque ſimplici *adſuetudine æſtimationis* atque *opinionis* de rebus: confirmat certe huius negotii veritatem iam inde a priori illa generaliſſima veritas, quod *animi* etiam velut abſoluti actus ſimpliciter vſu, *repetitis* inquam & *numeroſiſſime* quidem actibus & exercitiis, demum excoli debeant, & ad *promtitudinem* maiorem, ipſam inquam *adſuetudinem*, deduci.

Conſuetudo ipſi animo contingit.

§. XXIII. Deinde conſiderationem ad ſe vocat actionum ipſa *methodus*, *tenor* & *ordo*, ab organorum *mechanica* ratione nihil pendens. Cuius rei vt etiam alias manifeſta eſt veritas, dum vtique nulla pars corporis, non magis quam vllum aliud *inſtrumentum*, neque actum aliquem *ex ſe* & *ſua ſponte* ſuſcipere poteſt, nec illum decente tenore *proſequi*, nec ad quemlibet ſpecialem finem conueniente proportione *perficere*, niſi *a cauſſa ſuperiore* ad hos effectus debito *ordine* atque iuſta *methodo* regatur.

Actionum harum methodus ab organorum mechanica ratione non pendet.

§. XXIV. Sicut enim tum alias *tempus* actiones *incipiendi* attribui ſolet peculiari ſtimulo materiæ; ita refellunt hunc craſſiorem conceptum circumſtantiæ & multorum & admodum inſignium phænomenorum, quorum ſola duo allegare placet, *generale* & *ſpecialius. Generale* eſt *adſuetudo* agendi ſecundum *ſtatas periodos* temporis: & illa quidem in variis caſibus vel in ipſis initiis prorſus *arbitraria;* vel ad minimum ita comparata, vt nulla *phyſica* ſeu *corporea paritas*, ſed potius manifeſta *diſparitas* ſubeſſe agnoſci debeat. *Specialis* exempli locum tuentur *paroxyſmi febriles*, omni *ætati* & corporis *magnitudini* in *pares periodos temporis* incidentes: quod certe propter tam diuerſam *quantitatem* humorum, & tam diuerſam *proportionem motus* atque capacitatem *circuitus* eorundem, & multiplicem concurrentium cauſ-

Tempus actiones incipiendi ſolet ſtimulo materiæ tribui; ſed duo phœnomena obſtant: 1. adſuetudo agendi ſecundum ſtatas periodos; 2. paroxyſmi febriles, in pares periodos

temporis inci-dentes. ſarum in tota diæta diuerſitatem, ita *a poſteriori* & *per materiæ* proportiones nihil minus, quam hiſce rationibus ſuccedere deberet.

Conſuetudo certis horis euigilandi. §. XXV. Non placet autem in harum rerum exempla diffundi; allegabimus tantum vnum, quod iam ſuperius, vbi de *ſomno*, tetigimus. Familiaris nempe eſt & notiſſima *adſuetudo* illa, vt quis, ſiue *voluntaria* ſiue etiam *inuoluntaria* exſuſcitandi occaſione ſumta aut oblata, ſenſim (imo pro actiuitate indolis maiore, vel pauciſſimis eiusdem menſuræ *repetitionibus*) eo *conſuetudinis* deducatur, vt in poſterum *exquiſite illa ipſa hora* iterum *e medio & tranquillo ſomno* euigilet.

Exemplum. §. XXVI. Exprimo exemplum exactius. Dormit vir, indolis experrectæ & agilis, interim a turbulenta ſollicitudine alienus atque ſatis tranquillus, in conclaui infimæ partis ædium, vix duas ſpithamas altiore, quam plateæ ſolum: platea a ſummo mane onerariorum curruum multiplici itu redituque ſtrepit, & contremiſcit inde ſæpe ædium tota compages; fremitus hominum, equorum ſtrepitus, quietem ſomni eius nihil interpellat: *hora* vero illa matutina, qua ad ſua negotia expergiſci & procedere adſueuit, *exacte* & ad horologii ſonum proxime expergiſcitur, vtcunque etiam illo momento tacita omnia atque tranquilla exſiſtant.

Excitatio ad ſurgendum, & intentius aliquid agendum eandem infert conſuetudinem. Hic cauſſæ corporeæ nihil contribuunt. §. XXVII. Neque hoc ſolum, ſed affatim notum eſt, & mihi proprio meo exemplo plus etiam quam placeat familiare, ſi *hora* aliqua *noctis* vel caſu velut aliquo, vel quacunque ſenſuum perculſione, expergiſci contingat aut excitari; ſi ad *cogitandum* aut plane *ſurgendum*, & intentius aliquid agendum cito & alacriter conuertatur animus, familiariſſime hinc euenire, vt per *complures dies* exquiſite pari *hora*, imo *momentis* proxime *illius* horæ iisdem, e medio tranquillo ſomno iterum euigilet, adeo, vt *ſonum* proxime illius *horæ quadrantis*, in quem illa conſuetudo incidit, ſecurus exſpectare poſſit. In quibus quidem rebus de *corporeis* cauſſis & certis in *aëre* diſpoſitionibus *materialibus*, per ſingulos dies in ſingula *æqualia momenta* reuertentibus, & harum rerum *cauſſas* agentibus, ſpeculari, nihil aliud ſit, quam ſomniare.

Conſuetudo etiam occupata eſt circa motus omittendos, negligendos & detrectandos. §. XXVIII. Diximus autem ſuperius, quod *conſuetudo* non ſolum *ad agendum*, ſed etiam *ad abſtinendum ab actione*, & *requieſcendum ab agendo* tendat. Præbent eius rei exempla tum illi motus, qui *animi pathemata* ſequi conſueuerunt, tum etiam alii ſimplicius *vitales*, & circa *ſenſus animales*. Ita enim v. gr. non ſolum a variarum rerum *terrifico* metu *deſueſcere* contingit; *deſideriorum* etiam *ſatietate* corripi; quin *iracundiæ* aliquid detrahere: ſed etiam rebus palato minus gratis,

gratis, *ſtomacho* atque digeſtioni difficilioribus, imo *nauſcæ* variarum rerum negligendæ, adſueſcere; *vino*, *tabaco* non tam facile amplius & leuiter quaſi *inebriari* aut moleſtius adfici; *frigoris* inprimis aut *caloris* etiam ſenſu minus offendi; *ſtrepitu* circumſonante a ſomno non excuti &c. &c.

§. XXIX. Cæterum de *conſuetudine* omni vtique modo notandum eſt, quod ſicut illa res etiam alias *faſtiditas* aut *reformidatas* negligere facit; ita etiam *laborioſiores motus* multo vſu & exercitio *leues* efficiat, & promte in poſterum ſuſcipiendos. Adeo quidem, vt in hoc maxime negotio eximie impingat recentiorum inanis ſpeculatio, dum *paribus euentibus cauſſas* ſemper MATERIALITER *pares* aſſignat; cum *adſuetudinis* promtitudinem quo magis illa inſoleſcit, etiam *leuisſimæ* priſtinarum cauſſarum materialium *proportiones* aut *rationes* ad actum deducere valeant. Et illud quidem ſicut euidentiſſime & notisſimis penitus exemplis in *animi pathematibus*; ita nihilo minoribus aut minus luculentis etiam in ipſis variis *vitalibus* actionibus.

Conſuetudo laborioſiores motus leues efficit.

§. XXX. Eſt autem magna penitus vis *conſuetudinis*; & quidem, vt tanto melius innoteſcere poſſit efficacia laudata *promtitudinis* veluti ſimpliciter a priori *ad agendum*, in humana ſpecie magis, quam in quibuslibet quorumcunque aliorum animalium. Diluceſcit hoc in ipſis *infantibus ab vtero* vsque materno; dum etiam in vulgus notiſſimum eſt, quod infantes, qui nimiæ *ſenſibilitatis* teneritudini per *indolem* & *teneritudinem* matrum ſub ipſa geſtatione adſueuerunt, poſtquam in lucem editi fuerunt, certiſſime eadem ipſa teneritudine adeo detineantur, vt vel ab *aura frigidula*, quin *refrigeratione* a ſola *nutrice* temere *in ſe* ſuſcepta, ſenſibiliter offendi poſſint, & a qualibet *cibi* aut *potus* minus exquiſiti intemperie perturbari; difficulter etiam ad *firmiorem adſuetudinem* traduci: cum interim alii infantes omnibus hiſce modis firmius ſeſe habeant atque gerant.

Conſuetudinis vis maior eſt in homine quam in aliis animalibus: exemplo infantum teneritudini adſuetorum.

§. XXXI. Imo vero notanda eſt inſuper & ſupremo quaſi loco *tenax adſuetudinis* veluti *memoria*, dum animum recte aduertendo ſubinde deprehenduntur *priſtinarum* quarundam *adſuetudinum* effectus per longos annos ita perennare, vt, quamlibet longo intermedio tempore nihil huiusmodi effectibus plane geminum continuetur, tamen poſt tempus interdum etiam ſatis longum interpoſitum, *oblatis* quibuslibet *occaſionibus*, ad *antiquum* tramitem reuertatur. Cuius rei præcipua exempla occurrunt in *moliminibus hæmorrhagicis*, e prima *pueritia & adoleſcentia* ad *virilem* imo *ſenilem* vsque ætatem non tam

Tenax conſuetudinis memoria.

Exempla in moliminibus hæmorrhagicis occurrunt.

delatis quam veluti *dilatis*; vt illis maxime temporibus *denuo* ſuſcipiantur: non quidem ipſa *ſpecie* penitus eædem, imo ſubinde ne *genere* quidem, ſed *apparatibus* ſolum generi familiaribus, licet circa loca atque partes ſpecie diuerſas.

Hæc aſſertio, quod animi pathemata magnam vim habeant in motus vitales, maximum vſum habet in pathologia.

§. XXXII. Ne vero fruſtra & nudæ *hiſtoricæ* veritatis ſtabiliendæ cauſſa a nobis hactenus hæc aſſertio ita prolixe ſtabilita videatur, *quod* nempe *animi pathemata & intentiſſimæ animi voluntates atque intentiones* in *vitalia* quoque negotia magnam vim habeant: ſciendum omni modo eſt, quod hæc res in *pathologia* immane quantum conſiderationis mereatur. Siquidem non ſolum in affectibus exactiore aliqua *motuum vitalium* gubernatione perpetrandis, adeoque extra ordinem *attentam* & *intentam vigilantiam* atque *curam* poſcentibus, repentinæ tales turbulentæ *intentiores* ad alia *auerſiones tenorem*, imo non raro totum omnino *ſcopum* præſentium actionum neceſſariarum inuertunt: ſed etiam communiter & *præſentiſſime* & *profundiſſime* & *pertinaciſſime* hoc faciunt, ita, vt a talibus interuerſionibus communiſſime difficillimum ſit in viam reuerti, & a tali *intenta alienatione* ad *attentam* peculiarem neceſſariam *directionem* redire. Vnde perículoſiſſimæ ſunt huius generis euagationes in *acutis* inprimis autem *malignis* affectibus.

Non ſolum vero animi pathemata aliis actibus impedimento ſunt, ſed etiam conſuetudo.

§. XXXIII. Quemadmodum autem reliqua quidem pathemata præſentiore quodam impetu aliis actibus præſens aliquod præiudicium facile afferunt: ita non vltimo profecto loco ponenda hic eſt, & tanto magis propterea conſideratu digniſſima, *conſuetudo*. Siquidem hæc non ſolum ſubinde a priori *impedimento* eſt, vt alii actus aliunde neceſſarii non tam promte ſuſcipiantur, ſed ſubinde etiam velut ex *improuiſo* medios tales interpellat. In eo tamen omnibus reliquis huius claſſis pathematibus *benignior*, quod facilius ad neceſſitates præſentes reliquas *reuertatur* a *conſuetudinis* aliquo actu debita illa *intentio*; idque eo ipſo maxime, quod *conſuetudinis* actus nihil *nouum* atque *trepidum* obiiciat, ſed quicquid etiam *alienum* infert, fere magis *ordinate*, *placide* atque *tranquille* exſequatur: a qua indole reliqua pathemata communiter diuertunt, tam eo, quod velut *ad rem nouam* maiore impetu cooriantur, quam maiore tenacitate eidem immorentur.

Conſuetudo ipſorum animi pathematum.

§. XXXIV. De reliquo vero minime ſilentio inuoluenda eſt etiam vniuerſim ipſorum animi pathematum reliquorum *conſuetudo*; quandoquidem hæc ipſa etiam minorem reddit illorum euagandi impetum: dum videlicet ad obiecta, vt non plane noua & inuſitata, non tam ſummo impetu conſurgunt, nec adeo intentiſſima pertinacia immorantur;

cur, vt aliis intentionibus hinc nimium detraherent. Maximæ interim omnino conſiderationis eſt illud, quod inprimis de *ira* diximus; quod videlicet, quando *intentionis* ſuæ exitum ſperatum adſecuta fuerit, minus præiudicii reliquarum actionum tenori adferat.

§. XXXV. Quid, quod aliquando dentur caſus, nec illi quidem adeo rariſſimi, vbi etiam paulo magis peruerſarum *conſuetudinum* repentina quædam *deſuetudo* & animum, & aliquando corpus, ſenſibiliter perturbet. Nota ſunt talia exempla partim de *ira*, partim de *ebrietate*, partim de *venerearum* rerum actibus, etiam liberioribus &c. Neque minus etiam veluti vulgo ſatis notum eſt, quod homines *duriori victui* adſueti, quando ab hoc ad valde mollem veluti directe & ſimpliciter tranſeunt, ab illo multo peius habere ſoleant, & veluti certis vitiis concoctionis atque cruditatibus obnoxii fieri. Repentina conſuetudinis deſuetudo & animum & corpus perturbat.

§. XXXVI. De reliquo vero *moderatus* animi pathematum euentus & veluti *vſus*, inprimis autem *hilaritatis*, e deſideriis ſcopo ſuo poſt aliquos labores potitis, corpori quidem æque, ac animo phyſice conſiderato, breuiter œconomiæ corporis *alacritatem* & ordinatam *tranquillitatem* fœnerantur atque conſeruant: *abuſus* autem perturbat: & vtrumque hoc *præſentius* atque *plus*, quam quælibet *materiales* atque *corporeæ* læſiones aut refectiones. Moderatus animi pathematum euentus corporis œconomiam conſeruat, abuſus autem perturbat.

SECTIO III.
DE NVTRITIONE.

§. I.

CVm hactenus prolixius egerimus de hominis velut abſolute conſiderati conſtitutione; tum etiam de eiusdem ad tempus longius *conſeruandi* reſpectibus atque conditionibus; hoc poſterius tamen magis velut *in genere*: placet adhuc aliqua ſubiicere, quæ *ſpecialius* declarent inprimis ſucceſſum atque reliquas circumſtantias ſpecialiores NVTRITIONIS. Quia tamen plerumque harum rerum & veluti præcipua ſui parte magis ad *phyſicam* quam ipſam *medicinam* pertinent, euitabimus, quantum fieri poterit, omnem ſuperfluam prolixitatem: niſi in quantum *præcipuæ noſtræ theſi phyſiologicæ* aliquid dandum putamus, nempe, Specialis conſeruationis conſideratio per nutritionem.

quod ANIMA tam *volendi*, quam ſecundum *intentiones* certas, *motus proportionate regendi* ENERGIA etiam in ipſo *nutritionis* negotio *præcipua* præſtet.

Præcipua nutritionis momenta.

§. II. Sunt autem *præcipua*, quæ circa *nutritionem* conſiderari debent, momenta (1) *appetitus*, (2) *ſaliuæ* admixtio, (3) *detentio* in ventriculo ad proportionatum *tempus*, (4) *ventriculi* ſucceſſiua *contractio*, æque ac *inteſtinorum* etiam, (5) alimentoſæ ſubſtantiæ propinquioris *ſubactio*, *craſi* naturali conueniens, & ſimul *diſtributio*, (6) denique, quæ quidem vulgo diſtinguunt, reali autem æſtimatione non merentur diſtingui, *appoſitio* & *aſſimilatio*.

Appetitus

§. III. Circa APPETITVM notæ ſunt vſitatæ in peripatetica philoſophia tricæ, quibus appetitum *naturalem*, appetitum *vitalem* atque *nutritiuum*, & appetitum *ſenſitiuum*, diſtinguere laborantes varias entium multiplicationes introducunt. De appetitu *naturali* (rebus *inanimatis* etiam quam maxime adſcribi ſolito) non placet, nec huius etiam loci eſt, mentionem facere. Vitalis *nutritiuus* appetitus certe eſt *voluntas* edendi atque bibendi.

eſt voluntas animum afficiens,

§. IV. Manifeſta inquam *voluntas*, *animi* etiam reliquas operationes, imo *intentiones* ſiue *arbitrarias* voluntates, ita manifeſto afficiens, vt niſi ipſi ſatisfiat, hic ad alia *iners* & *inſolens* compareat. Quid, quod etiam *ſitientibus* vel in ſomno cogitatio nempe *præſiguratio* oboriatur, quaſi bibant. Neque vero hoc ſolum, ſed illuſtrat totum hoc negotium apprime prorſus altera illa, certe maxime conſpicua in hoc negotio, *vis imaginationis*, dum etiam appetitus legitime bonus ſimplici *imaginatione nauſeoſa* vel in momento ita peruertitur, vt non ſolum *euaneſcat*, ſed *nauſea* ſeu auerſio eius locum perfecte vtique occupet. Neque vero etiam *nauſea* ſola hoc poteſt, ſed & terror, *timor*, *mœror*, & quæcunque alia *anxietas*. Imo vero quid notius eſt, quam quod quælibet aliæ admodum intentæ *ſpeculationes obliuionem* temporis edendi introducant; ita vt alius *ludo*, alius *ſpectaculo*, alius *diſſertationibus*, alius *amorum deſideriis* & exſpectationibus, temporis conſueti appetendi obliuiſcatur. Ex aduerſo vero inter homines vtriusque etiam ſexus, labori alias adſuetos, notiſſimum ſit, quod etiam ipſo *otio eſuriant* & edere geſtiant, tanquam in ſupplementum conſu[illegible], [illegible] *nihil agant*.

Nauſea perturbatur, nec non animi pathematibus.

Intentæ ſpeculationes appetitus obliuionem introducunt.

Laborioſi in otio etiam eſuriunt.

Appetitus ordinatus quando ſequatur.

§. V. Quamuis autem ordinatus appetitus proprie ſequatur tempora *conſumti prioris* alimenti: ita nempe, vt tunc maxime iterum edere atque bibere *velit* homo, quando ſanguinis & humorum, tam *nutri-*

nutrientium quam *diluentium*, tantum abſumtum eſt, quantum a præ-greſſa aſſumtione ſuppeditatum fuerat: eſt tamen inſuper non ſolum verum, ſed omnino etiam ſatis notum, quod in hoc etiam negotio multum poſſit *adſuetudo*, adeo vt multi multum edendo nihil inſigniter hinc augeſcant, alii ſic ſatis parum edendo omnino pingueſcant. Vbi tamen non negandum eſt, quod ingens etiam ratio habenda ſit *vitæ generis*, prout illud vel *otioſum* magis eſt, vel *laborioſius*.

Adſuetudo hic multum poteſt; item vitæ genus.

§. VI. Interim ad illuſtrandam illam veluti deſtinatam atque *finibus* ſuis reſpondentem appetitus *intentionem*, facit omnino etiam illud, quod illa inprimis indiuidua plus *eſuriant* ſeu *appetant*, quæ in *corporis* ſui *augmento* verſantur. Quam rem vel ipſe populus vt ſibi ſatis notam exprimere ſolet, de *adoleſcente* ætate loquens: **Junge Leute, die da ſtarck wachſen, mögen wohl eſſen.** Dum interim inuerſo modo ſeſe hic habent atque gerunt *ſeniores*; niſi quidem vel vitæ genere *laborioſo*, vel largiore *vinoſo* potu, vel denique nuda *adſuetudine* in diuerſum hic abeant. Enim vero de animantibus etiam adhuc augeſcentibus notiſſima eſt vel matrum familias peritiorum animaduerſio: **Das junge Vieh wolle alle Augenblick zu freſſen haben, wenn es wohl fortkommen und zunehmen ſolle.**

Appetitus maior eſt in iunioribus quam ſenioribus.

§. VIII. Præterea notum ſatis eſt, quod etiam illi homines, qui laborioſis motibus plurimum ſanguinis paruo tempore *abſumunt*, appetitu non ſolum in genere bono atque vegeto gaudeant: ſed etiam breuibus periodis ſatietatis mox fame iterum corripiantur. Vnde hominum laboribus addictorum ſolennes *quatuor* diurnæ *periodi* edendi: *matutina* ſeu *ientaculum*, meridiana ſeu *prandium*, veſpertina ſiue *merenda*, & nocturna ſiue *cœna*. Quamuis has easdem periodos etiam non ſolum ſeruent, ſed certe ſolenniter affectent *pueri* & *adoleſcentes*, augmento corporis largiore conſpicui.

Laborioſi multum & ſæpius appetunt.

§. VIII. Vana certe hic ſunt antiqua illa commenta, *materialibus cauſſis* & *actionibus*, vti hodie vocant, *mechanicis* primariam cauſſam *appetitus* adſcribentia. Dicunt nempe (a qualicunque *conſumtione* vtique ſanguinis) *vaſa exinaniri*; inania *ſugere* in ventriculo & inteſtinis; *ſuctionem* hanc *ſenſum* producere in ventriculo moleſtum: hunc *ſenſum* eſſe illud quod dicitur *fames*. Sicut enim *ſuctio* hæc a nemine hodie facile in animum admittetur: ita eſt etiam re vera tota hæc fictio a veris *circumſtantiis* plerisque omnibus *appetitus* aliena. Ita enim v. gr. certiſſimum omnino eſt, imo notiſſimum, quod paulo ante diximus, quod *opifices* & *mercenarii* etiam feriis, imo ſi per plures dies parum

Appetitus minime cauſſis materialibus adſcribi poteſt.

parum aut nihil laborent, nihilo minus conſuetis horis tam *ientaculi*, quam *merendæ* nedum *prandii* atque *cœnæ*, optimum ſemper appetitum conſeruent.

Diſtinctio inter appetitum & famem.

§. IX. Quamlibet autem etiam non negligenda ſit diſtinctio inter *appetitum* & *famem*; dum *appetitus* etiam *conſuetudini*, *fames neceſſitati* magis reſpondere videtur: nihil tamen inde verius conficitur, niſi illud vnum, quod, quemadmodum *adſuetudo* primario competit principio cuidam *intentionis* compoti: *appetitus* autem ille etiam *conſuetudinalis* & *fames* non niſi *gradu* differunt, & obiecti minus aut magis præſentanea vrgente efficacia: ita etiam *fames* vera & iuſta a reliquo conſuetudinali appetitu non poſſit ita velut *e diametro* diſtare, vt *appetitus* magis ab *intentione*, *fames a mechanica* & *materiali neceſſitate*, & inprimis per ita *mirabiles ſenſationum* concitandarum methodos atque ſucceſſus, dependeant.

Fames etiam electiua & ſcrupuloſa obſeruatur.

§. X. Valet hic iterum iterumque conſideranda illa plane peculiaris conſtitutio, qua etiam *fames* niſi quidem *immanis* atque *ſumma*, ordinarie adhuc varie *electiua* & veluti *ſcrupuloſa* obſeruari ſolet: vt non tam temere quibuslibet inprimis *ſimplicioribus* aut minus *ſapidis* eſculentis acquieſcat, ſed, niſi *peculiaria* talia, quibus palatum ſpecialiter magis adſueuerit, ad manus ſint, nihilominus vel *faſtidiat* ſatiari, vel ad minimum etiam multo minore quantitate, quam pro apparente ſuo impetu, expleatur.

Appetitus imaginatione quoque adficitur.

§. XI. Quid, quod *appetitus* etiam mentis fictione, ſiue, vti vulgo loquimur, *imaginatione* tam poſitiue quam priuatiue, potenter adficiatur, non tantum in *deſideriis* ipſarum *grauidarum*, ſed omnino etiam in ſimilibus, paribus, iam *deſideriis*, iam *nauſeis*, in ipſos ſuos *infantes* deriuatis: adeo, vt hi talium *eſculentorum* poſthac non ſolum velut *impotente* quodam ſiue *appetitu*, ſiue faſtidio adficiantur, eiusdem quæ a matre cupita fuerat *ſpeciei*; ſed etiam plane *ideam* quandam eiusmodi rei in corpore ſuo alicubi efformatam gerant. De quibus quidem rebus non ſatis eſt dicere, quod *mirabiles* ſint. Quanquam enim nemo neget, quod vtique fiendi penitiſſimus modus & *formalis*, vti vocant, *ratio* nunquam vtique comprehendi poſſit; abſonum tamen eſt propterea etiam omnem *generalem* de hisce rebus cauſſandi concurſum propterea pariter veluti præfracte ignorare velle, neque propterea euidentia etiam argumenta in animum admittere.

§. XII.

§. XII. Sunt autem omnino talia, quæ comprobant, quod appetitus *voluntas* vera ſit, tum *a priori* propter *finem* certum, eumque *neceſſarium*, formata; tum *a poſteriori* circa certa obiecta *eligenda* occupata. Imo vero accenſeri his argumentis merito prorſus debet illud, quod, cum nihil *corporeum* atque *mechanicum* adficiatur, niſi a rebus ſimpliciter *corporeis*: *appetitus* tamen, imo vero *fames*, non oriatur ſolum, ſed vigeat etiam *abſentibus* quam maxime corporeis illis obiectis, circa quæ verſatur, quæque ipſam incitare, ſeu corporaliter prouocare credi poſſent. Imo vero videtur paſſim ſubeſſe error circa ipſas vulgarium adſertionum *collectiones*, dum appetitum *ſuctionibus* veteres, *ſtimulationibus* qualibuscunque recentiores adſcribunt. Certe enim hæc ipſa talia non pro appetitu *formaliter* haberi voluerint, ſed ſolum pro *cauſſis* eius qualibuscunque. Quod ipſum ſi ita, vt omnino neceſſe eſt, intelligatur, certe de ipſo *appetitu formaliter* alia erit formanda idea.

Hæc omnia comprobant, quod appetitus vera voluntas ſit.

§. XIII. Prorſus autem ab omni tali ratione & applicatione aliena illa eſt circumſtantia, quod non ſimpliciter & abſolute, in genere inquam, ſed omnino certarum rerum in *ſpecie* ſit atque fiat appetitus. *Phantaſmata* enim ſunt, quæ de puro illo *mechaniſmo maſticationis*, *deglutitionis*, ad contumeliam vsque rerum phyſicarum atque medicarum nugantur imprudentiſſimi quidam *automatiſtæ*; quod quando aliquid corporeum in os ingeratur, *mechanice* inde impellantur & exſtimulentur mox omnes illæ partes, quæ *maſticationis* organiſmum abſoluunt, vt hosce ſuos motus in actum deducant, &c. Nec enim vel infantes neſciunt, quod, niſi *gratum* ſit, quod ingeritur, *actus* hic *nihil* agat &c. cum ſecundum has *phantaſias* etiam *lapide* in os intruſo *maſticatio* fieri deberet, &c. Vnde certe ad huiusmodi aberrationum hodegiam primo loco pertinet, quod vndecunque tandem ſuscitatus appetitus non *qualibet* eſculenta promiscue, ſed *certa* præcipue appetat: adeo etiam, vt niſi exquiſita tandem & extrema *fames* vrgeat, etiam *mediocriter inſolita* aut minus ſapida non appetantur: v. gr. *panis ſecalinus nigrior*, ne dum iam *ſiccus*, aut *ſitu* affectus; cibi *olidi*, aut alias perperam conditi &c.

Appetitus ad certas res fertur. Mechaniſmus maſticationis & deglutitionis hic nihil efficit.

§. XIV. Puto ſatis de hoc dictum eſſe, quod ſcilicet appetitus ſit *actus illius principii*, *quod*, *dum non ſolum corpore organico ſed etiam duratione huius opus habet*, neceſſario etiam huius *conſeruationi* & *inſtaurationi* intentum eſſe debet, &, dum *vult finem*, debet, etiam *velle media* illi *fini reſpondentia*. Quod ipſum etiam di-

Appetitus ergo eſt actus principii vitalis conſeruationem corporis intendentis.

recte & eximie facit *appetitu*, id eſt, *vult* ita *materias* illas, quæ huic *conſeruationi* corporis & *reparationi* detrimentorum eius *neceſſariæ* ſunt.

Alimentorum in debitum vſum conuerſio per diuerſas præparationes.

§. XV. Quando iam deſideratis rebus, *alimentis* inquam, potiri contigit, proximum eſt, vt hæc in debitum *vſum* conuertantur: quod fit *præparationibus* diuerſis. De *comminutione* per *maſticationem* fruſtra fuerit prolixe argutari; certe enim hæc ipſa quoque prædiſpoſitio nihil eorum, quæ vulgo adeo extollunt, adeo *abſolute* vt *neceſſarium* perpetrat, ſed illud inprimis impetrat, vt in *fruſtulis minutis* ipſa *fermentatio* iuſta tanto facilius vndique *penetrare* poſſit: neque adeo enenire queat, vt in grandioribus *fruſtis* intimiores portiones proprii ſui generis *putreſcente* magis agitatione corripiantur. Quamuis verum fatendo in adeo promta *fermenteſcentia*, qualis in *ciborum* reſolutione euenire ſolet, minime facile tale quid euenire posſit, vt antequam fermentatio *legitima* ab ambitu ad *meditullium* penetret, interim in ipſo *meditullio* libera illa *ſpontanea corruptio putrilaginoſa* locum inueniat.

Saliuæ affuſio.

§. XVI. Præcipua vero *maſticationis* vtilitas verſatur potisſimum in *affuſione ſaliuæ* ſub ipſo maſticationis actu. Non eſt operæ pretium hoc loco audire aut examinare illas vbilibet hodie obſtrepentes *mechanicas* narratiunculas, quas hic etiam ingerere ſtudent harum rerum ſtudioſi, nempe perſuadere ſatagentes, quod ipſe *motus maſticatorius exprimat ſaliuam.* Certe enim quod etiam ipſius *ſaliuæ motus* partim citra *maſticationis* vllum concurſum *abunde* fiat; partim etiam ſub ipſa maſticatione *deficiat*; partim ſub *ſimplici motu oris*, genarum, dentium, nihilo plus ſolito eueniat, teſtantur notiſſima & obuia prorſus harum rerum experimenta. Quid enim notius eſt, quam quod ad ſolum aſpectum ſæpe numero, aut qualemcunque tandem appropinquationem ad labia, rerum *ſapidarum*, præcipue *iucundarum*, *ſaliua* affatim in os affundi ſoleat: vnde vulgi loquendi formula: Das Maul wäſſere einem 2c. Ex aduerſo, quando res *minus ſapidæ*, aut quadantenus *ingratæ* & aduerſæ, vel ſola etiam ſatietate *tædioſæ*, etiam diu in ore quam maxime commaſticando verſantur, *deficit* familiariter ſaliuæ effluxus, vt vel propterea etiam commode deglutiri non poſſint. Quamlibet in tali caſu reuera etiam ipſa *deglutitio* refragetur, & facile potius *contrarius motus vomibundus* ſuſcipiatur. Vnde nota plebi res formulam loquendi elicuit: Der Biſſen quelle einem im Munde; es ſeye nicht anders, als wann man Sä-

ge-Späne kauete, und könne es nicht hinunter bringen. Tandem etiam quid facilius eſt factu, quam dentes atque maxillas pro arbitrio, vbi nihil reliquum in os adſumtum præſto ſit, agitare, & eo ipſo tamen nullum *ſaliuæ affluxum* experiri: cum ex aduerſo hic affatim contingat, ſi *ſapidum* quiddam ſimpliciter in ore detineatur, citra omnem harum partium motum.

§. XVII. Fruſtra fuerit de *deglutitione* prolixe loqui, & monſtrare velle, quod *arbitrarius* ſit atque *voluntarius* actus. Vnde etiam ſubinde, v. gr. in *nauſea*, ſecundum præconceptam illam *opinionem* aduerſitatis, longe potentius ad *retrogradum* modum *vomibundum* ita inclinet, vt, ſi contra illam firmam perſuaſionem veluti coacte deglutitioni inſiſtendum ſit, ordinarie communiter ille *contrarius excuſſorius* motus hinc ſequatur. Deglutitio.

§. XVIII. Dicendum potius eſt de *aſſeruatione* illa ciborum ſufficiente in ventriculo, donec *fermentatiuam* ſuam *reſolutionem* asſecuti ſint: imo de ipſa hac *fermentatione*. Recte vtique iam inde poſt *Helmontium* in genere ſtatuunt ſcholæ medicæ, quod *reſolutio* ciborum in ventriculo fiat per modum *fermentationis*: circa ſpecialem autem huius *rationem atque ſucceſſum*, impliciti vtique ſunt difficultatibus vix ſuperandis. Præcipuæ harum in eo maxime conſiſtunt, quod non ſolum aliæ fermentationes materiarum *vere fermenteſcentium* in ventriculis animalium *longe citius* abſoluantur. Sed etiam talia ſubiecta, quæ *fermentationi* alii quam *putredinoſæ* minus idonea ſunt, tamen in ventriculo velut aliam *fermentationis* ſpeciem ſubeant, & *ſimplicem* illam ſibi alias familiarem ne quidem adſequi valeant, ſed potius ab hac *digeſtoria* fermentatione præoccupentur atque ſubiugentur. Cui rei accedit tandem ſpecialiſſima illa veluti *determinatio*, qua mox in *ventriculo & inteſtinis* ſub ipſo actu huius fermentationis teneriori alimentoſæ parti horum concretorum in ſingulis animalibus peculiaris *ſpecifica temperies* imprimitur: quod dilueſcit etiam e *crudioris* adhuc *chyli*, ſeu *lactis*, diuerſitate, in animalibus de reliquo etiam *eodem victu* vtentibus, vt *ouibus*, *capris*, *vaccis*, *equabus*, &c. Aſſeruatio, & reſolutio ciborum in ventriculo per fermentationem.

§. XIX. Expediunt ſe quidem ex hiſce difficultatibus, qua poſſunt meliore ratione, dum ſupponunt, fieri hæc ſingula per *fermenta*, & quidem *ſpecifica*. Sicut etiam res ſponte fermenteſcentes addito *fermento* tanto citius in illum actum deducuntur; ita aliis etiam exemplis conſonum eſt, quod vtique *peculiaria fermenta* partim *peculiares motus* in rebus fermentandis ſuſcitent, partim *peculiares impreſſio-* Ad difficultates expediendas fermenta ſpecifica ſupponuntur.

preſſiones in ipſas res ita fermentantes faciant, quæ etiam *ſpecificis odoribus* atque *ſaporibus* ſeſe exſerant. Vti v. gr. vel craſſioribus tantum exemplis notum eſt, non ſolum quod acor *acetoſus*, vel minima quantitate in vaſe aliquo reſiduus, vinum aut cereuiſiam tali vaſi infuſam præmature in conſimilem *aciditatem* abripiat: ſed etiam *fracedo* computreſcentis aceti in vaſe relicta bonum vinum *immediate* in ſimilem corruptelam coniiciat, priusquam per conſuetos *ſucceſſus* acescat ante, & diu poſt demum *putredinem* admittat.

Fermentum ventriculi nullibi conſpicitur.

§. XX. Sicut autem ita in hoc genere merito tolerari debet hæc illorum, quantumcunque etiam generalis, explicatio, dum ſpecialior re vera reddi non poteſt; ita corrumpunt tamen denuo negotium ſuum, dum nimis anxie determinare laborant fontem, & quaſi ſedem huius fermenti: Satis ſimpliciter quidem & bona fide agere ſuſcipiunt, dum κατὰ πόδας, quia fermentum hoc in *ventriculo* operationes ſuas edere debet, illud proinde non ſolum *fermentum ventriculi* vocant, ſed etiam ventriculum non magis vt *ſedem*, ſed etiam vt *fontem* eiusdem intuentur. Ita certe quaſi gratis in difficultates ſe ipſos coniiciunt: nam primo ſtatim loco eludit hanc aſſertionem, & fidem eius plane dubiam reddit, quod in totius ventriculi *conſtructione* nihil *peculiare* conſpiciatur, quod eiusmodi *ſpecialis* materiæ elaborationem, & ſiue *præparationem* ſiue ſolum *ſeparationem* ita ſpecialiſſimam veriſimilem reddere poſſet.

Hæc fermentalis aura e liene per vas breue ventriculo adſpirare dicitur.

§. XXI. Certe enim nihil niſi nouas difficultates infert alterum illud commentum, quaſi nempe *fermentalis* illa, vt loquuntur, *aura* e *liene* per *vas breue* ventriculo adſpiret. Hæret enim hic, quod aiunt, aqua *duplici* intuitu, imo *triplici*. I. Quod per *vas breue*, vtpote *venoſum*, nihil a liene ad ventriculum, ſed ab vtroque *retrorſum verſus hepar* progrediatur, quicquid tandem in hisce *venis* moueretur. II. Quod eadem difficultate laboret, & nullam vnam probabilitatem ſufficientem præ ſeſe ferat, quod in liene aliquid tale *fermentatiuum* ſiue *ſeparetur* ſiue *præparetur*. III. Quod nimium ſimplex ſit præiudicium, quo hanc lienis efficaciam, & rei effectæ indolem, probabilem reddere volunt, dum ad *ſaporem ſubauſterum*, imo vero potius *ſubacidum*, iuxta ipſorum mentem & aſſertionem, prouocant. Quo ipſo videlicet fatuam illam opinionem reſpicere volunt, quod fundamentum vniuerſæ fermentationis ſit *aciditas*, adeoque *fermentum* κατ' ἐξοχὴν debeat eſſe *acidum*. Non inepte certe hanc fictionem euertere aggreſſi ſunt *ferro*, tanquam *nodum Gordium*, Anatomici

mici curioſi: dum *canes*, animal cito & potenter concoquens, *exſtirpato toto liene*, nihilo ſegnius *concoquere* deprehenderunt.

§. XXII. Sicut autem ita tam a priori quam a poſteriori ventriculo tam locus *progignendi* talis fermenti, quam *aditus*, illud ita priuatim *ſuſcipiendi*, denegatur: ita ſuppetunt etiam alia adhuc non magis *argumenta*, quam re vera potius *documenta*, quod omnino huiusmodi ſpeciali atque domeſtico prouentu huius generis *fermenti ſtomachici* minime *opus* ſit. Conſentiunt enim etiam illi, qui hujusmodi *fermentum* (quod alii generalius vocant *menſtruum*) *ventriculi* fingunt, quod ipſa *ſaliua* ſit eiusmodi *fermentalis* atque *menſtrualis* liquor; & vtique propter hunc ipſum *finem* cibis ſub maſticatione admiſceatur, vt hoc munere in concoquendo fungatur. Iam cum nemini dubium ſit, quod *ſaliuæ* certe valde notabilis *quantitas* ordinarie cibis ſub maſticatione affundatur, & cum illis deglutiatur; nemini certe proinde facile diluceſcere poterit, quem in finem, aut certe qua *neceſſitate*, ventriculo ſeorſim aſſignari deberet *noua* quædam atque propria *ſcaturigo* talis fermenti, quale hac ratione in ipſa nempe *ſaliua* iam *affatim*, imo vero *abunde* cibis ſubminiſtratur, priusquam in ventriculum demittantur. Sine *noua* itaque peculiari & plane *ſpecifica* in ventriculo fermentali materia (æque atque ſine abſtracta quacunque *facultate concoctrice*, *archeo* ventriculi, & *gaſtricis* peculiaribus *tyrannis*) ſufficere vtique poteſt *ſaliua* pro fermentali eiusmodi energia: qua cibi aſſumti, ipſi etiam per ſe ad ſubeundam fermentationem procliues, in hunc actum deducantur.

Fermento ſpeciali ventriculi non opus eſt, quia ſaliua eiusmodi fermentalis liquor eſt.

§. XXIII. Iuuat etiam ſucceſſum huius ipſe *calor* in animalibus ſuper terram viuentibus. Quid, quod, vere æſtimando, vniuerſa concoctio minime *abſoluitur*, ſed tantum *inchoatur* in ventriculo: finem autem ſuum ipſo demum ſucceſſu per inteſtina ſuperiora aſſequitur, affuſo inprimis ibi demum *nouo ſtimulo*, eiusdem indolis *ſaliualis*, nempe SVCCO PANCREATICO, de quo ſupra iam dictum. Imo vero non hunc ſolum *ſuccum*, ſed ipſam etiam *bilem* ad denuo *incitandam*, adeoque tandem felicius abſoluendam fermentationem hanc concurrere vix dubitare licet. Vtique poſtquam *bilis* intemperantius effuſa, & cum rebus ad fortiorem fermentationem aptis concurrens, ſimplicem *acerrimam fermentationem* ita concitat; cuius effectus eſt *cauſticæ acrimoniæ aciditas*, vti *cholera morbus* teſtatur. Hoc vnum etiam adhuc ventriculo, ſupra *ſaliuam* cum aſſumtis deglutitam, adhuc tribuere licuerit, quod in ipſum etiam per ſubtiliſ-

Succeſſum fermentationis iuuat calor, ſuccus pancreaticus, & bilis.

ſimos communiter meatus vnum aut alterum aliquid *bilis* e folliculo in ipſum *immediate* transmittatur: interim neque hoc pro ventriculi *priuato*, ſed vtique etiam *aduentitio* velut adminiculo interpretari licet.

Præter ſuccum pancreaticum in inteſtino ileo ſaliualis, lympha e glandulis affunditur.

§. XXIV. Confirmat autem vlteriorem illam ſubtilius *reſolutoriam* energiam, quæ a *ſucco* illo ſaliuali *pancreatico*, cibis e ventriculo egreſſis *denuo* ſuperaddito, euenit, per viſibilem prorſus nimio maiorem, quam ſupra illa loca fuerat, ciborum hactenus pulteſcentium ſolum *attenuationem* penitus fluidam, & ad oculum valde *teneram*. Quid, quod adhuc in inteſtino *Ileo*, velut vltimo loco, aliquid huiusmodi *lymphalis fermentatiuo-ſaliualis* adhuc ſuppeditari, fidem faciunt plexus illi glanduloſi, qui in illo conſpiciuntur. *Effundere* enim has glandulas potius aliquid quam *imbibere* forſan, & aliorſum transmittere, præter texturam *conglomeratam* (cuiusmodi glandulis illa *ſecretio* ad proximam aliquam effuſionem familiaris eſt) etiam ipſe *ſitus* in parte inteſtini *externa*, nempe a *meſenterio* auerſa, conſpirat; ad quod tamen ſine dubio diſtribui deberent, ſi qui eſſent ductus ab his glandulis quidcunque tandem ad *auehendum* receptaturi.

Fermentatio hæc non eſt ſimplex ſed ſpecifica.

§. XXV. Monuimus autem iam ſupra etiam, vbi de *ſaliua* diximus, quod hæc ipſa fermentatio non ſit ſimplex & abſoluta quædam incitatio illius fermentatiuæ commotionis, quæ ſimplici *mixtioni* rerum aſſumtarum directe quadrare poſſit; ſed potius omnino *ſpecifica*, & plane peculiarem nouam impreſſionem, id eſt, exquiſite ſpecialiſſimam, imo *ſpecificam* mixtionem introducens. Circa quam „quidem rem, quid de energia *animarum* ſentiamus (cum hæc *ſpe-* „*cificarum mixtionum* immenſo numero, & perpetuis ſucceſſibus, per „indeſinentem continuationem *productionis*, *corruptionis*, & nume- „roſæ *reſtitutionis*, per *noua indiuidua*, actiuitas, non niſi in *ſpecie-* „*bus animatis*, & *eſſentiali* quidem *neceſſitate*, fiat atque vigeat,) alio loco prolixius aperio, cum a *medica* intentione directa nimium longe diſtet.

Diſſenſio, vtrum chylus vnice per vaſa lactea, an per meſaraicas propagines ad hepar feratur.

§. XXVI. Quando ita reſoluti ſunt cibi, vt tenerrima illorum ſubſtantia ſub conſiſtentia *lactea* a craſſioribus partibus commode *ſecedere* poſſit; dum ita per longitudinem inteſtinorum tenuium ſenſim deſcendunt, dilabitur illa tenera pars per ſubtiles meatus tunicæ intimæ inteſtinorum in vaſa. In *qualia* proprie, orta eſt a quadraginta propemodum annis ingens diſſenſio; dum alii per abſolute *pro-*

pria,

pria, dicta propterea *lactea*, hoc VNICE fieri volebant; alii, vt *Bilſius*, hoc penitus negantes antiquæ ſententiæ inhærebant, quod hic chylus ſimpliciter ad *hepar* per meſaraicas VENAE PORTAE propagines feratur; alii *vtrumque* fieri poſſe & ſolere iudicant; quibus ipſe etiam accedo, ita tamen, vt veriſimile ducam maximam partem per *lactea* progredi.

§. XXVII. Quamuis enim minime foueam illorum opinionem, qui vaſa *lactea a lymphaticis* penitus *diuerſa* faciunt, cum omnino ſint *eadem*, id eſt, *primario* ſuo *perpetuo vſu lympham* vtique vehant; ſecundario vero ſolum, & proinde *temporario*, *chylum* etiam recipiant: ita confirmo tamen opinionem meam partim a priori, partim a poſteriori. *A priori*, quod, cum chylus vtique magis immediate in *lympham* mutari debeat, probabilius ſit, quod organis *lymphæ* ſeparandæ, & probabiliter quadantenus *præparandæ*, primum & plurimum appellere debeat. *A poſteriori*, quod vtique, quamdiu cibi reſoluti in his inteſtinis verſantur, vaſa hæc admodum euidenter chylo turgeant. Et licet *alias* ſimpliciter *lympham*, imo tunc etiam vna cum hoc chylo illam eandem vehant: tamen illa vaſa *lymphatica*, quæ ab *hepate* lympham eodem conuehunt, quo hæc *meſeraica*, illo *eodem tempore nullum prorſus indicium vllius miſcelæ chyloſæ* exhibeant. Quod tamen vix ita abſolute deficere poſſet, ſi tam copioſa vaſa, vt ſunt ſanguifera meſaraica, *chylum vna cum ſanguine ad hepar* conueherent: e quo illa lymphatica vti *lympham* ſuam, ita etiam *congenerem* lymphæ *chylum* probabiliter receptare deberent, & ab hepate ad meſenterium vehere, quemadmodum meſaraica. Vtrumque fieri probatur.

§. XXVIII. Interim nullam hic adeo ingentem *neceſſitatem* quarumlibet harum rerum agnoſcimus, ne dum vrgemus; dum vtique hic ipſe etiam chylus, qui per *meſaraica* lymphatico-lactea ſuſcipitur, poſt breue tempus & interuallum, vtique *ſanguini* per *ductum thoracicum* non ſolum infunditur, ſed etiam in ipſo ſanguine, non ita diu poſt paſtum largiorem emiſſo, pariter conſpicitur: & quidem in ſanguine *venoſo*; cum tamen, ſi hæ res ita exquiſitiſſime procedere deberent, potius vndique ſolum cum *arterioſo* ſanguine, & ex hoc iterum cum *lympha* communicari deberet. Interim dum ita exempla talia confirmant, quod chylus etiam *multo poſt* cum ſanguine concurrat; tanto minus difficultatis fuerit ad conſentiendum, quod etiam *mox in primo ſui tranſitu* ex inteſtinis, cum ſanguine commiſceatur, & ad reliquam maſſam feratur. Chylus cum ſanguine miſcetur.

§. XXIX.

Chylus in lympham diſſolutus eſt materia nutritionis.

§. XXIX. Quomodo chylus in lympham extenuandus ſeu diſſoluendus ſit, vt ſub illo demum ſtatu vera *proxima materia nutritionis* exſiſtat, ſuperius diximus. Nempe quod *tranſitus ad aliam compoſitionem* ſiue *poſitum particularum* non poſſit fieri, niſi *priſtinus poſitus atque nexus prius reſolutus* ſit. Cum itaque in chylo ſit ſpecialis talis compoſitio ſeu poſitus particularum; imo inſuper immixtio etiam talium materiarum, quæ in nouam, animalem, plane non recipi poſſint: rationi hinc manifeſtum eſſe, quod mixtioni chyli *præcedere* debeat *diſſolutio*; vt ita omnes particulæ, quas continet, in libertatem exſolutæ aptæ fiant, aliæ quidem vt *excernantur*, aliæ vero vt ad peculiares vſus *diſtribuantur*, & vbi ſingulis vſus eſt, libere atque promte applicari poſſint. Sicut autem ſub ſtatu *compoſitionis* atque mutui nexus ſpiſſam conſiſtentiam formant; ita ſub illo ſtatu *diſſolutionis* contra longe tenuiorem temperiem exhibent, *diaphanam*, licet de reliquo adhuc ſpiſſiuſculam, *gelatinoſam*.

Temporis conſideratio, quam diu cibi retineantur in ventriculo.

§. XXX. Euolutum eſt tanquam e glomere filum tractationis noſtræ, *phyſice* magis & *hiſtorice* ſimpliciter, quam vel *medice*, vel vere & noſtro ſenſu phyſiologice, quæ nempe *concurſum actiuum* magis directum *naturæ agentis* notet: vnde in viam reuertimur. Admixtionem *ſaliuæ* ad cibos, eiusque vſus & effectus vidimus: neceſſaria vero etiam *temporis proportio* ad hæc negotia, eiusque determinata circumſcriptio per *motus* nondum ſatis monſtrata eſt. *Retineri* debere in ventriculo cibos, donec ſufficienter fermentando *reſoluti* ſint, ſanæ rationi conſentaneum eſt. Quale autem ſeu *quantum* ſit illud *tempus*, *a quo definiatur*, & *actiue* terminetur, conſideratione dignum eſt. Eſt hoc tempus, in ſtatu vere ſecundum naturam, exquiſite *proportionatum* aſſumtorum proportioni ad digeſtionem primam *reſolutoriam*; adeo, vt quæ cito reſoluuntur, regulariter etiam cito e ventriculo emittantur, quæ vero tarde, tam diu etiam in illo retineantur.

Proportionatum illud eſt proportioni aſſumtorum

Hæc res non innititur ſoli conſiſtentiæ aſſumtorum, quia ſæpe molliora diutius detinentur, quam duriora.

§. XXXI. Neque vero hæc res ſoli forte conſiſtentiæ talium aſſumtorum innititur, vt fortaſſe *duriora* non prius e ventriculo exirent, quam qualicunque *fluxilitati* propinquiora ita ad *mobilitatem* idonea facta ſint. Quaſi nempe ventriculus, *contractione* ſui ſimpliciter ſenſim ſenſimque facta, quod primo molleſcit, primo expellat, quod tarde, vltimo. Sed contingit nimium quam frequenter, vt omnino *molles* imo plane *fluidæ* materiæ per aliquot horas in ventriculo detineantur, neque niſi facta notabili ſui *fermentatione* demum ex ipſo emittantur.

tantur. Quid enim familiarius eſt, quam vt duabus, tribus horis poſt cœnam, in qua forte largior *potus* aſſumtus ſit, poſtquam in lectum compoſitum eſt corpus, ſub huius qualicunque motitatione vera aperta *fluctuatio* in ventriculo percipiatur, imo ab aliis etiam audiri poſſit. Ita etiam licet de reliquo ſatis *molliculi* cibi, *olera* varia, ſubinde diu omnino in ventriculo hærent, neque niſi poſt *quinque*, *ſex* horas penitus ex illo ſecedunt: quod ſatis monſtrant aſcendentes adhuc, & eius cibi nidorem ſeruantes *ructus*. Quid, quod familiaribus exemplis obtingat, vt a *citri corticibus*, pro condimento mollium etiam, *vitulinarum*, aut *gallinacearum* iuniorum carnium adhibitis, per plures horas poſt, adhuc *ructus* erumpant, huius odoris atque ſaporis compotes.

Id monſtrant ructus aſcendentes.

§. XXXII. Neque vero hoc ſolum, ſed teſtatum facit quotidiana experientia, quod cum aliquali *nauſea* aſſumta, vel etiam *immoderate*, ſimul & ſemel, ſine ſufficiente *ſaliuæ* admixtione ingurgitata, ſæpe numero etiam poſt vnum *diem*, imo aliquando etiam poſt *plures*, iterum, ſimpliciter nihil mutata, vomitu reiiciantur. Sicut ex aduerſo illud etiam numeroſis exemplis familiariter notum eſt, quod ſæpe paruo tempore poſt aſſumtos cibos, 2. 3. horis poſt paſtum, conatus inſignes vomendi, cum copioſo etiam muco procedente eueniant, & tamen nihil quidquam de aſſumtis cibis vna prodeat.

Cum nauſea aſſumta aut immoderate ingeſta ſæpe poſt aliquot dies euomuntur.

§. XXXIII. Nempe manifeſto exemplo, quod *peculiari contractione* ventriculi includi in ipſo poſſint contenta talia, dum interim *partiali* alterius ſui partis *torſione* e proximo loco aliquid, etiam cum impetu, eliditur. Ita nempe minime, iuxta vulgarem traditionem, ita ſimpliciter *materiali ſtimulatione* in ventriculum agunt aſſumta, vt illum ita ad contractionem impellant. Nec etiam ſponte ſucceſſiue contractus ventriculus ſaltem id, quantum forte fluiditati propius eſt, ita ſimpliciter premendo expellit: ſed omnino tam diu contractio eius differtur, donec materiæ ad expreſſionem non ſola fluxilitate, ſed vera *fermentatiua reſolutione* ad decentem vſum diſtributionis ſufficienter præparatæ exſiſtant.

Peculiaris contractio ventriculi ad hanc detentionem requiritur, minime autem materialis ſtimulatio aſſumtorum.

§. XXXIV. Confirmat hanc rem etiam illud notiſſimum, quod, licet molles ſubſtantiæ, cæterum vtique reſolutioni digeſtoriæ aptæ, mediocriter autem ſolum huic refragantes, diutius in ventriculo retineantur, donec vtique debitam ſuam concoctionem impetrauerint; aliæ *duriores*, & ad huiusmodi reſolutionem prorſus ineptæ, e contra mature admodum & promiſcue cum reliquis remollitis partibus expellantur: quod de *nucleis ceraſorum*, *prunorum* notiſſimum eſt; vt prius

Hoc confirmant exempla.

de variis *oleribus*, *halecibus*, *carne ſuilla*, fumo inprimis condita, in minus adſuetis &c. Confirmant hoc tanto magis etiam exempla minime adeo rara, quibus a nuda *imaginatione purgantis* aſſumti, imo aliquando etiam ſolum alteri exhibiti, repentinæ iteratæ contractiones inteſtinorum, non aliter quam ab actu aſſumto cathartico ſecutæ fuerunt.

Poſt contractionem ventriculi ſucceſſiue etiam inteſtina contrahuntur.

§. XXXV. Sicut autem hæc non niſi *tempeſtiua* demum atque recte *matura contractio* ventriculi ita ſecundum veram *proportionem*, non tam *materiarum* ſimpliciter, quam quatenus ad *vſus* ſuos ſpecialisſimos demum recte præparatæ ſunt, adminiſtratur, & legitime in effectum deducitur; ita peragitur etiam vlterior huius generis *ſucceſſiua contractio inteſtinorum*, non niſi ſimili decente *proportione*, ſicuti nempe ſucceſſiuæ *diſtributioni* materiæ alimentaris quadrare poteſt.

Organica diſpoſitio inteſtinorum ſuum quoque confert.

§. XXXVI. Non equidem negandum eſt, quod *organica* quoque diſpoſitio hic ſimul in conſiderationem venire poſſit; dum nempe tam in *homine*, quam plerisque aliis animalibus, inteſtina, inprimis *tenuia*, non ſolum ingentem *longitudinem* obtinuerunt: ſed etiam inſuper per numeroſiſſimos *anfractus*, & *ſerpentinum* quaſi tractum, ſimplici progreſſui nude deſuper compreſſorio, hoc ipſo veluti contranituntur. Vt nempe hoc ipſo intuitu, veluti circa ſingulos anfractus, motus velut immediate accedere, adeoque progreſſum rei mouendæ proſequi debeat.

Animalia breui ductu inteſtinorum inſtructa ſufficienter tamen nutriuntur.

§. XXXVII. Quantumlibet autem hoc omnino vere ſeſe ita habeat, tamen inſuper conſiderandum eſt, quod etiam animalia dentur, quæ *breui* inteſtinorum *menſura* inſtructa, propterea tamen nihilo minus commode aut ſufficienter *nutriantur*; id quod v. gr. in *lupo* cum primis conſpicuum eſt, quamuis etiam ipſi *canes* aliquatenus hanc conformationem obtineant. Illa ſola differentia ſubeſſe videtur, quod animalia, quæ *breuiorem* inteſtinorum ductum poſſident, veluti citius in maſſam humorum tranſmiſſo vniuerſo alimento, etiam citius iterum eſuriant.

Potiſſima cauſſa nouæ famis & voracitatis in animalibus.

§. XXXVIII. Quamuis rem e fundamento recte æſtimando, non tam *exinanitio* inteſtinorum, quam vniuerſa citatior *abſumtio* nutrimenti, imo *conſumtio* ipſius ſanguinis, in talibus animalium ſpeciebus potiſſima cauſſa ſit nouæ famis. Vnde etiam talia *voracia* animalia, ſibi ſimpliciter relicta, non *pingueſcunt*, ſed perpetuo valde moderati ſunt habitus, quantumlibet ad ſatietatem vorent: *luporum* exemplo. Imo non hoc ſolum, ſed etiam cito admodum, ſi ſufficiens ad ipſorum

vora-

voracitatem nutrimentum deficiat, vere atque poſitiue *extenuentur*, atque macilenta fiant.

§. XXXIX. Cæterum illud, quod totam hanc de *longitudine* atque *breuitate* inteſtinorum veluti *mechanicam* rationem abſolute reſtringit, & energiam ſimpliciter *organicam* (ſeu potius *organizantem*) declarat, eſt illud, quod in animalibus, etiam eximia *longitudine* inteſtinorum inſtructis, nihilo ſecius progreſſus per illa, etiam quantumlibet *pauco tempore*, fieri poſſit: imo non ſolum *fieri*, ſed etiam *adſuefieri*. Vnde nihil familiarius, quam *homines* inuenire, quam maxime optime ſibi conſtantes & rectiſſime ſanos, qui etiam per breuem repetitionem ſucceſſum materiæ cibariæ per tractum inteſtinorum ita in certum ordinem atque temporis ſucceſſum redegerint, vt alii quidem velut exquiſite *ſtatis*, alii *arbitrariis temporibus* depoſitionem alui habeant: imo hi poſteriores illam re vera ita penitus tanquam *in poteſtate* habeant, vt non ſolum muſſitantem ad plures *horas*, imo vel ad *dies*, *retinere* poſſint; ſed etiam ex aduerſo arbitrario tempore illam iterum *expedire*. In qua quidem re etiam ſatis familiaria ſunt exempla eorum, qui arbitrario tali conatu continuato ad exactam *liquiditatem* vsque nondum *maturas* reiectioni, neque adeo ſimpliciter *fæculentas* ciborum portiones arbitrario hoc deiectionis regimine expellere poſſunt.

Mechanicam inteſtinorum rationem reſtringit energia organica.

Depoſitio alui ſtatis & arbitrariis temporibus.

§. XL. E quibus vniuerſis circumſtantiis ſatis elucet, quod vtique *motus ventriculi & inteſtinorum* materiæ mouendæ conditionibus ita prorſus accommodatus ſit, vt non tam a corporali quacunque *ſtimulatione*, quam *maturitatis* debitæ ad vlteriores vſus *æſtimatione* pendeat eius *ſuſcipiendi initium*; imo etiam *ſucceſſus* eiusdem *proportionatum* moderamen, ne quid iuſto *velocius* fiat, atque adeo debitæ etiam ſeceſſiones placide fiant, nec inde impediantur. Sub hoc enim progreſſu per inteſtinorum longitudinem ſecedunt partes ad alendum propius diſpoſitæ, quæ vulgo CHYLI nomine veniunt; de quarum etiam *diſtributione* iam ſupra dictum eſt. Vltima vero *diſtributio* cum ſanguine *arterioſo* fit; cui per *ductum thoracicum* cum ipſa *lympha* remixtus *chylus*, & in *pulmonibus* cum ipſo tenuiſſime ſubagitatus, ſicut hic ad omnes corporis partes, quacunque meatus patent proportionati, diſtribuitur; ita hæc ſubſtantia cum *lympha* ſubacta, imo tandem in *lympham* penitus *reſoluta* & extenuata, a *ſanguiferis* meatibus, etiam in quoslibet adhuc penitiores diuertit, adeoque omnibus vndique corporis particulis, qua pori patent, allabitur.

Itaque tempus retentionis ciborum pendet ab æſtimatione debitæ maturitatis.

Chylus

Eius vltima diſtributio.

Vltimus nutritionis actus eſt appoſitio ſeu aſſimilatio.

§. XLI. Supereſt hinc *vltimus* actus, omnino vero & vſu ſuo ſupremus, & proinde vere exquiſita conſideratione digniſſimus. APPOSITIONEM vocant veteres æque atque recentiores; *aſſimilationem* loquuntur inſuper veteres: quam nec recentiores negant, niſi quod fere vulgo non facile de hac re prolixi ſint. Nimirum vt omni modo reſpectibus debitis hic ſatisfiat, conſideranda vtique venit (1) *materia cuilibet parti*, quæ inde augeſcere debet, *proportionata*; dum v. gr. ad *oſſis* conſtitutionem vtique plus particularum *ſicceſcentium*, quam *tendinem*, *membranam* aut *carneas* fibras pertinet. (2) Omnino autem requiritur etiam *iuſti numeri* appoſitio; vt illa perpetua *proportio*, tum *vniuerſalis* totius corporis per omnes ſui partes, tum ita *ſingularum* ad *omnes atque ſingulas* reliquas fiat, ſicuti omnino fit. (3) Pari neceſſitate nititur etiam *ſingularum*, per minimas particulas talis conſtructio, vt inde externa *conformatio*, externi inquam *ambitus configuratio*, reſultet. Ad quem reſpectum etiam peculiariter mutua *proportio dextri & ſiniſtri* referenda venit.

Ad primum momentum explicandum allegatur appetitus naturalis, vel conuenientia figuræ.

§. XLII. Quod primum attinet, illi qui hic *materialibus* corporeis conceptibus inhærent, nihil habent, quod allegent, quam antiquiores quidem *appetitum naturalem*, & quod *ſimile ſimili gaudeat*. Poſteriores autem *neceſſitatem materiæ*, *conuenientiam* eiusdem *figuræ*, qua ita vnum alteri *quadret*, & conſequenter etiam *ſimile ſimili* promtius per hanc *conuenientiam figuræ* arctius apponatur, & ita firmius appoſitum adhæreat. In aprico vero eſt, quod præter illam de *conuenientia figuræ* rationem, nihil vsquam certe aliud quidquam conceptui reali offert, præter intempeſtiuas tales aſſignationes internæ cuiusdam γνώσεος, qua ſingulæ particulæ ſingulas ſimiles *eligere*, *appetere*, in illarum conſortium *tendere*, imo illo *lætari*, finguntur.

Recentiores per vocabulum Niſus id explicare volunt.

§. XLIII. Quamuis autem recentiores hæc, vt ita *verbotenus* ſonant, omnino derideant atque auerſari videri velint; tamen ſolo *vocabulo* mutato omnia reliqua eadem dicere certum eſt, NISVS illius aſſignatione, quem mutuos concurſus æque atque proprios motus omnium huius vniuerſi corpuſculorum inſtituere atque regere ſupponunt. At vero quam incondita ſit quæcunque horum generum ſpeculatio, ſatis diluceſcit e iuſta conſideratione harum rerum debiti (1) numeri, (2) *ordinis* atque *ſucceſſus* fiendi ſpecialis. Non enim vtique ſermo hic eſt, de ſimplici, promto *concurſu* quorumcunque corpuſculorum, ſed de ſumme *proportionato* tam ratione *quantitatis* ſeu *menſuræ*, quam *ſitus* ſeu vniuerſæ *figuræ* poſitu atque coordinatione: & tali quidem, qui non

ſim-

ſimpliciter ipſorum horum corpuſculorum cuicunque tandem *propor-tioni* indifferenter reſpondeat aut quadret, ſed qui ſpecialiſſime *huius ſpeciei organis debeatur.*

§. XLIV. Vbi certe tandem ridicula euadit ſuppoſitionis huius ſumma, quæ nempe in illud exit, quod hæ particulæ etiam *ſcire* deberent, *appetere*, *niti*, proprie iuxta talem modum atque *modulum*, imo iuxta illum *ſcopum* & *intentionem*, vt ſpecifice *tale* aggregatum tandem efforment, quale non ſolum iſti *ſpeciei*, ſed omnino illi *regioni* corporis, illi *membro*, illi *portioni* cuique vnius eiusdemque fruſtuli, exquiſite conueniat. Verbi gratia: cum nonſolum omnium animalium vera *oſſa* vna eademque *materia terrea*, *denſa* conſtare probabiliſſimum ſit, ſed tanto magis certiſſimum, & omni dubitatione vacuum, quod *eiusdem corporis* omnia *oſſa* vtique eadem materia conſtent, imo vero eiusdem vnius cuiusque *oſſiculi* vna eademque ſit per totum eius ambitum *materia*: quis ſibi perſuaderi patiatur, quod huiusmodi *materiæ* minimæ *particulæ* aliæ appetant illum *ſitum*, qui *caput* oſſiculi formant, aliæ illum, qui *fiſtulæ* partem ampliorem, aliæ *arctiorem*, aliæ qualitercunque *intortum* &c. Ridicula ſuppoſitio, quod particulæ deberent ſcire, appetere, niti.

§. XLV. Enim vero cuilibet facile dilucescit, quod illa *coordinatio* ſumme exactæ proportionis, quæ a tenerrimis *initiis* vsque ad vltimam cuiuslibet animalis corporis *magnitudinem* ita exquiſitiſſime ſeruatur, ſit actus vere ſinceriſſime ELECTIVVS, qui a punctis ad puncta ita *ordinandus*, vt per quamlibet *ætatem*, adeoque ſub qualibet *magnitudine*, tam *figuram* ſuam magis *propriam*, quam *proportionem ſociam* ſemper aſſequatur atque ſeruet. Actus hic conſtructionis vere electiuus eſt.

§. XLVI. Sane vero, ſi vsquam tempus eſt de *mechanicis* rebus *mechanicos* conceptus formandi, eſt in hac re, in negotio inquam *conſtructionis* corporis. Abſint vtique hinc conceptus illi *peripatetici* de nuda *forma*, quæ extrinſecus corpora velut *inuadens figuras* illas, quas nanciscuntur, ipſis ita imprimat, vti *modiolus*, quo globuli e luto efformantur. Abſit etiam illa *Ariſtotelis* fabula, qua rationem redditurus, cur *arteriarum* tunicæ longe *ſpiſſiores* ſint quam *venarum*, cauſſam coniicit in *calorem* ſauguinis arterioſi, cuius vi exterius ſuperficiei arteriarum plus materiæ glutinoſæ *inſpiſſando* atque *ſicceſcendo* accreſcat &c. Hic certe mechanici non vero alii conceptus formandi ſunt.

§. XLVII. Imo abſint ipſorum etiam recentiorum nimis crudi illi *mechanici* conceptus, de mutuo *collapſu*, & poſthac firma *complicatione* corpusculorum eiusdem figuræ, & cohæſione *compreſſoria* nuda, Crudi vero mechanici conceptus ſunt vitandi.

nuda, qualis duobus *marmoribus* politis accidat, &c. Abſint hinc omnes actiuæ *neceſſitates* a priori *materiæ*, & omnes *niſus* æque atque *appetitus* naturales. Imo vero abſit omnis conceptus, quod hæ exquiſitiſſimæ materiarum per minima in maiores, imo magnas *ordinatiſſimas* ſtrues, coagmentationes fiant aliter, quam ab alio, materiis vtique externo, Agente, quod illas iuxta ſuas *intentiones ordinet*, *diſponat*, *coaptet*, *coagmentet*, *ſtruat*.

Diſtinguendum inter organicum & inorganicum.

§. XLVIII. Abſint vero ab vniuerſis hiſce rebus imperiti quicunque ſpeculatores, qui non valeant diſtinguere, quid *organicum* dicendum ſit, quid *inorganicum*. Hic enim proprie imo vero abſolute locum habet illa diſtinctio, quid directe per *organa* corporea perpetretur, quid vero contra *directe & ſimpliciter actione ipſa* afficiatur: adeoque vti priores illæ *organicæ*, ita hæ tales abſolute *inorganicæ* ſint & appellari debeant. Huiusmodi certe *inorganicæ* actiones, *motus* inquam *ſimplices*, *immediati* ſitus illius ſpecialiſſimi poſthac permanentis autores, abſoluunt negotium & *appoſitionis* & *aſſimilationis*. *Admouent*, inquam, materias omnino *conuenientes*, & quidem per *ſingula* minima corpuſcula; & *coniungunt*, ſeu ſtricta ſignificatione vocis, *componunt* inter ſe mutuo *numerum* determinatum; & admouent vltimo *ſingula* inter ſe inuicem, talia minima, in *ſitum* maxime determinatum.

Nutritio abſoluitur motu ſimplici & directo, ſed tamen ordinato.

§. XLIX. Quo intuitu itaque non poteſt non dilucescere, quod NVTRITIO *formaliter* fere abſoluatur *motu* ſimplici atque *directo*; ſed eodem exquiſitiſſime *ordinato*, vt & *numerus* certus, & *ſitus* ſpecialiſſimus per quaslibet etiam totius corporis *minutias* obtineatur. Sicut enim nec vlla quidem quaſi *linea* ſolum phyſica in corpore temere efformata eſſe credi poteſt; dum omnia *meatibus*, *interſtitiis*, *poris*, & ad vſus ſuos peculiariter idoneis *conformationibus*, a minimis ad maxima, plena ſunt, imo in hisce rebus proprie conſiſtunt; ita certe nemini conſiderato in mentem veniet, quod hæ tales a minimo ad maxima diſpoſitiones, & exquiſitiſſimæ diſtributiones, ab illis perditis *lapſibus materiæ* temere vagantis, arceſſi mereantur; quin potius *ordinatisſimos* motus, & horum *ſucceſſus*, ad talem *deſtinatum* finem obtinendum quadrantes, ſecundum omnem ſanam rationem exigant.

Fictio inertiſſima quod ſingula corporis in primo indiuiduo præ-

§. L. Quid vero dicemus de illa profecto penitus inertiſſima fictione, quod corpora in vniuerſum omnia atque ſingula, non ſolum *humana & brutina* ſed etiam *vegetabilia*, omnia inquam *indiuidua*, quæcunque *naſcuntur*, aut (niſi plura, quam naſcuntur, demeterentur,

tur, antequam ſemen ſuum ferant) naſci *poſſent*, *in primo indiuiduo præſto fuerint*, & in quolibet altero indiuiduo *adhuc* præſto ſint. Corpora dico; illa ipſa corpora, quæ poſthac in illas moles ſuccreſcunt, ab *aſcaride* ad *cetum* vsque &c. Piget certe talium deliramentorum vel mentionem prolixam facere, æque atque eiusdem furfuris, quæ talia „*indiuidualia* quarumlibet ſpecierum *corpora*, *corpora* inquam, tota „ſua *ſtructura* iam abſoluta, minutiſſima tantum, ſupra omnem ſenſua-„lem conceptum, a prima *creatione* efformata, vniuerſum mundum, „aërem, aquas &c. incredibili numeroſitate explere fabulatur: e quibus „paſſim aliqua in actum expanſionis atque ſuffarctus deducta, in illas „moles tandem augeantur &c.

ſto fuerint, & in quolibet altero adhuc præſto ſint.

Alia, quod corpora in prima creatione omnia iam abſoluta fuerint.

§. LI. Nempe quod veriore appellatione ad *mentis vitia* referendum erat, hodie *ſapientia*, & *ſumma* quidem, habendum eſt, ſi ſtabiliri debeat, quod vtique eodem fundamento & non alio nititur, quod CORPORA ANIMALIA NON AB AGENTE ALIQVO, iuſta PROPORTIONE ad ſuos FINES, ad ACTIONES inquam HVIVS AGENTIS SPECIFICAS, conſtruantur, inſtruantur, & actuentur, ſed per ſe ipſa exſiſtant, ſubſiſtant, imo agant. Et ſimul familiariſſima illa, & vere propemodum quotidiana, *ſumma efficacia* nudorum *animi pathematum*, nudarum inquam *intentionum* tam ad *deformandum* corpus, quam *mutantos* varios *eius motus*, imo prorſus *inſolitos*, ſed tamen *deſtinatos*, inducendos; partim in nudas ſtupidas *admirationes* & abſolutas ab omni conceptu alienationes, aut imperitiſſimas tam *a facto* quam vlla *connexione ratiocinationis* abhorrentes *explicationes*, imo verius *ineptias* verti neceſſario debent, ſi *hypotheſis* illa de *corporis per ſe*, *& non abſolute propter aliud*, *exſiſtentia* rata haberi debeat.

Alia, quod corpora animalia non ab agente aliquo conſtruantur, ſed per ſe exſiſtant.

§. LII. Mihi VERITATEM *ſecundum ſanam rationem* ſequi profeſſo facile eſt ratione comprehendere, & ratiocinio defendere, quod hic *vltimus* atque *formalis actus nutritionis*, vulgo *aſſimilatio* dictus, ſit vere *inorganicus*, id eſt, fiat *nullo intermedio inſtrumento*, quomodocunque nominando, ſed IMMEDIATE *motu ſpecialiſſimo*, dico *connumeratione*, *coordinatione*, *compoſitione*. Vt nempe *asſimilatio nutritoria* nihil aliud ſit, niſi corpuſculorum, cuiuslibet partis conſiſtentiæ conuenientium, e lymphæ liquamine a reliquis diuerſæ indolis *ſemotio*, (dum illa locum, vbi appoſitio fieri debet, præterlabitur) particu-

Aſſimilatio nutritoria quid ſit.

ticularum harum ad loca, in quæ imponi ibique in poſterum immanere debent, *admotio*, ſeu per motum *immisſio*, atque ita *collocatio*: ſed hoc ipſum abſolute, *numero* ſimpliciter conueniente; non quantum materiæ *occurrit*, ſed quantum eius *de die in diem*, imo *de anno in annum*, per totos *ætatum circuitus*, in *proportione* perpetua apponi *congruit*.

Cur ſtrictiore habitu corporis præditi nunquam pingueſcant.

§. LIII. Quandoquidem quilibet vtique facile conſenſerit, quod per vnum annum plus materiæ alimentaris ad ſingula puncta totius latifundii corporis innumeris vicibus *allabatur*, quam ipſo actu *aſſumatur* ad apponendum. Vnde non magis notiſſima, quam omnino veriſſima illa vulgi loquendi formula, de ſubiectis *ſtrictiore* habitu corporis præditis, *gracilibus* inquam: quod, *quantumcunque etiam edaces ſic ſatis ſæpe obſeruentur, nunquam tamen pingueſcant*: cum ex aduerſo *ſpongioſiores*, etiam ſub mediocri ciborum quantitate, nihilo ſecius etiam abunde pingueſcant.

Pinguedo.

§. LIV. Dico de *pinguedine*, cum illa etiam me ipſo largiente non niſi *abundans*, & in præſens tempus vere *ſupperuacua* ſit nutritiæ materiæ *aſſeruatio*; & quidem *directe* & ſimplicius magis *ſanguinis* ſolius, quam *aliarum* corporis partium, futuro *nutrimento* dicata. Interim dum ipſa etiam, vt ſupra quoque monitum eſt, per plane peculiares tanquam de puncto ad punctum *poſitiones* peculiari prorſus *ordine* ponitur atque *texitur*, adeoque per verum etiam *formalem actum nutritionis*, quamlibet ad *aſſeruationem* ſolum, ita *ordinate* prorſus diſponitur: recte certe *exempli* loco a nobis optimo iure alligatur. Tanto magis autem illud vtique huc ſtrictiſſime pertinet, quod etiam in iisdem, in quibus ita *pinguedo* (tanquam verum *abundans* & ſuperfluum *alimentum*) largiter prouenit atque ſeponitur, tamen propterea in toto reliquo corpore, ne quidem *particulæ* vnius, nedum partis, minime omnium vero totius corporis per omnes ſui partes, tanto *velocior*, *vberior* & reliquam conſuetam proportionem *excedens nutritio & auctio* inde fiat. Quod tamen ex illis hypotheſibus de *ſimplici neceſſitate materiæ*, & *allapſu* eius ſimplici neceſſario ſequeretur.

Structura corporis breui tempore inſigniter augetur

§. LV. Quibus rebus accedit notiſſima illa pariter energia, *ſtructuram* corporis etiam *breuiore tempore inſigniter augendi*, in *pueris*, inprimis autem *adoleſcentibus*, poſt aliquam diuturnam actionis hu-

ius

ius *incrtiam* atque pigritiam. Quando videlicet pueri a manifeſtis *morbis*, vel a minus luculentis *malis diſpoſitionibus*, *pallidi*, *languidi*, *inquieti*, *faſtidioſi*, & ſub his rebus *extenuati*, & in omnes dimenſiones *aridiores* apparuerunt: poſtea vel morbo aliquo, *febrili* inprimis, totam œconomiam exagitante, perfuncti; vel *animi* peculiarem inſignem *alacritatem* nacti, etiam intra paucos ſubinde *menſes* tantum *incrementi* aſſequantur, vt non ſolum *proportionis* iuxta prægreſſum tempus defectum ita velociſſime *reſarciant*, ſed etiam communiter vniuerſam tali ætatis menſuræ familiarem quantitatem tranſcendant. post morbos graues ſuperatos.

§. LVI. Poteſt obiter addi, quod hæc nutritionis circumſtantia minime *promiſcue* in corpora, *corpora* inquam, omnis generis cadat, ſed abſolute veluti in *animos*: *animi* inquam *indolem meticuloſam*, *penſitabundam*, *mœroribus*, *deſideriis* deditam. Vt vel hinc etiam circumſpectæ conſiderationi diluceſcat, quod potius ſimpliciter *alacritatis*, *actiuitatis*, verbo, *intentionis* AD AGENDVM efficacia hinc diluceſcat, quam vlla *materiæ* directa energia. Hæc circumſtantia nutritionis non promiſcue in corpora ſed in animos cadit.

§. LVII. Neque vero etiam præterire placet, quamuis prolixitate in hac materia nusquam amplius opus eſſe videatur, phænomenon illud omnibus familiariter notum, de *diuerſa menſura variorum indiuiduorum*; dum alia *proceritate* atque diffuſa corporis mole robuſta, alia *breuis* ſtaturæ & *gracilis* habitus. Interim vt vtrique *ſani* de reliquo & plane *vegeti* ſunt, ita hi graciles admodum familiariter *quantitate edendi* minime cedunt etiam robuſtioribus. Adeoque ex hypotheſi illa familiari deberent vtique etiam a plane paris *materiæ* conſtitutione parem effectum aſſequi; cuius non ſolum in genere nihil, ſed in ſpecie potius ipſum contrarium fit, vt nimirum in teneriore etiam illa ſtructura vndique omnes partes a minimis ad maximas perpetuam ſuam exquiſitiſſimam *proportionem* conſtantiſſime habeant atque ſeruent. Graciles quantitate edendi non cedunt robuſtioribus, tamen non pingueſcunt.

§. LVIII. Placet autem vltimo loco adhuc mentionem facere alterius talis figmenti, quod pariter ab iſtis nimium *materialibus conceptibus* originem ſuam ſumſit, nempe quaſi *ſingularum corporis partium* non magis ſpecialiſſima *textura*, etiam *ſpecialiſſima materia* eſſet, a reliquis vniuerſis diuerſa. A quo nempe commento pendent imaginationes illæ, quod certæ tales *partes* etiam in nutrimentum adhibitæ, *ſimplicibus* partibus in corpore *nutriendis* aptiores eſſent, quam aliæ diuerſæ. Niſi quidem altioris philoſophiæ, ſed tamen non valde probabilis, hic ſubſit *opinio*, nempe, quod potius *architecti* talium partium Aliud figmentum, qoud certæ partes animalium ſimiles partes hominum aptius nutriant.

ſpiritus firmiter etiam *materiali* illarum portioni, vt loquuntur, *inſiti* hac ratione etiam in alio corpore efficaciam ſuam iterum exſerere debeant. Ne vero quis nobis imputet, quaſi ipſi potius fictionibus hic indulgeremus, & res, quæ forte nusquam appareant, in ſcenam producamus; citamus merito pro nobis *medicas* inprimis illas opiniones de *tunica cartilaginea interna ventriculi gallinarum* ad *roborandum ventriculum* etiam humanum; de *vtero leporis*, tanquam animalis πολυτόκȣ, ad *fœcunditatem* fœminis conciliandam; de *pulmonibus vulpis* ad humanorum pulmonum vitia &c. Satis autem immorati hiſce rebus, cum illæ inprimis non ad *medicinam* æque, quam maximam partem ſimpliciter ad *phyſicam* pertineant, ſiſtimus hic gradum, & cum ita, quæ ad *indiuidui* humani indolem pertinent, ſic ſatis mihi videar tradidiſſe, illa quæ ad *ſpeciei conſeruationem* pertinent, adhuc ſubiungentur.

SECTIO IV.
DE GENERATIONE.

§. I.

Speciales circumſtantiæ generationis expendi debent, licet directe ad ſcopum medicum nihil faciant.

GENERATIONIS negotium vt in *generalioribus* ſui circumſtantiis a NVTRITIONE nihil differt; ita habet interim *ſpeciales* penitus, quæ expendi vtique merentur. Illud tamen in ipſo etiam limine omnino præmonendum eſt, quod ad ſcopum *exquiſite medicum* e maxima parte huius conſiderationis omnino nihil commodi redundet: vnde etiam ſolius *connexionis* gratia, quæ magis directe ad rem pertinent, ſine prolixitate vlla ſuperflua enarrabimus.

Mas & fœminæ ad verum conceptum requiruntur.

§. II. *Marem atque fœminam* in ſpeciebus animalium, quæ in aquis viuere non poſſunt, abſolute ſimul requiri non eſt dubium. Vnde fabulæ illæ antiquæ de *equabus* ab *aura* ſola concipientibus, & *fœminis* a forti *imaginatione* impregnatis, contemni debent. Ad minimum quantum ad *verum* conceptum; de *falſo* enim quamuis etiam vulgo in *negatiuam* conſentiant Medici, minime tamen *apodictice* extra omne dubium poſita eſt res. Niſi quod in his terminis ſimpliciter,

citer, ſcilicet ab *imaginatione* proprie & *vnice*, non autem a *menſium* aut *hæmorrhagiarum* potius vterinarum vitiis ſuboriri poſſint, diſtinctio locum habere poſſit; ita tamen, vt nec ibi etiam *fortis libidinoſæ imaginationis* omnis abſolute energia ſimpliciter, & vt extra vllum dubium, neganda cenſeatur.

Congreſſus animalium diuerſæ ſpeciei num fœcundus ſit.

§. III. *Maris* quidem atque *fœminæ* vnius eiusdemque maxime *ſpeciei* verius *fœcundum* eſſe congreſſum, quam *diuerſarum*, credibile eſt, inprimis in ſpeciebus quaſi nullam inter ſe *ſimilitudinem* habentibus. Nam *equi* & *aſini*, vt alias non ita abſolute diuerſa eſt configuratio, ita etiam *fœcundus* ſatis & harum ſpecierum congreſſus. Notatu vero vtique dignum, ſi quidquam in hoc genere aliud, quod proles, quæ ex hoc *mixto congreſſu* ſubnaſcitur, in poſterum abſolute *infœcunda* ſit, & ad quidlibet *generandum* inhabilis, ſecundum *conſuetum* naturæ ordinem: eorundem *mulorum* exemplo.

Spermati maſculino vim plaſticam alii adſcribunt, quam alii ſpiritibus tribuunt.

§. IV. Quid *formaliter* ſit SPERMA, & quid directe & *immediate* etiam vel *faciat* vel *fiat*, non æque ſatis dilucescere iam ſupra, vbi de *ſpermate* actum, monuimus. Aſſignant fere omnis æui phyſiologi *maſculino* inprimis *ſpermati* peculiarem, vt vocant, *vim plaſticam*; quam quidem illi, qui res ſuas ſolertius diſtinguere affectant, *ſubiectiue* adſcribunt *ſpiritibus*. Vnde quidem *Mœbius* inprimis *ſpecialiſſimum* quendam *ſpiritum genitalem* ſupponendum eſſe duxit; & ſane ſecundum reliquam hypotheſin in vniuerſum minime inepte. Quanquam enim alii *vitali ſpiritui* ſimpliciter hoc negotii ſatis commode adſcribi arbitrentur, habent tamen, quod in ſuis hypotheſibus vix conciliaturi ſint, dum negotium *nutritionis ſtrictiſſimo* ſenſu non tam *influo* vitali ſpiritui, quam *inſito* cuiuslibet partis, certe ſecudum ἀκρίβειαν huius hypotheſeos, tribuendum ſit.

Traditio vulgaris, quod partes ſpermaticæ non renaſcantur, propter vim plaſticam deficientem.

§. V. Licet enim vulgo quidem in hac ipſa maxime re negligenter, tantundem quantum alibi vbique, verſentur; (ſumma certe iniuria, dum hic inprimis exquiſitiſſimi eſſe, & altum omnino ſapere videri volunt) confirmat tamen aſſertionem meam conſtanter recepta inter illos ad vnum omnes traditio illa, *quod partes ſpermaticæ non renaſcantur*, propter *vim plaſticam primordialem* deficientem. Quid ita vero *deficientem*? CVI deficientem? an illa vis plaſtica eſt *ens per ſe ſubſiſtens*? ita reale, vt tantam *actiuitatem* in materiam habeat; aut inhæretne *alii ſubiecto*?

Hæc vis plaſtica non eſſet ſpiritus vitalis influi, ſed inſiti.

§. VI. Non immiſcebimur altius. Suffecerit monuiſſe, quod neceſſario hæc *vis plaſtica* non ſit *ſpiritus vitalis influi*; cum enim ille vtique maneat & tamen illa *vis* interierit, manifeſtum omnino eſt, quod illi *qua tali* ſimpliciter hæc *vis* non competat: ſed potius ita adſcribenda videretur *inſito*; adeo vt *inſitus*, cuilibet parti *connatus*, & eiusdem proprias neceſſitudines adminiſtrare compos, ſit ille ipſe, qui & *conſtituendæ* & *conſtitutæ* cuiuslibet partis γνώσει inſtructus, cum illam talem ſeruare ſciat, etiam conſtituere ſeu *concinnare* ſciuerit; *influum* autem hac *formali* energia adhuc deſtitutum velut in ipſo loco ſibi proprio demum *ſpecifice informet*. Quod poſtremum quidem harum opinionum fautores propterea maxime neceſſe habent agnoſcere, quoniam *ſpiritum inſitum* æque ac *influum* (ad minimum vt *materialem*) non *numero vnum* eundemque per totam vitam manere aſſerunt; *inſitum* quidem ab *influo* reſtaurari, *influum* autem iuxta alios quidem e floridiſſima parte *ſanguinis*, iuxta alios autem ex *æthere*, & iterum alios ex *ente aſtrali* &c. (nam in hoc vacuo omnes libere fictionibus ſuis vagantur) acerſunt. Quaſi dicerent, *influum* illum ſpiritum ab *inſito* ſenſim *inſtrui* & velut *erudiri*, vt munia, quæ in illa parte, quam poſthac occupet, exercere debeat, condiſcat. *Recentiores* dixerint, *tornari* & *exaſciari* ſenſim particulas (vtique *materiales*) *rudiores influi*, vt poris partium melius *configurentur*: & hoc quidem perpetrari ab illo *niſu* ipſi ſubſtantiæ partium corporearum *innato*, iuxta illos &c.

Spiritibus autem hoc modo nimium tribuitur.

§. VII. Quam aliena vero ſit a rationali iudicioſo conceptu huiusmodi præfiguratio, non poteſt fugere cogitantem, quod hac ratione *ſpiritibus* hiſce re vera nimium tribuatur, quomodocunque propter imperitiores græco vocabulo *laruetur*, γνώσει, id eſt *diſcreta notitia*, *cauſſis* inquam & *finibus proportionata* ſcientia. Omni modo vero illud, quod diximus, verum deprehendet, quod etiam quantumcunque implicite *ſpiritum* talem peculiariter *his negotiis* inſtructum præ reliquis *genitalem*, quamuis verbis minus diſertis (imo verbis potius refragantes) ipſi tamen re & his præfigurationibus eius, luculenter omnino aſſignauerint.

Anima has res & poteſt & debet adminiſtrare.

§. VIII. Sicut autem hac ratione ſuperuacuæ *multiplicationes* rerum fictitiarum præter omnem neceſſitatem fiunt, ita euertit omnem illarum vſum conſideratio illa, vtique iam tam ſæpe a nobis commendata, quod *anima* ipſa & *poſſit* has res adminiſtrare; imo cum illa maxime *finium* atque *vſuum* ſtructuræ corporis *vſurpatrix* eſſe debeat, ſecundum omnem ſaniorem conceptum, tanto magis præ vllis

aliis

aliis agentibus hoc *poſſit:* ſed etiam per qualemcunque moralem æſtimationem ipſa vtique veriſimillime *debeat* hæc agere; cum nempe vnice & ſimpliciter ipſius *vſibus*, *finibus*, imo adeo *neceſſitatibus* conſtruenda & efformanda ſint.

§. IX. *A poſteriori* vero (quod non toties repeterem, niſi etiam toties repetitum tamen non intelligi, aut præfracte ad minimum negligi viderem, vnde vel prudentioribus tanto magis commendandum, vel pertinacioribus inculcandum venit) non tam ſolum *potentiam* hanc, quam verum *actum* & *exercitium* eius indies monſtat *reformatio* atque *deformatio* ordinariæ *configurationis* per *phantaſticas* imaginationis ideas & intentiones. Quod profecto *argumentum*, imo vero *documentum*, ſuperat vniuerſas imaginationes contrarias; dum nulla vna, quantumcunque etiam abſtracta, ratio confingi poteſt, qua talis *communicatio imaginis*, ad cuius *typum efformatio* generatiua fieri debeat, inter *animam rationalem fingentem*, & talem ab animæ huius *indole diuerſam vim plaſticam*, aut *ſpiritum genitalem materialem* intercedere, & tam *promte* quidem inprimis, poſſit.

Potentiam hanc & exercitium eius docet reformatio atque deformatio configurationis per ideas phantaſticas.

§. X. Iterum autem iterumque moneo, vt animus aduertatur ad illam circumſtantiam, quam minime temere, ſed ex vera atque ſolidiſſima rei indole, vt præcipuum negotii neruum, & ſemper exprimere ſoleo, & modo expreſſi, nempe, quod *idea* illa pro noua inuſitata huiusmodi *effiguratione* ab *anima rationali*, *fingente* ſimpliciter, proficiſcatur. Cum enim minime ſimplex *ſenſus* vllius rei vnquam occaſionem ſubminiſtret *deformationi* tali per imaginationem; ſed vnice peculiaris plane *æſtimatio* & intentiſſima *conſideratio*. Vnde etiam notiſſimum & admodum familiare eſt, de rebus *abſentibus* plane (v. gr. fructibus horæis) ſaltem nuda fictione formatam figuram, eiusmodi næuis in fœtus tranſferendis occaſionem præbere: & nihil vtique talium vnquam contingit, niſi ſub ſpecie vel maximopere *deſiderata*, vel *reformidata*, vel repentina aut nimium intenta *admiratione*, qualitercunque æſtimata. Vbi quidem licet etiam non exprimi poſſit, quomodo huiusmodi *imago* fictitia, quam alias ſtricte *ens rationis ratiocinantis* vocant, etiam ab *anima matris animæ fœtus* communicetur: in genere tam vtique apodicticæ veritatis, quod potius *entium* ad *cogitandum & imaginandum* atque *æſtimandum* factorum, circa imaginationes & æſtimationes, ſit mutuus conſenſus & *communicatio*, quam talium, quæ abſolute *cogitationis*, *æſtimationis*, & *idealis præfigurationis* incapacia ſint.

Quæ idea pro noua inuſitata effiguratione ab anima proficiſcitur.

Aliis agentibus motuum energia, animæ vero hos motus dirigendi facultas tribuitur.

§. XI. Vbi iterum vtique monendum eſt, ſteriles eſſe & inanes loquendi formulas ab omni certe conceptu reali alienas, quod alia quidem agentia MOTVVM energiam habeant, anima vero ſolum DIRIGENDI peculiariter motus facultate inſtructa ſit. Cum enim *agentia* illa æque, atque craſſa acceptione ipſe *actus* illorum nempe *motus*, *corporeæ* indolis eſſe ſupponantur, *directio* illa animæ rationalis certe *iuxta horum ipſorum conceptus* vt ens *metaphyſicum*, aut ſimpliciter *pneumaticum*, nullum aditum aut vſum hic habere poſſet.

Altera quæſtio, quomodo anima poſſit cum ſpermate communicari? Tertia: an diuiſibilis ſit?

§. XII. Vni perplexæ quæſtioni veſtigia premit altera, imo alteri tertia, & ita porro. Eſt autem *altera* illa: ſi *anima humana* ſtruere debeat corpus, quomodo *cum ſpermate* poſſit communicari? Tertia eſt: *an*, & *quomodo* ſtatui poſſit *diuidi?* Quamuis autem hæc in ſpecie & quaſi *formaliter* vtique *inſolubilia* ſint, tamen propterea non iuuant ſciolos interrogantes, quin plus vna ratione ad minimum *generice* ipſis ſatisfieri poſſit. *Primo* enim, vti ſatis eſt *rem ipſam* veram ſcire, quamlibet *motum eius* & *ortum*, quo ſpecialiſſimo ordine fit atque procedit, non eadem abſolute notitia aſſequi detur; ita in hoc negotio ſatis vtique eſt, *a poſteriori* ſcire, QVOD anima rationalis *ſit in corpore*, & *poteſtatem* habeat in corpus, non ſolum iam *formatum* & *abſolutum*, ſed etiam *formandum;* vti de *vi imaginationis* patet. *Secundo*, *malitioſe* hic agere conuinci poſſunt, qui talium quæſtionum ſolutiones exigunt, aut ſi hæ deſint, tranſitum in ſua caſtra iniungunt: cum ipſi etiam abſolute tantundem circa hanc quæſtionem ſciant, id eſt, NESCIANT; adeoque ſi ex hoc capitae alios calumniarentur, nequiter facerent. *Tertio*, quod diuiſionem animarum attinet, generalis certe conceptus non deeſt, quod, cum *animæ eſſentia*, quantum in ſenſum cadit, in *actiuitate motoria* maxime conſiſtat; *motus* autem in perpetua *diuiſione numerica* ita conſiſtat, vt nullus *motus* diuerſorum *temporum* ſit numero idem cum illo, qui prægreſſo tempore factus eſt: hæc conſideratio etiam nullo abſoluto impedimento transferri poſſe videatur quadantenus ad ipſum *mouens*; vt nempe conceptus non æque abſolute abhorreat, quod cum *motus* ſit res adeo *diuiſibilis*, etiam *mouens* videri poſſit *diuiſibile.* Sed abſit, vt nos ſterilibus hiſce, & re vera *otioſis* quæſtionibus, *vt a priori*, operoſius immiſceamus; cum nobis ſufficiat veritatem a poſteriori citauiſſe. Cui otium eſt, & faſtidium non eſt, euoluat commentarios, qui tam pro *traductione* animarum, quam noua in indiuidua *creatione*, exſtant.

§. XIII.

§. XIII. Nobis, iterum dico, ſatis eſt imo abunde, *a poſteriori* videre & magno quotidianorum exemplorum numero experiri, & ſicubi vſus eſſet teſtibus, non ſolum reliquum humanum genus, ſed ipſos etiam hoſce, qui ita dubitant, confitentes ad minimum habere, quod *anima humana*, *ratiocinans* inquam, *æſtimans*, *fingens*, *ſit illa*, *quæ formationi corporis alienas configurationes imprimit*. Quod autem *infantis* ipſius ſit anima, quæ has *ideas*, ſecundum quas *operetur* etiam talem configurationem materialem, primo recipit, confirmatur partim argumentis *a priori*, partim documento *a poſteriori*. *Argumenta* ſunt (1) quod *ideas* mere *fictitias*, ſeu *cogitabundas*, ab anima *cogitante* nullum aliud ens aut agens *ſuſcipere*, *aſſumere*, easdem *imitari* valeat, niſi *congeneris indolis* ens & agens. Tanto magis (2) quia *ideæ* tales ſimpliciter, & *qua tales*, nullum effectum poſt ſe trahunt; ſed vnice & abſolute, quatenus ſub certa *æſtimatione* pure *morali* non tam *figuratæ* quam *ponderatæ* atque *moraliter comparatæ* ſunt. Dum videlicet nuſquam vlla *cogitatio* aut *contemplatio* ſimplex quicquam horum generum præſtat & efficit, ſed vnice *metus*, *terror*, vel *deſiderium* etiam, quando contemplationibus ſeu *phantaſiæ ſimplici* ſuperueniunt. Anima matris eſt, quæ has ideas fictitias imprimit, & infantis, quæ recipit.

§. XIV. *Documentum* a poſteriori, eſt proprie *efficacia* illa huiuſmodi maternarum impreſſionum in ipſum *animum etiam* infantis; vnde vel immoderata *deſideria*, vel inſuperabiles *terrores*, *metus*, *anxietates*, ex eodem tali matris *phantaſmate*: quale quidem alias, imo aliquando *ſimul*, *conformationem* eiuſmodi heteroclitam corpori ipſi vna imprimit. Vbi certe minime omnium contemnenda eſt illa vulgi hominum aſſertio, quod *matres prægnantes furtis gaudentes* infantibus *furti deſiderium* & *amorem* imprimant; quandoquidem inter rem hanc *moralem*, *intentionem* inquam, atque *deſiderium* clam ſumendi, & inter *opinionem* magni periculi aut damni, adeoque *metus* & *terroris* talis *connati* vehementem & conſtantem energiam, nullam vtique generale diſcrimen intercedit. Fruſtra vero certe hic ſunt, qui, dum nimis quam exquiſite *diſtinguere* videri volunt, nihil certius agunt, quam vt *confundant animæ* rationalis & *actiones & poteſtates*, cum *ſpirituum modo*, modo *aliarum animarum ſuppoſititiis* vtrinque actionibus atque poteſtatibus. Efficacia maternarum impreſſionum in animum infantis.

§. XV. Non tam cœtum hic ducit, quam ſolus potius eſt cum ſua opinione *Helmontius*, qui etiam *ratiocinationis* actum *animæ alteri*, quam veræ *humanæ*, quam ille *mentem* vocat, adſcribit. Videntur tamen veſtigiis iſtius inſiſtere etiam illi, qui diſtinctionem illam ψυχῆς Helmontius alteri animæ ratiocinationis actum, quam mentem vocat adſcribit.

ψυχῆς καὶ πνεύματος ita extendunt, vt τῇ ψυχῇ etiam vniuerſum *ratiocinationis* actum non obſcure adſignent. Aut, ſi hi quam maxime hic ſuo ſenſu abundare ament, habebunt me non ita difficilem, quin cum illis in eo conſentiam, vt illam animam, quæ *ratiocinari* intelligitur, pro illo *agente*, de quo huc vsque prolixius actum eſt, agnoſcam; quocunque demum loco illi ipſam ponere, & quicquid eidem vel apponere vel præponere, velint aut poſſint.

A quo ſexu anima communicetur.

§. XVI. Nimium prolixus ſum in re tam perplexa; ſed non adeo ſola hæc quantumlibet impedita res, quin etiam alia, circumſtantiæ corporeæ magis innixa, nihilo minus perplexa in hoc genere apparet: nempe *a quonam proprie ſexu actiuum* illud principium, tanquam anima, communicetur, a *mare* abſolute, an a *fœmina;* an ab *vtrisque ſimul*, aut *vtrolibet promiſcue?* A *maſculo* hoc actiuum principium proficiſci, probare contendit *Malpighius*, dum in *ouiparis*, in ouis ad minimum *gallinaceis*, etiam talibus, quæ ſine illius *maſculi* congreſſu in hac ſpecie excludi ſolent, eadem illa *materialia rudimenta* conſpexiſſe affirmat, quæ in *fœcundatis* conſpicua prima incrementa vlterioris *efformationis* in hisce ſubeunt atque ſumunt. Vtrumque tam *marem* quam *fœminam* etiam in hac parte *ſimul* concurrere, veriſimile reddunt generationes *e diuerſis ſpeciebus mixtæ;* cuiusmodi quidem veluti vſitatiſſimæ ſunt *mulorum;* quamuis etiam *canum* diuerſarum ſpecialiſſimarum ſpecierum ordinarie *mixta* quædam indoles exeat. Interim hanc ipſam etiam rem iterum quadantenus *confundit* obſeruatio illa ſpecialior *Hipparchorum*, quod *mulorum* ad minimum *ſexus* ſequatur *equinam* ſpeciem; ita, vt ſi *equus aſinæ* miſceatur, *mulus;* ſi *aſinus equæ*, *mula* prognaſcatur. Quamuis ibi iterum noua implicatio ſubſit, vt *equa* quæ ab aſini congreſſu *mulam* peperit, ſi proximo poſt anno ab *equo* concipiat, *equinum* quidem pullum, *ore*, tamen *aſinino*, aut *coxis aſininis* (ein Hirſch- oder Eſels-Creutz) inſignitum, pariat.

Quem a parentibus proles ſequi ſoleat.

§. XVII. Neque vero etiam ſimpliciter contemni poteſt illa vulgaris obſeruatio in *humana* ſpecie, quod *ſexus*, *ſimilitudo corporis*, imo etiam *animi morumque*, ſequi ſoleat illum e parentibus, qui cum maiore *intentione* & ſenſuali *intenſione* cohabitauit. Imo fiunt tamen hic etiam ſubinde peculiares anomaliæ, quæ vnum coniugum ſingulariter ſequantur, qua de re placet hiſtoriam aliquam allegare. In oppido quodam honeſti ciuis filia adulta ſtupro impræ gnatur; cum peperiſſet, de patre infantis interrogata fratrem ſuum nominat: exceſſerat autem ille fuga iam ante aliquot ſeptimanas, ſine probabili aliqua tum temporis

ris cauſſa. Taciturna fœmina, attonita velut & melancholica, cum iterum & amplius de eadem re interrogaretur, patrem ſuum nominat cum fratre. In hoc tamen aſſerto nititur inprimis argumento a peculiari conformatione, quam patri ſuo imputat, quod pater ſuus ita conformatos liberos generet. Nempe & ipſa & frater habebant digitos pedum inter ſe inuicem membranis iunctos, aquatilium volucrum inſtar: idem etiam comparebat in ſuo ipſius ſpurio nuper nato. Obſeruabatur autem ſtatim, quod pater ipſius nihil huic ſimile in ſuo corpore habeat; bene vero mater. Vnde, quemadmodum mater ſimiles in hac parte ipſi infantes ediderat, ipſa etiam hæc filia ſuo infanti eundem næuum communicare poterat.

Communicatio morum aliæque impreſſiones, infantibus pertinaciter adhærentes.

§. XVIII. Fruſtra vero ſit, quisquis in his rebus aliquid definire pro infallibili voluerit; dum vtique perpetuo crucem figit communicatio illa *pathematum ſimpliciter*, adeoque vt loquuntur *morum*, non ſolum ita in embryone, ſed omnino etiam in iam editis in lucem: ſicut etiam communicationes ſeu *impreſſiones* tales paſſim locum habent, quæ ipſi etiam *materno animo* ſimpliciter aduentitiæ fuerint: & hoc quidem adeo, vt infantibus non ſolum maiore cum vehementia, ſed etiam maiore pertinacia adhæreant.

Mas potius animam, fœmina corpus tribuere antiquitus traditum eſt.

§. XIX. Cæterum ab ipſa etiam antiquitate conſtans videtur traditio, quod *mas* potius *animam* tribuat, *fœmina corpus*. Imo videtur huius rei in ipſa *creationis* hiſtoria aliquod argumentum eſſe, dum *viro* primo creato propria immediate inſpirata legitur anima; fœmina vero, de *viuo ſeu animato* iam viro deſumta de ipſius anima *participaſſe* intelligi debere videtur. In *volucrum* genere inprimis conſpicua eſt illa *collatio*, dum de *gallinaceo* inprimis genere notiſſimum eſt, quod *fœmella* totum apparatum pro *nutriendo* imo *conſtituendo* fœtu libere de ſuo latere proferat, *etiam ſine congreſſu cum maſculo*: domeſticæ enim gallinæ & incipiunt ſine maſculo & continuant oua parere per integrum annum. Ex aduerſo *gallus*, obſeruante *Haruæo*, etiam vnico coitu aliquot oua, diuerſis ſuccedentibus diebus excludenda, viuida reddit: cum tamen quicquid habet *ſpermatici*, non ſolum *quantitate* exiguum ſit, ſed etiam non niſi ſimpliciter ad *extremum vaginæ vterinæ* orificium pertingat, eique veluti ſimpliciter affricetur magis, quam immittatur.

Viuiparæ fœmellæ nutrimentum fœtui præbent.

§. XX. Quicquid horum ſit, vti *viuiparas* etiam fœmellas fœtum ſuum a minima ad maximam eius molem *nutrire* certum eſt; ita nihilo etiam minus ſatis & illud certum eſt, quod nihil niſi *nutrimentum*

 mate-

materialiter præbeant, *diſtributionem* vero, *appoſitionem*, & quam vocant *aſſimilationem*, minime perficiant quacunque ſui energia. Monſtrant hoc abunde oua iam ante citata, quæ *ſine congreſſu* maris in lucem edita, deſtituta ita energia illa *formatrice*, nullam *nutritionis efficaciam* aſſequuntur, licet *materia tota* præſto ſit, quæcunque, ſi ſolus *congreſſus maſculi* præceſſerit, in alio ouo ad totum fœtum conſtituendum ſufficit. Imo vero monſtrant oua præcipue, quod *principium* fœtus *formatorium* proprium ipſi ſit, non *aduentitium*, aut *extrinſecus* ipſi ſubueniens; dum non ſolum in ouo velut *incluſum* hæret, ſed etiam nullas ſpecificas energias ſaltim *famulantes*, tanquam abſolute poſtulat. Loquor de *calore*, ſeu quicquid tandem per *incubatum* conciliari poſſe pulli *formationi* in mentem forte venire poſſet: poſtquam non ſolum *diuerſi* ſexus, vt *capones*, & diuerſæ *ſpeciei*, vt gallinæ vulgo *Calecuticæ* dictæ (& *gallinæ pro anatum* ouis) huic rei ſatisfaciunt; ſed etiam *calor* ſimpliciter, exemplo *furnorum* Aegyptiorum.

Præſentia animæ in corpore eius immaterialitatem, & immaterialem energiam in corpus non imminuit.

§. XXI. Facile vero concipio, non multum ponderis habiturum hoc argumentum apud eos, qui corpus vel ſimpliciter *inflatione* quadam nuda expandi tradunt, & in poſterum ſine omni *anima*, vt nudam ſimplicem *machinam*, moueri: aut, ſicubi etiam *propriam animam* ipſi concedunt, tamen ab hac, *brutina* inquam, vt ex confeſſo *materiali*, ad *humanam*, vt per omnem hypotheſin *immaterialem*, nullam valere conſequentiam, contendunt. Ego autem his talibus commendo, vt recte perpendere diſcant *indolem motus*, & IMMEDIATE MOVENTIVM AGENTIVM; vt & *præſentiam animæ humanæ in corpore*, & quidem *vno indiuiduo*, non *alibi*: denique vniuerſas eius *actiones*, quaſcunque de ipſa vere ſcimus atque percipimus, *circa* res *corporales*, *in res* corporales, *per res* corporales, vnice valentes. Ita puto multum remiſſuros ab illo ſuo inani labore & ſollicitudine, ne aliquid decedat ſiue *animæ immaterialitati*, ſiue *immaterialis* etiam *animæ energiæ* in illud *corpus*, cui impoſita eſt: ſiue denique harum *actionum*, quæ ab illa in tali corpore perpetrantur, *conuenientiæ* cum ipſius *animæ indole*.

Formatio corporis poſthac nihil aliud niſi nutritio eſt.

§. XXII. Reliquum totum negotium *generationis* abſoluitur vtique *formatione* corporis, quæ a primo veluti *rudimento* nihil aliud poſthac niſi *nutritio* eſt: qualis nempe ab hoc tempore vsque ad *ſenectam* celebratur; dum ibi etiam minime, quod ſemel penitus *efformatum* fuit, ſaltem perpetua *ſuppeditatione* ita conſeruatur; aut ſiquidem ipſi forte *decedat*, ſolum ſuppletur atque *reparatur*: ſed re vera magis

mai-

magisque potius *augetur*, & in omnibus ſui partibus vere *penitus efformatur.* Scilicet perpetua vbiuis comitatur *appoſitionem* etiam *aſſimilatio;* imo ipſa *appoſitio* ſtatim immediate eo *ordine* atque *ſitu* inſtituitur, vt ipſo illo *poſitu* fiat & ſit *aſſimilatio.*

§. XXIII. Ratione *ordinis* partium, quæ efformantur, nota eſt antiqua *Ariſtotelis* opinio de *puncto ſaliente;* quod nempe magis magisque *increſcens* ipſum *cor* conſtituere neminem fugit. Diſpexit autem *armatus* inprimis propioribus temporibus *oculus*, quod *cerebrum* cum *ſpinali medulla* atque *neruis* hunc primatum ſibi vindicet: id quod inprimis *Malpighius* in ſua inſpectione ouorum incubatorum pulchre diſpexit. Præbet autem etiam hæc ipſa obſeruatio argumentum, quod *illud principium*, quod in *cerebro atque neruis* inprimis *actiuitatem* ſuam exſerit, ſit *præſes formationis* corporis; dum ita illæ partes, quæ vnicum *immediatum inſtrumentum* ipſius *actionum* conſtituunt, hac ratione primo efformatæ veriſimillimum reddunt, quod *per ipſas* aliquid præſtari *debeat*, aut ad minimum *poſſit.*

Quæ pars prima efformetur.

Cerebrum.

Argumentum pro præſide formationis corporis.

§. XXIV. Præbet autem vlterius documentum, quod per *neruos*, a *principio* inquam *per neruos* agente, *ſtructura* etiam reliqui corporis & ſingularum *partium* eius ſenſim abſoluatur, eadem hæc obſeruatio, quod inter prima illa maxima armati viſus *ἀκριβείᾳ* conſpicua producta, *cerebri* inquam, *ſpinalis medullæ*, & *neruorum* rudimenta (quæ res curioſe delineata ſpectari poteſt in alleg. obſeru. *Malpighii* in ouis incubatis,) ſtatim vna compareant *duæ bullulæ*, quæ cum tempore *oculos* præbere deprehenduntur. Nempe, poſtquam *oculi* certe præ vllo alio *ſenſorio* organo maxima penitus eſt *artificioſiſſima* teneritudo, *neruo* præterea optico tam proxime oculus *medullæ oblongatæ* cohæret: inter *primas* vtique ſtructuras hanc ipſam *oculi* etiam eſſe, ſimulque ita per *principium* illud, quod *per neruos* operatur, perpetrari, ita quam maxime vero ſimile ſit.

Oculi.

§. XXV. *Punctum ſaliens*, nempe *miculam* quandam *conſpicuo* vtique ſubtili motu micantem, tandem *cor* auctiore atque manifeſtiore ſtructuræ perfectione conſtituere, ſatis manifeſtum eſt. *Sanguis* autem quomodo generetur, ſi vulgaribus hodiernis theoriis ſit fides, per *ſpontaneum particularum* ſibi mutuo *quadrantium lapſum* & fortuitum *concurſum* prognaſci, agnoſcendum venit. Mihi certe nihil a ſana ratione alienum, imo potius illi quam maxime conſonum videtur, quod idem *principium*, quod *ſolideſcentes* partes *ſtruit*, ſed *de puncto ad punctum*, illud etiam *fluidas miſceat* pari actu collocationis particularum *de puncto ad punctum.*

Punctum ſaliens ſ. cor.

Sanguis quomodo generetur, & a quo principio.

Mixtio ad reſolutiones promtiſſima.

§. XXVI. Certe enim, cum etiam ſpecierum *animatarum* inprimis *abſolute* ſit proprium, *corpora* habere non ſolum in genere mixti, ſed ita etiam in ſpecie MIXTA, vt ad *reſolutiones* ſuæ mixtionis promtiſſima ſint; imo propter *breuem* plerorumque animatorum *ætatem* etiam ipſo actu corrumpantur ſeu diſſoluantur, & pro *aliis indiuiduis* abſolute *de nouo* miſceri *debeant;* & quidem e materiis non niſi *generaliter* & *remote* ad huiusmodi ſuccedentem *ſpecialiſſimam craſin* aptis. Quandoquidem omnino talis mixtio, qualis v. gr. in *vegetabilibus* etiam ſolum *in genere* eſt, in illis rebus, e quibus *vegetabilia* nutriuntur, minime *formaliter* ineſſe certum eſt. Cum interim tam *cito*, tam *copioſe*, & tam *varie* (ſecundum tot diuerſas vegetabilium *ſpecies* & tot diuerſos *odores* atque *ſapores*) non poſſet euenire, niſi *peculiare* quoddam *agens* hanc *proportionem* NVMERI, SITVS imo ipſius paſſim SPECIEI *materiæ* differentis ita diuerſimode inſtrueret.

Cur tales diuerſæ mixtiones non promiſcue fiant ſed per ſpecialiſſimas collectiones.

§. XXVII. Quid vero, quod opiniones illas de tali *ſpontanea* tam diuerſarum mixtionum *coitione* etiam illud ſimpliciter obturbat, cuinam rei adſcribendum ſit, vt tales *diuerſæ mixtiones* non paſſim & *promiſcue*, ſed ſpecialiſſime in ſpecierum *ſpecialiſſimarum ſingulis* fiant? Certum hic vtique & indubium erit, quod hoc fiat per illud, per quod ſpecies ſunt. Vbi certe nihil niſi petitionem principii infert, dicere, quod *efficacia* tam *ſpecialiſſimas* materias colligendi ſita præcipue ſit in ſpecialiſſima *configuratione pororum* ſtructuræ, qui etiam iam in ipſis ſeminibus præſto ſint. Quandoquidem nemo tam penitus imperitus fuerit argumentandi, quin ſtatim perſpiciat, quod hic etiam eadem quæſtio recurrat, quidnam etiam in ipſis *ſeminibus*, a primis inde illorum *rudimentis*, iſtam pororum configurationem atque *ſituationem* præſtet, quæ huiusmodi materiæ tandem ita ſpecialiſſime *capi* poſſint. Ita enim ſemper res *in circulum* redit, & omnia quæ ſecundum *materiam* neceſſitate fieri finguntur, ſecundum *tempus* & *indiuidua* abſolute *caſu* fieri, iuxta has hypotheſes intelligenda ſunt.

Varia vocabula de negotio formationis.

§. XXVIII. Et fruſtra profecto hic ſunt cum illis ſuis inanibus *vocabulis*, *ſeminis*, *fermenti*, *imaginis fermenti*, *ideæ operatricis*, *platonicæ*, & *formæ informantis* Ariſtotelicæ, *niſus* recentioris, & *appetitus naturalis* antiquioris, *neceſſitatis materiæ*, & *motus materiæ* per ipſam DIVINAM VOLVNTATEM inditi, (nempe *materiæ ſimpliciter inhærentis & immanentis.*) Nugæ ſunt hæc omnia, in ordine ad exhauriendum verum κινόμενον de negotio *formationis corporum* ORGANICORVM; & impingunt abſolute, in vnam harum circum-

cumſtantiarum, vt vel *ſimpliciter de materia* loquantur; vel ad *coaptationem* illam non ſolum *aggregatiuam* in genere, ſed etiam *ordinatiſſime ſtructoriam* in ſpecie, imo per *innumeras ſpecialiſſimas ſpecies*, tanto magis autem aptationem ad *finem organicum*, abſolutiſſime nihil connexionis habeant: vel denique in actu ipſo, & per deſcriptionem realem eſſentialis ſuæ conſtitutionis, veram *definitionem* ANIMAE, ad minimum maxima ex parte, ſubeant aut inferant: interim bonam partem ab hac indole prorſus alienum quid ſimul inuoluant: adeoque ſub his *diſſonis*, imo paſſim *contrariis*, deſcriptionibus nihil *veri* ſubeſſe indicium faciant.

§. XXIX. Sufficere poterunt hæc circa rem præſentem, vt ad minimum occaſio præbeatur circumſpectiori penſitationi, an *ſanguis* & *qualitate* illa ſua, *craſi*, ſeu *mixtione* ipſa, & *quantitate* etiam, SPONTE ita coaleſcat ex *nuda neceſſitate materiæ*, & *fortuito concurſu* eiusdem; an vero ab *organorum*, talem materiam ſpecialiſſime *captantium* atque *detinentium*; aut plane veluti *torno*, aut *modiolo* effingentium, *mechanico* efformandi actu: an vero ab AGENTIS ſincerioris *ſelectu*, & *actiua poſitione*, (ſeu, *numero*, *ordine*, & *ſocio ſitu* componendi *actiuitate*) talia fiant atque efformentur. Penſitari poteſt ex his, an ſanguis ſponte ita coaleſcat, an vero ſelectu alicuius agentis.

§. XXX. Quod *hiſtoriam* generationis attinet, prouenit vtique *ſanguis* a *flaueſcente* veluti *ferrugineo* colore, ſenſim ad ſincerius *rubicundum* progrediendo. Hiſtoria generationis ſanguinis. A *matre* ſanguinem ſincerum immediate ad fœtum non transmitti, ſatis teſtari videtur exemplum *ouiparorum*. Sanguis a matre ad fœtum non transmittitur immediate. Dum in ouis non ſolum veſtigium nullum ſanguinis præſto eſt; ſed etiam ſucceſſu temporis ab incremento *puncti ſalientis* vsque ad complementum totius pulli, tanta vtique eius copia gignitur: vt inde ſimpliciſſime vtique colligi poſſit, minime opus eſſe, vt ſanguis *ſimpliciter & immediate* a matre ad fœtum transmittatur. At vero illud vtique ex *ouiparorum* natiuitate luculentius agnoſci poteſt, quod illa portio materiæ in ouo, quæ plurimum *pinguedinis* inuoluit, ſit etiam præcipua atque certior materia *ſanguinis*, per nouam commixtionem conſtituendi: dum ad reliquam quidem corporis compagem in ſe *exſanguem*, conſtituendam, *albumen* oui ſenſim abſumitur: cuius etiam proinde maior in ouo adeſt quantitas: pro ſanguine vero magis magisque efformando, *vitellus* inprimis impendi apparet: cuius quanta ſit *pinguedo*, monſtrat ſimpliciſſimo documento *oleum ouorum*: ſicut etiam iam ſupra a nobis notata *communicatio* illa verius, quam *conſpiratio*, *medullæ oſſium* cum

ſanguine, inprimis in iunioribus animalibus harum rerum non tam argumentum ſolum, quam documentum offert.

Tempus circum ſcriptum ad maturitatem fœtus.

§. XXXI. Tanto minus autem cum illis hactenus taxatis irritarum ſpeculationum affaniis conſiſtere poteſt peculiaris illa penitus circumſtantia TEMPORIS, *exquiſitiſſima periodo* circumſcripti, circa abſolutam ad plenam *maturitatem* efformationem fœtus: & quidem non ſolum *vniuerſim*, ad portum vsque: ſed etiam ſeorſim, ad *localium* ſeu animalium *motuum* ſenſibilem energiam. Diuerſa quidem in hoc genere energia videri poſſet occurrere in *ouiparis* ad *viuipara*; ſed præcipua huius diuerſitatis euidentia exſerit ſeſe maxime in ipſa *humana* ſpecie, præ reliquis viuiparis. Nempe in *humana* inprimis ſpecie præ *brutis* familiariſſimum eſt, vt eadem etiam *fœmina* iam *robuſtum*, *grandem*, & omnibus ſui partibus *maiorem* infantem pariat; quæ aliis vicibus *minores*, *imbecillos*, *teneros* atque *tenues* peperit aut parit: imo diuerſæ matres, aliæ *teneros*, *tenues*, *exiguos*, infantes pariunt; aliæ *robuſtos*, *magnos*, *quadratos*; interim omnibus & ſingulis *vnum idemque* eſt TEMPVS, non tam ſolum in lucem prodeundi, quam etiam intermedium, & vere ad illud computando, *dimidium*, quo nempe fœtus prima *motus* in vtero ſenſibilis initia facit. Id quod fieri minime poſſet, ſi *appoſitio* hæc etiam *formatiua* ſimplici *mechanico* concurſu materiæ abſolueretur: quandoquidem omni rationi ſane aduerſatur, quod *parua moles* non ſolum tantundem *temporis* ad *collectionem* ſui poſtulet, aut requirat, quam magna; ſed etiam tam *magna* quam *parua* moles exquiſite parem temporis menſuram *æquent*.

Energia fœminarum diuerſa.

Succeſſus formationis.

§. XXXII. De *ſucceſſu formationis* in corpore humano certum omnino eſt, quod diſpar omnino eius ſit ratio; quam de ouiparorum productione *Malpighius* obſeruat. Certe enim corpuſcula conceptuum, menſtrui forte vel paulo amplius temporis, per præcipites abortus plethoricarum excuſſos, intueri contingit non excedentia, imo vix æquantia menſuram *formicæ* maioris; in quibus tamen conſpicue diſtinguere licet *artus*, *truncum* & *caput*; & nudo quidem oculo. Sicut in corpuſculis talibus inter *ſecundum & tertium* menſem excidentibus, non *duos* totos *pollices* mechanicos longis, etiam omnia membra, *digitos*, *nares*, *labia*, *ſexum*. Sua autem tantisper ſibi habeat *Dalempacius*, in *viſionibus* illis ſuis *microſcopicis*, in *ſpermate maſculino* factis; quibus lineolam illam, quam *Lewenhoock* iam olim indicauerat, *viuidam*, *ſpontanea ſui denudatione*, *corpuſculum humanum capite*, *artubus*

bus atque trunco iam euidenter diſcernendis inſtructum exhibere, depingit.

§. XXXIII. Dicendum adhuc eſt vnum verbum de illorum ſententia, qui *mirificæ* ſtructuræ machinæ noſtræ animalis DEVM ipſum *immediate* autorem volunt: propter *ſummum* nempe *artificium.* Dicerem, *pie* magis quam *conſiderate*; ſed cum minus *conſiderate*, certe neque ſatis *pie.* Quomodo enim DEVM ſubiiciunt tam euidenti *pathemati*, vt ille energiam illam ſuam ſecundum *matrum fictiones*, *imaginationes* nempe, accommodet & inſtruat? minime certe DEO digna vlli hominum apparebit hæc accommodatio: tantominus, cum etiam illa excuſatio, quaſi DEVS tale quid in *pœnam* forte matrum ita præſtaret, nihil vero ſimilis habeat; quandoquidem tam notum eſt, quam quod notiſſimum, quod ſæpe tales matres ſine vlla *malitia*, aut quantolibet *peccato*, huiusmodi *næuis* occaſionem ſuppeditent: v. gr. in repentino *terrore* a *ſanguine* per vim alicunde profuſo; a *flamma*, ex *incendio* aliquo cum *terrore* conſpecta, vnde *næui ſanguinolenti*, & *flammeo-rutilantes*: Blut- und Feuer-Mahl: ſimulque impreſſio in *animum* infantis paris *metus* circa eiusmodi caſus.

Deus autor ſtructuræ eſſe debet.

§. XXXIV. Vltimo loco vno verbo iterum repeto, quod vtique nihilo plus difficultatis inferat animæ humanæ etiam ipſam illam *formandi*, & continuata nutritione per reliquam vitam penitus *efformandi* corporis, tribuere; quam, quod nemo contradicit, illam etiam energiam *regendi* atque *dirigendi motus* corporis ipſi aſſignare; quod omnibus prudentibus harum rerum æſtimatoribus non poteſt non euidentiſſimum eſſe. Propterea vero hæc toties repetenda ſunt, vt memori vtique mente hæreat, quod *primæ* vndique *partes* perpetuo ſint ACTIONVM, minime vero MATERIARVM: *&* *actionum* quidem minime *in materiis*, ſed *in materias*: adeo vt hæ ad illas ſimpliciter *paſſiue*, & generaliter *indifferenter* ſeſe habeant, & omnino *actiuæ diſpoſitioni* atque *coaptationi* in quamlibet *ſtructuram* atque *figuram* pure obſequantur. Quod notandum.

Animæ & formandi & regendi corporis energia tribuitur.

§. XXXV. *Materia* vero, e qua hæc efformatio contingit, diſtinguenda videtur in *primam*, ſeu veluti *fundamentalem*, & *ſucceſſiuam* & velut *acceſſoriam.* Ita tamen, vt potius in ordine ad *ſtructuram*, quam ſimpliciter ad *mixtionem* hic reſpectus valeat; id eſt, de ipſis *rudimentis* ad primam vsque *ſtructuram* hic ſit ſermo, quam de *materia* ſimpliciter & abſolute.

Materia formationis.

§. XXXVI.

Vtrum a fœmina an viro hæc materia conferatur.

§. XXXVI. Vtrumque quidem negotio huic formandi corporis conferre fœminam, extra dubium hactenus habetur apud plerosque; *Lelvenhœckius* autem, & qui eius obſeruationes ſimpliciter ſequuntur, a *viro* proficiſci autumant. Ego ipſe hucusque priorum ſententiam ſequor, ſubnixus inprimis inſigni argumento, ſeu potius documento κατὰ θέσιν, & argumento non minoris momenti κατ' ἄρσιν. *Documentum* illud eſt, quod ex obſeruatione *Malpighii idem corporeum lineamentum*, ſeu *rudimentum*, etiam in ouis gallinaceis, *absque omni galli commercio* conceptis & excluſis, conſpiciatur; quod in *fœcundatis* a *galli coitu*, *viſibilibus* in horas & tanto magis in dies *incrementis*, rudimentum corporale totius corporis primum conſtituere obſeruatur. Neque vero *rudimentum primum* ſolum, ſed etiam *primarium*; illud videlicet, e quo *animæ* ipſius *præcipuum organon* efformetur: nempe *cerebrum*, *medulla oblongata* & *ſpinalis*, & denique *nerui*. Quaſi nempe ita mulier illud inprimis primo offerret & conferret, in quod velut *anima* ipſa directe *receptari* debeat; & ex hac deinde ſui ſede rebus ſuis propriis in poſterum proſpicere atque vacare: imo his inſtrumentis ſtatim illud exercere, cui per omnem vitam ſeruiunt, MOTVM. Suffragantur autem huic opinioni obſeruationes recentiores, eo inprimis, quod etiam *viuipararum* fœminarum teſtes *ouaria* eſſe ſatis luculenter confirmant. Præterea etiam obſeruationibus, quarum aliquot per ſectiones deprehenſæ fidem faciunt, etiam ſæpius, vbi non ſecatur, parem tamen rationem ſubeſſe; nempe *conceptionis* non ſolum, ſed etiam *geſtationis* ad iuſtam maturitatem vsque in *tubis Fallopianis* repertæ. Quæ nempe *tubæ Fallopianæ meatus* conſtituunt, per quos *ouula* e teſtibus muliebribus ad *cauitatem vteri* deferantur; & ſupplent omnino in homine vices *cornuum vteri* in brutis πολυτόκοις: quæ ſolenniter in hisce cornibus non vnum tantum, ſed etiam plures ſimul fœtus concipiunt, & ad maturitatem imo legitimum partum vsque ibi geſtant.

Alterum argumentum pro prima ſententia.

§. XXXVII. Alterum de quo dixi argumentum, quod *Lewenhœckii* aſſertionem dubiam reddat, eſt inprimis *locuples ille prouentus talium lineamentorum*, quæ ipſe pro totidem *indiuiduis viuidis* interpretatur. Cum enim in microſcopiis illis ſuis tenuiſſimis, quibus vno obtutu non plus quam exiguum punctum aciculæ capitulum forte æquans comprehendatur, & propterea etiam *liquoris* inſpiciendi *vnica* etiam *guttula* in illis tubulis, qui tali microſcopio miniſtrant, admodum diſtent, tamen *plures* huius *figuræ* atque *viuacitatis* apparentis eiusmodi *particulas*, ſeu veluti *vermiculos* exhibeat; adeoque in tanta quantitate

ſper-

Documentum pro prima ſententia.

ſpermatis, quantum eius *vno actu* emittitur, *ingens numerus* huiusmodi filamentorum viuidorum inſit: hunc talium veluti *indiuiduorum* humanorum tantum prouentum adeſſe, e quo tamen non niſi *vnum vnicum* ad effectum peruenire poſſit imo debet, velut *a priori* fidem ſuperare pro certo habeo.

Fœmina reliquam materiam formationis & augmenti fœtus ſubminiſtrat.

§ XXXVIII. Sicut autem veri ſimilem tantisper ducimus illam obſeruationem, imo potius rem ipſam, quod fœmina ad minimum veluti *primum & immediatum receptaculum corporeum principii illius actiui*, quod deinde porro *efformat* atque *conſtruit*, ſuppeditet; ita omni vtique omnino dubio caret, quod *reliquam materiam* pro vniuerſa fœtus *efformandi & augendi mole* ſubminiſtret: euidentiſſimo iterum inprimis *ouiparorum* exemplo. De quibus adhuc ſemel pro confirmatione, quod ad minimum in *ouiparis*, inprimis *gallinis domeſticis*, *lenticula* illa, quæ incluſam fouet *lineolam* illam ſeu *filamentum*, (*cicatriculam & carinam* vocat *Malpighius*) e qua prima formationis fundamenta, ante omnia vero *cerebri & ſpinalis medullæ* emergunt, vt armato viſu comprehendi poſſit, ab ipſa *gallina* & aliis *fœmellis* volucribus contribuatur, documentum duco ſatis euidens, quod ipſa hæc *lenticula* vitello ita firmiter per *filamenta* duo, quaſi *ſerpentini* poſitus, & robuſta quidem illa connexa ſit, vt incredibile propemodum videatur, quod a *gallo* communicata *corporea* qualiscunque molecula tam exiguo *tempore tanta & tam firma* incrementa in ipſo ouo nanciſci poſſit. Sicut enim adhuc magis omnem fidem ſuperat, quod tale quiddam, ſi a gallo in ipſum velut *orificium vaginæ vteri* admiſſum, tali tempore ſurſum demum ad ouarium penetrare, vt ibi vitello affigatur; ita tam breui ſpatio temporis, quo *vitellus* per cauitatem vteri ad exitum huius procedit, *moleculam* illam talem a *maſculo* collatam tam firma illa incrementa atque augmenta ſumere, certe difficile pariter creditu fuerit. Quamuis enim negari non poſſit, quod totum illud negotium conceptionis atque tanti *augmenti* ouorum in *gallinaceo* genere *admirandæ* ſit velocitatis: tamen, cum vniuerſum illud etiam *ſine gallo* hoc ipſo modo ſuccedat, nihil hinc directe inferre licet ad parem abſolute etiam *velocitatem incrementi* huiusmodi etiam iſtius, qualis qualis tenerrimæ certe per omnem hypotheſin moleculæ, quam ab ipſo gallo ita præberi putandum eſſet.

Viuacitas fœtus in formatione ipſi propria eſt.

§. XXXIX. Illud autem in omni *fœtus formatione*, in ipſis etiam *ouis*, conſtans vtique eſt, quod fœtus immediate non ſolum, ſed etiam omnino *partes*, quæ ipſum immediate *ambiunt*, *inuoluunt*

 atque

Alia poſthac eſt vitalitas quæ actiuitate motuum inſtruitur.

atque *continent*, non *aliena* ſed fœtui *propria* viuacitate gaudeant. Quamuis enim reliqui oui materiæ talis omnino etiam ſit localis intima diſpoſitio, vt illa intemerata mixtio oui, *albuminis* inquam atque *vitelli*, non ita promte fatiſcat: exemplo ipſorum ouorum penitus *infœcundórum*: alia tamen longe eſt illa poſthac *vitalitas*, qua non ſolum in corpuſculi *formati* molem tranſſumtæ, ſed etiam in *tunicas* ſenſim augeſcentes inſumtæ illæ materiæ, poſthac vero *vitali* actu *circulationis humorum*, *ſecretionum*, imo ſenſim etiam *ſepoſitionum*, *excretionis* vices tantisper ſupplentium, re vera ſuſtentantur. Hic, inquam, *vitalis* actus, quo non ſolum ipſum *corpus* fœtus, ſed etiam *inuolucra* illud complectentia, per *motum circularem* ſanguinis, & ſub hoc *ſecretiones* varias atque *ſequeſtrationes*, tantisper conſeruantur, inſtruitur vtique *actiuitate motuum*, ſimpliciter ab illo principio *mouente* proficiſcentium, quod *vitales motus* in ipſo corpore in poſterum etiam proſequitur. Exhibent huius rei documentum iterum vniuerſa *ouipara*; quibus nempe in *ſepoſito* penitus a materno corpore ouo *vitalitas* illa manifeſto perennat.

Viuipara nutrimentum per vaſa vteri materni recipiunt.

§. XL. Quemadmodum autem in ouo iam tota illa quantitas nutritiæ *materiæ* præſto eſt, quæ pro efformando ex illa corpore ſufficere poſſit: ita diſpar in hoc eſt ratio *viuiparorum*, quæ nutrimentum ſui per vaſa vteri materni allatum recipiunt. Peculiaria huic transmisſioni vaſa in aliquibus animalibus eſſe, quæ etiam extra tempus ingrauidationis protuberantiis quibusdam conſpicua ſint, quas *cotyledones* & *acetabula* vocant, iudicant anatomici. Non autem æque in omnibus animantibus iam ſimpliciter inde *a priori* præſto eſſe hanc conſtitutionem, videre eſt inprimis in animalibus πολυτόκοις, v. g. *canibus*: hæ enim canes grauidæ ſi diſſecantur, offerunt quidem ſtatim viſui in cornibus vteri, illis ipſis locis, vbi fœtus tanquam per cingulum quoddam glanduloſum cauitati huic vterinæ interius adhæret, vaſa *ſanguifera*, etiam in externo ambitu vteri magis *inflata*, & in maiorem capacitatem diſtenta, quam in reliquis vteri partibus, vbi cauitati eius nihil adhæreſcit: interim *ſpecie* peculiariter a *vicinorum vaſorum* conſtitutione vel quicquam ad ſenſum differre, ipſa ſtatim αὐτοψία refragatur.

Placenta vterina ſ. hepar vterinum.

§. XLI. Peculiare autem inſuper *organon*, ad ipſum fœtum pertinens, per quod ille alimentum *e ſanguine materno* ad vterum transmiſſo veluti tranſumit, ſunt *glandoſa* corpora, in aliis animalibus, inprimis indifferenter *carniuoris*, continua quadam mole contexta;

quæ

quæ in *vniparis placentæ* cuiusdam figuram, *hepatis* autem conſiſtentiam referens, inde iam *placenta vterina*, iam *hepar vterinum* appellatur: in aliis autem, inprimis *graminiuoris*, diuerſis talibus receptaculis, inter ſe non immediate connexis, quæ etiam ex parte vteri *cotyledonum* nomine notantur. Vſus horum *glandoſorum* corporum atque ſyſtematum communis eſt hisce cum aliis; nempe *lymphalem humorem nutritium* a reliquis *ſeparare*: e *materno* nempe ſanguine; quem in finem hæc *glandoſa* corpora ſubſtantiæ vteri cohærent, partim *glutinoſa* quadam ſubſtantia, partim vere reciproce immerſis ſubtiliſſimis ſanguiferorum *vaſculorum extremitatibus*. A quorum etiam *ruptura* per partum facta, profuſio illa ſanguinis LOCHIALIS ſequitur. Neque vero abſonum eſt, quod etiam mediante hac glandoſa ſubſtantia, in homine cum primis *hepatis* texturam æmulante, etiam talis ſimul ſecretio fiat, de qua etiam in maternos humores reciproce aliquid *ſeroſi recrementitii* recipiatur. Sanguis lochialis.

§. XLII. Subſtantia illa, quæ per hæc glandoſa ſecretoria e materno ſanguine ſuſcipitur, deuehitur inde ad fœtum; in homine quidem, vti conſtans hactenus fert ſententia, per *venam* vmbilicalem cum illo ſanguine, qui hac via ad corpus fœtus retro fluit. In *brutis* per proprium *lymphaticum* vas, valde conſpicuum, imo plus quam in reliquo corpore lymphaticorum vaſorum indoles ferat, *robuſtum* etiam, quod immediate ad *glandulam meſenterii centralem*, ſeu *pancreas Aſellii* porrigitur, eique inſeritur. Monſtraui hoc vas iam ab annis amplius viginti; & manet etiam huius vaſis portio ab *vmbilico* ad illam *glandulam* vsque etiam in *catulis* caninis, iam aliquot ſeptimanas natis, & iam tum curſitantibus, niſi quidem nimis rudes motus aut concuſſiones ſubierint. Idem videre eſt etiam in minimis animalculis, *muribus* adhuc *embryonibus*; videre, inquam, eſt nudo etiam oculo pro reliqua corpuſculi proportione ſatis inſigni magnitudine, *pilum* certe humanum proxime æquante. Vena vmbilicalis. Vas lymphaticum magnum in brutis.

§. XLIII. Hic quidem eſt ſimplicior ille apparatus ad *nutrimentum* pro *formando* fœtu in *viuiparis* transmittendum & recipiendum. Et eſt illud nutrimentum *lymphalis* humor, tam *terreo-mucidas*, quam *pingues* particulas comprehendens: vt in *ouiparis* manifeſto *mucido-terrea* ſubſtantia in *albumine*, *pingueſcens* autem in *vitello*, totum nutrimentum corporis pulli embryonis conſtituit. Hæc eſt materia corporis *efformandi*, hæ ſunt *viæ*, hi *progreſſus*: in viuiparis Nutrimentum pro formando fœtu.

 qui-

quidem *ſucceſſiua* vt in ouiparis ſimultanea collectione facta ſubminiſtratione.

Menſura temporis plenæ efformationis.

§. XLIV. Reliquum vniuerſum negotium *ſtricte* dictæ *formationis* corporis ex huiusmodi materia prolixius indicauimus, a quo AGENTE fieri veriſimile ſit: ſuper eſt paucis, & quaſi repetendo ſolum, monere, quod *actus* hic *plenæ efformationis* etiam peculiarem MENSVRAM TEMPORIS inuoluat. Notiſſima eſt res *a poſteriori*, non ſolum familiariſſimo exemplo & breuitate inprimis totius periodi conſpicuo, in *ouiparis*, tum etiam *minoribus* illis valde fœcundis animalibus, *cuniculo*, dicto *porcello marino*, & *lepore*: ſed etiam in *maioribus* animalibus, quin ipſo *homine*. *A priori* vero, *quibus de cauſſis* non ſolum in genere illa *menſura*, ſed etiam in ſpecie ita *exquiſita* dependeat, ne coniectura quidem attingenda.

Efformatio hominis ad certos vſus differt ab illa formatione in vtero.

§. XLV. In *homine* efformatio conſiderari debet non tam ſolum abſolute, vt omnes partes corporis externam viſibilem configurationem *quadantenus* aſſecuta eſſe appareat: ſed eſt omnino in hac re attendendus abſolutus ille reſpectus, quem vniuerſum corpus tam in omnibus quam ſingulis ſui partibus habet ad VSVM, cui deſtinatæ ſunt. Quo intuitu tantum abeſt, vt plena ſingularum efformatio ſub illo tempore, quod in vtero fœtus ſeruat, abſoluatur, vt potius non niſi per aliquot annos, ad minimum *ſeptem*, quin potius *quatuordecim* ſatis compleri appareat.

Formationis in vtero duæ periodi.

§. XLVI. Vnde quidem de hac *in vtero* formatione duæ veluti *periodi* notari debent; vna, quo eo vsque perfecte efformatus obſeruatur fœtus, vt nulla eius pars ſenſibiliter vel numero, vel ad conſpectum ſufficiente ſtructura, *deficiat*: interim eius adhuc ſit *teneritudinis*, vt inter illas res *externas*, inter quas præcipuam *ſuæ ſpeciei actiuitatem* exercere debet ANIMA, durare citra læſionis imo corruptionis periculum nondum poſſit. Alterum tempus factæ efformationis eſt, quando eousque *formatio* ipſa non ſolum, ſed etiam *confirmatio* partium facta eſt, vt iam *robuſtior* illarum textura faciles alterationes *frigoris & caloris*, *humiditatis* & *ſiccitatis*, imo *incurſuum* mediocrium rerum duriorum, citra nimis promtum *texturæ* iam paulo *firmioris* damnum, experiri valeat. Quod iam harum circumſtantiarum vſitatam menſuram attinet, obſeruatur illa conſtanter in ſpecie humana comprehendi, prior quidem qua *efformatum*, ſed nondum ſatis *durabile* obſeruari poteſt corpus embryonis, SEPTEM MENSIVM: poſterius, quo *durationi* in hoc mundo iam propius idoneum redditum ſit, *quadraginta*

ſepti-

ſeptimanarum, ſeu *nouem* & dimidii circiter menſium lunarium. Intra hoc temporis ſpatium abſoluitur illa *formationis* fœtus periodus, qua PARTVI maturus, poſthac actu in lucem edatur, ſiue *magnus* ſiue *paruus* de reliquo, *robuſtior* aut *tenerior* ille ſit. Dimidio vero eius temporis, nempe 20. ſeptimanarum ſpatio ſenſibiles *motus* in vtero matris exſerere incipit fœtus; & quidem, quod ipſum etiam notatu dignum eſt, communiſſime ſic ſatis *exquiſite*, vt nimirum omni modo *exquiſite hoc tempore vegetus* de reliquo infans *mouere* ſeſe incipiat.

§. XLVII. Hæc ſunt quæ de negotio generationis, quantum ad *formationem* fœtus attinet, dici poſſunt: pauciſſimis autem adiicere ſufficiet hiſtoriam aliarum quarundam circumſtantiarum. Nempe, quod fœtus *incluſus* hæreat *propriis membranis*, quæ illum *a contactu vteri* materni abſolute diſtinent. Exterior *chorion* dicta robuſtior eſt; interior *amnion* dicta tenerior. In vtrisque reperitur aliquid humoris, quod ex illis *ſub partu ruptis* effunditur. *Situs* fœtus iuſtus atque conueniens eſt *capite deorſum;* quod etiam legitime partu primum prodire debet: omnes autem alii *ſitus* impeditum reddunt partum. Exterius tectus eſt totus fœtus per vniuerſam *cutis* ſuperficiem *pallida* quadam veluti *fæculenta lanugine;* quæ ab ipſo in lucem edito ſollicite *defricari* debet: ſi enim eius aliquid relinquatur, *exareſcit* & adhæreſcit reliquæ *cuticulæ* ita firmiſſime, vt non ſolum auelli non poſſit, quin hæc ſimul concerpatur; ſed etiam detineat *incrementum* iſtius portionis ſubſtratæ cutis, vt illa inde in *fiſſuras* diſſiliat. Membranæ, quibus fœtus incluſus. Situs. Fæculenta lanugo.

§. XLVIII. In *inteſtinis* etiam fœtus reperitur ex *nigro vireſcens* quædam talis ſaburra, quæ totam horum internam ſuperficiem velut æqualiter oblinit. *Meconium vocant:* & eſt nihil aliud, niſi *bilis excrementitia*, quæ vltimis menſibus e *folliculo fellis* per ductum *cholodochum* in inteſtina defluens, cum *muco* pariter *excrementitio* per eadem inteſtina poſthac ordinarie euacuando, remixta, tam diu hic toleratur, donec in lucem editus ſit fœtus. Quo quidem tempore euacuatur; vel plane *ſponte* naturæ, vel per concurſum *coloſtri*, impurioris nempe *feroſioris primi lactis* materni, vel denique per exhibitum lene aliquod *laxans*, vt *ſyrup. de cich. cum rhabarb.*, *domeſticum*, *roſarum ſolutiuum* &c. Si enim non euacuetur debite, prolabitur poſthac cum ſaturatiore *lacte* familiariter in corruptelas valde *acres*, quæ non ſolum grauiſſima *tormina*, cum *excrementis* inſuper *tetris*, ſed ſubinde etiam *conuulſiones* infantibus inducunt. Meconium. Coloſtrum.

An infans in vtero reſpiret.

§. XLIX. Priusquam autem longius progrediamur de illis rebus loquendo, quæ infanti iam etiam *poſt partum* euenire ſolent, de illis prius ſermo habendus erit, quæ ipſi adhuc in vtero matris conſtituto, *dum exitum nanciſcatur*, contingunt. Dictum eſt ante, quod infans in vtero materno illum habeat poſitum, vt *capite deorſum* collocatus exitum ſpectet; præterea *immerſus* ſit, ad minimum toto capite, *humori* cuidam; qualis non ſolum in illa *cauitate*, quæ ipſum immediate complectitur, ſed etiam in *altera*, quæ hanc adhuc includit, nempe *chorio* membrana, circumfluit. Sub tali conſtitutione nemini in mentem veniet cogitare, an infans in vtero *reſpiret*: præter mulierculas, quæ *moribundæ* aut *mortuæ* penitùs puerperæ *os apertum* ſeruari præcipiunt, ne fœtus forte adhuc viuus *ſuffocetur*.

An aëre fruatur.

§. L. *Cauillatorium* magis eſt diſputare, an *aëre fruatur* fœtus in vtero, & affirmatiuam tueri, experimento ſanguinis *in antlia pneumatica* prima ſuctione *bullulas* emittentis: adeoque cum nutrimento e corpore materno ad fœtum ita transmiſſum, & humoribus eius immixtum *aërem* vrgere. Nihil enim commodi hinc redundat in vllam nedum *medicam* theoriam, ſiue ſit ita, ſiue non ſit. Cum omnino nusquam adhuc ſatis apodictice probatum ſit, quod eiusmodi leuis *ebullitio* non poſſit etiam ortum ducere ab ipſius *aëris*, dum parte eius aliqua per antliam educta; reſiduum repentina *expanſione* humores tales ſubtiliorum partium compotes, prima tali agitatione magis *commoueat* in eiusmodi bullularum figuram, quam re vera ex illis *incluſum aërem* imminuta ſui preſſione ita emittat. Imo vero quis experimentum hoc, vt vel maxime de reliquo ſanguine verum eſſet, de *embryonis* ſanguine verum & indubium reddidit? Interim vti dictum, quicquid eius ſit, *vtilitatem* certe nullam habeat, ad quamcunque ſolidam theoriam.

An ſugat, ſiue aliquid per os admittat.

§. LI. Par ratio eſt illius quæſtionis, an fœtus in vtero materno aliquid *per os* admittat, ſiue *ſugat*? de illo nimirum *liquamine*, quod ita intra *amnion* incluſum, & ipſi eius capiti circumfuſum eſt. *A priori* quidem omnino itaque nulla *ratio* apparet, quæ tale quidquam veriſimile reddat; certe enim *opus* non habere talis modi nutrimenti aſſumtione, tam diu certum erit, donec probatum fuerit, quod ſuppeditatio *per vmbilicum* ſufficere non poſſit. *A poſteriori* vero quod præcipuæ vrgent argumentum, deſumtum eſt ab illa albida mucida ſubſtantia, quæ *ventriculum* etiam animalium huiusmodi quaſi oblinere conſpicitur, quam proinde ab illa ambiente humiditate deriuandam eſſe ſibi perſuadent. Immemores nempe ad minimum, niſi quidem im-

imperiti hic ſunt, quod per totum inteſtinorum tractum, quacunque cruſta illa villoſo-glanduloſa patet, aditus fit materiæ *mucidæ*, ad *excretionem* quidem ſui ipſius intuitu eo compulſæ: de reliquo vero etiam ſub hoc tranſitu *lubricitati* ad meliorem progreſſum *fæcum* cibariarum, imo *defenſioni* quadantenus inteſtinorum, tam a *duritie*, quam *acrimonia* rerum transeuntium, inſeruientis. Quæ etiam per totum ductum inteſtinorum reliquum, *bile* ſimul remixta, hoc ipſo tempore tantiſper ſepoſita, *meconium* conſtituit, vti iam monuimus. Vnde quidem hæc ipſa etiam cura, imo tota ſpeculatio, in vanum recidit, cum variis aliis eiusdem indolis otioſis quæſtionibus.

§. LII. Enim vero nutritus commode imo abunde per vmbilicum fœtus, quando iam debitam ſuam magnitudinem adſecutus eſt, aut *tempus* certe ſuum expleuit, ex vtero materno in lucem emittitur. Fit hoc in genere quidem periodo temporis ſupra nominata, *quadraginta ſeptimanarum*; ſpecialius autem illo veluti magis exacte *dierum*, aut *lunæ* inprimis *phaſium* tempore, quo fœmina grauida alioquin *menſtruum fluxum* experiri conſueuit. Vnde quidem non de nihilo eſt ipſarum etiam fœminarum in hoc genere computus, quando initium numerandi *ſeptimanas* ingrauidationis ſuæ faciunt ab illa ipſa ſeptimana, qua *menſes fluere* alias conſueti emanſerunt. Fœtus excluſio.

§. LIII. Quod ipſum PARTVS negotium concernit, coori- tur illud communiter, & inprimis quidem rebus quam optime conſtitutis, *repentinis commotionibus ſpaſticis*, a *coxendice* veluti *antrorſum ad ſinum* tendentibus. Orta eſt inter recentiores circa has etiam res quæſtio, an *partus* ſimpliciter ab *vtero ipſo* dependeat; an vero *infans* aliquid imo vero multum fortaſſe ad illum contribuat? Stant autem pro *priore* membro euidentia admodum experientiæ documenta. Nam (1) ſentiunt ſæpe fœminæ prægnantes non ſolum fortes *motus*, imo veluti manifeſtos *niſus calcitrantis* infantis; adeo, vt etiam non raro acutum quendam *dolorem* inde percipiant: ſed tam ſine *incitamento*, quam *ſucceſſu* dolorum verorum ad partum pertinentium. (2) Sub ipſo interim *partu*, ſeu *doloribus* ad partum, huiusmodi quidem motus nihil percipiunt: (3) quos autem adhuc intercurſantes infantis motus ſentiunt, illos facile vtique a *partus doloribus* diſtinguunt. (4) Quemadmodum etiam *ſub ipſo partu* communiſſime admodum rari ſunt huiusmodi motus infantum. (5) Interim multis parturientibus, inprimis, quibus *promte* procedit partus, plane nullus talis motus infantis obtingit. (6) Exluditur etiam partu non ſolum *abortus* prorſus im-

Partus fit per motus ſpaſticos.

An fœtus aliquid contribuat.

immaturus; (7) ſed etiam per *animi pathemata*, matris potius (exemplo *epilepſiæ*, *calculi*, *arthritidis* &c.) quam *fœtus* commotiones directas prouocare ſolita. (8) Neque minus fœtus etiam *mortuus* doloribus partus, ſeu *ſpaſticis* conatibus ad partum, eliditur: (9) quin etiam alia *concrementa*, quas *molas* appellant. (10) Imo durant interdum, & frequentibus inſultibus recurſant, *dolores tales*, etiam pluribus *poſt* excluſum *fœtum*; inprimis autem, quando intemperantius fluens ſanguis *lochialis* in magnos *grumos* coagulaſcens huiusmodi expreſſiones poſtulat. (11) Norunt autem vel paulo magis prudentes fœminæ diſtincte admodum diſcernere, cum quemlibet ſenſum a motu infantis, tum *torminoſos* dolores, quamcunque tandem regionem abdominis exercentes, tum denique veros *ad partum* dolores. Quibus rebus (12) accedit, quod etiam fœminæ parturientes incontinentia ſua, tam corpus intempeſtiue aut intemperanter mouendo, quam *quiritando*, imo *blaterando*, tanto magis autem *eiulando*, & *halitum* qualitercunque retentum cito ſurſum *elidendo*, dolores illos ſeu motus ad partum cito & grauiter interrumpere poſſint: quod quidem, ſi *infantis* ille eſſet motus, quomodo ita fieri poſſet, nemo facile diſpexerit. Quæ omnia atque ſingula vti nullo modo ad *fœtus* ipſius motum aut *niſum* pro exitu ſui ex hisce clauſtris ſatis commode referri poſſe apparet; ita ex aduerſo ſatis manifeſtum faciunt, quod *vterus* ipſe matris eiusmodi *ſpaſticos* motus perpetret, quibus illa *expreſſio* hactenus geſtati fœtus abſoluatur.

Succeſſus partus.

§. LIV. Succedit autem *partus* illis progreſſibus, vt ante omnia magno vteri *niſu ſpaſtico*, admodum fortiter a *fundo verſus orificium* facta conſtrictione, *membranæ* ipſæ fœtum continentes *rumpantur*, adeoque contentum ſuum humorem effundant: eo ipſo vero imminuta mole vniuerſa, *graciliori* dehinc corpori fœtus tanto faciliorem exitum relinquant. Prodit itaque ante omnia *caput*, vtpote pars corporis *fœtus* ordinarie *maxima*. Hoc ſequitur deinde facilius, *humeris* compreſſis, & *brachiis* ad latera graciliora appreſſis, reliquum corpus.

Secundinæ.

§. LV. Cum autem totum corpus cohæreat *ſecundinis* per *funiculum vmbilicalem*, relinquere ſolent obſtetrices infantem, per hunc *funiculum ſecundinis* adhuc cohærentem, donec illæ etiam ſponte ſuccedant. Quarum quidem, *ſecundinarum* inquam, poſt fœtum excluſio pari argumento eſt, quod *eliſio* illa *fœtus* quoque, æque atque hæc *ſecundinarum*, *vteri* ipſius ſit actio. Cum enim *placenta* ſecundinæ in *latitudinem* notabilem exporrigatur, quando iam *vacuus* de reli-

reliquo vterus arctius *conſtringi* poteſt, *detruditur* hoc ipſo hæc portio ab illa cohæſione firmiore, imo vero *auellitur* ab illa hac *contentione* vterus, fortiore nempe ſui *corrugatione*. Minime vero fieri poteſt hæc *auulſio*, quin *hæmorrhagia* ſubſequatur, ab illis vaſibus, quæ *paruis* quidem, ſed *multis* tamen ramificationibus e materno corpore in *placentam* diſſeminatis, nutrimentum eo vsque fœtui ſuppeditarunt.

§. LVI. Infans autem ipſe ita in lucem emiſſus liberatur a ſecundinæ cohæſione per *reſectionem* funiculi vmbilicalis. Ita quidem, vt ad duorum forte pollicum mechanicorum menſuram a corpore fœtus reſectio ipſa fiat; interim recepta vulgo methodo, nec illa quidem contemnenda, adhuc portio ſatis longa duarum prope ſpithamarum, aut vnius & dimidiæ ad minimum, a reliqua verſus ſecundinam reſecta, dictæ illi portioni continua relinquatur, interiecta ſolum nominata illa a corpore diſtantia, *ligatura* ſatis firma, per filum aliquoties reduplicandum, non ſolum ne facile disrumpi poſſit, ſed etiam, ne tenuitate ſua altius iuſto in molliculam funiculi huius ſubſtantiam ſeſe immergat. Hac ratione *marceſcit* primo intercepta illa longior funiculi pars; & cum abdomini infantis linteolo ſaltim interiecto immediate impoſita iaceat, *ſicceſcit* etiam aliquot dierum ſpatio: illo vero loco, vbi reliquam *viuam* portionem immediate ſub ligatura contingit, abſcedit ſenſim, donec tandem decidat. Interea *conſolideſcit* illa portio vaſorum, quæ a *ligatura* introrſum ad cauitatem abdominis pertinet. **Reſectio funiculi vmbilicalis.**

§. LVII. *Expurgari* omnino ex inteſtinis fœtus debet ſaburra illa *mucoſo-biliosa meconii*; vtpote certas alias, cum lacte concurrendo, & graues quidem ſubinde turbas minitans. Huic quidem rei apprime proſpexiſſe videtur ipſa *natura*, dum antequam *ſpiſſum* & valde *alterabili* conſiſtentia imbutum *lac* per meatus mammarum ſufficienter diſtentos penetrare poſſit, interim ſeroſa quædam proluuies tenuior, non omni tamen tali lactea alterabili ſubſtantia deſtituta, primo prodeat, quam *coloſtrum* vocant. Auerſantur vulgo mulieres delicatiores, & ſua opinione prudentiores, huius vt arbitrantur *impuri* atque magis *tetri* lactis exhibitionem, & damnum inde aliquod metuunt infanti; ſed re vera contra naturæ inſtitutum, quo potius hæc materia abſtergendo atque proluendo *meconio* recte ſubſeruit, nullum autem vsquam, minime omnium autem tale atque tantum damnum infantibus minitans, quantum *verum* & ſpiſſioris conſiſtentiæ *lac* mox a principio, ante omnia vero *meconio* nondum decenter euacuato, infanti ingeſtum. **Expurgatio meconii per coloſtrum.**

Infans plus dormit quam vigilat.

§. LVIII. Natus nuper infans quo melius habet, eo certius & conſtantius *dormit* plus, quam vigilat. Sicut enim etiam *oculi* adhuc tenerrimi fulgore lucis facilius offenduntur; ita tam hoc reſpectu, quam quod etiam his temporibus infans ad *ſenſuum* reliquorum etiam magis exquiſitum vſum re vera adhuc inidoneus exſiſtat, ceſſat propterea adhuc tantiſper ab horum tentamine per *vigilias*. Neque vero hæc tantum circumſtantia confirmat illam *dormiendi* potius quam vigilandi hac ætate propenſionem; ſed confirmat etiam illius *vſum* & *auerſionem* veluti *mentis* a *ſenſuum* exercitio, quam diu adhuc *vitali* nutritiuo negotio magis intentum eſſe conuenit, altera illa ſed nihil vtique diſpar obſeruatio, quod tam hac quam alia qualibet ſuccedente ætate maior a rebus *ſpeculatiuis* auerſio, & otioſa magis quies tranquilliori atque pleniori corporis *nutritioni* nimio plus conferat, quam ex aduerſo multa *animi*, inprimis autem *ſollicita* exercitatio atque *ſpeculatio*.

Succeſſiue aliqua ſigna intellectus edit, nec non terroris atque pauoris.

§. LIX. Ita quidem ſuccreſcit infans, magis magisque aliqua ſigna qualiscunque etiam *intellectus* circa res extrinſecus aduenientes exhibens, *ſubridendo* inprimis ad aliquas certas *crepitationes*, *ſibiles*, imo *geſtus* alloquentium: ſicut etiam ex aduerſo *terroris* atque *pauoris* ſigna ſic ſatis mature edere conſpicitur, tam a *terroribus*, magis immediate ab externis cauſſis coorientibus, quam a *nutricum* ſimilibus affectibus, per *fremebundum* quendam corporis *motum*, circa *tonicos motus*, vt reliquos *vitales*, maxime ſenſibili infantili indoli communicatis.

Lactis prouentus.

§. LX. Matri interim, quamuis fere ſtatim ab ipſo partu *mammæ* aliquem aditum humorum ſuſcipere ſentiantur, communiter tamen *tertio* demum die, aut *quarti initio*, maiore impetu velut irrumpendo, lac prouenit: & tunc quidem demum *verum* atque bonæ conſiſtentiæ; quod prioribus diebus *tenue*, imo totum *ſeroſum* & nullius bonæ conſiſtentiæ fuerat. Hoc tali nutritur poſthac infans recte atque commode; tanto magis, ſi ſenſim etiam *ſolideſcentia* alia, de quibus iam ſuperius abunde dictum eſt, coniungantur.

SECTIO

SECTIO V.
DE SENSV.

§. I.

IN eo hactenus occupati fuimus, vt ſimpliciter quæ ad ipſum actum *conſeruationis vitalis* pertinent, dilucide & ſatis prolixe, ne quid omiſſum videretur, commemoraremus: ſuper eſt, vt etiam de illo actu quæ ſcitu neceſſaria ſunt recenſeamus, qui ad conſeruationem vitalem equidem *directe* concurrere non videtur; interim tamen ad *craſſiores* corporis *deſtructiones* euitandas omni modo ſubſeurit; ſimul vero vtique *corpori animali* non magis, quam toti *ſyſtemati* animali ita debetur, vt præcipuis eius *finibus* ſimpliciter famuletur. Tranſitus ad ſequentia.

§. II. Loquor de negotio SENSATIONIS, quod in *humana* ſpecie, eminentiſſimo huius actui *rationali*, adeo neceſſarium reputarunt veteres, vt etiam non dubitarent aſſeuerare: *nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu.* Et ſane ſine ſenſus ope nunquam de rebus *vt præſentibus* veram aliquam conſiderationem inſtitui poſſe maniſeſtiſſimum eſt; dum omnes aliæ cogitationes, quantumcunque etiam *in abſtracto* veræ eſſe poſſint, tamen in eo veritatis impotes ſunt, dum non de illis rebus, *quæ* reuera exſiſtunt, vbi exſiſtunt, & *vti* exſiſtunt, ſcopo ſuo potiuntur: ſed *in genere* ſolum circa *vagas*, & inprimis quoad *tempus*, *quantitatem*, *qualitatem*, *locum*, *incertas* res ita occupantur. Senſatio.

§. III. Ne tamen in hac re, vtpote a noſtro foro penitus aliena, temporis diſpendium faciamus, ſuffecerit illi reſpectui animum adhibuiſſe, quo ſenſationis negotium etiam ſimpliciter *corporis conſeruationi* non ſolum inſeruit, ſeu *vtile* eſt, ſed reuera huic ſcopo abſolute *neceſſarium* exſiſtit. Sicuti *vita* directe reſpicit *mixtionem* corporis, eiusque indeſinentem liberationem a ſubtilibus materiis ſiue *corrumpentibus* ſiue *corruptis*; & hoc per *motus* talibus materiis proportionatos, nempe ſubtiliter *ſecretorios* & *excretorios*: ita *ſenſus* & *motus localis* occupantur primo, & vere directe, circa *conſeruationem ſtructuræ* corporis, eiusque liberationem a rebus *craſſioribus*; & hoc per actus re vera etiam proportionate *craſſiores*, nempe *locales* remotiones vel ipſius *corporis* ab iſtis rebus, vel illarum *rerum* a corpore. Quo ſane intuitu cum vſus ille, quem *ſenſus intellectui* & *motus voluntati* exhibent, præcipue nitatur exquiſita integritate ſtructuræ corporis: propterea certe *prior ordine* eſt ille vſus, quem *ſenſus* & *motus* exhibent immediate ipſi Corporis conſeruationi non ſolum vtilis ſed etiam neceſſaria eſt.

conſeruationi *integritatis* huius. Vt adeo ordine omnino *primus finis* ſenſationis omni modo ſit *conſeruatio ſtructuræ* corporis, mediantibus *motibus voluntariis* localibus, *ſubtrahendo* corpus a rebus noxiis, aut *remouendo* res illas a corpore.

Vſus hic minime eſt in poteſtate Medici.

§. IV. Quantumlibet autem hoc ita ſeſe habeat, tamen totus hic vſus minime eſt in poteſtate *Medici*; præterquam vt hic illic nudum forte *conſilium* ſuppeditet. Tanto minus autem pertinet ad eius conſiderationem *modus fiendi* aut *agendi* tam ipſius *ſenſationis*, quam *motus localis*. Vnde quidem tota hæc tractatio a *medica phyſiologia* abeſſe debet; quia tamen vſitati moris eſt, etiam hanc rem *phyſiologiæ* paſſim inſerere, tradam illam etiam hoc loco, quanta fieri poteſt minima prolixitate.

Senſatio quid ſit.

§. V. SENSATIONIS negotium, & cum hac connexi *motus localis*, eſt *actio ipſius animæ, res externas per organa vere mechanica proportione inſtructa* partim *agnoſcendi*, partim *voluntatem* ſuam circa illas formatam in *effectum* deducendi. Hunc maxime locum inuadit communiter iactata illa *quæſtio*, imo minus moderatorum potius poſitiua *adſertio*: *an ſenſatio fiat per actionem quandam*, an vero potius *paſſionem nudam*, aut ſane *præcipuam animæ?* ſiue, vt vulgo loquuntur, *impreſſionem* in animam. Illi quidem, qui toti in *craſſis* conceptibus hærent, non dubitant hoc adſerere, quod *ſenſatio*, ſeu *perceptio* & *diſcretio* ſenſualis, ſimpliciter paſſiue ita velut *obtrudatur* animæ, vt illa non poſſit, niſi, quod Germani aiunt, ſuper illas res ita ſibi obiectas *ceſpitando* offendere.

Argumenta quod ſenſatio fiat per actionem animæ.

Primum a neceſſitate ſtructuram corporis conſeruandi & præſeruandi.

§. VI. At vero, cum hic *duo* præſto ſint in contrarium *argumenta*, quæ affatim demonſtrent, quod præcipuæ partes in ſenſatione potius veræ *actioni* animæ debeantur; iuſtum certe & æquum eſt illis potius auſcultare, quam otioſas eiusmodi automaticas *corporis ab anima ſeorſim efficacis & actiui* ſcenas effingere. Nituntur autem argumenta illa primo *a priori*, vera neceſſitate *conſeruandi* atque *præſeruandi ſtructuram* corporis a variis nocumentis, quæ ipſi a rebus, inter quas abſoluta neceſſitate verſatur, etiam pari abſoluta neceſſitate vere imminent atque impendent. Ab hiſce rebus cum corpus liberari atque præſeruari nulla alia ratione poſſit, quam *localibus motibus* proportionatis; proportio autem iſta aliunde formari non poſſit, quam (1) a *perceptione* atque *cognitione*, (2) ab *æſtimatione* quoque paſſim illarum externarum non tam ſolum *rerum*, quam inde certe adhuc nuda fictione mentis *præſupponendorum euentuum*: manifeſtum inde vtique eſt, quod ipſa *ani-*

ma omnino ita a priori inuigilare *debeat* huiuſmodi non ſolum rebus, ſed etiam *probabilibus* illarum noxiis *effectibus*; adeoque *ſenſoriis* organis vere *actiue excubias* agere, quibus non ſolum irruentes, ſed paſſim etiam *ingruentes*, imo *impendentes* res, nondum actu nocentes, (nedum vniuerſum *effectum* noxium earundem,) ſed nocendi ſolum compotes, *mature* agnoſcat, & *motibus* conuenientibus illas a corpore arceat aut corpus ab illis ſubducat. In quo certe negotio actiuam animæ *intentionem* æque, atque organorum ſuorum ad hunc ſcopum *actuationem* atque *directionem* ſubeſſe debere, ſanæ rationi palam eſt. Confirmat etiam hanc rem illa veluti generaliter notiſſima animæ *potentia*, pleraque ſenſoria veluti *dirigendi* ad exquiſitiorem perceptionem; quod inprimis de *auditu* æque atque *viſu* notiſſimum eſt.

§. VII. *Alterum* huius generis non tam argumentum, quam verum omnino *documentum* exhibet inprimis duplex illa circumſtantia, qua non ſolum *ſollicita*, & familiariter etiam de mere *fictitiis* periculis, anima actum ſentiendi cum maxima cura atque *vigilantia*, *aſſiduitate* & *conſtantia* exercet: ſed etiam *contra*, vbi non ſolum ab omni ſollicitudine vacua, ſed etiam tædio atque *faſtidio* a rebus ſenſu proſequendis aliena facta, energiæ ſentiendi ſeſe ſubtrahit, & *actionem* ſuam non tam *in ſenſoriis*, quam reuera *in ſenſoria* & *per ſenſoria* hoc ipſo omittit. Obuia in horas ſunt harum rerum ſpecimina non ſolum in reliquis *trepidis* atque *ſollicitis* rebus quibuslibet, ſed tanto magis, quanto vel *obſcuritas* loci, vel *latebræ* circum imminentes *metum* incutiunt atque fouent, ne ex improuiſo aliquid noxium proſiliat. Vnde non ſolum *oculi*, qua patet illorum vſus, quin etiam qua non patet, in ipſis vsque ſpiſſis *tenebris*, viuida *intenſione* actuantur: & ad illorum etiam circumlationem promtam tota ceruix paratiſſima tenetur: ſed tanto magis vere *arriguntur* (vt in *brutis*) intenduntur etiam & veluti ad acute audiendum *diriguntur*, toto quoque capite ad illum locum conuerſo, *aures*, ne vtique fallere poſſit SONVS; qui propterea in tali conſtitutione etiam *tenuiſſimus* inſignes & *perceptiones* & *æſtimationes* paſſim faceſſit. Vix autem pueris ignota eſt meticuloſa illa ſenſus *tactus* intenſio, qua non ſolum *dolorum* perceptiones grauiter reformidando *auget phantaſia*, v. gr. in *virgarum* aut ſimilium plagarum metu: ſed etiam nec iisdem pueris ignotum eius rei ſpecimen exhibet ioculare illud ſenſationis genus, quod *titillationem* appellant. Quandoquidem hoc, præconcepto metu, non ſolum ante, quam corpus attingatur, fremebundos veluti horripilatorios motus illis, qui in hoc genere valde ſenſibiles

Alterum tam ab animæ ſollicitudine & vigilantia, quam eius tædio & energiæ ſentiendi omisſione.

Exempla vigilantiæ, oculorum intenſio & aurium arrectio.

Titillationis ſenſus, nonnumquam iocularis.

ſibiles ſunt, e ſolis *geſtibus* hanc vexationem intendentibus, incutit: ſed etiam alii, quando præuiſo tali inſultu animum obfirmant, nihil, aut longe ſane minus, hoc ſenſu percelluntur, quam contra, quando inopinato tali ratione tanguntur.

Exempla ſubtractionis energiæ ſentiendi.

§. VIII. Alterum autem eius rei exemplar notum eſt quam maxime in illis caſibus, plus quam fere deceat (quamuis etiam illos contingant, quibus re vera ab illis tumultibus alienus eſt animus) familiariter obuiis, quando inter inconditas *lætitias*, *ſpectacula*, *turbas*, *cantus*, imo *tubas* atque *tympana*, quando etiam his rebus deditos *ſatietas* cœpit, inter media illa etiam enormia ſenſoriorum *irritamenta* non *obdormiſcere* ſolum & ſatis tranquille atque placide, ſed ita *profunde* quoque dormire obtingit, vt etiam fortioribus concuſſionibus demum ad ſe reuocandi veniant. Cuius rei nimium quantum alienæ atque ſuperuacuæ rationes allegantur a *debilitate* & *atonia*, per diuturnum talem fremitum atque ſonitum *organis* prius inducta: cum paſſim ſeruuli, imo alii, haſce res non ſolum otioſe ſed etiam cum *faſtidio* ſpectantes & audientes, inprimis quando reliquum *dormiendi* tempus ipſis conſuetum concurrit, etiam in primis *initiis* harum turbarum, occupatis cum directo propoſito dormiendi angulis, in vtramque aurem ibi dormientes, ab omni *paſſione* ſentiendi alieniſſimos ſeſe præſtant, & totam hanc *philoſophiam mechanicam* ſimpliciſſime refellunt. Par exemplum eſt in *caſtris* militaribus; vbi, quorum de reliquo nihil intereſt, & otio magis quam vlla laſſitudine torpent, *tormentorum* bellicorum *ſonitu* a ſomno ſuo ne tantillum dimouentur, ſeu vlla ſentiendi *neceſſitate* afficiuntur.

Modus fiendi ſenſationis.

§. IX. Nimium prolixus ſum in hac re in genere demonſtranda, cum ſpecialis veri eius *modi fiendi* repræſentatio totum negotium abunde ſtabiliat atque commonſtret. *Organicus* actus ſenſationis comprehendit ſub ſeſe I. cauſſam *efficientem*, *propter* & *ſecundum finem* conuenienter agentem. II. *Actionem* ipſam in genere. III. *Organa*. IV. Tam actionis quam organorum *habitum ad obiecta*. V. *Finem* ipſum tam primum, *immediatum* & *proximum*, quam *mediatum* & *vltimum*. De cauſſa *efficiente* æque atque vltimo *fine* innuimus iam tum, quæ neceſſaria ſcitu putamus; de *actione*, huic negotio adhiberi ſolita, tenendum, quod illa *generatim* ſit MOTVS: *ſpeciatim* autem, noſtro maxime conſiderandi modo, quatenus ab ipſa *anima* præſtatur, diſtinguendus veniat ab illo *motu*, qui τὸ *formale obiectorum* ſenſationis *quatenus talium* abſoluit. Nempe *ſenſatio* in genere, for-

formali ſuâ ratione, eſt *modus* quidam, e mutuo *concurſu duorum* illorum *motuum* reſultans; *primo* eius, quem *anima* in organis ſenſoriis præſtat, *ſecundo* illius, quem ſubtilia *obiecta externa* organis ſenſoriis incutiunt. Vnde alteratio motus, quem *anima* in ſuis organis inſtituit, a tali *aduentitio* altero motu huic illata, quantum ad *corpoream* conſiderationem *formaliter eſt* ſenſus. Nempe ante omnia requiritur in *organo* ſenſorio peculiaris quædam ſubtiliſſima *motus* ſpecies *tenſiua*; deinde ab *obiecto* ſenſibili ſimiliter effectus quidam plus minus ſubtiliter *motorius* in illa organa ſenſoria *ita affecta* actu incurrens. His ita poſitis immediate propemodum fit *ſenſus*. Excepta ſola ſpecialiſſima *directione* ſimpliciter *arbitraria*, quæ vnam talem ſenſoriam alterationem præ multis ſimul incidentibus ita *ſpecialiſſime* eligit, vt reliquas vere non *percipiat*, aut in *iudicium* admittat: v. gr. quando ex ingente numero canentium vnius alicuius indiuidui ſono intenti huic auſcultamus, vbi reliquos vniuerſos, quando vnum illum exquiſitiſſime aſſequimur, vere non *percipimus* aut non *accipimus*.

§. X. Quæ omnia tanto melius forte intelligi poterunt, ſi vlterius *inſtrumenta* æque, atque *habitus* eorundem ad cauſſam *ſuperiorem* æque ac ad *obiecta*, propius examinata recte innoteſcant. Vbi cum noſtra intentio minime ferat, vt *hiſtoriam ſtructuræ* horum organorum *anatomicam* hic inſeramus, vbi ſaltem de *vſu* partium ſermo eſſe debeat; abunde ſuffecerit, ſi illud ſolum moneamus, quod in *inſtrumentis* ſenſoriis generatim *duplex* conſiderandus veniat *habitus*: vnus, quatenus reſpiciunt *obiectum*, alter quo *perceptioni* ipſi velut immediate famulantur. *Primus* ille habitus, ſi recte perpendatur negotium, omnino quidem, vti diximus, *obiectum* ſenſuum reſpicit, ſed tamen hoc ipſum etiam manifeſto in ordine, vt aiunt, ad *perceptionem* magis immediate promouendam: dum videlicet *colligit*, &, quod aiunt, *concentrat* ſpeciem ſenſibilem; adeoque non tam ſimpliciter *aditum* illi conciliat, quam talem inprimis *introductionem* eius abſoluit atque perpetrat, vt non tam ſimpliciter, ita vt *in ſe* ſunt, aditum inueniant, ſed re vera potius actu, non ſolum tanquam de induſtria *collecta*, adeoque etiam per ſociam energiam, *vnita vi*, fortius ſenſum exhibere poſſint; ſed omnino etiam, ſpecialiſſimo artificioſiſſimo *mechaniſmo*, etiam *aucta* vi: vt hinc etiam argumentum ſuppetat, quod negotium ſenſationis omnino peculiariter *propter finem* & ex vero *inſtituto* adornatum, fiat atque vigeat, poſtquam ita peculiaris *coaptatio* organorum præſto ſit, quæ niſi ita inſtrueretur, *obiecta* ſenſibilia pleraque nullum

Organa, eorumque habitus ad obiecta.

Peculiaris organorum coaptatio.

vſquam verum *aditum*, ſeu, vti vulgo loquuntur, *ingreſſum* ad *præbendum* ſenſum, per ſe inuenirent. Non autem niſi ex inſtituto vtor hic vocabulo *inſtructionis*, nempe quod ipſa organa *a priori* tali coaptatione *inſtructa* ſint; cum vtique hæc organa hunc ſolum & ſimpliciter nullum vſquam alium vſum in toto corpore habeant.

Efficacia organorum ſenſoriorum in quo conſiſtat.

§. XI. E qua certe conſtitutione nihil aliud, quam hoc vnum maxime luculenter comparere atque colligi poteſt, quod *ſtructura* hæc organorum horum directe in hunc *finem* facta, vt veluti coactum quendam & peculiariter *exacuatum aditum* & *actum* nanciſcantur ſpecies ipſæ ſenſibiles, minime adſtruat aut quoquo modo innuat, quod ille quicunque ſupponitur aditus & impetus ſpecierum ſenſibilium ſit talis atque tantus ex *propria* illarum, *ſimplici* atque *libera* efficacia, vt animæ ſimplicem aliquam *paſſionem* incutere, & in illam *directe* atque ſimpliciter AGERE poſſet. Nempe conſiſtit ita hæc efficacia *organorum* ſenſoriorum, qua obiecta ſeu *ſpecies ſenſibiles* ſpectant, in harum *concentratione*, *collectione*; imo ſimplicis illarum actiuitatis noua *exaltatione*, *reduplicatione*, imo *multiplicatione*: quod inprimis de *oculo* & *auribus* notum eſt. *Hac in parte diſpar* eſt diuerſorum *organorum* conſtitutio & ſtructura; nempe pro diuerſo *obiecto*, cui deſtinantur: ex illa vero parte, qua *perceptioni* ſenſoriæ inſeruiunt, *vniformis* magis ſunt conſiſtentiæ atque texturæ.

Nerui primum inſtrumentum motus.

§. XII. Nempe abſoluitur *organiſmus* ille ſimpliciter, *neruorum* interuentu; ita vt æqualiter vltimum vere ſenſibile inſtrumentum ad offerendas *perceptioni* ipſi ſpecies ſenſibiles ſint NERVI. Hi iidem NERVI cum etiam ſint primum ordine *inſtrumentum motus localis*, imo vero etiam *tonici*, quin abſolute omnis *motus* in partibus ſolidis; ſuppetit etiam inde argumentum, quod *proprie actuentur ad negotium ſenſationis ab eodem agente*, a *quo actuantur ad motum voluntarium*, & quidem *quatenus* voluntarius eſt. Sicut autem nemo eſt, qui dubitet, quod illa actio, quam *ſpecies* ſenſibiles ad negotium ſenſationis adferunt, re vera ſit *motus*, a tenerrima ſpecie, *radio* viſibili, vſque ad craſſiorem tactuum ſeriem: ita quod etiam ex parte principii ſenſum *percipientis in neruos*, atque *per neruos* in organa reliqua præcipue adferatur *motus*, diluceſcit propemodum e viſibilibus in hoc ipſo negotio phænomenis, vbi ad acutiorem ſenſationem, etiam *ex propoſito* velut intendendam, conſpicuæ quædam *tenſoriæ intenſiones* paſſim deprehenduntur fieri. Quod inprimis in *oculis* & *auribus* notum eſt.

§. XIII.

§. XIII. Vnde quidem totum negotium *ſenſationis* in eo proprie verſatur, vt *anima* quidem (certe etiam omnino propter *rationales* ſuas neceſſitates) ſubtiliſſimos *neruulos* in organis ſenſoriis ſubtiliſſimi cuiusdam *toni* ſeu *tenſionis motu* adficiat, ſeu hanc *actionem motoriam* in illis exerceat. Quod dum agit, quandocunque alius motus *aduentitius*, & pariter inprimis *ſubtilitate* ita *proportionatus*, vt in hæc ſubtilia organa etiam incurrere poſſit; fieri ita non poteſt, quin occurſus hic *aduentitii* motus illum motus actum, qui ab ipſa anima *in neruulis* illis ita *exquiſite* atque cum ſpecialiſſimo moderamine celebratur, in tantum alteret, vt anima ipſius huius *gradus*, *modi*, & *indolis* alterationis *agnitionem* atque *dignotionem* ipſo illo tempore ſimul perficiat & aſſequatur. Similitudo huius rei, modo non latius quam decet extendenda, omnino præſto eſt in exemplo *araneæ*, quæ tenſis telæ ſuæ filis alios proportionatos motus in illa fila incurrentes *inſtantaneo* actu, quo fiunt, perſentiſcit; non alio modo, quam quatenus ille aduentitius motus eum motum tenſorium, quem ipſa aranea in tela ſua inſtruit atque agitat, pariter ita contingit.

Senſationis negotium in eo proprie verſatur, vt anima, quæ motum in neruis intendit, ſimul alterum motum aduentitium percipiat, & illum in neruis pro neceſſitate inſtruat.

§. XIV. Vbi quidem, ſi micrologia *metaphyſico-logica* placeat, non inficiabor, quod prædicamentali illo ſenſu omnino hæc *alteratio motus in neruis* per motum aduentitium *paſſionis* nomine tandem inſigniri poſſit. Cum autem ſermo in hac materia ſit de *corpore* non ſolum *viuo*, ſed etiam omnino *organico*, adeoque de *directione* huius actuali ad ſcopum illum, ſeu finem ſuum organicum; & hæc ipſa *tenſiua* motitatio in neruis ſenſoriis ex inſtituto ita inſtruatur, vt illas vagas *aduentitias* motitationes re vera *captet*, easque etiam in anteceſſum ita *præſtoletur*, vt ne, vbicunque forte obuerſantur, *ſubterfugere* aut fallere poſſint: hoc certe intuitu atque ſenſu negotium hoc magis *reactionis* titulo, quam veræ atque ſinceræ *paſſionis* nomine venire deberet.

Num hæc alteratio in neruis paſſionis nomine an potius reactionis titulo inſigniri poſſit.

§. XV. Ne vero aliquis exiſtimet, quaſi in hoc negotio ſimpliciter *de lana*, quod aiunt, *caprina*, & *metaphyſicorum gryphorum* crepitaculis ſit aliquis labor; ſed potius manifeſto pateat, quod adſertio illa, quaſi ſenſus *ſimplici paſſione* in animam redundent, contra *phyſiologicam* potius *veritatem* & conſiderationem corporis, quatenus *viuum* eſt & vera rationalis *animæ officina*, imo contra harum rerum *veritatem* impingat: ſcire omnino conuenit, quod hæc adſertio, quaſi ſenſatio *ex parte animæ* fiat *pure paſſiue*, perpererit monſtra illa phantaſmatum circa œconomiam animalem, *primo*, quod totum negotium *ſenſationis*

Adſertio hæc, quod ſenſatio ex parte animæ fiat pure paſſiue, quæ monſtra pepererit.

 fiat

fiat ſine vllo *animæ* actiuo concurſu, *automatice* vt loquuntur. *Secundo* (in qua re inprimis recentiſſimi quidam ludunt) quod *repræſentatio* ſenſualis fiat *impreſſione* ſimpliciter *corporea*; adeo, vt inde fingant, quaſi reapſe *icunculæ* tales, quales per *motus ſpecierum* viſibilium formentur, in mollem ſubſtantiam *cerebri* inſcribantur, & in illa etiam poſthac *ſtabiles* perſiſtant: digna talibus cerebris philoſophia, quando applicatio facienda eſt ad ſpecies pleraſque *tranſitorias* & *euanidas*, vt *ſonorum*, *colorum* qua talium, *ſaporumque* atque *odorum* omnium &c. *Tertio*, quod negotium ſenſationis, vtpote ſimplici tali *automatica* ſtructuræ corporis *neceſſitate* fiens, nullum directum habeat *finem*; ſed ſimpliciter ab anima ſaltim ita *arripiatur*, & in ſuas vtilitates conuertatur. *Quarto* denique, quod ita anima etiam ſuis *intentionibus* atque *reſpectibus*, in adminiſtrationes ſenſationum *directe* nihil juris habeat.

Quantum patiatur anima in negotio ſenſationis, ſimilitudine oſtenditur.

§. XVI. Contra quos certe reſpectus & hoc ſenſu deſcriptam *paſſionem* animæ circa ſenſationes ſuffecerit illam ſimilitudinem allegaſſe, quod in negotio ſenſationum anima vtique tantundem *patiatur* quam *auceps*, quando in tendiculas eius, aut virgulta viſco oblita, aues imperum faciunt, quas ille deinde capere & in vſus ſuos conuertere neceſſe habeat, *niſi quidem ne vult*. Sed certe etiam ex hac, quantumcunque ridicula reputari poſſet, *ſimilitudine* facile tamen fuerit aſſequi, quomodo etiam re vera fieri poſſit, vt ſecundum *ſpecies* rerum in ſenſus incurrentium anima ſæpe & multum aliquid *patiatur*; quando nempe ipſi euenit, quod *Horatius* ait: *amphora cœpit inſtitui, currente rota, cur vrceus exit?* nempe, cum vtique ad ſentiendum *in genere* hic re vera proprio atque proximo ſignificatu *intentos habet neruos*, dum hoc *agit*, neceſſario vtique *pati* debet, vt quidlibet *in ſpecie* & quaſi *promiſcue* deinde *teneatur ſentire*; manente tamen ipſi interim omni modo libera *electione*, quid ex illis proprie ad ſuos *fines*, ſiue *vitales* ſiue *rationales*, eligere atque *aſſumere* velit.

Vniuerſum negotium ſenſationis breui conſpectu VIII. momentis ſiſtitur.

§. XVII. Vt itaque breui conſpectu negotium vniuerſum ſenſationis ante oculos veluti ſiſtamus, ſciendum eſt

I. Quia corpus inter varias res alias verſari debet, quæ ipſum variis modis labefactare, imo deſtruere, valerent, niſi mature ab illis eximeretur, atque hanc earum efficaciam ita euitaret: neceſſe vtique eſt, vt hoc ita fiat, vt inquam præſenti actiuitati illarum rerum omni modo *ſubtrahatur*.

II. Cum vero præterea illa conſtitutio corporis, quæ hiſce methodis ita *ſaluari* debeat, non ſolum *vitæ* ſed omnino etiam ipſi *rationi* famu-

famuletur, nempe *exſecutioni voluntatis* per *motus* voluntarios; imo etiam inſuper *ſenſus* magis immediate quoque ipſi *intellectui* obiecta quaſi ſimpliciter ſubminiſtrare debeant: intereſt propterea ipſius etiam vtique *animæ rationalis*, vt *organa ſenſoria* atque *motoria ſarta tectaque* conſeruentur, & ab omnibus iniuriis atque corruptelis *præſeruentur*.

III. Hoc non poteſt fieri, niſi talium rerum, quæ ita nocere poſſint corpori, & *præſentia* in genere & *conditio* in ſpecie *agnoſcatur*; & agnitis his etiam *ſubtractio* corporis ab illis, aut *remotio* illorum a corpore, motibus voluntariis abſoluatur.

IV. *Agnitio* illa non poteſt fieri, niſi famulitio ipſius *ſenſus*; mediante quo videlicet *præſentia* illarum rerum percipiatur, id eſt *diiudicetur*, & *intelligatur*: *remotio* non poteſt fieri, niſi *motu locali*, ſed omnino *voluntario*; & quidem *voluntate intellectum* non ſolum *ſimpliciter* ſed etiam *proportionate* ſequente.

V. Huic itaque ſcopo perpetratur ante omnia ſubtiliſſimus quidam *actus motorius* in tenerrimis *neruulis*, mediante quo hi quadantenus *tenſi* ſeu *ſubrigidi* ſeruantur: imo etiam, quantum poſitus corporis noſtri ad ipſa obiecta ſenſilia poſtulare videtur, *inclinantur* atque *diriguntur* eo etiam integra *organa* ſenſoria illa ſui parte, qua vere *captare*, nempe non ſolum *colligere*, & vnita vi quaſi *cogere*, ſed etiam vel plane aucta per artificium agilitate, quæ illis ſolum *ſimplicior* ineſt, perceptioni offerre atque ſiſtere poſſint. Vnde etiam *obuertitur* corpus vel tota ea parte, in qua ſedent organa illa, verſus illum *locum*, vbi hærent, aut vnde quaſi ingruunt obiecta illa ſenſibilia.

VI. Ita demum & non aliter conſtitutis & inſtructis, *tentis* atque *intentis* organis tandem occurrens in ſubtili pariter *motu* conſtituta *ſpecies ſenſibilis*, miſcendo veluti ſuum motum cum illo, qui in *neruis ſenſoriis* celebratur, præſtat ita illud, quod ſaniore acceptione intelligi poteſt ſub antiquo vocabulo *ſenſus communis*.

VII. Tunc autem demum vtique ſuccedit *actus animæ* vere *diſcretorius*, quo illa inter immanem numerum obiectorum etiam vnius de reliquo ſenſus *diſtinctiones* inſtituit, partim *nominatas*, partim etiam nullo peculiari *nomine* ſatis exprimendas, interim tamen in rei veritate omnino fundata & vere exſiſtente *differentia*: v. gr. diuerſis *gradibus*, imo re vera *ſpeciebus* quoque vnius eiusdemque generis *colorum*, v. gr. *purpurei*, qualis in diuerſis floribus manifeſto *diſcernendus*, vt vt nulla vocis expreſſione ſatis *diſtinguendus*, paſſim occurrit: ſicut etiam de *ſaporibus* & *odoribus* hoc notiſſimum eſt.

VIII. E quibus tamen vniuerſis rebus animi quem aduertant compotibus non poteſt non diluceſcere, quod *actus* ſenſationis vere & ſimpliciter ſit *tranſitorium* quiddam, quod non ſolum in *inſtanti* fiat, ſed etiam iterum eo ipſo *inſtanti* illud inquam *numero quodlibet punctum* temporis & actus ſenſationis etiam iterum *tranſeat;* minime vero vllam *ſtabilem* impreſſionem in vlla *corporis* parte aut loco relinquere poſſit, quod alias illi fingunt, qui de *actu memoriæ* re vera iocularem conceptum effingere cordi habent.

Æſtimatio iucundi & aduerſi.

§. XVIII. Supereſt, vt pauca ſolum verba adhuc adiiciamus de illo *iudicii* ſenſualis negotio, quod ſenſationem fere perpetuo preſſo pede inſequens, fundamentum conſtituit illorum *motuum voluntariorum*, quos ſenſuum gratia ſuſcipere ſolemus. Sunt autem reſpectus ita appellatarum rerum, ſeu *æſtimationum* potius, IVCVNDI & ADVERSI. Harum certe rerum, quantumlibet illæ manifeſto ſint *actus electionis* non ſolum, ſed vere & ſimpliciter *voluntatis*, nemo tamen homo vllum vsquam *intellectum* declarare, de illis *ratiocinari*, aut *diſtincte cogitare*, aut *conceptum* ſuum exprimere poteſt.

Num de his poſſit dari ratio.

Fatua in hoc genere eſt excuſatio antiquorum, dum *appetitum ſenſitiuum* & *inſtinctum naturalem* prætendendo, & negando, quod in his rebus aliquid *voluntati* competat, eo ipſo efficere volunt, vt ipſis concedatur, quod de hiſce rebus non poſſit *ratio* dari, quia in illis *ratiocinatio* nullas habeat partes.

Recentioris philoſophiæ ſententia de hac re.

§. XIX. At vero, quantumlibet haut iniuria *fatuas* appellem haſce horum nænias, aureæ profecto, vt vulgo loquuntur, illæ adhuc ſunt præ iſtis recentiſſimæ philoſophiæ deliramentis, quæ narrant, quod *impetus motuum illorum*, quos obiecta ſenſibilia *incutiant organis ſenſoriis*, ſit eius incoercibilis impetus atque energiæ, vt non ſolum *neruos* ſenſorios percellat, & in his *ſpiritus* illos obnoxios exagitando, eo ipſo *actum ſenſationis* ludat & exerceat: ſed etiam ſiue hos eosdem ſiue iterum alios *ſpiritus* mox *in muſculos*, præſertim *proportionatos*, mirabili ordine & intentione *ad potiendi finem* ita obnoxioſe adigat, vt eo ipſo omnes *ſummi medii* & *infimi* motus *numero*, *ordine* atque *gradu* abſoluantur, qui illis *appetituum* dictorum (ſecundum hos, *fictorum*) ſpeciebus omnibus modis atque methodis quadrant.

Datur ſpecimen huius philoſophiæ in columbis campeſtribus.

§. XX. Vt ſpecimen demus huiusmodi philoſophiæ. Quando occluſo per noctem aut in multum diem columbario tandem reſeratur exitus, ibi columbas, quæ volatu in campos alimentum ſuum conquirere natæ aut doctæ ſunt, vulgo Feld-Tauben, e particulis, quæ e diſſitis

diſſitis agris ab ibi forte iacentibus granulis varii generis leguminum atque ſeminum emanantes aërem perpetuo replere credendæ ſunt, aliquæ, incertum an per olfactus an vero guſtus organa, in columbam irruentes, commouent huius ſpiritus, vt illi omnes partes volatui præſtando idoneas eo impetu exagitent, vt ita inde ſequatur effectus ipſe, quem volatum appellamus. Hoc motu eo vsque continuato, vbi ſunt aliqui tales campi ſeu arua frugifera, ibi ad ſe fortius adigendo, tandem eo vsque impellant reliqua conuenientia organa, emanantibus ſuis particulis ipſa illa grana, donec ab illis deuorentur. Quamuis autem hic excipi poſſet, quod cum huius generis columbæ in villis præcipue degere ſoleant, in quibus & horrea per autumnum nondum trituratis, & granaria etiam liberis huiusmodi granis maxima ſubinde quantitate plena, vel defixas ibi tenere deberent columbas; & inſuper reditus columbarum in domicilium ſuum negotium merito cenſeatur in hac philoſophia impeditiſſimum &c. tamen huiusmodi difficultates in theſi ſaltem ſilentio inuoluendæ, in antitheſi vero pro cauillationibus, & res ſerias deridendi libidine, arguendæ ſunt. Quibus rebus conceſſis, omnia reliqua in plano poſita erunt.

Excipitur contra hanc ſententiam.

§. XXI. Illis, quibus huius doctrinæ varia noua conquirere non arridet, illud forte ſuccurrerit, quod magis legitimæ atque ſimplices, neque nuda aliqua *adſuetudine æſtimatoria* introductæ *iucundi* aut *aduerſi* æſtimationes, atque his ſuperſtructi *appetitus*, quam communiſſime occupentur circa res, quæ vel *nutriendo* & commode *alendo* noſtro corpori eximie conferant; vel ad *ſpeciei* etiam *propagationem* reſpiciant, idoneæ ſint atque contribuant. *Iniucundum* autem atque *moleſtum* inuenient multum paſſim, quod promta quadam atque proxima efficacia *deſtructioni* corporis noſtri aptum atque paratum exſiſtat.

Simplices & legitimæ æſtimationes iucundi & aduerſi circa quas res occupentur.

§. XXII. De reliquo vero circa *intellectum* verum atque realem, ſed minime interim *ratiocinalem* aut *cogitabundum*, circa veram *diiudicationem* obiectorum ſenſibilium in genere, & *diſcretionem iucundi* & *iniucundi* circa ipſas, obiter quidem recordabitur appellationis antiquæ *inſtinctus naturalis*: recentiſſimæ, vero traditionis, ſub ſpecioſiſſimo prætextu non modo vaniſſimæ, ſed paſſim etiam falſiſſimæ, quod negotium *ſenſationis*, & motuum ſeu *appetituum* ſenſitiuorum, imo his denique ſeruientium *motuum localium* voluntariorum, quantum ad *efficientiam*, abſolute & immediate dependeat a *voluntate diuina*; aut *niſibus*, ab *eadem*, in prima creatione, cuilibet materiæ impreſſis, & iugi quaſi continuato fluxu per quælibet indiuidua procedentibus.

Antiquiores explicare volunt hanc diiudicationem appellatione inſtinctus naturalis: recentiores voluntati diuinæ aut niſibus adſcribunt.

Diſcretio obiectorum per ſenſus eſt omnino rationalis & intellectualis.

§. XXIII. Vt vero etiam de ipſa re, *intellectu* inquam illo vere omnino *rationali*, non autem *ratiocinali* & per collectiones *cogitabundo*, aliqua moneamus; conſiderandum omnino venit, quod *diſcretio* obiectorum per ſenſus, ſeu vera *diſtincta perceptio* ſingularum atque *ſingularium* rerum, omnino *rationalis* & *intellectualis* exiſiſtat, licet non *a poſteriori intelligibilis*, *ratiocinabilis*, & *cogitatione* ſecundum omnes circumſtantias comprehendenda.

Aſſertio, quod perceptio hæc ſit nuda impreſſio ideæ ab obiecto formatæ refellitur per hanc circumſtantiam, quod in variis ſenſationibus reminiſcentia in vſum trahatur.

§. XXIV. Sicut enim per ſe & abſolute perplexa eſt illa aſſertio atque locutio, quaſi perceptio ſit nuda *realis impreſſio ideæ* ab ipſa re externa ſeu obiecto ſenſibili efformatæ, & per organa in cerebrum *transmiſſæ*: ita refellit etiam omnem dubitationem, quod *intellectus* & rationalis animæ actiones in hiſce rebus vere concurrant, & ſummum colophonem negotio imponant, notiſſima illa circumſtantia, quod in varii generis etiam ſubtilibus & quaſi in totum *tranſitoriis* ſenſationibus, v. gr. *odorum* atque *ſaporum*, quin etiam exactiore iudicio de *mixtura colorum* formando, ſubinde *penſitatio* quædam & vera *reminiſcentia* in vſum trahatur: vnde vel repetita applicatio organismi ſenſorii in ſubſidium vocatur; vt repetitis *deguſtationibus*, repetitis intentioribus *inſpectionibus*, repetitis *olfactus* explorationibus, & vbilibet *penſitabunda* mentis atque animi applicatione, vera vltima *perceptio*, ſeu *ſpecifica diſcretio* hac ratione pertentetur. Ita enim v. gr. deguſtando ſæpe dubium nudum tantum primo oritur, quod talem materiam etiam iam alias *guſtauerimus*; aut etiam circa res notiores in *mixtis ſaporibus* dubia illa quæſtio: Wornach ſchmecket doch nur dieſes ꝛc. es iſt mir bekandt, ich kan nur nicht darauf kommen ꝛc. vnde *repetita* deguſtatione, & intenta quadam, licet varie *mediata* & implicita *recordatione*, tandem adhuc inuenitur concluſio, atque verum decretum: imo etiam in re adhuc conſtanter *dubia*, neque vllo *proprio* auſu expedienda, ſi *ab alio* ſuggeratur vera *determinatio*, facile & promtiſſime paſſim, interdum tamen etiam cum denuo repetito examine tam *organico* quam *penſitabundo*, tandem aſſenſus decernitur.

Iudicii rationalis energia.

§. XXV. Conſideranda vero omni modo eſt illa veri atque realis *iudicii rationalis* energia, qua in multis ſpeciebus ſenſibilibus vera *diiudicatio* & nominis vsque *aſſignatio* omnino abſoluitur, absque vlla vulgo dicta *cogitatione*, ſeu *diſtinctis* circumſtantiis innitente conſideratione. Ita enim quando odor *violæ*, *roſæ*, *lilii conuallium* occurrit, etiam ſine adhuc comparente reliquo corporeo *viſibili* ſubiecto ipſius *floris*, promta illa agnitio ſpecialiſſima rei eius, vt in ſe re-

huius

uera eſt, inuoluit vtique non ſolum *priuatiuam* aliquam *ſeiunctionem* huius præſentis odoris ab aliis, quod non ſit *lauendulæ*, *ſaluiæ*, *rorismarini &c.* odor; ſed etiam complectitur vtique omnino *poſitiuum* plane quiddam, nempe illius veræ atque certæ rei aſſignationem, quæ vere & realiter huic odori velut hoſpitium præbet. Vbi videlicet, licet explicatio *conceptus*, & quicquid in illo etiam nobis ipſis præfigurare adhuc valemus, aliud quiddam quam hoc ipſum de quo proprie decretum noſtrum valet, exſiſtat; dum nempe non illud *quod eſt*, *& vti eſt*, ſed tantum *in quo eſt*, *ſeu vbi eſt*, exprimimus, dum odorem *vt roſæ*, *vt violæ*, vel dicimus, vel ducimus: tamen manifeſtum eſt conſiderandi compoti, quod nullo modo ita aſſignare poſſemus illud, *in quo* eſſe ſoleat talis ſiue odor, ſiue ſapor, niſi prius *ipſum in ſe* certo diſtinctum, & illam diſtinctionem apud nos *certo conſtitutam* haberemus. Vnde vtique fit in hisce rebus abſolute vera actualis *diiudicatio*, quantumlibet nulla concurrat aut concurrere poſſit *præfiguratio*, aut e pluribus circumſtantiis ordinata atque prolixa *collectio*, & operoſa denique concluſio.

§. XXVI. Eſt autem reuera in hac re adhuc longe abſtruſioris etiam conſiderationis fundamentum de vero illo *reali*, *promto* atque *firmo intelligendi & volendi* habitu in anima humana citra *cogitandi* atque craſſius *comparandi* ſubſidium: vbi inprimis animaduerſione digna eſt exquiſita *veritas* in his rebus, eiusque ita expeditiſſima & velut in inſtanti facta *diſcretio*: quaſi illa vmbram nobis ſeu potius leuiſſimum radium effulgentem ſubindicaret *intellectus* illius atque inſtantaneæ profundioris agnitionis, quæ a primordialibus traditionibus ad nos vsque continuata videtur, de *protoplaſtorum* in hoc genere energia ante lapſum, ex illis ſcripturæ verbis, quod Adamus creaturis impoſuerit nomina ſecundum propietates illarum. Imo vero videtur huius negotii etiam adhuc maius veſtigium comparere in ipſa etiam *voluntatis* ſenſualis tanta paſſim promtitudine ad aſſignandam atque tribuendam iam *iucunditatem*, iam *aduerſitatem*, iam *otioſam* & *indifferentem* veluti *fatuitatem* ſeu *inutilitatem*.

Eſt in anima habitus intelligendi & volendi citra ſubſidium cogitandi atque comparandi.

§. XXVII. Quo quidem loco etiam ſuccurrit conſideratio illius declarationis ſenſualis, qua pleraque omnia ſenſibilia *primis intuitibus* notare conſueuimus; dum videlicet illis, primo actu & intuitu, & ſimpliciore adhuc totius noſtræ intentionis rationalis habitu, in ætate teneriore (quin apud omnes homines a πολυπραγμοσύνῃ alieniores) præcipuus fere, & propterea *primus* etiam omnino, quin ſubinde *ſolus*, eſt

Omnibus ſenſibilibus aſſignatur nomen quoddam, quo habitus illarum ad noſtrum corpus

aut noſtram voluntatem exprimitur.

eſt hic reſpectus, & exprimitur etiam ita familiariter primo atque ſimpliciſſime omnium, vt rebus talibus tanquam immediate aſſignetur nomen quoddam, quo *habitus* illarum *ad noſtrum corpus* aut noſtram *voluntatem* exprimatur. Minime vero habitus earundem *abſolutus*, neque earundem inter ſe ſimpliciter *reſpectiuus*, niſi hic etiam iterum familiariſſime in ordine ad *noſtrum corpus*, aut æſtimationem *voluntatis*. Vnde fere nihil aliud ibi audire contingit, niſi vel appellationes *acris*, *acidi*, *morſicantis*, *vrentis*, *vellicantis*, *rodentis*, *penetrantis* &c. vel *grati*, *pulchri*, *amœni*, aut *aduerſi*, *fœdi*, *ingrati*: aut denique *fatui*, *inſipidi*, *inutilis*, *indifferentis*, *inanis* &c. E quo vel ipſo etiam ſatis diluceſcere poſſe arbitror, quod *prima* & *immediata* ſibi relictæ ſenſationis noſtræ tota *intentio* proprie atque directe feratur ad vſum illum, vt mediantibus ſenſibus *habitus rerum erga noſtrum corpus* non magis primo, quam vere primario examini ita ſubiiciatur.

Anima rationalis in negotio cogitationum opus habet miniſterio ſenſuum.

§. XXVIII. De reliquo vero adeo notus vtique eſt vſus ſenſationis pro *ratiocinationis* exercitio circa res *vere* occurrentis, & illarum per indiuidua exquiſitas circumſtantias, vt omnino vix vsquam opus eſſe videatur prolixiore eius rei deductione, inprimis cum iam ſuperius de his rebus pleraque tetigerimus. Suffecerit hoc loco rem breuiter complecti, aſſerendo, quod *anima rationalis* circa negotium *cogitationum*, imo cuiuslibet actus aut gradus *intellectus* & *voluntatis*, quicquid nobis de his rebus vnquam cognitum eſt, nihil vsquam poſſet, niſi *minſterio ſenſuum* habitum ſibi acquireret, ſeu diſpoſitionem ſuam in habitum deduceret: quin etiam poſtea nunquam quidquam poſſit de rebus *vt præſentibus*, *quando*, & *quomodo*, *quæ* & *quot*, *ita* vel *aliter* conſtitutæ ſint, niſi ſolo ſenſationis medio præſtare aut efficere. Vnde, quicquid in ſuis negotiis velit ſuſcipere, agere atque præſtare, oportet abſolute, vt *ſenſus* tanquam *inſtrumenta* ſua *aſſumat*, *actuet*, *regat*, atque *dirigat*; *tempore*, *loco*, *modo* atque *modulo*, vti *propoſito* ſuo quadrat: inprimis autem prout partim voluntati ſuæ partim *poteſtati atque energiæ* quadrat.

Energia animæ, ſenſui indulgendi, aut illum etiam ſubterfugiendi & negligendi, niſi peculiari

§. XXIX. Vnde præcipuam conſiderationem meretur energia illa vtique animæ, ſenſui *indulgendi*, aut illum etiam *ſubterfugiendi* atque *negligendi*, niſi peculiariter vrgens aliqua circumſtantia ipſam *vigilem* atque ſenſationibus omni modo *intentam* reddat, quod non ſolum de moralibus atque *ſpeculatiuis*, ſed etiam *corporalibus vitalibus* periculis atque damnis bene notandum eſt. Sicut enim in obiectis *mo-*

ralis

valis æſtimationis, quando vel *deſiderium* vel *metum* inſignem ſibi concepit anima, *vigilem* illam adeoque variis etiam incommodis quarumlibet ſenſationum expoſitam videmus; niſi quidem ſpecialiſſimæ intentionis viuaciſſima atque conſtantiſſima tenacitate vni rei intenta, aliis tantiſper ſeſe ſubducat; cuius rei exempla inprimis occurrunt in variis *deliris* animi a vario ſenſu alienationibus: Ita eidem vtique fundamento innititur illa, ſeu ſenſibus inuigilandi intenta cura, qua in *vitalibus* etiam corporis præſentioribus periclitationibus ad maiorem, imo *anxiam* ſolicitudinem excitata *anima* etiam *vigilibus* excubiis, quicquid fortasſis adhuc vltra ingruere poſſet, mature obſeruare atque deprehendere intendit. circumſtantia ad vigilantiam excitetur.

§. XXX. Vnde notiſſimum eſt, quod in huiusmodi conſtitutione v. gr. in *acutis febribus*, iuxta cum *vigiliis* vniuerſa reliqua *ſenſibilitas* corporis ſit tanta, vt omnes *fulgores* magis offendant, omnes *ſonitus* fortius percellant, omnes *calores* fortius adficiant, *ſaporesque* & *odores* grauius & altius penetrent: imo, qualemcunque forte tentatam *quietem*, id eſt, *actus ſentiendi omiſſionem*, quælibet etiam *leuiſſimæ* obiectorum ſenſibilium *incitationes* interpellent, & ad *vigilias*, id eſt, repetitam continuationem *actiuitatis* ſentiendi, reducant. Hæc vigilantia & ſingularis ſenſibilitas in febribus acutis obſeruatur.

§. XXXI. Quo nempe loco iterum merito taxanda venit in contrarium re vera deficiens illa vulgaris loquendi formula, quaſi hæc talia fierent per *debilitatem*, cuiuscunque tandem *rei* aut *principii*, eo tempore vigentem. Cum, niſi quidem omnia in contrarium conuertere ſedeat animo, in ipſos vtique ſenſus omnino incurrat, quod vti *vigilantia* ipſa *actiuitatem* vtique ſentiendi quam manifeſtiſſime exhibet; ita promtitudo illa ad eam ſuſcipiendam atque agitandam abſurde certe deduceretur a *defectu actiuitatis*, qualis ſub vocabulo *debilitatis* vulgo ſupponi omnino conſueuit. Quæ minime per debilitatem fieri posſunt.

§ XXXII. Quemadmodum autem hæc omnia paſſim demonſtrant non ſolum *actiuitatem* ad negotium ſenſationis directe concurrentem, ſed etiam *animæ* omnino *rationalis* directum intereſſe in toto hoc negotio: ita illuſtrat hoc idem & reliquum penitius negotium *ſubtiliſſimæ ſenſationis* adhuc peculiare illud phænomenon, quod non ſimpliciter *mirabili* quadam & velut *inaudita*, ſed omnino *frequentiſſima* plane, adeoque etiam *facillima* geneſi, in hac materia occurrens, ſatis eo ipſo innuit, quod nulli alteri *nouo* & *ſpecifico* fundamento innitatur, ſed ſimpliciter ordinaria ſenſationis *œconomia* nitatur; *acuato* ſolum Demonſtrant hæc omnia non ſolum actiuitatem, ſed directum intereſſe animæ rationalis.

 lum

lum & magis *intento* aut *intenſo* illo maxime actu, qui & *discretionem* ſeu perceptionem *vt ſpecificam*, & *æſtimationem* ipſam vt *iucundi* aut *aduerſi* adminſtrat aut abſoluit.

Phœnomenon illud, quando aliquis a præſentia felis ſenſum habet.

§. XXXIII. Loquor de illo phænomeno, quando homo aliquis ab anxia formidine matris ſub eius geſtatione *ſenſum* illum contrahit, vt ſimulatque in conclaue aliquod pedem inferat, anguſtius inprimis, aut alias loco propius admoueatur, in quo *felis* lateat, corripiatur inde *trepidis commotionibus* tum *animi* tum *corporis*, ad *lipothymias* vsque: & hæc *perceptio* eo vsque viuida ſit atque penetrans, vt etiam ſi ipſo dormiente felis in conclaue obrepat, vehementibus animi angoribus mox percellatur. Meretur profecto hoc *ſpecimen* totius negotii ſenſationis in vno complexu ſumtæ curatiorem contemplationem; quantumlibet omnino *ſimplicem*, & prout *ordo* atque *ſucceſſus* actuum ſubordinatorum ipſe & immediate procedit.

Agnitio præſentiæ felis eſt a ſenſu; & quidem veriſimile a ſenſu tactus.

§. XXXIV. Certum itaque ante omnia & nemine forte contradicente ratum hic eſt, quod *agnitio* illa *præſentiæ* talis ſubiecti, *felis* v. gr. ſit a *ſenſu*. Quamlibet autem vlla craſſa ratione non diluceſcat, a *quonam* ſenſu hoc pendeat? veriſimile tamen haberi non refragabor, quod *tactus* alicui energiæ debeatur. Interim cum neque hic nec alias vllus ſit habitus *tactus* ad dignoſcendum v. gr. *felem*, imo quidlibet aliud, ſiue *actuali contactu*, & *in diſtans* ſolum, vti hic omnino fit; emergit vtiq; hinc manifeſtior illa obſeruatio, quod *ſenſus tactus* etiam a *ſubtiliſſimis halituoſis* emanationibus, a *vulgari* eius *gradu* alienis, ita poſſit affici, vt *perceptio* inde conſequatur. Deinde & *ſecundo* facile apparet, quod ille ſenſationis *organiſmus*, mediante quo hæc *perceptio* obtingit, etiam ipſi *percipienti ignotus* ſit: quandoquidem ille minime ediſſerere valet, quo *loco*, qua *parte*, quo *more* perceptionem illam incurrat? vnde certe iterum patet, niſi quidem hanc ſenſationem præter *quinque* notas *ſextam* ſpecificam conſtituere volumus, quod omnino etiam *organicus actus ſenſationis*, etiam nobis *non cogitantibus* ſeu actum illum ipſum animaduertentibus, fieri poſſit. Neque vero *perceptio* ſolum hic ſubeſt, ſed etiam *tertio appetitus* conſecutio; nempe *iudicatio*, quamlibet erronea, non ſolum vt *aduerſi*, ſed omnino ita grauiter *formidandi*, vt propterea varii maxime *trepidi & anxii motus* in ipſa maxime *vitali* œconomia ſuſcipiantur: iidem videlicet, qui alias etiam oriuntur, quando aliquid *ſenſibus* diſtinctius perceptum, & grauiſſimæ efficaciæ *notum* aut *ſuſpectum*, ita *fugiendum* iudicatur, imo ad actum

illum

illum omnes animi corporisque vires iam deſtinantur & veluti inſtruuntur.

§. XXXV. Maximum autem omnium, quod hic conſiderandum occurrit, eſt ſine dubio illud, quod tota hæc adeo inuſitata, ſed tamen exquiſitiſſima ſentiendi *actiuitas* ſimpliciter ortum traxerit ab illa animæ *ratiocinantis* intentione, etiam vsque quaque adeoque ſimpliciſſime, vti loquuntur ſcholaſtici, *ente rationis ratiocinantis.* E qua nempe conſideratione hic totius huius rei ordo eluceſcit. I. *Anima cogitans atque volens* (ſeu *æſtimans* appetendum aut fugiendum) perpetuo *metu* & auerſione a fele firmiter imbuta eſt. II. Huic præfigurationi *ſemper intenta*, exquiſitiſſime etiam *inuigilat* mediis ad *percipiendum*, adeoque *effugiendum* hoc ita formidabile obiectum. III. Vnde etiam *contactus*, quales alioquin nequaquam *recipit*, nunc, ſub tali inquam *intentiſſima æſtimatione*, *iudicat* omnino. An non autem etiam, quod *quarto* loco numerare poſſemus, ipſa *organa* illa ſenſoria, per quæ hæc *perceptio* animæ huic offertur, ab hac ita a priori affecta etiam perpetuo *maiore actiuitate* tonicæ illius *actuationis* ſenſoriæ afficiantur, in medio relinquimus; affirmatiuam tamen ſententiam vtique probabiliorem reputantes.

Inuſitata hæc tamen exquiſitiſſima ſentiendi actiuitas ortum traxit ab intentione animæ ratiocinantis.

§. XXXVI. Illæ enim re vera in ſolidum ineptæ ſunt fictiones, quando ſpecialiſſimæ *conformationi* membrorum ſeu *organorum* in huiusmodi ſubiectis hoc imputatur. Cum enim hoc, diſerte eloquendo, illud inferat: *animam*, incondita *æſtimatione* impendentis a fele ingentis periculi aberrantem, imprimere corpori infantis eiusmodi *ſtructuram*, quæ deinde cauſſa euadat conflictus alicuius, ſeu colliſionis fortioris, cum ipſis plane *halitibus* a fele exhalantibus: ibi quilibet cete facile comprehendit, quot & quantis paralogismis hæc præfiguratio expoſita ſit, vt adeo re vera vllius probabilitatis conceptum nusquam admittat. Quanta enim differentia intercedat inter *craſſam ideam* rei alicuius *viſibilis*, & quascunque, in hoc certe negotio perpetuo & abſolute in conceptum diſtinctum minime venientes, *exhalationes*; earumque qualemcunque efficaciam, tum ad *metum* illum matri conciliandum, tum ad eundem in infantem deriuandum: in aprico vtique poſitum eſt. Cum enim *mater* non ſolum *exhalationes* a fele minime reformidet, ſed omnino nihil in toto felis *corpore* vere exſiſtens; ſed vnice *actiones contingentes*, & nuda *fictione* ſuæ mentis formatas (quaſi nempe felis nouies de nocte ſurgat, ad occidendos dormientes homi-

Specialiſſimæ conformationi membrorum hoc imputari non poteſt.

homines; & talis forte in conclaui præſto ſit, & forte iam in procinctu ſit, vt inuadat, vt mordeat, vt iugulum diſcindat, quid vero ſi dormientem inuaderet? &c.) quæ hinc connexio deduci poſſet ad imprimendum *corporeis partibus* peculiarem habitum ad *exhalationes* a fele? *Habitum*, inquam, itidem *corporeum*.

Conſideratio huius exempli commendatur vt documentum energiæ ſenſationum aliarum, ſecundum quas motus œconomiæ vitalis diriguntur.

§. XXXVII. Sicut autem ex hoc ipſo phænomeno & exemplo altior adhuc quædam conſideratio omnino reſultat, de *energia ſenſationis* celebrandæ, ſeu *perceptionis* ſenſoriæ, & *motus*, etiam in *œconomia vitali*, proportionate ſecundum eam dirigendi: ita cohortamur vtique hoc ipſum exemplum non ſolum memori mente tenere; ſed illud etiam pro vero documento intueri ſenſationum huius eiusdem generis *plurium*, quæ nullo craſſiore *conſciæ mentis* concurſu tamen & *vere fiunt*, & *actiones* illis, ſecundum *æſtimationem* energiæ ad *nocendum* habilis, proportinate opponuntur, tam in *vitali* œconomia, *locali* humorum, *tonico* partium, & *directorio* excretionum, *motu*, quam in actu *rationali*, *ſollicitudine*, *anxietate*, *diffidentia* & *mortis metu*, & perpetua proportionata *vigilantia*. Iterum iterumque commendamus hanc rem, vtpote huic ſpecimini talis *ſenſationis*, *perceptionis* & *æſtimationis* abſolute vtique geminam, de qua adhuc ſemel illud maxime notandum commendamus, quod vtique, quam abſtruſum de reliquo videri poſſit negotium, tamen vndiquaque nitatur *veritate*: *verus* inquam fiat *ſenſus*, rei ſimpliciter *vt præſentis veræ motus* mox ſubiungantur *veri*, & *æſtimationi* (quantumlibet hic etiam ſolum *fictitiæ*) huius rei vere proportionati; & quidem inprimis non tam *rei illi* ipſi, aut vlli alteri negotio *præſenti*, ſed *futuris* demum, non *veris* etiam, ſed ſola *fictione* figuratis, damnis, vt *fini*, quadrantes.

Habet hæc conſideratio directum vſum medicum.

§. XXXVIII. Dixerim certe, quod hæc ipſa conſideratio negotii *ſenſationis vna* propemodum ſit, aut ad minimum *princeps* & præcipua, quæ vſum habeat directum ad *medicas* conſiderationes. Dum videlicet *pathologiæ* ita ſuppeditat fundamentum *ætiologiæ* variorum *motuum*, tam ſimpliciter *vitalium*, quam etiam *mixtorum*, ex his, & voluntariis *rationalibus*; nempe *trepidorum*, magis quam ad ſimplicem proportionem *phyſicam*, *ante damnum* iam in effectum deductum, ſed *impendenti* demum deſtinatorum atque quadrantium: interim *ſumma* totius rei vtique, in genere, & inprimis quantum ad τὸ *corporale*, minime *fictitia*, ſed omnino *vera*, vere *præſente*: *motus* non ſolum generaliſſime, ſed etiam *tales* in ſpecie (licet non ſemper eo *gradu*, *impetu*, *ordi-*

ordine, *ambitu*, in quibus interdum aliquid erratur) omnino promerente, ſiue vti vulgo loquimur *poſtulante*: nempe in ordine ad illum *finem*, ſi corpus ab harum rerum noxia potentia *liberari* debeat. Alium autem vſum poſitiuum nullum vtique habet totum negotium ſenſuum in medicina: ſiquidem neque *texturam* organicam, quatenus obiectis *receptandis* inſeruit, vllo modo in ſua poteſtate habet Medicus; nec etiam influxu in magis directum, quæcunque tandem ſupponatur, *cauſſæ agentis* in & per neruos. Vnde ipſi certe tota huius loci ſcientia inutilis & otioſa euadit.

§. XXXIX. De *ſenſibus* INTERNIS vulgo dictis, tanquam nudis actionibus *animæ*, cum illæ in *Medici* poteſtate minime omnium poſitæ exſiſtant, hoc loco vllam prolixitatem ſubire tanto minus placet, cum totum illud negotium per reſpectus veluti ſimpliciter abſtractos inter turbam Philoſophorum in innumeras tricas coniectum, non poſſit niſi maiore labore expediri, quam operæ ſit pretium: poſtquam vtique in ipſo fine laboris nullus vere ſolidus conceptus de vniuerſis hisce rebus nobis obtingere poſſit. Senſus interni, tanquam nudæ actiones animæ, non ſunt in poteſtate Medici.

SECTIO VI.
DE MOTV LOCALI.

§. I.

MOTVS LOCALIS vulgo non iniuria VOLVNTARIVS dicitur; ſequitur enim omnino *iudicium & æſtimationem* de rebus ſenſu perceptis, in ordine *appetendi*, aut *auerſandi* earum cum corpore contactum. Et hoc tam *ordine*, *primo*, quam *dignitate*, aut certe *neceſſitate*, *primario*. Sicut enim nihil incurrit in ſenſum, quin ſtatim ſecundum hosce reſpectus vel *vt gratum* ac *vtile*, vel *ingratum atque noxium* vel *iners ac inutile* reputetur: ita *vtile* corpori comparare & *admouere*, *noxium* a corpore diſtinere & *remouere*, ad *inutilia* non moueri, ſed potius *quieſcere*, (vt ſupra de propenſione in *ſomnum* notauimus) propemodum inſeparabilis eſt conſequentiæ, a ſenſu recte percepto. Motus localis vnde voluntarius audiat.

Motus hic deſtinationem ſuam habet ad voluntarias animæ directiones.

§. II. Habet autem etiam *motus localis deſtinationem* ſuam & vſum vtique admodum efficacem ad ſimplices *voluntarias* intentiones atque directiones *animæ rationalis*, ſimpliciter & magis directe aliquid circa res *corporeas* patrare, & effectum aliquem *in corpora* edere *volentis*, imo *ſentire* geſtientis, v. gr. dum *oculi*, *aures*, *manus circumferuntur* ad videndum, audiendum, prehendendum &c. Interim, vt ante dictum, *potior* tamen & *prior*, *neceſſitate* magis quam arbitraria *intentione*, eſt ille *ſenſus* motus, quo a *corpore*, quæ ipſi certius *nocere* poſſunt, *amouentur*, aut quæ *vtilia*, imo *neceſſaria* ſunt, *admouentur*.

Motus voluntarius motui tonico ſuperſtructus eſt,

§. III. Eſt autem de reliquo totum negotium motus *voluntarii* ante omnia ſuperſtructum motui TONICO. Non ſolum eo reſpectu, quod ſine *tonici* motus energia ne quidem *viuæ*, id eſt, a corruptione liberæ manere poſſent partes voluntario motui ſeruientes; ſed etiam vere quaſi proſcenio quodam reliqui motus voluntarii, per *tenſionem* partium motoriarum iam ſatis *ſubrigidam:* cui dum voluntatis directione adhuc maior *intenſio* adiicitur, naſcitur inde *incrementum* illius *rigoris* in iſtis partibus tantum, vt etiam omni ſenſui manifeſto pateat.

Inſtrumenta eius.

§. IV. INSTRVMENTA motus voluntarii ſunt partim *ordine prima*, quæ *Mouens* magis immediate reſpiciunt; partim *media*, quæ *motum* ipſum, quatenus ſenſibiliter fit, ſuſcipiunt; partim *vltima*, quorum ope motus ille rebus extraneis *mouendis* proxime applicatur, & illis tanquam *firmatur* atque *ſtabilitur*. *Primum* ſunt *nerui*; *medium*, *muſculi*, *tunicæque* & *membranæ;* (imo ſit ita, iuxta micrologiam, *fibræ*;) *vltimum* ſunt *materialiter* texturæ *rigidæ*, *oſſeæ*, *cartilagineæ*, *ligamentoſæ*, *tendinoſæ*; *formaliter*, *conformatio mechanico-organica*, ad erectum, curuum, vncinatum poſitum habilis.

Quæſtiones de neruorum motu, fluido, muſculorum vſu ad motum localem nihil ad vſum medicum conferunt.

§. V. De prima illa organiſmi motus huius parte ſpeciatim aliquid dicere, inanis conatus negotium ducimus; adeo, vt nec illud quidem prolixius agitare placeat, an & quatenus etiam ipſi *nerui* moueantur? Quid, quod nec illi quidem quæſtioni tempus impendere placeat, quanam probabilitate nitatur illud argumentum: ſi *neruus* per ligaturam fortiter *ſtringitur*, perit eo ipſo *vis motrix*, per illum alias diſpenſari ſolita; ergo per neruum aliquid *fluit*, aut per cauitates in illo ſupponendas *progreditur* ad muſculos, quod motuum præcipuum & velut vltimum impulſiuum exſiſtat. Neque vero maior euidentia vsquam patet, circa *muſculorum* vſum ad ſuſcipiendum æque atque latius præſtan-

ſtandum *localem motum.* Certe enim omnes illi conatus, quos partim *Anatomici*, e craſſiore oculari inſpectione; partim *Mechanici*, e legibus *multiplicandæ vis* motricis, ingenio hic indulſerunt, ſicubi etiam *conceptui* vsquam ſatisfacerent, tamen in ſolidum vtique alienum eſſet ab omni tam *conſideratione* quam *vtilitate* MEDICA. Certe enim e tota *motus localis* conſideratione ſimpliciori atque directa ad *medicum* vſum nihil vnum, quod trahi poſſit, ſuccurrit, præter generaliſſimas forte *ætiologias* v. gr. *læſionum continuitatis* ſeu *ſolutæ vnitatis*, *dislocationum*, *contorſionum*, commodioris *ſectionis* ſecundum *longitudinem* fibrarum, quam per *transuerſum.* Interim quam longe hæc adhuc abſint a *theoria* vniuerſi *motus localis*, & a ſcrupuloſis quibuslibet, vel ipſorum ſolum *craſſiorum* huiusmodi *inſtrumentorum*, *ſecundum id, quo* motus *inſtrumenta* ſunt, reſpectibus, ante oculos vtique eſt.

Cauſſa efficiens motus localis.

§. VI. Quid, quod neque placet circa *cauſſam* motus localis *efficientem* prolixitate vti; tanto minus, cum hic etiam infauſtæ illæ tricæ obſiſtant, quæ vndique bonis conatibus obicem ponunt: quæ motibus etiam localibus proprium *actiuitatis circulum* aſſignant, in quo illi fiant, & inprimis *ſenſum* directe ſequantur, etiam ſine vllo interuentu *deſtinationis ad finem*, ſeu reſpectus *vt iucundi* aut *aduerſi.* Cui nempe phasmati innititur totum illud phantasma de *ſenſu & motu in brutis*, ſimpliciter & abſolute *αὐτοματικῷ*; *ſpiritibus* cuiuscunque cenſus, ab *anima poteſtate propria* diſtinctis; *niſibus* concreatis, a *voluntate diuina* in perpetuum *actuatis* &c. Negligendo interim aut ad ſomnia verius quam vigilantis mentis expreſſiones detorto facto illo, *motibus localibus ſecundum naturam* inſeparabili, nempe DIRECTIONE horum motuum *per* & *ſecundum* VOLVNTATEM animæ *ratiocinantis.* Niſi quidem hic iterum nouas viſiones formare placeat; quæ tamen interim vniuerſis in hac re dubiis vtique ſimul & ſemel requiem canere poſſent: nempe cum *Helmontio* fingendo, quod *principium* æque atque actus *ratiocinandi* ſint toto quod aiunt cœlo diſtincta a MENTE. (Vbi nempe vel neſciuit vel diſſimulauit ingens ſpeculator, ſed certe liberrimus, quod hac ratione huiusmodi principium in fundamento nec a *ſpiritu animali*, imo *vitali* veterum, *γνῶσει* inſtructis, diuerſum ſit; nec inprimis ab *Archeo*, tam *Paracelſo* quam ipſi *autori* adeo famoſo, bono iure ſeorſim conſtituendum.)

§. VII.

Anima rationalis eſt, quæ motus locales inſtruit & dirigit.

§. VII. Cæterum, vti recentiſſimorum *vis* & *niſus* materiæ *inſiti*, & *per* aut ad minimum *ſecundum* voluntatem diuinam omnia abſolute præſtantes, quæ in corpore fiunt, huic agenti *ratiocinanti Helmontii* tam ſimiles ſunt, quam ouum ouo; ita ipſis relinquimus, quid in vniuerſis hisce ſuis commentis quærere & inuenire velint aut poſſint. Ego, quid illud, quod non ſolum *ratiocinatur*, ſed etiam citra ratiocinationem ſenſationis miniſterio, *organiſmo* inquam a ſe *actuato & directo*, vera vere *intelligit*; & vtroque modo non ſolum *vult*, ſed etiam *voluntatem* illam ſuam in effectum deducit *motibus*: (*in genere*, iuxta ſuam *voluntatem*; *in ſpecie*, iuxta ſuum *conceptum*, ſiue verum ſiue falſum, inſtituta atque adminiſtrata proportione) hoc inquam principium *animam rationalem dico*, eique & *inſtruendi* & *dirigendi* motus locales poteſtatem tribuo.

Diſtinctio illa inter actum motus & directionem motus inanis eſt.

§. VIII. Vbi iterum in ſuo *plus vltra* relinquo illos, qui abſtractorum conceptuum, quoscunque inprimis non intelligunt, iurati hoſtes, tamen cum maxima contentione firmare laborant diuerſitatem inter *actum mouendi*, & *actum dirigendi* motus. Merito autem dico *actum* mouendi. Nam cum non minima pars *directionis* motuum verſetur circa *tempus* incipiendi atque *deſinendi*; quæ tamen ſimpliciter ad *actum* ipſum non minus reſpiciunt, quam *proportio gradus* aut *ſitus*: viderint quorum intereſt, quomodo diſtinctionem illam ſuam inter *actum* motus, & *directionem* motus in ordinem redigant.

A fictionibus mentis tam impetus quam defectus motuum cito cooriuntur.

In his deficit intentio ſeu directio ad agendum.

§. IX. Meretur autem hæc res tanto maiorem conſiderationem in exemplis illis ſimiliter ita non ſolum in dies, ſed profecto etiam in horas familiaribus, quando non tam *impetus*, ſed inprimis etiam *defectus* motuum, cito cooriuntur a ſimplicisſimis *mentis* aberrantis *fictionibus*. Vt quando a *terrore* vel *metu* ingens *impotentia* membra libere mouendi exoritur. Vbi certe talis, illibatis in ſolidum *organis*, & omni quocunque *reali* impedimento abſente; ſolo vero eiusmodi *fictitio* non tam *actu de præſenti*, quam *reſpectu de futuro* ſeu conſequenti, interpoſito: ne ipſa quidem *intentio*, nedum *intenſio* ad actum motus proportionate ſufficientem ita locum inuenit: adeoque *actus ipſe* deficit, quia *directio ad agendum* potius, quam *in agendo*.

In illis autem viget intentio ad alacriter mouendum.

§. X. Ea, quæ circa hanc rem etiam in contrarium notiſſima eſſe debeat circumſtantia, eſt etiam illa, quod vbi tota *intentio*, *fictitiis* etiam omnino ideis inhærens, ad *vegete & alacriter* mouendum viget, ibi etiam proportionata *energia* ad effectum pariter conſequatur.

Ex-

Exemplum eſt in *maniacis;* qui dum nihil *timent*, acriter autem *audent* ſecundum ideam ſuam violenter *impugnandi* immo *expugnandi*, tantum robur præ ſe ferunt, vt etiam vulgo ſuſpicionem faciant, vim illis *ſupernaturalem* adeſſe: quod quidem tanto familiarius euenit, poſtquam etiam illi, qui cohibere debebant, *metu* ſuo plurimum inertiores atque debiliores euadunt. (Quanquam *robur maniacorum*, etiam in res *inanimatas* paſſim, ſincere magis teſtetur de *abſoluta* ipſorum *energia*, vnico firmo *propoſito* perficiendi, quod ſibi præfigunt, ſimpliciter inhærente.) **Exemplo maniacorum.**

§. XI. Quemadmodum itaque ex his ſpeciminibus ſatis elucere poteſt, quid *anima* etiam in *actu* motuum ipſo *adornando* poſſit atque præſtet; ita breuiſſime aliquid dicendum eſt etiam de illa circumſtantia *directionis*, eiusque applicatione ad argumentum, quod vulgo contra *animæ concurſum ad motus actum* afferunt. Concludunt nempe, quod tam in *vitalibus* quam *localibus* motoriis actibus anima nullas habeat partes, quia harum rerum ſibi nihil *conſcia aut memor* eſſe poſſit; quod tamen interpretantur fieri conuenire, cum anima ſit *cogitandi* & *reminiſcendi* compos. Sicut autem, qui diſtinguendi ſunt compotes differentiam attendent inter *rationem ſimpliciter*, cuius nulla eſt *cogitatio*, *phantaſia* aut *memoria*, exemplo iam allato *ſaporum*, *odorum*, *ſonorum*, *colorum*, & in genere *iucundi* aut *aduerſi*: ita refellitur hæc opinio in ipſo hoc præſente negotio per ipſum, quod in ſuppoſitione & de quo ſermo eſt, exemplum; nempe *directionis* motuum. Cum enim hanc omnimodo *rationali* animæ adſcribant, vtpote ſecundum cuius arbitrium ſimpliciter exerceri, manifeſtum eſt: tamen tantundem etiam certum atque omnino manifeſtum eſt, quod illa ipſa *anima* iuxta eundem ita ſuppoſitum *modum*, nempe ſi quid ipſa agat, *quod*, & *quomodo* agat, *diſtincte reminiſcendi*, hic tam parum, quam circa *motum in genere* ſibi conſtet, aut harum ſuarum rerum *recordetur*. **Opponitur contra animæ concurſum ad actum motus, quod anima harum rerum non ſit conſcia aut memor.**

§. XII. Exempla ante oculos ſunt innumera, allegabimus autem ſolum vnum & alterum. Quando ad certam *diſtantiam* lapidem proiicere intentio fert, aut quantumcunque *commenſuratum* gradiendi actum perpetrare, *tranſiliendo* certam diſtantiam, *aſcendendo*, *ſaltando;* imo adhuc magis, *vocem* ad modulos muſicos gubernando: quis in his rebus magis reminiſcitur, *quod*, aut *quomodo* hoc, *hoc* in quam, agat, quam in genere, *quod agat*. Dico, quis habet in his rebus *diſtinctam* conſiderationem aut recordationem, vltra nudam *generalem* intentionem, *quod*, *quid*, *quantum*, in his rebus agat? Quid, **Exempla allegantur, quod in actionibus recordatio, quod, aut quomodo agatur, non ſemper adſit.**

quod *anima* omni modo magis manifeſto & veluti diſerte *conſcia* vtique ſibi ſit, actus ipſius *in genere*, aut certe ad minimum in *toto ſuo complexu*; vnde primus paſſim & omnino certiſſimus eius de hoc negotio conceptus eſt, *quod* in genere *velit* mouere, *lapidem* proiicere, *tranſilire*, *ſcandere*, ſubſultationes agitare; aut dum vtique ſimul commeminit, quod *longe* aut *prope* proiicere *velit*: nullius tamen in ſolidum *memor* aut *conſcia* ſibi eſt *certæ proportionis*, neque *diſtantiæ*, nec *energiæ motus* ad diſtantiam. Imo, poſtquam etiam ipſo *vſu & exercitio* has *proportiones* comprehendit, vt ipſo *effectu* illas recte & exquiſite præſtare valeat: tamen ne tunc quidem vllatenus manifeſtam habet harum proportionum ſiue *conſcientiam* ſiue *ſcientiam*.

Vſus medicus ex hac intricata motus voluntarii ſcena ad ætiologias pathologicas.

§. XIII. Illud vnum e tota hac intricata *motuum localium voluntariorum* ſcena ad *pathologicas ætiologias* aliquid conſpirare forte poſſet, quod etiam *conſtans* atque firma *auerſio* motus locales vegetius exercendi in culpa eſſe poſſit, vt poſthac in parte aliqua nulli fiant. Dico, quod præiudicio quodam rationis *non ratiocinantis*, (quæ ordinaria vniuerſa ſua actione & *ſimplicius* & *certius* & *conſtantius* procedit) auerſio illa vti formetur, ita etiam continuetur atque ſeruetur: neque *reſpectiuis ratiociniis*, & ſecundum iſta inclinante *voluntate*, ab illo *ſimpliciore firmo* propoſito recedat. Cuius rei exempla habemus etiam in *auerſionibus* circa œconomiam *vitalem*; v. gr. quando aliquis *per accidens* cibi alicuius aut potus vehemente *auerſione* correptus, poſtea *conſtanter*, quoties talia offeruntur, ingenti *nauſea* imo vomitibus corripitur. Hæc talia, tametſi ordinatiore reliqua *ratiocinatione* emendare vel maxime cuperet, præualet tamen illa *ſimplicior*, & nullis longinquis *externis reſpectibus* ſubnixa prima atque priſtina æſtimatio. Imo vero, præſto eſt altera quoquo modo euidentior & vere notior eiusdem rei quotidiana experientia. Aegri multi vtriusuis, inprimis autem *ſequioris* ſexus auerſantur *medicamenta*; alii quidem *ſapida* aut *olida*, alii, neque pauci quidem illi, *inſipida* quidem ſed ſolum *pulueruIenta*. Iam ſi in morbis, & inprimis ſonticis & periculoſis, ſatis perſuaſum ipſis ſit, & opus eſſe medicamentis, & vſum eſſe inprimis talibus; *vellent* etiam ipſi omnino a morbis quidem liberari; imo *vellent* etiam medicamenta talia, vt neceſſaria, poſſe ſine *nauſea* ſumere: interim, quicquid ita *velint*, non auſcultat prior illa *ratiocinatio*, aut cedit poſteriori. Quantumlibet etiam ipſa illa prior omnino vere nihil aliud ſit, niſi ſimplex *ratiocinatio perplexa*; *fictio* inquam nuda mentis, & falſa *opinio*: nec in habitu *rerum* ipſarum ſumendarum, nec in vllo *reali* habitu aut reſpe-

Conſtans & firma auerſio cibi aut potus.

Auerſio medicamentorum.

ctu.

ctu *organorum* vllum vnum fundamentum habens, ſed abſolute nudæ præconceptæ *æſtimationis* ſoboles. Quando itaque etiam ex *nuda* velut *arbitraria æſtimatione fictitia* ſemel efformata & firmiter propoſita *intentio*, alia prolixioribus *reſpectibus* ſuperſtructa non corrigitur aut tollitur; quanto minus exſpectare licuerit, vt *verioribus*, & paſſim ipſa *re corporea* nitentibus, peculiaribus mouendi aut non mouendi *intentionibus voluntas* aliqua *externis*, *tranſitoriis* etiam paſſim reſpectibus ſubnixa ſtatim & in ſolidum detrahere poſſit.

§. XIV. Certe vero exempla etiam non ita rariſſima *paralyticarum* localis & voluntarii motus *impotentiarum*, per *intentiſſimas* tandem *voluntatis rationalis* concitationes iterum diſſolutarum, ſatis teſtatum reddunt, quid veriſimilis in hoc negotio ſubſit. Sicut eius rei exempla tam apud *Valleriolam*, quam in A. N. C. illic a *periculo incendio pereundi*, hic a *grauiſſima ira* præſto ſunt. Ego vero duo exempla in vno incendio obſeruaui, *arthritico-podagricæ* membra mouendi impotentiæ; quæ, dum ſub illo terrore patientes ad ponderoſa quædam ſaluanda, obliti dolorum & debilitatis, connitebantur, non ſoluta tantum eſt *podagra* & *arthritis* illa, ſed etiam liberi motus agilitas recuperata.

Exempla paralyticarum impotentiarum per voluntatis concitationes iterum diſſolutarum.

§. XV. Illud vnum adhuc de *viribus ad mouendum* notandum venit, quod hæ quidem ipſo vſu paſſim fatiſcere atque detrimentum pati ſoleant: interim tamen in hac etiam re non tam ſubeſſe, vti fere vulgo volunt, ſimpliciores *corporeas* rationes, aut amiſſiones quarumcunque *corporearum* rerum, innuere ſatis videtur ADSVETVDO motuum; qua etiam *laborioſi* motus, *magni* inquam atque *diuturni*, conſtantibus diutiſſime *viribus* continuari poſſunt: cum *non adſuetos*, aut per *faſtidium* renuente intentione, aut *metu* præoccupata eadem, energia tanquam *a priori* omnino vtique deſtituat: ſicut ex aduerſo etiam ingens *cupiditas*, vndecunque tandem profecta, *vires* ſuppeditat ſolito nimio maiores.

Vires ad mouendum vſu fatiſcunt. Adſuetudo tamen hic multum valet, nec non faſtidium, metus, cupiditas.

§. XVI. Præbent huius rei ſpecimen *deliria maniaca*, quibus quam admiranda paſſim non tam ſolum ſimultanea, quam *durabilis* omnino atque conſtans ad *motus fortiſſimos* habilitas atque ingens *robur* præſto ſit, adeo vulgo vsque notum eſt, vt etiam inde plebi paſſim ſuſpiciones oriantur colludentis *ſupernaturalis* alicuius a malo ſpiritu *energiæ*. Vbi ſimul ſeſe offert alterum illud paradoxon, quod, cum ordinarie *motuum localium* energiæ omni modo opus ſit *alterna* quiete, in *maniacis* etiam ſine vlla requie intercedente ſub *perpetuis vigiliis*, *clamori-*

Deliria maniaca huius rei ſpecimen præbent.

moribus, *vlulatibus*, *perpetua* paſſim vel conamina violenta exerceantur, vel ad minimum ex omnibus geſtibus affatim eluceat *vigor* ille inſolitus, inuigilans ſolum atque imminens *occaſioni* ad exſequendum propoſitum: quod etiam promtiſſime facit, quotiescunque improuide appropinquantem adipiſcitur, quem male mulctet.

Vigor intentionis ex his exemplis elucet.

§. XVII. Hæc conſtitutio vt exemplis paſſim obuiis vel ad annos aliquot ita durat; ita ſatis vtique commonſtrare videtur, quod & quantum in his rebus valeat *intentionis* ipſius vigor, quam diu inprimis de *motu ſimpliciter* eſt quæſtio, ſine concurrentibus aut ſimul implexis *materiarum* quarundam in corpore adminiſtrationibus; nempe his *vitali* magis, quam *animali* atque voluntario motui ſubiacentibus. Interim hanc etiam ipſorum *maniacorum* tantopere vegetam inſignem circa *motus locales* energiam illuſtrat omnino etiam *ſecundum naturam* vſitatum illud *roboris* circa motus augmentum, & quaſi firmamentum, quod his familiariter obtingere notum eſt e ſola *conſuetudine* partim, durabiliore ita energia & *ſtabiliore*; partim e nuda ſimplici atque temporaria illa *animi alacritate* atque firmo *propoſito*, motus certos robuſtos in effectum deducendi, & omnino præſtandi: quantumlibet hic etiam magis *temporaria* energia.

Actiuitatis imminutio poſt quadrageſimum & quinquageſimum annum.

§. XVIII. Cæterum, venit omnino etiam hoc iterum loco ipſa mente recolenda conſtitutio illa *actiuitatis* vniuerſæ, non tam *corporis*, quam *in corpore* & *per corpus*, ita circumſcriptæ, vt præter *accidentales* velut atque tranſitorias interpellationes, etiam velut *eſſentialem certam* atque *ſtatam* omnino ineuitabiliter *imminutionem* exſpectare neceſſe habeat: quæ ab *ætatis* ambitu veluti præſcripta, poſtquam *quadraginta*, certiſſime vero *quinquaginta* anni præterierunt, adeo potenter corporis *actiuitati* euenit, vt iam non ſolum *duratione*, ſed ipſa omnino *mole* nimium quantum *fatiſcat*, & reliquam quantumcunque intentam *voluntatem effectus* deſtituat.

Habilitas organorum, quam exercitio adipiſcuntur, duplici reſpectu expenditur.

§. XIX. Quamuis autem præſentis forte loci fuiſſet, aliqua etiam dicere de *habilitate organorum* multiplici, quam inprimis ipſo *exercitio* adipiſcuntur; cum tamen magis ad quamlibet aliam quam *medicam* conſiderationem faciat hic reſpectus, propterea nullo alio intuitu illum expendere placet, niſi illo duplici: (1) quantum poſſit *intentio*, adeoque ſecundum illam *directio*, non magis quam vniuerſa *inſtructio* motuum, quales hoc intuitu vnice *animæ intentionibus* innituntur, ſine illis etiam abſolute nunquam futuri: (2) quomodo magis velut *eſſentiales* indoli humanæ motus locales, vniuerſis proinde indiuiduis

etiam

etiam ſolennes & vſitati, & non *vſibus* ſolum, ſed ſtrictius loquendo *neceſſitatibus* potius œconomiæ animalis famulantes, ſint maxime illi, qui & *ſenſum* atque *iudicium* ſecundum ſenſum magis immediate ſequuntur; & euidentius ad directam *corporis conſeruationem* ab impendentibus *læſionibus*, imo *deſtructionibus* eius, habiles exſiſtunt.

§. XX. Supereſt illa vnica conſideratio, quod *omnium* conſpicuorum *motuum* in toto corpore, quantumlibet etiam non-voluntariorum, *vitalium* vulgo dictorum, tamen idem ſit *genus* inſtrumenti; nempe *fibroſitas muſcularis*, proxime ad ipſum effectum: ſicuti *neruorum* concurſus ad *actum* ipſum, ſeu efficientiam in fibras ipſas quaſi introducendam, vt illis motus imprimatur, quo illæ vel *denſentur*, adeoque *contractione* ſui alias res inprimis *fluidas* propulſent: vel *tremulis* quibusdam criſpaturis vel alternantibus micationibus motitationes aliquæ fiant: ſicuti talium *actiuorum* motuum maiore *remiſſione* erga *ponderoſas* aut *elaſticas* materias *diſtenſionibus* locus conceditur: vt *ſecundum naturam* in *ventriculo*, *inteſtinis* ad ciborum & potuum ingeſtionem: *p. n.* magis in *aquoſis* aut *flatulentis* tenſionibus & incubitu. Omnium motuum in corpore inſtrumentum ſunt fibræ muſculorum & nerui.

§. XXI. Sicut autem *motus localis* alias ordinarie ſimpliciter non ſolum *ſenſum* ſed etiam *voluntatem* ſequitur: ita eſt tamen etiam exemplar eius *ſecundum naturam*, dignum conſideratione, in *motu embryonis* in vtero materno. Cuius, quamuis *accidentales* circumſtantiæ, nempe *intenſioris* aut *remiſſioris*, *frequentioris* aut *rarioris* concitationis, omnino *ſenſibilium* cauſſarum energiæ reſpondere obſeruentur; dum a variis *acrioribus* alimentis, inconditis *concalefactionis & refrigerationis* exceſſibus, quin etiam *medicamentis ſtimulantibus motus embryonum* acriores cooriri paſſim obſeruantur: tamen alii fundamento inſiſtere totum negotium ex eo elucet, quod hic *motus* adeo prorſus exquiſitam habeat initii ſui *menſuram*, dum præciſe *vigeſima* geſtationis *ſeptimana* ſe exhibere incipit. Motus embryonis in vtero materno exquiſitam habet initii menſuram.

§. XXII. Quamlibet autem motus localis in corpore quam plurimum etiam contribuat ad *diſtributionem* expeditam ſanguinis per quaslibet partes; imo ipſarum etiam *poroſarum* mollium partium fibroſarum promouendam *expanſionem* ſuper ita transeuntes fluidas; qui ipſe vſus etiam huiusmodi *motibus embryonis* minime denegari poteſt: tamen neque *proportio* huiusmodi embryonis motuum ſatis reſpondet vel *a priori* vtilitati, vel *a poſteriori* effectibus poſtea apparentibus, vt inde vllam *ſinceram* atque iuſtam applicationem facere liceret. Etiam *ſolidæ* partes, quatenus *molles* atque *flexiles* ſunt, & non tam *habiles* ad Motus localis plurimum contribuit ad diſtributionem ſanguinis.

motus, ſed etiam *agiles* reddi, eique adſuefieri debent, poſtulant vtique motus *exercitium*: hoc ipſum etiam, tanquam a primis firmioris texturæ periodis, ita commode ſuſcipi & magis magisque exerceri, omni modo iuſtum æquumque atque rationi conſonum exſiſtit. Interim cum neuter horum reſpectuum quadret ad illam *peculiarem menſuram* temporis, qua primo ſeſe exſerit; relinquenda proinde eſt hæc peculiaris *ſtricti temporis* obſeruatio inſtitutis naturæ motuum vt *a priori*: cuius ratio ab illis *reſpectibus*, qui nobis innoteſcunt, non *æque* probabiliter, nedum euidenter reddi poſſit. Cæterum vti locales motus *muſculoſarum* partium, imo latiſſime patentium *artuum*, quin totius hinc inde externi poroſi corporis habitus, ad *ſanguinis* inprimis progreſſum iuuant, & vbi ille laborat, ad eum ſatis potenter expediendum, quin ipſam eius craſin *agiliorem* reddendam, plurimum valent; ſicut de ea re ſupra ſub cenſu *rerum non naturalium* plura attulimus: ita minime tam longe a veritate abludit, quod plurimi *motus locales* etiam re vera *inuoluntarii* & nullis *ſenſationibus proportionatis* ſuccedentes, tamen neque tali cauſa *materialiter obiectiua*, neque ſimpliciter *finali*, nempe *moraliter*, quod aiunt, *obiectiua*, circa negotium *humorum*, *craſeos & ſucceſſus*, deſtituantur. Id quod in *conuulſiuis* variis *motibus* conſiderationem meretur.

Quæ tamen res, cum magis ad PATHOLOGIAM reſpiciat, eo illam differimus: hiſce autem PHYSIOLOGICAM noſtram tractationem cum laude Altiſſimi obſignamus.

BRE-

BREVIS REPETITIO
SVMMORVM CAPITVM MEDICAE PHYSIOLOGIAE.

§. I.

CVm huc vsque, etiam paſſim præter inſtitutum, aliquanto prolixius recenſuerim ea, quæ ad notitiam corporis humani viuentis pertinent; placet breuiſſima repetitione, ſeu vt vulgo loquuntur recapitulatione, apices totius negotii in conſpectum breuiſſimum reducere, & quid denique in hac parte curatius cognoſcere & conſtanter ante oculos habere Medico incumbat, breuiter recenſere.

§. II. *Materia* corporis vt in ſe vndique, ita cum primis in *ſanguine* ſumme *corruptibilis*; quod tamen non in actum corruptionis deducatur, VITAE beneficio debet. Quæ nempe nihil aliud eſt *formaliter*, quam hæc ipſa *conſeruatio* corporis in illa ſua *mixtione* quidem *corruptibili*, ſed ſine omni corruptionis iſtiusmodi *actuali* euentu. Perpetratur autem hæc conſeruatio vtique MOTV; ſed hoc non niſi *generaliter*: & ita quidem, vt omni modo etiam abſolute opus ſit ſpecialioribus ſubſidiis, ſeu *motus ſpeciebus*, *actibus* & *effectibus*. Conſeruatio mixtionis corruptibilis per motus.

§. III. MOTVS enim in genere & *ſimpliciter* tantum abeſt, vt conſeruationis hunc actum quoquo modo abſoluere poſſit, vt ille potius ita ſimplicior certius *diſſolutioni* adeoque *corruptioni* inſeruiat. Et valet hoc tanto magis de illo *intrinſeco* motu, qui actu & re ipſa fit; motu *inteſtino*, ipſo inquam in *ſanguine* motu *fluiditatis*, tanto magis autem adhuc ſubtiliore, *caloris*. Quandoquidem hi *duo* motus ita ſimpliciter conſiderati potius verum & directum *inſtrumentum* ſunt corruptionis; & quidem vere ſimpliciſſimæ huius mixtionis indoli conuenientis, *putredinoſæ*. Motus in genere potius diſſolutioni quam conſeruationi inſeruit, exemplo motus inteſtini & caloris.

§. IV.

Sanguinis mixtio ſub his motibus fatiſcit, & diſſolutioni putredinoſæ ſubiicitur.

§. IV. Quemadmodum etiam ſub vniuerſo VITAE *apparatu* atque *actu* ſanguinis vtique *mixtio* minime intemerata perenniter perſiſtit, nempe numero penitus eadem; ſed re vera, etiam ſub vitali concurſu, ſenſim fatiſcit atque diſſoluitur. *Diſſolutionis* tamen genere ſimiliter ita *peculiari*, vt *mixtioni* materiæ, ſi ſine *vita* illa ſibi relinqueretur, ita *leuis* atque placida, imo ita *lenis*, minime eueniret. Species enim corruptionis, cui *mixtio* corporis animalis, & ex omnibus partibus eminentiſſime *ſanguinis*, directe expoſita eſt, eſt vtique *ſimplex*, & in ſanguine inprimis etiam præceps, PVTREFACTIO.

Paradoxon phyſiologicum.

§. V. „Hoc aſſeuero eſſe primum illud PARADOXON „PHYSIOLOGICVM: quod corpus animale tota intima ſua mixtione „promtiſſimæ *putrefactioni*, *materiali* ſui neceſſitate, totum expoſi„tum, tamen *quam diu*, imo vero *quatenus* VIVVM eſt, putrefactio„nem minime experiatur. Quam ex aduerſo præſentiſſime omnino incurrit, ſimul atque *vitalibus directis actionibus* deſtituitur.

Corpus viuum contradiſtinguitur corpori mixto.

§. VI. Hoc intuitu re vera omnino hæc conſeruatio eſt CORPORIS *vita*; & ex aduerſo illa deſtructio actu putredinoſa, vera *corporis mors*. CORPORIS inquam; illud, ſecundum quod *corpus* dicitur VIVVM, ſecundum quod realiter contradiſtinguitur ſimplicius MIXTO: *corruptibili* nempe præter modum, eoque nomine *mortali*, imo *emortuali*: ita certe alieno ab iſto *vitali* ſtatu, vt niſi nouum aliquod *poſitiuum* impedimentum intercedat, non poſſit, etiam per diem naturalem, exquiſite manere quod fuit, nempe corpus *ita mixtum*.

Diuerſitas eſt inter vitam, quatenus de corpore dicitur, & illum reſpectum, quo anima viua dicitur.

§. VII. Vnde bene notanda venit realis illa penitus diuerſitas inter *vitam*, quatenus de *corpore* dicitur, quo inquam reſpectu & intuitu *corpus viuum* eſſe dicitur; de qua re nobis in phyſiologia eſt ſermo: & illum reſpectum, quo ANIMA *viua* dicitur, quæ *reſpectu corporis* VIVIFICA ſolum dici meretur; peragit tamen in corpore hunc actum *viuificationis*, non vti vulgo craſſiore modo interpretantur per nudam atque ſimplicem ſui *vnionem*, ſed ſane per *actionem*. Neque tamen eandem etiam ſimpliciter *innominatam*; ſed omnino vere *mechanico-phyſicam*: nempe per *materiarum* ſenſim *fatiſcentium* perpetuam *remotionem*; quæ *proprie* & *directe* eſt VITA *inſtrumentaliter* conſiderata: & in locum harum *decedentium* nouam receptionem & *admotionem* recentium, quam NVTRITIONEM vocamus.

Actus vitales abſolute neceſſarii ſunt.

§. VIII. Non opus eſt ad MEDICVM ſcopum operoſe hic diſquirere, an vere *immediate* ipſa *anima* ſit *rectrix vitalis* huius actus. Interim intereſt omnino etiam *Medici*, vt ille intelligat, quod vniuerſi

hi

hi *actus*, qui *vitales* appellantur, totum inquam *negotium vitæ*, non ſolum abſolute *neceſſarium* ſit, ſed etiam ſumma ſecundum veram *rationem* atque *proportionem* ἀκριβεία adminiſtretur: adeo, vt non tam ſimpliciter credendum ſit, QVOD ita fiant; ſed etiam ſatis, imo abunde comprehendi poſſit, QVARE & QVAMOBREM tum etiam QVOMODO, & quidem ITA fieri debeant? & quem vtique nexum hoc habeat cum *phyſicis* (*materialibus* & *inſtrumentalibus*) & *moralibus* (*finalibus*) conſtitutionibus atque *reſpectibus*. Dico, quod hæc conſideratio etiam ad *medicum* vſum quam maxime faciat; dum videlicet ex hac ipſa *Medicus* vere atque ſolide comprehendit, non ſolum quid circa has res re vera *fiat;* ſed quid etiam recte atque commode ita fieri *debeat;* adeoque quid tandem ipſi etiam Medico de hiſce rebus *obſeruare*, decenter *adminiſtrare*, *regere*, *moderari*, *imitari* conueniat.

§. IX. Quemadmodum autem *vitale* negotium ita maxime per MOTVS potius, quam per *materias* abſoluitur; ita memori quoque mente tenendum, quod ipſa etiam SENSATIO ſimpliciter ſimili ratione perpetretur, nempe peculiaribus *motuum* directionibus. Et quantumlibet vtrumque horum fiat per *corporea organa*, tamen *effectus* vere formalis minime tantum ab illa *corporali* conſiſtentia, quam *proportione & actione* ſeu *motu*, *organis* illis potius, quam nude *per illa organa*, adhibito, pendeat.

Sicut vita per motus, ita etiam ſenſatio motuum directionibus perpetratur.

§. X. Vbi ſimul maximopere notandum eſt, quod illa *organica* ratio atque *proportio*, quæ his ipſis etiam *corporeis* organis ad illos ſuos *vſus* imprimitur, *abſolute* & ſimpliciter extra poteſtatem vllius *artificialis* externæ cooperationis poſita ſit; neque habeat circa hanc *Medicus* vllam poteſtatem, huiusmodi *conſtructionem* atque *conformationem* poſitiue atque directe quocunque modo *perficiendi*, aut (iterum dico, *directe*, ſtructuram atque conformationem ipſam, *actum* ipſum ſtruendi,) *iuuandi* ſolum atque promouendi. Niſi quod *priuatiue* continua diſſoluere, confluentia intercipere valeat; nihil quidquam tamen horum ſecundum *propriam naturæ* rationem atque methodum.

Ad conſtructionem organicam Medicus nihil conferre poteſt.

§. XI. Ex aduerſo vero MOTVS poteſt Medicus varie omnino iam *prouocare*, iam *cohibere*. Et cum veram ac intimiorem *ſtructuræ* rationem vix vsquam aſſequi valeat; aſſequitur ex aduerſo ſatis omnino commode rationem *ordinis*, *temporis*, *ſucceſſionis*, *conſpirationis* MOTVVM.

Motus autem varie alterare poteſt, eosque etiam aſſequi.

Motus vitales ſunt vel remotorii vel admotorii.

§. XII. Sunt vero *vitales* illi *motus*, vti dictum eſt, partim *remotorii;* quibus *aliena* (ſiue aſſumta, ſiue ex ipſa intimiore craſi fatiſcentia, atque deſciſcentia) e corpore *remouentur:* vel *admotorii*, quibus in locum fatiſcentium, adeoque reiectorum, alia denuo reſtituuntur.

Quos motus Medicus habeat in ſua poteſtate.

§. XIII. Hos ipſos etiam *poſteriores* motus *directe* quidem, imo vero vel ſaltem *propinquius*, in ſua poteſtate minime habet Medicus: *poſitiue* videlicet, imo directe & immediate, ne quidem *priuatiue*. Id eſt nemo hominum, quacunque tandem arte aut poteſtate, poteſt efficere, vt homo *bene* aut affatim *nutriatur*, quantumlibet & multa ipſi & optima alimenta exhibeat: vnde nota de *gracilioribus* loquendi formula, quod quantumcunque etiam edant, nulla ipſis exſpectanda ſit pinguefactio. Ex aduerſo vero poteſt *nutritio* inhiberi, tum admodum *remote* per alimenti ſubtractionem, aut minus commodi alimenti iniunctionem: *propinquius* autem etiam per prouocationem *animi pathematum turbulentiorum*, *mœroris* inprimis, anxii & ſolliciti *deſiderii*, & *nauſeæ* durabilioris inductionem &c. *Excretorios* autem motus poteſt magis & *propinque*, & *efficaciter* prouocare artifex, vel etiam contra *inhibere*, iisque moderari.

Motuum ſcientia Medico neceſſaria eſt.

§. XIV. Vnde quidem ſumme vtilis, imo neceſſaria ipſi eſt *motuum* horum ſcientia: & quidem minime tam æque *mechanica*, nempe *quomodo motus poſſit induci corporeo* inſtrumento? qualem *proportionem* habeat illa *ſtructura* organi ad talem proportionem *motus?* Sed potius *phyſico-hiſtorica*, nempe *quod* fiat, *in quas materias* fiat, *per quas* partes vt *organa* fiat: & *moralis* ſeu *finalis*, in quem *finem & vſum*, *phyſicum* omnino, imo preſſius *vitalem* ſeu *conſeruatorium*, tales MOTVS ita fiant.

Quæ cognitionem mixtionis poſtulat.

§. XV. Et hæc quidem vltima conſideratio nihil profecto ſterile, nihil exile inuoluit; ſed omnino poſtulat ſufficientem cognitionem conſtitutionis *intimæ*, ipſius inquam MIXTIONIS corporis, eiusque præcipuarum partium. *Conſtitutionis* inquam atque *proportionis ad durationem* ſui contra *corruptionem*, aut contra, *aptitudinis* ad ſubeundam omnino corruptionem.

Proportionem & conuenientiam motuum ad materias, vt agnoſcat, vbi vitium hæreat.

§. XVI. Et deinde, notitiam ſufficientem *proportionis* atque conuenientiæ etiam *motuum* talium, ſingulorum & ſociorum, ad illas *habitudines materiarum; vbi*, *cur*, *quomodo*, *quando*, ſcopis illis debitis ſatisfaciant. Et hoc totum maxime propterea, vt non ſolum poſt cognitam, & rationaliter quidem cognitam, talium *motuum* ad tales

mae-t

materias συζυγίαν, etiam agnoſcere valeat artifex, quando *defectus* aliquis emicat, *vbi* proprie, *vnde*, *cur*, & quo tandem *finali* reſpectu ille ſic ſe habeat? an in ipſa *materia* ſit vitium; & quidem vel intuitu eiusdem *corruptibilitatis* præualeſcentis; vel intuitu *mobilitatis* fatiſcentis: an vero *organa* vitium contraxerint; & iterum ſiue in ordine & proportione *ad materiam*, cui deſtinantur, ſiue in ordine *ad motum*, quem ſubire deberent. An denique ipſius MOTVS maxime euidens ſit vitium; & illud quidem iterum, an vere ſit *vitium* a *materiæ* atque *organorum* conſtitutione, *proportione*, *vſu* atque *fine* alienum: an a *materiæ* vitio pendeat, aut *organorum*: an vero magis ſimpliciter & *directe a priori actionis motoriæ* ipſius ſit error atque perturbatio, tam *materiæ* quam *organorum*, vel nulla penitus culpa, vel nulla certe *proportionata* ad tales, quæ ſubſequuntur, *motus ἀταξίας*. Vbi profecto in ipſa illa conſideratione, quam in hoc genere merito primo loco poſuimus, nec exiguam, nec omnino leuem operam collocandam inueniet Medicus, an inquam illi *motus*, qui extra *conſuetum ordinem* fiunt, re vera ſimpliciter *vitioſi* ſint; id eſt non ſolum a debito conſueto *ordine atque typo*, ſed etiam AB OMNI VSV pro corporis *integritate* aut *neceſſitate* ALIENI, imo potius *quolibet intuitu* œconomiæ corporis aduerſi, quin *noxii*.

Omnes & ſinguli motus ad vſus corporis deſtinati ſunt.

§. XVII. Sicut autem rebus vndique decenter penſitatis facile deprehendet, quod varii *motus*, qui etiam præter *gradum naturalem* aliquando intenduntur, imo varie *mutantur*, non ſolum de reliquo *in genere* vtique etiam *naturales* exſiſtant; & nunc etiam, quando ita *modo* atque *more* minus ſolito fiunt, euidenter ſatis potius ad aliquem VSVM ita, vt iam fiunt, adminiſtrentur, & *contra* aliquam præſentem vere paſſiuam *læſionem* aut *periclitationem* directe æque atque efficaciter inſtruantur: ſed confirmabitur etiam tanto magis ipſa *multitudine*, *frequentia*, atque *promtitudine* huiusmodi ACTVVM, quod vndiquaque vniuerſi omnes atque ſinguli huiusmodi MOTVS, tam *in genere* quam *in ſpecie*, ſimpliciter & abſolute ad VSVS corporis non ſolum deſtinati ſint, ſed illis etiam *a priori* APTI, & *a poſteriori effectibus* ipſis, quod re vera talia perficiant, conſpicui.

Adminiſtrantur & exercentur actiue ab anima.

§. XVIII. Quæ nempe, quod iterum repeto, eſt præcipua VTILITAS totius illius ſcrutinii, & tandem fundatæ cognitionis, QVOD MOTVS VITALES ADMINISTRENTVR ET EXERCEANTVR ACTIVE AB IPSA ANIMA; & ſint vere *organici actus*, a cauſſa *agente ſuperiore* in corporeis *inſtrumentis* inſtituti, ad produ-

cendos aliquos effectus, non ſolum in genere certos, in ſpecie vero *neceſſarios*, ſed etiam in ſpecie *ſpecialiſſima* ad neceſſitates ſecundum *temporis & accidentalium* externarum cauſſarum varias mutationes *peculiariter*, ſed ſatis tamen exquiſite, *proportionatos*. Non vero, iuxta crudiores recentiores præfigurationes, haberi poſſint vlla ſimilitudine veri pro talibus *motibus*, qui *ordinarie* quidem ſimpliciter *a materiali* corporis habitu pendeant, & ſine aliquo vere *directo vſu* aut *fine*, ſiue *ſcopo*, fiant: in illis etiam *extraordinariis* mutationibus magis ſimpliciter ab ipſarum alienarum *materiarum corporeis incurſibus* ita varie alterentur & inflectantur, ſine vllo *ſcopo* aut vlla *intentione*, & conſequenter a priori *directione*, *fini* tali quadrante, adminiſtrentur.

Energia intentionum animæ ratiocinantis per animi pathemata.

§. XIX. Tantum autem abeſt, vt negligi aut diſſimulari poſſit, vt potius omni cum attentione imo prudentiſſima induſtria penſitari debeat, & inprimis opinionibus illis contrariis contra opponi, ENERGIA illa, vti *potentiſſima*, ita *præſentiſſima*, *promtiſſima*, & proinde *familiariſſima*, nudarum ſimpliciſſimarum & vere abſolute *abſtractarum*, & vt loquuntur *immaterialium animæ ratiocinantis* (& ſecundum illa ſua ratiocinia *volentis*) *intentionum*, quas vulgo ANIMI PATHEMATA appellant. In quibus ſicut ipſa *anima ratiocinans* in ipſo illo *actu* non *recordatur quod* agat, aut *quid* agat, quod *velit*, & quid *velit*, ſed ſolum inconſideratam illam ſuam *voluntatem exſequi* properat: ita deprehenditur omnino, facta decente atque prudente contemplatione, eiusdem illius ſuæ *voluntatis* ſeu *intentionis* effectum etiam circa ipſos *vitales* actus & *organa* vitalia potenter exercere; præcipuo *nauſeæ* vomibundæ, *palpitationum* atque *tremorum* cordis, imo *lipothymiarum*, a *terrore* & tam ab hoc quam inprimis ab *iracundia* præcipiti *conuulſionum*, exemplo.

Animæ incumbit cura conſeruationis corporis.

§. XX. Sicut autem corpori in ſe ſpectato nulla vna adſignari poteſt ratio DVRATIONIS, id eſt, cur corpus abſolute *in ſe* ſpectatum *diu* conſeruari debeat; actionum autem *animæ* abſoluta indoles *durationem* vtique & *ſucceſſiones* per menſuras temporum ſimpliciter exigit & poſtulat, adeoque totus actus diuturnæ *conſeruationis* ita prorſus euidenter *animæ* vſibus deberi comparet: ita tanto minus dubium hinc eſſe poteſt, quod *animæ* incumbat, *curam*, & efficaciter quidem, gerere, vt *conſeruatio* illa corporis *ſibi neceſſaria* in actum omnino deducatur.

Quam curam perficit motu.

Quod autem *anima* hæc negotia vere etiam poſſit præſtare, demonſtratur a priori ex eo, quod *conſeruatio* quidem vniuerſa corporis fiat abſolute *formaliter*, *motu*. *Motus* vero ſit re vera res *incorporea*, corporibus

bus adiuncta, *generice* eiusdem indolis & vniuerſæ habitudinis, qualis *anima* ipſa.

§. XXI. Conſiderandum autem eſt, quod *corpus duos* præcipuos reſpectus ad *corruptionem* ſubeundam, adeoque NECESSITATEM *conſeruationis* adminiſtrandæ habeat; nempe vel prout intrinſeca eius *craſis*, vti iam ſupra dictum, *ſponte* etiam certo & ineuitabiliter fatiſcit; vel quatenus ab *externis* etiam rebus, ſiue incurſu vehementiore ſiue concurſu, violatur. Præterea obſeruanda pariter eſt *violationis* huius, oppoſitas *conſeruationes* requirentis, diuerſitas ratione *ſubiecti*; dum corpus ita vel in *mixtione* ſua, vel in *ſtructura* læditur; & a rebus quidem externis longe ſæpius, promtius, adeoque etiam familiarius, in *ſtructura* potius quam in mixtione: quantumlibet *ſtructuræ* quoque læſio familiariter ſuccedenti *mixtionis* læſioni viam ſternit, (eo ipſo, quod præcipua pars *ſtructuræ* proprie & directe *mixtionis* conſeruationi vt *inſtrumentum* ſeruiat.)

Corpus duobus reſpectibus corrumpi et violari poteſt, quibus conſeruatio opponi debet.

§. XXII. Propter haſce triplicis generis *neceſſitates* exercetur in corpore (1) VITA, ſeu negotium *conſeruationis mixtionis*; (2) NVTRITIO, ſeu negotium non ſolum *inſtitutionis*, ſed etiam *reſtitutionis ſtructuræ*; (3) SENSATIO, tanquam præcipuum *inſtrumentum* PRAESERVATIONIS ingruentium, tempeſtiuæ *excuſſionis* contingentium, imo *euitationis* adhuc *eminus* minitantium, lædendi compotum externarum reum. Cui vltimo inprimis PRAESERVATIONIS ſcopo ſubſeruit LOCALIS MOTVS. Interim omnia atque ſingula hæc negotia, ſimpliciter omnino & abſolute abſoluuntur *in genere* MOTV; tam VITA inquam, & NVTRITIO, quam SENSATIO.

Hinc exercentur in corpore vita, nutritio, ſenſatio & motus localis.

§. XXIII. Et inſeruiunt omnia corporis *organa* hiſce *ſcopis*; nempe tam *transmiſſionibus ſecretoriis* & *excretoriis* VITALIBVS, *appulſoriis* etiam NVTRITIVIS: quam SENSATIONIBVS, & LOCALIBVS *motibus* animalibus. Quantumlibet itaque vtique etiam conueniat nouiſſe atque perſpecta habere *organa* illa, quæ huiusmodi tam *vegetatiuis* (*vitalibus* & *nutritiuis*) quam *animalibus* actionibus famulantur; ſcire ſatis, in qua corporis *regione*, imo quonam *loco* præcipue hæreant; quænam legitima illorum *conformatio* eſſe ſoleat; cum quibusnam aliis *connexio* intercedat. Facit tamen hoc reuera non tam vllo intuitu alio ad MEDICINAM, quam ſolum qualemcunque *dignotionem* pathologicam, & *appoſitionem* medicamentorum *externam*, ſeu *topicam*; plus autem aliquanto ad *pathologiam chirurgicam*, & *iudiciæ inſpectionis* cadauerum. Ad veram autem directam ſuam *proportionem*, quam

Organorum quidem conformatio & connexio perſpecta vtique eſſe debet;

quam proportionem vero

ad motus habeant, indagare non poſſumus.

quam ad *motus* ipſos, ſiue in genere *ſuſcipiendos*, ſiue tales in ſpecie *præſtandos*, habeant, præcluſa eſt humanæ curioſitatis indagini via, adeo, vt huius reuera NIHIL quicquam inde adſequi valeat.

Motuum vera notitia vnde deſumi debeat.

§. XXIV. Vnde iterum iterumque notandum eſt, imo firmiſſima mente tenendum, quod huiusmodi *motuum* vera notitia vnice magis deſumi debeat vel ſimpliciter *hiſtorice* ab ipſa experientiæ obſeruatione; vel, ſi quid ſcientifici ſubeſſe debeat, illud magis petendum fuerit ab *indole materiæ*, cui tales *motus* ita adhibentur, quam ab habitu *organorum* ad eiusmodi *motus* ſuſcipiendos. Tanto magis, cum intrinſecæ *motus* rationes atque conditiones plane nihil commune habeant cum vlla *materiali* diſpoſitione *organica*, ſi illa ſolum *in genere* ad mobilitatem aliquam inſtituta ſit. Nec enim hæc diſpoſitio *organi*, quod ſit *mobile*, propterea ſtatim infert, vt ipſo *actu neceſſario* moueatur: ſed aliud vtique eſt fundamentum & obiectum *ſuſcipiendi*, *actu* inquam capeſſendi atque ſuſcitandi *motus*. Nec etiam ad GRADVM motus, quam *fortis* aut *lenis*, *celer* aut *tardus*, ille eſſe debeat, quidquam directe facit aut confert *inſtrumenti* proportio; ſed luculentum vtique eſt rationi, quod hæ motus *proportiones* ſimpliciter *dirigantur* ad *materiarum*, *quæ* & *quomodo* per illos tractari debent, *indolem*. Eadem eſt ratio etiam *durationis*, & reliqui habitus ad *tempus*, ratione *rythmi repetitionis*, ſtatæ *dimenſionis* ſeu intercapedinis &c. quorum omnium nihil vnum ab ipſo *organorum* habitu pendere, ſed vel *a priori intentionis* ipſius variis *directionibus* inniti, vel *proportioni materiæ* mouendæ, vel *finis* peculiari rationi reſpondere, cuilibet vel mediocriter perſpicaci non poteſt non manifeſtiſſimum eſſe.

Vera phyſiologiæ ratio ſeu fundamentum.

§. XXV. Ab his itaque maxime conſiderationibus pendet vera illa *vere* MEDICAE *Phyſiologiæ* ratio, vt ex illa intelligatur, quod vniuerſum negotium *ſecretionum* & *excretionum* non ſolum innitatur potius *materiæ*, quæ *moueri* debet, *proportioni*, quam vlli *organorum* alteri cuicunque *neceſſitati*: ſed innitatur inſuper ipſum verum atque ſolidum fundamentum etiam huiusmodi materiarum ita inſtituendi motus, propie ſimpliciter illi *ſcopo*, atque alia prorſus æſtimatione atque intentione præfixo *fini*, vt *corpus* hoc *vniuerſum*, non vt organicum eſt, ſed vt organicum *maneat*, conſeruetur.

Mixtio corruptibilis in vſus animæ conſeruari debet.

§. XXVI. Vnde prima in hoc genere conſideratio, moderniſ ſpeculationibus ne quidem vsquam in mentem lapſa, quæ interim verum de hisce rebus conceptum *vnice* ſuppeditet, imo vero veluti manifeſto hanc totam naturæ ſcenam pandat, eſt *diſpoſitio illa* MIXTIO-

NIS,

NIS, vt totius CORPORIS, ita primo loco SANGVINIS, ad *corruptionem putredinoſam.* Cui non ſolum *in genere* occurrendum eſſe, cum corpus vtique *in vſus animæ conſeruari* debeat, ſatis manifeſtum eſt: ſed tanto manifeſtius etiam inde agnoſcitur vera ratio atque *proportio* illorum ipſorum, qui ita fiunt *motuum*; ſi nempe animaduertitur, quomodo illi huic maxime *reſpectui* quadrent; *remotioni* inquam & plenariæ *emotioni*, ſeu eliminationi *materiarum* talium, talium inquam, quæ ita ad *ſubeundam* corruptionem *putredinoſam* proxime procliues ſunt; minime tamem ſimpliciter, *quatenus* ita procliues ſunt, aut quatenus *corporaliter* iam etiam ipſo actu huius corruptionis correptæ ſunt, ſed quatenus corruptio talis a corpore abarceri, & hoc potius *conſeruari*, ne illam incurrat, debet.

§. XXVII. Confirmat tanto magis hanc huiusmodi conſiderationem illa certa atque euidens *potentia*, quam illud, quodcunque tandem ſtatuatur, *principium* horum *motuum* habet, ad *mouendum* aut *non mouendum*, *ita* aut *aliter* mouendum, *conuenienter* aut *inconuenienter* mouendum, propter *directos*, aut *alienos* reſpectus; imo *neglectis* etiam magis *neceſſariis* reſpectibus, iuxta *alieniores* & *fictitios*, alienos motus ſuſcipiendum. Quod in variis *excretionum* generibus notiſſimum eſt, quando illæ v. gr. nudo *ſenſu* frigoris, & *breui* quidem etiam *terrore*, *iracundia*, *nauſea*, animi *anxietate*, *mærore*, *deſideriis* varie in transuerſum aguntur, nullo neque *materiarum* neque *motuum* conueniente habitu, ſed potius iuxta conſuetos VSVS aliter prorſus inſtituendo.

Principium illud mouendi habet motus in ſua poteſtate.

§. XXVIII. Præcipuum itaque, & niſi quidem ſolum, certe quouis modo primarium MEDICAE THEORIAE negotium erit, horum MOTVVM tam *hiſtoriam*, quam *rationes* ad *fines* intellexiſſe; *proportiones* inquam illorum tum vti ſunt, tum vt eſſe DEBENT, & QVAMOBEREM ita potius, quam quolibet alio modo, ſint, & ſeſe habere *debeant*. Vbi quidem vtique etiam *organorum* atque *locorum* notitia in conſiderationem veniet; MATERIARVM etiam quæ *motibus* huiusmodi tractantur.

Præcipuum theoriæ medicæ negotium.

§. XXIX. Interim *organorum* quidem vel ſimplex *hiſtoria* ſufficiet; ſicut etiam reuera nihil quicquam vltra nudam illam intellectui patet. Circa *materiarum* autem etiam cognitionem penitiorem non ſolum par omnino difficultas deprehendetur; ſed etiam re vera nihilo vsquam minor impotentia, quocunque modo comparandi aut connectendi veram *efficaciam medicamentorum* in tales materias. Quandoqui-

Organorum ſimplex noti-tia.

Materiarum cognitio, & medicamentorum efficacia.

Materiarum morbidarum & pharmaceuticarum habitus, inanis conſideratio.

doquidem certe nihil non ſolum magis ieiunum, ſed reuera magis alienum ab omni vmbra ſcientificæ explicationis occurrit, quam inaniſſimæ illæ ſpermologiæ de mutuo habitu *materiarum morbidarum* & *pharmaceuticarum*, ex *ideis chymicis*, & in ſe non intellectis, & cum ipſo facto ne per *fictionem* quidem quantamcunque conſpirantibus: de *acido* & *alcali*, de *coagulatione* & *fuſione* humorum, de *acidis ſpecificis*, & *abſorbentibus* parallelis: nam illas de *ſulphuribus viſcidis* & ſimilibus phantaſiis nænias vel nominare piget.

Vtilior conſideratio, quibus organis & motibus materiæ quadrent, motus quæ tempora, progreſſus & exitus ſeruent.

Operationum quoque ratio & proportio indaganda.

§. XXX. Illa vero potior eſt & vtilior conſideratio, interim & ipſa magis a poſteriori ab *hiſtoria & experientia* arceſſenda, quam ſimpliciter ſufficiente *ætiologia* declaranda, *quæ materiæ*, quibus *organis*, *meatibus* atque *motibus* quadrent; quæ *tempora*, quas *durationes*, quos *progreſſus*, quos *exitus* ſeruent atque ſortiantur. Quibus reſpectibus ſi tandem etiam experientia circa *materiam medicam* aliquid parallelum offerat, meretur illud ante omnia memori mente ad vſum comprehendi: prudenter autem demum & cum ſolido intellectu METHODI *ætiologicæ* per *otium*, ſed illud quoque *doctum*, diſpicere, ſi qua etiam ratio operationum quadantenus concipi poſſit. Omni modo vero *operationum* etiam ab ipſa maxime *experientia* diſcendæ & hinc ad vſum ſeruandæ ſunt *proportiones* iuxta *tempus*, & mutuas *ſubordinationes* atque *concurſus* in agendo. Hæc ſunt illa Θεωρητέα circa quoslibet etiam *particulares* actus ſiue *motus vitales*; hæc inprimis diſcere atque ſcire conuenit: & quidem non ab *organorum* habitu eiusque comparatione ad illos *effectus*, qui fiunt; qui certe vix non ſimpliciter & abſolute *irritus* eſt labor: ſed vnice magis a *materiarum* indole atque *proportione*, ſed & hac ipſa iterum non ſimpliciter *in ſe* conſiderata; ſed vnice ad *durationem* atque *conſeruationem* corporis, eiusque habitum ad *ſecretiones & excretiones* non magis *neceſſarias in genere*, quam *in ſpecie* decenter *tempeſtiuas*.

Ita dilucefcet ratio motuum.

§. XXXI. Ita demum dilucefcere poterit mutua *ſubordinatio*, *conſpiratio*, *proportio*, imo *ratio* ſecundum hos *reſpectus*, variorum in corpore MOTVVM vitalium: *ſecretoriorum* & *excretoriorum* inquam, quibus materiæ tum *vtiles* ad ſuos vſus *diſtribuuntur*, tum *inutiles*, & ſenſim *damna* minitantes, peculiaribus progreſſibus & ſucceſſibus ita *tranquille* atque *ordinate* e corpore eiiciuntur, vt etiam ſub ipſo illo progreſſu ſui expulſorio adhuc paſſim *vtiles* intermedios aliquos effectus in ſubſidium aliorum ſucceſſuum & exituum perpetrent atque præſtent.

§. XXXII.

§. XXXII. Omnia hæc inquam atque ſingula primo prorſus loco, præcipua & vere directa ſtudii *ἀκρίβεια*, hoc *ordine atque ſcopo* perueſtigata, conſtituent demum vere MEDICAE PHYSIOLOGIAE *σύνταξιν*, & præcludent viam atque aditum ALIENIS illis contemplationibus, quibus corpus humanum aliter quam e ſimplici atque directo fundamento VITALITATIS ſuæ conſideratum, non ſolum MEDICO ſcopo vtiles conſiderationes non admittit, ſed vere atque ſolide VERITATEM rerum æſtimando, re vera omnem omnino *veracem* & nihil *fictitiam* contemplationem certiſſime fruſtratur. Hæc eſt ſyntaxis phyſiologiæ medicæ.

§. XXXIII. Hoc intuitu ante omnia quidem notum vtique eſſe conuenit, imo bene perſpectum negotium *circulationis ſanguinis*, tum velut *in genere*, tum *in ſpecie* habitus eius in ordine ad vitales illas *ſecretiones & excretiones*. Quo maxime intuitu recte conſiderari debet vſus *transpreſſionis* eius per *ſpongioſas* partes, in ambitu maxime corporis conſtitutas; quo nempe ſanguis in perpetua decente *fluxilitate* conſeruatur: vt non ſolum perpetuo illi ſuo circuitui *aptus* maneat, ſed etiam eo ipſo ad *ſeceſſiones* decentes rerum e ſui latifundio dimittendarum recte idoneus. Circulatio ſanguinis.

§. XXXIV. Sub quo quidem *tranſpulſu* per iſtas partes *poroſas* inprimis *molles* duo adhuc conſideranda veniunt, arduum vnum, & *pathologicæ* conſiderationi maxime ſubſeruiens; alterum nec ipſum quidem exigui momenti, plus tamen *phyſicæ ætiologiæ*, quam *medicæ pathologiæ* velificans. *Prius* eſt negotium *motus* TONICI, VITALIS, & ſine *voluntate* noſtra & *conſcientia a priori* fientis atque vigentis; quo partes illæ poroſæ iam magis conſtrictæ atque adeo *denſatæ* ſanguinem parcius admittunt, iam *relaxatæ*, promtiori atque copioſiori eius ingreſſui locum præbent. Et ſunt omnino maximopere notandæ TONI huius *promtæ* atque faciles *mutationes*, quibus ſæpenumero etiam velut *in momento* mutatur; & quidem, quod etiam ipſum conſideratu omnino dignum eſt, longe & *familiarius* & *promtius* in CONSTRICTIONEM, quam RELAXATIONEM. Motus tonicus vitalis.

§. XXXV. *Alterum* e dictis eſt *concaleſcentia* ſanguinis *ſub*, imo *ab* hoc motu tam *circulatorio*, nempe *pulſorio* atque *tonico*, quam vtriusque peculiari *intenſione*. Vbi quidem iterum in conſiderationem venire debet *mechanismus* purus huius totius actus; id eſt, quod hæc *incaleſcentia* a nulla alia *materialii* re dependeat (excepta ſola ſanguinis vtique peculiari *materiali* diſpoſitione) ſed vnice & ſimpliciter a MOTV illo, eiusque maiore vel minore *intenſione*, tam ſecundum ipſum impe- Incaleſcentia ſanguinis.

tum *impulſus*, quam *rigorem tonicum* partium, magis intenſum aut remiſſum. Sicut eximium inprimis huius rei ſpecimen occurrit in *refrigerationibus* repentinis, tam in *terroribus* atque *pauoribus*, quam etiam in *paroxyſmis* febrilibus; manifeſto comparente vtrinque interclusione ſanguinis a libero illo ſui *aditu* ad partes per *conſtrictionem* harum fortem atque repentinam. Quemadmodum ex aduerſo *incaleſcentiæ* huiusmodi *tonicæ* euidentiſſima exempla occurrunt partim in *motibus* corporis *voluntariis*, partim in *motu reſpirationis*, tum *ordinario*, tum extra ordinem fortius *intenſo*. Et hoc contra *ſcholarum* opinionem, quæ potius *refrigerationem* ſanguinis a *reſpiratione* ſperare conſueuerunt.

Motus circulatorius non abſoluit negotium vitæ, nec eſt ſub poteſtate Medici.

§. XXXVI. Sicut autem omnino huius motus *circulatorii* veritatem & vtilitatem reliquam perſpectam habere ex vſu eſt; ita non eſt tamen proprie atque directe hæc ipſa, quæ vel negotium *vitæ* abſoluat, vel etiam veluti *propius* Medici poteſtati expoſita ſit. Quandoquidem re vera *Medicus* in ipſam *circulationem* ſanguinis qnam minimum poteſt, niſi ſolo *conſilio*, vbi reliquæ circumſtantiæ atque *vires* ferunt, per corporis fortiores *motus* illam intendi. Quo ipſo tamen, inprimis in minus adſuetis, principali negotio *ordinatarum* ſecretionum & excretionum non ſolum non bene, ſed ſubinde etiam male conſulitur.

Maior Medici conſideratio ad motus ſecretorios & excretoris dirigenda eſt.

§. XXXVII. Vnde potius primario dirigenda vlterius eſt conſideratio ad *ſucceſſus* circulatorii motus, *ſecretorios & excretorios*; MOTVS inquam *ſecretionis & excretionis*, quibus ſub illo reliquo circulatorio motu diuerſæ partes per diuerſa organa, *colatoria* inde dicta, a reliquo ſanguine ſeparantur. Vbi iterum conſiderationem decentem merentur paralogiſmi illi nimis curioſorum recentiorum, de *ſpecifica figura pororum* in huiusmodi colatoriis. Qui ſicuti variis aliis manifeſtis circumſtantiis contrariis penitus euertuntur; ita præit his reliquis certiſſima illa, quod excretiones hæ diuerſa moderatione *toni* (id eſt modo relaxatione, adeoque ampliatione pororum in colatoriis, modo ſtrictura, adeoque maiore coarctatione eorundem,) varie modificari obſeruentur: & quidem hoc non ſolum *indies* actu ita familiariter fiat; ſed etiam præſentiſſima efficacia & veluti *momentaneis* inſultibus peragatur, exemplo inprimis *terroris*, *iracundiæ*, *ſenſus frigoris*, aut contra *blandi* vuidi aut humidi *caloris*. Sicut etiam promtæ *retroceſſiones* & *translationes* materiarum excernendarum ab vno ſecretorio & excretorio organo ad alterum hoc idem affatim declarat.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Vnde hic vbique maximi vtique momenti eſt, & vere præ omnibus aliis rebus efficax, TONICVS MOTVS, tam *ad* partes conuenientes, quam *per* illas, imo tandem *ex* illis, non tam ſimpliciter *mechanice* bene ſuccedens, quam exquiſite conueniente *directione* atque moderatione, decenter *gubernatus*. Prout videlicet quadrat *proportioni* materiæ, ſecundum *locum*, ſeu conueniens *organum*, *tempus*, & legitimos actionis *ſucceſſus*: & hoc ſecundum *actiuitatem* materiæ ſecernendæ, ad nocendum & *dignitatem* partium periclitantium. Quibus rite peragendis præcipue fouet tonicus motus.

§. XXXIX. Vnde diligenter conſideratis familiaribus & fere quotidianis phænomenis, etiam illa altera præfiguratio tota euaneſcit, qua altero præfigurandi ſchemate vulgo ipſis *materiis* excernendis eiusmodi peculiarem *irritandi* atque *ſtimulandi* energiam affingunt, mediante qua iſtæ partes *colatoriæ*, aut quoquo modo *motoriæ*, *irritatæ ſeſe*, vt loquuntur, contrahant, adeoque veluti ſpongiarum more quicquid imbiberunt ſuccedentibus, imo repetitis compreſſionibus iterum exprimant: cuius rei potius contrarium multis atque variis exemplis paſſim diluceſcit. Materiæ energia irritandi & ſtimulandi vulgo effingitur.

§. XL. Verbi gratia, dum *ſtomachus* ordinariis atque conſuetis placidis ſtricturis affectus contenta aſſumta intra paucas horas emittit ad inferioria ſuccedentia inteſtina; quando vero aliquid cum *nauſea* aut ſuperueniente *nauſea* adſumtum continet, vel etiam grauiter *corruptum* quiddam, *cauſticum* (*cholericum*) aut alias ex aſſumtorum vitio *acrius* euadens: tunc valde familiariter fit, vt eiusmodi materia non ſolum per *duplum*, ſed ſubinde *triplum*, *quadruplum*, imo amplius eiusmodi temporis ſpatium in ventriculo retineatur, donec vario, & inprimis *animum* ipſum *anxietatibus* perturbante conatu per *vomitum*, *inſolito* plane *motu*, ſurſum reiiciatur; aut plane *incluſa* detenta materia, quamuis grauiſſime *vrens* partes, καυσώδεα mala formet. Nempe longe ibi abſente tali effectu tam præſentaneo & immediato *ſtimulationum*; quæ tamen in poſterioribus caſibus vtique tanto certius euenire debuerant, cum vtique iſtæ *acerrime* irritatiuæ energiæ non niſi ſucceſſibus in ipſam illam materiam introducantur, adeoque varios *irritationis gradus* formando, & ex hypotheſi exercendo, motus illos *propulſorios* merito prouocare debuiſſent, non vero tam diu, etiam ſub inſoleſcente illa efficacia, nihilo minus tolerari &c. Exemplum in contrarium.

Habitus materiarum & motuum ad finem conſeruationis eſt obiectum phyſiologiæ.

§. XLI. Vnde certe potius nimio quam euidentior eſt horum motuum conſideratio imo ratio, quomodo illi reſpondeant *vtilitati* imo *neceſſitati conſeruationis* corporis, intuitu efficaciæ ſui ad *inſeruiendum* aut *nocendum* ipſi corpori. Secundum hanc enim inprimis *proportionem* vel *retinentur*, omiſſis, vel *remouentur*, inſtitutis ad hunc *finem* aptis *motibus*. Hic mutuus habitus *materiarum* atque *motuum* ad vltimum illum FINEM *vitalis conſeruationis*, & quidem iuſta atque efficaci *proportione mechanico* - ORGANICA huic reſpondens atque quadrans, eſt VERVM OBIECTVM vniuerſæ conſiderationis MEDICAE PHYSIOLOGICAE, & veri habitus non tam inutiliter ſimpliciter *mechanici*, quam vere ORGANICI, certa & ad propoſitum FINEM proportionata DIRECTIONE atque moderatione inſtituti atque *gubernati*.

Proportio ſtructuræ hic etiam aliquem vſum confert.

§. XLII. Vbi etiam nulla vna conſideratio euidentis proportionis *ſtructuræ* locum & verum aliquem vſum inuenit: vtpote e qua nusquam omnino vel vlla ſuſpicio, ne dum deductio ſperari poteſt, quomodo tales motus, tali *tempore*, tali *gradu* non ſolum inſtituantur, ſed etiam per *leues*, & inprimis etiam ſimpliciter *fictitias* occaſiones, quantumlibet præſentibus iisdem ſolennibus reliquis circumſtantiis, paſſim etiam non inſtituantur aut ſuccedant, adeoque in eodem organo & *poſſint fieri* & *non fieri*.

In omni motu vitali eius proportio ad finem ſpectanda eſt.

§. XLIII. Quam maxime itaque in quolibet *vitali* motu ſpectanda potius eſt proportio eius ad FINEM, quem adſequi imo exſequi debet: & quidem tam *a priori*, ratione ipſius *intentionis*, nempe *ſuſceptionis* atque *directionis*; quam magis velut *a poſteriori*, ratione *gradus*, *temporis*, *ordinis*, ad talem exitum decenter conſpirantium. Vbi abunde ſufficit etiam *generaliorem* notitiam habere *organorum*; quænam cuilibet motui proprie dicata ſint; quodmodo in conſpicua ſua *integritate* agnoſci poſſint: vt inde etiam, ſi quod fortaſſis in illis hæreret vitium, conſpicuum inprimis, dignoſci poſſit.

Vſus medicus ex hac conſideratione motuum.

§. XLIV. Iterum iterumque dico, hæc talis conſideratio proprie eſt MEDICA, & habet inprimis vſum illum MEDICAE intentioni directe conuenientem, vt, ſi quid in his MOTIBVS minus decenter fieri obſeruetur, tunc maxime ſuarum partium eſſe intelligat Medicus, vt illis motibus ſiue *mitigandis*, ſiue prouocandis, ſiue *conſeruandis*, ſiue *moderandis*, quoquo modo vero iuxta FINES debitos IMITANDIS, incumbat atque operam nauet. Quandoquidem hæc ſola ſunt, aut certe præcipua, quæ in ſua poteſtate habet MEDICVS, aut *magis*

certe,

certe, & *directe* quidem magis, quam quicquid ipſam *organorum* diatheſin reſpicit.

§. XLV. In his itaque *rebus* & *reſpectibus* prudenter diſcernendis ita occupatus eſſe debet MEDICVS PHYSIOLOGVS, vt meminerit, omnes alias conſiderationes a ſuo vero *ſcopo* ita alienas eſſe, vt non ſolum ad illum nihil conducant, ſed potius ab illo facillime ipſum *abducant*, & quid pro ita diuerſis talibus conſiderationibus agere *debeat*, imo vero agere *poſſit*, *dubium* reddant. Cum ex aduerſo, ſecundum haſce allegatas circumſtantias inſtituta penſitatio *directe* illum manuducat ad veram VITALEM habitudinem, eiusque *neceſſitudines* e ſuo fundamento agnoſcendas, & in ſuo ordine etiam gubernandas.

Alias conſiderationes a ſcopo ſuo alienas Medicus mittere debet.

§. XLVI. Hæc autem omnino res, & nulla æque altera, minime omnium autem alteri cuicunque obiecto intenta conſideratio inſtruit Medicum vera METHODO œconomiæ corporis ſubueniendi. Dum illi ſiſtit laudatiſſimam illam, & paſſim a Practicis inprimis indicatam quidem, nusquam autem recte deſcriptam SYNERGIAM corporis ad *medicationes*. Quæ videlicet nihil vsquam aliud eſt, quam VIVI corporis, *quatenus viuum* eſt, id eſt, *actuum vitalium* talis concurſus, quem non ſolum *negligere* non poſſit Medicus; ſed quæ etiam ſua *ſponte*, & *ſine Medici* concurſu, tam *reſiſtit* energiæ morbidarum cauſſarum, quam illas penitus *depellit* & *exturbat*.

Hæc conſideratio inſtruit Medicum methodo œconomiæ corporis ſubueniendi. Synergia corporis ad medicationes.

§. XLVII. Omni modo vero indeſinenter *fiendo* & *agendo* omnino *non poteſt* negligi a Medico, quin non ſolum *obſeruetur*, & illi partes ſuæ integræ relinquantur, ne ſcilicet *actiones* eius temere turbentur aut peruertantur: ſed debet quam maxime pro efficaciſſimo *præſidio* corporis etiam in ipſis illis dubiis rebus ita agnoſci, vt potius *Medicus illi* ipſi ſolum *ſubſidio* eſſe laboret: id eſt omnem ſuam operam ita dirigat atque eo intendat, vt huius ACTIVITATIS *domeſticæ* ſaltem ſucceſſum felicem promoueat, atque re vera cum illa *concurrat*: adeoque non tam qualemcunque *cooperationem* a *natura* exſpectet, *ſuis* tanquam abſolute propriis *artificioſis* conſiliis atque cœptis: ſed potius agnoſcat, quod ipſa *natura*, dico ipſa *actiuitas vitalis*, *per ſe* & *directe* iam ſit in illo opere, etiam *ſine Medico* quantum vsquam poteſt, perpetrando; cui adeo ipſe ſolum Medicus vere *acceſſoria* atque *ſubſidiaria* ope ita ſubuenire poſſit atque debeat: atque ita ipſe Medicus *naturæ cooperari*.

Hæc ſynergia & actiuitas domeſtica a Medico probe obſeruanda eſt.

Naturæ hæ ſunt primæ partes, vt corpori conſulat.

§. XLVIII. Quandoquidem naturæ non ſolum *primæ* hic ſunt partes *a priori*, reſpectu *intereſſe* corporis, quapropter illam primario ſibi deceat conſulere: ſed etiam *a poſteriori*, dum vtique actu ipſo hoc ita facit, & non ſolum *ante* Medicum ad conſulendum corpori, & cauſſis morbidis reſiſtendum, alacriter procedit: ſed etiam omnino paſſim feliciter hoc ſuo cœpto potitur atque perfungitur, adeo vt etiam totam *expugnationem* cauſſæ atque proximi effectus morbidi tam decenter ratione *methodi*, quam potenter ratione *energiæ* abſoluat, *ſine* omni *externo* artificiali auxilio.

Huius energiæ naturæ σύνεργος Medicus eſſe debet.

§. XLIX. Vnde omnino immenſum quantum intereſt Medici, vt hanc *naturæ* ENERGIAM perſpectiſſimam habeat, & ſe potius illi σύνεργον eſſe debere agnoſcat, quam illam ſibi: id eſt, illius potius *motus* atque *modos ſequendum* ſibi eſſe agnoſcat, quam vt liberum ſibi putet *ſine* habito *reſpectu* ad inclinationem naturæ, & quorſum illa vergat. Quantumlibet quicquid etiam proprio auſu atque lubitu circa *motus* corporis patrare in animum induxerit Medicus, abſoluta neceſſitate agnoſcere debeat, quod tota *actio qua talis*, ſimpliciter ab ipſa natura exſpectanda veniat: nempe ab illo *principio actiuitatis*, quod omnia in corpore primo actuat & agitat.

Non ſolum autem motus, ſed etiam methodum naturæ perpendere debet.

§. L. Omnino autem iterum iterumque monendum hoc habeo, quod princeps huius loci conſideratio ea cumprimis eſſe debeat, quod non ſolum *motus* in genere, ſed inprimis etiam METHODVS illa exquiſite cognoſcenda atque perpendenda veniat Medico, qua vti natura conſueuit, quando tum ſibi ipſi conſulit, ſine arte externa; tum illam etiam perpetuo agitat, concurrente quocunque artificio externo. Quapropter neceſſitas vtique poſtulat, vt artificium tale ita inſtruatur, ne naturæ operibus præiudicium afferat; ſed potius directe *ſubueniat*, & ad exſequendum intentionem ſuam ſalutarem omnia faciliora reddat. Hanc ſi recte aſſecutus eſt THEORIAM *ſolidam* Medicus, habebit verum atque ſolidum *vſum* vere MEDICAE PHYSIOLOGIAE, quæ in his vnice, in nullis autem aliis conſiderationibus acquieſcit.

MEDI-

MEDICINAE DOGMATICO-SYSTEMATICAE PARTIS THEORETICAE SECTIO II. QVAM CONSTITVIT PATHOLOGIA.

DOCTRI-

DOCTRINAE MEDICAE
THEORETICAE
PARTIS II.
PATHOLOGIAE
PRAECOGNITA.

§. I.

PATHOLOGIA MEDICA eſſe debet *conſideratio morborum cum ſecundum vniuerſam ſuam indolem, vbi hæreant, quomodo ſe gerant; tum ſecundum illas cauſſas, quæ tractationi medicæ locum concedunt*, ſeu medicationibus expugnari poſſunt. Diſtinguenda hoc intuitu venit ab AETIOLOGIA, ſeu conſideratione morborum ſecundum ſimplicem PHYSICVM habitum ad *cauſſas* ſui; quicunque enim *reſpectus* MEDICO aditum non præbent ad *inuenienda auxilia*, quæ illis *reſpectibus* quadrent, illi a MEDICA THEORIA alieni ad PHYSICAM tantum reiiciendi ſunt. Exemplo eſſe poteſt VVLNVS; cuius conſtitutio, ſi ſecundum *phyſicam ætiologiam* conſideretur, exhibebit *certum numerum fibrillarum* ſectione *diſſolutarum*: interim neque definiri poterit ſpecifice ille *numerus*, neque ſingularum harum fibrillarum *propriæ extremitates* diſcerni, ne dum *coaptari*, at minime omnium *conglutinari* ſeu *conſolidari*. Interim cum ex illa nihil ad *medicum vſum* redundet, nihil inquam, quod in *Medici poteſtate* ſit, hinc colligi poſſit, eſt vtique hæc talis *ætiologia* a MEDICA PATHOLOGIA aliena.

Pathologia medica quomodo differat ab ætiologia morborum phyſica.

Kkk §. II.

Licet vero ætiologia phyſica in hiſtoria pathologica tolerari debeat, tamen indicationibus formandis non eſt adhibenda:

§. II. Quamlibet autem etiam paſſim per *connexionem* rerum ipſa hæc etiam magis *phyſica ætiologia* tolerari poſſit in *hiſtoria pathologica*; cauendum tamen maximopere eſt, ne poſtea etiam *indicationibus* formandis adhibeantur, quas vel *ſteriles* vel potius plane nullas, nempe ab omni *poteſtate Medici* alienas præbere poſſunt. Exemplum huius rei eſt iterum allegata hæc conſideratio *vulneris*; vbi, licet verum ſit, quod omnino in quolibet vulnere pro magnitudine eius *certus numerus* fibrillarum diſſolutus ſit, tamen in nullius hominis poteſtate poſitum eſt, illas *connumerare*. Deinde, licet verum ſit, quod dimotio atque *diſtantia* harum fibrillarum vulnus quaſi *formaliter* conſtituat ac apertum ſeruet, neque corrigi poſſit, niſi ſola *ſingularum extremitatum* vere ſibi *reſpondentium ſelectione*, & noua ſingularum ad ſingulas *admotione*, & tandem actuali iterum firma *connexione*: eſt tamen ſimul manifeſtum, quod etiam horum omnium abſolutiſſime nihil poſſit vllus artifex.

Theoria craſeos fluidarum aliquid ſubſeruire poteſt pathologiæ; energia vero motuum vitalium eſt eius præcipuum fundamentum.

§. III. Sicut autem conſtitutio corporis legitima, & conſequenter etiam *læſio*, concernit in genere *mixtionem* atque *craſin* omnium, *ſtructuram*, *texturam* atque *nexum* ſolidarum, & *motum*, fluidarum *progreſſiuum*, ſolidarum *tonicum* atque *localem*: ita bene notandum venit, quod quidem theoria *craſeos fluidarum* eminus aliquid ſubſeruire poſſit *pathologiæ motuum*; *texturæ* vero & intimioris *ſtructuræ* conſideratio, vtpote ab omni *artis* potentia in ſolidum alienæ rei, vix alicubi eminus *chirurgicæ* alicui directioni locum parare poſſit. Sola vero *energia motuum vitalium* & *actuum nutritiuorum*, cum ſuis iuſtis atque *proportionatis* ſucceſſibus, eſt illud, quod *pathologiæ* non ſolum præcipuum fundamentum, ſed etiam maximam partem, imo vix non illam vniuerſam, abſoluit.

Pathologia debet occupata eſſe circa res veras, quæ non tam fieri poſſunt, quam vere ſolent.

§. IV. Debet autem ante omnia MEDICA PATHOLOGIA occupari circa res *veras*, quæ vere ſunt & *exſiſtunt*; fieri non tam POSSVNT forte, quam vere SOLENT. Vbi non ſolum prudente atque perita diſcretione opus eſt, etiam circa tales effectus, qui POSSE euenire apparent, an etiam *ipſo facto* vel vnquam eueniant: ſed opus inſuper eſt perita omnino etiam illa diſtinctione, quinam illorum effectuum, qui non ſolum POSSE ſed etiam SOLERE fieri obſeruantur, ipſo facto ſiue SAEPIVS eueniant, ſiue RARIVS: & quænam eſſe poſſint CAVSSAE, quod longe *plurima* talia œconomiæ corporis pathemata cum, ſimplicioribus conſiderandi reſpectibus, appareant admodum *facile* atque *promte* POSSE euenire, tamen minime SOLE-

SOLEANT hoc facere, ſed potius non niſi RARO, imo RARISSIME contingant.

§. V. Quemadmodum autem hic ſita omnino eſt ingens aberratio vulgatæ, præſertim in *recentiore* ſchola medica, pathologiæ; ita fundatur illa propemodum abſolute, aut certe maximam partem, in neglectu diſtinctionis illius, non ſolum totius MEDICAE *theoriæ*, ſed etiam veræ *phyſicæ anthropologiæ* fundamentum conſtituentis, inter *corpus* ſimpliciter *vt* MIXTVM atque TEXTVM, & *vt* VIVVM. Vbi nempe neceſſitas vtique poſtulat, vt potius in recenſendis corporis pathematibus præcipuus reſpectus habeatur ad illas *proportiones*, quas quæcunque tales læſiones exhibent in ordine ad conſtitutionem illarum *partium* aut *actionum* vere VITALEM.

In recentiore ſchola medica negligitur diſtinctio inter corpus mixtum & viuum.

§. VI. Hoc enim conſiderandi modo eluceſcet demum, & vindicabit ſibi locum non ſolum proprium, ſed etiam longe digniſſimum, ipſa ACTIVITAS VITALIS, quomodo in variis *œconomiæ* ſuæ impedimentis ſeſe gerat, non tam vere *paſſiue*, quam potius paſſim ACTIVE: nempe conſuetos ſuos MOTVS ita vtique inſtituendo, vt illis ſimplicem directam *energiam cauſſæ* lædentis quoquo modo præoccupet, & partim ita *efficaciam* minuat, partim ipſam *cauſſam* vniuerſim etiam *materialiter* expellat, atque ita corpus in ſolidum ab illa liberet. Hæc res cum non ſolum ipſa, ſed etiam fere quicquid ad illam directe pertinet, hucusque, inprimis autem in recentiore ſchola, vel plane non, certe minime *condigne*, *diſerte* inquam atque *diſtincte*, tractata fuerit, fieri aliter non potuit, quam vt magni numeri variorum affectuum rationes adeo alienæ fingerentur, vt neque cum *hiſtoriis* affectuum conſentirent, neque cum *veritate felicis praxeos* conuenirent, ſed paſſim nouis commentis fulciendæ atque colorandæ eſſent.

Actiuitas vitalis in pathologia ſibi digniſſimum locum vindicat.

§. VII. Dum autem hanc partem doctrinæ medicæ tractare aggredior, non æque placet prolixum eſſe circa *voces*, *Medicis* partim, partim *Philoſophis* familiares, circa *ordinem* atque *motum* cauſſandi. E communibus enim ſtudiis notum eſſe vtique debet, quo ſenſu aliquid dicatur vel *efficienter* vel *inſtrumentaliter* agere; *materialem*, *formalem*, *finalem* reſpectum habere. (Quantumlibet enim exempla plus quam decet familiaria, imo etiam paſſim notiſſima ſint, quam craſſos circa hos conceptus errores errent etiam illi, qui non ſolum informare ſed etiam reformare alios in animum inducunt: tamen hic non eſt locus has tales res tradendi, ſed ſuffecerit ſolum commendare, vt opportuno loco atque tempore hæc res vtique recte percepta atque perſpecta in

Circa terminos medicos & philoſophicos non placet prolixum eſſe.

poſterum ita vſibus ſuis, nempe *vere diſtincte concipiendi*, *percipiendi*, atque *ediſſerendi*, adhibeatur. Cum ſine his ſubſidiis vanus vtique ſit conatus, inprimis in eo ſtudio, quod ſimpliciter de ordine atque vera ratione cauſſandi tractat, nempe AETIOLOGIA PATHOLOGICA.

Cauſſarum medicarum appellationes breuiter notantur.

Cauſſa occaſionalis.

Antecedens.

Continens.

§. VIII. MEDICAS etiam appellationes *cauſſarum* ſuffecerit breuiter ſolum notauiſſe; vbi nempe familiares ſunt voces cauſſæ *procatarcticæ*, ſeu *occaſionalis*; cauſſæ *προηγουμένης*, ſeu *antecedentis*; cauſſæ *continentis*. Nempe *occaſionalis* dici ſolet talis, *remotioris* ordinis & in agendo efficaciæ, cauſſa, quæ *antecedentem* impellat, vt fiat *proxima*; id eſt, qualemcunque *impulſum* aut *inſtinctum* præbeat, vt in *actum* ſeu *effectum* deducatur illud, quod ex indole propria *antecedentis* cauſſæ, velut *in proxima potentia* conſtitutum eſt. Ita enim cauſſa *antecedens* deſcribitur, quod ſit res aut proportio aliqua, tali diſpoſitione affecta, quæ mox *in actum* deduci valeat: nempe, quod *Philoſophi* dicunt, *in proxima potentia* conſtitutum eſſe. Cauſſam *continentem* appellant Medici talem ſiue *materiam*, ſiue *modum* atque *habitum*, quæ *præſentia* ſua & magis veluti immediata agendi ratione affectum, tanquam directum veluti ſuum *effectum* ponit, infert, imo patrat.

Exemplo vomitus res explicatur.

§. IX. In qua re vix locum habere debent μικρολογίαι partim nimium ſcholaſticæ, partim etiam non ſatis intellecto reſpectui *finali actuum vitalium* ſuperſtructæ: quam in rem penſitari meretur libellus *Fuchſii* de cauſſa continente. Ita enim v. gr. materia *vomitum* concitandi compos, imo vero quæ vel ſolum longe vtiliſſime vomitu reiiceretur, ad euitanda ita grauiora ſubſecutura damna, quam diu in ventriculo hæret, eſt *cauſſa continens* cardialgiæ *nauſeoſæ*, conatuumque atque impetuum *vomitoriorum*. Quantumlibet illa non immediate actu *phyſico-mechanico* motum *vomitus* ventriculo incutiat, ſed hic ab alia longe cauſſa ſolum PROPTER illam talem materiam ita inſtruatur. Vbi nempe vera ratione *cauſſarum* omni vtique cum attentione diſcerni debent illi actus atque effectus, qui minime AB aliqua materiali aut corporali conſpicua cauſſa ita fiunt; ſed ſolum PROPTER eandem ab alio prorſus agente. (Vocant talem reſpectum cauſſandi atque agendi Philoſophi *moralem*; nempe quod non *phyſico* directe *corporeo* contactu cum re corporea effectum phyſicum edat: ſed nudam magis *æſtimationem* & ſimplices *reſpectus* ad res alienas *numero*, *loco* atque *tempore* introducat. Vbi nempe *cauſſa moralis* vocatur ipſe *finis*, qui PROPTER *æſtimationem*, nempe PROPTER VSVM certum, *fieri* demum, ſeu IN FVTVRVM ita impetrari debet. Vnde fruſtra

ſunt

ſunt imperiti, qui τὸ *morale* ſimpliciter de *moribus*, *virtutibus*, aut *cogitatione* atque *ratiocinatione* directa vnice interpretantur.) Quibus ita præmonitis aggredior bono cum Deo ipſam tractationem, & ante omnia de *veritate hiſtorica* diſpoſitionis ad ægrotandum in genere totius huius dogmatis fundamenta auſpicabor.

PARS I.
PATHOLOGIAE GENERALIS
SECTIO I.
DE
HISTORIA PASSIONIS IN GENERE.

§. I.

Paradoxon, quod plures homines a morbis immunes viuant, quam eosdem experiantur.

INgens certe eſt præiudicium autoritatis *Hippocratis*, dum ille *Epiſt. ad Damagetum* ſcripſiſſe memoratur: ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐςί, *totus homo a natiuitate morbus eſt*: vel, *vniuerſi homines*, *omnis homo* --- *ex natiuitate*, e methodo & indole naſcendi, nihil niſi *ægritudo*, *ſyſtema ægritudinum*, exſiſtunt. Interim HAEC ASSERTIO NON EST VERA. Dum non ſolum immenſus numerus hominum viuit, qui per *longa tempora*, imo integras *ætatum periodos* minime ægrotant; inprimis ita, vt *Medici* artificiis indigeant: ſed inprimis etiam, niſi plane peculiares *per indiuidua* cauſſæ velut impetum faciant, iisque, quod aiunt, porta patens pandatur, immenſum quantum plures *immunes* viuant a morbis, quam eosdem experiantur. Ingens hoc primo auditu *paradoxon* tractaui etiam propria diſſertatione, nempe: *quod ſinguli homines raris numero, & paucis vera ſpecie, morbis per totum ſuæ vitæ decurſum afficiantur.*

Experientia quotidiana comprobatur.

§. II. Interim res e vera quotidiana experientia eſt omnino manifeſta; dum vtique ſinguli homines longe maximam ſuæ vitæ partem a veris morbis immunes viuere vbilibet obſeruantur, neque niſi per peculiares *ætatum*, *motuum*, *vitæ generum*, *locorum*, *tempeſtatum*, quin *violentorum* impetuum accidentales interuentus in morbos coniici. Ita enim in quotidiana obſeruatione notiſſimum eſt, quod numeroſiſſimi homines partim in diffuſiſſimis *Aſiæ*, *Africæ*, *Americæ* regionibus, partim in media *Europa*, quantumcunque etiam peſſimis *mo-*

 ribus

ribus paſſim perdita, magna *ætatis* ſuæ ſpatia plures imo plurimos ſubinde annos vel prorſus intemerata & velut abſoluta *ſanitate* expleant, vel ad minimum nihil effatu dignum; ante omnia autem nihil iſtis opinionibus *de tanta* hominis *periclitatione* morbifera conſonum experiantur.

Ii etiam, qui ægrotant, non tam variis morbis occupantur.

§. III. Accedit autem huic obſeruationi altera, quod etiam illi homines, qui vtique ſæpe aut diu ægrotare reperiuntur, non tam *variis* diuerſorum generum morbis occupentur, quam vel *vno eodemque inſultibus* ſolum variante morbo: vel ſub diuerſis *ſchematibus proſapiam* tamen vnam eandemque, ſeu iuxta ſcholas eandem *ſpeciem ſubalternam*, pro fundamento habentibus. Nempe obſeruanda hæc *hiſtorica* veritas de INFREQVENTIA *morborum* in corpore humano tanto magis eſt, quoniam recto tramite & manu veluti deducit ad *ætiologicam* illam conſiderationem, quod ita *rariorum effectuum* etiam *cauſſæ* pares ſupponendæ veniant, nempe nequaquam ita per triuia obuiæ, ſed *rarius*, tali *energia* ad minimum, ſi vel maxime non toto genere, occurrentes.

Frequentia morborum in homine præ brutis.

§. IV. Quemadmodum autem hæc conſideratio maximi certe momenti eſt in hac fundamentali parte *pathologiæ*, nempe veritate facti, ſeu *hiſtoria* ægrotandi; ita iungenda tamen illi eſt etiam altera haud multum diſpar, *dignitate* vero etiam ſoldæ penſitationis vel maior atque luculentior. Eſt autem hæc FREQVENTIA *morborum in humano corpore præ brutis.* Certum hoc eſſe, nimio pluribus & *ſpeciebus* morborum & *inſultibus* obnoxios eſſe *homines*, quam *bruta* animalia, neminem hominem latet. Interim cum etiam ipſa bruta, id eſt *animalia in genere*, *animale* inquam *corpus*, *œconomia* corporis animalis in genere, adeo vnius eiusdemque ſint indolis, vt ad potentiam corruptionis abſolute omnia *vniformiter* ſeſe habeant, nec vlla *materialis* prærogatiua vsquam compareat; eſt propterea profecto hæc res non ſolum *in genere* digna, quæ conſideretur; ſed etiam *in ſpecie*, quæ recte & quantalibet ἀκριβείᾳ expendatur. Et hoc tanto magis, cum, quod certe merito mirandum venit, hæc in ipſa re adeo notiſſima veritas vniuerſæ ſcholæ medicæ dogmaticæ nullo adhuc tempore in mentem venerit. Vnde illam tanto magis de integro perpendendam & mihi ſumo, & omnibus bene perpendendi gnaris atque curioſis merito commendo.

MEM-

MEMBRVM I.

ARTICVLVS I.

QVI RARIVS AEGROTENT.

§. I.

NOn ſine prægnanti cauſſa, vti ſub cauſſarum enumerationibus elucebit, quantumlibet Medico corporis inprimis *humani* competat cura, allegamus tamen hoc loco, tanquam in principe prorſus ſtatione, *animalia bruta.* Sed tamen ex illis etiam *feras* inprimis præ *domeſticis* atque *domitis*: ex his ipſis autem etiam ea præcipue, quæ inſolentibus hominum moribus & ſeductionibus minus adſuefiunt, quam qui huic anomaliæ exponuntur.

Rarius ægrotant animalia bruta.

§. II. Ex ipſis autem *hominibus* ægrotant vtique *rarius* homines & *ſimpliciſſimo victu* vtentes (cuius *qualitas* veluti certiſſime etiam *quantitati* iuſtum modum facit,) & *laborioſiore* (*corporis* tamen proprie laboribus, non æque *animi*) vitæ ratione vtentes; & a quibusuis *animi* immoderatis *moribus* ſeu *motibus* alieni: omnino vero etiam ab *aduentitiis* quoquo modo *violentis* perturbationibus immunes; quantumlibet etiam harum non tam abſolute *moderationes* quam *vſitatiores* magis magisque tolerare *conſueſcant.*

Homines ſimpliciſſimo victu vtentes, laborioſi, & ab animi motibus alieni.

§. III. Vnde omnino cenſum eorum, qui *rarius ægrotant*, merito claudunt illi, qui variis rerum corpori quantumcunque familiarium etiam *abuſibus* multiplici experimento magis magisque *adſueuerunt*: qui nempe, ſi non abſolute, tamen inter cauſſas ipſo genere pares, rarius inde ad actualem ægritudinem deducuntur.

Variis abuſibus multiplici experimento adſueti.

MEMBR. I.

ARTICVLVS II.

QVI FREQVENTIVS AEGROTENT.

§. I.

EX aduerſo *frequentius* ægrotare obſeruantur ſicuti *generaliſſime homines* præ *brutis*, ita inter *homines* illi, qui *moribus* peculiariter coactis non tam *ſimpliciori*, quam *varietate*, & non tam *diuerſitate*, quam vera *aduerſitate* VICTVS vti conſueuerunt. Quæ etiam *diuerſitas* vti guſtum lenocinio peruertit, ita paſſim præter *qualitatem* minus conuenientem etiam *quantitatis* exceſſu corpus onerat; adeoque temere materias obiicit & coaceruat, quæ non poſſint non oneri & ſen-

Frequentius ægrotant inter homines, qui vario & vere aduerſo victu vtuntur: item deſides & otioſi.

ſim

ſim damno eſſe. Deinde proximi his ſunt, qui *deſidia* atque otio torpentes, interim ab *edacitate* nihil remittunt.

Animi moribus & motibus indulgentes.

§. II. Certiſſime vere omnium frequentius obnoxii ſunt atque manent morbidis affectibus, quicunque ANIMI moribus atque MOTIBVS multum indulgent: adeo quidem, vt etiam vel ſimplex *ratiocinationis* intemperantior vſus plurimum in hoc genere valeat.

Conſuetudinis energiæ obnoxii.

§. III. Sicut etiam (quam tamen ſuo loco merito inter *animi pathemata* refero) CONSVETVDO plurimum in hoc quoque agere poſſit; partim per *inſuetudinem*, partim per nimiæ *ſenſibilitatis* ſimplicem adſuefactionem. Cuius rei exempla quotidiana ſunt in nimium *ſollicita diæta*, ciborum duriorum ſcrupuloſa euitatione, *potus* perpetuo *calidi* adſuetudine. (Quantumlibet hic etiam paſſim *mentis* quædam auerſio atque *meticuloſa* inquietudo ſubſit: nequaquam tamen totum negotii fundum exhauriens.)

Hæreditariis diſpoſitionibus ſubiecti.

§. IV. *Conſuetudinis* autem energiæ ad aperiendum ægritudini aditum maximo iure accenſeo HAEREDITARIAM diſpoſitionem; vtpote quæ non ſolum veræ, ſed intimæ & non obliterandæ *adſuetudinis* genium exhibet, adeoque in hoc negotio efficaciſſimam ſeſe gerit: magis tamen ad *ſuſcipiendos* atque repræſentandos motus morbidos, quam adeo faciles eorum funeſtos effectus admittendum.

MEMBR. I.

ARTICVLVS III.

HISTORIA ENERGIAE AEGRITVDINVM IN GENERE.

§. I.

Hiſtoria poteſtatis morborum in corpore humano.

MAximo certe iure ad generalem hiſtoriam morbidæ conſtitutionis in corpore humano ſubiicio tantiſper *hiſtoriam* pariter ſimplicem POTESTATIS morborum, non tam ſimpliciter *in corpus* humanum, quam *in corpore* humano. Vbi nempe ſimplex *hiſtoria*, nempe nuda *experientia*, vtique manifeſtum reddit, quod plerorumque imo omnium illorum morborum, qui non ſimpliciter a rudi *violentia externa* proficiſcuntur, nulla vsquam ſit *directa* atque ſimplex poteſtas in corpus humanum: ſed quod potius omnes morbi tantam ab *œconomia vitali* REACTIONEM perpeti neceſſe habeant, vt huius *actiuitate*, etiam ſine alio aduentitio *artificiali* adminiculo, ipſi quidem morbi (*materialiter*) *ſubigantur*, *expugnentur*, *eiiciantur*: corpus autem non ſolum ad

ad antiquam œconomiæ ſuæ regulam reuertatur; ſed etiam in ipſam *texturæ* ſuæ atque *ſtructuræ* integritatem, ſicubi illa violata fuerit, *reſtituatur* atque *reparetur*.

§. II. Nempe conſiderandam omnino in hac ſeſe claſſe offert SPONTANEA illa MORBORVM DEPVLSIO, & œconomiæ corporis in integrum reſtitutio, qua etiam ſine vllo externo adminiculo morbi curantur; & quidem non *raris* aut *per accidens* forte obtingentibus exemplis, modis aut methodis: ſed potius ita *vniuerſalibus* atque *perpetuis* his omnibus, vt niſi *impedimenta* potius *per accidens* & per indiuidua obiiciantur, perpetuæ ſint morborum talium etiam *ſpontaneæ curationes*, depulſiones *materiarum*, liberationes autem atque reſtitutiones *partium & actionum*.

Spontanea morborum depulſio & œconomiæ corporis reſtitutio.

§. III. Ne in hanc rem longinqua teſtimonia quæramus, citamus merito maximam totius mundi partem, *Aſiam*, *Africam*, *Americam*; imo ex ipſa *Europa* longe maximam hominum partem, *ruſticam*, *plebeiam*, *militarem* multitudinem. In his omnibus quid notius eſt, quam non ſolum alios, ſed ipſos etiam omnino *peſtilentes* atque ſumme periculoſos morbos *innumeris exemplis*, ſine vllo artificio ſed ſua quod aiunt *ſponte*, ita corrigi atque ſubigi, vt paſſim venditata *artificioſa* auxilia, *ſi res recte æſtimetur*, nihil quidquam prærogatiuæ obtinere poſſint. Dico, quod hi morbi ita ſine alio *artificiali* adiumento in ordinem redigantur, neque *tempore*, neque *periclitatione*, nec ipſis *incommodis ſenſationibus* maioribus aut deterioribus, quam ſub plerisque *artificiis* adhibitis fieri obſeruatur.

Innumeris exemplis probatur, plurimos & ſumme periculoſos morbos ſine adminiculis ſubigi.

§. IV. Eſt autem in hac re iuſtiſſima animaduerſione digna illa circumſtantia, quod non ſolum *ſpecie* multi, ſed inprimis *numero* velut *infiniti* affectus morbidi inprimis *exquiſita* quadam & exacte circumſcripta *temporis menſura* ad hanc ſpontaneam ſanationem deducantur: & hoc quidem tam in *paruis* infantum, quam diuerſimode *magnis*, imo diffuſis annoſiorum *corporibus*. Et hoc quidem inprimis per manifeſtas certarum *materiarum expulſiones*: quæ, quo magis morbus *male* cedit, adeoque ſecundum vulgarem conceptum *fortior* eſt & potentior, eo minus procedunt, nedum excedunt, ſed potius deficiunt. Verbo: habent morbi etiam ad *ſpontaneum* ſui progreſſum & exitum quemlibet, inprimis autem ſponte *ſalutarem*, in genere plus minus *certam*, in ſpecie vero etiam *ſtatam temporis* rationem. Quod hic illic peculiarem obſeruationem meretur.

Morbi exquiſita temporis menſura ad hanc ſpontaneam ſanationem deducuntur.

MEMBRVM II.

HISTORIA DISPOSITIONIS CONSPICVAE AD MORBOS, SEV CAVSSARVM MORBORVM IN GENERE.

§. I.

Cauſſæ, per & propter quas œconomia corporis varie alteratur, ſunt vel internæ vel externæ.

PEr indirectum ſubindicatum iam eſt *generale* veluti ſyſtema *cauſſarum* morbos machinantium, dum ſub commemoratione, quinam homines *facilius* & *frequentius* ægrotent, nominatæ vtique ſunt *conditiones* illæ, quæ *cauſſarum* rationem habent, PER & PROPTER quas tum *partes* corporis, tum *actiones* œconomiæ varie alterantur. Hic cum *hiſtoriam cauſſarum* morbiferarum *in genere*, *generaliſſimarum* inquam, memorare ſuſcipimus, primo omnium loco diſtinguimus inter cauſſas *internas* atque *domeſticas*, & *externas*, *aduentitias* & ſimpliciter magis *violentas*. INTERNAE illæ ſunt primo ipſa MIXTIO *omnium*, & TEXTVRA *ſolidarum* partium.

Diſpoſitio quidem ad morbos ſumma exſiſtit, effectus tamen rariſſime ſequitur.

§. II. Interim digniſſima vtique contemplatione, & tanto magis, quo minus ad vniuerſæ ſcholæ medicæ conſiderationem peruenit, eſt illa veritas, quod quantacunque, vti re vera ſumma exſiſtat, ſit hæc *craſeos* æque atque *texturæ* diſpoſitio ac habilitas ad ſubeundas graues læſiones, nihil minus tamen quam *proportionatus euentus* huius rei vnquam ſuccedat: ſed potius immane illud paradoxon hic occurrat, quod e *cauſſa* paratiſſima tamen *effectus* longe *rariſſimus* ſequatur.

1. Athleticus corporis habitus.

§. III. Ne tamen hic, vbi *hiſtoriam* demum ſimplicius proferre voluimus, altius potius ad *conſiderationes* quam ſimpliciores *enarrationes* progrediamur: producimus potius primo loco illam & *Hippocrati* iam pridem notatam, & vulgo etiam hominum hodieque ſatis notam *conſtitutionem* corporis, *maxime* imo quaſi ſenſibiliter *abunde floridam*. Habitum *athleticum* vocat *Hippocrates*; *Galenus* atque poſteri interpretantur, quod *ſupremum gradum perfectionis* ſanitatis talia corpora tunc habeant: vnde fingunt, neceſſarium eſſe *tranſitum in deterius*, cum *nihil phyſicum* (neſcias tamen, quo *generaliter* firmo argumento, verius autem *nihil viuum*) diu in eodem ſtatu manere poſſit: a *ſummo* vero gradu non detur progreſſus niſi retrorſum, nempe iterum *deorſum*. Vulgus hominum vniuerſum celeberrimo *prouerbio* hanc rem eloquitur:

tur: Die geſundeſten Leute ſterben am erſten. Sicut etiam illud pari expreſſione verborum enunciant: Die Leute, ſo am geſundeſten ſcheinen, können am wenigſten vertragen, es werffe ſie am leichteſten etwas übern hauffen: wann ſie kranck werden, ſo werden ſie recht kranck ꝛc.

§. IV. Interim cum etiam paſſim & ingenti quidem numero homines vtique reperiantur *florida* tali conſtitutione per ſatis longum tempus fruentes, vnde nec ipſa hæc adeo eminens atque *directa cauſſa* ægrotandi reputari poſſit: aduertendus merito eſt animus ad alteram eius cenſus, *internam* dico atque *domeſticam* cauſſam, cuius efficacia *œconomiam* corporis *alterandi* atque *perturbandi* vti *præſentiſſima* exſiſtit, ita *notiſſima* paſſim eſt, imo nemini homini ignoranda, ſi modo leuiter in mentem ipſi reuocetur. Loquor de ANIMI PATHEMATIBVS eorumque efficacia in alterandos *motus cordis*, velut immediate promtiſſima. In quo certe effectu longe ſuperant *animi pathemata* omnes alias cauſſas, vtpote quarum nulla nota ſit, quæ ita prorſus *in inſtanti* hoc præſtet, niſi ſuprema *violentia* in organa immediate interitum veluti inducat, aut quoquo modo exquiſitiſſime illa impediat, *corporali* ſimpliciter actu. Dum interim allegata *animi pathemata* nihil vsquam *corporeum* ſiue *afficere*, ſiue directe *efficere* ſentiuntur; ſed ſimpliciter MOTVS alterare, & per hos demum *fluidis* inprimis partibus vlteriores alterationes conciliare. 2. Animi pathemata.

§. V. *Tertium* locum *internarum* atque *domeſticarum* huiusmodi cauſſarum vindicant ſibi maximo iure EXCRETIONES, quodcunque ſui ſucceſſus detrimentum incurrentes. Hæ enim ita quoquo modo perturbatæ trahunt vtique poſt ſe non ſolum *plures*, ſed & familiariter *grauiores* reliquæ œconomiæ turbationes. *Quarto* loco ſtant *primo* vera inter *aduentitias* cauſſas ASSVMTA. Quæ vt œconomiæ corporis abſolute neceſſaria ſunt, ita habent vtique & *occaſionem* promtam & *energiam* proportionatam *nocendi*, ſi perperam inſtruantur *quantitate*, *qualitate*, *tempore* atque *ordine*. *Quintum* locum occupant reliquæ vulgo ita dictæ res NON-NATVRALES, inter quas nempe *viuere* & *verſari* corpus oportet; vbi cum primis *frigoris* & *caloris* varius aditus & præſentius & potentius paſſim alterat corpous. SOMNI & VIGILIARVM, MOTVS etiam & QVIETIS non ſunt vltimæ aut leuiſſimæ partes, ad alterandum corporis ſtatum; re vera vero vltimæ, ſi non plane nimium a iuſto tramite in diuerſum abeant. *Poſtremo* loco

3. Excretiones impeditæ & turbatæ.

4. Aſſumta.

5. Res non-naturales.

6. Res extraneæ, ſ. toto genere præter naturam.

loco merito ſtant res *extraneæ*, ad *œconomiam* corporis plane non pertinentes, imo quas vocant *toto genere præter naturam:* quæ nempe manifeſto magis directam *vim* inferunt *partibus* aut *motibus* in corpore.

Energia ſalium, ſaporum & acorum valde remota eſt cauſſa.

§. VI. Longiſſime autem omnino & ſpatio plurimum poſt hæc omnia remoto diſtant pleræque illarum cauſſarum, quæ *hodiernis moribus* ſolenniter pro *proximis* paſſim allegantur; *poteſtates* nempe ita dictæ *ſalinæ*, *ſapores* & *acores.* Cum enim ipſa *hiſtoria*, nempe quotidiana *experientia*, affatim commonſtret, quod hæc talia ſubiecta partim *omnibus* partim *pleriſque* hominibus familiaria atque *communia*, tamen propterea non æque multis, ne dum omnibus hominibus illos effectus concilient, qui iiſdem *e reliqua hypotheſi* adſcribuntur; adeo, vt etiam paſſim magnus numerus eorum, qui illis talibus rebus etiam affatim *abutuntur*, nihil talium damnorum inde perſentiſcant: apparet inde vtique ſatis luculenter, quod non niſi *valde remota* ſit horum quæcunque energia, & ante dictis *præcipuis* in ſolidum *ſuccenturiata.*

Adſuetudo morbidorum motuum ſeu habitus merito ad cauſſas morborum refertur.

§. VII. Non tam æque vero ſimpliciter *ſanum* corpus ad morbos inclinat; quam *ſemel*, *diu* aut *ſæpius* morbo exercitum corpus eiusdem continuæ *contumaciæ* aut *repetitis* inſultibus exponit ADSVETVDO: nempe in morbidis etiam & *inuſitatis motibus* reaſſumendis, per frequentius exercitium inducta *promtitudo*, ad pares motus promte ſuſcipiendos. Hac de re teſtatur *hiſtoria*, quod multæ ſpecies morbidorum motuum plus minus *promte* ita inſoleſcant, vt etiam in perpetuum tum eidem, tum quibusdam συζύγοις inſultibus expoſitos reddant patientes: adeo, vt qui ſemel eius generis affectuum veluti *habitum* induerunt, vix vnquam ab eo in poſterum vere immunes euadant. Vnde vere valet vulgi Germanorum dictum: **Wann man einmal in das Krancken komme, ſo habe man ſich alsdann ie mehr und mehr damit zu ſchleppen, und könne es nicht wieder völlig loß werden.** Quod tamen tanto magis de certis *ſpeciebus* affectuum valet, inprimis quorum præcipua vehementia motuum anomaliis innititur.

ARTICVLVS VNVS.
DE
SVBIECTIS AEGROTATIONIS IN GENERE.

§. I.

QVantumlibet in ſcholis inter cauſſarum numerum merito etiam collocetur SVBIECTVM, tanquam *materia inhæſionis* ipſius effectus; adeoque etiam a nobis, præſertim in *generali* tractatione, ipſa ſectione hac *generali* de *ſubiecto* aliquid dici potuiſſet: placet tamen, non tam melioris quam inprimis *dignioris* tractationis ergo, illi, quantumcunque etiam pro generali conſideratione, proprium tamen ſpatium aſſignare, & ſub reliqua cauſſarum tribu veluti ſeorſim ad cenſum vocare. — Subiectum morborum.

§. II. Quod itaque *ſubiectum* morborum generaliſſimum attinet, certum omnino eſt notiſſimo hiſtoriæ quotidianæ experientiæ teſtimonio, quod SEXVS FOEMININVS omnino morbis *facilius* atque *varie* magis ſuſcipiendis aptus & expoſitus videatur quam ſexus *virilis*. Quæ res vel *Hippocraticæ* opinioni anſam dediſſe videtur, quaſi *mulier morbos bis patiatur.* Quod ſine omni vi menti autoris afferenda ſatis commode interpretari licet, quaſi mulier *duplo plus expoſita* viuat morbis, quam mas. Confirmat hoc ſane propemodum familiaris experientia, dum fœminæ non ſolum *menſtruarum* ſuarum euacuationum variis ſucceſſibus, ſed etiam *partus variis* periclitationibus, *lactationis* incommodis, imo vel circa *geſtationem*, *partum* & *infantes* pluribus *animi commotionibus* obnoxiæ viuunt: quantumlibet etiam ipſa corporis fœminini *craſis* minus *firma* quam maſculina, tam e reliqua *mollitie*, quam e *ſentiendi* etiam maiore *teneritudine* compareat. — Sexus fœmininus præ virili.

§. III. E *virili* etiam ſexu quicunque tam *texturæ* corporis *mollitie*, quam *animi* indole fœminis ſimiliores ſunt, morbis etiam magis expoſiti viuunt. Vnde quidem vel in genere *mollior* atque tenerior per indiuidua textura corporis morbis magis ſubiicit indiuidua ita affecta: ſicuti *animi ſenſibilitatem*, adeoque ad varia *pathemata* promtitudinem, iam ante hoc nomine notauimus. — E virili ſexu corporis & animi indole fœminis ſimiles.

Num vitiata humorum craſis ſubiectum morborum habenda ſit.

§. IV. Reputatur quidem vulgo, quod *maſſa humorum* & præcipue quidem κρᾶσις eorundem ſit primarium *ſubiectum* plerorumque morborum. Mea vero ſententia tantum abeſt, vt hæc aſſertio aſſenſum mereatur, vt potius *rariſſime* hanc humorum labem, & *pauciorum* inſuper morborum cauſſam fieri, pro certo habeam. Tanto magis autem ſecundum ipſam familiarem & vulgarem hypotheſin, qua v. gr. maxima *dyſcraſia* humoribus imputatur in velociſſimis morbis, & inprimis *dyſcraſia* magis *propria*, & intimæ indoli humorum velut *inhærens*: cum ibi & in plerisque aliis affectibus longe plus valet MOTVS humorum *anomalia*; & quidem vel PROPTER κράσεως vitium longe ſimplicius atque generalius; vel *proportione motus* anomali ab illa κράσεος menſura plurimum diuertente, vel denique, & inprimis in caſibus maxime ſonticis, non tam ipſo actu iam *præſente* qualicunque dyſcraſia, quam *ingruente* ſolum, & in *proxima* vere *potentia*, aut primis ad ſummum ſui *initiis*, conſtituta.

Perturbata idea regiminis œconomiæ animalis generaliſſimum eſt ſubiectum morborum.

§. V. Vnde potius verum *generaliſſimum ſubiectum* ægritudinum eſt *perturbata idea regiminis* ipſius *œconomiæ* animalis. Quandoquidem quam diu hæc ſibi recte conſtat, non ſolum facile *præoccupantur* morbi, ne in effectum deducantur; ſed etiam iam in effectum deducti, ſubiguntur iterum, *expugnantur*, & corpus in integrum *reſtituitur*, non ſolum a noxia cauſſa *liberando*, & efficaciam eius obtundendo; ſed etiam damna, iam ipſo facto & actu corpori illata, *reſarciendo* & corporaliter reſtituendo.

MEMBRVM III.
QVOD RATIO REDDI NON POSSIT, CVR HOMO NATVRALITER MORIATVR.

§. I.

Problema hoc dignum eſt vt conſideretur.

AGnoſco merito, quod hoc problema non tam ad *medicum* quam *phyſicum*, imo *zoologicum* in genere magis, quam anthropologicum in ſpecie forum pertineat: interim cum illud nequidem vsquam tactum, ne dum pro merito ponderatum adhuc inuenerim; placet meam circa illud conſiderationem in medium proferre, & ſi nihil aliud,

tamen

tamen veritatem, & forte curioſioribus etiam dignitatem, huius theorematis ita commendare.

§. II. Mirus vndique eſt conſenſus eorum, qui, cum vtique videant *hominem*, ſicut omnia *animalia*, ita ipſum quoque hoc maxime intuitu *exquiſitiſſime vt animal*, MORI, facillime & abundantiſſime inueniant euidentiſſimas etiam atque ſimpliciſſime intelligendas eius rei cauſſas. Mihi autem videntur hoc ipſo certe quam grauiſſime hallucinari atque aberrare, quod MORTIS quidem rationem abſolute habeant, nullam vero rationem VITAE. Cum enim illæ rationes, quas pro *diſpoſitione* corporis ad *mortem* ſubeundam allegare poſſunt, & inprimis quas ne quidem ſatis ſibi notas plane non allegant, ita comparatæ ſint, vt *indeſinenter* non ſolum, ſed etiam *abſolute & plane iugiter pari energia* corpori inſint, imo intime inhæreant: vacillat proinde imo claudicat enormiter ductum inde hoc illorum argumentum. Argumentum quod diſpoſitionem corporis ad mortem ſubeundam probare debet, enormiter claudicat.

§. III. Cum enim *mors* non ſolum varie per indiuidua tardius euenire ſoleat, ſed etiam, rem verius æſtimando, ſine *accidentalibus* cauſſis intercedentibus proprie *poſt multos* demum *annos* homini eueniat: (quod de *brutis*, *feris* inprimis animantibus, tanto magis conſtans atque ratum eſt) manifeſtum eſt, oriri hinc immenſum quantum diſparem ſtatum quæſtionis, nempe non *abſolute & generaliſſime*, CVR HOMO MORIATVR? ſed CVR TALI TEMPORIS AMBITV moriatur? ſeu verius: *cum homo poſſit non mori per longum tempus, ſed* VIVERE, cur hoc NON SEMPER poſſit, ſed neceſſe habeat DESINERE? Status quæſtionis hic eſt: cur homo non ſemper ita poſſit viuere, ſed neceſſe habeat mori.

§. IV. Profecto argumenta illa, quæ *diſpoſitionem* CORPORIS animalis ad moriendum probare videntur, tantum abeſt, vt hoc faciant, vt potius, ſi res æquo animo æſtimetur, vere *contrarium* doceant. Quid enim aliud eſt, CORPVS *ſumme corruptibile* eſſe commonſtrare; & tamen re manifeſta conuinci, quod, manente exquiſitiſſime illa *corruptibilitate*, tamen minime corrumpatur, ſed *incorruptum* & omni modo *integrum* manere valeat; & hoc non *paruo tempore*, ſed *longiſſimo*, inprimis in ordine ad illam *rationem* huius corruptibilitatis, quæ *ne vno quidem momento* minuitur, ne dum vt plane ceſſaret: quid inquam hoc eſt, niſi hoc ipſo velut argumento inferre, quod *huius conſtitutionis* ita corruptibilis ad inferendam mortem *nulla ſit vera efficacia*: ſed aliud quiddam longe maiore conſide- Argumenta, quæ diſpoſitionem corporis ad moriendum probare debent, contrarium docent.

ratione

ratione dignum ſubſit, quod adeo *potentiſſimæ ad corruptionem habilitati* tam nimio potentius *reſiſtat*, vt non ſolum illam, quantum ad ſummam negotii, impediat aut remoretur; ſed etiam hoc ipſum ita potentiſſime faciat & perficiat, vt hæc corruptibilitas, *diſpoſitio* inquam *ad corruptionem* propenſiſſima, toto hoc tempore, quaſi *res non exſiſtens* (intuitu effectus, ſeu deductionis in actum) occultata atque ſubiugata maneat.

Quæſtio eo reſpicere debet, quamobrem actus vitalis deficiat atque ceſſet.

§. V. Vnde fere tota hæc quæſtio, & quæcunque ad illam pertinentia argumenta, non tam eo reſpicere debent, *quamobrem corpus fatiſcat* atque *materiales* corruptiones ſubeat: ſed potius ita, quamobrem ACTVS VITALIS, nempe etiam huius *corruptibilitatis conſeruator*, deficiat atque ceſſet? Quandoquidem omnino notandum eſt, quod vita non tam ſit *corruptionis præſeruatio*, quam CORRVPTIBILITATIS CONSERVATIO: dum actu vitali corpus minime MVTARI debet, ne *corrumpi* poſſit, ſed vnice *actus corruptionis* impediri; adeo, vt potius corpus *maxime ſanum atque floridum* maxime ad *ſimplicem corruptionem* exquiſitiſſime diſpoſitum eſſe debeat.

Ratio phyſica allegari non poteſt, cur motus deficiant.

§. VI. Quo intuitu facile palam fit, quod nulla vna PHYSICA, ſiue *materiæ* ſiue *motuum* ſecundum materiam, ratio allegari poſſit, cur illi MOTVS vnquam, ne dum *circumſcripto* aliquo *temporis* ſpatio deficiant. Cum enim non ſolum *motus* ipſe, ſed etiam *diſpoſitio partium* in ſubſtantia ſua, nedum ad hos viuificos motus, manifeſto ab illo eodem *principio* dependeant, quod *corruptibilitati* corporis *materiali* ſimpliciter *oppoſitum* eſt: diluceſcit inde vtique manifeſtiſſime, quod hæc ipſa etiam ratio firma atque ſalua ſit, quod, quicquid etiam habitui *materiali* ad perennem motum decedere poſſet, tamen ab illo *agente* motorio etiam quolibet tempore reſtitui poſſet & deberet; ſicuti tam longo tempore non POTEST ſolum, ſed etiam SOLET & conſtitui & reſtitui. Dum hoc autem non ita contingit, ſed potius *deficit* huius conſeruationis atque reſtitutionis optatus ſucceſſus; huic ita *ſegniter agenti*, imo actiones has plane *deſtituenti*, vnice imputandam eſſe culpam, non autem vlli *materiali* vitio, ſatis luculentum eſſe poteſt.

Culpa potius ſegniter Agenti & has actiones deſtituenti imputanda eſt.

§. VII.

§. VII. Sicut enim locutiones illæ de ſucceſſiuo *marcore*, *flacciditate*, *eneruatione* organorum, digniores ſunt Rhetorica quam Phyſica; ſiquidem nemo vsquam *rationem* excogitare poteſt, cur organa illa ad *triginta* annos vsque non ſaltem *durare*, ſed plane *augeſcere* in robore ſuo poſſint, & ad *quadrageſimum*, imo amplius, in robore ſuo veluti perſiſtere; & inprimis tanto magis, *quanto plus atque fortius exercentur*, eo diutius etiam firma atque vegeta in poſterum maneant: (directe contra illam opinionem, quæ *detrimentum* potius ab ipſo *vſu* organis affingit) ita nemini ſuccurrere poterit vlla ratio, cur præciſe poſt illos annos, poſt *quadraginta* circiter aut *quadraginta quinque*, *flacciditas* illa atque *eneruatio*, e quocunque *materiali* vitio aut defectu, organis euenire poſſint, nedum debeant.

Eneruatio organorum firmum argumentum non poteſt ſuppeditare.

§. VIII. Quid, quod omnino hoc argumentum de *organorum eneruatione* etiam ex eo documento grauiſſime eneruetur, quod comparente quantumlibet illa organorum marcida *flacciditate*, tamen propterea *vitæ* ſimpliciter atque directe nihil decedat: exemplo innumerorum *ſenum* æque ac inprimis *vetularum*, quæ omnes, quantumcunque *marcida* atque rugoſa quin vere varie *debili* corporis conſtitutione, tamen propterea VITAM non amittunt. Imo inauditum eſt, vllum hominem vere ſimpliciter nuda tali *organicarum virium* vere ſimpliciter ſucceſſiua amiſſione emori; cum potius etiam centum annis multo maiores paſſim reperti, morbis adhuc moriantur. Cum ex adverſo etiam florida ætate innumeri non ſolum a talibus cauſſis, *quæ innumeros alios minime lædunt*, peſſime afficiantur, ſed plane ad mortem deducantur.

Imo hoc argumentum eneruatur exemplis ſenum atque vetularum.

§. IX. Quam rerum harum difficultatem etiam illud auget, quod plurimæ morborum ſpecies ita conſtitutæ ſint, vt licet paſſim homines illis moriantur, animum tamen vel mediocriter aduertendo mox diluceſcat, quod re vera *innumerabiles homines his iisdem* ſpeciebus morborum correpti illos nihilominus ita euadant atque ſuperent, vt non ſolum *vitam* ſaluam conſeruent, ſed etiam quæcunque corpori inde oblata *damna* in ſolidum reſarciant. Imo vnus idemque homo vnum eundemque morbum ter quater expertus, & ab eo ſatis iterum reſtitutus, tamen tandem illo intereat. Vbi certe allegationes *debilitationis* inſoleſcentis organorum conſonæ ſunt prouerbio Germano-

Præterea morborum ſpecies ita conſtitutæ ſunt, vt ſimiles effectus in omnibus ſubiectis non præſtent.

rum: Der Krug gehe ſo lange zum Born, bis er endlich breche: ſed veriſimili *ſcientificæ demonſtrationi* ſimpliciter impares.

Inſuper eadem materia reſtaurationis manet, qua reparatio perpetua fieri poſſet.

§. X. Potius, cum ſemper libera maneat eadem *materiarum reſtauratiuarum* æqualitas, nempe *victus*, inprimis ſimpliſsime alimentoſi, copia, quo per tot annos *conſtruitur* corpus, & in integritate ſua vndiquaque *materialiter* conſeruatur; præterea etiam ſpeciei communis ſit (per indiuidua ſolum, & quidem gradu tantum varians) *energia reparandi*, *conſolidationum* exemplo: re vel leuiter penſitata facile palam erit, quod *defectus*, cum in *materia* abſolute nullus eſſe poſſit, in *energia* illa quærendus ſit, quæ, ſi fatiſcentes per tempus organicas partes vti primo ad *perfectionem* perduxit, ita *detrimenta* illarum etiam *ſaltem ſupplendo* repararet, manerent omnia iugiter in vna eademque integritate atque habilitate.

Ergo culpa huius defectus non in materiæ inopia quærenda eſt.

§. XI. Quæ res cum ſimpliciſſime rationi manifeſta vtique ſit, quod inquam neque *materiæ* vlla inopia in culpa ſit; neque *aptationis* eius ad formalem habitum organicum abſoluta præſto ſit impotentia; dum vtique *efformatio nutritiua & augmentatiua* illud præſtat, quod, ſi indeſinenter, quoties neceſſe eſt, iterum iterumque præſtaretur, *reſarciretur* ita in perpetuum, quicquid forte per longum vſum *deteritur*: id quod inquam etiam ita commodiſsime fieri poſſet, ſimpliciter iterum apponendo, nempe eodem modo, quo *augmentatiua* corporis organici perfectio præſtatur. Interim cum hoc non fiat, ſed potius hæc *energia* magis magiſque deficiat, quicunque expedire voluerint, quod hic defectus *phyſico* more atque modo contingat, profecto aliam nobis, quam vel *corpuſcularem*, vel *mechanicam* phyſicam concinnare neceſſe habebunt. Manet ergo firma noſtra aſſertio, QVOD SOLIDA RATIO DARI NON POSSIT PHYSICA, CVR HOMO NATVRALITER, SINE SIMPLICI ATQVE DIRECTA VI EXTERNA, MORIATVR.

PAR-

PARTIS. I.
PATHOLOGIAE GENERALIS
SECTIO II.

DE
CAVSSIS MORBORVM IN GENERE.

§. I.

EGimus præcedente ſectione veluti ſimpliciter *hiſtorice*, & inprimis ſecundum ipſam ſenſibus obuiam *experientiam* de conſpicuis circumſtantiis *generaliſſimis* morborum: facimus iam progreſſum ad illam partem *generalium* diſpoſitionum ad morbos, atque conſtitutionum morbidarum, quæ non tam ſimpliciter in omnes etiam *craſſos ſenſus* incurrunt, ſed maiore *conſiderationis* ἀκριβεία opus habent, qua non magis *dignoſcantur*, quam omnino etiam *agnoſcantur*. Generalis diſpoſitio ad morbos.

§. II. Nempe hæc res iam magis *artificioſam* atque *ſcientificam* corporis conſiderationem omnino præſupponit; qua non ſolum illi *reſpectus* comprehendantur, qui *poſitiue* habitum corporis ad ſuscipiendos morbos detegant; ſed inprimis etiam in illud introſpiciant, quaſi *negatiuum*, quo corpus humanum ſub maxima illa *poſitiua* aptitudine nihilo ſecius non afficitur. Duo contrarii reſpectus.

§. III. Vt itaque huic vtrique ita diuerſo reſpectui ſatisfiat, dabo operam, vt καδδύναμιν harum trium rerum veritatem ante oculos ponam, nempe:

I. *Summam aptitudinem & habilitatem corporis ad ægrotandum.*

II. HAC NON OBSTANTE, ſummam OECONOMIAE corporis *alienationem ab effectu* huius corruptibilitatis.

III. Veriſimillimum habitum, *ſecundum hos contrarios reſpectus*, ad morbos nihilo minus coorientes.

MEMBRUM I.
DE
MAXIMA CORPORIS DISPOSITIONE AD MORBOS, IMO AD MORTEM.

§. I.

Mixtio totius corporis, inprimis vero ſanguinis, maximam habet diſpoſitionem ad corruptionem.

MAxima non ſolum ſed ſimul *intima* corporis diſpoſitio non tantum ad mediocres & intermedias *læſiones*, ſed omnino direƈte ad ſummam eius *perditionem*, & plenariam, abſolute irreparabilem corruptionem, eſt ipſa MIXTIO eius *per totum*. Neque vero ſolum ita *per totum;* ſed inprimis per & magnam eius, & vere *præcipuam* partem, SANGVINEM. Eſt hæc MIXTIO nudo *materiali* ſui habitu ita diſpoſita, vt ad ſubeundam diſſolutionem *fermentatiuam*, & maxime quidem *præcipitem*, PVTREDINOSAM, ita tota propendeat, vt fere admirandum haberi debeat illud artificium, quo occupatur, ſeu *impeditur*, hæc diſpoſitio, ne in effeƈtum deducatur.

Hiſtoria huius propenſionis ad corruptionem.

§. II. Antequam autem de hac *procliuitate* ſumma *ad corruptionem* admittendam veluti magis *a priori* accedamus, non abs re erit præmittere velut HISTORIAM etiam ſolum eius, ſaltem *a poſteriori*, & e vulgo quoque notis phænomenis. SANGVIS quando extra corpus emiſſus eſt, quam cito putredine corrumpatur, vix vllum hominem fugit. Neque admodum maiorem quoque peritiam poſtulat, minime omnium autem apud artis ſeƈtatores, ingens illa in *putredinem* præceps vtique propenſio, imo *prolapſus ſanguinis*, quando ille alicubi corpore, *intercepto ſuo motu*, *includitur*. Quo nempe caſu ita in ſolidum eueniente, *ſphacelum*, id eſt *nudam atque ſimplicem putredinem*, immediate in opere eſſe, & propter *calorem* reliquum vitalem ambientem, vel intra horas paucas in effeƈtum deduci, neminem fugit.

Non ſolum ſanguis, ſed etiam reliquæ partes huic corruptioni patent.

§. III. Quamuis autem ante omnia *ſanguis* corruptioni huic putredinoſæ efficacisſimæ direƈte expoſitus exſiſtat; & mediante ipſius inprimis perpetuo concurſu etiam partes poroſæ *muſculoſæ* & *parenchymaticæ* rubicundæ omnes: non inde minus corruptioni patent tum *exſangues partes;* tum *humores* etiam a ſanguine diuerſi, *lympha*, *ſerum*, & horum affines, *lac*, *ſperma*, *bilis*, *muci*. Hi enim humores,

&

& tanto magis illæ partes *exſangues*, licet a ſimplici præcipiti corruptione alieniores ſint, minime tamen liberæ ſunt ab admodum omnino promta SALSA ACRIMONIA contrahenda: qua non ſolum ipſæ *colliqueſcere* poſſint, ſed etiam omnino contiguas quaslibet ad eandem corruptelam deducere; minime tam vere & ſimpliciter *corroſiuo*, quam longe verius *fermentatiuo* actu.

§. IV. Vbi quidem corruptionis *putredinoſæ ſanguinis* efficacia *fermentatiua* eſt tanta, vt omnino breuiſſimo temporis ſpatio etiam latiſſime ſeſe *diffundere* poſſit. Quod damnum cum per *vſitatam* VITALIS ACTIVITATIS *methodum*, quæ *placidis* atque ita ſatis *tardis* progreſſibus gaudet, facile *corrigi* non amplius aut *ſuperari* poſſit, mirum inde non eſt, ſi a *leuibus* etiam paſſim *initiis*, niſi potentiſſima *arte* extrinſecus ſuccurratur, non ſolum totum corpus corruptione ſubuertatur: ſed quod plus videri poſſit, etiam ſumma totius OECONOMIAE ACTIVITAS ſuper rebus ita peſſime conſtitutis ſimpliciter ſiſtatur atque cohibeatur.

Efficacia corruptionis ſanguinis tanta eſt, vt breui tempore latius ſe diffundat.

§. V. Hæc certe conſtitutio corporis humani *ex intima ſui mixtione* tam *promtiſſimis* æque atque *penitiſſimis corruptionibus* tota obnoxia mirum profecto eſt, quod tam parum, (etiam a curioſis propiorum temporum adeo plane nihil, ne dum condigne) in conſiderationem trahatur. Equidem non iniuria etiam *veteres* notari poſſunt, quod quidem corpori humano diſpoſitionem ad *putreſcendum* paſſim aſſignauerint; vt fere in vniuerſo *febrium* negotio: interim tamen non ſolum hic a veritate aberrauerint; ſed etiam veriores, imo *veriſſimas*, ſimplices atque manifeſtæ *putredinis* energias tam *a priori in toto habitu* corporis & vniuerſa eius *mixtione* prætermiſerint; quam etiam *a poſteriori* veram eius atque ſimpliciſſimam præſentiam in *ſphacelo* neglexerint.

Hæc conſtitutio corporis tam parum in conſiderationem trahitur. Veteres quidem rem in febribus attigerunt, in mixtione autem corporis eam prætermiſerunt.

§. VI. At longe maiori iure notantur hic *recentiores*, qui cum *fermentationis* etiam ſolidam doctrinam ſibi paſſim arrogent, tamen non ſolum in hac in genere nihil tanto hiatu promiſſionum dignum efficiunt, ſeu, rotunde eloquendo, intelligunt; ſed etiam, quantum ad factum, tam parum, quam antiqui, *ſimpliciſſimam putredinem in ſphacelo* agnoſcunt: ne dum vt diſpexiſſent, quid veritatis ſubſit in tralatitia illa aſſertione priſcorum *de febribus*, & *putredinis* in illis efficacia; adeo, vt *veteres* reuera maiorem hic prærogatiuam habere videantur, dum *in genere* ad minimum rem veram attigerunt in febribus, licet *in ſpecie* veritatem eius non aſſecuti ſint.

Recentiores æque non recte intelligunt, & inprimis putredinem in ſphacelo non agnoſcunt.

Imo totam rem negant excipiendo, in corpore viuo putredinem non poſſe fieri.

§. VII. Cum ex aduerſo peſſime ſuis rebus conſulant *recentiores*, dum totam rem *in genere*, & infeliciter *in ſolidum*, negant; & quidem præter omnia *argumento*, negligentiam ipſorum tanto grauius exaggerante, dum rectiſſime *excipiunt*, *putredinem* IN CORPORE VIVO non poſſe fieri; & tamen neque diſpiciunt de cauſſis & vero habitu, *quatenus* in VIVO corpore putredo non poſſit fieri; neque habitum corporis *in ſe & materialiter* conſiderati, quo vtique *putredini* abſolute expoſitum eſt, in mentem reuocant; ne dum vt veram illam, & conſideratu vnice dignam, realem differentiam, inter corpus *ſine reſpectu ad vitam*, & *ſub hoc reſpectu*, euoluere cordi habuiſſent.

Thema huius conſiderationis.

§. VIII. Eſt autem ita huius conſiderationis thema diſertum atque ſimpliciſſimum: TOTVM CORPVS ANIMALE, EX VNIVERSA SVA MATERIALI CONSTITVTIONE INTIMA ATQVE PENITISSIMA, EST EXPOSITVM CORRVPTIONI ITIDEM PENITISSIMAE ATQVE PRAESENTISSIMAE, OMNIBVS TEMPORIS MOMENTIS AEQVALITER.

Sanguis corruptelæ magis expoſitus eſt. Licet autem hæc conſtitutio corpori eſſentialis ſit, deductio tamen eius in actum eſt res præter imo contra naturam.

§. IX. Poſſum huic rerum articulo adhuc illud adiicere, quod quam maxime *ſanguis*, vt *optimus atque floridiſſimus*, eo magis expoſitus ſit huic corruptelæ. Et inſuper ex ipſis *phyſiologicis*; quod hæc talis conſtitutio ita ſumme *corruptibilis* eo ipſo, quod corpori intime *eſſentialis* eſt, ita debeat pro *re abſolute naturali* haberi: cum interim eius *deductio in actum corruptionis* ſit *ſuprema res præternaturalis;* imo *toto genere præter naturam;* quin vere, quantumcunque exquiſitiſſima vocis acceptione, ſuprema *res contra naturam.*

Proxima huic diſpoſitioni eſt textura corporis.

§. X. Proxima huic ipſius intimæ *mixtionis* diſpoſitioni ad promtiſſimam æque atque penitiſſimam *corruptionem* eſt *textura* atque *ſtructura corporis*, in *ſolida* ſui conſiſtentia. E *tenuiſſimis* vtique *flaminibus* atque filamentis ad quamlibet non ſolum *vim externam* ſubeundam præceps: ſed etiam hoc ipſo intuitu tam aliena a *ſtabili duratione*, vt etiam *inteſtinæ* ſpontaneæ corruptioni atque *colliquationi* quam maxime expoſita agnoſci facile poſſit.

Meatus anguſtiſſimi & humores ſpiſſi obſtructionibus apti ſunt.

§. XI. Quid, quod habitus etiam *meatuum*, & inprimis *tubuloſorum*, velut vltra conceptum *anguſtiſſimus*, ex hac ſua ſimpliciter *mechanica proportione* veluti totus pateat atque faueat *obſtructionibus* ſuſcipiendis: dum inprimis *conſiſtentia* illorum fluorum, qui per hos perpetuo pelli debent, ſit tum in ſe ſimpliciter *ſpiſſiuſcula;* tum ad ſubeundum ſpiſſitudinis *augmentum* per faciles accidentales occaſiones aptiſſima.

§. XII.

§. XII. Merito his conditionibus tam plane ſummam diſpoſitionem corporis ad *promtiſſime* atque *penitiſſime* ſubeundas *corruptiones* atque *læſiones* iungo adhuc illum in ordine ad *Medicinam* plane peculiarem habitum, quod nempe in illa ſua textura etiam ſæpiſſime læſiones *ſtructuræ* eiusque *integritatis* ipſo actu incurrat: interim nulli vsquam ARTI conceſſum ſit, has tales læſiones quocunque tandem intuitu ad veram *integritatem* ſuam reducere; quod certe reliquis iam dictis ingentibus ad læſiones propenſionibus iunctum videtur omnino firmare antiquum illud *Hippocratis* effatum: *quod totus homo ſit morbus.*

His propenſionibus ad corruptiones adnumerantur læſiones ſtructuræ eiusque integritatis.

MEMBRVM II.
DE
CONSTITVTIONE CORPORIS HVMANI
A MORBIS SVSPICIENDIS ALIENA.

§. I.

CVm talis omnino ſit, qualem hic modo deſcripſimus, diſpoſitio corporis indeſinens, nullo vnquam momento melior, ſed potius contra, *quanto* maxime *ſanior*, *tanto magis* hoc ſenſu peior, nempe ad *corruptibilitatem* intimam aptior atque promtior: quam alienum ab omni conceptu & merito incredibile eſſe debet, quod illa tamen *non in effectum deducatur;* ſed, non ſolum ab vno momento in alterum, verum *in longiſſimum tempus*, imo etiam ordinarie abſolute conſtanter *per totam vitam*, nunquam plenum effectum ſuum ſortiatur.

Incredibile videri poſſet, quod hæc diſpoſitio non in effectum deducatur.

§. II. Fit hoc abſolute in abſoluta illa directa corruptibilitatis corporis indole, qua ad *putredinem* ſimpliciter propendet; dum hæc tanta ἀκρίβεια cohibetur, vt non in actum deducatur, vt vix e *centum mille* hominibus *vni* contrarium eueniat, etiam ſub *externis violentis* cauſſis concurrentibus: vix autem vni e *millies millenis*, ſine externis violentis cauſſis, a nuda illa *interna* ſui diſpoſitione, quantumlibet tota ad hunc effectum facta atque apta.

Fit tamen hoc abſolute.

§. III. Placet hoc loco allegare non nudam ſpeculationem, ſed *rem veram* atque certam, ſimplici conceptu, ſine vlla *fictione* & facile & ſane merito comprehendendam. Nempe merito *collectim* ſumi debet totum humanum genus, ita, vt quicquid *ſingulis* ſeorſim euenit, merito tanquam *in vnum numerum* coniiciatur. Nempe, cum quilibet homo

Ad hanc rem comprehendendam totum genus humanum collectim ſumendum.

dum eſt, & inde veritas eruenda.

homo re vera *ſpecialiſſimam* ſuam corporis animique diſpoſitionem atque *proportionem* ad res externas habeat, qua ab aliis plus minus ſenſibiliter differt, & ſub hac conſtitutione ita *ſuam vitam* viuit, tam *ſeparatim*, quam quilibet alius *ſeorſim* ſuam. Quicquid ita illi *ſeorſim*, & ita *vnicuique ſeorſim*, v. gr. per *vnius anni* ſpatium euenit aut non euenit, ita humanitati annumerari poſſit velut in vnum cumulum, vt v. g. *quicquid decem hominibus per totum annum non euenit*, merito dicatur, quod illud *homini per decem annos* non euenerit: & ita de *centum*, de *mille* hominibus, quod tale quid poſſit per *centum annos*, per *mille annos* HOMINI non euenire. Hoc ſenſu vero atque reali merito dico, quod SPHACELVS vix CENTIES MILLE ANNIS SEMEL obtingat; imo vel immenſum maiore numero, ſi conſideretur, quam immanis hominum numerus TOTA SVA VITA ab hoc damno immunes maneant.

Quod hæc corruptibilitas rariſſime effectum ſuum ſortiatur.

§. IV. Vnde iterum iterumque hoc conſiderandum commendo, quod non ſolum illa *ingens corruptibilitas in genere* longe RARISSIME effectum ſuum ſortiatur, ſeu in actum deducatur; ſed etiam *in ſpecie* hæc *corruptio*, cui ſimpliciter atque DIRECTE ſubiacet corpus, *minime omnium* ad actum ſui perueniat. Puto vero omnino, imo ſcio & intelligo ſatis, quod hæc res non ſolum *neglectum* illum non mereatur, quo huc vsque in ſchola medica transmiſſa adeo eſt, vt eius ne quidem in mentem venerit ſpeculatoribus: ſed iudico maxime, quod hæc ipſa res illam eximiam prorſus conſiderationem inuoluat *pathologicam*, imo directe inferat, quod immenſum quantum maior & vix non abſoluta ratio habenda veniat *defectuum in ea re* quærendorum, quæ corruptibilitates illas & *poteſt & debet occupare*, quam in illa *corruptibilitate ipſa*.

Si vero in actum deducatur, altera oppoſita conſtitutio deficit.

§. V. Cum enim e vera harum rerum mutua comparatione palam ſit, quod corruptibilitas illa poſſit *non in actum deduci*, & tanquam ſi non exſiſteret in actu haberi, quam diu hæc *altera conditio*, quæ corruptibilitatem illam ita *cohibet*, recte ſeſe gerit: ita quandocunque corruptibilitas illa in *actum* & effectum tendere apparet, argumentum eſt categoricæ veritatis, quod *altera illa oppoſita* conditio atque *conſtitutio* deficiat; ſiue a concurſu cauſſarum *aduentitiarum*, *corruptibilitati* directe fauentium, energia huius *oppoſitæ* vltra proportionem ſuperetur; ſiue *media* ſua ipſi *per vim externam* impediantur aut peruertantur; ſiue ipſa hæc *energia* ita *in ſe*, & tanquam ſimpliciter *a priori*, vel langueat, vel *ordine* atque *methodo erret*.

MEM-

MEMBRVM III.

DE VERISIMILLIMO HABITV POTENTIAE MATERIALIS AD SVSCIPIENDAS LAESIONES, ET POTESTATIS IMPEDIENTIS, NE HAEC IN ACTVM DEDVCATVR, IN ORDINE AD MORBOS.

§. I.

DIximus quidem aliqua proximo membro de hac re, merito tamen illam magis, imo quantum vnquam fieri poſſit, maxime luculenter deductam atque confirmatam habere & habendam eſſe contendo. Quam parua imo nulla ratio habenda ſit, in perueſtiganda *præcipua cauſſa ortus* morborum, conſtitutionis corporis *materialis* ſumme corruptibilis, manifeſtum eſt ex eo, quod corpus quam maxime ita conſtitutum, imo non aliter conſtituendum, poſſit tamen *ſanum*, & ab omni corruptione alieniſſimum eſſe. Cum vero hoc ipſum etiam nunquam prorſus ita obtineri poſſet, niſi *poſitiua* quædam ACTIVITAS præſto eſſet, quæ præſentiſſimam illam, nempe indeſinenter eandem, *potentiam corruptionis* cohibet; quæ etiam hoc ipſo actu ita perpetuo facit, vt non niſi *rariſſimis*, in comparatione ad indiuidua & tempora illibatæ ſanitatis, exemplis efficacia eius *imminuatur*, nunquam autem, niſi vltima *morte*, tota *tollatur*: manifeſtum hinc eſt, quod longe maxima ratio haberi debeat potius huiusce conſtitutionis ita CONSERVATORIAE atque *corruptionum cohibitoriæ*, quam viciſſim illarum materiarum.

In perueſtiganda cauſſa ortus morborum non tam conſtitutionis corporis materialis, quam conſeruationis & corruptionum cohibitionis ratio habenda eſt.

§. II. Hoc ipſo intuitu re vera etiam aduertendo decenter animum ſic ſatis euidenter agnoſci poterit, quod re ipſa *plerique morbi*, quicunque non *aduentitiis* materiis innituntur, maxime in eo veluti reſideant atque fundentur, quod his ipſis potius *actibus corruptioni præoccupandæ* idoneis *vim* aut *moram* faciant. Imo vero agnoſci poterit, quod multæ eiusmodi res, quas vulgus etiam medentium pro DIRECTIS morborum EFFECTIBVS *phyſicis* habet, quæ SYMPTOMATA vocant, magno numero potius huius ipſius ENERGIAE CONSERVATORIAE veri *directi actus* exſiſtant, *præoccupandis*, &

Plerique morbi in eo fundati ſunt, vt corruptionem præoccupent. Symptomata eidem rei dicata ſunt.

in futurum præſeruandis, aliquibus impendentibus *periclitationibus* dicati: quibus ita potius progreſſum planiorem reddere deceat, quam illos ipſos pro vere *morbidis* ſiue *actibus* ſiue *effectibus* interpretari.

In artis poteſtate non eſt, corruptionem impedire aut corrigere; contra actus illi naturæ inhibitorii ei ſubiacent.

§. III. Addit MEDICAE conſiderationi pondus penitus immane etiam illud, quod abſolute in ARTIS poteſtate poſitum non ſit, & ab illa nunquam præſtari poſſit, vt *corruptio directe* & ſimpliciter vel *impediatur*, vel facta *corrigatur*. Ex aduerſo vero illi ACTVS, quibus partim *ortus* corruptionum, partim *progreſſus* inhibeatur; & quod *corruptum* eſt *tollatur*, adeo immenſum quantum magis ARTIS poteſtati pateant, vt illos partim varie *gubernare*, *incitare*, ad iuſta loca *inuitare* atque *dirigere*, nimios *refrænare*, imo hinc inde *cohibere*, partim, ad minimum in genere (*tollendo* potius, quam *corrigendo*) *imitari* poſſit. Quemadmodum in *reparatione* damnorum actu toleratorum vera atque genuina ARS omnis abſolute exſulat, & nihil aliud poteſt, quam ſimpliciter *priuatiue* profſpicere atque ſubſeruire; vt *impedimenta* auferantur & arceantur, quæ actum reſtitutionis iuſtum atque legitimum obruere aut prægrauare poſſent, & ad minimum locum ipſi non concedere.

Hæc conſideratio huius habitus ad morbos abſolute neceſſaria eſt.

§. IV. Eſt itaque inprimis *medicæ pathologiæ*, ad *medicum* inquam ſcopum collineanti atque manu ducenti, ſi non vnice, tamen quam maxime vtique & ſupremo plane loco conueniens, imo abſolute neceſſaria hæc talis conſideratio huius maxime habitus ad morbos; quomodo nempe illæ res ibi conſtitutæ ſint, quæ *ſemper*, & *efficaciſſime*, morbos *materiæ* perpetuo impendentes, ordinarie *abarcere*, *præoccupare*, *expugnare*, quin ipſa *damna* actu illata *reſarcire*, & quod detractum eſt, *ſupplere* atque *reſtituere* compotes ſunt: harum rerum *numerum*, *ordinem*, *methodum*, & *inſtrumentalem habitum* rectiſſime perſpectum habere, non ſolum *a priori*, in ſtatu *ſano*, qualis omnino eſſe debeat atque ſoleat, non ſolum CVM omnia recte ſe habent in corpore, ſed quam maxime VT ita ſe habeant; ſed etiam a *poſteriori*, in quolibet præſente habitu morbido, *quomodo* & *quatenus* in illo partim *organa* hæc actui illi conſeruatorio dicata in hoc ſuo *habitu organico* ſeſe gerant; partim ipſa *energia* actionis, ratione proportionati *gradus*, ordinati *ſucceſſus*, *applicationis* conuenientium inprimis organorum, & tandem vniuerſa *tranquilla* potius, quam *trepida atque anxia* ratione totum actum *gubernandi*, ſeſe exhibeat atque præſtet.

§. V.

§. V. Iterum dico, quod inprimis conſideranda veniat etiam *organorum*, huic actui ſeruientium, non tam in genere *phyſica*, imo ne quidem ſimpliciter *mechanica*, ſed vere ORGANICA ratio, & ſi quæ in hoc maxime *reſpectu* in hunc effectum exeuntes læſiones ipſimet inhæreant. E quibus nempe conſiderationibus nimio frequentius petenda venit vera fundamentalis cauſſa, *latens* quaſi & longe minus conſpicua, alterius hinc demum ſubnatæ *craſſioris* atque ſenſus manifeſtius ferientis læſionis: quæ interim paſſim non ordinatius, & ipſo *fundamento ſubruto* & veluti *radice ſucciſa*, conſtantius tolli poſſit, quam tali labe, circa *organicam* efficaciam aliquam hærente, emendata.

Conſideranda etiam eſt organorum ratio.

§. VI. Hæc nempe eſt vera illa cognitio non ſolum VITAE, ſeu *præſeruationis* omnium corruptionum; ſed etiam ENERGIAE VITALIS, ſub ipſis morbis conſtanter reſiſtendo directam efficaciam horum præoccupantis. Imo morbum ipſum denique vere iterum *ſuperantis*, *excutientis*, quin damna illata *reſarcientis*. Pro qua re ita, vt omnino optime meretur, tanto melius etiam in genere agnoſcenda atque comprehendenda, placet ex inſtituto & ſeorſim adhuc aliqua dicere.

Hæc eſt vera cognitio vitæ & energiæ vitalis.

MEMBRVM IV.

DE
CAVSSA GENERALI EXITVS MORBORVM SALVTARIS, ET REPARATIONIS DAMNORVM.

§. I.

NOn exigua certe hæc eſt res, & longe aliam conſiderationem poſtulans & conceptum exhibens, quam qualis vulgatæ ſcholæ medicæ diſtincte in mentem venit. Comprehendit ſane ſub ſe hic reſpectus *paradoxon* illud, iam ante a me notatum, quod *multi inſoliti actus* in corpore humano contingant, quos vulgus hominum pro *morbis* & *directis* morbidis *effectibus* accuſat, qui, rem penitius conſiderando, potius ita *ſalutaris* ſint efficaciæ, vt ſi illi *non fierent*, & quoties-

Multi inſoliti actus in corpore contingunt, qui vulgo pro morbis & morbidis effectibus accuſantur, re vera autem ſaluta-

ris efficaciæ ſunt.

cunque in reliqua tali conſtitutione non fiunt, longe adhuc *maius* & *grauius periculum*, & liberior, atque inde etiam promtior conſecutio *damnorum* inde reſultet.

Generalis cauſſa expugnationis morborum.

§. II. Eſt autem hæc generaliſſima *cauſſa expugnationis* morborum *ſalutaris* REMOTIO a particularibus *locis*, & tantem EMOTIO e corpore toto, materiarum & corrumpentium & corruptarum: quæ abſoluitur per varios ACTVS *ſecretorios & excretorios*, decente *ordine* atque *loco* inſtitutos: quibus miniſtrant varii MOTVS TONICI, & varia horum gubernatio ſecundum tempus proportionate inſtituta; prout inprimis *dignitas partis* periclitantis mereri, & *efficacia corruptiua* cauſſarum materialium præſentior poſtulare iudicari poteſt.

Actiuitas motuum, quæ neceſſitati partis periclitantis & cauſſæ lædenti quadrat, concurrit cum energia œconomiæ corporis interna.

§. III. Et hæc inprimis circumſtantia, vt *actiuitas* huiusmodi motuum *neceſſitati* a dignitate partis, aut actiuitate cauſſæ lædentis, quamplurimum quadret, concurrit imo conuertitur ſimpliciter cum *altera* circumſtantia, nempe, quod totum hoc negotium, de quo hic directe eſt ſermo, geratur ſimpliciter *interna* &, quod aiunt, *domeſtica* corporis œconomiæ energia: quæ quidem adeo in hoc negotio vnica eſt, vt neque MEDICA ars, niſi ab huius *indiciis* atque *actionibus* rem hanc didiciſſet, nunquam illam vel *comprehendere* potuiſſet, vel *imitari*.

Tota ars ſine hac interna energia nihil poteſt.

§. IV. Tanto minus autem in ipſo facto atque re præſente vnquam *agnoſcere* poſſet ars, quod ille caſus *iam præſto* ſit, niſi illa *interna actiuitas*, tunc quam maxime cooriens atque emicans, totius rei *indicium* faceret, & proprie Medicum velut *inuitaret*, vt etiam ille concurrere & opitulari ſibi proponat. Et illud profecto inſuper abſurde ſæpiſſime, quoties videlicet hæc ipſa *interna energia* SIBI SVFFICIT: vel, niſi exquiſitiſſime *intellectum* ſit a Medico, ne quidem συνέργειαν aliquam ab illo experitur, inprimis vere *artificioſam*, nempe cum *recta ratione effectiuam*; ſed ad ſummum nudæ *empiriæ* ſuperſtructam, quæ non ſolum *exitu fallax* ſit, an re vera aliquid contribuerit, licet ægritudo ſuperetur? ſed tanto magis *fallax* ipſo ſtatim *aditu*, nempe an etiam re vera illa *opus* ſit, & plusquam nuda *opinione* conferat, œconomiæ etiam ſponte ſanaſcenti.

Ipſa autem energia in maxima morborum parte

§. V. Quantæ conſiderationis ſit hæc res, eluceſcit hic iterum ex eo, quod etiam iam ante dictum, & in antecedentibus iam plus ſemel indicatum eſt, nempe, quod *tota ars* ſine hac *interna energia*

gia

gia etiam in longe *plurimis*, inprimis autem *difficillimis* quibuslibet affectibus, & maxime periculoſis, *plane nihil* poſſit: cum ex aduerſo & vere *ex oppoſito* hæc *energia* ſine omni *artis puræ* adminiculo adeo *omnia* poſſit; vt rem vere æſtimando in maxima parte morborum *per eſſentiam*, quod aiunt, plane non opus ſit pure *artificiali* auxilio, quin hæc *energia ſpontanea* ſubigendæ læſioni ſufficiat; ſed magis ſolum *per accidens*, quando illa *caſibus* per *indiuidua*, per *fortuitos* euentus, & *externos* occurſus incidentium rerum, interuertitur aut impeditur.

omnia poteſt ſine arte.

§. VI. Vnde ſane maximi eſſe debet hæc conſideratio huius tam eminentis rei, quæ non ſolum *defectibus* ſui morbis *aditum* pandit, ſed etiam qualicunque *vigore* liberum eorum *progreſſum* inhibet; quin tandem *conſtantia* ſua *tranſitorium* corruptionum ſucceſſum pedetentim elidendo, ad integritatem vsque corpori præeſt: imo, quod præcipuum eſt, etiam actu ablatas portiones alias in totum alias in tantum, denuo *ſupplet*, & quod ablatum eſt, recte *reſtituit*; id quod *arti* abſolutiſſime in ſolidum negatum eſt.

Quid hæc energia vigore & conſtantia ſua efficere valeat.

§. VII. Ego vero commendo omni cum ſtudio conſiderationem hanc, quæ hoc membro a me ex inſtituto & deliberato animo tractata eſt: nempe veram animaduerſionem de *exitu morborum*, quem ſingulæ ſpecies æque atque omnes in vniuerſum, adeoque *morbi in genere*, ſortiri ſoleant. Vſu ad *medicum* ſcopum tanto digniore, dum ex hac conſideratione Medico etiam aliquando *methodus* diluceſcit, qua vere *præoccupare* & reuocare poſſit *cauſſam* morbiferam, antequam ad plenum effectum perueniat: & in hoc ipſo ſimpliciter *ſequi* hactenus laudatam *ſpontaneam energiam*, quæ pariter vndique illud agit, vt potius *ante patratum effectum* diſſipetur & plane eiiciatur *cauſſa* noxia: quam vt illa, vti recentiores falſo interpretantur, ſenſim ipſa *actione libera* actiuitatem ſuam expleat, adeoque amplius agere *deſinat*, effectus autem eius libere perpetratus partim ſenſim eiiciatur, partim iterum reſarciatur. Vnde iterum iterumque hanc conſiderationem, tanquam penitiſſima fundamenta vere MEDICAE THEORIAE, *formantem* magis quam *firmantem*, ſolidæ penſitationi commendo.

Quem vſum medicum habeat hæc animaduerſio de exitu morborum.

SECTIO III.
DE GENERALI DIFFERENTIA PATHEMATVM.

§. I.

Differentiæ huius neglectus theoriæ medicæ maximum damnum intulit.

ETiam huius rei mentionem facere neceſſe eſt, eum maxime in finem, vt veram atque ſolidam rem, non *ſpeculabundam* ſolum *reſpectuum* fortaſſe diſcretionem, ſub illa ſtabiliam, quæ hucusque in hac parte MEDICAE THEORIAE neglecta, aut ſane non ſub decente diſtinctione tractata, damnum intulit fere irreparabile, vt ACTIVA a PASSIVIS, *vtilia* a *noxiis*, *conſequentia* ab *inhærentibus*, nusquam ſeparari poſſint.

Antiquæ ſcholæ medicæ duæ claſſes pathematum, vna morborum, altera ſymptomatum.

§. II. Antiqua ſchola medica *duas* facit *claſſes* pathematum in corpore humano, vnam MORBORVM, alteram SYMPTOMATVM. MORBOS nominat ipſarum PARTIVM læſiones, *corporali* earum conſtitutioni, *κρᾶσει*, aut *texturæ* inhærentes. (Mirum, quod non etiam Grammaticis ineptis νȣ̃σον magis quam νόσον, tanquam ἐνȣ̃σην διαθεσιν παρὰ τὴν φύσιν explicuerint.) SYMPTOMATA vero, ex ipſa vi nominis, quod cum alio *ſimul accidere* innuit, tribuerunt illis affectibus, ſeu potius *effectibus*, qui *cum partium* læſione neceſſario *ſimul* euenirent. Iam, cum etiam ſatis exquiſite vera conſideratione a *partibus* corporis viui inſeparabiles ſint *actiones*, poſuerunt propterea primo loco inter *ſymptomata* LAESIONES ACTIONVM. *Alterum* inter *ſymptomata* locum tribuerunt, ſecundum ſuam loquendi formulam, *qualitatibus mutatis*; quemadmodum *vltimum excretorum*, quin & *retentorum* anomaliæ: quaſi dicerent, cum *excrementa* non ſint *partes* corporis, & *inferri* etiam atque *contineri* aliquandiu, & vere *per accidens*, in corpus aliquid poſſit, quod nullo modo in illo eſſe deberet; propterea tam *excernendarum qualitatem* mutatam, quam *alienorum* accidentalem moram in corpore, *accidentalibus* talibus rebus *præternaturalibus* accenſeri debere.

Alia ſcholarum diuiſio, quæ paſſiuas læſiones actio-

§. III. Abſit, vt circa has res λεπτολογίαν vel admittam ſciens, ne dum ſectari velim; progredior potius ad illam ſcholarum earundem *diuiſionem*, qua *ſymptomata* vlterius *eſſentialiter conſequentium*

tium nomine ſalutant, vti *morborum* phænomena *eſſentialiter inhærentium* vocabulo denotant. Eo ipſo circa *ſymptomata* paſſim, & vix non maximam partem, immanem illam *confuſionem* introduxerunt, vt inter vere PASSIVAS læſiones *actionum*, & ACTIVAS *proportionatas* MVTATIONES illarum intercedens ſolida diuerſitas hac ratione penitus obnubilata defecerit; adeoque THEORIAM in ſolidum fefellerit *diſcretio* illa, quæ eidem *antiquæ praxi* mirifice familiaris eſt, *vtilium in ipſis morbis* MOTVVM NATVRAE (quantumlibet *ſpecie* non reſpondentium ad amuſſim *proportioni* actuum atque motuum in *conſtitutione vere ſana*) ab *actibus* atque *motibus*, per verum *vitium organicæ conſtitutionis* corporeæ directe impeditis & peruerſis.

num & actiuas mutationes illarum mire confundit.

§. IV. Qua de re proinde ſeorſim agere, eamque funditus diſtinguere placet; ſed tamen hoc ipſum etiam pro præſentis loci inſtituto magis ita *in genere* diſquirere: cum penitior eius rei demonſtratio non alibi commode fieri poſſit, quam per *ſingulorum* affectuum *in ſpecie* euolutionem. Vt nempe *in ſingulis per ſpecies* diſtinguatur, quid in illis vere & ſimpliciter *paſſiue*, inprimis *in defectu*, rarius in *deprauatione* directa, præiudicii atque damni eueniat actionibus e partium *corporeo* vitio; & quid e diuerſo *inſoliti* quidem, intuitu *ſanæ ſinceræ* conſtitutionis, ſub variis morbidis *occaſionibus* circa *actiones* varias, inprimis *vitales*, emergat: interim, ſi res vel mediocriter recte perpendatur, non ſolum *proportione ad effectum, & effectu* ipſo in ſpecie, potius VTILE ſit atque SALVTARE; imo, (niſi ſimpliciter nuda externa *artificioſa* ſubſidia nude exſpectari debeant,) etiam *abſolute neceſſaria*; ſed etiam *in genere* de vero cenſu *conſeruatoriorum actuum ordinariorum.* In quibus illud, quod nunc *extraordinarium* merito iudicari poteſt, imo debet, potius *extraordinario* OBIECTO vere reſpondet; nempe *quantitati* illius *periclitationis* AVCTAE, & in qualemcunque actum deductæ: cuius ſimplici proximæ *diſpoſitioni*, ſeu *potentiæ* iuxta ſcholas, *ordinario gradu* minore, rebus adhuc tranquillis & integris, alias *talis eadem* ACTIO deſtinatur, imo ſatisfacit, quin imo magis NECESSARIA eſt. Vnde eandem augeſcente OBIECTO etiam tanto magis intendi, nihil mirum eſt, cum, ad aſſequendum verum ſui FINEM, *proportio* neceſſario ſequi debeat *obiectum.* Memorabili diſtinctione dirimere limites harum rerum placet, quam peculiari ſubſectione ſiſtam.

In ſingulis affectibus diſtinguendum eſt, quid in illis paſſiue, & quid contra actiue eueniat.

MEM-

MEMBRVM I.
DE
DIFFERENTIA NOXARVM A MORBIS, ET MOLESTIARVM PROPTER SANITATEM.

§. I.

Ingenium humanum mauult implicatiores & operoſos reſpectus præ ſimplici veritate.

MIra eſt ingenii humani inſolentia in tolerandis rerum *ſimpliciſſimis* reſpectibus, præ quibus propemodum ſemper *impeditum* quiddam, & *multiplici implicatione* quantumcunque operoſum, malle videtur, quam *veritatem*, tota ſua eſſentia *ſimplicem* atque vnam. Ego, vt ſimpliciorem aditum ad illa inſtruam, & viam quaſi ſternam, quæ hoc loco habeo dicenda, præmittam *ſimplicem* quendam ſermonem, vt inde tanto propius pateat aditus ad rem altioris indaginis, ſed certe eadem *ſimplicitate* ſubnixam.

Duo ſimilia præmittuntur, alterum de itinere ad diſſitum locum, alterum de pane per labores quærendo.

§. II. Qui pro libera ſua voluntate ad diſſitum aliquem locum peruenire contendit, propriis ſibi ſubſidiis *eat* neceſſe eſt; prout vel voluntatis ſuæ intemperantia, vel loci diſtantia, *accelerare*, aut *diu* continuare neceſſe habuerit, *fatigabitur*. Ab hoc euentu *Poëtæ* quidem dicere conſueuerunt, quod ipſa illa talis res hunc talem *laborem adferat;* nemo autem *Phyſicorum* eſt, quin ſatis intelligat, *effectum* talem non AB illa re produci; nemo vero *Metaphyſicorum*, quin in numerato habeat, quod hi euentus contingant PROPTER illam cauſſam, & ſtatim occinent illud ſuum vſitatum: *qui vult finem, vult media ad illum finem ducentia.* Par eſt ratio *panis* quærendi honeſto more per labores, ſeu operas diurnas. Ibi cum per æſtatem *calor* atque *ſudor* indiuidui adſint comites, nemo tamen eſt, niſi *Poëta*, qui *pani* hoc imputet, quod laborioſos motus inferat, & *ſudorem expellat.*

Applicantur ad effectus ſecundarios, qui primarios inſequuntur.

§. III. Valet hæc res penitus eodem conſiderandi modo etiam in certis *effectibus ſecundariis*, qui *primarios* alios NECESSITATE quadam CONSEQVENTIAE inſequuntur. Ea differentia *vtilitatis*, vt illi quidem, qui propterea *primarii* appellari proprie merentur, non ſolum *vtiles*, ſed paſſim etiam *neceſſarii* agnoſcendi veniant: hi vero non ſolum VSVM nullum euidentem habeant, ſed etiam vel

damno

damno exponere poſſint, ad minimum autem & certiſſime *moleſtiam* inferant. Vbi interim, cum *vtilis* ille imo *neceſſarius* actus ab huiusmodi *coniuncto moleſto* effectu non poſſit ſeparari, propterea tamen *actum* etiam illum damnare abſonum vtique fuerit.

§. IV. Quemadmodum enim, dum *motum corporis* aliquibus patientibus commendamus, & inprimis pro re nata *fortiorem*, & qualitercunque laborioſum, neque *concalefactionem* corporis, neque ſudationem prorſus ab illis arcere valemus; imo, ſi vel maxime *medicamenta* ægris conquiramus, *ſaporem* plerumque guſtui aduerſum neque mutare ſubinde poſſumus, neque aſſentimur ægris, ſi illi propterea nimium præfracte vſum illorum faſtidiunt: ita par profecto penitus eſt ratio eiusmodi etiam *ſpontaneorum* in corpore *actuum*, quando illos, in ſe & *intentione* a priori *neceſſarios*, & *inuentione* ſeu *proportione* ad effectum *ſalutares* non ſolum ſed etiam *neceſſarios*, INCOMMODA quædam aut *moleſta ſenſatio* comitatur.

Exemplo illuſtratur hæc res, quod actus ſpontaneos & ſalutares incommda quædam comitentur.

§. V. Vnde quidem ſcholaſticis gryphis facile relinquere licet aſſertionem illam, quod, quicquid non *abſolute ſecundum naturam* ſit, *præter naturam* eſſe iudicandum ſit. Quo reſpectu non ſolum *medicamenta* quoque pro rebus *præter naturam* venditare, quod faciunt, ipſis integrum ſit; ſed ſimul etiam incumbit, v. gr. omnes materias, quoquo modo vſui alimentari idoneas, ſimul tamen etiam qualemcunque *heterogeneitatem* coniunctam habentes, vt *vinum*, *cereuiſiam*, imo *panem fermentatum*, nedum innumera alia, in hanc tribum coniicere. Nobis autem, qui *incommoda* a *neceſſariis* paſſim inſeparabilia eſſe ſatis meminimus, interim *neceſſitatem conſeruandi* corporis condigne æſtimamus, *a potiori faciendam eſſe denominationem* ſatis certum eſt, adeoque VTILI imo NECSSARIO ACTVI innexum quodlibet MOLESTVM non ita peruerſo ordine æſtimandum, vt facto inde initio, tanquam a primo & primario, totus reliquus actus vel *negligatur*, & non animaduertatur, ne dum conſideretur, ſed vel omnino *damnetur*, & directis morbi ipſius iniuriis atque damnis annumeretur.

Propterea tamen illi incommodi effectus ſecundarii non pro rebus præter naturam iudicandi ſunt.

§. VI. Eſt autem hæc res omni modo tanto altioris indaginis atque iuſtioris conſiderationis, dum etiam illi ACTVS, qui ita *vtilitatem* omnino ſuam præ ſe ferunt, quam ſæpiſſime minime ſunt ita exacte *temperati atque ordinati*, quin aliquid plus minus *erroneum* ſimul inuoluant; vt *nimium*, nimis *anxie*, *fugitiue*, *inconſtanter* exerceantur:

Actus illi neceſſarii & vtiles non ſemper ſunt ordinati, ſed ſæpiſſime erronei.

adeoque tanto magis obnubilent intellectum minus attente adhibitum, vt non diſcernendo *rem ipſam in ſe*, ſed præferendo huiusmodi per indiuidua *accidentales* eius *ataxias*, præiudicium inde illud formetur, quod TOTVS ACTVS IN SE *malus*, & non ſolum *inutilis*, ſed etiam *noxius* iudicandus ſit.

Offenſio hæc in culpa eſt, vt veritas harum rerum non recte attendatur, & potius actus vtiles pro directis pathematibus & morbi effectibus declarentur.

§. VII. Certiſſimum eſt, & velut ante ipſos oculos poſitum, quod hæc offenſio in culpa fuerit, vt veritas harum rerum, quatenus ita vere *efficaces* ſunt, ad *exoptatum* imo *neceſſarium* VSVM in hodiernum vsque diem non attendatur; ſed potius ea, quæ non ſolum *vtilia* agnoſcenda, ſed eo ipſo nomine etiam paſſim IVVANDA atque PROMOVENDA erant, pro *morbi ipſius effectibus* declarata, *paradoxon* illud, imo verius *παράλογον* introduxerint, quod talia dentur eximia & iuxta has hypotheſes, *directa pathemata atque damna*, breuiter, affectus, tales grauiter vrgentes, *quibus tamen directe contraire* atque reſiſtere *non liceat*, niſi cum manifeſto periculo alibi reliquæ *ſanitatis*, alibi etiam totius *vitæ*.

Exemplo febrium.

§. VIII. Exemplum rei huius luculentum ſiſtunt FEBRES; in his cum *calor* pro præcipuo *ſymptomate*, imo ab aliquibus proprie pro *ipſo morbo* habeatur; cum facillimum eſſet hunc exſtinguere, ægrum *in frigidam* imponendo: notum tamen ſimul eſt etiam illud, quod hac ratione ille in vitæ periculum recta coniiciatur; adeo, vt vbi etiam ſatis manifeſto præſente cauſſa (vt in *malignis & contagioſis*) tamen *calor* non ſequatur, notum ſit de ea re illud Practicorum dicterium: *vrina ſana, pulſus ſanus, æger moritur.*

Diſtinctio itaque facienda eſt inter motus naturæ in morbis ſalutares ſeu actus primarios, & ſubſequentes ſecundarios, moleſtiis & incommodis ſtipatos.

§. IX. Moneo itaque atque cohortor, vt hæc res inter veræ PATHOLOGIAE MEDICAE ſolida *fundamenta* reponatur; vera inquam & exacta omnino *diſtinctio* inter eiusmodi ACTVS atque *motus in morbis*, qui ab ENERGIA ipſa naturæ pendentes SALVTAREM aliquem VSVM præſtare POSSVNT, imo paſſim vnice DEBENT: interim neceſſario ſecum ferunt aliquas circumſtantias ab ipſo *ordinario* habitu *actuum* in corpore vtique *alienas*; interim nihil aliud vere exhibentes, niſi *moleſtias* nudas, & *incommoda* aliqua, præſertim cum *vſu* ipſius *actus primarii* minime in vllum æquilibrium ponendas, nedum *damnorum* directe inferendorum, ſed potius, res minutatim expendendo, paſſim *promouendorum* adhuc potius aliquorum *vſuum* compotes. *Promouendorum* inquam. Quæ certe res, vbicunque vera atque firma demonſtratione ita ſe habere reperiatur, quam attenta digna

ſit

ſit conſideratione, nemo ignorabit, qui perpendet, quod offendiculum e neglectu conſiderationis huius prognaſcens ſit tantum, vt potius directe ad *contrarium* inducat improuidos, nempe vt hos ipſos actus loco *ſalutaris indolis* pro *directe morbidis* reputent.

§. X. Vnde certe intereſt totius *veræ Pathologiæ*, vt hæc res in ſingulis affectibus rectiſſime diſcernatur, quid in motibus vitalibus, ad ſecretiones & excretiones pertinentibus, tali tempore *ab ordine ſimpliciter ſecundum naturam* diſcrepare apparens, re vera *paſſiuis impedimentis* atque *oppreſſionibus* tribuendum ſit: quid vero *contra* potius *conſultæ vtili mutationi* adſcribendum, cuius cauſſa, & vere IN EVM FINEM, hi *actus* ita *mutentur* ſolum; *extra ordinem* quidem vtique ſed etiam PROPTER rem *extra ordinem*, nempe *peculiarem* materiam remouendam; quantumlibet in genere maxime *ordinario ſcopo*, *conſeruandi atque præſeruandi corpus*, tamen *in ſpecie* vtique *extraordinario*, nempe gradibus præſentis ſpeciei periclitationi exquiſite reſpondente.

Inter eſt totius pathologiæ, vt hæc res rectiſſime diſcernatur.

§. XI. Vbi, quod iterum iterumque moneo, etiam *accidentales*, per indiuidua, harum *extraordinariarum* commotionum atque directionum qualescunque *turbæ* minime eo ſtatim impellere debent animum, vt illas directe, qualitercunque *phyſice* a reliquo morbo deducat, nedum vt *vniuerſum actum* illi directe aſſignare velit: cum ex aduerſo notiſſima ſit etiam *optimarum intentionum* quarumlibet, inprimis etiam ſimpliciter *moralium*, facillima *peruerſio*; vt loco ſimplicis *tranquillæ atque ordinatæ* exſecutionis variis modis *turbulenta* & male ordinata inſtruatur, nullo vsquam *materiæ*, *ſubiecti* aut *obiecti* influxu, ſed ſolius *æſtimationis* vitio, & quaſi *ideæ* præconceptæ de tali materia aut obiecto: ſæpe autem etiam ipſius ſimpliciter *ad agendum* promtitudinis minus alacris, aut minus *tranquillæ* atque *ordinatæ*. Confirmat autem atque illuſtrat hanc rem tanto magis tum a priori vera συζυγία talium turbulentiorum motionum cum *animi moribus*, etiam *fundamentalibus*, ab ita dicto *temperamento*: tum *a poſteriori* par efficacia præſentiſſima, ad inducendas huiusmodi turbas, *animi pathematum*.

Accidentales vero turbæ, quæ loco tranquillæ & ordinatæ exſecutionis obueniunt, minime a reliquo morbo deriuandæ ſunt.

Tales turbulenti motus conueniunt cum animi moribus: etiam animi pathemata eosdem inducunt.

§. XII. Hæ res ſi cum debita attentione & ἀκριβείᾳ ſeorſim conſtitutæ fuerint, facile apparebit, quam arctis ſpatiis comprehendantur illæ *actionum læſiones*, quæ vere directe ab ipſo *morbo* dependent, & magis ſimpliciter nudum atque purum *defectum* ſolitæ vitalis actionis, ſeu potius AGILITATIS *inſtrumentalis* exhibent, quam vt *exceſſum*

Ex hac contemplatione facile diſcerni poterunt veræ actionum læſi-

ones & directa ſymptomata ab incommodis, actiua a paſſiuis, vtilia ab inutilibus & noxiis.

ceſſum ACTIVITATIS qualiscunque ſiſtant aut exhibeant. Quo nomine certe vera *morbi* directa *ſymptomata* ab INCOMMODIS, SYNERGIAE VITALIS, *morbo aduerſantis*, comitibus, maximo iure diſcerni, & vtralibet proprio plane loco haberi meretur. Non ſolum euitandæ cuiuslibet confuſionis in genere cauſſa, ſed tanto magis etiam cauendæ deceptionis ergo, ne in locum bonæ *cooperationis naturæ*, quam cordi habere debeat *Medicus*, per imprudentem opinionem atque metum, tanquam ſimpliciter *morbidæ* & *pernicioſæ* rei, tota *methodus*, (cui malo, & qua methodo, obſiſtere neceſſe ſit,) in transuerſum, imo vero in *contrarium* agatur. Minime itaque otioſam, ſed potius vnice *neceſſariam*, & maximi plane momenti reputo hanc conſiderationem, quantum certe ACTIVA a PASSIVIS, *vtilia* ab *inutilibus*, imo *noxiis*, diſtinguere non magis *ſcientiæ* iuſtum atque æquum, ſed etiam *praxi neceſſarium* eſt.

MEMBRI I.

ARTICVLVS VNVS.

EXEMPLVM DICTORVM.

§. I.

Actiui motus extraordinariorum quidem gradu, ſpecie tamen vſitatorum vitalium adparentes, non ſolum organici, ſed etiam neceſſarii ſunt ad præoccupandos morbidæ energiæ impetus. Cuius rei exemplum allegatur.

CVm longe digniſſimam conſideratu & vſu omnino reputem hanc rem, ACTIVORVM inquam MOTVVM, *extraordinariorum* quidem *gradu*, ſed tamen *ſpecie vſitatorum* VITALIVM, *mechanico-organicam* habilitatem non ſolum, ſed etiam paſſim *neceſſitatem*, ad *præoccupandos* morbidæ energiæ directe impetus, placet eius rei exemplum ſtatim allegare, e quo rei veritas eluceſcere poſſit. Non quidem quod ordinem tractationis rumpere, & *generalioribus ſingularia* immiſcere placeat; vnde etiam non vniuerſam intimiorem harum rerum rationem afferre ſedet animo: ſed vt *in genere* ſolum adhuc veritas rei compareat, etiam e conſideratione *ſpecialium* rerum veluti ſimpliciter generica.

§. II.

§. II. Quando SANGVIS, vbicunque tandem & quacunque de cauſſa, extra vaſa ſua & progreſſum debitum detentus ſubſiſtit, ex illa *propria eius conſtitutione*, ſi ſibi ita relinquatur, abſolute nihil aliud ſequi poteſt, quam vt primo *coaguletur*, 2) per momenta inde in *putredinem* ruat: niſi 3) tali *peculiari loco* obtigerit extrauaſationis huius ſitus, vt *exhalare* compotes tenuiſſimæ portiones, reliquas *ſiccas* relinquant, quæ tamen ipſa quoque conſtitutio *diu durare* non poteſt, quin nihilo ſecius *corruptionem* incurrat. Fit autem etiam hoc, vt nempe omnino ita liberæ ſuæ *corruptioni* quaſi relinquatur ita effuſus ſanguis, quoties viæ & meatus ita penitus *obſeſſi* aut *concerpti* ſunt, vt reliquis humoribus, adhuc recte mobilibus, aditus atque tranſitus liber non pateat. Fit ita SPHACELVS; qui, nempe *ſimplex* ſibi relicta ſanguinis in partibus *putrefactio*, ſimul atque vires concepit, *fermenteſcente* ſubtiliſſima actiuitate citiſſime & intime, adeoque *largiſſime*, in actum deducens *diſpoſitionem* illam corruptibilem, quæ corpori tota *intrinſeca* eſt, anteuertit *præcipiti* hac energia leuem atque *ſucceſſiuam vitalis conſeruatiui* actus proportionem, vt illa non amplius ſufficiat huic abundanti *ſummæ actiuitati*, adeoque hæc immani vi *præualeſcens*, omnem bonum effectum cito & prorſus ſupprimat.

Sanguis extrauaſatus, quando ſibi ita relinquitur, abit in corruptionem, & fit inde ſphacelus.

§. III. Dum hoc ita fit, nullum eſt in parte ita pereunte euiusquam *moleſtiæ* indicium, non modo *dolor* nullus, ſed ne quidem vllius rei *ſenſus*; patiens etiam per totum reliquum corpus nullam *ſenſibilem*, id eſt, ſenſus grauiter ferientem, adeoque *moleſtiæ* culpabilem efficaciam vsquam perſentiſcit; leues *emicationes* magis *volaticæ*, quam continuationes *caloris tranſitorii*, cum *horridulis* refrigerationibus magis magisque conſtantioribus, vnice ægrum quaſi *tentant*, & *tangunt* magis quam *angunt*. VIRES interim *tacite* veluti, *cito* tamen & *potenter*, deficiunt: innominatæ quædam, verius *anxietates* (id eſt *animi* potius) quam *corporis anguſtiæ*, intercurrunt; tandem etiam, vt ex improuiſo, *lipothymiæ*, vltimo, ad ſummam tamen totius rei *velociter*, *mors*.

Quia conſeruatiuus vitalis actus huic præcipiti energiæ corruptiuæ reſiſtere non poteſt, hic nullus dolor, nullus ſenſus, nullæ moleſtiæ ſentiuntur.

§. IV. Quando vero hæc ſimplex *ſibi relicta corruptio* non fieri debet, tunc abſolute opus eſt, vt *motus vegetus* viuidi *ſanguinis* per partem *ſtaſi obſeſſam* omnino adhuc continuetur; adeoque tum ipſa materia coagulata eluuione hac iterum diſtrahatur & auferatur, tum corruptelæ, inprimis *agiliores* & *actiuiores*, *tenuiores*, perpetuo diſtrahantur atque diſſipentur, ne coaceruatæ ſocia vi impetum *corruptiuæ* ſuæ

Si autem hæc corruptio impediri, & hoc damnum præoccupari debet: per vegetum ſanguinis tranſitum &

alliſum ad diſtenſas fibras, non ſine maxima moleſtia, tumore, ardore, dolore & exquiſitiſſimo ſenſu fieri poteſt.

ſuæ *actiuitatis* magis magisque inſuperabili energia exerceant. Iam autem non poteſt hic *vegetus tranſitus* per meatus, iam *a coagulatis* ſanguinis corpuſculis *arctatos*, perpetrari, niſi vt ita meatus magis *diſtendantur*, adeoque TVMOR formetur; neque poteſt *diſtenſio* hæc, impulſu vegeto adacti ſanguinis perpetuo motu ſuſtentata, ſine DVRITIEI ſenſu ita ſuſtentari, & in ſua perpetua intenſione detineri: imo vero, cum *tranſitus* hic *floridi* ſanguinis ſit, non poteſt inde parti RVBOR deeſſe; ab intenſiore *alliſu* ad magis *tenſas* ipſa diſtenſione *fibras* neceſſario CALOR conſequitur auctior; SENSVS ipſe in ſic affecta parte *augeſcit*; & hæc omnia directo *mechanismo*, *calori* ſanguinis vſitato, & negotii *ſenſationis* præcipuo. His rebus interim præoccupatur ſummum illud *damnum*, quod ſine harum concurſu plane non poſſet vllo modo declinari. Sunt autem *tumor* ille, *ardor*, *dolor*, mouendi cum incremento doloris *impotentia*, res tam euidentes æque atque eminentes, vt vtique patienti non exiguam, ſed maxime eximiam MOLESTIAM faceſſant; eoque ipſo tantam incurrerint ipſorum etiam *Medicorum* pathologorum inuidiam, vt directe *pro ipſo morbo*, aut certe ſimplicibus atque *directis* eius materialibus *phyſicis effectibus*, declararentur.

Itaque illi actus cum ſuis moleſtiis vtiles, imo neceſſarii & morbo oppoſiti ſunt, minime vero ipſe morbus aut ipſius effectus phyſici; hinc potius promouendi quam impediendi ſunt.

§. V. Cum itaque abunde ex his eluceſcat, quod illi actus, quos reliqua hæc *moleſta* conſectaria, interim inſeparabili nexu, comitantur, non ſolum adeo SVMME VTILIS, ſed etiam penitus NECESSARIAE ſint ENERGIAE; & quidem re vera ab his ipſis morbo potius vtiliſsime OPPOSITIS conaminibus, quam vere ab ipſa MORBI conſtitutione aut directa energia dependeant; id quod SPHACELI circumſtantiæ, vbi hæc omnia *abſunt*, manifeſtiſsimum faciunt: eſt proinde hæc conſideratio tanto magis neceſſaria, & hæc ipſa *ratio* omnino vera, quod huiusmodi rei maximus reſpectus pro VSV MEDICO habendus ſit; vt illi quidem omni modo potius *promouendo* ſuccurratur, quam vllatenus *impedimentum* quodcunque obiiciatur, aut tanquam *inutili* ſolum, nedum *noxiæ* rei, quod certe hoc reſpectu iuſtum & æquum eſſet, potentius *reſiſtatur*.

Aliud exemplum febres offerunt.

§. VI. Simpliciſſimam hanc arbitror intelligentibus fore *ſpeciem*, imo ſpecimen exempli harum rerum. Luculentius multo offerunt FEBRES. De quibus illud præſente loco dixiſſe ſuffecerit,

quod

quod huius theorematis, cui hunc locum deſtinauimus, neglectus atque ignorantia *antiquis* quidem *intricatiſſimum*, *recentioribus* autem *abſolute nullum*, & meris fabulis laruandum, reddiderit *conceptum* circa *veram pathologiam febrium*: nempe non ſolum *vtilis*, ſed paſſim etiam *neceſſarii* ſimpliciter *motus vitalis auctioris*, *ad ſaluandas partes vitales, per eliſionem proportionate tempeſtiuam materiarum corruptiuarum, aut corruptarum.* Sub quibus interim tam *ſalutaribus actionibus* aliter vtique fieri non poteſt, quam vt paſſim *moleſtæ* quædam *conſequentiæ* concurrant, partim magis ſimpliciter *phyſico-mechanice*, *caloris*, *coloris*, *tenſionis*, & diuerſimode variatæ *intenſionis motuum*, (vt quod alibi augetur, alibi detrahatur;) partim etiam *moraliter*, *incerti euentus*, quicquid etiam operoſe recte agatur, *familiari metu*; vnde *inquietudines*, *anxietates*, & non perpetuæ ſolum externorum incommodorum vitandorum excubiæ, *vigiliæ*: ſed etiam vigiliis maiores, ad illa cito deprehendenda, *attentiones*, per *omnium ſenſuum* maiorem *intenſionem* &c. Sed præter propoſitum, & quod aiunt, extra oleas vagari abſiſto, & propriis locis tractandam hanc rem, quantum ſufficere poſſit, præſente generaliore commendaſſe confido.

MEMBRVM II.
DE
DIVERSITATE MORBI SANABILIS ET LETHALIS.

§. I.

Conſiderandum omnino venit hoc diſcrimen, quo alii quidem morbi e *directa ſua indole* LETHIFERI non ſunt, alii vero ſunt: & quidem iterum *duplici* modo, nempe primo, vt *ſpontaneam vitalem* operam omnem ſubterfugiant & *fruſtrentur*, ARTIS tamen concurſu expugnari adhuc valeant; *alii* vero ſecundo neque *ſponte* nec *arte* ſuperari valeant, ſed *abſolute* MORTEM poſt ſe trahant. Diſcrimen inter non lethiferos & lethiferos morbos.

§. II. *Prioris* generis conſtitutionem non intereſt prolixe deſcribere, cum illa facile colligi poſſit ex *oppoſitorum* lethalium genio. Conſiſtit autem hic in eo, quod vel *organa* ipſa vitæ *immediata* grauiſ- Lethiferorum genius.

ſime *violata* ſint, vt vel ſtatim omni vſui *inidonea* exſiſtant, vel ad minimum omnem *reſtitutionem* reſpuant; vel *genus* tale *corruptionis* præualeſcat, cui ſuperando tota *methodus vitalium motuum*, vtpote *ſucceſſiuorum* atque *moderatorum*, non ſufficiat, (vt in *ſphacelo*) cui præſertim etiam *artis* ſubſidia ſuccurrere non poſſint, ad partem ipſam intimiorem denegato aditu (vt in *ſtaſibus inflammatoriis internis*, ad *ſphacelum* ruentibus).

Quo modo etiam morbi lethales fiant, & in quibus ſubiectis.

§. III. Fiunt autem morbi etiam *lethales*, repentinis *defectibus energiæ* conſeruatricis *vitalis*, a *deſperabundis* neceſſariæ actiuitatis *omiſſionibus*, aut *ordinis* atque *methodi* in agendo *trepidis* & anxie turbulentis *interuerſionibus*; imo *peruerſionibus*, quibus v. gr. noxia materia ab *ignobilioribus* partibus ad *nobiliores* transmittatur &c. Hæc ipſa vero *actiuitatis vitia* in defectu quidem ante omnia familiariter incumbunt *ſenibus*, & *meticuloſioribus* nimium, etiam iunioribus, inprimis *mulieribus*. *Turbida* illa, *trepida*, vel etiam *impatiens* peruerſio, neceſſarios exitus fallens, *iunioribus* & *irrequietis* ſubiectis ſolennior eſt. Hac vero ratione poſſunt inprimis morbi etiam *materialiter* graui periculo propiores, quantumlibet non ſimpliciter lethales, tamen *funeſti* fieri.

Diſtinguuntur etiam morbi mortiferi ab inſanabilibus.

§. IV. Merentur tamen etiam diſtinctionem morbi *mortiferi* a morbis *inſanabilibus*. Dantur enim huiusmodi læſiones, quæ vel *ſponte naturæ* ſolum, vel etiam quocunque *artis* adiumento, *penitus* ſanari nequeant; interim patientem non *directe* aut neceſſario in mortem ipſam coniiciant: imo, licet aliqui harum tale quiddam facere videantur, *lentis* progreſſibus, differant tamen hoc ipſo ab iis, qui directo *impetu* talia abſoluant. Quo intuitu valet vtique inter COMMORIENTES *inſanabiles*, & inter directe MORTIFEROS ſimpliciter *intractabiles* affectus, diſtinctio.

SECTIO

SECTIO IV.

DE VERIORIBVS CAVSSIS GENERALIORIBVS MORBORVM.

§. I.

TRactaui ſectione præcedente habitum corporis *in ſe* ſpectati, quomodo ille non modo *præſentiſſimis*, ſed etiam *penitiſſimis* læſionibus, imo *corruptionibus*, maxime idoneus appareat. Monſtraui etiam e contra, quomodo conſtitutio corporis *vt* VIVI adeo potentiſſime modo dictæ iſti *obſiſtat*, vt, quamdiu hæc intemerata viget, iſtius vere *nulla ratio* habenda veniat, ſed tanquam *non exſiſtens* in conſiderationem venire minime debeat. Quemadmodum vlterius, vti illi *priori*, in ſolidum directe reſiſtere minime in poteſtate eſt Medici, huic autem *poſteriori* varie ſuccurrere ipſi omnino conceſſum: ita etiam tanto plus huic, quanto minus iſti, inuigilare & intentum eſſe Medicum omnino conueniat; & quidem inſuper tanto magis cum ea conſideratione, quod etiam effectiue hæc ipſa poſterior conſtitutio, niſi quidem grauiſſime impediatur, etiam *ſine artis* vllius neceſſario concurſu corpori integritatem ſuam conſeruet atque *reſtituat*, & *morbos depellat*.

Repetitio eorum, quæ præcedente ſectione tractata ſunt.

§. II. Quin Medicus, exceptis rariſſimis caſibus, etiam nihil aliud neceſſe habeat agere, niſi vt huic *ſponte-actiuæ energiæ auxiliares* manus præſtet. Quod, cum adeo verum ſit, vt rem recte conſiderando *Medicus ad morbum directe non ſit neceſſarius*, vtpote quem *natura etiam ſua ſponte* & *curet* & *ſanet*; ſed ſolum *ad magis impeditum* morbum, *per accidens*, *per indiuidua*, magis aucto impetu, quam cui ſola natura commode par ſit, obſeſſis aut directe occupatis præcipuis *organis*, *perturbata*, aut *imperitiore* ad rem vegete gerendam, ipſa *intentione* & *energia*; aut tandem *in genere adiuuandæ* forte, vt res melius ſuccedant, huius propriæ *ſpontaneæ energiæ* cauſſa: ita venit profecto tanto magis penſitandum, dum *homo non morbo moritur*, ſed ſolum *malis eius ſucceſſibus* per malum ſucceſſum vitalis reſiſtentiæ.

Medicus directe ad morbum non eſt neceſſarius, ſed ſolum per accidens.

Homo non moritur morbo, ſed malis eius ſucceſſibus.

tiæ. Siquidem certiſſimum vtique eſt, quod plus *millies vnus idemque morbus* homines hinc inde inuadat, qui ab illo *non moriantur*, ſed ad ſanitatem reuertantur, priusquam *vnus* illo intereat: vel ſolo *variolarum* exemplo, & *morbillorum.* (Vnde certe rectiſſime huc facit, & plenam iuſtam interpretationem admittit, pulcherrima admonitio *Senecæ*: *morieris, non quia ægrotas, ſed quia viuis; iſta te calamitas etiam ſanatum manet.*)

Hos damnoſos & infelices ſucceſſus reſiſtentiæ vitalis recte cognitos habere decet.

§. III. Rectiſſime itaque cognitos eſſe decet damnoſos hos non tam *morborum*, quam *vitæ* ipſius ſucceſſus, quibus illa ad *mortem* peruenit, cum ceteroquin etiam ad *ſanitatem* peruenire iterum poſſit morbida illa conſtitutio: nempe talis quam maxime, quæ proprie *medicæ* conſiderationis exſiſtat, cum *Medicus* maxime morbos *vt ſanabiles* ſpectare, & *quomodo*, & *ſecundum* quid tales exſiſtant, in ſuos vſus intelligere debeat.

Generaliores cauſſæ morborum.

§. IV. Hoc itaque reſpectu ſunt vere *generaliores* cauſſæ morborum varia *ſubiecta* & *obiecta*, quæ vel ipſas *partes*, *motibus vitalibus* dicatas, lædere iam proxime immineant, aut plane iam incipiant; vel ipſis *motibus* iisdem grauius incumbant, *energiam* eorum prægrauent, *ordinem* & *ſucceſſum* turbent; & hoc tum *materialiter* ipſa præſentanea *actione* & *corporali efficacia*; tum debito ſenſu *moraliter*, nempe *finaliter*, *periculum* præſentiſſimum certorum talium ſucceſſuum inferendo: qui ſi *euitari*, & ne eueniant, *prohiberi* debeant, etiam rei NONDVM FACTAE, ſed ſimpliciter *cauſſæ*, antequam effectum ſuum perficiat, talibus *motibus* reſiſtendum ſit: adeoque cauſſæ non ſecundum aliquam eius *propriam conſtitutionem*, neque ſecundum vllum eius verum & realem *effectum*, ſed ſimpliciter *propter* impendentem adhuc, ſed præcauendum, ne abſoluatur, *euentum.* Hæc conſtitutio vti abſolute exhaurit, & ſolidiſſime quidem, imo etiam inſuper *ſimpliciſſime*, tum vniuerſum morborum *genealogiæ* latifundium; tum etiam verum illorum *habitum* tam ad *ſpontaneam*, quam huic ſuccenturiatam *artificialem depulſionem*: neceſſe proinde vtique eſt, vt eius legitima euolutione vera pathologia adornetur.

MEMBRVM I.
DE PLETHORA.

§. I.

MATERIALIS cauſſa, varios præter naturam affectus introducens, eſt vtique ABVNDANTIA SANGVINIS. Cum enim hæc non ſolum *liberrimum* ſanguinis *progreſſum*, *ſpatii* proportionati intuitu, varie alterare poſſit; ſed etiam ipſi *energiæ motus* certiſſime plus negotii faceſſat, cum *pondere* ipſo, tum *mole* etiam, ad *capacitatem ſpatii* comparata: dilucеſcit inde affatim, quod variis incommodis ita inducendis ſufficiat.

Abundantia ſanguinis varios morbos introducit.

§. II. Præſtat horum effectuum ſpecimen manifeſtiſſimum mox in eo, quod illis corporibus, quæ obſidet, proportionato *impedimento* ſit, ad *motus voluntarios* tam *promte* atque *facile*, *tantos*, *tam diu* exercendos, vti illis licet, qui hac *abundantia* non laborant. Ita enim non ſolum *minus* ad agendum *robur*, promtior *fatigatio*, *ſenſus* dolorum contuſoriorum ſub iterum aſſumta quiete, certo *plethoricis*, *citius* & *amplius* quam aliis, accidunt: ſed vrgent etiam illos *calor* inſolentior ſub motibus, aut quibuscunque concalefaciendi compotibus cauſſis; ex aduerſo vero ſub quiete vere ſegniore calor bona temperie *minor*, & ſenſibilitas ipſa maior ad externum *frigus*. Secundum res has autem tanto faciliores etiam vlterius progredientes turbationes, *infarctus*; & *oppletiones*, *ſtaſium* ipſarum pericula ab *oppletiua* ſtipatione; dolores a *diſtenſione*, quin tonici varii *motus*, *irritationibus* tenſiuis & oppletiuis ſuperuenientes, atque *reſiſtere* parati.

Effectus, quos hæc abundantia præſtet in iis corporibus, quæ obſidet.

§. III. Quale damnum ſimpliciſſimo ſuccedendi ordine *abundantia* hæc *quantitatis* etiam *qualitati* humorum incutere poſſit, mox peculiari commemoratione declarabo Hoc vero loco de ipſa hac *quantitatis* abundantia ſoluenda erit quæſtio, ſeu dubitatio aliquorum hominum, *an omnino plethora detur?* Cum tamen recorder,

An detur plethora?

quod de hac re iam in *phyſiologia* tractauerim, ſuffecerit breuiter ſolum, quantum ad ſummam eius atque apices attinet, neceſſaria ſcitu allegare. *Primo*, in corpore adhuc multum atque promte augendo, ſeu *extendendo*, plus debere adeſſe materiæ *extendentis*, quam ad præſentem ſolum *capacitatem* exquiſite ſufficiat, ſatis probabile eſt. Id quod etiam a poſteriori confirmat præſentia huiusmodi conſtitutionis, qualis vsquam *plethorica* iudicatur, in illa præcipue *periodo vitæ* humanæ ſecundum *ætates*, qua *extenſio* corpori *vegetior* adhuc familiaris accidit. *Deinde* facilem prouentum abundantioris ſanguinis probabiliſſimum reddit familiaris etiam *abundantior appetitus*, quam vere neceſſe ſit. Tanto magis autem, quod & colligi poſſit, & aſſeruari iuſto, imo bona tolerantia maior quantitas materiarum a *nutritionis abundantia* pendentium, documentum eſt ipſa PINGVEDO; quæ cum nullum vnum probabilem, nedum neceſſarium vſum habeat, nihilo minus adeo *abundanter*, imo ad veram directam *moleſtiam*, innumeris exemplis coaceruatur. Confirmatur hoc autem etiam ipſo experimento *a poſteriori*; dum vtique ita affecti partim ſpontaneas ſanguinis *depletiones* optime ferunt, iisque ad ſenſum ſubleuantur: partim *artificialibus* prudenter ordinatis & adminiſtratis, ſimiliter potius ad maiorem euphoriam quam vllam debilitatem deducuntur.

Probatur 1, ex augmento corporis

2, ex abundantiore appetitu

3. ex pinguedine

4. ex ſanguinis depletionibus tam naturalibus quam artificialibus.

§. IV. Quod autem *ordinem* attinet, quo ad morbos producendum facere poſſit, fit hoc vtique primo omnium per *motus vitia*; dum videlicet ſufficienter viuido atque vegeto *progreſſui* moram iniicit. Hac enim ratione tum ante dictas illas *incommodas* circa *motus* atque *ſenſus* alterationes producit; tum ipſius etiam *craſeos intemperiem* illam directe atque ſimpliciſſime poſt ſe trahit, quæ ſufficiat ad varias vlteriores ataxias, tam cira *partes* ipſas, quam circa *actiones* introducendas: de qua iam ſtatim ſermonem habere ordo poſtulat.

Quo ordine, ſeu qua ratione ad morbos anſam dare posſit.

MEM-

MEMBRVM II.
DE SPISSESCENTIA SANGVINIS.

§. I.

QVando duas illas principes ſanguinis humani conditiones conſideramus, vnam quam a MIXTIONE ſua habet, alteram quam a VITA ſeu *habitu vitali*; quarum *prior* ipſum *corruptioni* & *cito* concipiendæ & late *diffundendæ* aptiſſimum reddit; *poſterior* autem eundem quidem ab huius corruptionis *actu* vindicat, ſed non aliter, niſi ſimplici *alio actu*, perſiſtente interim perpetuo vtique *potentia* ipſa, ſeu *materiali diſpoſitione* ad corruptionem ſumme habili: non poteſt quin inde euidentiſſime, imo vero ſimpliciſſime diluceſcat, quod, ſimulatque *actus* ille *conſeruatiuus* deſinit, alter *actus corruptionis* in procinctu poſitus ſit.

Sanguinis conditiones ita comparatæ ſunt, vt ſimulatque conſeruatiuus actus deſinat, alter corruptionis inualeſcat.

§. II. Quemadmodum autem non ſolum e dicta *phyſiologia*, ſed etiam ex huc vsque traditis de directa ſumma *corruptibilitate corporis exquiſitiſſime & floridiſſime ſani* notum eſſe poteſt, quod ille *conſeruatorius actus* nunquam niſi ſola *morte*, ſiue in toto, ſiue in parte, deſinat: ita quantum ad *intermedios* gradus attinet, qui ad ipſum apicem *corruptionis* tamen plus minus recto tramite ducunt, ſciendum de his vtique eſt, quod cum totum negotium *actionis vitalis* proprie & directe ſit *præſeruatiuum*, neceſſe vtique eſſet, vt quicquid ad illam quantumcunque eminus ducit, illud non ſolum diiudicetur, & in hoc genere attendatur; ſed illi etiam conuenientibus methodis atque mediis ita occurratur, vt *mature*, quicquid eorum vsquam pullulat, *tempeſtiue* remoueatur, antequam in propioris, imo etiam vlterioris *gradus* effectum libere, & ſibi relicta corruptionis energia, deduci poſſit. Sicut autem ex vna radice aut ſtirpe multi ſurculi atque germina ſuccreſcunt, quæ omnia, illis acciſis tempeſtiue aut ſucciſis, ne vsquam fiant, nedum præualeant, impediuntur: ita in eo negotio, quod totum huiusmodi præoccupationibus dicatum eſt, & merito, a priori æſtimando, *decet* inſtitutum ita eſſe negotii huius ordinem; & a poſteriori, eundem omnino *eſſe* ita inſtitutum, res ipſa euidenter commonſtrat.

Quia vero totum negotium actionis vitalis præſeruatiuum eſt, requiritur, vt quidquid ad corruptionem ducere poteſt, mature & tempeſtiue remoueatur.

Hoc ſuum vſum habet in ea ſanguinis conſtitutone, quæ fundamentum ponit ad euentum huius corruptionis.

§. III. Habet hæc res ſummum vſum in ea ſanguinis conſtitutione, quæ & facile euenit, & maximum influxum habet, ad radicem veluti conſtituendam, vnde tandem ſummum faſtigium vere deleteriæ corruptionis euentum ſuum naniſci poſſit. Eſt autem talis conſtitutio ſanguinis *prima* & *ſimpliciſſima*, quæ illius *conſeruationi vitali directe* moram obiicere poſſit: & ita quidem *ſimpliciſſime* atque *potentiſſime*, vt ſi hæc vna conſtitutio, ſine vlla variatione *ſpeciei*, ſaltem *gradum* ſui ſupremum attingat, non ſolum etiam *ſupremum periculum* mortis eo ipſo inferat; ſed quando etiam hæc *ſola* conſtitutio in ſolidum, *ſincera*, inſignis ambitus portionem in corpore occupauit, *ineuitabile damnum vitæ* & mortis inſuperabilis ſucceſſus ſequatur: reddita nempe ita *materiali* corporis conſtitutione poteſtati illi, cui abſolute ſubiecta eſt; ſed ſolo perpetuo & indeſinente *actu oppoſito vitali* ab eo ita ad tempus diſtinetur.

Si ſanguini talis conſiſtentia euenit, qua ad actum conſeruatorium inidoneus redditur, eſt hæc vera cauſſa maximorum damnorum.

§. IV. Nempe, cum intima *materialis* conſtitutio corporis, & eminentisſimo loco *ſanguinis*, ad præcipitem *corruptionem*, *fermentando* latisſime inualeſcentem, tota diſpoſita, partim ab ipſo *actu* corruptionis, partim ab eius libero otioſo *incremento*, (vt maiore coacervatione etiam iuncta vi longe plus ſimul corrumpere, & ita breui tempore totum euertere poſſit,) vnice impediatur perpetua *dimotione*, *ſequeſtratione*, & *eiectione* corruptelarum, qualemcunque tandem cauſſalem reſpectum habentium: inſiſtit certe huic conſiderationi in ſolidum ſimplicisſimo nexu, illa conſequentia, quod, ſi ſanguini eiusmodi *conſiſtentia* eueniat, qua ille ad hunc *actum conſeruatorium* ſimplicem etiam ſimplicisſime *minus*, aut *minimum* idoneus reddatur, quod talis conſtitutio ſit *vera prima generalis cauſſa* huiusmodi ſuccedentium cuiuscunque gradus damnorum. Nempe vera prima *cauſſa* vere *pathologica*, quæ corporis, *quatenus viuum* eſt, *vitalis* inquam *œconomiæ* ſyſtema lædat, & *vna* atque *ſimpliciſſima*, tam minimam atque longisſime diſſitam, quam ſupremam & vltimam, & tanto magis etiam intermedias corporis *periclitationes*, œconomiæ vitalis *alterationes*, præſeruatoriorum actuum *neceſſarias* frequentiores *intenſiones*, imo, ſi ipſa maxime præualet, etiam ineuitabilem *ſubuerſionem* ſeu *mortem*, ſimplicisſimis agendi modis perpetrare poſſit: hæc inquam conſtitutio nihil aliud eſt, quam pariter vere *ſimpliciſſima* ſanguinis *minor minorque aptitudo ad liberum motum progreſſiuum*, inprimis *ſecretorium* & *excretorium*.

§. V.

§. V. Talis diſpoſitio alienior eſt iterum ſimpliciſſime iuſto maior SPISSITVDO; cuius proportio & ſatis *tempeſtiuum*, & ſatis *copioſum* ſanguinis *circuitum*, & *penitiorem* alienorum ab ipſo *ſeceſſum* varia proportione morari valeat. Iam cum ipſa ſanguinis *conſiſtentia* materialis ſit eius indolis, vt ſegni quiete SPISSESCERE, imo *longa mora* etiam gelatinæ inſtar CONCRESCERE poſſit. Et quidem, quod bene notandum, ſanguis in reliqua ſui temperie etiam quam *optimus* & optime *floridus*. (Vnde a *gelatinoſa* ſimplici, æquabili & vniformi coagulatione longe abeſt, non niſi per ſummam imperitiam cum illa confundenda, inæqualis, & heterogenea *grumorum* e reliquo humoris latifundio ſecretio, maxime particularis, ratione omnium cauſſarum, euentus.)

Talis conſtitutio eſt iuſto maior ſpiſſitudo.

§. VI. Interim hæc ipſa etiam ad *gelatinoſam* concretionem *diſpoſitio*, imo *propenſio* ſanguinis prohibetur perpetuo ab eius effectu per indeſinentem ſanguinis *motum localem*, ſimpliciter *transpreſſorium*, adeoque *conquaſſatorium*. Vnde huius etiam ita ineptitudinis ad decentem motum, dico *ſpiſſitudinis* maioris, origo poteſt prouenire a ſimplici æque *motus* ipſius *ſegnitie*: ſicuti certe ita ſemel impeditior *ſucceſſus* motus per leuiorem actu contractam *ſpiſſitudinem* in culpa magis magisque eſt, vt illa ipſa etiam augeatur; id eſt, imminuto quantumcunque *motu* ſanguinis libero, hoc ipſo ille etiam magis magisque ad motum ineptior euadat.

Quæ a motus ſegnitie prouenire poteſt.

§. VII. Hæc ſanguinis affectio, ſi vere in ordine ad *vitalitatem* primus atque ſimpliciſſimus eius fiendi ſeu oriendi modus perpendatur, (ſine *extranea* aliqua materiali aut ſimpliciter corporali alterante re intercedente,) eſt ipſa nuda *proportio quantitatis*, quantumcunque *optimi* de reliquo ſanguinis, ad *liberum neceſſarium ſui motum*, tam *conſiſtentiæ* mobilis *conſeruatiuum*, quam *craſeos* corruptibilis *præſeruatiuum*. Sicut enim iam proxime præcedente membro in mentem reuocauimus *habitum* illum, quem QVANTITAS ſanguinis ad QVALITATEM hanc *primam in ordine ad bonum vitalem motum*, inferat; ita ſane hoc ipſo loco illud tanto magis iterum commemorare conuenit: quod, inquam, nuda atque ſimplex *inſignis abundantia* ſanguinis ſenſim maiori *ſpiſſitudini* atque *inertiæ conſiſtentiæ* ſanguinis locum præbeat; quæ *reciproco* effectu etiam ipſam *motus energiam* iugiter remorando, tanto maiori incremento huius eiusdem ſui vitii ſubſeruiat.

Nuda atque ſimplex quantitas ſanguinis excedens ſenſim maiori ſpiſſitudini locum præbet, quæ deinde motus energiam remoratur.

§. VIII. Hæc talis maxime inertia ſanguinis ad expeditum ſui *motum* eſt illud, quod magno numero variorum aliorum affectuum

Hæc inertia ſanguinis ad expeditum ſui

motum eſt tam materialis ſubſtantia variorum affe-ctuum, quam cauſſa impulſiua, propter quam varii motus vitales ſuſcipiantur. Hi motus vltra gradum naturalem aucti partim incommoda coniuncta habent;

um latiſſime certe patentem partim (ſubiectum, ſeu) phyſicam materialem *ſubſtantiam* atque *ſubſiſtentiam* præbet; partim (obiectum, ſeu) *cauſſam impulſiuam* exhibet, PROPTER quam varii *motus vitales*, eo maxime intuitu, vt vlteriores noxæ inde exſpectandæ intercipiantur & vere præfocentur; ſuſcipiantur: imo vel ipſa hæc duplex cauſſa, *quantitas* excedens & *qualitas* minus obſequens, ipſis eiusmodi *motuum* vitalium proportionatis *augmentis* in ordinem redigantur.

§. IX. Vbi interim duplici intuitu ipſa illa etiam *ſubſidiaria* talium motuum *intenſio præter ordinem naturalem* duobus modis atque reſpectibus partim *incommoda* coniuncta habet, partim *pericula* non eo ipſo aufert atque tollit. *Incommoda* ſunt maxime, *phyſica* conſectaria *motus aucti*, neceſſitate *conſequentiæ* ſolum ipſum ſtipantia, quamuis directe ad ipſum *finem*, ad quem proprie tendit *motus* ille, non conferant, aut quicquam *vſus* habere, directi ad minimum, videantur. Huiusmodi ſunt *coloris* mutatio, *caloris* quoque; tum *ſenſus* varii, vel priſtinarum rerum *acutiores*, vt pulſus tanquam *punctionis*; tum præſentium vere *auctarum* & *inſolitarum*, vt *tenſionum*, *vibrationum*, *palpitationum*, imo quaſi *rupturæ* impendentis &c. ſicut etiam re vera ipſius *caloris* vere naturali gradu auctioris *ſenſus* tamen patientibus ipſis, non ſolum per *impatientiam* & anxietatem, ſed re vera etiam per ſenſuum *intenſionem*, *maior* occurrit, quam reuera exſiſtit.

Partim pericula non auferunt.

§. X. *Periclitatio* illa ſimiliter duplex exſiſtit; altera ex *indiuiduali* habitu indolis patientium pendens, ſecundum quam vtilis ille motus, equidem propter ſalutarem *finem* vrgentibus rebus *augendus*, ſed etiam cum proportione conueniente *regendus*, peruerſo more atque adminiſtrandi ratione corrumpitur: dum partim *ad agendum*, partim *in agendo*, *trepide*, *timide*, *anxie*, *turbulenter*, *præpoſtero impetu*, aut *tergiuerſatione* perperam geritur negotium. Deinde & ſecundo, quicquid etiam *recte* agatur motibus, manet tamen certiſſime, inprimis per ipſa initia, *futuri exitus* aliqua *incertitudo*, adeoque non iniuſta aliqua *vigil & meticuloſa ſollicitudo;* tum omnino etiam ad laborem, ita *extra ordinem* obiectum, non plane iniuſtum *faſtidium*, *inquietudo* & quantacunque *impatientia*: & hæc omnia tanto certiora atque maiora, quanto *maior* eſt ille obiectus *labor*, *opportunitas breuior*, *periculum præſentius*, & adeo *incertior* etiam *exitus*. De qua re iam ſtatim.

MEM-

MEMBRVM III.
DE
NECESSARIORVM MOTVVM EXTRAORDINARIORVM VARIO HABITV.

§. I.

PRoduxi iam *duas* illas *ſupremas* cauſſas *corporeas*, quæ magno numero affectuum in corpore humano partim *materiam*, partim *anſam*, & ſano ſenſu *inſtinctum*, præbent. Ordine tamen ita propemodum diuerſo, vt vel maxime PLETHORA, *mediato* ſucceſſu per SPISSITVDINEM demum, ad eximie morbidum ACTVM perueniat: *per ſe* autem ſimpliciter *poſſit* quidem etiam, *ſoleat* autem ſolum rarius, *incommoda* atque *incitamenta* cauſſari. Dum e contra SPISSESCENTIA humorum etiam in *ſeroſos* humores, quaſi ſeorſim, aut ſane ita *eminentius*, ſeſe porrigens, etiam *peculiares* morbos, inprimis autem *particulares*, ſine vera *abundantia* gignit & ſuſtentat.

Plethora per ſe rarius incommoda adfert, ſpiſſeſcentia vero etiam ſine abundantia peculiares morbos gignit.

§. II. MOTVVM autem ratio, quatenus *præter ordinem naturalem* in corpore conſpicui facti vel *incommoda* vel *pericula* formant atque fouent, perpendenda omnino venit *duplici* hoc intuitu; nempe *primo*, vnde pendeant, an *ſimpliciter præternaturales*, *peruerſi*, ab ipſo *morbo* ita corrupti exſiſtant, & *phyſico* quodam ſucceſſu *morbum ſequantur*, atque *materialibus nexibus* aliter ſe habere non poſſint; adeoque vero vſitato ſenſu *ſymptomata*, nempe *partium læſarum* etiam *læſæ actiones* exſiſtant: an vero contra, ſaltem ordine *morali*, *finali*, non A corpore, aut ſimpliciter PER corpus, ſed PROPTER *vſus* imo *neceſſitates* corporis, *vt viui*, vt *conſeruandi*, tales contingant; dico *oppoſita* ratione ad *materialem* conſtitutionem corporis, & præſentis *morbidæ* diſpoſitionis *materialis* inſtituendi ſolum atque perficiendi veniant, eo, vt illi *materiali* conſtitutioni morbidæ *contrarientur*, eamque *ſubigant* aut *exigant*.

Motuum extraordinariorum ratio duplici intuitu perpenditur 1. an morbis ſymptomatice iungantur 2. an vero contra morbidam diſpoſitionem materialem actiue inſtituantur.

§. III. *Priorum* certe, vere ita *ſymptomatice* morbis iunctorum *motus vitiorum*, non ita multa ſunt numero; & conſiſtunt inſuper omnia vel in *priuatæ* mobilitatis partis affectæ *imminutione*, (ad quam etiam *continentiæ* proportionatum moderamen pertinet); vel in *directionis voluntariæ* per *organiſmum deprauatum* impeditione. Contraria vero re vera, vt alias etiam *contrariorum*, eſt ratio *motuum* illorum, qui

Prioris generis motuum pauci ſunt: alterius generis autem plurimi & longe alius rationis.

qui dicto reſpectu potius *contra* materialem diſpoſitionem morbidam *actiue* atque *efficaciter* inſtruuntur; ſiquidem hi & ordinarie *materialem* læſionem nulla *phyſica* neceſſitate ſequuntur, & a *parte* velut immediate *affecta* alieniores paſſim ſunt, & latius longe patentes, non ſolum ratione *ambitus*, ſed etiam totius paſſim *ſitus*; adeo, vt etiam aliquibus exemplis vel in loco parti *materialiter affectæ oppoſito* hi *motus* celebrentur.

Diſtinctio inter motus a præternaturali cauſſa & propter præternaturalem cauſſam fientes.

§. IV. Quod iam ſupra, vbi de *vera differentia ſymptomatum* verbum dixi, admonui, hic neceſſe habeo repetere; illud nempe, quod ſedula *diſtinctio* inſtituenda ſit inter hos vtrosque tam *diuerſiſſimæ originis & indolis motus*, A præternaturali cauſſa, & PROPTER præternaturalem cauſſam fientes: quorum illi *paſſiui* ſimpliciter, ſublata cauſſa ſimul *tollendi*; PER hos autem ex aduerſo ipſa *cauſſa tollenda*, adeoque illi ad huiusmodi effectum obtinendum recte ſolum inſtruendi veniunt.

Hi poſtremi ſunt motus vitales.

§. V. Hi, de quibus hoc poſtremo loco atque ſenſu ſermo eſt, ſunt ipſi VITALES MOTVS, *ſpecie* quamplurimum ordinarii, certe vero *genere* vniuerſim ordinarii: interim ſecundum præſentis alicuius *materialis* conſtitutionis *proportionem gradu & ordine*, *ſucceſſu* atque *methodo* ita variantes, vti *proportioni finali*, ad præſentis conſtitutionis materialis comparationem, competit. Dico *finalem proportionem*, videlicet vt quadret intentioni *depellendi & expellendi* res *materiales* noxias per MOTVS *ſecretorios & excretorios*, ad materiæ ſubſtratæ indolem accommodandos.

Qui vnicum naturæ remedium & inſtrumentum ſunt, ad liberandum ſuum corpus a cauſſis morbiferis.

§. VI. Hi tales *motus* ita inſtituti atque *gubernati* ſunt vnicum remedium & *inſtrumentum* DOMESTICVM naturæ, quo illa, *externis materialibus* præſidiis non ſolum deſtituta, ſed illis etiam minime adſueta, abſolute & vnice opus habet ad *liberandum* corpus ſuum a *cauſſis* morbiferis, etiam præter naturam: nempe *gradu* aut *ſpecie* ſtatui ſecundum naturam *inuſitatis*; minime vero toto genere ſtatui ſano incognitis. Vnde, ſicut in quam maxime *ſano* ſtatu cauſſis *in genere* ſimilibus etiam *motibus in genere* paribus perpetuo ſuccurrit & occurrit; ita etiam in cauſſis *ſpecie & gradu* auctioribus auctis *gradu*, & gubernatis decente *ordine* paribus motuum *actibus* conſulit ſibi, atque corpori ſuo ſubuenit. Et hoc quidem *felici* cum ſucceſſu & exitu, quoties *actiuitas cauſſæ* in *quantitate & qualitate* non eſt penitus enormis; nec ipſi etiam intentioni æque atque *ordinis* ſeruandi conſtantiæ peculiaria impedimenta atque perturbationes obiiciuntur.

§. VII.

§. VII. De qua quidem re præſente loco aliquid dicere ipſa neceſſitas poſtulat. Nempe, diſtinguenda maximopere vtique venit ipſa *intentio ad agendum* & conſtans *ordo* ſeu *methodus in agendo*, *turbata* magis directe *a priori*, aut certe a quibuscunque forſan etiam *materialibus* cauſſis; interim ab illa cauſſa, quæ præſentem aliquem affectum proprie conſtituit, *diuerſis*, *per accidens* coniunctis, aut *ſuperuenientibus*: ab eadem ſibi magis *conſtante*, & a *perturbationibus accidentalibus* libera intentione.) Quantumlibet, vt etiam præcedente membro iam monitum eſt, etiam quantumcunque ita ſibi relicta hæc *actiuitas*, tamen, vt in re *extraordinaria*, non ſolum in genere vtique ipſa etiam *intentione* ad minimum *ſollicite* imo *anxie* facile ſeſe gerere poteſt: ſed hoc ipſum etiam tanto certius æque atque iuſtius, quando in eadem *ſpecie* morbi, tamen per indiuidua *gradus* fortior ſiue *quantitate* ſiue *qualitate* materiali negotium totum laborioſius reddit.

Diſtinctio maxime neceſſaria inter motus conſtantes & ordinatos, & inter perturbatos, accidentales & iis ſuperuenientes.

§. VIII. Vſitatiſſima vero etiam huius generis perturbatio *a priori* ducit ortum ſuum ab ipſo habitu *indolis* humanæ per longum vſum *obfirmato*; ſiue ab ipſo *temperamento*, eiusque ad mechanicas proportiones actiuitate; aut a rebus diutiſſime tranquillis, *inſolita* adeo neceſſitate non ſolum aliquid *peculiariter*, ſed penitus etiam *laborioſe extra* tam diuturnum planum & tranquillum *ordinem agendi*, imo *diuturniore*, *ordinata* & peculiari *proportione* inſtruenda *methodo proſequendi*.

Perturbatio illa etiam a temperamento ortum ducit.

§. IX. Vbi omnino vtique faciliorem & iuſtiorem etiam prouentum huiusmodi *ſollicitæ*, & inde facile turbulentæ *titubationis* ipſius *intentionis* atque *directionis* auget omnino etiam vere *incertus* ſucceſſus atque exitus totius negotii (præſertim propter metum *interuenientium* externarum vlteriorum diſtractionum,) quicquid etiam *prouide* atque *ordinate*, & *vigilanter* ac *aſſidue* agat ipſa natura. Cum enim natura nusquam *materiam* ipſam eiusque *efficaciam* in ſua poteſtate habeat, ſed ſolum *dimotionem* & *emotionem* illius; hæc ipſa autem vtraque alligata vtique ſit temporariis *ſucceſſibus*, quales *vehementia cauſſæ* non ita raro minus tolerare apparet: manet inde profecto vera atque realis *incertitudo*, atque inde non iniuſta etiam *ſollicita dubitatio*, quousque in aliqua certa præſente laborioſa conſtitutione labor qualiscunque adhibitus ſperato adhuc *euentu* potiri poſſit. Cum omnino vtique, quantumcunque etiam quis *agat*, ſeu verius agere *poſſit*, maneat tamen perpetuo difficultas, an etiam *exquiſite tantum* atque *tale* poſſit, quantum præſens forte aliqua certa conſtitutio omni modo exigit.

Incertus ſucceſſus & exitus totius negotii hanc titubationem auget: præſertim cum natura materiam ipſam non habeat in ſua poteſtate, ſed tantum eius dimotionem & emotionem.

Et hoc, quod merito hic iterum repeto, in hac œconomia, vbi *materia* ipſa *directe* vix vnquam in ſolidum *corrigi* poteſt; imo nequidem maleficæ eius *energiæ* quidquam effatu dignum detrahi: ſed nudis *motibus* ſimplici eius *diſturbatione*, (ne mora otioſe conceſſa tempus ad *effectus* ſuos mancifcatur) & tandem ex vniuerſo corpore excuſſione ſubueniri poſſit.

Hinc facile deprehendi poteſt, quare motus vitales non ſemper exquiſitum ordinem ſeruent, & felicem effectum aſſequantur.

§. X. Quibus certe reſpectibus prudenter conſideratis non difficile erit, nec vlla certe nuda *ſpeculatione* fingendum, ſed quotidiana vera practica obſeruatione deprehendendum, quare *minus ordinate* progredientes hi *ſpontanei vitales* motus, cæterum pro vindicando corpore a præſente tum temporis conſtitutione morbida idonei, non ſemper exquiſitum *ordinem*, quin totum felicem *actum* & *effectum* ſeruent aut aſſequantur; ſed potius paſſim ita deficiant, vt optatus *ſalutaris* effectus non obtineatur: quatenus videlicet per indiuidua, non ſolum in genere *humano*, ſed quam maxime vnice in illo, tam in *ſpecie* tota, quam etiam per *indiuidua*, & pleraque quidem omnino plurima, vſitatiſſimus ſit ille *per trepidationem aberrandi* euentus. Quam rem tota vita humana per actus omnes *morales*, vti fere fiunt, aliter quam proprie *debebant* fieri, nimio plus confirmat.

Hic per trepidationem aberrandi euentus plerumque ab ipſo morbo deriuatur, qui tamen a turbulenta idea intentionis & inconueniente cauſſæ æſtimatione pendet.

§. XI. Interim non aliunde, niſi re vera ab hac ipſa *humanæ rationis errandi* veluti licentia, ortum etiam ducit *aberratio* illa, quando ab huiusmodi, licet multis omnino tamen *indiuidualibus* ſolum, *erroris* exemplis argumentum ducitur ad ipſam *vniuerſæ* rei indolem. Quaſi nempe *vniuerſum*, quicquid hic ita fit, non aliquo *errore* ſed *ſimpliciter & directe ab ipſo morbo* pendeat, ne dum huiusmodi magis ſiniſtri ſucceſſus & euentus; qui tamen & ipſi ſæpiſſime plane a nulla *morbida materia* pendent, ſed ſimpliciter a dicta illa *turbulenta idea* intentionis *a priori*: & quidem a *cauſſa* vel penitus *aliena* ſubminiſtrata præcipua *occaſione*; vel ad minimum a præſentis cauſſæ, quantumlibet noxiæ, inconueniente *æſtimatione*.

Occaſiones quæ errores horum motuum concitant.

§. XII. Vbi tamen, tanquam ſupremo loco, nequaquam negligi poſſunt eiusmodi talium *errorum* circa hos motus *occaſiones*, quando progreſſus magis magisque fit ab vno genere INCOMMODI ad aliorum concitationem. Dum videlicet a morali *ſenſibilitate*, *faſtidio* & *impatientia* alicuius præſentis *moleſtiæ*, quantumlibet *vtilem actum comitantis*, iam nimia *mollities* ſenſibilitatis, iam *impatientia*, iam plane *iracundia*, iam *trepidatio anxia*, & vel *opinio*, vel verior

metus

metus impendentis periculi, & quæ has res adhuc vlterius excipiunt, turbas pariunt. Hæc omnia inquam præbent vtique materiam, circa quam quilibet, qui harum rerum *nexum mutuum* euolutum dare cordi habet, & *ſcientiam*, & *peritiam*, & *attentionem*, & *prudentiam* exercere poſſit: niſi quidem *ὕστερον πρώτερον* paſſim committere, & antiquam crambem recoquere malit, eiusque rei in ſcientia notam, in praxi vero pœnitentiam exſpectare.

§. XIII. Ceterum vtique huiusmodi etiam *vtiles*, ſi modo recte ſuccedant, *motus*, propter *incommoda* coniuncta & *laborioſam incertitudinem* euentus, fiunt adhuc pariter *cauſſæ* tum variorum apparentium præternaturalium, nempe *inſolitorum* & *incommodorum*, phænomenωn; tum re vera variis *æſtimationum* diuerſarum occaſionibus etiam vlteriorum vere *erroneorum motuum*: quibus ita nihil boni obtineatur, ſed potius intentio *generatim* omni modo *bona*, *ſpeciatim* male *adminiſtrata*, ita *male* etiam *exeat*, vt licet forte *totum damnum* immediate non ſemper inferat, tamen ſæpe, recte æſtimando, hoc omnino *per indirectum* faciat; ſemper autem, quoties ita fit, damno directo minime ſatisfaciendo, ita liberum eius noxium effectum tandem admittat.

Sic bona intentio per vtiles motus inſtituta, male vero adminiſtrata, etiam male exit.

ARTICVLVS I.
DE
CONSVETVDINE AEGROTANDI.

§. I.

OMnibus hominibus nota eſt ADSVETVDO illa, quæ hominibus ſæpe numero obtingit, vt tum vnum eundemque affectum per *nouos inſultus ſæpius*, & iterum iterumque incurrant; tum ex vna ægritudine in aliam ita procliues fiant, vt quamlibet non *vnum eundemque* ſimpliciter affectum, tamen *συζύγους* experiantur: imo denique ad omnia veluti obuia cito & valde *ſenſiles*, *incommode* hinc imo *ægre* habeant. Ex aduerſo autem non ignota eſt etiam INSVETVDO, vt videlicet homo per plures annos velut ad amuſſim integra atque *florida ſanitate* fruens, ad occurrentes poſtea quascunque morbidas *ἀταξίας* ita penitus *imparatum* ſeſe gerat, vt inprimis *animo impatiens* etiam corporeorum *motuum atque directionum ſalutarium* velut *immemor* atque *impos* appareat. Vnde vulgi in hanc rem dicte-

Adſuetudo & inſuetudo ægrotandi cum diuerſis ſuis effectibus.

 rium:

rium: Die geſundeſten Leute greiffen die Kranckheiten am ſchärffſten an, ja ſterben am eheſten an erheblichen zufällen. Cum ex aduerſo ſatis notum ſit, *valetudinarios*, *orthoſtadia* tamen etiam notabili intercurrente prædıtos, vtut ſæpe peſſime habere videantur, tamen paſſim iterum effugere, & *plures* ad minimum ſatis rudes *inſultus* morborum ita ſuperare, vt re vera, ſi non ad abſolutam *ſanitatem* redeant, tamen coërcita vi præcipua morbi *vitam* ad minimum conſeruent, atque illa vice ſuperiores euadant. Dum e contra alii, qui *illıbata ſanitate* frui viſi fuerant, his iisdem affectibus, & vel *vno* eiusmodi vehemente *inſultu*, non ſolum nimio grauius *afficiantur*, imo potius *conficiantur*; ſed etiam longe citius atque certius iisdem penitus *abſumantur* ac *intereant*.

Vulgo cauſſa harum rerum in debilitatione corporis quæritur. Sed hæc adſertio refellitur, primo per contrarium.

§. II. Cauſſa harum rerum quæritur quidem vulgo in decantata illa *debilitatione corporis*; quæ ita magis magisque inualeſcens, tandem autem penitus *fatiſcens*, culpam hanc habeat, vt *vſus vitales* tandem plane deſtituat. Laborat autem hæc opinio plus vna difficultate, & omnino non exigua. *Primo* enim ipſi facto non quadrat; dum multi homines, per dicta, etiam *numeroſis* atque *fortibus inſultibus* tamen non abſumuntur, a qualibus alii, etiam cito, vno aut altero impetu tolluntur. Vnde plane *contraria* inde reſultaret conſideratio, quomodo illa allegata talis *debilitatio* plus veluti *obduret*; cum ex aduerſo *pauciores* inſultus familiarius *interimant*, quo magis rebus mediis *tranquillis* incidunt. Siquidem plane contrarium euenire deberet, vt potius *pluribus*, & quod perpetuo notandum venit, etiam *fortioribus* inſultibus *debilitatio* illa partim vt cauſſa, partim vt effectus conſiderata, (*vtique per vim huius ipſius argumenti*) tanto plus valere deberet ad huiusmodi vltimum effectum, nempe *deſtructionem mortiferam*, introducendum.

Secundo deficit in eo, quod non poſſit indicari, in quanam parte corporis hæc debilitatio aut læſio hæreat.

§. III. *Deinde* deficit hæc adſertio etiam in eo, quod minime veriſimile reddere valeat, & cum circumſtantiis conciliare, in quanam conditione *partis*, aut *corporalis actionis*, *debilitatio* illa hærere debeat? Quandoquidem in præcipuis *conſuetudinibus* morbidis nulla ſatis veriſimilis reddi poteſt læſio ipſarum *partium*; *proportionata* præſertim non ſolum ad res illas, quæ fiunt, & vnde paſſim magis magisque fiunt, ſed & inprimis ad illas res, quæ *non fiunt*, nempe præcipue ad hanc, de qua loquimur, conditionem, vt etiam *diutius durans* & *ſæpius recurrens* eiusmodi conſtitutio minus *periculoſi* proximi ſeu directi euentus exſiſtat, quam ea, quæ etiam paucioribus vicibus euenit.

Ex-

Exemplum habemus inter alia huiusmodi ſatis conſpicuum, & vulgo, niſi quidem magis, certe nihilo minus quam Medicis notum, in *poda-gra*; quæ *iunioribus* atque *floridioribus* familiariſſime ita *funeſta* eſt, vt niſi quidem mox prioribus paroxysmis ægros iuguler, tamen raro quisquam talium ad *inſigne ſenium* perueniat: cum ex aduerſo quos *ſeniores* occupare incipit, ii valde familiariter (modo ab *artificialibus perturbationibus* abſtineant) certius per annos bene multos ſuperſtites maneant.

§. IV. Conſiſtit autem verior huius rei ratio maxime in optime diſtinguenda *motuum actiuorum*, *præter ordinem*, & *paſſiuorum*, *præter rem* & *vſum* œconomiæ vitalis, vera diuerſitate. Cum enim omnis *conſuetudo* nullius alterius ſit rei, quam *actionum* vel *ſuſcipiendarum*, vel *omittendarum*; ab ipſo inquam *exercitio* ſenſim adſcita maior *promtitudo ad agendum*, minor autem *trepidatio*, & *in agendo* minus promta *titubatio*: fit inde, vt dum *adſueſcentes* eiusmodi affectus magnam partem in *actiuis* huiusmodi motibus conſiſtunt, hi ipſo *exercitio* frequentiore ita in *habitum* & *promtius* & *rectius agendi* deducti, in poſterum minore periculo polleant, vel ſimpliciter *aberrando* aliquid noxium inferendi; vel materiam circa quam verſantur, minus recte & decenter aggrediendo, nocendi *liberam potentiam* eidem concedendi. Dum ex aduerſo ſub primis adhuc minus & *tranquillis* & *ordinatis* tentaminibus facilius vel *nimium*, vel *aliud* agendo offenditur; quod inprimis vel nimis *trepida*, vel nimium *impatiente actiuitate* committi ſolet.

Verior ratio conſuetudinis ægrotandi conſiſtit in diuerſitate motuum actiuorum & paſſiuorum.

§. V. Poſſunt hanc rem tanto magis illuſtrare, inanitatem autem vulgo allegatæ *debilitatis corporeæ* confirmare, *duæ* illæ circumſtantiæ, circa hoc negotium etiam in vulgus notæ; nempe (1) ſummæ paſſim *imparitatis materialium* proportionum ad reuocandos eiusmodi adſuefactorum actuum *inſultus*; (2) ingens atque præſentiſſima plane in hoc genere efficacia ſimpliciſſimorum *animi pathematum*. Vbi iuxta primam harum circumſtantiarum vel leuiter animum aduertentibus non poteſt non diluceſcre, quod, quanto magis huiusmodi res *adſueſiant*, & *promtius* etiam, ob cauſſas minime *phyſice proportionatas*, denuo ſuſcipiantur, & quantumcunque etiam fortibus aut pertinacibus inſultibus continuentur.

Quod contra allegatam debilitatem corpoream duabus circumſtantiis illuſtratur.

§. VI.

Vſus huius rei in praxi clinica, ad inueniendam veram methodum, qua indoli horum affectuum ſubueniri poſſit.

§. VI. Quanta ſit huius circumſtantiæ vtilitas in *praxi clinica*, ſola certe experientia docere poteſt; nempe exemplorum multam & frequentem ſegetem offerens. Ratio autem ipſa vtique inſtruere ipſam quoque mentem valet, quam vtilis non ſolum, ſed omnino vere neceſſaria ſit vera huius rei cognitio, ad *methodum veram* inueniendam, qua huiusmodi affectuum indoli recte ſubuenire conueniat. Et hoc inprimis in illa conſtitutione, vbi *promtitudo commotionum phyſicam proportionem* materiarum plurimum iam ſuperat. Vbi nempe peculiaribus *materiæ correctionibus*, vel etiam eiusdem *euacuationibus*, ſimilem curam deſtinare aut impendere, qualis per initia, *vera phyſica proportione* peccanti, debetur, non ſolum in genere *irritum* fuerit cœptum; ſed etiam in ſpecie *periculoſum*, ſi illa ſiue *alterandi* ſiue *euacuandi* intentio perperam dirigatur ad *quantitatem* materiæ, ex erronea opinione, ſecundum *quantitatem* præſentis *effectus* etiam *multæ* aut *violentæ* reputandæ; quæ tamen minime talis præſto ſit.

Habet hic etiam vſum diſtinctio inter commotiones morbidas & morbo oppoſitas.

§. VII. Habet autem, vti quidem modo innuimus, hic iterum ſummum vtique vſum diſcretio illa inter *commotiones* ſimpliciter *morbidas*, ſeu *a morbo* productas, & *oppoſitas* morbo, PROPTER eundem, & quidem vt ſubigendum atque ſuperandum ſuſceptas. Quæ interim diſcretio exigit vtique exquiſitiſſimam ſeparationem verarum cauſſarum *morbiſerarum*, & non tam *effectus* illarum *actualis*, quam *efficaciæ* ſolum *proximæ*, imo iam dum alicubi operari *incipientis*. Qua de re non iuſtiſſimum ſolum foret, aliis loquendi formulis varios affectus nominare, qui vſitatis vulgo appellationibus magis ab illa vtiliore energia *ſalutaris actiuitatis* denominantur; ita tamen, vt omnino illo ipſo maxime nomine & appellatione, tanquam *ipſe morbus*, notentur: ſed eſſet omnino paſſim etiam neceſſarium, ad minimum mox iuſto ordine indicare, vbi magis *externi ſigni* locum tueantur conſpicuæ illæ *ſubſidiariæ commotiones*, & non tam illis ipſis, vt *primario pathemati*, *reſiſtere* conueniat; ſed potius *ſubuenire* & ſuppetitas ferre, vt felicius *ſuccedendo*, *veræ cauſſæ* & *efficaciæ morbidæ* conuenientiſſimo & efficaciſſimo modo conſulatur.

MEM-

MEMBRVM IV.
DE
TEMPERAMENTI HABITV AD MORBOS.

§. I.

TEMPERAMENTVM ſicuti, ſana acceptione de œconomia corporis humani, denotat peculiarem *habitum* partium *fluidarum erga ſolidas* in ordine ad *ſitum*, *motum*, *tranſitum* & *circuitum*, quin tandem aliquarum etiam rerum e fluidis *exitum;* a qua *proportione mobilitatis* exoritur proportionata IDEA tam *intentionis*, quam *intenſionis actiuitatis motoriæ*, nempe e vera *mechanica* diſpoſitione materiæ *mouendæ*, & receptiuitate *viarum;* a qua *mechanica* rerum harum non ſolum, ſed etiam eo magis ipſius vtique *actus* habitudine ſubnaſcitur etiam ſenſim *adſuetudo*, IDEAM illam conſtantem, & in quolibet corpore etiam ita *vniuerſalem*, (ſecundum quam ſine vlla interruptione aut quiete *actus vniuerſalis motus humorum* ita inceſſabili continuatione exercetur) etiam *ad omnes* ſuas *actiones morales* transferendi, adeoque *cum & ſine voluntaria intentione*, vniformi tali *proportione*, *motorias* ſuas *actiones regendi*: ita, cum totum negotium *vitale* tam in *conſeruando* corpore, quam in *vindicando* eodem *motibus humorum* per partes ſolidas abſoluatur, hi vero nitantur tam ipſa *mechanica proportione* partim ad humores ita mouendas; quam ipſa denique *proportione* æquali atque conſtante ipſius *motus*, re vera ita, & *indeſinenter* quidem, exercendi; non poteſt inde aliter fieri, quin hæc talis res eximium momentum afferat, tam ad *ortum*, quam *progreſſum* & *exitum* magis aut minus *ſalutarem* morborum.

Temperamentum corporis multum adfert ad ortum, progreſſum & exitum morborum.

§. II. Quomodo autem *temperamenta* generatim ſeſe gerant & habeant ad *ortum* & *ſucceſſum* morborum, augurari maxime licet ex illa eorum fundamentali ratione *diuerſitatis*, quæ *triplex* ipſis ineſt; nempe (I) *paritas* congrua *humorum* mouendorum & *viarum*, progreſſui recte reſpondentium; (II) humorum melior, *viarum* difficilior conſtitutio; (III) & *humorum* mobilitas minor, & *viarum* difficultas vna *concurrens*.

Triplex materialis diuerſitas temperamentorum ortum & ſucceſſum morborum etiam diuerſum exhibet.

Cui triplex diuerſa idea energiæ motricis accedit. Prima eſt libera & tranquilla poteſtas exercendi debitos motus; niſi impedimenta intercedant.

§. III. Cui *triplici* materiali diuerſitati ad latus ſtat triplex differentia etiam *virtualis*, nempe diuerſa *idea energiæ* motricis: dum (I) humorum & viarum *conſpiranti* facilitati equidem iungitur *libera* & *tranquilla* debitos motus exercendi *poteſtas*; ſed quæ ita in rebus vndiquaque expeditis tam firma atque rerum ſuarum *ſecura* ſenſim euadit, vt, quando poſthac aliunde aliquid interuenit, quod *liberum* hunc ſucceſſum inſigniter *implicet* & impediat, e ſumma *inſuetudine* aliquid *laborioſius* agendi, aut difficultatibus peculiares proportiones *inueniendi*, cooriuntur aliquando, præter certas *perturbationes anxias* atque ſollicitas, ſub *tergiuerſationibus* & *inopia conſilii* & inueniendi auxilii, ſub eiusmodi *mora* inſoleſcentis *materialis* corruptionis, maiora damna, imo tanta, quæ vel certo difficilius, vel tandem plane non amplius occupari poſſint, nedum præoccupari.

Sanguinei quomodo ſe gerant in morbis.

§. IV. Vnde nimirum eſt, quod SANGVINEI dicti non æque facile quidem ægrotent, ſi de reliquo mediocriter ſibi cauent ab accidentalibus perturbationibus, ſed diu integra ſanitate perfruantur. Quando vero ſemel obiectus eſt *labor*, tanto magis autem *agilis* admodum *efficaciæ*, & difficulter *ſolis vitalibus methodis* compeſcendæ, tunc impeditiſſima omnia ſtatim apparent, *virium* corporis *omiſſio* verius, quam amiſſio: conſpirante manifeſto *animi* etiam ſtatim concurrente *idea*, qua nihil niſi *mortem* ſibi præſagire audent. *Motus* omnes ſi non ſtatim minus ordinati, proni certe ad *perturbationes*; *trepidas* inprimis, atque inter *tergiuerſandum* & *impetus* faciendos reuera fluctuantes. Quando vero feliciter cedit totus labor, ibi promte etiam in integrum reuertuntur, & antiquam *tranquillitatem* promte rurſus amplectuntur: niſi quidem ille ita toleratus *inſultus* fuerit nimium *grauis*, *laborioſus* & exquiſite *anceps*; a tali enim periculo ſubducti manent poſtea communiter quam *diutiſſime*, imo facile *in perpetuum*, *meticuloſi*, & non magis circa *morales* res quam *corporales* quibuslibet quantumcunque etiam periculi minantibus occaſionibus cito & grauiter *diffidentes*; & hac ipſa ratione etiam in poſterum ad nouas ægritudines promtiores. Imo tales maxime conſtitutiones ſunt aptiſſimæ ad inſtruendas inpoſterum *ſollicitas* illas, imo *anxias*, *peruicaces* quoque ad *præcauendum* & *præoccupandum* inuentiones; quæ contra *grauiora* pericula, impendentia nuda *incommoda*, quantumcunque ipſa etiam grauia, facile in æquilibrium ponunt, & opinione iſta auertendi hæc non ſubeunt ſaltem, ſed vel inſtruunt etiam. (Vnde nempe eſt, quod

nulla

nulla *temperies arthritico-ſpaſticis* omnium generum moleſtiis aptior ſit, quam dicta *ſanguinea.*)

§. V. *Secunda* claſſis habitus a temperamento ſicut in rebus ordine & tranquille conſtitutis tamen *activitatem* auget, ita nempe, vt quantum viarum *capacitati* decedit, *impulſus vigore* compenſetur: ita in ordine ad morbos obiicit talis *habitus methodi motoriæ* occaſionem, *materiis* magis vrgentibus, & *maiore* & *præcipiti* magis impetu commotionum occurrendi, quam res exquiſite exigat. Sicut etiam circa *moralem* animi habitum talia ſubiecta, & tranquillioribus rebus vitalibus, per nudas *moraliter* æſtimatas occaſiones ad *impatientiam* promtiſſima ſunt, & ſemper noto ſuo *remedio viuidæ activitatis ad vincenda obſtacula* intenta atque parata: ita parit hæc talis *idea* etiam in rebus vere *impeditis* non ſolum eximias, ſed facile etiam atque *promte* conſurgentes *perturbationes*, *impetuoſiorum conatuum*, incertorum & anomalorum *ſucceſſuum & exituum* paſſim architectos.

Secunda idea energiæ motricis eſt maior impetus commotionum, quam res exigit: quæ cholericorum eſt.

§. VI. *Tertia* conſtitutio quamlibet ſolo *phyſico-mechanico* reſpectu morbidis effectibus maxime expoſita appareat, valet tamen hic etiam vera illa diuerſitas ſimpliciter *mechanicæ*, & contra *vitalis-organicæ* conſtitutionis, cuius nempe interuentu etiam hic, vt alias ſemper, *contrarium* alterius obtingit. Nempe, licet negari non poſſit, quod *phlegmatica* dicta conſtitutio præ reliquis propius ad morbida incommoda *diſpoſita* obſeruetur, eſt tamen indoles affectuum huic familiarium *ſegnior*, & ab *impetuoſo* ſucceſſu & exitu vtplurimum alienior; adeoque *operoſis* & errore quocunque facile periculoſis *perturbationibus* minus obnoxia. Vnde quidem tota hæc conſtitutio *præcipitibus* & *ancipitibus* affectuum generibus vere minus expoſita eſt.

Tertia idea in duobus temperamentis diuerſa & contraria. Phlegmaticum licet ad morbos diſpoſitum, tamen ab impetuoſo ſucceſſu & exitu alienum eſt.

§. VII. Quarto, *melancholica* vero dicta, nempe *temperata* adhuc conſtitutio, eſt verum proprium exemplar modo citatæ illius *contrarietatis*, *phyſico-mechanicæ* & *vitalis-organicæ* energiæ. Cum enim *minor mobilitas*, & quidem *ſanguinis* (mixtione etiam *boni*) & *anguſtia meatuum* hic concurrens, vere minari videatur promtas *ſtaſes*, hæ vero, & *ſanguinis* quidem, præcipites *corruptiones*: facit, tamen illa, mox a primis momentis tali corporeæ proportioni vti *neceſſaria*, ita etiam dicata, imo *indeſinenter* adhibita, adeoque in perfectum *habitum* perueniens ADMINISTRATIO *proportionis*, *moderatæ*, *aſſiduæ*, *æqualis*, *vigilis*, imo etiam vel in anteceſſum *ſollicite deſtinati* REGIMINIS *motuum*, & ſemper in futurum *proſpiciendi*, & quid accidere

In melancholicis contra ſumma eſt cura & proſpiciendi intentio, ne periculoſa diſpoſitio in actum deducatur.

cidere poſſit, *æſtimandi intentionis*, vt quantumcunque ita periculoſa *diſpoſitio in actum* tamen deduci non poſſit, niſi omnia grauiſſima, & in *materiis*, & in *ideis* ſeu *intentiqne*, ſimul concurrant. Vnde quidem ita dicta *melancholica* diſpoſitio & in *moralibus* rebus *circumſpectionis*, *penſitationis*, *aſſiduitatis*, *vigilantiæ*, & veritatis proſpiciendæ atque perſpiciendæ fundamentum conſtituit: & in *vitali* negotio, quamuis vere ad ſingula *ſenſibiliores* ſint ita conſtituti, tamen non ad *præcipites trepidationes* æque promti; ad *ſummam* vero totius vitæ *viuaciores* reliquis, & *longæuitati* aptiores obſeruantur.

Sanguinei ad quos morbos apti ſint ſecundum habitum ſui corporis.

§. VIII. Habitus autem corporeus temperamentorum aptos quidem reddit *ſanguineos* tam ad *inflammationes* faciliores, quam *acutas* etiam febres, inprimis tamen *inflammatorias*, intuitu *humorum*: ad *congeſtiones*, *oppletiones*, & inde *infarctus*, circa *caput* & *pectus*, ratione habitus *ſolidi* ad humores, ſecundum aditum & receptionem: ſecundum *tranſitum* & *progreſſum* autem, quem humoribus TONICO ſui MOTV præſtare debent, expoſitos illos reddit *tonicis ſpaſticis* variis MOLIMINIBVS, ad ſuperandam difficultatem progreſſuum. Vnde inprimis *ſanguinei*, aut *ſanguineo - cholerci*, ſunt *arthritico-rheumaticis*, *podagricis*, *nephritico - iſchiadicis* pathematibus expoſiti.

Cholerici quibus morbis expoſiti ſint.

§. IX. *Cholerici* dicti *acutis febribus*, & omnibus *febrilibus* commotionibus, *conuulſiuis* affectibus, & vti ſanguinei *anxiis* atque *trepidis deliriis*, ita hi *furioſis* atque *violentis*.

Phlegmatici quos morbos experiantur.

§. X. *Phlegmatici vlceroſis* affectibus & *catarrhalibus* reſtagnationibus atque infarctibus expoſiti, ab *acutis* affectibus alieniores, *tumores œdematoſos* promtius ſubeunt; affectus etiam *ſoporoſos* metuere debent, aut *impotentiam* ad minimum membrorum, alias *ſtupidam* ſolum magis, alias totam *flaccidam*, aliquando etiam infarctibus quaſi *rigidam* & *grauatam*. *Fluxus* etiam & *manationes* ſubeunt promtius, & varias *ſeroſas* excretiones. *Stupidi*, *obliuioſi*, *ſomnolenti*, *apoplecticis* & *ſuffocatiuis* euentibus & exitui familiarius ſubiacent: non æque *acutis* commotionibus. Ceterum *obeſitate nimia* familiarius incommode afficiuntur.

Melancholici quos morbos metuere debeant.

§. XI. *Melancholici* qui dicuntur, niſi quidem *opinione & metu* incertæ valetudinis ſibi moleſtias accerſant, & inprimis *ſalubria* molimina tonica aliquando emicantia, ſed forte *moleſtias* aliquas comites habentia, ſolita *diffidentia* ægrius, quam neceſſe ſit, ferant, nullis æque *ſonticis* adeo malis expoſiti viuunt. *Hypochondriacis* autem commotio-

tionibus, & *hæmorrhagicis* moliminibus præ aliis promtius ſubiacent: *ſpaſticis* vel *lenioribus*, ſed *pertinacioribus* pathematibus laborant; vel, ſi hæc ingraueſcant, etiam *typicis* atque *ſtatis epilepticis* paroxysmis. Deliriis *anxiis*, *meticuloſis*; & vti in corpore *ſtaſibus expoſiti* videntur, & *incarcerationibus* craſſi ſanguinis, inprimis *in occluſo*, in *interioribus* corporis locis, cum capitali vtique *periculo* ſanguinearum ſtaſium *inflammatorio-ſphaceloſo*: ita agitant etiam *mente* huiusmodi IDEAM *metus incarcerationis*, *tenebrarum*, *inſidiarum* capitalium plenam. *Valetudinarii* autem facilius fiunt, aut ſane *videntur*, quam alii: magis tamen e mentis *ſollicitudine*, & *trepidis* quibusdam *ſpaſticis* commotionibus, & inde *temporariis* corporis animique *anguſtiis*, quam a veris ſonticis *corporalibus* cauſſis.

§. XII. Hæ fere ſunt *diſpoſitiones* illæ, quæ a TEMPERAMENTO ita *in indiuidua* redundant, vt ſecundum illa alia præ aliis, in genere aut ſpecie diuerſis affectibus magis obnoxii viuant, quæque adeo res conſiderationem *pathologico-clinicam* omni modo meretur.

MEMBRVM V.
DE
TEMPORE MORBORVM.

§. I.

VAriam prorſus & certe multiplicem conſiderationem circa negotium ægrotationum habet TEMPVS; dum non ſolum *in ſpecie cooriendi*, *procedendi* & *deſinendi* menſuram in ſingulis morbis perpendere iuſtum & æquum videtur, ſed etiam re vera *in genere*, & ad ipſam *ſummam totius* negotii *vitæ*, *ambitus huius vniuerſus* contemplationem mereri vtique videri poſſit. Tempus tam in genere ad ambitum totius vitæ quam in ſpecie ad menſuram in ſingulis morbis contemplationem meretur.

§. II. Sane vero ſi tam pronum eſſet aſſequi, quam iuſtum & æquum apparet ſectari quæſtionem de TERMINO, ſeu *vniuerſo ambitu vitæ humanæ*, vix vlla conſideratio inter res phyſicas dignior eſſet diligente atque ſolerti penſitatione: ſed cum omnis in hoc genere ſpes decollet quidquam aſſequendi, quod vel vllum *conceptum phyſicum*, ne dum ſolidam aliquam *demonſtrationem* admittat; tempori iniuriam face- Conſideratio de termino ſeu ambitu vitæ humanæ digna quidem ſed incerta eſt.

facere hoc fuerit, inanibus figmentis, & in circulum recurrentibus aut nihil ſignificantibus ſuppoſitionibus & appellationbus magno conatu magnas nugas agere.

Vulgo vel detrimentum & eneruatio ſ. marcor ſtructuræ corporeæ, vel rigor & intractabilitas texturæ allegatur tanquam cauſſa termini vitæ. Suppoſita eneruatio per detrimentum a veritate facti aliena eſt.

§. III. Nec enim vel adoleſcentes, logicarum conſecutionum vim edocti, tempus prodigere in animum admittent in ſterilibus illis *ignorati elenchi* offenſionibus, vbi iam *detrimento* & ſucceſſiuæ *eneruationi* atque *marcori* corporeæ ſtructuræ cauſſa tandem fatiſcentis *vſus* earundem tribuitur: iam plane contra *rigori* earundem nimio hoc imputatur; dum *annoſorum* animalium carnes, imo tota textura, *tenacior* omnibus modis atque phænomenis obſeruatur.

§. IV. Præterquam enim quod *res ipſa* per experientiam manifeſtam hic *ſubſumtioni* harum opinionum directe contrariatur; aliena etiam abſolute eſt tota hæc obſeruatio & allegatio a ſimplicitate *quæſtionis*, quæ in conſideratione verſatur. Quod enim prius attinet, monuimus iam ſuperius, vbi de non ſatis apparente *phyſica cauſſa moriendi* erat ſermo, quod ſuppoſita illa *eneruatio* corporis per verum *detrimentum* a longo vſu adeo aliena ſit a veritate facti, & phænomenis ſimpliciſſimis eandem ſtipantibus, vt, cum ſecundum hanc ſpeculationem corpora *tanto citius* ita fatiſcere deberent, eneruari atque deteri, quanto magis vſu exercentur: ibi ſimpliciter potius *contrarium* eueniat, vt corpora ipſo *laborioſo vſu* magis *durabilia*, & non *agilia* ſolum ſeu *ſana*, ſed etiam *viuacia* atque *firma* hinc euadere notiſſimum ſit.

Altera ſubſumtio de rigore texturæ etiam experientiæ refragatur.

§. V. Et valet ſane hæc eadem conſideratio ita etiam de altera illa phantaſia, quæ potius in *intractabilitate texturæ* corporis (quam tamen etiam ipſam infeliciter quærit *ſimpliciter* in *tenacitate* partium mollium) aliquid huc faciens quærendum putat. Dum omnino hæc eadem ratio experientiæ refragatur; vtpote exempla notiſſima ſiſtens, vbi homines *laborioſiſſimi*, & quam maxime *firma* atque *ſpiſſa* corporis textura inſtructi, & *conſtantius ſani* & *diutius viui* manere obſeruantur, quam multi vel iuniores, vel omnino coæui, *teneri* atque *molles*. Minime vero exempla deſtituunt & quotidiana, & numeroſa, vbi *vtriusque ſexus*, etiam valde *annoſi* mortales, nihilo minus ne quidem reliquæ *ſanitatis* inſigne, ne dum ſummum *vitæ damnum* propterea experiantur. E qua re profecto, ſi quis eſſet idoneus intelligendi habitus, facile conficerent, quod illa labes minime in his circumſtantiis collocari poſſit, quibus quantumlibet eſſentialiter præſentibus, tamen minime ille *effectus* ſentiatur, qui tamen per has ſpeculationes illis *directe & ſimpliciter* imputatur.

§. VI.

§. VI. Quicquid autem etiam tandem harum rerum eſſet, non exhauriret horum quicquam *quæſtionem* a nobis proprie motam, nempe, cur vtique hæc omnia non ſolum cum tempore, ſed *ſpecialiſſime* tali *certo temporis ambitu* ita eueniant? cui certe quæſtioni huiusmodi reſponſiones minime quadrant, aut illam vllo modo ſaltem reſpiciunt, nedum attingunt. Vnde omnino certiſſima manet hæc incertitudo, quod ratio nulla dari poſſit, quam ob rem *tali*, *tam breui temporis periodo* inprimis *energia ad agendum*, energia ad ita *formandum*, vbi deficit aliquid, *reparandum*, in optimam formam *reſtaurandum*, & *æquali vigore vſurpandum*, *elangueſcat* atque ſenſim *deficiat*?

Hæc omnia minime exhauriunt quæſtionem, quam ob rem energia vitalis tali certo temporis ambitu langueſcat & deficiat.

§. VII. Quamuis autem huius rei ratio non æque pateat *a priori*, conuenit tamen, quicquid eius poteſt, ad minimum *a poſteriori* decenter obſeruare; vbi inprimis ad noſtrum propoſitum conſideranda venit conſpicua *morborum* etiam, & variorum affectuum circa morbos, *proportio ad tempus*. Vbi videlicet paulo euidentiore ratione vtique nituntur illi *habitus ad tempus*, quales partim a *materiæ quantitate* aut *qualitate*, partim a *motuum* vitalium *ordine* dependere videntur. Quamuis hic etiam peculiarem vtique conſiderationem mereatur illa omni modo magis *æſtimatoria* ratio, ſecundum quam alii morbi valde *citato*, alii vero *otioſiore* & vndique *ſegniore* progreſſu decurrunt, & ad finem ſuum perducuntur.

Decet tamen a poſteriori, quidquid eius poteſt, obſeruare; vbi conſpicua inprimis eſt proportio morborum ad tempus; illi habitus ad tempus, qui a materiæ quantitate, qualitate & motibus dependent.

§. VIII. Nulla autem certe ratio vsquam reddi poteſt illarum temporis menſurarum, quibus ſecundum *ſeptenarias periodos* varii actus in corpore, tam *ſano* quam *ægro*, exerceri ſentiuntur: niſi quod hic etiam ſpectari omnino mereatur *conſpiratio* illa *actus motorii vitalis*; quatenus ille ita etiam ſupra laudata ſua *energia* morbidæ conſtitutioni ſubuenit, adeoque vti *ſecundum naturam* in ſimpliciter adminiſtranda ſua œconomia *ſeptenariis* periodis gaudet, ita easdem etiam ſeruet in *amoliendis*, *dimouendis* & *emouendis præter naturam* vrgentibus cauſſis. Adeoque ille ipſe ſemper idem, etiam vbique eodem modo & more agit.

Periodi ſeptenariæ tam in ſano quam ægro corpore per varios actus exercentur.

§. IX. Quod autem *temporis* reſpectum *ad morbos*, ante dicta ratione, concernit, eſt vtique ibi prudens æſtimatio inſtituenda partim *conditionum materiæ* ipſarum, partim *ordinis* illius peculiariter vſitati ipſius *naturæ*, partim *conſpirationis* huius vtriusque mutuæ. Quod enim primum concernit, valet hic vtique regula prima *mechanica*: quod *nihil mouendum ſit*, *niſi ſit mobile*: deinde, quod *moderamen* etiam motionis conuenire debeat *proportioni* tam *materiæ ad vias*,

Temporis reſpectus ad morbos inuoluit primo conditionem materiæ;

quam

quam *intentionis ad finem.* Sicut enim abſonum eſſet, ſimplici *impetu* perficere velle ea, quæ *gradibus viarum* procedere atque ſuccedere neceſſe habent: ita, prout *vrgere* res ipſa videtur, inſtruendam etiam eſſe vel *fortius* vel *otioſius* ipſam actionis intenſionem, ſanæ rationi conſentaneum eſt.

Secundo actiuitatem & ordinem naturæ: tertio conſpirationem inter materiæ mobilitatem & naturæ ordinem.

§. X. Quod alterum attinet, *actiuitatem* ipſius naturæ, certis modis atque menſuris *limitatam*, *ſpontaneam*, certe non ſuperficiali animi attentione digna eſt peculiaris illa in hoc genere *peruicacia* ipſius, non ſolum *concurrendi* omnino ad multas morbidas cauſſas propellendas & expellendas, ſed etiam ad hoc peculiari ſua *conſueta methodo*, & plane ſingulari temporis *menſura*, abſoluendum. Vnde nempe omnino pendet etiam ille, quem nominaui, *reciprocus habitus* inter *materiæ* mobilitatem, & hanc naturæ ad mouendum & in mouendo *actiuitatem.* Sicut enim e dictis meminiſſe conuenit, quod etiam rationi aduerſetur, *impellere* ſeu mouere velle, quod *non* ſit *mobile*; ita meminiſſe omnino conuenit, quod natura ſibi relicta, & ſibi conſtans, non ſolum ipſa nihil tale ordinarie perpetret, ſeu *committat*; ſed re vera etiam neque quidquam talium facile *toleret* ſeu *permittat*: quin inde in varia *faſtidia*, & *impatientes* vlteriores *alieniores* actus incitetur; e ratione ſatis luculenta; quia nempe nullus *motus* propemodum, neque per *artem* corpori induci poteſt, niſi ſimpliciter *naturæ obſequio*, quæ ſola omnis vitalis motus *auctor* eſt. Quando itaque illa vi aliqua aduentitia *impellitur* ad aliquid agendum, quod *ſponte* ſua neque *vellet* agere, nec vtique *deberet*; quandoquidem ſæpe numero proinde etiam ipſa huiusmodi conamina, non obſequentibus *materiis* aut *viis*, ſimpliciter in irritum recidunt, & nihil vsquam perficiunt: non poteſt inde mirum eſſe, quod natura, rebus ita conſtitutis *inutiliter* atque *temere* INCITATA, non niſi *faſtidio*, imo *turbulentis* in poſterum aliis actionibus vim intempeſtiue ſibi intentatam vlciſcatur.

Prudens exſpectatio medica.

§. XI. Eſt autem hæc conſideratio ſummi vſus, in recte iudicandis morborum *ſucceſſibus*, & agendi per ARTEM *opportunitatibus.* Nempe vere *prudente*, & ipſis rebus innixa atque ſuperſtructa EXSPECTATIONE MEDICA practica: non ſine meritiſſima laude ab *Haruæo* commendata atque vindicata. Quæ ipſa tamen, vt etiam non ſolum per *præcipitantiam audendi atque tentandi* non violetur, ſed etiam prudens *cooperandi* opportunitas per inſcitiam non *negligatur*: digna vtique, imo neceſſaria ſcitu eſt hæc *temporis ad morbos ratio.*

§. XII.

§. XII. Secundum hanc conſiderationem diuiduntur morbi in ACVTOS & CHRONICOS: quorum illi *breui* temporis ambitu, hi *longiore* abſoluuntur. Illud quod ſecundum hactenus dicta de præcipua cauſſ huiusmodi conſtitutionis notandum venit, eſt hoc, quod ACVTI morbi inprimis nitantur *agili* illa ipſius *naturæ energia*, ad debellandum cauſſam morbidam tendente: propter huius *actiuitatem* in genere, aut *partis* affectæ *dignitatem* in ſpecie. CHRONICI vero affectus contra magis ſegnem *materiæ* energiam, adeoque etiam naturæ *neglectum* maiorem, pro fundamento agnoſcant.

Hæc temporis ratio ad morbos conſtituit diuiſionem inter morbos acutos & chronicos.

§. XIII. Interim inter *chronicos* & *acutos* veluti ambigere videri poſſent morbidi affectus RECVRRENTES, ſeu PERIODICI: ſiue iam *periodus* illarum ſit generaliſſima, nusquam certa, ſed tota *vaga*; ſiue re vera magis *ſtatis* quibusdam temporis ſpatiis alligata. Inter quas poſteriores præcipuæ ſunt *periodi*, quæ *lunæ phaſibus* reſpondent; proximæ, quæ *æquinoctiis* aut *ſolſtitiis* conſpirant; tandem quæ *tempeſtatum* mutationibus conſentiunt; aut *animi commotionibus*. Qui enim affectus euidentiori cuidam *corporeæ* mutationi veſtigia legunt, non niſi æquiuoce ad *tempus* referri poſſunt: v. gr. affectus, qui *grauidis*, *puerperis*, *lactantibus*, accidunt &c.

Morbi recurrentes ſeu periodici.

§. XIV. Maioris autem conſiderationis in hoc genere eſt AETAS, vtpote cuius non ſolum alias in alterandis varie *corporibus*, ſed etiam in *morbidis* quibusdam alterationibus velut introducendis peculiaris vtique videtur ratio eſſe. Interim vtique facile apparet, quod neque *temporis* directe ſolius *efficacia* hic ſubſit, ſed etiam ipſarum *actionum* in œconomia animali *ſecundum tempus*. Vbi præcipuam conſiderationem vtique merentur tempora *dentitionum*, *pubertatis*, & in fœminino ſexu *menſtruæ euacuationis*, *matrimonii*, *viduitatis*, *fœcunditatis* aut *ſterilitatis* circumſtantiæ, tempus *ceſſationis menſium* in fœminis &c.

Aetas quid ad tempora morborum conferat.

§. XV. Interim cum quadantenus confuſa ſit etiam actionum *vitalium ſecundum ætates* diuerſitas, inſiſtendum tantisper eſt velut in genere dimenſionibus illis ipſis AETATVM, vtpote ſub quibus tanto certius eiusmodi peculiares etiam morbidæ diſpoſitiones euenire adſueſcunt. Qua quidem in re, vtpote ad noſtrum *medicum* ſcopum parum faciente, & præterea re vera ſatis veriſimilem explicationem non ferente, non placet prolixe occupari. Interim veritas rei ipſius *in facto*, & quod illa ita vtique *ſoleat* fieri, poteſt non ſolum nobis ſufficere, ſed debet etiam omnino cognita & perſpecta eſſe, vt inde verus ipſarum rerum, quæ fiunt, *nexus* colligi & agnoſci poſſit.

Licet aliquantum confuſa ſit actionum ſecundum ætates diuerſitas, cognita tamen eſſe debet hæc res, vt inde verus rerum nexus colligi poſſit.

Circa rationem temporis conſideranda ſunt 1. habitus affectuum ad durationem ſui, 2. durationis corporis ſecundum tempus.

§. XVI. Sunt itaque circa *rationem temporis* in pathologia hæc *duo* maxime conſideranda; *primo intrinſecus habitus* affectuum ad *durationem* ſui ipſorum: *ſecundo* habitus *durationis corporis* vniuerſi, & variorum eius ſucceſſuum, variarumque *mutationum*, *ſecundum tempus*: ſub quo reſpectu demum aliæ particulares mutationes ſubnaſci ſolent. Qua de re vltima placet adhuc ſeorſim aliqua ſcitu & conſideratu neceſſaria admonere.

ARTICVLVS I.
DE
AETATIS HABITV AD MORBOS.

§. I.

Tres generaliores periodi vitæ humanæ varias mutationes & alterationes tam materiarum quam actionum poſt ſe trahunt.

QVantumlibet ſecundum AETATIS progreſſus variæ *ſecundariæ* mutationes in corpore contingere ſoleant, quæ varias *morbidas* alterationes, ad minimum vt *occaſiones*, poſt ſeſe trahere poſſint: ſunt tamen conſideratu maxime dignæ præ reliquis, mea ſententia, I. illa, quæ eximium præſentius AVGMENTVM CORPORIS complectitur; II. periodus, quæ negotium PVBERTATIS ET FOECVNDITATIS circumſcribit; III. periodus *creſcentis*, *ſubſiſtentis* & *fatiſcentis* ENERGIAE ſeu *alacris actiuitatis*. Hæ certe PERIODI vitæ humanæ inuoluunt ſine dubio propinquius *reſpectus* illos, ſecundum quos variæ *materiarum* & *actionum* alterationes in corpore humano cooriri ſolent.

Specialius ſe gerit hæc diuerſa energia ſecundum ætates ad exonerationes ſanguinis per diuerſa corporis loca.

§. II. Et hoc quidem vere valere poſſe arbitror de conſideratione huiuſmodi *habitus* AETATVM quaſi *generaliſſimi*. *Specialius* iam, ſi res recte æſtimetur, gerit ſeſe hic illa ſecundum *ætates* diuerſa energia œconomiæ corporis, ad *abundantis ſanguinis exonerationes* per diuerſa *peculiaria* corporis *loca* peragendas. Sicut enim primo, & quaſi *primario*, vniuerſa ratio *exonerationum* talium ſuſcipiendarum ortum trahit a ſanguinis *abundantia* iuſto plurimum maiore; abundantia vero hæc tanta, ordine veluti magis ſimplici, occaſionem præcipuam ſumere poteſt ab intentione iuſta corpus *vegete augendi* atque *extendendi*: quæ res *primarum* omnino *ætatum* eſt, præcipue *puerilis* & *adoleſcentis*.

Vera connexio indicatur cur natura cœptas in ætate puerili & adoleſcente

§. III. Fit hinc vtique vero ſimillime, vt etiam ab hac tali *ætate* cœpta *exonerationum* talium & *conſilia* & *conamina* atque *tentamina* per *ſuccedentes* etiam ætates, tanquam *recordando*, & antecedente *adſuetudine*, in vſu retineantur: adeoque vera connexio non ſit alia,

niſi hæc, (1) quod ab *ætate*, præcipuum *incrementum* promtum corporis poſtulante, *abundantiæ* ſanguinis occaſio obtingat; (2) huic *tumultuanti exonerationibus* conſulere ſecurum, imo ſæpe etiam *neceſſarium* haberi poſſit (ad euitanda adhuc maiora pericula;) (3) huic *intentioni*, ita ſtatim ab illa ipſa augeſcendi periodo *adſueſcens* natura, illam etiam perpetuo in poſterum ſeruet: adeoque ita etiam per reliquas ætatum *ſucceſſiones* maxime ab hac *intentione* familiarius initium fiat plurium aliarum extraordinariarum *commotionum*. Quid, quod etiam illius per primas ætates iuſtiſſimæ *auctionis* largioris *generalis* quædam *intentio* continuari poſſit circa talem corporis partem, quæ vtique perpetuo *reſtauranda*, & in lotum certæ de tempore in tempus *amiſſionis* per totam vitam iugiter reparari & *iterum augeri* poſtulet: *ſanguinem* intelligo.

ſanguinis exonerationes in reliquis in vſu retineat.

§. IV. Interim habent etiam *ætates occaſionem* & *cauſſandi* rationem quandam *moralem;* dum diuerſis peculiaribus actionibus veluti deſtinando homines, eosdem etiam eo ipſo *periculo* exponunt, certa *incommoda* ſubeundi, vnde tum *corpori* inſolitæ alterationes euenire poſſint, tum inprimis *animus* male affici. Quæ certe *animi* perturbationes ad confundendam *corporis œconomiam*, vti certum, ita *promtum* habent effectum: imo, a leuibus velut initiis magis magisque *inſoleſcentem* promtitudinem ad ſubeundas perturbationes introducunt.

Aetates habent etiam rationem quandam cauſſandi moralem.

§. V. Simpliciſſima & euidentiſſima *extraordinaria* actio, quæ vel non ſatis *prouide inſtituta*, vel non ſatis *commode ſuccedens*, pluribus aliis *incommodis* viam ſternat, eſt illa ſecundum ætatum diuerſitatem *varians excretio ſanguinis* per certa *loca* ſeu *regiones* corporis: dum *puerili* & *adoleſcenti* ætati exoneratio hæc *per nares* familiarior eſt; *iuuenibus* e *pectore; viris*, magis magisque creſcentibus annis, per *hæmorrhoides*, & tandem per *mictum* cruentum. *Fœminino* ſexui per ætatem *pubertatis* familiaris, & vere *debita*, excretio *menſtrua; continuatio* huius vsque ad *finem ſeptimi ſeptenarii* annorum: & tunc quidem huius *ſpeciei* excretionis *ceſſatio*, non autem pariter *totius generis*, & *generalis occaſionis* huiusmodi ſanguineæ euacuationis, exhibet pariter ſimpliciſſimam huiusmodi tanquam primam *occaſionem vlteriorum* ataxiarum, ſeu *ordinati* motus & ſucceſſus actionum vitalium, *extraordinariarum permutationum*, imo intercedentibus *impedimentis*, *perturbationum*.

Varians excretio ſanguinis ſecundum ætates per certa loca ſ. regiones corporis pluribus incommodis viam ſternit.

§. VI. Quemadmodum autem *deſtinatio* ſexus muliebris per hanc vitæ ſuæ periodum ad *generationem & nutritionem* infantum, ſecundum magis aut minus proſperos huius negotii *ſucceſſus*, variis *pathema-*

Si fœminis menſtrua euacuatio non debite ſuccedit

vel ceſſat, etiam hæmorrhoides aut mictum cruentum experiuntur.

thematum occaſionibus fœminas omnino exponit: ita eſt tamen in illis ipſis etiam ſatis notabilis illa quaſi *generalis* & communis humano generi inclinatio *exonerationum ſanguinearum*, *ſecundum gradus ætatum* ſuperius dictos; ſi inprimis illis *fœminis* propria illa ſua *menſtrua* euacuatio non debite *ſuccedit*, vel etiam tandem *ceſſat*; vbi aliis eiusmodi *ætati* in genere familiaribus excretionibus, per *hæmorrhoides* aut *mictum cruentum*, exponuntur. Certiſſima autem in genere *ætas*, quæ etiam ante hac ſatis *ſanis* mulieribus (modo *pleno victui*, *otio* & *animi pathematibus* indulgentibus) certius periclitationes morbidas denunciet & adferat, eſt illa, vbi menſes etiam ordinarie *ceſſare* cœperunt.

Quando conatus hæmorrhagici non ſuccedunt, circa easdem regiones alii affectus oriuntur.

§. VII. Quemadmodum autem, etiam per iam dicta, *ætas* ita ſimpliciſſime *hæmorrhagicorum* CERTORVM locorum velut auctor exſiſtit: ita per indirectum, & *conſecutiue*, quando hi conatus non ex voto ſuccedunt, fiunt etiam veluti auctores aliorum plurium certorum affectuum, circa easdem REGIONES, quas alias ſanguinis excretiones *ſecundum illam periodum* occupare ſolent. Et eſt hoc re vera vnicum ſolidiſſimum fundamentum omnium illorum morborum, qui ſine *externa* aliqua *violenta* occaſione ſola *interna*, aut ſane præcipua, geneſi cooriuntur, & nequaquam, iuxta opiniones aut recitationes vulgarium ſcholarum medicarum, *quibuslibet* hominibus, ſine reſpectu *ætatum*, communes aut familiares exſiſtunt: ſed omnino maxime *diſtinctam temporis rationem*, ſecundum *ætatis* periodos, ſeruant & ſequuntur.

Breuis hiſtoria & ætiologia morborum.

§. VIII. Vnde certe hæc conſideratio, ſi quæ vsquam alia, locum habet *ſummum*, & vere *primum*, quod equidem QVANTITAS ABVNDANS & QVALITAS ſimpliciter SPISSESCENS ſanguinis *generaliorem materiam* morbis præbeant: MOTVS vel *paſſiue* impediti, vel *actiue* oppoſiti, & contra periclitationes aut damna *directi*, veluti *formalem rationem* affectus talis conſtituant; GENERALIOREM tamen ipſam quoque, aut SVBALTERNAM: *formam* autem veluti *ſpecificam*, ſeu vere *ſpecialem* determinationem, AETATIS peculiaris ratio ſecundum certa LOCA corporis ſuperaddat. Quæ res meo iudicio vniuerſam veram *hiſtoriam* & *ætiologiam* morborum penitus exhaurit.

SECTIO V.

DE VERIS PROPIORIBVS CAVSSIS AEGRITVDINVM, QVATENVS SPECIEBVS DIFFERVNT.

§. I.

EXpoſui hactenus mentem meam non ſolum circa *generaliſſimas* remotas, ſed etiam *generales* veriores cauſſas *morborum* & *ægritudinum*. (Ita enim puto non inconuenienter diſtingui vera *pathemata periculoſa atque damnoſa*, ab *vtilibus* quidem, imo paſſim *neceſſariis* motibus *ſalutaribus* conſeruatoriis, non tamen ſine *incommodis* quibusdam abſoluendis, quæ patientem *ægre* habeant verius, quam *ægrum*.) Quomodo videlicet ante omnia tota *materialis* conſtitutio corporis, in ſe conſiderata, *corruptioni* tota expoſita exſiſtat; interim illa quidem nusquam ſimpliciter locum inueniat, ſed potius, *ordinariis vitalibus motibus* continue *intercepta*, non prius in vllum actum deducatur, quam hi *actus vitales* intercepti, eneruati, aut quoquo modo impediti fuerint. Ex aduerſo vero horum *motuum* impedimenta, vti veræ *cauſſæ primæ & ſupremæ* actualium, ſeu *in actum* deducendarum læſionum, ſuas cauſſas habeant & ſimpliciſſimas & generaliſſimas, *quantitatem* ſanguinis *nimiam*, & *qualitatem ſpiſſam*. Quin etiam *a priori*, MOTVS directe & ſimpliciter peruerſiones, per *animi pathemata*, *hæreditariam* impreſſionem, *conſuetudinem* & *inſuetudinem*. His rebus vltimo loco adiunxi *temporis* peculiarem rationem, ſecundum *ætates*; vtpote quæ iam propius ſpecialioribus, *ſecundum loca* maxime, dictarum rerum deductionibus in effectum *occaſionem* præcipuam præbet. *Breuis repetitio eorum, quæ hactenus expoſita ſunt de cauſſis morborum generalioribus.*

§. II. Sunt itaque veriores morborum cauſſæ, quælibet in ſuo ordine, *primo abundantia ſanguinis*, ſecundo *ſpiſſeſcentia* eius, tertio *motuum* his rebus proſpicientium vel *irritus exitus*, aut certe non ſatis ſufficiens; vnde morbi *prædominium*, aut ipſa *mors*: aut quarto ipſorum horum *motuum* exitus *felix* quidem & *ſalutaris*, ſed interim *moleſtiis* quibusdam ſtipatus, adeoque patienti *ægritudinem* creans. *Morborum cauſſæ generales.*

§. III. Proximum eſt, vt iam ſubiungamus illas cauſſas, quæ ab his quidem procedentes, ordine effectui PROPIORES exſiſtunt, adeoque iam magis magisque *ſpecialius* ad inducendos morbos concurrunt. Sunt autem hæ, naſcentes ex illis ante dictis generalioribus, primo RESTAGNATIONES, ſecundo STASES, tertio CORRVPTIONES, *Propiores ſeu ſpecialiores, ſecundum ordinem philoſophicum.*

NES, quarto MOTVS ad hæc omnia partim *præoccupanda*, partim *expugnanda* apti imo neceſſarii.

Ordo practicus motuum phœnomena primo loco ponit, corruptionem vero vltimo nominat.

§. IV. Hæc quidem ita vere ſeſe habent in ordine cauſſandi *philoſophice*, vt a priori. Cum autem in ipſa praxi, vbi communiter a poſteriori initium, ad minimum *obſeruandi*, facere neceſſe eſt, fere familiarius obtingat, vt potius *motuum* illorum phænomena primo loco *in ſenſus* incurrant: erit hinc ſine dubio iuſtiſſimum, vt ſimpliciter ita, vti res ſeſe offerunt, illas recitando, ordinem talem conſtituamus, vt *corruptionem* vltimo loco nominemus; interim illos *actus*, qui partim *præoccupando* vniuerſum euentum, partim impugnando ſincerum *liberum*, directum & vltimum effectum, omni modo tamen magis *actiue*, quam ſimpliciter *paſſiue* ſeſe gerunt.

Euolutio cauſſarum & ſubſequentium euentuum.

§. V. Eſt itaque prima *ſubalterna* cauſſa plurium ſubſequentium euentuum CONGESTIO humorum, & inde nata RESTAGNATIO *particularis*. Hæc producit vlterius directe & ſimpliciter TENSIONES: hæ vero diuerſas alias peculiares SENSATIONES *grauitatis, lancinationis, pulſationis*, & *palpitationis*, imo veluti *rupturam* minantis exquiſitiſſimæ diſtenſionis. *Congeſtio* hæc ſimplicius quidem ordinarie *reſpicit*, & ſi nihil magnopere obſiſtat, *perficit* etiam, EXPVLSIONES: ſi vero hæ minime ſuccedant, nec tamen interim *actus congeſtionis* remittat, eueniunt aliquando penitiores INFARCTVS, & actuales STASES. STASIBVS factis indiſſolubili nexu ſuccedunt *corruptiones*. Ne tamen hæ ſummum illum *gradum* aſſequantur, quem ſimplex & directa *materialis* conſtitutio corporis ſubire parata prorſus eſt, non tam *intercidunt* (iuxta vulgatam *ſymptomatum* appellationem,) ſed *intercedunt* re vera; id eſt, adhibentur *actiua efficacia* (& ita probabiliter etiam *intentione*) actus quidam *motus* & *actus*: quibus *phyſice-libera* illa corruptionis energia, vere *mechanica* potius, imo *mechanico-organica* ratione, *proportione*, & *aptitudine*, optima comparatione adornata, minime vero *phyſico corporali* modo *intercipitur*, *minuitur*, *mitigatur*. Et hoc non ſolum perenni & aſſiduo *actu*, & tanquam ſimplici *ſucceſſu æquali*, aut ad minimum *indifferente*, & varie, imo inſuper facile *mutabili*: ſed admodum exquiſite *proportionatis*, *ordinatis*, certo modo interpolatis, & denuo, ſed decenter repetendis, *progreſſibus* & *ſucceſſibus*. Cum autem hæ res iam magis magisque *ſubalternam*, vt in ſcholis loquuntur, *ſpecificam* rationem habeant, hic quidem gradum huius GENERALIS TRACTATIONIS ſiſto; ad SPECIALEM, ſimplicem tamen & *ſubalternam*, euolutionem progrediendo.

DOCTRI-

DOCTRINAE PATHOLOGICAE PARS II.

SPECIALEM HABITVM CAVSSARVM ET EFFECTVVM PRAETER NATVRAM EXHIBENS.

§. I.

PRopoſui hactenus *generaliſſimum* habitum tam *corporis*, quam totius *œconomiæ vitalis*, ad *cauſſas* & *effectus* præter *ordinem* & indolem *naturalem*; placet *ſecundo loco* ſubiungere *ſpecialem* conſiderationem *ſubalternarum*, vt loquuntur, ſpecierum, *ſimpliciorum* adhuc affectuum, tanquam effectuum morbidorum, directorum & indirectorum: quibus tandem *tertio* loco ſubiiciemus *ſpecialiſſimam* partem, tanquam *ſingularium* atque *particularium* magis affectuum, ab huius *ſubalternæ* claſſis adhuc vlteriore *determinatione* pendentium.

Parti generali ſubiungitur ſpecialis conſideratio ſubalternarum ſpecierum ſimpliciorum affectuum.

§. II. Seruabo autem illum maxime ordinem, vt ante omnia magis nudam rei, vti re vera eſt, HISTORIAM commemorem: & quidem in illa maxime diſtinguere laborem illas circumſtantias, quæ ab ipſo effectu ſimpliciter *inſeparabiles* exſiſtunt; ab illis, quæ non ita ſimpliciter affectui cohærent, ſed licet & *poſſint* ſic ſatis facile, & *ſoleant* proinde etiam cum effectu concurrere, non tamen hoc ita faciant, niſi ſimpliciter *per accidens*, & aliena ſuperueniente ipſi ſimplici affectui *acceſſione*, aut *interceſſione*. Qua quidem re decenter intellecta atque penſitata, confido ingens PARADOXON appariturum eſſe; nempe, quomodo vulgo multum imputetur, tanquam *directe* atque *proprie*, variis affectibus, quod vera atque iuſta penſitatione potius vitice *accidentalibus*, concurrentibus & intercedentibus cauſſis in acceptis referre conueniret, emergente interim hinc plurimum diuerſa facie affectuum ipſorum, vere ita *ſincere*, *ſimpliciter* & *in ſe* ſpectatorum.

Ordo in ſequentibus ſeruandus indicatur.

§. III. Annitar etiam pro virili, vt in quolibet affectu ACTIVITATEM *poſitiuam*, *ſalutarem*, *conſeruatoriam*, & per illam auctos aut mutatos *motus vitales ordinarios*, *gradu* ſaltem & *ordine* peculiari, ſecundum exigentiam præſentium rerum, in ordine ad *periclitationem* corporis, diſtinguam a variis *paſſiuis*, quotquot

Diſtinguetur etiam actiuitas conſeruatoria & motus vitales ordinarii a paſſiuis actionum læſioni-

bus & deprauationibus ſymptomaticis.

quot comparent, actionum læſionibus atque deprauationibus vere *ſymptomaticis*, & *directe*, *phyſica* efficacia, a cauſſa morbifera procedentibus.

Apparebit etiam duplex differentia tam euentuum quam moleſtiarum cum poſitiuis actibus complicatarum.

§. IV. Vbi etiam paſſim apparebit differentia illa *duplex*; *prima*, inter euentus, qui ſeqquuntur, quando huiusmodi *poſitiui* actus, ſub reliqua horum generum vere *materialiter* morbida conſtitutione, *non fiunt*; & contra, quando vtique *fiunt*: *ſecunda*, comparatio *moleſtiarum* cum eiusmodi actibus complicatarum, erga *vſum*, ſi illi recte atque vegete ſuccedant: aut contra, *damna*, ſi illi non bene ſuccedant, imo penitus ceſſent atque deficiant.

Quid poſitiuæ actiuitati perturbationes obiicere valeant.

§. V. Vbi quidem ſimul occaſioni inuigilabo, etiam de eo diſpiciendi, quid illi *poſitiuæ* actiuitati familiarius *perturbationes* obiicere valeant, ſub quibus & *incommoda* inſoleſcere, & directi *vtiles effectus* difficiliores reddi ſolent. Vt ita omnibus modis atque locis vera harum rerum diuerſitas pro viribus indicata clarius diluceſcat.

SECTIO I.

DE HAEMORRHAGIA.

§. I.

Exoneratio ſanguinis in maſculino ſexu magis præternaturalis videri poſſet quam in ſexu muliebri.

SInceri *ſanguinis* exoneratio ſeu effluxus licet in *maſculino* ſexu ſub exquiſite *ſana* corporis conſtitutione non fieri debeat, ſed quoties fit, *præternaturalibus cauſſis* merito tribuatur: poſſet tamen merito animum perturbare illa, *muliebri ſexui* omni modo *ſolennis*, & quidem *ſecundum naturam*, & vti Phyſiologi certe vix in controuerſiam vocant, *ſanitati* ipſi fœminini ſexus innexa, ſinceri ſanguinis tam *frequens*, tam *larga*, & inſuper *ſtata* prorſus excretio; a qua recte procedente fœmina nunquam vsquam quidquam *damni* incurrit aut perſentiſcit, bene vero, & quaſi magis magisque certo ab eius *emanſione*.

Hiſtoria hæmorrhagiæ.

§. II. Vt itaque harum rerum iuſtiori æſtimationi etiam aditus pateat, proferemus primo loco nudam atque ſimplicem *hæmorrhagiæ hiſtoriam*, tam vt *in ſe* ſeſe habere obſeruatur, quam etiam vti ſenſibilium *cauſſalium* circumſtantiarum intuitu ſeſe gerit. *Sim-*

Simplex hæmorrhagia, citra *externam violentiam*, ab *internis* cauſſis & commotionibus magis tacitis, quin etiam non ita raro a ſimplici agitatione ſanguinis per *motus locales* cooriens, *tacite* penitus, & ſine vllis exquiſite ſenſibilibus commotionibus, cooriri poteſt. Et quidem non tam forte quibuscunque *fortuitis* occaſionibus, nedum directe efficientibus cauſſis *phyſico-mechanicis* concurrentibus; quibus forte in tali aliquo *ſpecialiſſimo* loco eiusmodi vel *expulſio*, vel *eruptio* inſtitui posſet: ſed ſimpliciter temporibus plane STATIS, directe *deſtinatum* pellendi actum ſatis indicantibus.

§. III. Interim ſine omni *impetu* aut *tumultu* hæc omnia geri poſſe & ſolere, ſatis declarabimus. Ita fiunt *narium*, *vteri*, *pectoris*, *renum* hæmorrhagiæ ſine vllo *ſenſu*, neque præcurrente, neque eximie & directe concurrente. Quando vero vtique *ſenſus* aliquis præcedit aut concurrit, conſiſtit ille familiariter maxime in quadam *tenſione* circa loca illa, per quæ eruptio fieri deinde obſeruatur: a qua *tenſione* ſenſim *diſtenſio* maior etiam alicubi plane *dolorem* producit. Tacite & ſine impetu aut tumultu hæmorrhagiæ fiunt.

§. IV. *Moderata* hæmorrhagia non ſolum non debilitat; ſed trahit potius poſt ſe veluti ſenſibilem corporis *agilitatem* & *alacritatem*; cum ante tales eruptiones, in conſtitutione corporis ad illas idonea, peculiaris quædam *grauitas* & *fatigatio*, atque laſſitudo re vera impotens, familiariter ſentiatur. Moderata hæmorrhagia non debilitat.

§. V. Sunt etiam hæmorrhagiæ *ſpontaneæ* plerumque, niſi per accidens inſolentius prouocentur, per initia, & antequam etiam ad ſuetudine inſoleſcant, *moderatæ*; & quidem tum *ſucceſſu*, vt nempe placidiſſime fluant; tum *ambitu* toto, vt nimirum etiam *tota quantitate*, quæ vna fluxione continua emittitur, non facile excedant. Præterea *deſinunt* etiam iterum ſua ſponte; & quidem hoc etiam ita *tacite*, & ſine peculiari vllo ſenſu: ſi præſertim pari ratione, nempe ſine peculiari ſenſu cœperunt. Hæmorrhagiæ ſpontaneæ plerumque moderatæ ſunt, deſinunt etiam ſua ſponte & tacite.

§. VI. Notabile autem etiam quam maxime eſt illud, quod, licet *ſpontaneis* hæmorrhagiis, modo non *impetu* repentino ſtatim immoderatis, etiam *multum* euacuetur, tamen non facile inſignis aliqua *debilitatio*, imo ne quidem *alteratio*, inde ſentiatur. (Quales ex aduerſo longe familiarius ſentiuntur, quando *arte*, aut repentina *vi*, ſubductio talis ſanguinis inſtituitur.) Licet etiam ſpontaneis hæmorrhag. multum euacuetur, tamen non facile debilitatio ſentitur.

§. VII. Circumſtantia vero negotio hæmorrhagiæ ſpontaneæ maxime familiaris, eſt *peculiaris menſura* STATI TEMPORIS, qua Hæmorrhag. ſtato tempore

reuerti ſolent; & quo magis ſtatas periodos formant, eo moderatius ſe gerunt.

qua eruptio talis *reuerti* adſueſcit. Quemadmodum etiam hanc ipſam circumſtantiam ſtipat adhuc *altera* illa, rem totam conſideratu tanto digniorem reddens, quod non ſolum *repetitio* per STATAS temporis periodos per ipſa initia magis ſequatur reliquum huiusmodi fluxus quaſi *originale moderamen*: ſed etiam reciproce, quo magis vere *ſtatas* periodos format hæmorrhagia, eo certius etiam tam ſucceſſum, quam totum ambitum *moderatum* inſtituat.

Hæ ſtatæ periodi non facile ab aliis turbis alterantur, niſi ab animi commotionibus & conſuetudine.

§. VIII. Neque vero etiam illud hic præterire eſt integrum, quod *ſtatæ* tales periodi, tam *redeundi* quam *durandi*, imo vel *certam quantitatem* moderate euacuandi, ne quidem ab aliis inſignibus paſſim turbis, tum *craſeos* & inteſtini motus, tum *localis* expanſorii & progreſſiui *motus*, ſimpliciter & abſolute, nempe ſemper & perpetua conſecutione, inſigniter alterentur aut mutentur: bene vero *animi* vehementibus *commotionibus*, & quidem magis, quam vlla alia re; & hoc quidem *præſentius*, & veloci effectu. *Succeſſiuo* autem effectu nihil aliud tantum poteſt in hæmorrhagias, ſecundum quoslibet reſpectus, quam ille omnis *directionis motuum* tyrannus, CONSVETVDO.

Eiusmodi ſtata periodus non mutatur, licet ſucceſſus minuatur, ſaltem molimina ad exitum tentantur.

§. IX. Antequam tamen abeam ab hac circumſtantia hæmorrhagiæ, quod ad *ſtatas*, nempe exquiſitas temporis menſuras admodum procliuis exſiſtat, addenda adhuc eſt eius rei plane peculiaris vna & altera circumſtantia. Nempe (1) quod huiusmodi STATA periodus *in genere* non mutetur, licet etiam *craſis* ſanguinis *ad ſucceſſum* multum mutetur & ineptior reddatur. (2) Imo licet etiam *ſucceſſus* eius admodum *minuatur*, tamen periodus tam *in genere* ratione *reditus*, quam *in ſpecie* ratione *durationis*, nihilo magis inde mutetur, (iterum dico perpetuo & eſſentiali conſecutione) quam ſi habilitas ad ſucceſſum tota adhuc ſincera eſſet. (3) Quid, quod vniuerſim & perpetuo ne quidem *plena ineptitudo ad exitum* impedit *periodum*, inprimis *moliendi* ſeu tentandi; quin etiam *inſiſtendi*, atque *proſequendi* hoc tentamen.

Quibus hæmorrhagiæ moderatæ, faciles & ſtatæ familiares ſunt, ab aliis morbis immunes viuunt. Alia etiam incommoda iis auferuntur.

§. X. Supereſt, vt etiam illud ex *hiſtoria* hæmorrhagiæ *generali* memoremus, maximæ conſiderationis, quod, quibuscunque hominibus hæmorrhagiæ *moderatæ*, *faciles* & ſine labore, plus minus *ſtatæ*, inprimis autem magis *exquiſite tales*, familiares ſunt, illi viuant communiter de reliquo ſatis *ſani*, & a multis aliis *morbidis* affectibus non ſolum *immunes*, ſed verius velut *alieni*. Imo, qui variis aliis incommodis moleſtantur, *ſuperuenientibus*, inprimis autem *adſueſcentibus*, & in poſterum veluti per *ſtatas* periodos repetentibus hæmorrhagiis,

giis, iſta auferantur atque ceſſent: & quidem permutatione ita optabili, vt longe *laborioſiores*, quoquo reſpectu, priores adfectus hæmorrhagiis talibus citra vllum incommodum ſenſibile, aut effatu dignum, (vti re vera eſſe poſſunt, niſi quid per accidens impediat) ceſſent atque vere compenſentur.

§. XI. Interim re vera etiam ex aduerſo *adſuetæ* hæmorrhagiæ quando temere impediuntur, alia *incommoda*, & omnia quidem tum *ſenſu*, tum *ſucceſſu* & *euentu grauiora*, quam ipſæ hæmorrhagiæ fuerant, poſt ſe trahant. Ita tamen, vt licet hæmorrhagiæ etiam non *actu* præceſſerint, ſed tamen *conſtitutio* totius œconomiæ ſanguinis *exoneratione digna*, affectus illi iidem etiam ita eueniant familiariter, ſine prægreſſis hæmorrhagiis. Omnino autem & certius & promtius, quando hæmorrhagiæ *adſuetæ* præceſſerunt.

Adſuetæ hæmorrhagiæ ſi impediuntur, grauiora incommoda poſt ſe trahunt.

§. XII. Ceterum vero, ſi res ita, vti vere in ſe ſunt, etiam attendere atque obſeruare volumus, quibuscunque ægris magis *ſecundum hæmorrhagias* ſuccedunt, aut cedunt, affectus alii morbidi, illi laborant familiariter & minus *periculoſis*, & minus *turbulentis* affectuum generibus: & *emergunt* etiam familiarius iterum, adeoque *viuaciores* exſiſtunt in genere, quam alii hæmorrhagiis minime adſueti, ſi etiam mala valetudine afficiantur.

Morbi ſecundum hæmorrhagias ſuccedentes minus periculoſi & turbulenti ſunt.

§. XIII. Interim tamen ſi quacunque occaſione, quæ quidem non raro etiam præpoſteris *artificiis* debetur, *ſuppreſſa* & grauiter *impedita* fuerit hæmorrhagia, ita, vt vel directe ipſa eius *media actiuitas*, adeoque ipſa etiam veluti *intentio* media, occupata atque *repreſſa* ſit; tum etiam, ſi nihil mitigata *intentione*, ſolum *exitus* velut immediate oppreſſi & intercepti ſint: contingit ita ſatis familiariter, vt ex hæmorrhagiis ita male tractatis omni modo vere *ſontica*, *vehementia*, *pertinacia*, & paſſim etiam *turbulenta*, affectuum ſchemata inde pullulent. Vnde quidem tanto magis neceſſarium eſt, harum rerum indolem vere cognitam atque perſpectam habere; partim ad recte intelligendam efficaciam huiusmodi inprimis *conaminum* atque *moliminum*, ad expeditiores hæmorrhagias tendentium; partim etiam ad intelligenda illa *euentuum* genera, quæ talibus conaminibus, *effectu* ſuo minus feliciter potientibus, veluti veſtigia legunt, & iuſto *ordine*, atque conſpicuo *nexu* ſuccedunt.

Hæmorrhagiæ ſuppreſſæ aut male tractatæ ſontica mala producunt.

MEMBRVM I.

DE
HISTORIA CAVSSARVM HAEMORRHAGIAS PRODVCENTIVM.

§. I.

Hiſtoria cauſſarum hæmorrhagias producentium.

HIſtoriam primo omnium commemorare placet *cauſſarum*, hæmorrhagias in genere producentium; penitiorem autem *agendi rationem* deinde quidem ſubiungere, tanto magis autem e ſingulis hæmorrhagiæ *ſpeciebus*, & earum particularibus phænomenis, poſthac illas elicere.

Subiecta hæmorrhagiarum.

§. II. Sunt hæmorrhagiis ante omnia expoſiti *promtioribus*, *expeditius* ſuccedentibus, *frequentioribus*, & fere etiam *largioribus*, præcipue IVNIORES. *Sani* præterea quam maxime, atque *alacres*; indolis *agilis* atque *vigilis*, *ſenſilisque*: conſtitutionis autem *plethoricæ*, & ex bono appetitu, pleno victu, atque bona digeſtione largiter ſuccedente etiam bona *ſanguinis* geneſi, ad *abundantiam* vsque. Confert huc etiam ſymbolum ſuum talis *ſtructura* corporis, in qua *vaſa* paulo *capaciora* viuidiori impulſui tam *reſtagnationis* quam *expreſſionis* quadrant; vnde *cholerico-ſanguinei*, & *melancholico-ſanguinei* habitus corporis peculiaris in hoc genere apparet aptitudo. *Animi* etiam ipſius habitus *præſentior*, & ad *alacriter* agendum *promtior* conſpirat cum hiſce rebus eximie ad huiusmodi effectum producendum: tanto magis autem *commotio* prorſus eiusdem *pathetica*, per *iram* ad exceſſum, per *terrorem* ad defectum aut perturbationem.

Cauſſæ externæ.

§. III. *Externæ* cauſſæ, quæ hæmorrhagias excitare aut varie perturbare ſolent, ſunt varia *aſſumta*, *aromatica* calida vulgo dicta, ſanguinem *rarefacientia* atque *turgeſacientia*: potulenta quoque *ſpirituoſa*, & ſpirituoſo-*fermentatiua*. *Aëris* ambientis conſtitutio inſigniter calida, inprimis cum humiditate. *Commotio* etiam inſignis totius maſſæ ſanguinis, per *motus corporis* fortiores: quin etiam repentinus tranſitus concalefacti corporis ad *refrigerationem* vniuerſaliorem.

§. IV.

§. IV. Ingentem autem occaſionem ad hæmorrhagias *repetendas*, & magis magisque iisdem *adſueſcendum*, præbet etiam vel per *vim* aliquam externam primo conciliatus exitus, ſub conſtitutione reliqua *ſana*, *vegeta* & *plethorica*. Ita enim familiare eſt in *puerili* ætate, vt e temerariis luſibus, & lapſibus cum alliſione narium, conciliatis ita harum hæmorrhagiis, in poſterum etiam ſatis facile ſimiles exitus vel ipſo effectu ſequantur, vel ad minimum quærendo & affectando exitum, varia alia incommoda ita producant & foueant.

Cauſſæ occaſicnales.

§. V. Tanto magis autem habet hic locum *adſuetudo* ex ſimplici magis *frequente libero* exercitio, *veri*, & inprimis *facilis* ſucceſſus: a quo nempe magis magisque increbeſcit *propenſio* ad idem negotium, etiam per *leuiores* occaſiones iterum ſuſcipiendum. Quæ quidem res ingentem habet efficaciam ad STATAS etiam hæmorrhagiarum periodos inducendas: ſicuti reciproce *ſtata* ratio reuertendi vti fere *conſuetudine* introducitur, ita reddit etiam huiusmodi euacuationes ita *pertinaces*, quantum ad vniuerſam earum ſummam, vt *ſtatæ* inprimis hæmorrhagiæ vel non facile, vel certe non ſine magnis *incommodis* atque ſuccedentibus *periculis* in poſterum inhibeantur aut quoquo modo ceſſent.

Adſuetudo, quæ ſtatas periodos inducit.

§. VI. Locutus ſum hucusque præcipue de *ſpontaneis* huiusmodi hæmorrhagiis, quæ nuda eruptione ab *interno* aliquo impulſu magis, quam qualicunque *vi externa* in effectum deducuntur; dicendum etiam aliquid eſt de illis, quæ re vera *vim* qualemcunque inſequuntur. Huiusmodi ſunt, velut ipſius naturæ peculiari inſtituto occaſionem ſubminiſtrante, LOCHIA puerperarum. Pertinent autem certe ad hunc cenſum, quantumlibet mixtæ velut indolis, illæ *narium* hæmorrhagiæ, quæ a *pruritu* quodam, e reſtagnatione ſanguinis oriundo, hominem inducunt, vt *ſcalpendo* in naribus, ſanguinis fluxum tandem eliciat; aut acrius nares *emungendo*, quin imo fortiter *ſternutando*, ſimilis effectus ſequatur. Ita etiam in *pectore* inprimis, grauiſſimo *conniſu* ad pondera tollenda, aut fortiſſimas quasdam preſſiones aut pulſiones perpetrandas, ſequitur non raro huiusmodi violenta eliſio: cui rei geminum quiddam ab eadem cauſſa etiam *vtero* interdum accidit.

Hæmorrhagia quæ vim qualemcunque inſequuntur.

§. VII. De reliquo vero & aliæ *vulnerationes* & *eroſiones*, extrinſecus inuadentes, fiunt aliquando hæmorrhagiarum cauſſæ. Vix vnquam autem ſatis veriſimilis iudicari poteſt illa hodiernis moribus

Vulgo acrimonia corroſiua iudicatur hæmorrhag. cauſſa.

 quan-

quantumcunque paſſim paratiſſima iudicata, ſanguinis ipſius adeo *corroſiua acrimonia*, vt ille *intrinſecus extrorſum* vaſa tenerrima *erodendo*, adeoque *retinacula* ſui temere deſtruendo, ita liberum poſthac exitum, nempe *lapſum* ſimplicem paſſiuum, ſine vllo *actiuo impulſu* aut niſu *preſſorio*, inde ſubeat.

Cauſſa moralis.

§. VIII. Enim vero remotiſſima omnium vere *moralis* cauſſa, PROPTER quam *actiua molimina* ad concitandas hæmorrhagias etiam *debeant* inſtitui, eſt ante omnia certum *periculum*, quod œconomiæ corporis, imo vero potius *materialiter corpori* impendet, a ſanguinis per abundantiam & inæqualem intempeſtiuam exagitationem merito metuendis *ſtaſibus* & *infarctibus*.

Multi plethoricorum hæmorrhagias non experiuntur.

§. IX. Vnde etiam optime notanda eſt ſpecialiſſima illa omnino & certiſſima circumſtantia, quod maximus numerus hominum *plethoricorum* viuat, qui non ſolum nullas *hæmorrhagias*, ſed nec alias a ſanguinis aliis præſentioribus commotionibus *periclitationes* experiantur, vel per longiſſimum tempus, etiam plurium annorum, vel ad minimum per ſatis longum tempus, *ſeptimanarum*, *menſium*, *ſemeſtrium*, *annuorum* ſpatiorum. Quando nempe eiusmodi homines & de reliquo animo ſatis *liberi* atque *tranquilli*, & corpore quoque circa res non-naturales ſatis moderate ſe gerentes, tanto magis a *violentis* occaſionibus aut cauſſis abſtinent. Cum ex aduerſo *commotio* plethoræ per intemperantiores *motus locales*, abuſum intimius *concalefacientium* atque *turgefacientium*, & *animi* inſuper *pathemata*, *deſtinationibus* eiusmodi ad concitandas hæmorrhagias portam certiſſime aperiant.

Si materiali diſpoſitioni ſemel eruptio ſanguinis ſuperuenerit, hæc poſtea frequentioribus erumpendi conaminibus inſtinctum ſuppeditat.

§. X. Cæterum iterum iterumque conſiderari meretur, re vera ex ipſa *hiſtoria* harum rerum, illa circumſtantia veriſſima, quod *materiali* conſtitutioni, ad hæmorrhagias *promerente*, ſemel ſuperueniens, a quacunque reliqua occaſione, actualis eruptio, adeoque *depletio* ſanguinis ſeu *exoneratio*, poſt illud tempus longe frequentioribus, & inprimis *facilioribus* nouis erumpendi conaminibus velut *inſtinctum* ſuppeditet. Vbi nempe iterum optime notanda venit ſumma illa differentia inter diſpoſitionem *materialem* corporalem, & *intentionem finalem* & habitualem: quæ poſterior in toto negotio *vitali*, re vera iuxta vſitatam loquendi formulam, immenſum quantum plus valet priore; quod iterum iterumque conſiderandum commendo.

MEM-

MEMBRVM II.

DE VERO HABITV CAVSSALI AD HAEMORRHAGIAS PRODVCENDVM.

§. I.

QVantumlibet mea intentio minime ferat, ingentem illam turbam turbulentarum opinionum circa vſitatam hodie *ætiologicam* morborum præfigurationem excutere, & perpetuas aduerſus *hiſtoriam* rerum & *œconomiam vitalem* offenſiones notare; ſed potius *poſitiue* res ipſas vti vere in ſe ſunt ſiſtere, & quid circa illas mihi videatur colligendum atque concludendum eſſe declarare: non alligabo me tamen ſimpliciter huiusmodi methodo, quin etiam aliquando illas phantaſias, quantum tamen fieri poterit breuiter, perluſtrem, quæ ſub ſpecie magnæ ἀκριβείας rudes & immanes ceſpitationes introducunt; quales in negotio hæmorrhagiarum vti craſſiores, ita etiam inutiliores, imo peiores occurrunt; dum verum *fundamentum* totius negotii *genealogiæ morborum* non ſolum in genere confundunt, ſed etiam maxime in ſpecie præcipuas omnino intricatas circumſtantias, *per paroxyſmos* agendi, per *periodos* reuertendi, inprimis autem STATAS *periodos* ſeruandi, ſecundum has tales circumſtantias *adſueſcendi*, *pathematibus animi* conſurgendi, *facilibus* ſui ſucceſſibus multa deteriora conſectaria *præoccupandi*, & quam maxime *ordinatis* reuerſionibus hæc omnia efficaciſſime, ad *ſalutarem præſeruationem* reliquæ œconomiæ tranquillioris, vera *organica* ratione perpetrandi, abſolute in vanum & irritum redigunt.

Licet intentio non ſit vulgares ætiologias morborum excutere; paſſim tamen craſſiores & rudes illæ phantaſiæ notabuntur, præſertim in negotio hæmorrhagiarum.

§. II. Imo vero etiam abſolutiſſime peſſundat omnem fiduciam *a priori* in vere *tempeſtiuo* vſu ARTIFICIALIVM ventilationum ponendam: tanto magis autem omnem rationalem *ætiologiam a poſteriori*, *quantum* & *quamobrem artificiales* tales euacuationes etiam vere *vtiles* ſint, quoties recte adminiſtrantur. Imo quoniam per impudentiam, ἀπειρίας indiuiſum comitem, etiam veritatem *vtilitatis* hæmorrhagiarum in dubium vocare non dubitant, tamen iſtius rei, quam non poſſunt in dubium adducere, omnem ætiologiam perdunt, qui fiat, vt etiam ſimpliciter *artificiales* tales exonerationes, qualicunque tamen *inſti-*

Non ſolum vtilitas hæmorrhagiarum in dubium vocatur, ſed etiam artificiales euacuationes ſanguinis reiiciuntur.

inſtitia conſtitutionis talis plethoricæ adſuefactæ, *continuatæ* quidem conſtantem *euphoriam* conſeruent; *neglectæ* vero non ſolum *certas*, ſed etiam ſubinde *ſtatas*, imo *ſtatæ durationis* iterum requieſcentis, & iterum denuo inſultantis, *periodos* forment? & quidem iam in illa vna eademque parte, iam etiam in *aliis*, *diuerſis*, *diſſitis*, *oppoſitis*; minime tamen temerario libere & *indifferenter* deſultandi prouentu aut euentu, ſed vere *determinatis*, & ſecundum veram *hiſtoricam* peritiam, etiam facile diiudicandis *temporum*, *locorum* & prægreſſarum *conſuetudinum* aut concurrentium occaſionum *proportionibus*.

Cauſſa materialis hæmorrhagiarum eſt plethora. Recentiores autem allegant acrimoniam & grumoſitatem ſanguinis.

§. III. *Cauſſam* hæmorrhagiarum tam *materialem* quam *occaſionalem*, exceptis *violentis* hæmorrhagiis, eſſe ſimplicius PLETHORAM, conſentiunt fere omnes antiquiores; *recentiorum* tamen aliqui plus hic imputare geſtiunt *acrimoniæ* partim, partim *grumoſitati* ſanguinis. Illud autem omnino teſtatur experientia, quod illi quidem caſus, quos hi *acrimoniæ* aſſignare laborant, magis euidenter atque ſimpliciter partim ab *adſuetudine* iam concepta, partim ab aliis *temporariis* & *accidentalibus* commotionibus pendeant: cum ex aduerſo illi, qui *penitus* hæmorrhagias experiri incipiunt, & easdem etiam ſub reliqua ſatis euidenter bona corporis conſtitutione atque laudabili ſanitate ita continuant, ſemper manifeſto ſint *boni habitus* vel vniuerſi *corporis*, vel ad minimum *ſanguinis*; quod vel e *colore* totius florido, vel ſeorſim e *vaſorum* turgida plenitudine ſatis elucet.

Plethora tamen totum negotium non exhaurit, ſed commotio eius plurimum hic efficit.

§. IV Interim *plethoram* non exhaurire totum negotium vlla ſimplici *phyſica* efficacia, demonſtrant vtique affatim numeroſiſſima exempla vere *plethoricorum* circa reliquas res non-naturales, inprimis autem prudens *moderamen motus & quietis*, recte ſe gerentium, qui vel annorum plurium decurſu tam ab *hæmorrhagiis* quam aliis ſymbolicis affectibus immunes viuunt, nec vllas, niſi forte *temporarias* aliquas, ab *externis incidentibus* cauſſis, alterationes aut moleſtias experiuntur. COMMOTIO vero *plethoræ* trahit quam maxime poſt ſeſe primos ortus hæmorrhagiarum, æque ac etiam *reuocationes* earundem: in quibus tamen circumſtantia vtique occurrit, quæ neceſſario recte perpendi debet. Nempe, quando *commotiones* ſanguinis, inprimis ex *inteſtino motu* auctiore, *turgefactoriæ* ſanguini conciliantur in hominibus iam *diſpoſitis* ad hæmorrhagias, ibi fit valde familiariter, vt hæmorrhagia non erumpat ſub ipſo *ſtatu* & vigore huius expanſionis, ſed demum eo tempore, quo impetus ille re vera euidenter *ſubſedit*.

§. V.

§. V. Familiariſſimum eius rei exemplum eſt in *ebrietate*; a qua communiſſime illis, qui his rebus quantumcunque adſueuerunt, *altero* demum *die*, poſtquam vniuerſus impetus quorumlibet reliquorum a vino incommodorum ſatis exquiſite ſubſedit, ſanguis fluit. Et quidem apud multos tales ſine vllo *capitis* dolore, aut vlla circa ipſas *nares* prurigine; quamuis etiam talia apud aliquos ita occurrentia nihil detrahant directæ magis *deſtinatæque* ad hæc loca *congeſtioni*, & per illa expellendi *intentioni*. *Alterum* exemplum, iuſtiſſimæ pariter conſiderationis, eſt *criticarum* hæmorrhagiarum, poſt vehementes plurium dierum commotiones ſanguinis, *ſtato* die, & plus minus *horis certis*, contingentium; cum ita præſentaneo vniuerſarum illarum commotionum leuamine, vt dubium eſſe poſſit, an illud magis ab hac ventilatione cœperit, (quamuis illam ſimpliciter qua talem hoc minime præſtare manifeſtum ſit) an vero potius eruptio hæc re vera etiam ſubſidentis eo tempore iam aliunde impetus conſectarium exſiſtat.

Quod hæmorrhagia non ſtatim ſub ipſo ſtatu commotionis turgefactoriæ erumpat, ſed poſtea, cum impetus ſubſedit, duobus exemplis probatur.

§. VI. Manifeſtat ſe vero hæc res adhuc magis in *ſtatarum* hæmorrhagiarum eruptionibus. De his enim nemini homini ignotum eſſe poteſt, quod *intermediis* temporibus quæcunque etiam ſæpe commotiones ſanguinis minime ſatisfaciant ad eruptionem concitandam; dum e contrario iuſta temporis *periodo*, etiam *tranquilliſſimis* omnibus reliqui corporis & ſanguinis motibus, non ſolum iterum prodeant, ſed inprimis *moderate*, *temperanter*, & nullo vsquam *impetus* indicio. Imo continuent etiam *moderato* tali ſucceſſu ad certam periodum *dierum*, qua finita iterum *tacite* ceſſant: cuius rei innumera ſunt exempla in *menſibus*, apud *ſanas* mulieres recte procedentibus.

Statæ etiam hæmorrhagiæ non ſub commotionibus, ſed tranquilliſſimis motibus erumpunt.

§. VII. Hoc phænomenon, quod nihil *peculiare* aut *accidentale* certe inuoluit, ſed ſimpliciter potius tanquam verum *ſupremum gradum perfectionis hæmorrhagiarum ſimplicium* ob oculos ponit, non poteſt vsquam in vera *ætiologia* illarum formanda diſſimulari aut ſepòni, quin eo ipſo ſummæ totius rei vis fiat, & omnis reliqua explicatio vere in irritum recidat. Eo ipſo exſulant hic vtique ſtatim phantaſiæ illæ de *phyſica obſtructione viarum*, vndecunque tandem illa pendere fingatur: nec minus illa de certa *acrimonia*, vias erodente; vtpote quas vtraſque opiniones cum STATO tempore, hæmorrhagiis familiari, vllo modo conciliare ſimpliciſſime impoſſibile ſit.

Hoc phœnomenon de ſtato tempore hæmorrhagiarum ſupremum gradum perfectionis earum ob oculos ponit, cum quo opiniones de obſtructione viarum, & certa acrimonia conciliari non poſſunt.

Menſium negotium has opiniones infringit, & pro ſpecimine omnium hæmorrhagiarum allegari poteſt.

§. VIII. Enim vero non diſſimulo, quod præcipuum argumentum, ad infrigendas eiusmodi inanes opiniones, non poſſit aliunde vsquam melius peti, quam a MENSIVM negotio. Cum enim nemo puto tam inſolente fuerit fingendi libidine, vt etiam optime vndique ſanis mulieribus tanquam *originalem* talem labem imputare auſit, qua illæ eiusmodi conſtitutionem ſanguinis propriam & perennem habeant, vt ipſis maxime iam *coagulatio* illa, iam *corroſio* inde impendeat: ita, cum hoc eruptionis ſanguinis exemplum ita conſtans, perpetuum & numeroſiſſimum inſuper exſiſtat, vt exquiſitiſſime pro vero ſpecimine vniuerſi negotii hæmorrhagiarum allegari debeat; quicquid ipſi etiam circa reliquas *tacitas ſpontaneas* ſanguinis eruptiones non quadrat, ad *ætiologiam* hæmorrhagiarum *ſimpliciter*, & *qua talium*, minime etiam quadrare poſſe manifeſtum eſt.

Nulla phyſica ratio aut neceſſitas has hæmorrhagias producere & inferre poteſt, quæ dum fiunt, vtiles ſunt, dum non fiunt corpus damno exponunt.

§. IX. Meretur itaque omni omnino iure conſiderari *reſpectus* hæmorrhagiarum *moralis*, nempe VSVS, quem illæ afferunt, ſi recte & decenter fiant; & ex aduerſo *damna*, ſi non fiant, vbi tamen iuſtum ſit fieri. Vt ex hac maxime re diluceſcat, quod equidem *phyſica* neceſſitas hæmorrhagiæ actum non ſimpliciter producat: *moralis* autem, *vtilitas* certe, niſi quidem directa *neceſſitas*, maxime *vtiles* easdem & merito *præſeruandi* cauſſa tentandas, reddat. Iterum autem dico, quod *phyſica* nulla neceſſitas tales hæmorrhagias inferat, quales illæ inprimis ſunt, quæ dum fiunt, *vtiles* ſunt, dum non fiunt, *damno* propius corpus exponunt. Certe enim in *ſimplicibus* hæmorrhagiis, & quidem non ſolum ſine ſenſibili alia commotione exorientibus, ſed etiam adhuc inſuper *ſtata tempora* ſimpliciter, ſine vlla proportione ad alias *materiales alterationes*, (v. gr. *tempeſtatum* eximie variantium) ſeruantium, adeo nulla *phyſica* apparet ratio, vt potius multæ tales, *phyſicæ* inquam rationes, vere contrarium veroſimile reddere poſſent, nempe, quod ſub eiusmodi *phyſicis* variis mutationibus illa ſemper vniformis hæmorrhagiæ *methodus* non poſſit ſubſiſtere; quod tamen interim omni modo facit.

Neque vlla phyſica ratio allegari poteſt, cur hæmorrhagiæ non fientes in aliis ſubiectis nulla,

§. X. Tanto minus poteſt etiam vlla vsquam phyſica ratio allegari, quamobrem multis paſſim, & re vera numeroſis exemplis, etiam *non fientes* hæmorrhagias tamen propterea nulla inſignis mutatio, etiam per ſatis longum tempus inſequatur: cum tamen apud alia ſubiecta, inprimis *moraliter* ſenſibilioris, *trepidæ*, *timidæ*, *anxiæ*, *impatientis*, *iracundæ* indolis, citra *corpoream* diuerſitatem vere comparentem, incom-

commoda eiusmodi & *promtiſſime* & *certiſſime* ſequantur. Sicut etiam inſuper exquiſitiſſime inanes ſunt omnes *phyſicarum* cauſſarum allegationes ad illam rem, non veriſſimam ſolum, ſed inprimis notiſſimam, illuſtrandam, quomodo hæmorrhagiarum negotio alterationes & præſentiſſimas, & profundiſſimas conciliare poſſint nudæ *animi fictiones*: maiores certe alterationes, quam vllæ propemodum res *corporeæ*, niſi quidem immediate loco emiſſionis forte admoueri poſſint; cum *animi pathemata* nihil vsquam in *corpus*, ſed ſimpliciter in MOTVS agant: & hoc ipſum quidem etiam cum illa ingente differentia, vt alia quidem fluxus huiusmodi *incitent*, alia ex aduerſo eosdem *ſupprimant*.

in aliis vero multa incommoda inferant. Neque, cur animi pathemata hæmorrhagiis tantas alterationes concilient.

§. XI. Quod itaque VSVS illos attinet, quos hæmorrhagiæ commode ſuccedentes exhibent, certiſſimum hoc eſt, & omni veræ phyſiologicæ rationi conſonum, quod *depletiones* nimium abundantis ſanguinis hoc ipſo re vera ſubtrahant occaſionem grauiorum ſiue *periculorum reſtagnationum, ſtaſium, inflammationum*; ſiue *damnorum abſceſſionum*, aut ipſius *ſphaceli*. Cum autem etiam omnis ſalutaris exitus στάσεων ſanguinearum ſimpliciter fundetur in *vitalibus motibus*, non ſolum *particulariter directis* atque moderatis, ſed etiam *diu*, ad 3. 4. dies eadem circumſpecta moderatione continuandis; concurrente inſuper etiam *ſenſu* moleſto, & præterea *ſollicitudine*, de vltimo felici totius negotii euentu vere incerta: certe omnibus modis rationi magis conformis a priori, & factu etiam facilior a poſteriori eſt talis *apparatus* atque ſcopus, qui potius *cauſſam* ipſam ſubtrahendo & præoccupando, quam *effectus* exſpectando & operoſe expugnando occupatur. Et quidem, cum vtique omnino quidlibet hic *motibus* præſtandum ſit, conſultius quolibet intuitu erit, potius *generaliores* quosdam niſus ad *congeſtiones*, & tandem *eruptiones*, ſuſcipere, quam *ſpecialiſſimos* poſthac, *vigiles*, *continuos*, & tamen de felici exitu adhuc *ambiguos* motuum conatus tentare, & donec illi neceſſarii fiant, temere ſecure exſpectare: cum inprimis periculoſi tales euentus *reſtagnationum*, *ſtaſium*, & propter has neceſſariarum vel *inflammationum* periculoſarum, vel *corruptionum* lethalium, non ſolum eadem, ſed vere maiore facilitate *internas*, tenerrimas & nobiliſſimas partes occupet, quam externas ignobiliores: interim *euentus* cuiuscunque etiam laboris, & quantumcunque laborioſi concurſus circa *internas* partes ita affectas, immenſum quantum *incertioris* ſit ad ſalutem exitus, quam qui circa *exteriores* forte partes occupatus, nihilo minus illic etiam *laborioſus*, variis

Vſus, quos hæmorrhagiæ ſuccedentes exhibent.

ſenſuum incommodis *moleſtus*, & vere tamen damno tam *abſceſſionis*, quam plane graſſantis *corruptionis* ſubiacet.

Quæſtio: an etiam inſtitutio huius actionis in œconomia vitali conſulto & deſtinato fiat?

§. XII. Hoc quidem de vere *conſulta vtilitate*, imo *deſtinatione* ſanguinearum euacuationum, ſanæ rationi omnino ſimplicisſimæ quadrare manifeſtum eſt; illud autem magis vulgo dubium, an etiam hac ratione deſtinato atque conſulto fiat in œconomia vitali talis intenta *propter fines*, quatenus *vtiles*, actionis huius inſtitutio? Quæ quæſtio, cum magis ad phyſicam conſiderationem pertineat, nos equidem hic morari non debet, dum abunde nobis ſufficere poteſt, quod ad minimum a poſteriori res omni modo ita ſeſe habeat; nempe, & re vera *vtilis* ſit hæmorrhagiarum in *plethoricis* moderatus & facilis prouentus, & alia longe grauiora incommoda compenſet *præueniendo*: & e contra, ſi ipſe non ſuccedit, longe certius dicta illa grauiora *conſectaria* exſpectanda veniant.

Anima voluntatem motibus quidem exſequitur, hoc tamen non indiſcriminatim facit, ſed rem prius diuturna intentione & tacito deſiderio ſecum volutat.

§. XIII. Tamen placet etiam de hac re pauca verba dicere. Nempe, ſicuti *voluntas* equidem ordinarie *ſenſuales* aut *figurabiles* crasſiores *ideas* ſectatur, in quibus illud, quod *iucundum* aut *aduerſum* reputat, inuenire geſtit; interim veræ rationis, ſecundum quam aliud *iucundum*, aliud *aduerſum* reputet, minime vlla ratione *conſcia* aut *memor* exſiſtit: ita etiam circa res *vitales*, imo *partes* vitales, ſubtilem talem *ſenſationem* fieri poſſe, quam vel ad *iucundi*, vel *aduerſi*, circa internum illud negotium æſtimationem referat anima, vero non abſimile eſt. Sicut autem *voluntatem*, ſecundum crasſiores ſenſus aut ideas, *motibus* quidem exſequitur; interim neque hoc ipſum ita indiſcriminatim immediatis actibus atque ſucceſſibus facit, quin ſæpisſime etiam prius diuturna *intentione* & tacito *deſiderio* rem ſecum volutet, & cum aliis reſpectibus ita comparat, antequam ſimpliciter exſecutionem aggrediatur: ita ab hac conſtante agendi methodo nequaquam abit etiam illa, quæ in hoc *vitali* negotio ita adminiſtratur, vt, etiam pro ingenio reliquo indiuiduorum, alibi *impatiente* promte impetu, alibi *ordinatis* ſucceſſibus atque *moderamine* conueniente rem gerat, adeoque hic etiam æmuletur exacte reliquam ſuam vſitatam agendi methodum.

Confirmant hoc 1. ſomnia ſanguine prægrauatorum.

§. XIV. Confirmat autem, quin potius demonſtrat coram æquo iudice, hanc talem conſtitutionem partim notisſima illa, & iam ab omni antiquitate propterea notata generalis *idea cogitabunda*, ex huiusmodi conſtitutione in corpore ſubnaſci ſolita, vt ſanguine grauius

vius prægrauatis SOMNIA de *ſanguine*, de rebus *rubris*, de *flammis* & *incendiis*, de terrificis *anguſtiis* & *oppreſſionibus* familiaria ſint.

§. XV. Tanto magis autem illuſtrat, imo obſignat rem totam conuerſio illa generalium *intentionum animi* cum *mechanico-organica proportione* TEMPERAMENTORVM, ad ideas proportionatorum *motuum*, in ſtatu ſecundum naturam: vt in ſtatu p. n. tum alibi paſſim in ſingulis temperamentis; tum ſeorſim in *melancholico* habitu, iam admodum intemperanter inſoleſcente: cuius effectus in *ideas rationales* adeo manifeſtus eſt, vt exquiſite reſpnodeat *phyſico mechanico* habitui corporali. Nempe, vt in *corporis* œconomia tali ingens imparitas ſanguinis ad decentem ſucceſſum, vera autem habilitas ad certiorem propinquum effectum *detentionis* & *incarcerationis* præſto eſt: ita generali etiam *idea cogitationum* non ſolum reliquas, innominatas etiam, aut in genere ſummo *anguſtiarum* vtique *anxietates* experiantur; ſed etiam ſpecialius nominatim *incarcerationis* perennem metum in mente forment atque foueant.

2. Proportio motuum ad ideas cogitationum, & effectus in haſce ideas, qui phyſico-mechanico habitui corporis exquiſite reſpondet.

§. XVI. Sicut etiam notiſſima in hoc genere eſt e quotidiana experientia ingens illa, & vix non perpetua *conuerſio palpitationis cordis* cum *anxietate mentis*; adeo, vt tam palpitatio cordis *ſpontanea animi* etiam *irrationalem* de reliquo (nempe cuius nulla ratio ſuppetat) *anxietatem* familiariſſime comitem habeat: quam etiam viciſſim, qui talibus obnoxii ſunt, ſola *recordatione*, quantumcunque eius rei pertæſa, eiusque reditum metuente, eo momento actu etiam ipſam *palpitationem* iterum incurrant.

3. Concurſus palpitationis cordis cum anxietate mentis.

§. XVII. Cæterum cum medicæ conſiderationi, vti iam dictum eſt, omnino huius rei veritas *a poſteriori* reſpondeat, erit ex vſu, etiam illos eius effectus aut euentus ſimul conſiderare, qui contingere ſolent & ſubſequi, quando *cauſſæ* quidem hæmorrhagiarum *præſto* ſunt, hæmorrhagiæ autem ipſæ *nullæ ſuccedunt*. Sunt certe eiusmodi effectus ad vnum omnes non ſolum immenſum quantum *moleſtiores*, ſed ſecundum *proportiones* cum hæmorrhagiis etiam inſoleſcentes conſiderati, ad vnum omnes illis *periculoſiores*. Nempe *congeſtiones*, *dolores*, *æſtuationes*; *ſtaſes*, *inflammationes*, *ſuppurationes*; *ſpaſmi*, *palpitationes*, *conuulſiones*; *translationes* & *vagæ graſſationes*; *corruptiones ſphaceloſæ*, *fermentatiuæ* in longum latumque & profundum procurrentes, *funeſtæ*: vel etiam *febres* & *labore* atque *duratione*, & *ſenſuum moleſtiis*, & *animi* partim *impatientia*, partim *anxia incertitudine*, & *operoſæ* & *ancipites*.

Hæmorrhagiarum minus ſuccedentium effectus & euentus.

Concluditur, quod, præſente conſtitutione materiali, moraliter debeant fieri euacuationes ſanguinis.

§. XVIII. Ex his omnibus diſerte conficio, quod, præſente huiusmodi conſtitutione *materiali*, omnino *moraliter*, nempe *finaliter*, ſecundum omnem ſanam æſtimationem *finium* corporis *organici* & œconomiæ *vitalis*, debeant fieri hæmorrhagiæ ſeu *ſinceræ euacuationes* ſanguinis; minime vero, præſente huiusmodi conſtitutione, vel *non fieri*, vel ad minimum tanquam *indifferente* loco haberi. Cum etiam non ſolum hic actus *a priori* in genere conueniat *generaliſſimæ ideæ* œconomiæ vitalis, per *excuſſionem* extra corpus auferendi (quod notandum) non æque ſimpliciter, quæ *actu* nocent, ad craſſum ſenſum *in præſenti*: ſed quæ ſaltem ad ſubtiliſſimum ſenſum hoc faciunt, vel prorſus *in futurum* ſolum (quantumcunque etiam propinquum) nocere poſſunt. Præterea vero ſecundum *materialem* æſtimationem, etiam ſimili veritate, *abundantiæ* veræ ſanguinis nulla alia pateat methodus, quam ſimpliciter *ſinceræ euacuationis*; quandoquidem ſub nulla alia *forma* procedere carptim poteſt ſanguis, niſi prius penitus *reſoluatur*; neque per vllas alias *vias*, quam extremitates vaſorum immediate, vnde hæmorrhagia naſcitur, & nihil aliud.

Cauſſæ inſtrumentales hæmorrhagiarum.

§. XIX. Cauſſæ *inſtrumentales* ad producendum ipſum actum hæmorrhagiæ ſunt *motus tonici* auctiores; quibus ſanguis tum ad illam *regionem* aliquando latius, tum magis priuatim ad immediatum *locum* exitus ita conſtringitur, vt ibi diſtenſione vaſorum, & denique orificiorum extremorum, per modum talem *expreſſionis*, exitus ita obtineatur. Spectat quidem etiam hæc conſideratio, vt a priori, magis ad *phyſicam ætiologiam*, interim cum a poſteriori ad *diagnoſin* verarum circumſtantiarum *clinicam* practicam, tanquam in ſenſus ingerendam, inſeruiat, placet illam perſequi, vt tanto magis eluceſcere poſſit illa abſolute ἀμήχανος phantaſia hodiernorum, qui hæmorrhagiarum cauſſam in *obſtructione* vaſorum ponunt.

Inflatio vaſorum circa caput & fauces duo conſideranda offert.

§. XX. Phænomenon, quod in locis, ad quæ oculis patet aditus, hæmorrhagias *molientes* ſtipat, eſt *inflatio vaſorum*: vbi inprimis *duo* ſpecialiſſime conſideranda veniunt, in pertinacioribus erumpendi conatibus circa caput, quin etiam circa fauces & pectus, oculis conſpicua, & ratione iudicanda. *Primo*, quod in talibus conſtitutionibus non *tam*, nedum *ſolum*, *arterioſa* vaſa inflentur, quam *venoſa*; (Id quod in *narium* & *faucium* atque *pectoris* hæmorrhagiis, non ſolum *temporales*, ſed ipſæ *iugulares* VENAE, in oculos ingerunt; in *hæmorrhoidibus* autem, manifeſtiſſime *venoſæ*, nihil vsquam *pulſantes*, diſtenſio-

nes

nes notæ ſunt: vt nihil dicamus de illa *Veſalii* obſeruatione, qui in homine *hypochondriaco-hæmorrhoidariis* ſpaſticis pathematibus diu defatigato, tandem demortuo, venam *hæmorrhoidalem* ad digiti magnitudinem diſtentam inuenit; vti *Wedelius vas breue* in mortua a *cruento vomitu*: alii *ſinus* & *vaſa* duræ matris, ſimpliciter *venoſa*, poſt immanes dolores capitis, ſecuta tandem morte, mirifice diſtentos &c.) *Secundo*, quod huiusmodi *inflatio* non tam ſolum illis vaſis obtingat, quæ *immediate* ipſum locum exitus attingunt: ſed *longe lateque* circa, per totam illam eiusmodi regionem: exemplo iam citato, tum *narium* hæmorrhagiæ impeditius molientis, tum *hæmoptyſeos*, impetu aliquo plus minus paroxyzante, coorientis.

§. XXI. *Primum* illud phænomenon peſſime certe confundit phantaſiam illam, quæ hæmorrhagiarum *mechanicam* rationem collocat in *obſtructione*. Cuius autem quæſo rei? an *arteriarum*; e quonam tandem ergo meatu eſſet ſanguis ille qui exit? & *quomodo vnde, qua* & *quorſum* veniret ille ad vltimum exitum? Si vero *venæ* obſtructæ ſint, in quonam illarum ſaltem omnino generaliore loco ponenda eſſet talis obſtructio? An in *orificiis*? vnde *inflarentur* illæ, cum motus ſanguinis per venas progrediatur a *minoribus* ramificationibus *ad maiores*? Sin in *intermediis* meatibus, inter arterias & venas, vnde iterum inflarentur *venæ*? Si vero *obſtructio* talis in *capaciore* parte venarum hærere deberet, *quanta* deberet illa eſſe, & *qualis*? *Quanta*; cum etiam *iugularia* vaſa in dictis conſtitutionibus turgeant: (Sane vero *polypi* illi, res *rariſſima*, ſi veri intelligi debeant, veriores ſunt *polypodes* cerebri.) *Qualis* autem; vt inprimis *ſtatis* periodis *obſtructiones* illas ſolenniter celebret?

Ex primo illo phœnomeno perſpicuum eſt, quod hæmorrhagiarum mechanica ratio minime in obſtructione ponenda ſit.

§. XXII. Longe aliam autem profecto euidentiam habent *actus* illi *tonici*, etiam *eminus* ſanguinem, & quidem latius ad regionem totam, in qua exitus patere poteſt, compellentes; quorum vt alias paſſim conſpicuam ſeſe offert energia: ita familiariſſimo exemplo nota eſt ipſi adeo plebi in *ſexu fœminino*, vbi, quantumlibet minus expedita exeundi libertate, etiam per totum *ambitum* corporis inſtitutæ *tonicæ* ſtricturæ, ad interiora *dirigentes* ſanguinem, adeo euidentes ſunt, vt & *color*, & *calor*, & *adſpectus* extenuatus, cum internis *anguſtiis*, & ſub leui motu corporis *oppletionibus*, omnia hæc velut omnibus ſenſibus deprehendenda exponant. Quales non ſolum reſtrictoriæ, *e longinquo* plane, compulſiones, ſed etiam inſuper *ſtatæ* prorſus, & exquiſitis temporum *periodis* alligatæ, præterea aliis interim intercidentibus, aut concurrentibus

Energia actuum tonicorum, qua ſtricturis tonicis ſanguis eminus ad regionem illam, vbi exire debet, compellitur & dirigitur, omnibus mechanicis potentiis longe antecedit.

tibus quoque, *materialiter* plane inſignibus, v. gr. *tempeſtatum* & *diætæ*, alterationibus, nihil ad proportionem obnoxiæ: quam alienæ omnibus omnino reſpect bus ſint a quibuslibet ſimpliciter *mechanicis* potentiis, ſine *organica*, *fini* deſtinato vere quadrante, *directione*, non poteſt vllum fallere, niſi quidem & *mechanicæ* & *logicæ* pariter imperitum.

Moliminis hæmorrhagici inſtrumentum eſt motitatio tonico-ſpaſtica: in naribus pruritus, in pectore titillatio, &c.

§. XXIII. Sicut autem iam in ipſa *hiſtoria* hæmorrhagiæ in genere hoc monui, quod *excretiones* hæ etiam poſſint *tranquilliſſime*, *placide* atque *tacite* penitus procedere; & non multo ante etiam hoc ipſo capite aſſerui, quod omnino *expreſſio* illa velut immediate e *minima* portione inſtrui aliquando poſſit atque ſoleat: ita prodit huiusmodi moliminis verum *inſtrumentum* qualemcunque *motitationem tonico-ſpaſticam* etiam re vera *ſubtilem*, in *naribus* quidem iam *pruritus*, iam repentinus pruriginoſus *morſus*, quem vel *lacrymalis* leuis profuſio ſequatur; in *pectore titillationum* quidam ſenſus; circa *vterum grauitatis*, *tenſionum*, *preſſoriarum* tractionum quoque ſenſationes; in *inteſtino recto* & alii tranſitorii *morſus*, & *teneſmodes* irritationes, ad voluntarios etiam niſus prouocandos. Hæ tales vti hæmorrhagiæ etiam in genere *cauſſæ* magis directæ ſunt; ita hæmorrhagiarum *per ſpecies* vlteriores vtique aliæ ſunt cauſſæ, quæ mox propriis ſuis locis monſtrandæ erunt.

Breuis repetitio eorum, quæ de hæmorrh. hoc membro dicta ſunt.

§. XXIV. Præſente vero loco ſufficiet iterum breuiter repetere, quod & a priori, *vt propter finem*, hæmorrhagiæ non ſolum ſecundum *proportionem* præſentis abundantiæ ſanguinis *vtiles* ſint, ſed etiam ſecundum reſpectum *futurorum* promtiorum periculorum & damnorum *neceſſariæ*: ſi nempe illa talia potius *actiua* præoccupatione euitari, quam otioſe ſimpliciter *exſpectari* debeant: quod autem etiam ſimpliciter ſibi conſtantes, propria ſua indole, & ſine *accidentalibus* interuerſionibus, *placide*, *tranquille*, *ordinate*, imo *ſtatis* omnino menſuris periodorum ita ſuccedere poſſint, vt illud etiam familiariſſime maximo numero faciant; *menſium* muliebrium exemplo: interim, & ſemper alias (quoties ſine *externo* impulſu fiunt) *tonicis* maxime *motibus* & *directionibus* inſtruantur: qui motus, quo minus expedite ipſis ſucceſſus obſequuntur, eo manifeſtiora varia *phænomena* formant, quæ reliquum totum negotium ita ſuſpectum vulgo reddunt, vt illa *poſitiua actio* & *directio ad finem*, pro reliquis circumſtantiis, *ſalutarem* tendens, non decenter agnita, multiplices inde errores, & inprimis acceptiones *actiuarum* etiam circumſtantiarum pro ſimpliciter *paſſiuis* atq; morbidis introducat.

ARTI-

ARTICVLVS I.
DE
HAEMORRHAGIA NARIVM.

§. I.

PRogredior a conſideratione *generali* hæmorrhagiarum ad ſpecimina earundem *particularia;* de quibus adhuc pauca verba præfari licuerit, ad minimum repetendo e iam dictis, nempe de præcipua *ætiologia determinationis* huiusmodi magis *ſpecificæ*, ſeu ſecundum quam, imo etiam *ſecundum quid*, hæmorrhagiæ per *ſpecies* diſtinguantur. Præcipua nempe *differentia* hæmorrhagiarum, vt *ſpecifica*, eſt illa, qua ſecundum certa corporis *loca* diſcrepant. Reliquæ enim omnes talium circumſtantiæ pendent proprie ab hac vna, vt, dum *ad locum dirigitur*, *in loco* tentatur, *per locum* talem exigitur, peculiaria inde tanquam *particularia* phænomena concurrant. Verſatur autem *differentia* hæc in eo, vt certis veluti *ſucceſſiuis periodis* magis magisque *per inferiores* corporis regiones expellantur; nominatim hoc ordine, vt primo per *nares*, ſecundo per *pulmones*, tertio per *ventriculum*, quarto per *hæmorrhoidas*, quinto per *renes* & *veſicam* in vtroque ſexu: in *fœminino* ſeorſim primario per *menſes*: in vtroque, ſed admodum raris exemplis, ad reliqua vſitata comparando, etiam per *crurum varices*, exitum ſortiantur.

Aetiologia differentiarum hæmorrhagiarum.

Prima differentia eſt determinatio ad certa loca.

§. II. *Secunda* diuerſitas, & quæ maxime etiam *cauſſalem* quadantenus rationem præ ſe ferre ſolet, eſt diuerſitas AETATIS; ſecundum quam maxime ante dictæ illæ quaſi diuergentiæ ſecundum *loca* ita euenire obſeruantur, vt re vera tantiſper alia ratio, quamobrem ita fiant, nulla ſuppetat, niſi, ſi non ſimpliciter ab ipſa ætate, tamen ab aliquibus ſpecialiſſimis occupationibus & *actionibus*, ſub *ætatum* diuerſitate, ſecundum communem vſum diuerſis. Quantumlibet etiam, res ſine præiudicio ponderando, paſſim appareat, quod non tam ſolus *vſus*, quam re vera etiam *directus* peculiaris naturæ *inſtinctus*, talium ſecundum ætates differentium *actionum* fundamentum haberi poſſit. Hæ certe ſunt rationes differentiarum vere *communium* vniuerſo hominum generi; quin veluti magis *eſſentiales*. *Accidentales*, atque adeo etiam *indiuiduales*, ſunt illæ, quæ a *conſuetudine* introducuntur: quibus (mea ſententia, nec illa quidem, vt ſpero, male fundata,) ſimpliciter annumerandam cenſeo *impreſſionem hæreditariam*.

Secunda eſt diuerſitas ætatis.

Differentiæ accidentales.

Hæmorrhagiæ periodicæ.

§. III. Ceterum, vtut etiam omnibus cuiuscunque ſpeciei hæmorrhagiis reuerſio ſecundum *ſtatas periodos* temporis euenire ſoleat: ſunt tamen etiam certæ *ſpecies* præ aliis, quibus illud familiarius contingat.

1. Menſtruæ fœminarum.

Princeps omnino inter *periodicas* hæmorrhagias eſt MENSTRVA fœminarum; cui non ſolum familiaris, ſed potius ſimpliciter *debita*, eſt eiusmodi STATA redeundi dimenſio: vt etiam niſi ſecundum hanc circumſtantiam recte procedat, adeo velut *eſſentialem* ſuam indolem temeraſſe repucanda ſit, vt etiam re vera dehinc nihil certius, quam adhuc plures totius negotii ataxiæ exſpectandæ veniant.

2. Hæmorrhoides.

Proxima huic eſt euacuatio ſanguinis per *hæmorrhoides*; vtpote quæ, teſte experientia, omnino etiam non admodum difficulter huic *typo* adſueſcit, vt *ſtata* tempora ſequatur: & quidem, quod certe non indignum eſt diligentiore penſitatione potius quam commemoratione, non magis alii cuicunque *periodo*, quam ipſi quoque MENSTRVAE.

Aliæ hæmorrhagiæ menſtruum circuitum ſeruantes.

§. IV. Aliarum quidem hæmorrhagiarum, cuiuslibet tandem ſpeciei, non deſunt, mihi æque ac aliis praxi potitis, exempla *menſtruorum* circuituum; ſicut hodieque viuit honeſtus ſenex, cui ante decem circiter annos, *quinquagenario* forte tum temporis, *menſtruis* ſpatiis, & exigua inſuper *narium* hæmorrhagia accidere ſolebat: neque etiam hoc ſolum, ſed inſuper cum ea adhuc magis ſingulari diuerſitate, vt altero menſe ex *vna*, altero ex *alia* nare exſtillaret. Quæ res cum poſt annuum circiter ſpatium deſiſteret, correptus eſt patiens tum *ophthalmicis* quibusdam incommodis, tum magis magisque ſenſibilius *arthriticis*, & primo quidem *nephritidem* præ ſe ferentibus, mox vero etiam *coxendicem* & *femur* grauiter infeſtantibus pathematibus: qualium iam in decimum annum duos aut tres per vnumquemque inſultus, variæ quidem non tamen adeo æque ſummæ energiæ, expertus eſt: quæ tamen res nunc ſexagenario maiorem ad adſciſcendum laborum officii ſui ſocium impulerunt. De *hæmoptyſi menſtrua* periodica ventilata eſt ſub meo præſidio diſſertatio, & habentur eius generis exempla non æque rariſſima. *Vomitus cruenti menſtrui* exemplum, etiam vltra duodecimum menſem, allegaui diſſertatione de motu tonico vitali. *Mictum cruentum menſtruum* in ſene 63. annorum annotaui, æque ac aliquot vetulis. Sunt tamen omnino tales ſingularum huiusmodi ſpecierum exquiſitæ *periodi* re vera oppido rariores: interim, licet vtique peculiares ſpecies non æque efficiant, cum tamen, vti dictum, ad minimum

nimum peculiares ſpecies magis aut minus afficiant, non inconueniens duxi, in ipſa hac de *ſpeciebus* veluti præfatione huius etiam rei mentionem facere. Progredior itaque ad ipſas ſpecies.

§. V. NARIVM hæmorrhagia vti regulariter & ſincerius competit *iunioribus*, *pueris*, & *adoleſcentibus*, in ſexu maxime *virili*: ita citra plane peculiares rationes *hæreditariæ* diſpoſitionis, aut *adſuetudinis*, aut *externarum* commotionum inſolentiorum, non euenit etiam, niſi manifeſtius *plethoricis*; & *incitationibus* ſanguinis frequentioribus aut fortioribus accedentibus, quæ vel vniuerſim vel ſeorſim *turgefacere* poſſint, vel etiam peculiares iam *affluxus*, iam *reſtitationes* conciliare. Talia ſunt *motus corporis* indomiti; minus conſuetus vſus, vel etiam ſimpliciter abuſus *vini* & ſimilium *ſpirituoſorum* & *aromaticorum*; ingens *feruor ſolis* aut *conclauium* concalefactorum; quin imo in puerili ætate eiulabundi *ploratus*, a quibus, ſtricto collo & pectore, facies *rubere*, & *vaſa* circa caput inflari adſueſcunt.

Hæmorrhagia narium.

§. VI. *Violentiores* occaſiones contuſionis narium vti in concurrente *plethora*, etiam leuiore gradu ſui, fortiorem effectum ſortiuntur, vt nempe vel ex moderata offenſione ſanguis mox profluat: ita accedit alterum, maioris in hoc genere efficaciæ, fundamentum, vt nempe in *plethorica* conſtitutione etiam primo per *vim* prolicita hæmorrhagia, tamen in poſterum datis longe aliis, magis ſimpliciter *internis* occaſionibus, eundem exitum iterum affectet, & ſi maxime etiam non aſſequatur, tamen ſedulo *moliatur*; & ita, ſi maxime ſincere procedere non poſſit, aliis incommodioribus ſchematibus ſcenam moleſtam inſtruat.

Per vim prolicita hæmorrhagia eundem exitum iterum affectat aut molitur, aut aliis moleſtiis anſam dat.

§. VII. Hæc hæmorrhagia admodum familiariter etiam *ſponte* ſuccedit, ſine vllo *incommodo*; dum vel plane *tacite*, leuiſſimis occaſionibus, *motus corporis*, *inclinationis* corporis & capitis ad terram, *compreſſione* narium & *agitatione* qualicunque, (inter lauandum aut deſiccandum faciem,) aut leui tandem *pruritu* narium, & huic adhibita *ſcalptione* ita prodit: vel qualicunque leui etiam corporis *niſu* promte erumpit. Equidem tanto magis ſequi etiam ſolet hoc excretionis genus *rudiores* commotiones, nec non *internas* etiam ſeu *inteſtinas* ſanguinis *turgefactiones*. Vnde præter diuturnam moram in *ſole feruido*, capite maxime nudo, obuerſationem in *conclauibus* non altis, vehementer calefactis, potus *vini* vel inuſitatus vel immoderatus ſanguinem

Hæmorrhagia narium ſponte ſuccedit leuiſſimis occaſionibus. Tanto magis autem poſt rudiores commotiones & alias incitantes cauſſas.

guinem ita eliciunt; tanto magis autem in iis, qui iam quadantenus huic excretioni *adſueuerunt*.

Placidus & moderatus eius ſucceſſus ſubleuat & alacriores reddit, quos afficit.

§. VIII. Quando ita vel *ſponte*, vel legitima *proportione* ad externas *incitationes*, *placide* atque *moderate* ſuccedit euacuatio hæc, nihil vsquam incommodi creat ei, quem afficit; imo *ſubleuat* familiarius ad ſenſum, & *alacriorem* reddit: inprimis ſi antea ex abundantia inſigni ſanguinis *inertior*, & veluti *grauitate* in membris oneratus fuit patiens. Facit autem hoc, vt ita *ſubleuet* corpus, tanto certius, ſi non *nimis ſæpe* & *inſolentius* prouenit: quemadmodum ex aduerſo *grauitas* talis corporis tanto certius patientes occupat, quanto magis ſub vera conſtitutione *plethorica* patiens ante hac his excretionibus iam ſubleuari adſueuit, illæ vero poſtea emanent diutius.

Laſſitudo, ſeu tenſio grauitatem ſimulans, quas partes occupet.

§. IX. Sicut quidem talis *laſſitudo*, imo *grauitatem* veram ſimulans *tenſio*, apud aliquos magis particulariter *ſuperiores* corporis partes occupat: apud aliquos *caput* ſpecialiſſime, tum ſimili ſenſu generaliore *tenſiuæ* grauationis, tum ſpecialiore *interna* quaſi tenſione, *ſtupore* peculiari, aut *vertigine* comitante, imo apud aliquos actuali *dolore* hinc infeſtante. Nempe, ſicuti *bene ſuccedens* hæmorrhagia & nulla incommoda creat, & aliqua etiam prius percepta aufert: ita *trahit poſt ſe* incommoda vtique varia, non ſolum quando *adſuefacta*, inprimis autem ſub conſtitutione *plethorica* eximia, iterum ceſſat; ſed etiam, quando in conſtitutione eiusmodi, quæ ventilatione tali vtiliter ſubleuari poſſe videretur, nulla talis ſuſcipitur; interim tamen etiam *proximæ* cauſſæ *occaſionales* non euitantur, nempe ſanguinis *abundantis* actuales notabiles *commotiones*.

Incommoda hæmorrhagiam non ſuccedentem comitantia.

§. X. Sub talibus enim circumſtantiis obtingunt communiſſime variæ circa caput ſanguinis *congeſtiones*, & ex his progna ſcentes iam *inflationes vaſorum*, *oculorum rubores*, *dolores*, *ophthalmiæ*; iam *capitis* ſimiles *tenſorii*, *pulſorii*, *æſtuoſi dolores*, cum oculorum, ad minimum *intimioribus* per ipſum bulbum, doloribus & *ſenſibilitate* etiam lucis liberioris impatiente. Adeo vero non vera ſolum, ſed etiam nota eſt hæc res, vt etiam plebs meminerit, quando huiusmodi incommoda circa caput ſe oſtendunt, vel *in remedium* hæmorrhagias velut ominari; vel ſicubi illæ erumpunt, horum certam mitigationem inde polliceri.

§. XI. Sicut autem hæc huiusmodi ſimplicior eſt facies *narium* hæmorrhagiæ, nempe *ſibi* vndique *conſtantis*, atque ſinceræ: ita cooritur etiam aliquando hæmorrhagia e naribus, etiam diuerſa inprimis *ætatis* conſtitutione; ſed illa quidem vel per *adſuetudinem* ſimpliciorem, multiplicem atque diuturnam, continuam, & ſpeciatim *huius vnius* loci: vel etiam per *palindromen* talem; vt, cum dictis *primis* periodis *ætatis* patientes tales *narium* hæmorrhagiæ adſueti fuerint, *ſuccedente* alia ætate vero etiam in aliis locis euacuationem ſanguinis ſubeant; ſi talis iterum impediatur, peculiaris talis *recurſus* ad antiquum, & ordine veluti *primum*, emunctorium inſtruatur, & *conſueta* euacuatio *generalis* ſolum illo *ſpeciali* loco iterum inſtituatur. Eſt autem huiusmodi *vicaria* etiam *ſecundum genus* euacuandi via magis promte familiaris ipſi maxime *fœminino* ſexui; quando vterinæ *menſtruæ* euacuationes vel plane non, vel minus quam conuenit atque ſufficit, ſuccedunt. Sicut etiam *hypochondriacis*, *iuuenilis* tamen inprimis adhuc ætatis, loco hæmorrhagicorum *hæmorrhoidalium moliminum*, iam eruptiones e *naribus*, iam ad minimum *molimina* eo tendentia, non ita raro accidunt.

Hæmorrhagia narium etiam aliis ætatibus obtingit, vel per adſuetudinem, vel per palindromen.

§. XII. De hæmorrhagiis autem per *vim* externam concitatis ſaltem illa differentia attendi meretur, quod aliæ quidem tales maiore, aliæ minore impetu, etiam ſecundum reliquas propenſiones magis aut minus conſpirantes, nitantur. Ita enim v. gr. *puerili* & *adoleſcenti* maxime ætati ſufficere poſſunt etiam *moderatiores* cauſſæ, ad eliciendum talem fluxum; tam naſi *contuſionibus*, aut *ſcalptionibus*, aut totius capitis *concuſſionibus*: quam *internis* ſanguinis expanſionibus per *ſpirituoſos* potus, & reliquam *acriorem* diætam.

Hæmorrhagiæ per vim externam concitatæ vel maiore vel minore impetu erumpunt.

Nota ſunt eius rei *exempla*, vnde placet ſaltem *duo* breuiter allegare; vnum, vbi vir duorum vel trium ſupra quinquaginta annorum, cum perſuaſu nouæ coniugis potui nec ita parco ſpiritus ardentis adſuefieret, qui corticum citri equidem aliqualem ſaporem, ſimul tamen & odorem & colorem croci ſatis largum exhiberet; hæmorrhoidum etiam inſuper excretioni ſatis frequenti addictus: incurrit inde aliquanto poſt tempore vertiginem & vehementem, & ita frequentem, vt ingens metus eſſet apoplexiæ. Liberabatur autem ab ea, inſtituta venæ ſectione: ita tamen poſthac etiam continuanda, vt niſi illam per femeſtria tempeſtiue repetat, mox iterum præſto ſit vertigo; ſed ex aduerſo celebrata hac, etiam illa iterum euaneſcat, & per plures menſes quieſcat. Alter etiam quinquagenario maior, ſimili potus generi adſuefactus, alias etiam, licet admodum modice & raro, hæmorrhoidalem euacuationem expertus, diuturno vero iam aſthmate ſicco, & anxiis eius exacerbationibus hypochondriacis obnoxius, facie commu-

 nites

niter admodum florida, & narium etiam pruritu ſæpe moleſto, incidit aliquando in repentinam narium hæmorrhagiam, adeo vehementem, vt per noctem, a cuius conticinio fluxus ille cœperat, vsque ad octauam antemeridianam, propius tres libras ſanguinis ita emiſerit. A quo etiam fluxu valde, inprimis ipſo capite debilitatus, & ſi ſe erigeret, ambiguum vertigini tenebricoſæ, an veræ lipothymiæ, mox obnoxius, & inter iacendum etiam vehemente ſonitu aurium vexatus, ſatis difficulter ad ſe redierit, ſedata tamen poſthac ad ſex propemodum menſium ſpatium aſthmatica illa pectoris anguſtia, nec etiam tali impetu amplius reuerſa.

Incommoda, quæ variis modis hæmorrhagiam non fientem & molientem ſtipant.

§. XIII. Sicut autem ita *commode ſuccedens* narium hæmorrhagia & ipſa in ſe incommoda inſignia non faceſſit, & alia potius incommoda vere *præoccupat*; ita, niſi tamen etiam *ſucceſſus* ſuos legitime aſſequatur, euadit vtique architectus aliorum non exiguorum incommodorum. Facit hoc autem veriore culpa ipſa omnino hæmorrhagia *poſitiue*, quando *excedit*, & nimium emittit; *priuatiue* incurrit hanc culpam, quando, vbi potius deberet fieri, non contingit: & hoc vel ſimplicius veluti *primordiali* defectu, (qui tamen re vera rarior eſt) nempe vt ne quidem *tentetur*, quantumlibet reliqua conſtitutione affatim ad hoc diſpoſita; vel alias conſueta, in poſterum veluti *quietius* ceſſare videatur, & emaneat; vel denique exitum quidem non adſequatur, interim illum omni modo *moliatur*.

Prioris modi incommoda.

§. XIV. *Primus* horum modorum locum concedit ad minimum *tranquillioribus* & *ſimplicioribus* plethoræ effectibus; *reſtagnationibus*, *diſtenſionibus*, *infarctibus*, *ſtaſibus*, & inde neceſſariis *inflammationibus* ſuppuratoriis, aut *corruptionibus* ſphaceloſis. Operoſiore iam modo atque motu *febribus acutis*, & faciliori earundem prouentui, & vndecunque tandem prognatarum, tum in genere *æſtuoſiori* conſtitutioni, tum in ſpecie *proprii typi*, inprimis *temperatioris* & *halituoſioris*, *peruerſioni*, etiam in *malignis* non ſolum periculoſiſſimæ, ſed familiarius *funeſtæ*.

Alterius modi incommoda.

§. XV. *Secundo* vero modo, quanto magis atque diutius ingenium ſimpliciter diſſimulat, (nempe, vt non potius vere tales *vitæ rationes*, aut *vicariæ depletiones* aliæ intercedant, quæ huius euacuationis vices expleant) eo certiores tandem ſubſecuturas, & ſimul grauiores alias *anomalias* minantur. Quando vero moliuntur quidem, ſed exitum tamen non inueniunt, tunc fœcundo prouentu pariunt illa multiplicia incommoda, quæcunque a *reſtagnatione* ſanguinis *circa caput copioſa*, *impetuoſa*, *pertinace*, *frequente*, & magis magisque ob *leuiores* cauſſas *inſoleſcente* exſpectari poſſunt. Quando vero a capite in

pectus

pectus deſultant, forment ibi tanto *perículoſiora* incommoda, quanto plus damni partes in pectore contentæ ab huiusmodi inuaſionibus ſuſcipere atque ſubire poſſunt. Tanto grauiora autem eueniunt communiter pleraque talia, quanto magis iam *aſſueta* fuit ventilatio hæc, præ ſimplicibus primis forte eius moliminibus, priusquam ita in conſuetudinem *obfirmata* fuit. Hæc quidem hactenus dicta ſunt præcipua PHAENOMENA circa hæmorrhagiam occurrentia; dico circa actus illos, qui non tam ſimpliciter *erumpentem*, quam etiam ſolum *molientem*, minime vero *fientem* atque ſuccedentem hæmorrhagiam narium ſtipant.

§. XVI. SYMPTOMATA vera, quæ hæmorrhagiæ *fluxui*, qua tali, vere *morbida* accidunt, ſunt vel *inſufficiens* & impeditus quoquo modo earundem exitus; vel *nimius* effluxus & vere magis *paſſiuus* lapſus; aut *immoderatus* etiam adeoque erroneus, & damno quam vſui aptior *impulſus*. *Conſecutiue* vero etiam, ſub *defectu* liberi ſucceſſus optabilis, reliqua iſta pathemata a *congeſtionibus* circa partem affectam oriunda, *tenſionum*, *dolorum*, *ſpaſmorum*, *ardorum*, *ſtaſium*, *corruptionum ſuppuratoriarum*, aut *grauiorum*. Symptomata hæmorrhagiæ.

§. XVII. Quod iam attinet CAVSSAS huius hæmorrhagiæ, *huius* inquam, *narium*, *quatenus talis*, equidem non prolixe placet *phyſicis* maxime reſpectibus immorari; qui alias ſuppeditant peculiarem rationem habitus *capitis*, & *circa caput* fientium peculiarium coniſuum, in primis præcipue *ætatum gradibus*. *Niſuum* inquam, tam ſimpliciter *tonicorum*, *ſpontaneorum vitalium*, quam *voluntariorum* quadantenus: illic circa expulſionem *dentium*, hic circa multiplicem *eiulandi* atque *plorandi* promtitudinem. Quo actu etiam ſanguinem circa caput *conſtringi*, *elucescit* ex *inflatione faciei* & venarum, *rubore*: & ſpecialiſſime etiam copioſa *tenuioris humiditatis*, e ſanguine ibi ita conſtricto largiter emanantis, ſingulariter per nares eruptione, ſub ipſo vehementius plorandi actu. Quod ipſum vltimum aliunde non eſſe niſi a ſtrictiore *appulſu* æque, atque *ſtagnatoria contentione* ſanguinis, circa ipſas has partes, nempe nominatim *nares*, nemo *Anatomico-Phyſicus* in dubium vocauerit. Quid, quod huiusmodi etiam *ætati*, inter *vrbanos* infantes maſculini ſexus (ſicuti re vera in genere *maribus* familiarius eueniunt huiusmodi hæmorrhagiæ) hac ætate partim *memoria* caput magis exercendi, partim *aſſiduitate* & *motibus* maturiniſque *vigiliis* & ſanguinem in genere, & *caput* in ſpecie exercendi ſub Cauſſæ.

opiſi-

opificiorum tyrociniis, aliquam occaſionem harum rerum vberiorem præbere poteſt: *ruſticis* autem pueris curſitatio *in ſole capite nudo* aliquid ad hoc negotium conferre: quamuis quidem hi rarius, quam illi, vniuerſis huiusmodi affectibus ſubiaceant.

Repetitionis huius euacuationis cauſſa, præter plethoram, eſt adſuetudo.

§. XVIII. Interim verior cauſſa *repetentium* poſthac maxime circa hæc loca huiusmodi eruptionum eſt vtique *ſemel iterumque*, iuxta modo dictas occaſiones, facta his ipſis locis euacuatio; præſens autem ſimul etiam per hæc ipſa loca *merito* euacuandæ materiæ vbertas, nempe *plethorica* verior conſtitutio: quam quidem *puerili* & *adoleſcenti* ætati familiarem, imo quaſi *propriam* eſſe, elucet non ſolum ex *incremento* corporis neceſſario, & ad illud etiam ipſius ſanguinis, tanquam *in anteceſſum* imo etiam *in ſubſidium*, præſente vberiore penu; ſed etiam inprimis a *voracitate*, non magis familiariore, quam communiter etiam liberiore his ætatibus, quam ipſi primæ *infantili*. *Euentus* autem ipſius eruptionis inquam actualis, poſtquam ſemel *adſueſcere* cœpit, etiam poſthac familiarioris atque *promtioris*, cauſſam *occaſionalem* maxime certiorem merito vtique petere licuerit ab immoderatiore communiter, hac ipſa maxime ætate, *motuum corporis* minus temperantium vſu; quin paſſim etiam *violentiarum* circa caput, a percuſſionibus, *colaphis*, *per capillos* tractionibus, narium immediate *colliſionibus*, occaſionibus tali ætati vſitatioribus.

Ex quibus cauſſis narium hæmorrhagiæ aliis ætatibus obtingant.

§. XIX. Aliis autem ætatibus obtingunt narium hæmorrhagiæ vel a priſtina quoque *conſuetudine*, vel a moliminibus *ex aliis locis* ad caput repulſis; inprimis per refrigerationem *inferiorum*, inconuenientem artificialem *repulſionem* ex iisdem, & tandem *inebriaminum* abuſum. Vbi quidem, præcipue in iam prægreſſa narium hæmorrhagiæ, aut inſignium eius moliminum *conſuetudine*, etiam non ita rariſſime redundationem ſanguinis ad caput, in talibus etiam alienioribus ætatis gradibus, maximopere inuitat temere inſtituta *venæ ſectio in ſuperioribus*, nempe *brachiis*; & præcipue quidem *ſub ipſis* aliorſum tendentibus actualibus *moliminibus*.

Mechanica ratio promtæ eruptionis ex hac parte eſt quærenda in textura tunicæ nares cingentis.

§. XX. Hæc quidem de *apparatu* ipſo ad expulſionem hæmorrhagiæ inſtituendam vere ita valent: quod autem directam *mechanicam* rationem concernit, cuius maxime interuentu eruptio ſanguinis ex hac parte ita promtius fieri poſſit, venit ibi vtique conſideranda *textura* plane peculiaris *tunicæ*, quæ nares intimas ſuccingit. Irrigatur hæc nempe numeroſis tenerrimis *ramificationibus* vaſorum ſanguiferorum,

rum, tam *arterioſorum*, quam *venoſorum*. Quorum *poſteriorum*, *venoſorum* inquam, propagines etiam cum ipſis per *duram meningem*, & per hanc ad *cerebrum* diſtributis vaſis peculiarem communicationem habere, ex anatomia petendum venit.

§. XXI. Quæ ipſa quidem res non vltimum certe vſum habet, vt in ipſo facto, ita etiam in *æſtimatione* pathologica *depletionum* ſanguinis, a *concuſſionibus* capitis intra cranium exundantis; aut ſecundum has neceſſitates *critice* contingentibus; vel etiam per ſubſidiariam *artem* imitandis atque ſupplendis. De qua vltima re conſiderari meretur *Aegyptiorum* artificium, in ancipitibus caſibus per *criſes* acutarum, *internas nares ſcarificandi*, ſeu potius ſincerius incidendi. Quæ res a *Proſpero Alpino* conſignata, a me quoque *programmate* celebrata eſt, diſputationi inaugurali *de Phlebotomia* adiecto. Narium ſcarificatio Aegyptiaca.

§. XXII. Deducit nos autem hæc ipſa res, veluti manu iniecta, ad illam conſiderationem, quomodo per hanc viam, *nares* inquam ipſas, etiam omnibus reſpectibus non ſolum *particulares*, ſed omnino *determinatæ* atque *deſtinatæ* inſtruantur ſanguinis euacuationes. De CRITICIS in animo eſt loqui; quæ poſt *commotiones* ſecundum omnium ſenſuum teſtimonium *inſignes*, ſub quibus ne quidem *apparatus* euidens ad illas ſeſe offert, *remoto* aliquo *die*, ſed *definiti* tamen *numeri* atque *menſuræ temporis*, ita erumpunt, vt non ſolum euacuationem conſpicuam atque largam perpetrent, ſed etiam hoc faciant cum peculiari adhuc *duplici* conſecutionis diuerſitate. *Primo* enim, ſi exquiſito temporis, etiam ad *horas* vsque, ambitu *liberaliter* atque largiter profluit, ſequitur vniuerſalis *euphoria*: imo nominatim totius hucusque formati *febrilis* impetus *ſedatio*, inexſpectata *velocitate* ſeſe ad conſuetam naturalem menſuram componens. *Secundo* ex aduerſo, ſi etiam & tempore tali, & exitu aliquali ſeſe exſerat hæmorrhagia, niſi tamen ſatis notabili *quantitate* fiat, non ſolum *ſalutarem* illam febris *mitigationem* minime præſtat: ſed quanto magis etiam ab hac *liberali* atque larga efficacia deficit, eo *peius* cedit totum negotium; & inprimis circa vlteriorem *ordinatum* ſucceſſum motuum, exacta aliqua *proportione* atque circumſcripta *menſura* inſtruendum. Criticæ narium hæmorrhagiæ.

§. XXIII. Hæc quidem res ſemper ſumme perplexam reddit pertinaciorum ſpeculatorum mentem atque vniuerſam induſtriam: aduerſatur enim, velut e diametro ſimpliciter, omnibus illis fundamentis, quibus illi, vſitata illa ſua craſſa *mechanica*, hæmorrhagiarum efficaciam Hæc criſis hæmorrhagica multum diuexat mechanicos.

 aſſigna-

aſſignare laborant. Primo enim occurrit in eiusmodi exemplis non ſolum generalis eiusmodi *ingens commotio* ſanguinis, ſub qua *turgeſcentia* peculiaris etiam e variis phænomenis colligi poſſit; & tamen toto illo tempore nulla ſequitur *eruptio* talis. Secundo, neque tamen etiam ſimpliciter per *longitudinem* temporis forte nudam ſequitur talis effectus eruptionis ſimplex; qui nempe ita etiam ſimpliciter, tandem aliquando, qualiacunque veluti obſtacula vincendo, ita perrumpat: ſed venit in conſiderationem *menſura* penitus *definita;* non ſolum ad *diem* peculiarem, ſed omnino rem vere exquiſite capiendo, ad *horas* etiam certas certæ diei. Planiſſima quidem, & proinde etiam paribus geniis digna eſt via, rem totam *negare*: ſed cum talibus non eſt ſermo. Qui vero & occaſionem habuerunt, & mentem aduerterunt ad obſeruandum, *quid fiat*, aut *non* fiat in ipſa clinica hiſtoria: illi vtique facile agnoſcent, quod hæc vtique res nec e fundamento vehementis *expanſionis* ſanguinis, vnde ille tandem perrumpat, expediri poſſit; nec e ſuppoſitis illis *obſtructionibus*, aut vlla credibili ratione ortus atque prouentus earundem.

Deſtinatio commotionum & directio ſanguinis ad certa loca, immo vniuerſus apparatus ad hunc effectum rem explicat.

§. XXIV. Cæterum, vt e fundamento *deſtinatarum commotionum* & *directionum* ad *certa loca* exitus, & quidem PROPTER *finem*, & ipſo facto SALVTAREM, & huic etiam euentui *mechanico-organice* reſpondentem, tam tota *deſtinatio*, quam peculiariter *tempeſtiua* adminiſtratio huius rei facilius concipi atque colligi poteſt: ita illuſtrat illam etiam, animum aduertentibus, vtique tanto euidentior vndique *apparatus* vniuerſus ad hunc effectum recte atque ordine abſoluendum, ſano ſenſu etiam *mechanice* quadrans. Ita enim vtique ab antiquis inde temporibus iam conſignata eſt ſylloge illa, ſeu ſyndrome *motuum preſſoriorum*, quibus ſanguis vniuerſim e reliquo corpore, & inprimis ex *inferiore* corporis regione ad *ſuperiora*, nempe ipſum *caput*, conſtringitur.

Signa criſeos per hæmorrhagiam narium.

§. XXV. Certe enim iam ab illis temporibus, tanquam SIGNA *criſeos per narium hæmorrhagiam* appropinquantis, commemorantur *tenſio* in hypochondrio dextro; *vrinæ ſuppreſſio* aut *imminutio;* neque *paucitas* ſolum, ſed etiam *tenuitas* eius; *ſudoris* etiam ſuppreſſio; quin etiam *frigidulus* ad tactum inferiorum partium *ſenſus;* ex aduerſo *faciei inflatio;* *vaſorum* in collo & temporibus *turgeſcentia;* *oculorum* prominentia, *ſiccitas* quaſi, quin *rubor;* *ſonitus* atque *ſibilus aurium;* *mentis* vacillatio aliquando; *vertigo* capitis; apparens velut ante oculos *ſcin-*

ſcintillatio; tandem *narium* immediate *pruritus*, & vel ſine, vel ſub qualicunque ſcalptione tandem *eruptio* ſanguinis. Nempe ſub his circumſtantiis ita ſimpliciter *hiſtorice* prolatis, & tanquam *ſignis* nudis, ab antiquitate commemoratis, illis quidem, qui negotium *tonici motus* vere intelligunt, facile vtique diluceſcit, quænam hæc ſit harum rerum ſcena, & quomodo illa tota a *tonicis* eiusmodi *reſtrictionibus* ſanguinis *verſus* caput, e reliquo totius corporis habitu, proprie pendeat.

§. XXVI. Iam vero, cum hæc *criticarum* hæmorrhagiarum ſcena ſub propiorum temporum ſpeculationibus atque πράγμασι eo reciderit, vt etiam vulgo vniuerſum negotium, *an* re vera *dentur criſes* huiusmodi? in dubium vocetur: ſupereſt plane alterius indolis, nempe nimio plus quotidie occurrens, *alterum ſchema* huius eiusdem rei, in *funeſtis* cataſtrophis *acutarum febrium*, inprimis cum conſtitutione patientium *florida plethorica* prægreſſa, male decurrentibus & exeuntibus. In talibus enim longe familiariores ſunt illæ *circa dies criticos*, quin *ipſis* omnino his diebus, *funeſtæ* terminationes, cum repentina horum alias dictorum *ſignorum* ſyndrome, nempe *refrigeratione extremorum*, maxime omnium autem *pedum*; adeo, vt inde etiam vulgi formula nota ſit de ita affectis, **ſie ſterben von unten auf.** Præcurrit autem, ſi res recte attendatur, *vrinæ paucitas*, maxime vero ſumma *tenuitas*; *vaſorum circa collum* inflatio; *anguſtiæ internæ* ſuſpirioſæ; *mentis* perturbatio, imo *furioſa* concitatio; *oculorum prominentia*, *ſiccitas*, *ferocia*: tandem magis magisque increbeſcens totius corporis reliqui *inſenſibilitas* & *immobilitas*: denique *mors* cum reſpiratione veluti per *oppreſſionem* magis magisque intercepta. Aliquibus etiam vitia *anginodea* faucium, inprimis, vbi reliqua hæc *ſegnius* aliquanto incedunt. Illis autem, quibus hæc *repente* ita fiunt, indubia, quibus vero ſegnius ſuccedunt, etiam valde familiaris, poſt omnia reliqua *vitæ* ſigna perfecte ſublata, *eruptio copioſa ſanguinis e naribus*: quæ, dum etiam per *infundibulum* ita dimanat, præſertim in *ſupino* cadauerum ſitu, regurgitat inde etiam maximam partem per os extrorſum.

Aliud ſchema in funeſtis terminationibus febrium acutarum circa dies criticos.

§. XXVII. Quæ res proinde ſine dubio occaſionem præbuit, inprimis in *climate* ſuo *feruido* familiarius eueniens, *Aegyptiis*, ad capeſſendum conſilium illud, per *inciſionem narium*, in rebus ita ancipitibus, emiſſionem potius iuuandi, quam quoquo modo negligendi; ne perenni *reſtagnatione* & magis magisque augeſcente eruptio circa

Hæc res Aegyptiis occaſionem dedit ad inciſionem narium.

intima cerebri contingens *conuulſiuo-apoplecticam* tandem efficaciam abſoluat. Interim illis, quicunque *motuum tonicorum* mechaniſmum non ignorant, facile diluceſcit, quid & quantum hic poſſit *reſtrictio illa*, qua ita ab *inferioribus* partibus incipiendo, tota moles ſanguinis ad *ſuperiora* compellitur: & augeſcente magis magisque ab *inferioribus altius* ſurſum hac preſſione, tandem tota *congeſtio* ita ad caput redundans, quando *exitum* non impetrat, diffundendo tandem ita circa intimiora, *eruptiones*, aut ad minimum plenam progreſſus *ſtaſin* ſubeundo, primo *mentis* ipſius anxias perturbationes ita producit, tandem autem ita ſuccedentem omnium *motuum* vitalium ceſſationem.

Reſtrictio ſanguinis verſus caput & tota eius congeſtio, exitum non inueniens quid producat.

Phyſico-mechanicæ interpretationes huius ſucceſſus refutantur per paroxyſmos febrium intermittentium.

§. XXVIII. Quam commode vero vniuerſa hæc interpretari licet de *directione organica*, *intentioni* etiam huiusmodi *excuſſionis* recte quadrante: tam aliena eſt certe tota harum rerum ſcena ab omnibus aliis, certe craſſo modo ita dictis *phyſico-mechanicis* ſimplicibus ſucceſſibus; tam ſimpliciter, e reliquo *ordine ſucceſſus* ab inferioribus ad ſuperiora, quam ſpecialiſſime, ab illo ſingulari *ambitu temporis*, diem *criticum* nominatim definiente. Sicut re vera reliquæ illi phantaſiæ, quaſi hæc eruptio craſſo ſimplici *mechaniſmo* ita eueniret, vt *ſtricta* corporis *peripheria*, adeoque ſanguine ita ab illa ad *interiora* coacto, tandem eius *perruptio* alicubi eueniret, manifeſtiſſima ratione contrariatur phænomenon quotidianum *paroxyſmorum febrilium intermittentium frigidorum* & *horridorum*, cum *firmiſſima peripheriæ* corporis tali denſatione, atque veriſſima *compreſſione* ſanguinis: interim absque vlla conſecutione vllius vsquam *hæmorrhagiæ*, ſiue e *capite*, ſiue *pectore*, ſiue quibuslibet tandem exeundi locis atque opportunitatibus.

Directio ſanguinis ad certa loca eſt cauſſa huius euacuationis. Quod probat diuerſa efficacia animi pathematum.

§. XXIX. Inſiſto propterea merito tanto firmius huic ſententiæ, quod DIRECTIO ſanguinis ad *peculiaria loca exitus* ſit *præcipua* cauſſa, imo *vnica*, *exitus* ſanguinis *per certa corporis* emunctoria præ aliis: abſolute vero illius, quæ *ſtatis temporibus* ſuſcipitur. Quod etiam tanto magis illuſtrat tam potens in hoc genere efficacia *animi pathematum*: & quidem priuatiſſime *diuerſitas* illorum; dum ſola maxime *iracundia excuſſiones* has, & quicquid ad illas *facit* atque *tendit*, cito & potenter prouocat; ex aduerſo vero *terror* potius *adſtrictiones* etiam iam *fluentium* producit. Et quidem reliqua circa hanc rem, iuxta vſitatam illam craſſiorem explicationem *ſtricturarum* illarum, (quæ ſub *directione* ad certum *locum* ſolum, *organicam* ſuam efficaciam exhibent) tanto magis conſideratu digna diuerſiſſima efficacia; vt licet *con-*

ſtri-

ſtrictionem habitus corporis ſecum ferat *terror*, tamen illa hic nullius ſit eiusmodi efficaciæ, per *coaceruationem eruptiones* perpetrandi: qualis quidem ita in genere in aliis illis, in quibus comparet hæmorrhagiarum circumſtantiis, iterum merito dico, *craſſo modo*, ad hanc explicationem trahitur.

§. XXX. Vbi pro huius rei tota concluſione ſeorſim penitus notandum venit, quod regulariter illæ horum generum *ſtricturæ*, quæ laudatas has *directiones* ad hæmorrhagicos exitus, *placide* & bene, adeoque etiam *ſalutariter* atque *moderate* ſuccedentes, adminiſtrant, ſint omni modo ipſæ quoque *moderatæ*: minime vero *fortes*, *rigidæ* aut *horridæ*. Cum tamen, ſecundum celebratam hanc *mechanicam* fiendi viam & energiam, talis maxime huiusmodi effectui quadrare deberet, quæ magis fortiter compreſſionem illam exerceret. Stricturæ, quæ has directiones adminiſtrant, ſunt etiam moderatæ.

§. XXXI. Quantumlibet autem hæmorrhagia narium *in ſe* conſiderata, & *ſibi* adhuc ſimplicius *conſtans*, non magnæ conſiderationis exſiſtat: tamen cum plura *incommoda* partim propius *ſubire*, partim etiam *poſt ſe trahere* poſſit, dicendum propterea eſt aliquid, tam de *effectibus* quam *euentibus* eius. EFFECTVS hæmorrhagiæ narium conſiderandi ſunt vel *bene ſuccedentis;* qui nempe maxime proprie *effectus* appellari merentur: vel *male cedentis;* quos meliore aliquo iure *euentus* appellandos eſſe cenſeo. *Bene ſuccedens* hæmorrhagia (vti quælibet, ita etiam) *narium* fit talis vel *a priori*, vel *a poſteriori*. *A priori*, quando cauſſas vere *proportionatas* ſequitur, conſtitutionem *plethoricam*, & occaſiones *commotionum*: *a poſteriori* ſuccedit bene, ſi *proportione*, *moderate* & *tranquille* fiat. Effectus hæmorrhagiæ narium.

§. XXXII. His modis bene ſuccedens hæmorrhagia trahit poſt ſe *effectus* vel *directos*, vel *indirectos*. *Directus* effectus eſt EVPHORIA; *plethoræ* generales tenſiuos atque grauatiuos effectus, tum inprimis circa *caput* reſtagnantis congeſtoriæ moleſtiæ incommoda expediens atque tollens. *Indirectus* effectus eſt ADSVETVDO huiusmodi ſpontanearum *exonerationum*: quæ quidem non ita ſemper & abſolute optime cedit, quin *humanæ indolis* peculiarem ſemitam inſiſtat; vt nempe, quo magis *facilem* non ſolum *viam* inuenit, ſed etiam *methodum* comprehendit, eo *promtius* atque *largius* etiam poſthac talibus nixibus inſiſtat: id eſt, non ſolum ab illa ſua via minus minusque iterum *deſiſtat* in genere: ſed etiam, per *leuiores* maxime occaſiones commoueatur, vt illam denuo *inſiſtat*, atque capeſſat. Quin tandem, ſi ipſæ Hæmorrhagiæ bene ſuccedentis effectus directus eſt euphoria: indirectus adſuetudo huius exonerationis.

narium hæmorrhagiæ in ſpecie; quacunque tandem de cauſſa, inprimis tamen *ætatis* aut *vitæ generis*, ceſſare appareant, tamen *generalis* euacuatoria *adſuetudo* ad minimum *alia loca* affectet, quibus exitum ſperatum ſortiatur. Vnde nimis quam certum vtique eſt praxis quotidianæ teſtimonio, quod qui hæmorrhagiis *narium* etiam vere *iuſtis* atque *ordinatis* ADSVEVERVNT, ſuccedentibus *ætatibus*, & inprimis altius prouehente, etiam ob *mediocres* cauſſas ad *molimina* eiusmodi hæmorrhagica proni exſiſtant, quæ circa alia, & fortaſſis impeditiora *loca*, *incommodis* euentibus expoſita, aliqua ita odioſiora conſectaria parere poſſint.

Euentus male ſuccedentis hæmorrhagiæ.

§. XXXIII. EVENTVS *male* ſuccedentis hæmorrhagiæ narium comprehendunt vel *exceſſum* eius, vel *defectum*. *Exceſſus* ipſe, nempe *nimia euacuatio*, vnde maxime originem ſumat, perpendere conuenit. Oritur autem *duabus* de cauſſis; altera *actiua*, altera magis *paſſiua*. *Actiua* cauſſa eſt *error* ipſius *intentionis*, vel in genere nimium *impetuoſe* atque *præcipitanter* totam euacuationem decernentis; vel *apparatum* prolixiorem non æque promte iterum diſſoluentis. *Paſſiua* exceſſus cauſſa tribui aliquando meretur veriori *diæreſi* eiusmodi meatuum atque vaſorum; ſiue illa ab *interno impetu* ortum duxerit, ſiue, & familiarius quidem, ab *externa* qualicunque violatione, inprimis *ſcalptionis*, aut plane *corroſiuorum* atque *ſepticorum* attractione in nares. Erronei illi *exceſſus* contingunt familiariter in *criſibus;* vnde etiam antiquum dicterium medicum: *Nihil paucum criticum.*

De *organico-mechanica* cauſſa facile diſpicient *phyſico-mechanici*, quomodo e diffuſiore apparatu, nempe latius e longinquo facta *appreſſoria ſtrictura*, niſi hæc, tanquam *ad amuſſim* iterum confeſtim dimittatur, continuet ita ſimpliciore *mechanica* ratione, excretio, quam diu *contentio* illa *tonica* ſanguinem latius verſus eruptionis locum cogens, non exquiſite diſſoluitur. Sicuti tanto facilius concipi poterit *exceſſus* eiusmodi ratio, quando ſimpliciter ab *erronea intentione contentio* hæc ipſa in ſe, nimis *impetuoſe* inſtituitur, & nimis *pertinaciter* continuatur.

Ratio exceſſus erronei in criſibus.

§. XXXIV. Pendet autem reuera etiam huiusmodi *exceſſus* ratio non raro ab ipſa *adſuetudine;* partim in eo, quod omnino huiusmodi *larga* conſuetudo ſemel adſumta, velut ordinarie phyſicas *proportiones* transmigret: partim, quod etiam *conſueta* de reliquo vehementia, ſi forte *impedita* fuerit, poſthac cum tanto maiore & *impetu* & *pertinacia*, non ſolum tentet perrumpere, ſed etiam impetratæ tandem libertati tanto minus moderate *indulgeat*. Quæ intemperantia; ſicuti

ſicuti de *humana* indole, præ aliis animantibus, etiam circa *voluntates*, *æſtimationes*, & *exſecutiones* arbitrarias, circa res *moralis* ſcopi notiſſima eſt: ita venit vtique huic ſatis notæ veritati ad latus ponenda ad minimum illa conſideratio (quæ quidem e theoria *frequentiæ morborum in homine* præ brutis, etiam ad *generalem* conſiderationem *hæmorrhagiæ* referri debuerat, ſed præteriit mentem:) „quod etiam re ipſa „*ſolus homo ſolenni*, & inprimis ita *familiari*, *hæmorrhagiarum exo-* „*nerationi* addictus ſit.

§. XXXV. Supereſt tamen etiam adhuc vere *paſſiua*, & ſimpliciter *ſymptomatica* eiusmodi conſtitutio *excedentis* fluxus; quando vitio vero *meatuum*, *perruptione* impetuoſiore, aut quacunque tandem violenta *diæreſi*, læſa *continendi* firmitate, ſanguis re vera *paſſiue* ita elabitur. Huiusmodi conſtitutio cum quam maxime locum inuenire videatur *poſt partum*; mira propemodum videri poſſet res, quod non familiarius plus ibi fiat, quam expediat: niſi quidem conſideraretur, quod etiam in hoc ipſo negotio plurimum non ſolum poſſit, ſed etiam actu ipſo præſtet, *moderamen motus tonici*: cuius tanta vtique in hoc caſu eſt energia, vt etiam penitus *cohibere* ſimul & ſemel totam euacuationem hanc poſſit.

Paſſiua & ſymptomatica conſtitutio excedentis fluxus.

§. XXXVI. Sicut autem hæc ſimpliciter *paſſiua* huiusmodi conſtitutio, extra veros ſimplices *violentos* caſus, vere & citra fictionem *rariſſime* contingit, ſed longe communius ab exceſſiuo *poſitiuo appulſu* & *impulſu*: ita præbet certe hæc res obiectum iuſtiſſimæ conſiderationis, quid tribuere liceat ſimpliciter *viarum* & *meatuum* conſtringendorum inuentioni; & quantum illa reſpondeat veris circumſtantiis huiusmodi *motuum*; ne videlicet *viæ* quidem præpoſtere ſtringantur, interim *intentio* emouendi, imo *contentio* ad hunc effectum, ipſa etiam generatim in *ſtricturis* conſiſtens, ſed peculiariter *directis*, temere *obruatur*, aut ſolum ſimplicius *confundatur*.

Quia hæc paſſiua conſtitutio rariſſime contingit, longe vero communius exceſſiuus appulſus & impulſus: inuentio illa conſtringendi vias & meatus inepta & temeraria eſt.

§. XXXVII. Peculiare eſt illud ſymptoma, quod hæmorrhagiis in *defectu* accidere iam ſuperius diximus. Non dubito, quin ſecundum receptas opiniones ingens haberi poſſit *paradoxon*, de *hæmorrhagiis*, quæ vſitatiſſima generali æſtimatione ſimpliciter pro re *præternaturali* reputentur, dicere, quod illæ *deficere* poſſint, & *defectu* ſui peculiaria incommoda poſt ſe trahere. Sed quemadmodum vel contrarium talis opinionis facile oſtendere poteſt *menſium* & *lochiorum* negotium: ita certe etiam ipſis aliis quibuslibet hæmorrhagiis, nomi-

Quod hæmorrhagiæ deficere poſſint, & defectu ſuo peculiaria incommoda poſt ſe trahere, paradoxon haberi poſſet.

nominatim autem etiam illi, de qua hucusque agimus narium, poſſe longe grauiora incommoda ſuccedere, ſi conſtitutio quidem reliqua præſto ſit, quali hæmorrhagica talis euacuatio conueniret, hæc talis interim nulla eueniat. Certiſſime autem omnium exſpectandus eſt talis harum rerum *ſucceſſus* maxime incommodus, quando inter reliquam *materialem* conſtitutionem, hæmorrhagiis *idoneam*, etiam iam *actuales apparatus* & qualescunque *conatus* ad eandem concurrunt. Talia enim *conamina*, adeoque veræ hæmorrhagiæ *in proxima potentia* conſtitutæ, imo verius ad ipſum *actum* iam *contendentes*, quando *ſucceſſum* non adipiſcuntur, trahunt poſt ſe indubia penitus alia incommoda, & vera magis magisque ad nocendum parata *ſymptomata*, tanquam vere *morbido defectui*, pro reliquis circumſtantiis *vtilioris* futuræ exonerationis, veſtigia legentia.

Incommoda defectus hæmorrhagiæ narium.

§. XXXVIII. Ante omnia vero trahit poſt ſe talis *defectus liberi ſucceſſus & exitus narium* hæmorrhagiæ, quam maxime *molientis*, circa *caput* varios *dolores*, *tenſiones*, *grauitates*, *ardores*, *rubores*, *inflammationes*, *pruritus*, *vlcerationes*, *tumores*. *Segnius* molientis, aut *ſubtilius*, ſine ſucceſſu tamen, *vertigines*, *tinnitus aurium*, *hebetudines viſus & auditus*; *ſenſationes* ita dictæ *rheumaticæ*, *tendentes* atque *prementes* circa *nucham*. Quando vero non æque directe circa *caput* amplius *molimina* ſua proſequuntur, ſed tamen illa minime in totum deſtituunt: fit inde tranſitus vniuerſorum horum apparatuum ad *pectus*, cum longe maioribus quolibet reſpectu & *incommodis* & *periculis*, tam *hæmoptyſeos* quam *phthiſeos*.

Alia hæmorrhagiæ narium efficacia in ætate creſcente & prouectiore ſuccedens.

§. XXXIX. Neque vero reticeri tandem quoque debet illa hæmorrhagiæ *narium* efficacia, qua ita in longum tempus ſeſe extendit eius *adſuetudo*, vt, quantumlibet *intermediis ætatum* annis, (ſub *agiliore* vitæ ratione, aut in fœminis, ſub *matrimonio puerperiis* fœcundo, adeoque largioribus *lochialibus* euacuationibus,) ceſſet; tamen *creſcente* ætate, & deſinentibus iterum his talibus *vicariis imminutionibus*, tandem *hypochondriaco-hyſterica*, *nephritico-iſchiadica*, *hæmorrhoido-podagrica* pathemata, tanquam certiſſima ſucceſſione inde exſpectanda veniant; aut etiam vno tandem aliquo *impetu*, *prouectiore* etiam ætate, *vertiginoſo-apoplectica* pericula hinc oriantur: inprimis ſi illa vſitata *diætæ* mutatio, iuxta vulgi hominum mentem, ſuperueniat, vt *ſeneſcentes* præter ante actæ vitæ conſuetudinem ſibi indulgere in animum inducant *lautiore* atque *largiore* potu *vinoſo*, *ſpirituoſo-aromatico*:

§. XL.

§. XL. Quanquam etiam vel ipſis iam *conſiſtentis* ætatis annis huiusmodi *concitationes*, inprimis *rarius* ac *impetuoſius* factæ, præcipue vero cum *animi* vehementibus commotionibus concurrentes, producunt non raro pares etiam tales *apoplecticos* euentus: ea tantum differentia, quod *ſenioribus* quidem magis per ſimplicem fortem *reſtagnationem* atque *contentionem* congeſtoriam ſanguinis *oppreſſio* tandem ipſius *progreſſus* per cerebrum contingat; exundantibus interim extra vaſa, & in qualescunque capacitates ſe diffundentibus *fluidioribus ſeroſis* partibus. Apoplectici euentus tam in ſeneſcente quam conſiſtente ætate.

Vnde vtique optime rem commonſtrat *Wepfferi* toties in *apoplecticis* & *hemiplecticis* inſtituta obſeruatio, quod in illis & *ventriculi* ita dicti cerebri, & ipſius *oblongatæ* atque *ſpinalis* medullæ ambitus *ſeroſi* liquaminis copia circumfuſa apparuerint.

Dum interim adhuc iunioribus ſiue ex *impetu congeſtionis*, ſiue *floridiore* conſtitutione ſanguinis, quin his vtrisque ſimul concurrentibus conditionibus, potius ipſe *ſanguis* ibi ita effunditur: vel ad minimum certe ita maxima mole *congeſtus* atque reſtagnans dictam illam *oppreſſionem* ſimpliciter inducit; ſuccedente autem denique ipſo emortuali *rigore*, ita *poſt mortem* adhuc e *naribus* & infundibulo magna copia *erumpit*.

ARTICVLVS II.

DE

HAEMOPTYSI.

§. I.

HAEMOPTYSIS, ſi ſecundum literam accipiatur, SANGVINIS EXSPVITIO intelligenda venit. Neque quidem incommode, ſi modo ſecundum rei dignitatem æque atque vocis ſimplicitatem accipiatur, de *ſinceri ſanguinis* reiectione per profundioris *exſpuitionis*, nempe *exſcreationis* morem atque motum. Vt nempe ita contradiſtinguatur ſimplici *ſputo* qualitercunque *cruento*; quod nempe etiam ex *infundibulo* ad fauces diffluentem, aut per *ſtrias* ſolum ſputo, imo muco narium ſe *aſſociante* ſanguine ortum ducit. Sicut enim hoc poſterius nullius eſt conſiderationis, ita ex aduerſo maximæ prorſus eſt Hæmoptyſis diſtinguenda eſt a ſputo cruento.

altera illa *ſinceri* atque *copioſi ſanguinis* ex ipſis vſque *pulmonibus* eruptio.

Eius ſubiecta.

§. II. Huius affectus vt ipſa vera *hiſtoria* recte cognita habeatur, ſciendum eſt, obtingere hanc excretionem inprimis IVVENIBVS. Vnde notatu digna omnino eſt *Hippocratis* iam antiqua obſeruatio, quod inprimis inter XVIII. & XXXV. annos conſtituti, *phthiſi* obnoxii obſeruentur: quæ nempe ab *hæmoptyſi*, aut certe *reſtagnatione* ad hæmoptyſin reſpiciente, familiariter ortum ducit. Præterea obtingit etiam hæc *concitatio* talis eruptionis maxime *plethoricis*, & *pleno victu* vtentibus: præ omnibus autem aliis his, qui *vocis contentione* pectus magis percellere, aut denique perpetua veluti *deſidia*, *compreſſo* inprimis arctius *abdomine*, perpetuam *reſtagnationem* vberiorem ad pectus veluti impellere conſueuerunt. Certiſſime omnium occurrunt huiusmodi euacuationes inter illos, qui præcedente ætate adoleſcentiæ *narium* hæmorrhagiis addicti fuerant. Talibus enim etiam *tacite* prorſus, & ſine vlla ſenſibili commotione, erumpit aliquando hæc excretio, & quidem tam *impetu* quam *pertinacia* ſingulari.

Locus vnde hæc eruptio ſpecialiter fiat.

§. III. *Vnde* proprie, & inprimis quidem perpetuo, eruptio hæc ſpecialiter fiat, non poteſt tanquam pro certo & ſimpliciter determinari. Aliquando enim non ſolum ex *aſpera arteria*, ſed inprimis ex *ſuperiore* eius parte, laryngi ipſi propiore, fieri effluxum, perſuadent animum aduertentibus omnia phænomena. Inprimis præcurrentes æque atque concurrentes ſenſus *titillationis pruriginoſæ*, imo *tenſionis* ſtagnatoriæ, tantæ non raro, vt pro certo habeant, hærere ſibi in illo loco, quem etiam exterius digito commonſtrant, aliquid, quod nuclei alicuius ſimilitudinem ſenſui ipſorum offerat. Apud alios tamen etiam longe *profundius* intra *bronchia* eruptionem talem fieri non ſolum præcedens diutius ſenſus ſimilis *preſſionis* & *reniſus* in profundiore parte, quam tamen ipſam etiam digito non raro indicare audent, ſed omnino etiam actualis *doloris*, teſtatum faciunt.

Obſeruatio clinico-practica de diuerſo loco eruptionis.

§. IV. Interim commendo illud merito vlteriori curioſæ obſeruationi *Practicorum clinicorum*, quod mihi quidem e varia obſeruatione apparere viſum eſt; nempe, quod illis, quibus hæmoptyſis *tacite* magis, & ſine externa *violentia* erumpit, ſenſus ille *profundioris* irritationis non æque familiaris deprehendatur, ſed potius circa *ſupremam largyngem*, aut ad ſummam mox infra ipſum *caput aſperæ arteriæ*. Dum e contra illi, quibus ab eiusmodi *violentis* cauſſis eruptio cooritur,

tur, communiter *profundiorem* etiam ſenſum experiantur. Nempe *violentæ* tales occaſiones, imo propiori etiam cauſſandi ratione hæmoptyſin inducentes cauſſæ, ſunt etiam *niſus* fortes corporis, cum *contentione anhelitus*, pro tollendis oneribus, aut fortioribus quibuscunque actibus, cum reſpirationis conniſu perpetrandis. In quibus tamen maxime notanda eſt peculiaris illa circumſtantia, e praxi plebis nota, ſed rationi vtique innitens, nempe, quod tunc maxime tale damnum locum inueniat, quando *ſpiritus* ita contentus repentino impetu *eliditur*.

§. V. Sub qua obſeruatione *duplici* alteri conſiderationi aditus patet: *primo* quidem pariter *experimentali*; deinde vero etiam rationali. *Experimentalis* eſt illa, quod *numeroſi* homines multa paſſim atque vehemente *tuſſi* affecti conſpiciantur, ita manifeſto vtique inſolente, vt etiam inde plebeia loquendi formula familiaris ſit: **es wäre kein Wunder, und ſtehe zu beſorgen, man ſprenge ſich etwas im Leibe entzwey, ſo gewaltſam ſeye der Huſten** &c: & tamen nullus ſequatur huiusmodi exitus.

Tuſſis vehemens hæmoptyſin raro excitat.

§. VI. *Secundo*, *rationalis* circumſtantia eſt illa, quod, quantumlibet etiam ipſe ſucceſſus ſanguinis per pulmones *inflatione* eorum reſpiratoria velut vnice nitatur; (mediante qua videlicet *expanſione* pulmonum etiam ipſæ ramificationes illæ innumerabiles vaſorum, quæ veſiculas ipſas vndique comitantur atque ſtipant, in *directum* ita *extendantur*, vt eo ipſo etiam progreſſus liber impulſi ſanguinis locum iuſtum nanciſcatur, qui alias ſubſidentibus pulmonibus, adeoque vaſculis his per innumerabiles *rugas* criſpatis, nullum prorſus ſucceſſum habere poſſet:) tamen alterius plane conſiderationis eſt hauſti copioſi aëris *detentio* diuturna; imo, cum ille ipſo viſceris *calore* vehementer *expanſus* veſiculas ipſas ita valde *diſtendat*, *contentione* eius eximia, (accedente etiam *voluntaria* tali potius thoracis contentione) adeoque veſiculis contra tendentem aërem ita detentis atque repreſſis, fieri aliter non poteſt, quin ita vaſa inter ipſas veſiculas diſtributa huiusmodi contentioſis *preſſionibus* oppreſſa, aditum plane liberum ſanguini non concedant, nedum vt exitum permittant.

Neque hauſti aëris diuturna retentio quidquam ad ſanguinis expreſſionem confert.

§. VII. Tanto minus autem poteſt ille ipſe *actus contentionis* atque preſſionis, a veſicularum diſtenſione in vaſa ingruentis, hic vllam energiam ſanguinem immediate *exprimendi* exercere; dum potius per arterias quidem *retrorſum* ſolum retinet atque reprimit: per

Per contentionem & preſſionem, quæ a veſicularum diſtenſione in

vaſa ingruit, ſanguis potius reprimitur quam exprimitur.

venas autem, cum progreſſus planiſſimus ibi pateat ab anguſtioribus ad capaciores meatus, non poteſt ita fieri, vt hoc actu *preſſionis* ab inflatis veſiculis pulmonalibus alia, quam huiusmodi potius *retropulſio*, quam *expulſio* ſequatur. Quandoquidem præter hæc omnia etiam *extremitates* horum vaſorum, e quibus talis excretio exſpectari deberet, veſiculis illis intimis proprie ad latera conſiſtunt, quæ præcipuæ diſtenſionis capaces exſiſtunt; dum interim maiuſculi reliqui rami potius denſiores, imo duriores bronchiorum tubulos comitantur: qui vt ipſi diſtenſioni minus promte obſequuntur, ita etiam tali compreſſioni ſociorum ramorum ſanguiferorum, & conſequenter per hanc methodum propulſioni ſanguinis in his contenti verſus minima vaſcula impares vtique exſiſtunt.

Quando vero ſpiritus contentus repente eliditur, relaxata hac contentione ſanguis in vaſa irrumpere & perrumpere poteſt. Tuſſis vnde in hæmoptyſi ortum habeat.

§. VIII. Ex aduerſo vero, quando quantumcunque contentus, pulſu interim in arteriam pulmonalem qualitercunque adactus ſanguis, *relaxata* repente huiusmodi contentione, in vaſa irrumpit, poteſt longe veri ſimilius illa ipſa repentina *irruptione* potius eiusmodi etiam *perruptio* oriri. Nempe vtique etiam de ipſo facto hæmoptyſeos notum eſt, quod illa ſimplicibus talibus *ſpiritalibus* contentionibus directe ſuſcitari minime ſoleat: ex aduerſo vero certe ſæpiſſime plane *tacite*, ſine vlla eo momento concurrente *thoracis contentione*, non ſolum promte ſed omnino largiter in effectum deducatur; adeo vt *tuſſis* mox ſubſequens magis ſimpliciter ortum ducat a ſanguinis ita ſemel erumpentis, ſub proximis reſpirationibus, admiſſione in profundum pulmonum, vnde vtique impetu iterum excuti debeat, quam ab vlla *efficacia* excuſſoria *a priori*, quæ ita ipſam totam expreſſionem perpetraret.

Hoc in periodicis & ſtatis hæmoptyicis eruptionibus conſpicuum eſt.

§. IX. Valet hoc tanto magis atque certius in *recurrentibus periodicis*, maxime omnium autem vere *ſtatis* hæmoptyicis eruptionibus.

De qualibus habeo peculiarem obſeruationem, ab honeſta matrona triſtiore experientia in coniuge ita hæmoptyico factam: quæ nempe ſatis animaduerterat, cum patiens etiam alioquin extra hæmoptyicum paroxyſmum multa & impetuoſa tuſſi infeſtaretur, humoroſa, ſtrepera, atque aſpera; imminente eruptione ſanguinis hanc mutari in admodum acutam, clangoſam, atque vt ita dicam velut e graciliore fiſtula atque læui acute ſonoram. Quali quidem ſono audito in procinctu eſſe eruptionem agnoſcens, nunquam fallebatur.

Equo

E quo certe etiam phænomeno ſingularem priuatam ſubtilem *tonicam*, eiusmodi eruptionis auctorem, preſſionem in priuatioribus etiam pulmonis partibus concurrere, ſatis vero ſimile euadit.

§. X. *Hæmoptyſis*, propter conſtitutionem pulmonum, omnis obſtipationis impatientem, interim veſiculari ſua vacuitate recipiendarum, imo reſpirationis actu intimius atque penitius imprimendarum *ſtaſeων* quam maxime capacem; ſanguinis autem ſemel ſubſiſtentis certam atque præſentaneam *corruptionem*, & ab hac etiam ipſius tenerrimæ texturæ huius partis colliquationem atque *ſociam* corruptionem; periculoſæ admodum conſequentiæ exſiſtit. Adeoque licet *generali* reſpectu vt *exoneratio* ſanguinis ſimpliciter præſenti forte indiuiduali conſtitutioni incommode & periculoſe *plethoricæ* ita in genere ſubuenire, & ex vſu eſſe poſſet: tamen hoc *ſpeciali* intuitu, dum in tali loco adeo non incommode ſolum, ſed etiam *periculoſe* cedit, *inutiliter* vtique hoc *ſpecifice modo* atque *loco* ſuſcipitur in ſpecie. Vnde quidem hoc maxime intuitu hæmoptyſis, quatenus *pectoralis* eruptio ſanguinea, vere ceu *morbida* & *erronea* taxari meretur; licet *in genere*, quatenus euacuatio ſimplex, etiam non inconueniens ſæpe numero iudicari poſſet. Facilius autem vtique, vbi talis conatus *generalem* luctam euacuationis talis celebrandæ commonſtrat, ſubleuationem idoneam artificialem ipſi ſubſtituere poterit Medicus, ſi modo totius rei veram conſtitutionem recte in animum admiſerit: *vtilitatem* inquam *generalem*, cui *arte* ſubuenire valeat, intellexerit; *damnum* autem *ſpeciale* hoc ipſo *artificiali* ſubſidio emendauerit imo præcauerit.

Hæmoptyſis ratione fabricæ pulmonum inutilis, erronea, morbida & periculoſa haberi debet.

§. XI. Quod ad *cauſſas* hæmoptyſeos reddendas attinet, occurrit in his etiam non ſolum velut *in genere* par, ſed maxime in *ſpecie*, etiam peculiaris difficultas. Et quidem etiam peculiaris penitus *ſtatus quæſtionis*, nempe non tam ſimpliciter, VNDE vtique fiant? Sed vnde maxime ITA, vti vere fiunt, fiant: videlicet, tali maxime LOCO, & tamen tam RARO. Quemadmodum enim *partis* ipſius *habitus* vtique ad eruptiones huiusmodi maxime diſpoſitus apparet, propter ſummam nempe texturæ *teneritudinem*: ita cum tamen vtique velut omnibus ſenſibus obuium ſit, quod vera comparatione inſtituta, affectus hic re vera *rariſſime* eueniat; in impedito certe merito eſt vera illa iuſta æſtimatio, quibus de cauſſis vtique *aliquando* ita oriatur; cum ita manifeſtum ſit, poſſe illum etiam *non-fieri*.

Cauſſæ hæmoptyſeos.

Hic affectus rariſſime contingit.

§. XII. Conſiderationem autem illam, quod hic affectus vere *rariſſime* fiat, inſtruit facile *comparatio* illa duplex: *primo* illorum hominum, qui hoc affectu nunquam corripiuntur; *ſecundo* illorum etiam, quicunque tandem illum incurrunt, etiam prægreſſa iam multorum annorum, imo etiam in multis adhuc ſubſequens totidem, vel amplius, annorum duratio, per quam vniuerſam ab hac labe liberos retineant pulmones. Enim vero ſummo certe iure *raro* fieri dicitur illud, quod non ſolum inter *numeroſiſſimos* homines *paucis* euenit; ſed etiam his ipſis adhuc per totam ſuam vitam *paucis*, atque paruis ſeu *breuibus inſultibus* obtingit. *Raritatem* autem hanc illuſtrat tanto magis illa maximo vtique iure in conſiderationem veniens comparatio, tam immenſi numeri BRVTORVM etiam animantium ad humanum genus; quorum tamen nulli hæc talis excretionis ſpecies euenire ſoleat: quantumlibet etiam inter *bruta* multæ ſunt ſpecies, tam *teneritudine* huius partis, quam proportionatis impetuoſis *commotionibus* humanam ſpeciem longe anteeuntes. Quibus vtique vniuerſis reſpectibus affatim dilucefcit, quod minimam omnino efficaciam in hoc genere habeat directa *teneritudo pulmonum*, eiusque ad huiusmodi effectus ita ſimpliciter materialis & *mechanica* proportio.

Num loquela ſeu ſermocinatio aliquid ad hunc affectum conferat.

§. XIII. Quantumlibet autem non ſolum in genere homo ipſa prærogatiua *loquelæ*, qua pleraque *bruta* anteit, huic incommodo tanto magis expoſitus videri poſſit; ſed etiam ipſo *actu*, qui, *inter reliquas tamen ſpecialiores* circumſtantias, *ſermocinando* pectus plurimum percellunt, mali huius inſultibus maxime occupentur: confirmat tamen affatim vel leuior etiam animi aduerſio, tum quod in humano genere, (niſi cum *reliquis* concurrentibuss *peculiarius* idoneis circumſtantiis,) hæc ipſa rem non exhauriat; cum innumeri homines, ſermonem etiam cum clamore abundantiſſime exercentes, tamen ab hoc damno liberi exſiſtant: tum etiam *animalium* brutorum genera vehementibus clangoribus maxime dedita, tamen hunc talem effectum minime experiantur: *moloſſorum* inprimis exemplo.

Certioris efficaciæ eſt quantitas & tranquillitas ſanguinis, cum intentione imminutionis illius.

§. XIV. Certioris autem omnino etiam hoc in loco efficaciæ eſt, tam ipſa ad *vitalem* finem reſpondens *quantitas*, & intemerata *tranquillitas* ſanguinis, ſicubi delinquat: quam *intentio* ſecundum talem proportionem per actuales *excretiones* imminuendo, ſecuritati vitali conſulendi. Et hoc quidem magis *in genere*; ſed tamen omnino intenta atque firma ratione. Cui demum ita primo loco fienti atque

vigenti

vigenti *intentioni moliendi* facilius vtique poſthac *determinatio* talis, per occaſionales cauſſas, accedere poteſt: nempe e maiore, per ſermones, clamores, contentioſos niſus &c. circa ipſum *pectus* reſtagnandi occaſione.

§. XV. Interim eſt omnino etiam illud veriſſimum, quod, poſtquam *ſemel* hanc viam inuenit hic impetus, facile poſthac eandem repetat: familiariſſimo nempe humanæ indoli *adſueſcendi* more. Cui quidem rei adhuc aliquanto longius viam ſternit *adſueta* ad minimum *e vicinia* euacuationis libertas, nempe e *naribus*: quæ ſi poſthac reprimitur, *generali* tamen interim *conatu*, & concurrentibus illis *occaſionalibus* cauſſis circa organa ſpiritalia, permanentibus, poſſe tamen inde etiam huic maxime *loco* illius euacuationis totum *apparatum* ita incumbere, vt ipſo effectu conſpicuum, ita rationi etiam non obſcurum eſſe poteſt. Si quis tamen interim etiam hanc, *vt a priori*, *directionem deſtinatam*, ad talem *locum*, tali *ætatis* periodo, ſpecialiſſime indoli *humanæ* quatenus tali adſerere voluerit, illi non æque operoſe controuerſiam mouere contenderim, quamlibet de alia quam ſimpliciter *veriſimili* probatione nihil ſperem.

Adſueſcendi indoles, & hæmorrhagia narium ceſſans etiam ad cauſſas referuntur.

§. XVI. *Remotiores* occaſionales cauſſæ poſſunt vtique variæ exſiſtere; præcipue tamen & propinquiores omnino ſunt aliæ tales iam in ipſa *vicinia adſuetæ* euacuationes: ſiue *ſuperius* e naribus, ſiue *inferius* in ſexu maxime *fœminino*, ex vtero, *menſtruis* exonerationibus.

Remotiores cauſſæ.

Digna vlteriore & obſeruatione & conſideratione eſt illa circumſtantia, quod complures hæmoptyici de peculiari exquiſitiore ſenſu doloris conqueruntur, re vera *profunde* in ſiniſtro *hypochondrio* & ſub ipſis *coſtis nothis*. Nempe probabiliſſime *ſplenetica hypochondriaca* ſanguinis *contentione* ſtagnatoria; quam aliquanto poſt, & breuiore quidem ſæpe tempore, *hæmoptyica* talis eruptio ſubſequitur. Imo vero hic ipſe etiam ſenſus talis actu adhuc *durantem* hæmoptyſin comitatur, & facta demum *largiore* euacuatione etiam ipſe euaneſcit.

Recentiora ſunt, & omni modo magis ambigua, ea, quæ de occaſionibus in ipſo forte *ſtomacho* latentibus aliquando ſuſpicari licet. In quam rem legi poteſt obſeruatio *Paulini* in faſciculo A. N. C. inſerto, vbi hæmoptyicus, caſu quodam ad *emeſin* incitatus, reiecta multa ſaburra biliosa, cito liberatus ab illa ſanguinea eruptione memoratur. Et ſcio ipſe etiam exempla, huic obſeruationi quaſi pollicem prementia.

§. XVII.

Hæmoptyſeos effectus vel bene vel male ſuccedentis.

§. XVII. *Effectus* hæmoptyſeos ſimpliciter vel vt *bene*, vel vt *male ſuccedentis* atque *cedentis* conſiderari debent. *Bene* ſuccedens atque cedens hæmoptyſis non poteſt aliter dici, niſi illa, quæ *facile* quidem ſanguinem egerit, interim neque *menſura* nimium excedit, neque, quando iterum tranquillius ceſſauit, *notabilem*, *diuturnam* aut *importunam tuſſim* poſt ſe relinquit. Imo nec etiam *reuertitur* vnquam, aut certe neque *facile*, neque *ſæpe*. Certiſſime enim hæmoptyſis nunquam caret eximio *periculo ſucceſſuræ* qualiscunque detentionis ſemel *extrauaſati* ſanguinis; detenti autem, vna cum ipſa portione continente, *corruptionis* vlceroſæ, adeoque *phthiſeos*. *Male* ſuccedens hæmoptyſis peccat inprimis *exceſſu*; ad quem etiam non parum propendet.

Faciunt autem profecto ingentia huius rei ſpecimina, quæ mihi ipſi occurrunt, vt tanto magis inſiſtam ſententiæ meæ, quod impetrata ſemel, aut ad ſummum iterum, nedum ſæpius, per hunc etiam locum libera emiſſione, in poſterum vere *contentione* quadam & *congeſtorio niſu* hæc expreſſio ita *actiue* inſtituatur, vt etiam iterum *ſpontanea* veluti repreſſione cohiberi & deſiſtere poſſit. Ita enim certe e *profuſa* copioſa eruptione, alibi e *ſicco & fixo abſorbente atque adſtringente*, alibi e *ſympathetico*, *amuletico*, cito & potenter, imo velut *in momento* euaneſcendo, ceſſare vidi hæmoptyſin.

Quæ certe res a figmentis illis proportionatarum in tam *profuſo* fluxu *diæreſium* a *ruptione*, ne dum alieniſſima illa ab *eroſione*, longisſime diſſidet, nec vsquam cum illis conciliari valet.

Defectus hæmoptyſeos.

§. XVIII. *Defectus* hæmoptyſeos *duplici* modo intelligi poteſt; *primo*, ſi non omne, quod *extrauaſatum* eſt, funditus atque *penitus* euacuetur, ſed aliquid eius intra ſubtiles veſiculas obhæreſcat. Cui rei mirifice famulantur atque viam ſternunt *medicationes* ſimpliciter *adſtrictoriæ*. *Secundo* modo peccat *defectu* ſolius quidem *exitus*, *actu* vero omnino atque effectu conſtante *congeſtorio*, & ad exitum omnino *connitente*. A quo genere huiusmodi moliminum hæmoptyicorum etiam *aſthmata ſpuria*, *peripneumoniæ*, *anginæ*, *phthiſis*, ortum ducere poſſunt. Vnde quidem tanto magis in hoc genere *enitentis* exitus non ſimpliciter ipſe *effectus*, nempe actualis *eruptio* ſimpliciter, præcipuam conſiderationem meretur, adeoque *hæmoptyſis* qua talis: ſed quam maxime etiam *apparatus* ille, *cum quo*, imo vero potius *quo* ipſo *inſtrumentaliter* ipſa perpetratur. Qui, cum etiam *eruptione* ipſa quam maxime *non fiente*, tamen ipſe & fieri, & tanto magis *contendere* ſoleat, interim omnino ad eruptionem ipſam *tendere*,

dere. Meretur tanto magis ſub toto *complexu* hæmoptyſeos omni modo memorari, &, ſi *molimen* eius effectum vltimum non ſortiatur, inter *defectus* eius maxime numerari. Tanto magis, cum hunc ita *exitu* carentem, adeoque actu excretionis *deficientem*, *molientem* tamen vtique apparatum certo conſequi ſoleant, aut ad minimum ambire, ante dicta illa alia *grauiora conſectaria*: quorum intuitu ipſa *excretio actualis* ita, vt ante dictum, *expeditiſſime* & *penitiſſime* ſuccedens, vtique *minoris* incommodi æque atque *periculi directi* compos exſiſtit. Optimum autem omnium omnino, ſi aliis quibuslibet, ſponte vel arte, ſanguinis *ventilationibus* hæc excretionis *ſpecies* plane abſit, aut mutare præoccupetur.

ARTICVLVS III.

DE VOMITV CRVENTO.

§. I.

VOMITVS CRVENTVS propemodum rariſſimus eſt hæmorrhagiarum typus; & re vera, inprimis ſubiectorum differentia, rarior quam *mictus cruentus*. Differt autem ita, vti dixi, *ſubiecto*, quod *fœminis* quidem longe adhuc frequentius obtingat, quam *viris*. Si vero in aliis ſanguinis eruptionibus prudenter æſtimanda atque obſeruanda venit *interna*, *tacita*, *poſitiua inclinatio* & *directio* ad modum & locum eiusmodi expreſſionis: meretur illud certe etiam in hoc ipſo caſu attendi; vt nempe ita magis *actiuus* conniſus a priori, adeoque verus *apparatus proportionatus* ad huiusmodi effectum inde agnoſcatur, quam ſola illa *conſecutio*, vt a poſteriori, per ſimpliciorem *violentam* fiendi methodum.

Vomitus cruentus fere rariſſimus. Magis vi actiuus conniſus quam vt conſequens poſt violentas cauſſas æſtimari debet.

§. II. Sicut enim etiam per ſimplicem & directam *vim* a vomitu vehementiſſimo, inprimis *arte* prouocato, in *plethoricis* aliquando ſanguinis tandem etiam excuſſio ſequitur; ita ex aduerſo, ſub *fœminarum* inprimis & ante omnia *periodicis* vomitibus, re vera vomitum magis *ſequi* ſanguinis euacuandi intentionem atque terminum, quam ſanguinis eruptiones ipſum potius vomitum, non poteſt e bene penſitatis circumſtantiis dubitari. Quamuis enim rationi minime ad-

Poſt vomitum vehementem interdum ſanguinis excuſſio contingit: plerumque vomitiones ſimplices

ſanguinis euacuationem intendunt.

uerſetur, quod etiam vomitus huiusmodi ſimpliciores & directi *occaſionem* præbere poſſint in poſterum etiam ſuccedentibus *ſanguineis* per hunc motum excretionibus. Minime tamen vllo modo hoc impedit, quin in poſterum ordo potius inuertatur, & totus ille *motus* magis *directe* inſtituatur ad hunc inprimis effectum, nempe ſanguinis excretionem per illum peragendam.

Subiecta vomitus cruenti.

§. III. Euenit rarius, vti iam notatum, *viris*; familiarius *fœminis*. Inter has autem etiam rarius *puellis*, magis autem iam *adultis*, aut plane paulo iam annoſioribus: maxime tamen omnino adhuc intra ambitum euacuationibus *menſtruis* ſolennem verſantibus; non æque vero periodum hanc iam prætergreſſis, niſi quod ſub ipſum *finem* eius haud raro incommodius ſuccedens, ſeu potius decedens huius euacuationis conatus, vt aliis irregulariter impetuoſis, ita talibus etiam, *loco* toto alienis moliminibus occaſionem præbeat. Semel autem trita huiusmodi via, facile vtique, & per quam familiariter in poſterum etiam repetitur: ante omnia in *iunioribus*, in quibus adhuc negotium illud *frequentis*, exonerationis ſanguinis familiarius viget: non tamen etiam adeo difficulter in iis, quibus *ſpecies* quidem illa euacuationis ceſſat, interim cauſſa ad *generaliorem* ad minimum exonerationem, manet vtique.

Signa eius, ſeu hiſtoria.

§. IV. *Hiſtoria* breuiter in eo conſiſtit, vt patiens tum alias familiariter *anguſtiis* circa præcordia laboret, facile per occaſiones *motuum*, *potuum*, *animi pathematum*, exacerbandis; tum inprimis eo *tempore*, quo eruptio talis denuo molitur. Succedit ita quaſi ſimplicior *nauſea*, & mox *conatus vomendi*: ſed re vera etiam *conatus* omnino *maior*, quam ſimpliciter vomitorius effectus, circa qualemcunque rem vel alias vomitu excerni ſolitam, vel tunc etiam actu exeuntem; donec tandem ipſe vtique *ſincerior* ſanguis excutiatur; & familiariter quidem non parua *copia*.

Circumſtantia quædam circa differentiam huius euacuationis.

§. V. Notanda tamen omnino hic venit illa talis circumſtantia, quod non tam ſimpliciter ipſo *actu* vomitus ſanguis ita elidatur, immediate; ſed omnino ſub tempore *quietis* intercedentis, ita in ſtomachum *colligi* ſentiatur, vt ſuccedentibus deinde nouis conatibus omnino etiam *fruſta* integra *coagulati* eiusdem ita prodeant. *Duratio* etiam huius in fœmineo quidem ſexu familiarius eſt *breuior*, *longior* in *viris*: apud fœminas etiam familiarius *ſponte* iterum *ceſſans*, non item apud *viros*: apud fœminas, inprimis *iuniores*, minus *periculoſus*

quam

quam apud *viros*: apud fœminas facilius periodis *adſueſcens*, quam apud viros.

§. VI. Interim vbicunque etiam *inſoleſcit*, periculoſæ omni modo conſecutionis; & prout vel copioſiſſima eruptione *excedit*, vel *adſtringentium* abuſu perperam tractatur, ita *cachexiam*, *œdemata*, *hydropem*, *hecticam*, *colicas conuulſiuas*, & alia *ſpaſtico-conuulſiua* pathemata *hypochondriaca* & *hyſterica*, poſt ſe trahens. Addendum tamen eſt adhuc etiam illud, quod vomitus cruentus *ſimplicior*, & quaſi primo & proprio ortu talis, communiter adhuc minus pernicioſus ſit, quam per accidens talis, *cruentatus* potius: nempe quando aliunde, & inprimis per *artem*, coorto nimio vomendi conatui tandem etiam ſanguis ſuccedit. Prognoſis.

§. VII. *Cauſſæ* cruenti vomitus omnino ſecundum duplicem illam eius indolem diuerſæ ſunt; nempe aliæ ſimpliciter & *directe coorientis*; aliæ per indirectum & vere *violenter* concitati. Cum de priore præcipuus ſermo eſſe mereatur, (quandoquidem poſterioris indoles nulla prolixitate indiget) conſideranda omnino eſt tum *materia* eius quaſi ſpecialior, tum *apparatus* inſtrumentalis, ad eandem huc maxime perferendam inſtrui ſolitus. Nempe non ſimpliciter ſanguis, ſed *hypochondriacus* in ſpecie (non *ſubſtantia* ſed omnino *motibus*, eorumque *deſtinationibus* peculiariter æſtimandus) e *vena portæ* eſt ille, qui hoc loco ita excernitur. Siue e venæ *ſplenicæ* extremitate illa, quæ anteriorem partem fundi ventriculi, ſub orificio eius ſuperiore, diſtribuitur, *vaſis breuis*, aut vaſium breuium, nomine: ſiue etiam profundius aliquanto ex illa ramificatione, *ſplenicæ* venæ quam proxime contermina, quæ inter *pancreas* & *duodenum* diſtribuitur. Quanquam autem per *venas* ſanguis *refluere* ſoleat a partibus, non autem ad illas *progredi* ordinarie; neque re vera etiam *extraordinarie*, ſimpliciter motu tali *retrogrado* per illas impelli, dici aut intelligi mereatur: eſt tamen alia ratio vtique *ſtaſeos* in his locis, ſeu potius *reſtagnationis* copioſioris, per ſtricturam *tonicam* ipſi veluti *baſi ſplenico-hæmorrhoidalis* rami impendentem. (De quo tamen negotio cum ſub *hæmorrhoidalis* eruptionis pathologia aliqua dicere placeat, & locus etiam ibi veluti proprius huic rei exſiſtat, ſuffecerit illam hic ſimpliciter citauiſſe.) Cauſſæ. Cauſſa materialis.

Sanguinis copioſiori reſtagnationi in his locis fauet omiſſio valuularum per totam venam portæ. Conſtrictio alui.

§. VIII. Fauet autem huic etiam per has venas ita retrorſum *reſtagnatorio* motui omiſſio *valuularum* per totam *venam portæ*, quæ aliis per corpus *venis* familiares exſiſtunt. Tanto magis autem *directio* ſtricturarum *tonico - ſpaſticarum*, a multis reliquis *venæ portæ* ramificationibus; quibus arctius conſtrictis tanto magis incumbere debeat tota moles reliqua ſanguinis, in tota *hac vena* contenti, ad hunc in primis ramum. Vnde quidem ad hunc reſpectum ſimpliciter dignisſima conſideratu eſt illa, tam *fœminis* huiusmodi *molimina* eminus reſpectantibus, quam *viris* ad ſimilia inclinantibus, quaſi certa non tam *ſiccitas* aut *ſegnities* quam vera *conſtrictio* alui, nempe *inferiorum inteſtinorum*; imo etiam *ſuperiorum*, vnde ab aſſumtis tali tempore cibariis graues *preſſiones* & *angores* facile perſentiſcunt.

Cardialgia & conſtrictoriæ congeſtiones ad & circa ventriculum.

Tanto magis autem ſentitur hæc talis conſtitutio huius *motus*, ita *tonico-ſpaſtice* contendentis, ſub propioribus verioribus *paroxyſmis molientium* horum *apparatuum*; vbi illa grauius *ſpaſtico-cardialgica* phænomena non ſinunt ignorare vel leuiter attentam mentem, quid *conſtrictoriis* illis *congeſtionibus* ad & circa ventriculum agitetur.

Ventriculi conſtitutio in ea parte multum tenuior quam in reliquis.

§. IX. Cæterum ipſa vtique *ventriculi* conſtitutio ad hanc irruptionem ſanguinis, per totam portionem *venæ ſplenicæ*, qua ad ventriculum propius pertingit, liberius receptandam in eo maxime conſpirat, quod *tenuior* multo ſit, quam in reliquis fundi totius partibus. (Quandoquidem cum motus ventriculi euacuatorius regulariter a *ſuperiore* orificio verſus *inferius* procedere debeat; ſunt propterea etiam *fibræ carneæ* æque, atque ita dictæ nerueæ tunicæ conſiſtentia *firmiores* atque *craſſiores*, verſus & circa *pylorum*, ſeu *inferius*, quam *ſuperius* orificium: vt nempe eo fortius *trahendo* ſtringere ita poſſint oppoſitam partem.)

Cauſſa materialis remotior.

§. X. *Remotior materialis* cauſſa eſt vel *excretionis* ſanguineæ per reliquas *venæ portæ* propagines, & exituum opportunitates, non debite ſuccedens libertas; vnde *hæmorrhoidariis* atque *menſtruis* excretionibus non recte ſuccedentibus inprimis veſtigia legit hic affectus: vel *progreſſus* totius *hypochondriaci*, ob ſanguinis *ſpiſſitudinem* ipſam, impeditior forte ſucceſſus. Quanquam ſi rem vere æſtimare placeat, longe veroſimilius *familiarior* ſit ille *prior*, quam hic *poſterior* modus.

§. XI. Totam rem, quod illa *poſitiua* potius *reſtringendi*, ab aliis venæ portæ locis atque finibus verſus hunc peculiarem angulum, *actiuitas* plus hic valeat atque faciat, quam aliæ ſimplicius *paſſiuæ* detentiones & reſtagnationes, teſtatur inprimis ſatis vomitus cruenti ratio STATA periodica. Neque illa quidem ſolum ſibi ſimpliciter conſtans & relicta, ſed etiam *animi pathematibus* denuo, aut aliter, incitanda. Cum enim omnino reliquæ quæcunque tandem præfigurationes de eiusmodi ſimplicius *materialibus* & pure *mechanicis* cauſſis & *proportionibus*, inprimis a STATARVM *commotionum* quolibet reſpectu, vere & ſimpliciter alienæ ſint; interim hæc *ſtatæ* reuerſionis indoles huic etiam excretioni omnino familiaris: diſpiciendum ſane potius hinc eſt de eiusmodi *cauſſis*, quæ huic circumſtantiæ quadrent, quam *generalioribus* non ſolum, ſed & ab hoc intuitu re vera quouis modo *alienis*. Stata periodica vomitus cruenti ratio de poſitiua reſtringendi actiuitate teſtatur.

§. XII. Commemoraui autem conſpicuum huius rei exemplum, iam olim in *diſſertatione epiſtolari de motu tonico vitali*; quod cum ſpeciminis loco eſſe poſſit, placet etiam huc repetere. Exemplum.

Virgo viginti circiter annorum, ſenſibilis admodum ad metum & terrorem, ſimul tamen etiam tacitam iracundiam, indolis, (quæ etiam ab aliquot retro annis e febre tertiana cito ſuppreſſa, & vehemente narium hæmorrhagia ſubſecuta, ſimiliter per valde frigidæ aquæ copiam e nucha per nudum ita tergum immodeſte profuſam cum magno terrore oppreſſa, perpetua deinde menſium & hypochondriorum facili & varia perturbatione male habebat) cum aliquando inter prandendum, vbi etiam liberaliter ederat, ingenti quadam immodeſtia in *pudorem*, *terrorem* & grauem *animi commotionem* velut vno impetu impelleretur; quo ipſo tempore *menſes* ipſi fluebant (*plethoricæ* de reliquo, & e plena, etiam vini vſu non deſtituta, diæta ſatis floridæ conſtitutionis exſiſtenti) ſubſiſtunt hi ſimul & ſemel derepente. Corripitur vix vna poſt hora grauiſſima *anguſtia* & *anxietate* præcordiorum; quæ magis magisque inualeſcentes *lipothymiam*, verius *cardialgiam ſyncopticam* formant; donec tandem cooriente *vomitu* primo quidem *aſſumta* reiiceret; mox tamen etiam euacuato ventriculo inſolentius inſiſtentes conatus, oblato medicamento temperante, requieſcerent. Interim reuertebatur ita ſatis cito, præter leuem laſſitudinem, ad tolerabilem orthoſtadiam, donec redeunte quarta ſeptimana, de reliquo quidem nihil incommodi percipiens, poſtquam tamen, & cum appetitu quidem legitimo, ediſſet, corripitur aliquandiu poſt cibos *nauſea* imo *vomitu*, quo *cibos* reiicit. Circa merendæ tempus eſurit iterum, æque atque verſus cœnam, ſed vtroque tempore aſſumta non retinet, ſed iterum *euomit*. Hoc quidem ita per *duos* dies; ſequentibus *duobus*, euaneſcente *appetitu*, ad conſpectum imo memoriam ciborum, aut leuem potum; exercetur *vacuis* ſed *fortibus* vomendi *conatibus*. Langueſcit magis magisque cum pallore, & horridulis vagis percurſationibus. Cum hæc etiam

iam per *biduum* circiter duraſſent, increbeſcente magis magisque *anguſtia*, *anxietate*, *tenſione*, & valde *grauatiua preſſione ſuſpirioſa* circa præcordia; iterum iterumque recurſantibus *conatibus* vomendi, euomebat ipſum *ſanguinem*: *ſincerum* non ſolum, *copioſum*, ſed quam maxime etiam *coagulatum* in fruſta non exigua. Quo magis hic vomitu ſuccedebat *euacuando*, eo magis *leuabatur* patiens (ſicut etiam tales vomitus certe ſatis ſæpe orthoſtadia, & reliquis ſuis domeſticis officiis inuigilans, abſoluebat) Quo magis autem hæc *euacuatio* ſuccedebat, per duos iterum dies, non tamen *impetuoſe*, ſed plurimum horarum interuallis, eo tranquillius *deſinebat* denique in *menſium* ipſorum adhuc perruptionem, ſed vix vltra *ſex horas* durantem. Acquieſcebant tamen eo ipſo mox vniuerſi illi vehementes *conatus*, ita, vt compoſitis omnibus patiens altero, aut ad ſummum tertio die iterum bene ſana appareret. Hæc facies rerum harum continuabat hac ratione in *decimum tertium* vsque *menſem*; nempe totidem inſultibus memoratam rationem exquiſite ſeruantibus. Tandem incurrebat patiens *cachexiæ* euidentiora quædam prægludia, quibus inducebatur ad remedium huic inſolito motui adhibendum, quo etiam potita eſt, omnino tali, *vt ſpecifica* magis efficacia, abſolute ſine vlla *adſtringendi* energia, hæc *ſpecialiſſima* commotio ceſſaret, ſola *menſtrua* adhuc commotione redeunte: ſicut de illo negotio citato loco memoratum eſt.

In hoc caſu conſiderari debet conſpiratio conatus vomendi cum fluxu menſium.

§. XIII. Circa quem certe caſum vti merito conſiderari debet *conſpiratio* illa *conatus vomendi*, quæ prima plane *fortuita occaſione vigentem fluxum menſium* ſecuta eſt ſimpliciter, & quidem plane *per accidens*, & mere *fortuito caſu*; poſtea vero ipſa fluxus huius initia anteceſſit. Quo ipſo certe nullam vsquam directam occaſionem habuiſſe intelligi poteſt, nempe *vomitus qua talis*; tanto minus, cum omnino etiam *appetitus* ipſe ſemper adhuc tali tempore, quo vomitus iterum emicabat, ſibi conſtaret: imo, magis magisque in peius conuerti videretur totus affectus, non *appetitu* ſolum fatiſcente, ſed aliis etiam materialibus cauſſis deficientibus, dum *vacui* poſthac *conatus*, vacuo ab aſſumtis ventriculo ſuccederent; imo hi ipſi quoque *vacui* conatus, vndecunque tandem credi poſſent, ita magis magisque, quod faciebant, inſoleſcere, tamen non deſinebant, niſi facta tandem *excuſſione ſanguinis*. Qua quidem largiter atque facile ſuccedente, *minuebantur* conatus, & augeſcebat euphoria: imo quo magis ſucceſſiſſet *excretio ſanguinis*, eo tranquillius ſubſidebant & vniuerſi *conatus*, & ipſe *menſium* potius vltimo *placidus* fluxus reuertebatur.

Omnia hæc non ſimplicem

§. XIV. Omnia hæc inquam ſicuti nullam vsquam relationem habere videntur ad illas concitationes *ſimplicis vomitus*, cuiuscunque

rei

rei ſimpliciter *vt e ventriculo*, & vt in cauitate eius contentæ, excuſſioni dicati: ita non conuenit vtique etiam reſpectus *temporis menſium*, quod omnino ſeruabat, aut *pacationis* eiusdem, ſimulatque ſanguis *euacuatus* eſſet; nec inprimis ſtatæ illæ *menſuræ*, non magis *veniendi*, quam *ſuccedendi*, *durandi*, & iterum *deſinendi*, ne dum aliquem adhuc ſucceſſum *menſium* poſt ſe trahendi, vllo modo cum quacunque ſimplicis vomitus indole conciliari poſſunt. Optime vero cum *tempore*, *ſubſtantia*, *quantitate*, *ceſſatione* MENSTRVAE ſanguineæ euacuationis. Vt adeo ſatis hinc appareat, vniuerſum hunc *apparatum* vomitorium revera nulli alteri rei, quam vere & ſimpliciter *ſanguini dicatum*, ad ſanguineam inquam euacuationem quouis modo *deſtinatum*, *directum*, illa recte & ordine *potitum*, & quoties hoc ita factum fuiſſet, etiam ſponte & plane *tranquille* iterum *dimiſſum* fuiſſe.

vomitum reſpiciebant, ſed totus apparatus ad euacuationem ſanguineam deſtinatus & directus erat.

§. XV. Vbi quidem, cum nulla vsquam ratio comparere poſſit, ſecundum quam *vomitus* alterius rei, maxime *tali tempore*, nempe *menſtruo*, concitatus, aut quæcunque ſaltem occaſio illi ſubminiſtrata fuiſſet; Saluo vtique per quælibet huius vomitus initia vniuerſo *appetitu*; imo etiam ſub durante adhuc vomitu, per duos dies ſibi conſtante *appetitu*, reluctante quantumlibet *motu ventriculi* excuſſorio. Multo minus, *vnde* vomitus etiam *vacuo* ventriculo, tamen inſigni *conatu* increbeſcere potuerit, quousque *ſanguinem* tandem elideret: Minime omnium autem, vnde & quomodo *tunc* maxime huius ſuæ contumacis inſoleſcentiæ *imminutionem*, & denique *compoſitionem* adeptus ſit, ſimulatque *ſanguinis* effatu digna *euacuatio* perpetrata eſſet. Omni certe rationi refragaretur harum rerum cauſſam alteri cuicunque *materiæ* aut *reſpectui* adſcribere, quam ipſius *euacuationis menſtruæ ſanguineæ* apparatibus.

Omni rationi refragatur, cauſſam huius vomitus alteri materiæ quam intentioni euacuationis menſtruæ ſanguineæ adſcribere.

§. XVI. Poteſt autem tanto magis rei vniuerſæ illuſtrandæ vtique inſeruire non ſolum *exitus* curationis huius talis *moliminis*, (quantum ad hunc locum attinet, vtique *peruerſi*.) dum *remedio* ceſſit *ſimpliciſſimo*; quarumlibet circa *venam portæ*, minus conuenientium *ſpaſticarum* commotionum *moderamini* idoneo: ſed, quod omnino notandum eſt, ad alios *vomitus* directe & ſimpliciter *ſtomachales*; quoquo modo, ne dum ita *præſentanee*, & tamen *tranquilliſſime* inhibendos, nihil quicquam valituro;) ſed etiam nouus ſucceſſus poſt ita ſedatum hunc vomitorium conatum per accidens ſubſecutus.

Hoc illuſtrat non ſolum exitus curationis, ſed etiam nouus inſultus per accidens ſubſecutus.

Cum

Cum enim patiens hæc reuertente *ſeptimana* illa & *diebus* conſuetis, quibus inſultum illum vomitorium iterum exſpectare debebat, ad *præſeruandum* vteretur quotidie verſus *prandium*, *cœnam* & *introitum lecti* 35. guttis *eſſentiæ millefolii*, eminebat eo ipſo omnis vlterior ſenſus vilius eiusmodi *vomitorii tentaminis*, totis illis ſex diebus; *appetebat*, *edebat*, *retinebat*, *concoquebat* omnia ad regulam illibatæ ſanitatis. Septima die, plane iuxta menſuram hucusque conſuetam, reuertebantur menſes *tacite*, *tranquille*, ſed pro conſueto hucusque modulo *parce* vtique atque *breuiſſime*, per ſex vel octo horas ſolum durantes. Nulla vsquam mutatio apparebat in patiente, a ſano ſtatu decedens. Proximo vero *tertio* aut *quarto* poſtea die, cum iterum in ipſo prandio maxime inurbano, iurgio magis quam ioco vehementer commota eſſet, & parum adhuc ediſſet, imo etiam ſtatim a menſa recederet, correpta eſt pauco poſt tempore, duarum circiter horarum, nullo certe ne *conatu* quidem *vomendi*, quin vllo eius rei *ſigno* aut *indicio*, bene vero tam vehementibus *contentionibus ſpaſtico-ſuffocatiuis*, tam pertinacibus, tam late ſeſe expandentibus, imo diffundentibus, vt non ſolum in quartum vsque diem quaſi iugiter durarent, ſed etiam ſchema ſuum ita varie transformarent, vt ſecundo quidem die *ſpuriam* veluti totius corporis *paralyſin* præ ſeſe ferrent; ſolo capite ſic ſatis ſaluo: proximo autem, qui *tertius* erat, die reliqui quidem corporis ita ſatis compos eſſet, *caput* autem atque *linguam* mouendi plane impos. Cum autem etiam hæc omnia ita grauia incommoda quarto die iterum miteſcerent, quinto ipſo clam iraſcens eandem ſcenam repetere viſa, tandem leuiſſime fluente e *vena in pede* ſecta ſanguine, non ſolum confeſtim ad ſe reuerſa eſt, ſed etiam poſtea perpetua ab horum generum inſultibus libera manſit.

Qui certe ſucceſſus huiusmodi totius affectus ſatis in omnes veluti ſenſus ingerit, quam parum ad *ſimplicem vomitum* reſpexerint præcedentes illi, quantumcunque in genere *vomitorii*, conatus & actus.

Quos effectus & euentus tales vomitus cruenti habeant.

§. XVII. Sunt autem huiusmodi *vomitus cruenti* ratione *effectus* quidem ſui omnino quam *minimum vtiles*, vti inprimis ſimpliciter *ἀνομάλως* aliis tolerabiloribus ſubrogati; *euentus* autem habent per ſe quidem & directe minus grauiter periculoſos: ſi tamen ſaltim immediate *oppreſſi*, non vero ſimul iterum *diſcuſſi*, in propinquo *liene* diutius reſtagnando ita ſubſiſtant, poteſt inde *inflammatio* lienis, *corruptio* talis ſanguinis, & tandem *vomitus niger* (ad inſtar *rob ſambuci*) cooriri, cum certo funeſto euentu, ſi initium fuerit acutum; aut lentiore progreſſu *hydrops*; aut medio modo *ſpaſticorum moliminum* graues exacerbationes, quales in ipſo allegato exemplo occurrebant. Melius autem cedit atque decedit hæc etiam ita incommoda euacuatio, ſi alio conuenientiore loco ſanguini *ventilatio* decenter obtingat.

ARTI-

ARTICVLVS IV.
DE
HAEMORRHOIDVM FLVXV.

§. I.

SI quid vsquam aliud in *hiſtoria medica practica* minus, quam conveniebat, in animum admiſſum eſt, quod tamen inſuper haberi minime omnium debuerat, eſt illud profecto hoc, de quo loqui aggredimur, HAEMORRHOIDALIS euacuationis negotium. Cum enim dici vix poſſit, ſed multo minus tacente ita incondite ſcriptura medica, niſi nuda fide credi, quam *familiare* prorſus ſit hoc euacuationis genus; ſimul autem, ſi modo aperiantur oculi, etiam in ſenſus incurrere poſſit, quam variis *commotionum* generibus obnoxii ſint illi, quibus ſecundum omnem ſatis conſpicuam probabilitatem *ad hæmorrhoidalem* euacuationem res reſpicere videntur: quam multis talibus *eximantur* non ſolum ſimpliciter, quibus hæmorrhoidalis fluxus *emergit*; ſed inprimis illi, quibus iam alia talia paſſis hic fluxus *ſuperuenit*; imo denique, quibus huiusmodi malis etiam illi *exponantur*, quibus *adſuefactus* hæmorrhoidum fluxus denuo iterum ſupprimitur. (Quam in rem certe ſolido commentario clinico practico digniſſimi ſunt *Hippocratis* textus varii, vt VI. *Aph.* 11. 12. 21. *De Humoribus* c. XI. text. 1. & 3. IV. *Epidem.* c. 31. t. 1. 2. V. *Epidem.* c. 10. t. 18. 21. VI. *Epidem.* c. 3. t. 65. &c.)

Negotium hæmorrhoidale minus in animum admiſſum admodum familiare eſt, variis tamen commotionum generibus conſpicuum.

§. II. Ab his autem rebus cum non ſolum viſum mihi, ſed ſane ſpectatum imo perſpectum ſit ingens illud nexus vinculum, quo varia huiusmodi *affinia* mala ab ipſo inprimis hæmorrhoidali negotio pendeant: imo vero, rem vti re vera ſeſe habet eloquendo, cum talis vtique ſit harum rerum conſtitutio, illa ita, vti vulgo factum arguo, neglecta, non poſſit aliter fieri, quin ita veritate rerum tot tantarumque, quæ huic nexui adhærent, neceſſario deſtitui debeat ars medica, quando illæ vtique aliter, quam hac vna ratione, ſecundum veritatem ſe non habent: eſt ita omnimodo æquum, vt hæc ipſa res ita ſecundum ſimplicem veritatem recenſeatur; iniquum autem atque noxium, ſi negligatur.

Multa affinia mala ab eo pendent.

Nomen hæmorrhoidum.

§. III. Vt ante omnia de *nomine* aliquid dicamus, & quidem non ſterile prorſus, laudo, peculiari omnino ſed certe non inani reſpectu *differentiam*, quam circa *appellationem* huius cenſus breuiſſimis indicat *Hippocrates*, non ſolum vbi hodieque recepto ſenſu vocabulum *hæmorrhoidum* vſurpat, tam de vaſis illis, in actu *emiſſionis* ſanguinis conſtitutis; quam de ipſa *vena crurali*, quam particulariter *hæmorrhoon* appellat. De qua poſteriore acceptione licet hic nondum ſit dicendi locus, ſed certe minime defuturus maxime idoneus: ſufficit ita hoc loco intelligendas indicare illas *hæmorrhoidas*, e quibus ipſe *ſanguis* vere *dimanare* & *exonerari* ſueuit.

Diſtinctio inter hæmorrhoides internas & externas.

§. IV. Debemus, niſi quidem totam rem, certe conſignationem eius diligentiorem, *Veſalio* & *Laurentio*, quod *internarum* & *externarum* hæmorrhoidum veram exſiſtentiam laudauerint. Nempe *hæmorrhoidales* venæ, e quibus ſanguis per ipſum *anum cum alui depoſitione* excernitur, ſunt *recto* inteſtino appoſitæ venæ, & per illud diſtributæ; tum interius per eius *longitudinem* protenſo inſigni ramo, a quo multis propaginibus alii minores & minimi, ipſi inteſtino per tunicam eius nerueam inprimis, innumerabilibus veluti ramificationibus implantantur: tum proxime circa *exitum* & verum *orificium* eius appoſitæ aliæ tenerrimæ, *ambitum* huius quaſi peculiariter coronantes. *Priores* illæ, ſeu potius integer ille inſignis earum *ramus*, ſunt a *vena portæ*, non ſolum in genere, ſed etiam magis peculiariter (ſicuti non quidem abſolute in omnibus, certe tamen *pleriſque* cadaueribus deprehenditur,) immediate ab ipſo *ſplenico* ramo. *Externæ* autem illæ ab *iliaco interno* ramo.

Excretio legitima nullo alio loco fit; quam circa orificium inteſtini recti.

§. V. Notanda interim quam maxime venit illa vtique circumſtantia, quod *excretio* hæmorrhoidalis *legitime & ordinarie* nuſquam fiat, quam ſimpliciter circa ipſum *orificium* inteſtini recti; adeo, vt ſi etiam ſenſus aliquis tumoris hæmorrhoidalis *altius* introrſum percipiatur, tamen *exitus* illius, ſi quem aſſequitur, potius ita ſimpliciter proxime ipſius huius inteſtini exitum & *orificium* ſequatur: aut plane propterea non obtineat exitum, ſed *cæcis* ſolum conaminibus, & ſtaſibus *inflammatoriis*, patientes exerceat. Nempe cum circa *orificium* maxime inteſtini textura ſit *tenuior*, teneriore ſolum *cuticula* tecta; dum magis in profundo, adhuc ſpiſſior illa *villoſa* vulgo dicta tunicacea ſubſtantia occurrit: habet proinde non alibi quam hoc in loco liberiorem exitum qualiscunque perruptio.

§. VI.

§. VI. Ita nempe, vt ipſam rei hiſtoriam commemorem, celebratur excretio hæc hæmorrhoidalis cum *alui depoſitione*, & inprimis familiarius cum ipſis *durioribus* ſcybalis exprimitur ſincerus ſanguis: imo vero familiarius non tam *cum* ipſis ſcybalis, quam vltimo loco *poſt* ipſa, & magis vacuis vltimis *conatibus*. Succedit quidem, vbi optime, hæc excretio etiam *ſine ſenſu* patientis: quibuscunque tamen *mediocris* ſenſus concurrit, eſt ille *teneſmodes*; velut irritationis alicuius, *expreſſionem* ſollicitantis, circa ipſum exitum. Quibus autem exquiſitior ſenſus obtingit, illi percipiunt omnino vtique velut *intus hærentis* rei durioris, & vt communiter loquuntur, tanquam *nuclei* duri, *pineæ*, aut *corni* præſentiam: ſpecialiſſimo tamen loco ſimiliter proxime circa *exitum* hærentis. Quanto *altius* autem introrſum huiusmodi ſenſus hærent, tanto *impeditius* gerit ſeſe vniuerſus excretionis eius ſucceſſus. Hiſtoria huius excretionis.

§. VII. Hæc talis excretio obtingit ita aliquibus *rarius*, & nullo inſuper ſenſibili *ordine* interuallorum: aliis ipſis etiam *rarius* per ſemeſtria ſpatia, ſed tamen cum aliquo *ordine*; nempe *veris* & *autumni*, & preſſius, *æquinoctiorum*: aliis *ſæpius* per annum, ſed nullo ſingulari ordine *periodorum*: aliis denique cum *frequentiore* recurſu, ſimul etiam exquiſitiſſimo ordine, *menſtruis* periodis. Tempus & ordo excretionis hæmorrhoidalis admodum diſcrepat.

§. VIII. Hæc talis excretio procedit communiſſime ab *internis* illis ramificationibus magni illius venæ portæ rami, qui quaſi per excellentiam *hæmorrhoidalis* dici conſueuit. Aliis oriuntur circa *extremum* omnino ambitum orificii ani *veſiculæ* quædam molles, & per tenuitatem cuticulæ, intra quam detinentur, etiam translucente colore ſanguinis *nigro-purpureo*. Hæ rumpuntur tandem, vel *ſcalpendo* etiam propter pruritum familiarem diſſolutæ fundunt non ſolum portiunculam ſanguinis, quam continent, ſed continuant etiam plus eius ſuppeditare. Minime tamen æque ſimpliciter nuda *manatione*, tanquam ita ab vnitate ſimpliciter ſoluta, ſed pariter ab illa ſub alui depoſitione adhibita voluntaria *preſſione* & *conniſu*. Hæc talia primo ita formata *tubercula* veſiculoſa tranſeunt poſt hac familiariter in vera duriora *rugoſa* ſchemata, veluti *papularum* quarundam, quæ per vices ſub *preſſionibus* fortioribus alui egerendæ ſanguinem denuo fundunt. Imo, ſi hoc facere etiam deſiſtant, degenerant non raro in *vlcuſcula* pruriginoſa, plurimum moleſta; de qualibus inprimis intelligendus venit *Hippocratis* libellus ſingularis *de hæmorrhoidibus*, (aut cuiuscunque tandem auctoris.) Hæmorrhoides veſiculares ſeu tubercula veſiculoſa.

Hæ hæmorrhoides externæ nullum typum ſeruant & multa incommoda formant.

§. IX. Hæ *tales* hæmorrhoidales viæ, vti communiſſime omnium *externarum* ſunt hæmorrhoidalium venarum proles; ita ſunt etiam auctores communiſſimi illius incommodi, vt hinc prognatæ excretiones non ſolum nullum *typum* ſeruent in ſpecie, ſed etiam in genere potius perpetuo magis & continue fluentes hinc euadant. Aut, ſicubi vtique ceſſatio aliqua contingat, & vere iterum *obſtruantur* hi exitus, non ſine magno incommodo alia vice iterum aperiantur difficilius; vel adhuc maiore, plane non amplius perrumpere compotes ita deſtituant totum illum fluxum, quem vix ſine vrgente cauſſa formauerunt, neque ſine damnis certioribus iterum derelinquunt.

Euenit hic fluxus a cauſſis internis & externis: ætati virili & ſenili; ordinate & moderate ſuccedens ſalutaris: vtrique ſexui.

§. X. Euenit hic talis fluxus non *promiſcue*, inprimis a cauſſa magis *interna*: (quandoquidem etiam ab *externa*, preſſione violentiore, cooriri poteſt, grauiſſimo *alui* excernendæ conatu, *partus* niſu, imo etiam incubitu *vteri prægnantis* in inteſtinum rectum, quin etiam *equitatione* inſueta, aut nimia eius continuatione & concuſſione, vna ſerie facta.) Sed AETATIBVS inprimis, *virili* & *ſenili*. Quo magis *ordinate*, & tamen etiam *moderate*, (*conuertuntur* autem fere hæc duo inter ſe mutuo) ſuccedit hæc euacuatio; reliquis etiam circumſtantiis *proportionatis* reſpondens, (*plethoræ*, & eius *commotionibus* in genere, prægreſſis etiam iam per præcedentes *ætates conſuetis* euacuationibus in ſpecie,) eo magis *præſeruat* patientes huiusmodi ab aliis grauioribus incommodis. Euenit *vtrique ſexui*; familiarius tamen *virili*.

Male ſuccedens varia incommoda parit.

§. XI. *Male ſuccedens*, ſi quidem nunquam prorſus ad *exitum* perueniat, *incommoda* quidem varia parit, non tamen æque promte grauiora *pericula*. Quod ex aduerſo omnino facit, iam quantumcunque liberius *adſuetus*, ſed iterum *ſuppreſſus*. *Incommoda* illa obſident inprimis loca, communi ortu e *vena portæ* vaſa ſua ſanguifera accipientia, *hepar*, *lienem*, *glandulas* meſaraicas, *inteſtina*, quin ipſum tandem *ventriculum*. Imo, inprimis in *externarum* hæmorrhoidalium excretionum *moliminibus* longinquis, *dorſum*, *coxendices*, *femora*, *crura*, *pedes*. *Periculoſiora* illa, etiam ex his ita magis ſolum *incommodis* ſubnaſcentia, ſunt *hydropes*, *aſthmata conuulſiua*, *colicæ conuulſiuæ*, *hepatis*, *lienis*, *meſenterii inflammationes*, *vomitus cruenti*, *hecticæ*, quin *apoplecticæ* conſecutiones. *Melancholiæ* etiam *hypochondriacæ veræ*, quin, obſeruante *Hippocrate*, *maniæ* conſpiratio cum hæmorrhoidibus paſſim comparet.

§. XII.

Hæmorrhoides his incommodis ſuperuenientes ea ſoluunt: ſuppreſſæ vero ea prouocant.

§. XII. Cæterum notanda vtique, vt etiam iam ſupra monitum, eſt in hanc rem *Hippocratis* obſeruatio, tota vtique *practica*, quod hæmorrhoidum fluxus talibus rebus *ſuperueniens*, illas ſoluat, & patientes liberet: *cohibitus* autem illos demum in tales ſucceſſus conjiciat. Habeo ego exemplum huius rei inde ab ipſa iuuenta mihi oblatum, quod maxime ad hanc rem e fundo ſolertius perpendendam me induxit; nempe vehementiſſimi *mali iſchiadici*, mox *gonagram, podagram* atque *chiragram* formantis, & vltra tertium annum pluribus paroxyſmis ita infeſti: per eruptionem & *ſtatum* poſthac *ſucceſſum* hæmorrhoidum ita in ſolidum ſublati, vt patiens per totos *triginta* & amplius annos, in ſerum vsque ſenium, ne minimum amplius huiusmodi affectuum veſtigium perceperit.

Mutua conſpiratio hæmorrhoidum externarum cum internis.

§. XIII. Notanda vero merito eſt mutua illa *conſpiratio*, huic certe fundamento vnice & ſimpliciter inſiſtens, *externarum* hæmorrhoidum cum ipſis *internis*. In ipſo quidem *fluxu* non exſerit ſe æque huius *conſpirationis* euidens veritas; optime vero in illis *apparatibus*, & *vicariis* tam *euentibus*, quam *effectibus*, qui vtrumque hoc negotium ſtipant, aut quoquo modo ſupplere contendunt. Vergit autem re vera hæc longe magis ab *exterioribus introrſum*, quam *contra* ab interioribus extrorſum.

Cauſſa generalis huius fluxus.

Cur per hæc ſpecialia loca fiat?

§. XIV. CAVSSAS hæmorrhoidalis euacuationis quod attinet, ſunt illæ quidem *generaliores*, huic excretioni cum omnibus aliis hæmorrhagiis *communes*: *plethora*, *commota*, imo iam exonerationi eius *adſueta* œconomia. *Specialiſſimi* autem huius *loci* fateor ſimplices & abſolutas rationes non ſuppetere, niſi in apparatu *genitali*: ſicut omnino certum eſt, etiam ipſis *venereis* inquinamentis intercedere aliquando aliquam cum ipſis *hæmorrhoidalibus* locis conſpirationem; vt vere etiam venereis impuritatibus affecti vlcerationes aliquas peculiares circa ipſum *orificium* hoc, & exitum inteſtini recti experiantur.

Podagræ nexus cum hæmorrhoidibus.

§. XV. Sicut etiam non ſpernenda in hoc genere eſt illa popularis traditio, & velut obſeruatio, quod etiam circa *venerem* luxurioſe verſantes in *podagram* tandem incidere ſoleant: & ex aduerſo illa iam ab *Hippocrate* transmiſſa obſeruatio, quod *Eunuchi podagram non experiantur*. (Cum interim *podagra* cum *hæmorrhoidali* negotio, præcipuum vtique nexum habeat.) Sane vero de *externis* hæmorrhoidibus hoc merito multum valere poſſe, (*quarum* etiam præcipue conſectarium eſt ipſa *podagra*) confirmat communis ortus *venoſorum* vaſo-

rum *membri virilis*, & *hæmorrhoidalium externorum* a venis *iliacis internis*.

Cauſſæ internarum.

§. XVI. Sicuti de reliquo *internarum*, a *vena portæ* dependentium, deſtinationibus ad huiusmodi exonerationem occaſionem præbere poteſt *eminus*, circa talem *ætatem* familiarior, *interna* quidem, per ſpirituoſos *potus*, *venerem*, *iracundiam*, commotio: *exterior* autem, per *deſidiam*, impeditio & implicatio decentis liberi commeatus ſanguinis per *venam portæ*. Quibus rebus non iniuria etiam adiungere licuerit his quidem ætatibus ſolennem reliqui corporis maiorem *firmitatem*, adeoque partium, per quas *teneriore* adhuc ſtructura, promtior perruptio patere potuerat, maiorem *denſitatem*, quam vt ſimplicius, inprimis *lenioribus* & veluti *tacitis* expreſſionibus, perrumpi posſent. Dum interim huic inprimis viæ, per *niſus* ſcybalorum expresſorios, familiarius obtingere poteſt eiusmodi adiumentum, quod ad minimum *primis perruptionibus* viam ſternere poſſit, quæ per ſubſequentes facilius deinde iterum teratur, donec ſenſim e diſpoſitione in *habitum* deducatur.

Hæmorrhoides ſuppreſſas varia non tam incommoda quam potius pericula ſequuntur.

§. XVII. Hæc euacuatio ſanguinis, ſicut annis iam *augeſcentibus* initium ſumit ſolennius, ita durat etiam non ſolum per ipſam *prouehentem*, ſed vel omnino ipſam vltimam *ſenectutem*; adeo quidem, vt illos etiam, quibus hac ipſa ætate temere intercipitur atque *ſiſtitur* hæc euacuatio, in certiſſimas perturbationes eximias coniiciat, tam *hypochondriacorum* & *hydropicorum* pathematum, quam *ſuffocatiuorum* catarrhorum, & *apoplecticorum* ſchematum. Neque vero etiam vnquam vere iam *adſueta*, vel etiam ſolum *operoſius* atque peruicacius a longiore iam tempore *moliens* atque machinans hæc euacuatio temere tota *ſupprimitur*, quin ſenſibiliſſima ſequantur varia alia *incommoda*, circa *caput*, *pectus*, *hypochondria*, *habitum* corporis, *renes* &c. Quid, quod etiam in *fœminino* ſexu minime ita rari ſint huiusmodi affectus, qui *hæmorrhoidales*, ſi non *euacuationes* ſinceras, ſaltim *reſtagnationes* circa exitum inteſtini recti, (quas noſtrates **Maſtkörner**, & inferiores Saxones **Tacken** appellant) poſtea inſequuntur, ſecundum alios *rheumaticæ*, iterum alios *ſcorbuticæ*, omnino vero *arthritodis* indolis.

Viris quidem familiariores, tamen fœmi-

§. XVIII. Super hæc omnia vero meretur vtique notari, quod ſicuti *hæmorrhoidum fluxus* re vera familiarior, quantum mihi obſeruare licuit, ſit *viris quam fœminis*; vbi tamen in noſtris regionibus

aliter

aliter, quam in *Hippocratis* climate, re vera minime *inſolitæ* fœminis ſunt hæmorrhoides: ita etiam *fœminis* neque pariter familiariter, vti *viris*, *ordinatos* & plane *ſtatos* ſucceſſus capeſſunt; nec etiam illas pari *leuamine*, & quaſi certa προφυλάξει afficiunt, quam *viros*. Dum potius in fœminis ſemper promtior ad *translationes* & *vaga molimina* eſt indoles, quandocunque non veræ liberæ inſtitutioni veluti *primæ* atque ſimpliciſſimæ, ſucceſſus reſpondet: adeo, vt ipſæ quidem re vera adhuc facilius obſequantur *artificialibus* arbitrariis ventilationibus, quam talibus, quas ipſæ ſibi ſponte naturæ quæſiuerunt.

nis non inſolitæ.

§. XIX. Quod itaque, vt eo redeam, CAVSSAS attinet euacuationis huius ſpecialiſſimæ, minime certe diſſimulo, quod illæ etiam, vt quoquo modo *directæ*, difficulter definiri, & extra omne dubium conſtitui poſſint: excepta illa *occaſione*, quam negotium *ſpermaticum* ipſi hæmorrhoidali præbere poſſe vtique apparet; confirmantibus etiam eo magis *duobus* illis, quæ ſupra memorauimus, phænomenis, nempe, quod a *venereis* abuſibus *iſchiadico-podagrica* pathemata, ab *vlcerationibus* venereis etiam *hæmorrhoidalium vaſorum* peculiares deprauationes veluti propinquius exoriri obſeruentur. Ex aduerſo vero *caſtratis* huiusmodi affectus, quos hæmorrhoidalibus moliminibus plurimum *conſpirare* ſolers conſideratio declarat, nempe *podagricos*, re vera *ignotos* eſſe *Hippocrates* aſſeueret.

Cauſſæ directæ non ſuppetunt, cur ſpecialius per hæc loca hæmorrhoidalis excretio fiat, niſi forſan e connexione ſpermatica & genitali aliquid eliciendum ſit.

§. XX. *Superiorum* partium vitio atque defectu hoc euenire, quod illæ per *ætatem* ſufficientem habilitatem ad has euacuationes amittant, adeoque alibi ita tentandus ſit exitus, poſſet quidem aliquam ſpeciem habere: ſed laborat tamen etiam id ipſum pluribus implicationibus; præterquam, quod ipſum etiam nihil aliud, quam ſolum *indirectam* rationem ita ſubindicaret. Cum enim etiam in eo adhuc reciproca ſit difficultas, cur proprie hæc ſpecies euacuationis eo vsque differatur, donec aliis non amplius reſpondeat liber ſucceſſus? Facit inſuper totam vtique rem difficilem illud, quod etiam circa aliarum hæmorrhagiarum loca nulla neque *phyſica*, neque *morali* vera *neceſſitate* ſolæ ſinceræ euacuationes ſemper, ſimpliciter & abſolute fiant; ſed etiam ipſa nuda *molimina* atque conatus tales, & pertinaciter quidem, non ſolum *inſiſtendo*, ſed etiam *reuertendo* poſſint vtique, imo vero *ſoleant* etiam paſſim ita fieri: adeo quidem, vt etiam hoc ipſo vltimo *ſpecialiſſimo conatu* hæmorrhoidali, ſatis liberum exitum non inueniente, de integro ad illa ipſa loca *priſtina*, imo vero *remotiora* quælibet ex illis, fiat reuerſio.

Num vitium atque defectus habilitatis ſuperiorum partium ſufficientem rationem ſuppeditet?

Tan-

Tantum abeſt, vt vlla directa *neceſſitas* ſubeſſe appareat, quamobrem ad alium, ne dum ſpecifice ad hunc *talem* locum, illa *vicaria* excretio dirigi debeat.

Ratio inſtrumentalis, nempe negotium motus tonici, longe probabilius reddit directum regimen ad hunc locum.

§. XXI. Certe vero inſtrumentalis ratio huius negotii longe probabilius reddit verum directum *regimen*, quod hanc excretionem ita ſpecifice *dirigat*, & ad hunc locum proprie *adigat*. Nempe negotium *motus tonici*, ad *ſpaſtica* vsque augmenta, niſi benigniora *tacita* molimina ſatisfaciant, deducti. Iterum dico *actiui* tonici motus: quandoquidem nec *a priori* vlla veriſimilitudo occurrit, vnde alias oriri poſſint illæ tales *regurgitationes*, quando illi *ſpaſtici* motus *paſſiue* ſolum ſubſequi deberent: & *a poſteriori*, quamlibet de hiſce rebus diuerſam opinionem in ſolidum aſpernetur indoles illa, huic interim familiariſſima, tam STATAE *reuerſionis*, quam *hereditariæ* impreſſionis.

Directio hæc tonico-ſpaſtica elucet tam ex ſucceſſu huius excretionis, quam ex contentioſis moliminibus.

§. XXII. Euidens autem vtique eſt illa huiusmodi *directio* non ſolum ex ipſo ſucceſſu huiusmodi excretionis, inprimis tamen quantumcunque *impeditiore*; quam imprimis ex illis a vere *intercepto* ſucceſſu pendentibus aliis grauioribus incommodis *moliminibus*, *contentioſis* omnino, adeo, vt ſatis frequenter etiam per veros *inſultus* agant; & quidem ab illa craſſo modo ſuppoſita *reſtagnandi* ſimpliciore occaſione alieniſſimos: dum magis ipſa *quiete* otioſa exacerbantur, quam fere quocunque *motu;* niſi quidem immoderatiſſimo ſimul & ſemel tali ſuſcepto. (Sicuti certe notanda omnino venit in hoc genere etiam *ſpontanea* illa naturæ, certe rei conformis, ſubleuandæ potius ita moleſtæ quoquo modo *ſtaſeos*, inuentio, per ſpontanea *ſuſpiria*.)

Molimina hæc ſtatis etiam inſultibus apparent.

§. XXIII. Eluceſcit autem inquam illa vere *inſtrumentalis* ratio horum *tonico-ſpaſticorum* motuum inprimis ex illis horum generum *moliminibus*, quæ partim *erupturum* hunc fluxum, ſed minus expedite procedentem, ſtipant; partim etiam prorſus *impeditum*, tamen velut impetu ad exitum perpellere ſæpe tentant: & vtrumque quidem etiam STATIS omnino inſultibus; qui cum alia ſimpliciter *mechanica* ratione, quæ ſolum *paſſiuum* aliquem talem ſpaſticum effectum innuere poſſet, nihil commune habent.

Si ordo harum rerum recte cognoſcitur, etiam nexus effectuum & euentuum

§. XXIV. Intereſt autem quam maxime, vt verus harum rerum *ordo* recte cognoſcatur; eo maxime fine, vt inde etiam eo euidentius innoteſcere poſſit *nexus* ille *effectuum* & *euentuum* huius euacuationis, qui ab illa partim ſatis *commode ſuccedente*, partim *minime ſuccedente*, partim denique a ſuis ſucceſſibus iterum *depulſa*, paſſim reſul-

reſultant. Cum enim animum decenter aduertentes non poſſit fallere, tum, quam verus ſit ille horum *euentuum* cum his cauſſis *nexus*, tum, quam parum ille inde ab omni medicæ doctrinæ æuo ad animum admiſſus, nedum decenter reuocatus ſit; interim in hac vtique re fundata ſit illa *reciproca*, vel *vtilitas* bene & commode ſuccedentium, vel *periclitatio* male procedentium hæmorrhoidum; vnde nempe vera potius directa *efficacia*, quam nuda *conſecutio paſſiua* dilucеſcere poſſit: meretur vtique proinde etiam hæc tam effectuum, quam euentuum ratio ſolertiorem conſiderationem. huius euacuationis facilius innoteſcere poteſt.

§. XXV. Quod itaque EFFECTVS attinet hæmorrhoidum commode & expedite *ſuccedentium*, ſunt illi partim *generaliores*; partim *ſpecialiores*. *Generaliores* ſunt, tum *abundantis* & periculoſius *commoti* ſanguinis depletio; tum intempeſtiua & intemperans, vti fere tali *ætate* euenire ſolet, *regurgitatio* ad alia eiusmodi hæmorrhagica loca: *ſpecialiores* ſunt, partim *ventilatio* impeditioris progreſſus circa reliquam totam *venam portæ*; partim *præoccupatio* reliquorum grauiorum incommodorum, quæ circa illam ab huiusmodi omnino *molientibus*, ſed debitum ſucceſſum non impetrantibus, *apparatibus* reſultatura eſſent. Effectus hæmorrhoidum commode ſuccedentium.

§. XXVI. Sunt autem illa ſpecialiora circa *venam portæ* reliqua incommoda, quæ hæmorrhoidum fluxu mitigari ſolent, inprimis ea ipſa, quæ vulgato nomine *hypochondriacorum* accuſari ſolent. De quibus e maiore numero veluti volaticarum magis talium obſeruationum tanquam ſpeciminis loco haberi poſſunt duæ: vna celeberr. *Dolæi* in Encyclopædia ſua cap. de *malo hypochondriaco*, vbi per totum quidem contextum nihil magnopere huc reſpexiſſe viſus, tandem pauciſſimis verbis claudit, annotatum eſſe, aliquos *ab hypochondriacis affectibus hæmorrhoidum fluxu liberatos* fuiſſe. Altera paulo grauioris ponderis apud *Hildanum*, qui nobilem *ſplenetico-hypochondriaco* malo per aliquot annos grauiſſime exerceri ſolitum, & veluti deſperatæ valetudinis, *hirudinum larga* & ſæpius *repetita* ſuctione e locis *hæmorrhoidalibus* efficaciſſime reſtituit. vid. lib. *de ſanitate tuenda.* Incommoda circa venam portæ, quæ vulgo hypochondriaca appellantur, hæmorrhoidum fluxu mitigari ſolent.

§. XXVII. Præcipuum autem vtique effectum habet hic *fluxus* (quatenus talis & bene ſuccedens) ad præoccupanda ita atque *cauenda* illa varia & vere *paſſiua* incommoda, quæ ſubnaſcuntur e *congeſtionibus* humorum, & *contentionibus* moliminum motoriorum, ab hac *intentione* vtique ita perrumpendi tentatis atque ſuſceptis. Quália quidem Præoccupat & ſoluit hic fluxus varia illa incommoda, quæ tam e congeſtionibus quam mo-

ſiminibus ad perrumpendum concitantur, & firmam valetudinem promittit.

dem huius cenſus incommoda ſicuti, ſi fluxus *moliminibus* illis non reſpondeat, concitantur; ita nacto illo tandem ſuum *ſucceſſum* etiam iterum diſſoluuntur, & optatum leuamen hac ipſa ratione reſtituitur. Imo, quo magis commode, libere atque liberaliter hæc euacuatio vtique ſuccedit, eo certius, inprimis in longinquiorem ſenectam, firmiore *valetudine* vniuerſa intaminata fruitur homo ita affectus.

Euentus minus bene ſuccedentis fluxus.

§. XXVIII. EVENTVS autem minus ordinate atque proſpere ſuccedentis huius fluxus pendent vel ab eius *exceſſu*, vel *defectu*. *Exceſſus* huius etiam euacuationis ſanguinis poteſt vere confirmare illud, quod tam in genere de *ſpontaneis* eruptionibus ſanguinis, quam iam ſpeciatim conſiderationi commendauimus, nempe, non tantundem valere illas ſanguinis iacturas, quas ita, ad minimum in genere, *ſponte* ſua aliqua perpetrat *Natura*, quantum per *artem* aut *vim* ſimpliciter factæ huiusmodi ſubtractiones, inprimis repentinæ. Ita enim mihi notiſſima ſunt non pauca æque aut rara huius generis exempla, vbi certe alias *enormes* habendæ huiusmodi euacuationes nihil quicquam pro dignitate, inprimis ad familiarem opinionem, detrimenti attulerunt.

Exceſſus huius euacuationis tantum detrimenti non adfert.

Verbi gratia, Vir Illuſtris iam inde a triginta annis (nunc temporis ſexagenarius) hæmorrhoidum fluxu aliquoties per annum, licet non æque plane ſtatis periodis recurrente, commode de reliquo valens, cum variis circa diætam & animi pathemata nouationibus incommodius habere inciperet, adiicit animum ad acidulas Pyrmontanas vſurpandas. A quarum tamen vſu incidit in eum euentum, vt hæmorrhoidalis ille fluxus inde ita ingraueſceret, vt per integros tres menſes, ſecundum ipſius propriam relationem, ſingulis penitus diebus tantum ſanguinis per fluxum hunc emitteret, quantum larga venæ ſectione educi ſolere ſciebat. Et ſane quantumlibet decolor inde, laſſus, atque cachexiæ propinquus euaſerit patiens, neque poſt illud etiam tempus ad priſtinum vigorem penitus redierit, (inſuper etiam repentina ſimul & ſemel fluxus huius oppreſſione in ipſas portas mortis deductus) tamen viuit iuuante Deo hodieque, quintum poſt illud tempus annum, benigniore hucusque fluxu ad antiquum magis modulum iterum potitus.

Ita alius vir generoſus, qui iuuenili ætate (a 2.1 ad 27. annos) ingente arthritide iſchiadica, nempe per dorſum a ſcapulis ad infimas nates, & iſchion, cui ſedendo innitimur, grauiſſime excruciatus, tandem ſuperuenientibus hæmorrhoidibus liberatus ab iſtis, per annos forte decem adhuc ſuperſtes, ſatis ſanus de reliquo vixit: at vero hæmorrhoidum tam largum expertus eſt fluxum, vt vix non perennem earum eruptionem expertus ſit, & quidem ita largam, vt ad minimum ſemel in die ſuccedente aluo facile ad duas vncias ſanguinis, floridæ conſiſtentiæ, depoſuerit. Emanens tandem hæc euacuatio in mature ſuccedentia arthritica ſympto-

ſymptomata, ſiniſtram coxendicem, & inprimis ſedem capitis oſſis femoris, occupantia, mox tamen per longitudinem femoris & ipſum genu ſe extendentia abiit. Medica ope vſus incurrit largiſſimum mictum cruentum. Quem cum iterum occuparet artifex, incidit in tumorem, iam ipſum abdomen attingentem. Commode factum eſt, vt iter Viennam Auſtriæ neceſſarium differre non vellet, quicquid tandem de tumore fieret: vbi Medicis in conſilium vocatis hirudinum vſus ipſi commendatus atque adhibitus, cum aliis, illum a tumore iterum liberauit, & ſimul priſtino etiam hæmorrhoidum ſucceſſui reſtituit, vt ex hac parte in poſterum ſatis commode vixerit, (quoad denique ex acuta febre, feliciſſime progreſſa, & plena ſeptimi diei euphoria, ipſe veſpera illa ad liberandam aluum in camera frigida, Octobri menſe, deſidens pene per horæ quadrantem, & ſenſui refrigerii etiam ſponte indulgens, mox oppreſſione interna grauiſſima, & mentis alienatione præcipiti, mox etiam conuulſiuis motibus, ante noctem exſpirauit.

Pariter ICtum vidi, qui per totos octodecim annos tam vbere hæmorrhoidali fluxu laborauit, vt raro octo dierum interuallum ferret affectus: reliquo vero tempore, communiter bis per diem, aliquando etiam ter, ſecedebat cum ſede, & inprimis poſt illam vacuis adhuc quibusdam conatibus, portio ſanguinis, vix ſemuncia in ſingulas ſedes minor, aliquando etiam ad vnciam vnam nudo adſpectu facile æſtimanda. Hic quidem patiens cachecticus diu apparuit, & certe fere valetudinarius, ſenſibiliſſimus etiam omnino fuit. Interim vixit tamen, & poſt aliquot demum annos vltra (circiter 22. annis poſt primum talis fluxus initium) febre contagioſa graſſante demum abreptus.

Senem autem ante hos tres annos cognoui, qui, ſeptuagenario maior ex ingente terrore atque diuturno mœrore in fluxum tandem hunc delapſus tam inſolitum, vt etiam per quietem ab ipſo deflueret ſanguis, niſi a medicamento moderamen admitteret, tamen vltra annum in eo ſtatu durauit, quantumlibet 73. annorum homo. Tandem marcore conſumtus, inter continuatum ſpiritus ardentis a multis annis largiorem potum.

§. XXIX. *Defectus* autem fluxus hæmorrhoidalis, *molientis* tamen, vti totam illam ſcenam vehementium *hypochondriacorum* pathematum, ſi res recte æſtimetur, in *virili* ſexu certiſſime inſtruit; ita citra alias longas ambages, & plura apud auctores hinc inde inuenienda exempla, ſaltem commendo *duo* illa: alterum *Veſalii* de viro, grauiſſimis & nullum leuamen admittentibus pathematibus abſumto, qui poſt mortem apertus *venam hæmorrhoidalem* exhibuit ambitus digiti capacitate: alteram *Hildani*, loco ſupra allegato, qui grauibus *ſplenico-hypochondriacis* pathematibus diu peſſime habitum nobilem artificiali tali eductione e *locis hæmorrhoidalibus* feliciter liberauit. Defectus fluxus hæmorrhoidalis.

Defectus hic eſt vel ſimplex vel reſpectiuus.

§. XXX. Sicut autem merito obſeruanda eſt illa *diſtinctio* inter *defectus* huius generis *ſimplices*; quando nempe *fluxus* talis, ſecundum circumſtantias præſentes non iniuria *exſpectandus*, & certe aliis interim inſuperabilibus *incommodis*, ſi modo feliciter ſuccederet, omnino *præoptandus*, non ſolum ſucceſſum non inuenit; ſed etiam interim tamen naturæ *intentio*, imo iam actuum aliquorum *adminiſtratio*, ad illum contendit: & *defectum* illum eiusdem *reſpectiuum*; quando nempe iam liberius *adſueta* huiusmodi euacuatio, *iuſta* inſuper, *libera*, *liberalis*, ante omnia *ſtata*, quin inſuper *placida atque tacita*, in poſterum *deficit*; & quidem vel magis veluti *ſponte* quadam, & minus *repentinis* oppreſſionibus; vel *arte* imperita, ſub huiusmodi vtique repentinis & *impetuoſis ſtricturis*. Horum *defectuum* neuter caret grauiſſimis incommodis, præſentioribus tamen omnino infeſtus eſt *poſterior*, *hypochondriacas ſpaſticas*, *pectoris conuulſiuas* aut *oppletiuas*, *capitis oppreſſiuas*, *viſcerum ſtipatorias* aut *inflammatorias* tragœdias poſt ſeſe trahens.

Neuter caret incommodis, præſertim vero poſterior.

Cauſſæ horum defectuum conſiderandæ ſunt.

§. XXXI. Ita quidem, ſi hæc etiam huius *euacuationis* ſanguineæ indoles decenter perpendatur, facile apparebit, quod illa quidem, ſi modo *recte ſuccedat*, ſicuti ſimpliciter *paſſiue* atque νοσηρῶς non contingit, ſed prægreſſas *materiales* & *occaſionales* cauſſas tales ſequitur, quæ, niſi ipſa ſuccedat, adhuc *grauioribus* incommodis, imo damnis, ita anſam ſuppeditent; quorum intuitu hæc *euacuatio* ita, vti eſt, re vera potius *vtilis*, & aliorum malorum *prophylactica* haberi mereatur: ita merentur omnino conſiderationem illæ eiusdem defectuum cauſſæ, quæ ita *optabiliorem* ipſius ſucceſſum peruertentes, grauioribus demum *euentibus* portam aperiunt.

Hæmorrhoides ſuppreſſas grauiora mala ſequuntur quam alias hæmorrhagias.

Inprimis hoc in annoſioribus obſeruatur, cuius ratio additur.

Senum deliberatio & cœpti tenacitas.

§. XXXII. Placet quantiuis pretii cogitationem adiicere. Certum eſt, & profecto in praxi notandum, quod hæmorrhoidalis euacuationis quantumcunque adſuetæ *oppreſſiones* certiſſimas ex omnibus hæmorrhagiis grauiores conſecutiones tales poſt ſe trahant, quibus affatim diluceſcere poſſit, eſſe illos *conatus* peculiari ratione *contumaces*. Fit autem hoc tanto magis, quanto *annoſior* eſt ipſe patiens. Iam cum *annoſiores* homines, &, cæteris paribus, in *decernendis* ſuis rebus fere circumſpectiores eſſe ſoleant, & non facile quidquam, inprimis *operoſum* & *ambigui* ſucceſſus compos, ſibi proponere, niſi peculiari veluti ſtudioſa *deliberatione* præmiſſa: interim recte conſtituti conſilii & conſulti cœpti *tenaciores* eſſe, quam iuniores. Videtur hinc tanto magis con-

conſpirare etiam hoc conſilium & *conamen* hæmorrhoidarium ad *vſum* vtique eximium tam pertinens, quam etiam efficax. Vt adeo male ſuccedentem eius *apparatum* non pari leuitate, vti forte *iuuenes*, ſiue tolerent & obliuiſcantur, ſiue dimittant aut leuius ſolum penſare tentent: ſed omnino, ſi non æque *impetuoſius*, tamen *contumacius* hiſce ſuis auſibus inſiſtant, adeoque tanto certius *conniſus* illos, quantumlibet *periculoſioris* euentus, ad confinia loca exerceant. Quantumlibet etiam re vera de his ipſis *hæmorrhoidariis* conaminibus minime negligenda ſit *iuniorum* maxime *violentia;* qui ab hiſce tentaminibus inſolentius repulſi, promtiſſime ad *repentinos* impetus translationum ad *intimiora* paratiſſimi, *viſcerum inflammatoriis* affectibus ita ſubiacent. Quæ propemodum præcipua cauſſa eſt, vnde *iuniores* a ſimpliciter exterius occupata aut cito *retroacta* inprimis *podagræ inflammationibus* internis promtius ad mortem perueniunt, quam ſenes ſolent. Iuniorum violentia in hæmorrhoidariis conaminibus.

ARTICVLVS V.

DE MICTV CRVENTO.

§. I.

SAnguinis ſinceri vna cum *vrina* emiſſio citra *violentas* inprimis externas occaſiones, quantum mihi experiri contigit, eſt *rariſſimus* e reliquis omnibus ſanguinis excernendi modus. Quantum etiam iterum obſeruare ipſe potui, ſine peculiari prærogatiua *vtrique ſexui* communis: niſi quod non immerito adhuc aliquod dubium mentem eo magis propendere faciat, quod re vera etiam pluribus adhuc *viris* eueniat, quam fœminis. Mictus cruentus rariſſimus, vtrique ſexui communis eſt.

§. II. *Mictus* autem etiam *cruentus* neceſſario diſtinguendus eſt, qui a cauſſa quantumcunque *violenta* oritur, ab altero, qui magis ſimpliciter & *directe* conſurgit, *tacitis* magis ſiue *emiſſoriis* ſiue *expreſſoriis* motibus. Reſpicio merito etiam hic ad illum mictum *cruentum*, qui a *calculo* renum aſperiore excitari poſſe vulgo allegatur. Interim facit certe huius talis rei *facilem* & vſitatum euentum omnibus modis maxime ambiguum illa *clinicæ* obſeruationis veritas, quod certiſſime minime *vigeſimus* quisque *calculoſus* allegari poſſit, qui vel vnquam per Eius differentia.

totam ſuam vitam, & longiſſimam calculorum moleſtiam, vero *cruento mictu* correptus ſit: ne dum vt illum ea ratione, de qua hic maxime ſermo eſt, *ſinceriorem* & *conſtantiorem*, imo etiam *frequentiorem*, inde expertus ſit. Ita eſt etiam non adeo valde rarum, homines *ſanguine* plurimo *affluentes*, datis *externis* occaſionibus concitationum, v. gr. a fortiore *motu* corporis, inprimis *equitando*, ſuſcepto; alias quidem a congeſtoria oppletione circa renes tranſitum *vrinæ* ſecretorium interceptum ſentire: quem non niſi *ventilatione* ſanguinis largiore inſtituta recuperent: (cuius rei duo exempla in obſſ. habet *Riuerius*.)

Subiecta. §. III. Tum fieri tandem aliquibus ipſam etiam *eruptionem cum vrina*, ſincerioris *ſanguinis*: & hoc quidem etiam ipſa iam *virili* ætate *viridi*, aut prouecta *iuuenili*. Ille vero *mictus cruentus*, qui plus in receſſu habet, obtingit inprimis iam *ſenioribus*: & quidem quanto magis libere ſibi conſtat, tanto certius *tacite*; aut ad ſummum cum aliquibus *ſpaſticis* ſenſationibus, tenſione & grauitate *in lumbis* præuia.

Signa & modus excretionis. §. IV. Prodit ita ſanguis cum vrina, *copioſus*, *ſincerus*, *floridus*; niſi quantum ipſa vrinæ *ſalſedo* conſiſtentiam eius alterat aut mutat. Hic talis mictus ſanguineus vel *durat* impetu longiore; vnde quidem *medicationibus*, quas exigere videtur, dehinc facile alteratur, vt aliud, quam ſi ſibi relictus fuiſſet, ſchema efformet; id quod inprimis per *adſtrictiones* repentinas ipſi obtingit: aut *pacatius*, & *moderatius* etiam incedens, ſenſim iterum requieſcendo, accingit ſeſe ad formandas in poſterum *reuerſiones* plus minus STATAS; cum magna poſthac *pertinacia*; & ſi immoderate *ſupprimatur*, etiam grauiorum, *hydropicorum* inprimis, aut *ſpaſticorum* affectuum, aut *tabidorum* denique, periculo.

Adſtrictiones non fert. §. V. Imo, vt in *pulmonibus*, ab *hæmoptyſi* immediate ſolum *adſtringendo* oppreſſa, *vlcerationes* remanere ſolent; ita æmulantur id ipſum etiam *renes*: adeo vt e *cruento mictu* repente *conſtricto* facile *vlcerationes* huiusmodi ſubſequantur, quæ poſthac loco priſtinæ ſinceræ ſanguineæ admixtionis *turbulentam* quandam *ſubcruentam* materiam vrinæ admiſceant, quæ per moram temporis, in quieſcente vrina, ad fundum ſecedit, conſiſtentia ita *tenaci*, vt verum mucum *viſcidum* repræſentet, qui ſanguine imbutus, *rubicundæ gelatinæ* faciem ſiſtat.

Cum

Cum ante aliquot annos inuiſerem vrbem - - - - audita mea præſentia generoſæ familiæ matrona, grauiſſime illis temporibus ægra, meum quoque conſilium audire auebat, ſuper intolerabili & indeſinente in dorſo quidem dolore, per præcordia vero, quantumlibet fere profunde intimiora, ſumma anxietate; febre etiam lenta quidem, ſed ſæpius ſatis acriter emicante, tabida: appetitus pleno defectu, ſomni abſoluta impotentia &c. Veniebat ad me, qui eius hucusque curam gerebat, quamuis etiam cum alio adhuc conſilia ſua conferente, Medicus, & proponebat hanc patientis conſtitutionem; quæ ita inde a tribus circiter menſibus indies ingraueſcens ad hunc apicem peruenerat. Ego, qui vel a ſex retro annis a Medico familiæ illius, qui ipſe interea mortuus erat, ſententiam me rogatum eſſe memineram, circa dictum renum talem affectum huic matronæ æque atque coniugi ipſius (de reliquo acriter nephritico,) iam illo ipſo tempore familiarem, vt nimirum excretionibus huiusmodi mucido-ſanguineis cum vrina, inter multos ardores & exquiſitos dolores dorſi, ſæpius exercerentur, applicui ante omnia animum ad quæſtionem illam, quomodo intuitu huius conſtitutionis hucusque, & præſente maxime tempore ipſa patiens ſeſe haberet. Cum autem audirem, quod Medicus huius ipſius rei plane non factus eſſet certior, accedens cum ipſo patientem, ſimulatque hanc rem veſtigare cœpiſſem, patiens quidem optime eius commeminerat, imo in recente memoria illam habebat, quandoquidem vix ab annuo tempore ceſſauerat, & commeminerat, interrogatione mea viam ſternente, iam ſatis exacte, quod vtique inde ab illo tempore magis magisque ingraueſcens mala ſua valetudo ſenſim ad præſentem ſumme intolerabilem ſtatum proceſſerit. Illa non multis poſt illud tempus diebus, vti quidem poſtea comperi, mortua eſt. Erat alias patiens ipſa 55. annorum.

Cum quali deinde conſtitutione conſpirant vtique *dolores* varii, multi, *ſenſibiliſſimi*: *motibus* paulo fortioribus facile *laceſſendi*; interim etiam ſegni *quiete* magis ingraueſcentes. Quem talem fluxum ſi reſtringi contingat, & *ſupprimi*, propius præſto ſunt grauiora *ſpaſtica* atque *dolorifica*, anxia varie, *periculoſa*, *lethalia*, pathemata.

§. VI. Quod *cauſſas* huius rei attinet, habet mictus cruentus præcipuam conſpirationem, & res ſuas valde communes cum *hæmorrhoiduvi* moliminibus. Vnde quidem ſatis ſæpe ſuppreſſis hæmorrhoidibus ille ſponte ſuccedit.

Conſpirat mictus cruentus cum hæmorrhoidum moliminibus.

Quin etiam habui eius rei verum euidens exemplum in Viro 63. annorum, equidem alias etiam vinoſæ diætæ, ſemel autem, Iunio menſe vino eius temporis bono atque forti Erffurtenſi intemperantius vſo, & mox ita vti ebrius erat, rheda per aliquot horas iter aggreſſo. Erumpebat huic cum vrina ſine omni alio ſenſu ſanguis largiſſime, adeo, vt intra 12. horarum ſpatium facile ſesquilibria euacuata ſit. Reputabatur cauſſa huius rei acutiſſimus calculus in renibus Sed cum neque tunc vllus appareret dolor, nec vnquam quidquam huc reſpiciens expertus

eſſet

eſſet patiens, ſiue ſenſu, ſiue materiarum exitu, atque ſignis; bene vero aliquoties per annum thoracis rheumaticis, & ſimilibus etiam femoris, inprimis autem genu doloribus vexatus eſſet, iam inde ab aliquot annis, quam rem ille quidem, vti ſolet fieri, catarrhis adſcribebat, ego vero, oblatis occaſionibus de his rebus colloquendi, arthridotes quiddam exſiſtere ſemper ſuſtinueram: ita hac etiam vice, cum aduocarer ad conſultationem, hanc ſententiam non foui ſolum, ſed ſecutus etiam ſum conſilio meo; vnde ſecta eſt patienti vena; deinde adhibita cohibitio lenis quidem, ſed tamen efficax, teſte ipſo effectu. Subſtitit ſanguis, patiens recuperauit mox vires, quas quidem plus terror & anxietas, quam ſanguinis iactura afflixerant. Interim aliquot poſt ſeptimanis fluxit ſponte ſanguis per hæmorrhoides legitime cum ſedibus. Quid vlterius per artem actum ſit, equidem non comperi: ſub finem tamen autumni correptus eſt patiens anguſtiis ſtagnatoriis circa pectus, a quibus, quantumlibet ſub medicis ſubſidiis, poſt aliquot dies angina repentina coorta, & in gangrænam faucium exacerbata, grauem vitæ exitum ſortitus eſt.

Inter *externas* occaſionales cauſſas tuetur locum ſuum inconditus abuſus rei *venereæ* apud *ſenes*, vt ad hanc *viam* vergat talis conatus. (Sicuti certe efficaciſſimæ conſpirationis *lumbaris* regionis, & ipſorum *renum*, cum vaſibus *ſpermaticis* atque *teſtibus*, peculiaria documenta expertus ſum.)

Effectus & euentus huius euacuationis.

§. VII. *Effectus* huius euacuationis nullus eſt *vtilis*, quin præponderent *incommoda* non ſolum, ſed potius *pericula*, adeoque *euentus* huius excretionis deteriores. Eſt enim hoc malum ita obſtinatum, vt niſi maxime tempeſtiue iterum miteſcat, & quidem omnino cum generalis intentionis ſanguinis *ventilatoriæ* prudente penitus compenſatione, atque ſatisfactione, certiſſime & *contumaciſſimum* ſeſe gerat, & magis magisque vere *ſenſibiliſſimum*. Eoque ipſo ad irregulares *erumpendi* aut *emanendi* exceſſus propendeat, e quibus nihil boni exſpectare liceat.

Senibus exitialis.

§. VIII. Qui in *mictum cruentum* talem deuoluuntur ſenes, vix diu ſuperuiuunt, niſi quidem admodum commode atque *libere* hic fluxus ipſis ſuccedat. Alias familiarius intra pauciores annos perueniunt ad vitæ ſuæ exitum. Vnde quidem hæc ipſa etiam euacuationis ſpecies quam maxime requirit, vt illi per tolerabiliora *ventilationum* genera ſuccurratur: ne, *in genere* quidem non adeo malus conatus, ſanguinem nimium *exonerandi*, propter *loci* periculoſam ineptitudinem, ita per *accidens ſpeciale*, ſimpliciter morbidam & grauius noxiam conſecutionem ſortiatur.

ARTI-

ARTICVLVS VI.
DE
VARICVM MANATIONE.

§. I.

QVamuis ſatis rarum eſt hoc *eruptionis* genus, cum tamen etiam aliquando experientia illud offerat, erit de illo quoque aliquid dicendum. Quamuis etiam aliis in locis *varicoſas* venarum expanſiones fieri contingat, ſunt tamen illæ nusquam familiariores, quam in *cruribus*. Nos cum hoc loco non tam de ipſis *varicibus*, quam de *euentu* eorum, vt ſanguinem *effundant*, loqui in animo habeamus, differimus illam *hiſtoriam* ad proprium locum; in noſtram rem ſolum illud memorantes, quod vtique etiam ex huiusmodi *varicoſis* vaſis vel ſpontanea *ruptione*, vel per magnum ardorem & pruriginem prouocata *ſcalpendi* veluti neceſſitate, ſoluta tenera cuticula continente, tandem ita ſanguis *effluat*.

Varices aliquando vel ruptione vel poſt ſcalptionem ſanguinem effundunt.

§. II. Exempla huius rei allegare placet duo ſolum, conſideratu maxime digna. Primum, quamuis non ſtrictiſſimo ſenſu huc facere videatur, (quantum nempe talem conſtitutionem *vaſorum* attinet) facit tamen omnino vtique huc *euacuationis*, quæ in his *locis* fit, & de qua nobis proprie ſermo hic eſt, intuitu: dum nempe per ipſa *crura ſincerum* ſanguinem euacuari ſolitum comprehendit.

Duo exempla.

Adoleſcens 18. annorum, ſpongioſi, mollis habitus, parente procreatus *hæmorrhoidario*, & ſub hoc *fluxu* ſatis commode ſano, (ab eius autem tergiuerſationibus ſatis mature incommoda perſentiſcente, atque ab his rebus iam aliquando peculiarem inflationem crurum nacto) eſt valde pronus non ſolum, ſed omnino iam totus præceps, in *narium* frequentiores hæmorrhagias. Neque vero hoc ſolum, ſed euenit illi etiam ita ſatis ſæpe per annum, inprimis autem *æſtiuo* tempore, vt ex ipſis *cruribus*, *ſanis* de reliquo, & nihil vndique inſolitum præ ſe ferentibus, æquali & nihil mutata aut affecta cute, *ſincerus* ſanguis ipſi *totis guttis* erumpat. Quando diutius nihil horum procedit e *naribus* aut *cruribus*, factum eſt iam aliquoties, vt *febre* corripiatur acuti *continentis* cuiusdam typi, quam tamen *ſuperuenientibus* hæmorrhagiis *narium*, & ſedato potiore impetu per remedia *temperantia* ſublatam, vt ab ipſo audiui, ita bis eius rei teſtis fui. *Numerum* tamen dierum non æque licuit inuenire, dum patiens veri primi initii non ſatis memor eſſet.

Fœmina vero iam aliquot ſupra 50. annorum, habuit a pluribus annis ſubtumidam quidem ſolum, ſed numeroſiſſimis, licet non adeo magnis *varicibus* refertam tibiarum peripheriam. Vnde per totum harum latifundium frequens quidem ipſi erat, ſub *tempeſtatum* præcipue mutationibus, varie moleſtiſſimus ſenſus, *ardens*, *fremens*, & vt appellant, *formicans:* aliquoties tamen per annum etiam adeo acriter cooriens, vt *vrente* prorſus ardore, & *lancinationibus* profundis & vagis vehementibus correptæ, non prius mali huius lenimen obtingeret, donec ſponte tandem *ruptis* varicibus, aut *ſcalpendo* etiam, ſub ardentiſſimo interdum pruritu, leuiter concerptis, ſanguis ex illis *multum* atque *diu*, & ita etiam omnino *largiter* profluxiſſet.

Inciſio & euacuatio ſanguinis detenti non exhaurit totum reſpectum varicum.

§. III. Equidem nota eſt vtique inter Medicos & Chirurgos etiam *methodus* illa vtique *practica*, qua *varicibus* dolentibus admodum etiam *inciſio*, & ſanguinis *euacuatio* deſtinatur. Cum autem ibi fere ſolum ad illum ſanguinem reſpiciat intentio, qui *in varicibus* aliquandiu detentus, ſpiſſus ita, imo coagulatus, *reſidet*; non exſequitur ita vniuerſum ambitum, aut exhaurit totum latifundium veri *diuturniorum* varicum *reſpectus*: qui nempe minime acquieſcit in ſolius *præſentis* forte quantitatis reſtagnantis eductione; ſed nimio plus tendit ad *eo vergentis* decubitus ventilationem.

Manationis iteratæ cauſſa.

§. IV. *Cauſſa varicum* vti hic nondum venit in conſiderationem, ſiquidem de *manatione* ſolum eorum hic eſt ſermo; ita valet vtique de hac tam illud, quod modo diximus; nempe, quod *manationis*, vbicunque illa contingit, iteratæ præcipua cauſſa ſit ipſa illa ad hunc locum ſpecialiſſimum *decumbendi* etiam *adſuetudo*, per quem alias *exitum* ſortita eſt.

Tam varices quam vomitus cruentus reſpiciunt hæmorrhoides.

§. V. Interim omnino *varices* & *vomitus cruentus* ſunt duplex illud exemplar, e quo haurire debent harum rerum ſolertes æſtimatores ingentem energiam, non magis ipſorum *fluxuum*, quam maxime *moliminum* ad ipſos fluxus *contendentium*. Habet enim vtique, vti circa *ventriculum* atque *ſplenem* tota ſcena *mali hypochondriaci*; ita circa *pedes*, *tibias*, *genua*, *femora*, multiplex δράμα *podagræ* nullum veriorem ortum, quam hæc *molimina* illic quidem ad *vomitum cruentum*, hic etiam ad *varicodem ventilationem* reſpectantia: niſi quod vtrinque vtique ſubſit vero ſenſu ſpecialior *intentio* per HAEMORRHOIDALEM venam, illic *internam*, hic *externam*, exonerandi: interim eminus etiam *reſtrictiones* verſus hæc loca inſtituendi: illic quidem ſincerius, vt ad *venoſam* indolem; hic quidem non æque concinne ad *venoſam*, ſed magis *arterioſum* ſyſtema, nempe a minoribus imo

extre-

extremis ramificationibus ad totam ſtirpem. Sed cum hoc ſolum fiat per *initia* horum moliminum; vbi nempe a *digito maiore pedis* vsque fit initium: notanda vtique venit diſpar illa ratio, quæ in his moliminibus iam nimium *obfirmatis* occurrit. Vbi nempe rectiſſime in ſe ipſo etiam annotauit *Sydenham*, quod initium *podagricorum* diffuſiorum ſpaſmorum ſecum ferat *inflationem* etiam *venoſorum cruralium* vaſorum: nempe, rem decenter æſtimando, veriorem motuum *varicoſo-eruptorium*, *molientem*, quam ſincere retrorſum ſolum pellentem.

§. VI. Cæterum omnino etiam hoc ipſo loco maximopere amplector illud, quod iam pridem ita in hoc genere indicare ſategit *Hippocrates*, quando libro de affectibus *coxendicum dolorem* imputat, equidem *peculiari* magis opinione, *ſeroſo-bilioſæ* materiæ: interim *generaliore* veriore acceptione venæ *hæmorrhoo*, quæ per crus decurrat. Ita nempe vtique EFFECTVS huiusmodi *varicoſarum emanationum*, *molientium* quidem, ſed non plane *exitum*, quem adfectant, inuenientium, DEFECTV maxime peccat; imo vero vel ipſo etiam *effectu* ſeu *exitu* nihil magnopere commodi poſt ſeſe trahit. Cum enim hic *locus* libero *exitui* ſpontaneo ſanguineæ euacuationis tanto magis ineptus ſit, quanto minus *varicoſa* illa prædiſpoſitio vaſorum facile obtingit, adeoque, quam vocant, *proximam potentiam* præbet, e qua illa *eruptio* immediata vere formari poſſit: aut, ſicubi etiam *prædiſpoſitio* talis occurret, vergit tamen illa longe magis ad *eryſipelaceo-vlceroſas* peruerſiones, quæ certe quouis intuitu improbandæ ſunt.

Varicoſa emanatio effectu & exitu ſuo nihil commodi poſt ſe trahit.

§. VII. Hac itaque ratione nihil eſt certius atque firmius, niſi quod omnino *effectus*, vtcunque etiam *ſuccedat*, noxius potius ſit, ad minimum in certiſſima æque, atque fere proxima potentia, quam vllo modo ſincerius vtilis. *Defectus* autem eiusdem, fiente interim atque *contendente* omnino *molimine*, etiam certis vlterioribus *incommodis* viam ſternat: nempe, pro diuerſitate texturæ ſubiectorum in aliis *œdematoſorum*, in aliis *eryſipelaceorum*, in aliis *ardentium*, in aliis *ſpaſticorum* dolorum certam conſequentiam inferat.

Effectus potius noxius quam vtilis. Defectus autem certis incommodis viam ſternit.

Libet omnino hoc loco allegare *duo* in hanc rem conſideratu maxime digna exempla. Primum eſt illud, quod aliquot annis deinceps inſertum eſt Calendariis, in quarta, quam vocant, forma a Godofredo Kirch editis anno 92. 93. 94. præteriti ſeculi. Vbi nempe memoratur vir quidam nobilis, a podagra liberatus, aut certe ſummopere mitigata illa ſubleuatus, facta ſingulis nouiluniis ſacrificatione metatarſi, ſine ſuctione per cucurbitulas, ſolum lignea ſpatula expreſſo

e pede (in aqua calida collocato,) ſanguine, quoad flueret. Hoc remedium tam efficax expertus eſt patiens, vt illud per ingenuam commiſerationem aliis eadem patientibus commendare in animum hinc induxerit.

Alterum exemplum obtulit fœmina in pago viuens, Cantoris atque ludi magiſtri vxor. Hæc, 35. annorum mulier, cum poſt aliquot puerperia tandem non ſolum menſes non ſatis commode amplius procederent, ſed etiam arthriticis doloribus, iam circa ſcapulas, iam vna alterutrum femur, crus & pedem exerceri adſueſceret: imo huiusmodi dolorum tandem nimiam acerbitatem incurreret, quæ illam tenuibus ſuis rebus domeſticis adminiſtrandis prorſus imparem efficeret, venit denique ad petendum conſilium. Erat opportune tempus vernum; ſuadebam itaque V. Sem in pede. Aucrſabatur hanc mulier propter ſummam hæmophobiam grauiſſime, & ſi vsquam poſſet fieri, aliud remedii genus optabat. Reminiſcebar ita, quod proxime pagum, quem habitabat, ſit piſcina quædam, quæ ſanguiſugis abundet: adeoque ad minimum horum animalculorum vſum ipſi commendare laboro. Vbi illa ſatis modeſtiæ exhibuiſſet, ne loquentem interpellaret, cum abſoluiſſem meum ſermonem, ſtatim reſpondet, eſſe ſibi vtique animalcula hæc, æque atque ſuctum illorum optime nota; vicinos ſuos, & inprimis iuuenes, vtriusque ſexus, ſolere quotannis ſemel iterumque cruribus in piſcinam demiſſis animalium horum ſuctioni indulgere: ſeſe ipſam quoque iam aliquando, altero abhinc anno, perſuaſione mariti ſui, huic operationi ſe ſubmiſiſſe, & habere vtique, quod teſtetur, toto illo anno propemodum, inprimis tamen æſtate illa & autumno proximo multo tolerabilius habuiſſe. Interrogabam, quotnam forte animalcula ita ſuxiſſent cruribus affixa? memorabat illa 12. ad 14. conſtanter, & donec plus minus ſatiata, motitatione deinde pedum ſenſim ſponte deciderint: vbi etiam adhuc ſanguis diu poſt largiter manauerit, vtpote qui ab hac ſuctione vix, niſi ſole occidente plane deſiſtat fluere. Cum itaque ex hac re ſatis agnoſcerem, non ſimplicem hæmophobiam, ſed potius tomophobiam, ſeu ſectionis momentaneæ inanem metum hic maxime ſubeſſe, perſuadebam adhuc patienti V. S. ipſius vſum; ſubordinando ſolum hirudinum etiam vſum moderatum in locum ſcarificationis, bis forte per æſtatem adhibendum. A quibus rebus ita perpetratis, etiam commodiſſime habuit.

Puto nimirum etiam ex his exemplis poſſe quadantenus elucere, quomodo ab *euacuatione* ſanguinea ſanguinis ad *cruralia vaſa* pertinentis, vere *præoccupari* poſſint *effectus* illi, qui tanto magis ortum ſuum debere videntur *ſpaſticæ contentioni*, velut ad hanc *expreſſionem connitenti*: cum vtique inſtituta, etiam ſolum intra ſatis longum tempus, actuali eiusmodi euacuatione, illa vel plane ſatis diu quieſcat, vel ad minimum eximie prorſus miteſcat. Non debui certe hanc rem præterire, tanto minus, cum illa his quidem reſpectibus communiter parum videatur animum Pathologorum tangere; quod tamen

ſine

ſine ſolido damno verioris nexus cauſſarum & euentuum, circa plurimos a coxis ad apices pedum affectus fieri non poſſe, conſtantiſſime arbitror.

ARTICVLVS VII.
DE
VTERI HAEMORRHAGIIS.

§. I.

FLuxus ſanguinis e locis *generationi* dicatis in ſexu *fœminino* ſunt omnino tale negotium, quod prudentem penſitationem quam maxime poſtulat. Cum enim ad *ſanam* quam maxime huius ſexus conſtitutionem pertineat, vt hæc *exoneratio libere* atque *legitime* ſuccedat; *breuibus* non ſolum, ſed omnino etiam *ſtatis periodis*; *ſucceſſu* vero etiam ſatis *diuturno*, aliquot dierum continuo: hic ipſe etiam talis *ſanus*, & *ad ſanitatem* pertinens fluxus immenſum quantum rarioribus exemplis in *exceſſu* peccet, nimio vero familiarius in *defectu*: præterea etiam *exceſſus*, præterquam plane *ſummus*, (qui tamen in *menſtruo* fluxu ſimpliciter re vera inauditum quiddam eſt,) magno numero pauciores vlteriores noxas directe poſt ſe trahat, quam qualiscunque *defectus*: (quod quidem etiam de omnibus hæmorrhagiis, non ſimpliciter *violentis*, *notabiliter plethoricam* conſtitutionem ſecutis, vel etiam iam in *adſuetudinem* aliquam deductis, omnino vtique valet.) propterea meretur ſane vtique hæc huius negotii conſtitutio, omni modo prudentem æſtimationem.

Menſes rarius in exceſſu, familiarius in defectu peccant; exceſſus etiam non tam noxius eſt, quam eorum defectus.

§. II. Venit autem hic etiam, ſi non æque in prolixam conſiderationem, (vtpote quam *ſcientificam* & ſecundum cauſſas vtique vix admittit) illa conditio huius negotii, quæ reſpicit *ſubiectum* veluti *generale*; quo ſcilicet intuitu hæc exoneratio ſanguinis, æque atque omnes reliquæ, (exceptis *violentis* caſibus) *ſoli* inter animantes ſpeciei *humanæ* obtingit.

Soli ſpeciei humanæ hæc ſanguinis excretio obtingit.

Quantumlibet enim non ſolum *ſimiæ* vni maiori, & *canibus* aliquot fœminis, fluxum *periodicum menſtruo* geminum obtigiſſe notauerim; tamen nihil ad totas ſpecies hoc exquiſite inferre in propatulo vtique eſt. Quid de hac re in genere

nere ſentiam, ediſſerui breuiter ſupra, vbi de *frequentia morborum in homine præ brutis* aliqua locutus ſum; nempe, quod ſecundum circumſtantias rationi conformes propius & *colligere* ſeu *intelligere*, & *eligere* ſeu *velle*, & *operari* atque *exſequi humanæ* vtique rationi, præ omnibus animantibus *actiuiſſimæ*, quadret & conueniat: præſens autem illa talis *abundans* conſtitutio, quæ vtique *ventilationes* per ſinceriorem euacuationem mereatur, hoc ipſo *rationi conformem* faciat, ipſam etiam *voluntatem* & *intentionem* hoc ita exſequendi: *exſecutio* autem illa, ſecundum omnium circumſtantiarum exquiſitiſſimam rationem, non poſſit decentius fieri, quam per hunc locum. Vbi nempe harum rerum non magis curioſis, quam etiam re ipſa compotibus iterum apparebit, quam præcipua ſit ratio inprimis FINIS. Siquidem illa in muliere *abundantia* ſanguinis, quæ euacuationibus ita interpoſitis *imminui* debet, vtique in ordine ad *nutriendum* fœtum, ex vberiore receptione atque retentione, & in lympham conuerſione chyli ortum ſuum ſumit. Quem etiam maxime *ad fœtum* generandum atque nutriendum in humana ſpecie tanto magis reſpicere, reddit tanto probabilius altera illa circumſtantia, quod mulier præ omnibus aliis animantibus ſemper, & quolibet tempore ad *actus generationis primos* auida exſiſtat: manifeſto argumento, quod illa *interna intentio* naturæ ſemper ſit, *velle concipere*; quod deinde vtique ad vlteriorem productionem ſui *nutriendum* ſit, per maioris copiæ alimenti, quam quæ ſoli materno corpori ſufficiat, ſuppeditationem.

Ordo ſeu hiſtoria negotii menſium.

§. III. Vt vero hoc negotium etiam ſecundum neceſſitatem pathologiæ condigne commemoretur, neceſſe eſt vtique, etiam *ordinem* eius ſecundum naturam ſimpliciter perpendere. Tali intuitu conſiſtit negotium menſium in eo, quod fœmina *primo*, quo ipſo tempore *conceptioni* idonea euadit, etiam hanc *euacuationem* experiri ſimul incipiat. *Secundo*, quando hanc euacuationem *amittit*, (naturali ordine, & ſine quacunque p. n. impeditione) eo ipſo tempore etiam amittat *concipiendi* energiam. Simulatque etiam *conceperit*, euacuatio hæc *ſiſtatur*, donec infans in lucem non ſolum editus ſit: ſed etiam per illud tempus, quo infantem poſtea adhuc lacte *nutrit*. *Quarto*, quam diu vero fœmina intra hanc periodum *fœcunditatis* ſuæ conſtituta, tamen non ipſa actu fœcunda eſt; vt nempe vel *in vtero*, vel *lacte* ſuo, nutriat infantem: experitur *ſingulis menſibus* tacitam talem *ſpontaneam* emanationem ſinceri ſanguinis e genitalibus, quæ per aliquot dies *continue*, *placide* tamen, pergendo, ita negotium hoc abſoluit dicti inde *menſtrui* fluxus. Dico, quod hic fluxus, quam diu ſibi recte conſtat, & cooriatur, & procedat *tacite*, quod omnino ita ſe habet. Siquidem rectiſſime ſibi conſtans, & corpore mulieris, neque *quantitate* nimia prorſus, neque *qualitate* ſanguinis *emanationi* inidonea, affecto,

Fluxus hic tacite & placide prodit & emanat.

ne

ne dum violentioribus *impulſuum* quorumcunque ataxiis turbato, hæc euacuatio ita *placidiſſime* prodeat, & ſuccedat, vt etiam vere nullum alium *ſenſum* vsquam coniunctum habeat, niſi ſimplicem tandem vltimum *emanationis*.

§. IV. Porro, ſeruat hic fluxus *menſtruos* ambitus, *duplici* ratione; *primo*, vt exquiſitius reſpondeat ipſis *lunaribus*, inprimis *potioribus*, *phaſibus*, & maxime omnium *nouilunio*. *Deinde*, vt etiamſi *phaſes* ipſas non æque reſpiciat, tamen ita maxime *menſem* complectatur vt *tribus ſeptimanis* magis exquiſite vacuis cum *quartæ* initio reuertatur; per vnam vero circiter ſeptimanam,ſeu *ſeptem* dies, leniſſima promanatione continuet. Dedit hæc periodi ratio mihi occaſionem, *cauſſalem* eius habitum *criticis* menſuris aſſignandi: dum videlicet *eccriſes* non admodum *vrgentium* materiarum in *tertii ſeptenarii* finem familiariter reſeruantur, æquipollentem nempe *tribus* illis *ſeptimanis* vacuis; explente vero etiam ipſa euacuationis ſucceſſione ita vnam *ſeptimanam*. Cur menſtruam periodum ſeruet.

§. V. Talis proceſſus atque ſucceſſus huius euacuationis ſeruatur non ſolum ita, quam diu fœmina ab infantis nutritione libera eſt; ſed quando etiam *concipit* fœtum, emanet mature hic ipſe fluxus, cum æque paruo, imo prope nullo incommodo mulieris, quam antea fluere etiam conſueuerat: niſi quod hic per indiuidua accidentalis *ſenſibilitas* corporis maior, imo *edacitas*, & omnino iam præſens ingens ſanguinis *abundantia*, diuerſos etiam in hac parte ſucceſſus poſt ſe trahat. *Sanæ* vero mulieres, quando vacuis vtero atque mammis *menſium* fluxus recte ſuccedit, adeo nullum alium incommodum ſenſum inde percipiunt, vt excepto ſolo *fatigationis* alicuius indicio, & qualicunque, inter motus corporis inprimis non admodum ſolitos, *reſpirandi* difficultatis, de reliquo exquiſitiſſime optime ſeſe habeant. Poſt conceptionem emanet, etiam ſine notabili incommodo, niſi peculiaris ſenſibilitas, vel edacitas, vel abundantia ſanguinis moleſtiam faciat.

§. VI. Quemadmodum autem de aliis quibuslibet huius euacuationis circumſtantiis, ſecundum naturam, iam in *phyſiologicis* latius actum eſt; ita poſtquam ſolum pro *comparatione* abeuntis poſthac a recto tramite conſtitutionis hæc notauimus, facimus ita etiam circa hanc ipſam rem, nempe *læſiones* huius euacuationis, legitimum progreſſum. Quamuis hucusque non ſolum *hæmorrhagiarum* in genere *effectus* etiam peculiares notauerim, & quidem illos in ſe *ſimpliciter*, & *quatenus tales*, fere ſemper *vtilitatis* alicuius compotes eſſe monuerim; per *ſpecies* autem ſingularium hæmorrhagiarum ſecundum peculiaria Hæmorrhagiarum effectus generatim vtilis eſt; ſpecies autem propter locorum & viciniarum diuerſitatem ſpeciales euentus ab hoc effectu alieniores ſortiuntur.

Sic menſtrui fluxus effectus vtilis & neceſſarius eſt.

liaria loca differentium monuerim, quod ſecundum illam accidentalem *locorum & viciniarum* peculiarem diuerſitatem *euentus* ſortiri ſoleant ſpeciales, a ſimplici directo ſui *effectu* etiam quolibet intuitu alieniores: ita valet hoc tanto magis de præſente euacuationis talis ſanguineæ ſpecie, vtpote quam vtique vix quisquam hominum vel hodie aliter interpretatur, vel olim etiam interpretari cordi habuit, niſi quod *effectus* eius omni modo VTILIS ſit, imo vero vel plane abſolute magis *neceſſarius*.

Hoc tam veteres quam recentiores agnoſcunt.

§. VII. Cum enim *veteres* in perſuaſione tali hærerent, quaſi ſanguis ille, qui *menſibus* ita excernitur, etiam *materialiter malus* ſit; atque adeo hac exoneratione tanquam *peior* pars reſidui melioris ſanguinis e corpore ita proſcribi debeat: tanto magis non *iuſtam* ſolum, ſed re vera *neceſſariam* agnoſere debuerunt hanc ipſam eius expulſionem. *Recentiores* autem, licet non æque laborent de rationibus tum *euacuationis* huius in genere, tum talis eius *ambitus* in ſpecie ſcrupuloſius ſpeculari, amplexi tamen fere familiariter & ſatis æquo animo ſunt illud argumentandi genus a poſteriori, quod aliter eſſe vix poſſit, quin *vtilis* vero ſuo effectu cenſeri debeat hæc euacuationis ſpecies, eo, quod ſi ſucceſſus eius liber atque largus in *detrimentum* adducatur, *damna* inde exſpectanda veniant non ſolum *certa* & *varia*, ſed etiam paſſim *magna*, imo vario numero atque reſpectu vere *ingentia*: certe vero talia atque tanta, quibus, de ipſis veluti ſimplicioribus generibus *incommodorum*, euacuationem ipſam facilius, minime tamen *directe* & ſimpliciter, & *propria* aliqua ſua *actiuitate* ſequentium aut ambientium, nulla comparari mereantur.

Defectus huius excretionis magis ſuſpectus habendus eſt, quam eius exceſſus.

§. VIII. Ita nempe omni omnino modo conſiderari etiam in hoc genere excretionis ſanguineæ debet ille eius *euentus*, qui *defectibus* ipſius multiplicibus ſchematibus incumbere ſolent. Quod enim de *hæmorrhoidali* ſanguinis excretione iam notaui, quod eius, maxime actu *adſueti*, aut euidentiore quadam ratione *iure meritoque* exſpectandi, aut actu ipſo *machinantis* atque *molientis*; repeto, quod *ſecundum tales circumſtantias* potius *defectus* eiusdem *deterior* æſtimandus ſit, quam qualis facilius metui mereatur *exceſſus*: illud valet omnino etiam eminenter de *menſtruæ* euacuationis negotio, vt, inquam, ante omnia *defectus* illius conſiderari, & inprimis vlteriorum grauiorum pericli-

riclitationum ſuſpecti haberi mereantur, quam faciles *exceſſus*. Intelligo, qui vel *facile exſpectari* debeant; aut quicunque tandem *facilius* cooriuntur, *effectibus* vlterioribus æque valde damnoſi exſiſtant.

§. IX. Sicut autem hi huius menſtruæ euacuationis *defectus* omnibus modis diuerſiſſimæ efficaciæ damnoſæ exſiſtunt, quam vllo modo ipſe *fluxus* ordinarius, quantumlibet etiam, modo citra (*raram*) *ſummam* abundantiam nimiam, largus: ita transfertur merito hæc ipſa res ad omnium *hæmorrhagiarum*, *qua talium*, iuſtam conſiderationem; attenditur autem neceſſario etiam in ipſa præſente ſpecie. Læditur ergo *menſtrua* euacuatio ſanguinis, vt vel *excedat*, & hoc *rarius*; vel *deficiat*, idque & *frequentiſſimis*, & variorum ſchematum exemplis.

Læſiones menſtrui fluxus fiunt vel in exceſſu, vel in defectu.

§. X. *Exceſſus* partim *quantitatem* euacuationis reſpicit; partim *motum* ipſum ad euacuandum. *Quantitate* euacuatur hic ſanguis ita ſatis ſæpe admodum largiter: ſed vel culpa conſtitutionis ad modum *plethoricæ*, vel contracta alia aliqua *perturbationis* occaſione inſigni, & inde ſenſim ſubnaſcente aliqua *adſuetudine*, vel denique *incitationibus* in ipſum *tempus* incidentibus, magis immediatis. Vbi a prioribus harum cauſſarum etiam *ſtabiliores* huiusmodi conſtitutiones eueniunt, vt abundantior fluxus veluti *adſueſcat*: a poſteriore vero fiunt ita ſimplicius *ſimul & ſemel* emicantes huiusmodi nimiæ eruptiones. Sunt autem illæ ſimplicius *plethoricæ* omnis generis mulieribus familiares, quæ tali abundantia laborant: poſteriores autem eueniunt magis *maritatis*, e *puerperiorum* vitiis. Poſtrema vero ataxia trahit etiam familiariter ortum a repentina *iracundia*, nimiis *motibus* corporis, (*ſaltationibus*) *conniſu* vltra vires ad onera tollenda, *diæta*, inprimis præter ſolitum, *vinoſa* aut *aromatica*: frequentiſſime vero omnium ex abuſu *pellentium*, quando non ſatis recte ſuccedere ipſis videntur ipſi menſes.

Exceſſus reſpectu quantitatis quibus modis & quibus mulieribus eueniat.

§. XI. *Motus* facit in hoc genere plus, quam conueniat, quando *breuioribus periodis*, 14. diebus, recurrit: & hæc temporis *anticipatio*, ſeu iuſto velocior tota commotio, trahit velut ordinarie ſecum etiam *quantitatis* ipſius ſolito maiorem abundantiam. Fit interim etiam reciproce ipſa vera ſimplicior *abundantia* ſanguinis, tanto magis cum aliis motus *incitamentis*, vera etiam *cauſſa* ipſius *motus* inſolentioris. Interim non poteſt quidem negari, quod etiam *ſpiſſitudo* ſanguinis iuſto maior, inprimis per nudam magis *potus & motus* pauci-

Exceſſus reſpectu motus, quibus cauſſis nitatur.

citatem, appetitus autem vigorem & *edacitatem* introducta, augmenta *motuum* ipſorum menſtrualium poſt ſeſe trahat; minime tamen facile talia, quæ etiam *periodi* anticipationes inferant, ſed ſolum ſub *legitimis* etiam temporibus maiores *conniſus*, & ipſas *ſpaſticas* omnino *contentiones*: & quidem diuerſa methodo ab ante citata illa, ratione *quantitatis* ipſius fluxus; vtpote qui ſub hac poſteriore conſtitutione re vera iuſto *minor* potius eſt, quam abundantior.

Conſuetudinis & deſiderii venerei ratio præcipue habenda eſt circa largiorem menſium fluxum.

§. XII. Præcipua vero omnino ratio habenda eſt circa abundantiam huius fluxus ipſius *conſuetudinis*, vtpote quæ certe nimio plus hic poteſt, & citra omnem fictionem nimio *frequentior* atque *familiarior* hic eſt, quam vlla vſquam alia ex illis cauſſis, quæ hodie vulgo in hunc finem allegantur, *acrimoniæ* peculiaris ſtimulantis, *ſcorbuticæ* intemperiei &c. Bene vero apud eas, quæ extra *coniugium* viuunt, inprimis floridioris iuuentæ adhuc compotes, etiam *deſideriorum* intentiſſimorum venereorum ingens in hoc genere obſeruatur efficacia, pariter atque iam citatæ *iracundiæ*. *Abundantia* menſtrui fluxus magis magisque *adſueſcens* trahit poſt ſe vlteriora incommoda, partim circa *concipiendum* atque *geſtandum* fœtum, partim circa ipſum *partum*, & inprimis etiam poſt illum, nempe *puerperii* decurſum.

Tentamen cohibitionis aut moderationis huius fluxus maximæ conſiderationis eſt.

§. XIII. Vnde quidem maximæ vtique conſiderationis eſt tentamen, ad ipſum talem abundantiorem fluxum ad *moderationem* conuenientem deducendum; ne aut magno conatu, ſecundum inanes ſpeculationes de cauſſis eius, re vera *nihil* agatur, ſed longa atque frequens medicatio patientem nihilo minus in antiquo ſtatu relinquat: vel actualibus *ſtricturis*, *lenioribus* quoque, *plus tamen*, quam intentio ferat, cohibitionis introducatur: vel *fortioribus*, aut iuſto diutius *continuatis*, tanta *ſtipatio* concitetur, quæ re vera poſthac e Scylla in Charybdin deuoluat patientem.

Quibus modis ab exceſſu defectus huius fluxus oriri & inuehi poſſit.

§. XIV. Nempe, vti *defectus* debiti fluxus menſium nimio vtique *familiariores* occurrunt, quam *exceſſus*: ita cauendum ante omnia eſt, ne hac ipſa ratione ab ipſo exceſſu *defectus* originem ducat & inuehatur. Fit hoc ipſum minime ita difficulter etiam ipſis veluti *ſpontaneis* ſucceſſibus; dum in *plethoricis* floridioribus, & quibus etiam ſatis imo valde *largiter* ipſe fluxus procedere ſueuerat, aſſumtum vitæ genus *ſedentarium*, abſtinentia *potus* iuſto maior, aut nimium *ſpiſſi* atque lupulati, non ſatis diluentis, vſus, cum *edacitate* interim ſicceſcen-

tium

tium, inprimis farinaceorum, trahit ſenſim poſt ſeſe etiam largioris priſtini ſucceſſus & promtam & inſignem *imminutionem*.

§. XV. Conſiſtit nempe ipſe *defectus* hic etiam in *ſucceſſiua imminutione*, partim in plena *ſuppreſſione*. *Illa* præludit interdum huic; & certe vbicunque cooritur, parturit veluti & minatur hanc. *Perſiſtit* tamen etiam non ita raro ipſa *imminutio* ſatis diu pertinaciter in illo ſui gradu, ſine plenariæ *oppreſſionis* conſecutione; inprimis quando tempus *ſtatum* exquiſite adhuc ſeruat, & qualicunque acriorum *contentionum* molimina circa *ſtata* illa ſua tempora coniuncta gerit. Quo magis autem *tacite* & cum *nullis contentionibus*, aut cum *ſegnibus* ſolum atque tardis, poſt ipſam demum periodum ſegniter emicantibus, deficit iuſta quantitas: eo certius *intercipitur* etiam propiore quolibet tempore, vniuerſus ſucceſſus. Defectus in quibus conſiſtat.

§. XVI. Familiariſſima cauſſa *defectum* huiusmodi, quam maxime etiam *plenarium*, poſt ſeſe trahens, eſt intemperans aſſumtio rerum *concoctioni* cito moram obiicientium, aut illam inſigniter turbantium. Eminent in hoc genere *farinacea* ſpiſſa, & in *paſtam* refractariam quam maxime coire apta, (*panis recens* adhuc *calidus*, *liba* varia, & *frixa farinacea*, quin *globi* etiam illi farinacei, quos non inepte Rheti Klöße appellant) & *dulcia* acriter *fermenteſcentia*, *mellita*, & fructus *boræi*. De quarum rerum effectu vulgo pronunciant: **ſie haben ſich die Zeit an dieſem oder jenem verfreſſen.** Cauſſa familiariſſima defectus ſunt cibi concoctionem turbantes.

§. XVII. Habet autem certe huiusmodi efficacia, quod conſiderationem omni modo circumſpectam mereatur. Quid enim *ſtomacho*, *inteſtinis*, *concoctioni* cum euacuatione *menſtrua*? niſi forte e *falſa* pathologia ab huiusmodi aſſumtis deteſtabiles illi *acores* ita ſcaturiunt, qui ſanguinem ita *coagulent*, vt ille dehinc omnem progreſſum decentem ad exitum per emunctoria ſua amittat. Eſt vero ad veram indolem huius efficaciæ recte comprehendendam omnino quam maxime notanda *duplex* illa circumſtantia, *primo* quod talium rerum eſus, quæ hanc *ſuppreſſionem* efficiunt, aliis quidem temporibus ſit huiusmodi efficaciæ longe minus compos, ſolo vero ipſo vtique *fluentium* aut *inſtantium* menſium tempore inprimis, & vix non vnice, effectui huic producendo par. Neque vero *inſuper* facile ſequitur hic ipſe effectus in ipſos quoque menſes potentior, quin ſimul admodum manifeſto *ventriculi* & *primarum viarum* talia pathemata ſeſe ſiſtant, quæ Ad indolem huius efficaciæ comprehendendam duplex circumſtantia notanda eſt.

 omni

omni modo *grauationem* horum locorum, & *ſpaſticas* circa illas ſtricturas velut euidentius teſtentur.

Verior eius ratio redditur.

§. XVIII. Vnde certe longe veriſimilior eſt ratio huiusmodi effectus, quod potius per quandam *ſtricturæ* ſpeciem *in viis*, quam per *craſeos* vitium ſanguini obiectum, hæc turbatio huius *excretionis* ab eiusmodi cauſſis oriatur. Rationem autem *conſenſus* huiusmodi inſignis inter *ventriculum* & *vterum* ſpecialius profeſſus iam ſum in *Phyſiologicis*, deducendum me arbitrari ab ipſis vaſis *ſplenico-hæmorrhoidalibus*; a quorum prioribus *ventriculus*, a poſterioribus *vterus*, ille omnia, hic aliqua vaſa accipit: cæterum ipſo etiam *hæmorrhoidali* præcipuo ramo *ſplenici* conſorte exſiſtente.

Vbi ſimul, qui *tonico-ſpaſticorum* motuum indolem prudentius attendunt, etiam viciniam *meſocoli-hæmorrhoidalem* venam inuoluentis, & eius partis meſenterii, cui *ſplenicus* ramus magis annectitur fere, quam innectitur, per otium expendere poterunt.

Terror repentinus & anxius non parum facit ad oppreſſionem menſium.

§. XIX. Facit autem huc etiam nihil certe paruum *terror* animi repentinus, ſed & fere ſimul *anxius*, & *diutius* formidoloſus, *timidus* & *mæſtus*; a quali ſimiliter huiusmodi *repentinæ ſuppreſſiones fluentium* omnino actu menſium obtingere ſolent: manifeſtiore propemodum etiam veluti ad ſenſum modo dictæ ita conſpirationis *ſplenico-hæmorrhoidalis* complicatione; dum etiam e repentino *anxio terrore* ſenſum ipſum exquiſitum ſingularem ſub *ſcrobiculo cordis* indicare norunt, qui a tali percelluntur. Notiſſima vero omnium eſt illa redundatio *menſtrualium* ventilationum perperam cedentium, quæ in *hypochondria*, imo omnia de *vena portæ* participantia viſcera, redundare ſolet: quæ nempe res inſignem hanc connexionem facilius adumbrare poteſt.

Perturbationes hæ, tum ab aſſumtis, tum animi motibus, pertinaces ſunt.

§. XX. Dictæ hæ tales *perturbationes*, tum ab *aſſumtis*, tum *animi motibus*, intercipiunt *menſium* euacuationem non ſolum *promte* & *penitus*, ſed inprimis etiam conſtanter atque *pertinaciter*. Ab illis quidem vitiis, quæ ab *aſſumtis* euenerunt, credit plebs liberari facilius & familiarius patientes tales, tum in genere *anniuerſario* tempore; tum in ſpecie *iterando* illo ipſo tempore eſum maxime eiusdem *ſpeciei* materiarum, qualibus præterito illo tempore *defectus* hic introductus fuit. Explicant interim etiam hoc ipſum peritiores harum rerum ſpecialiſſime inprimis de *fructibus horæis*.

§. XXI.

§. XXI. Obtingit autem re vera etiam alius debiti menſtrui fluxus *defectus* in eo, vt *conſiſtentia* quoque ſanguinis manifeſto peccet; nempe vel nimia *ſpiſſitudine*, vt etiam ad viſum valde craſſus & *nigricans* exeat, ſimul fere etiam *paucus* ſanguis; vel nimium ſimpliciter *aquoſus*, *loturæ carnium* ſimilior, ingentis *ſpiſſitudinis* rubicundæ ſuæ portionis, & inſufficientis maxime conquaſſatoriæ *ſubagitationis cum ſeroſitate* & *lymphali* humore, manifeſto documento. Hæc talis *conſiſtentiæ* euacuatio habet vtique etiam quam familiariſſime coniunctam totius *quantitatis*, *ſucceſſus* atque *durationis* huiusmodi excretionis inſignem imminutionem.

Alia cauſſa defectus eſt in ſanguinis conſiſtentia.

§. XXII. Proprio loco generaliore diximus iam de *remotiore* illo habitu ad hos effectus, partim ipſius *plethoræ*, quantumlibet *boni* & legitime *floridi* ſanguinis: partim etiam *vitæ generis*, ſub pleno victu, per nimiam ſedentariam inertiam etiam ſufficientem *attenuationem* intercipientis; & *potu* nimis pauco dilutionem, *ſubagitationem*, *ſecretiones*, & tandem *excretiones* fruſtrantis.

Inter cauſſas huius defectus referendus etiam eſt remotior habitus plethoræ & vitæ generis.

§. XXIII. Facit huc interdum etiam *externarum* concurrentium cauſſarum energia, vt *meatus* repentinæ *ſtricturæ* contra ipſum actum excretionis placidioris temere obnitentes effectum talem excretionis menſtruæ non ſolum in præſens, ſed etiam longius in futurum oppreſſorium exſerant. Exemplum notum eſt in plebeiis, aut, caſu rariore, etiam delicatiorum infortuniis fortuitis, quando illæ operas quoque ſuas, pedibus profunde in frigida aqua ſtantes, menſibus eodem tempore manantibus, exſequuntur: hæ vero quacunque occaſione, vel per oblectamenta, in aquas prolapſæ, vna cum terrore penitioris *refrigerationis* moleſtum ſenſum percipientes, *ſtricturas* illas tonicas importunas hinc incurrunt, quibus etiam huius *emanationis placidus* atque tacitus ſucceſſus cito obruatur atque reprimatur.

Externæ concurrentes cauſſæ.

§. XXIV. Non omittenda hic eſt defectus huius proportio ad *tempus*; cuius intuitu vel per ipſa iuſtorum ſuorum initiorum tempora diutius *emanendo* moras indecentes trahunt; vel etiam iam quantumcunque adſuefactæ denuo iterum *ſubſiſtunt* atque deficiunt: vel denique tempus etiam legitimæ magis *ceſſationis* vltimæ multum *præoccupant*. *Emanent* partim iuſto diutius vltra conſuetum *apparitionis* debitæ tempus, ita quidem, vt non ſolum loco 13. ad 14. anni, ſæpe 16. ad 18. adhuc deſint; ſed emanent etiam adhuc longe diutius, quin exemplis non ita rariſſimis etiam *in perpetuum*.

Defectus triplici ratione ſeſe manifeſtat, vel emanſione, vel obſtructione, vel præmatura ceſſatione.

Emanſionis incommoda & pathemata.

§. XXV. Neque vero diſſimulanda eſt etiam conſtitutio, ſecundum veritatem vſitata, huius habitus, quando ita *penitus* emanent, vt fœminæ tales hanc euacuationem plane *nunquam* experiantur. Talium quotquot adhuc obtigit videre, affectæ pleræque omnes fuerunt illis incommodis, & bonæ valetudinis detrimentis, qualia etiam alias a *libere* fluere adſuetorum, ſucceſſiuis inprimis, *interpellationibus* atque *ceſſationibus* oriri ſolent, partim circa *interiora* corporis, partim in *exteriore* eius ambitu. Citius hæc euenerunt illis, quæ *emanſionem* illam, etiam ab ineunte *pubertatis* ætate a peculiaribus *debilitationibus*, aut iam tunc quoque grauioribus fruſtrandi legitimi ſucceſſus cauſſis, ſtatim incurrerant. Quæ vero per longum tempus etiam ſatis ſoſpites vixerant, inprimis ſub duriore & actiuiore vitæ genere, præterea etiam aliis *artificialibus ventilationibus* mature, & ſatis largiter, vſæ; creſcentibus tamen annis aliæ quidem in *hypochondriaco-hyſterica*, aliæ *nephritica*, aliæ *arthritica* pathemata prolapſæ, affatim incommode habuerunt.

Pauciſſimæ optime ſanæ, ancipitis ſexus ſuſpectæ habitæ fuerunt.

§. XXVI. Pauciſſimas optime ſanas, nec ad harum rerum analogiam effatu dignas vllas ſanitatis interpellationes expertas, ſed ad omnem ſenſum optime habentes, robore etiam peculiari *corporis*, *animi*, *vocis*, conſpicuas, memini *ancipitis ſexus* ſuſpectas habitas fuiſſe, ſed cum eius rei certiora documenta defuerint, nihil poteſt aſſeri.

Cauſſæ emanſionis.

§. XXVII. Illæ puellæ, quæ ita ab ipſa prima ætate huiusmodi *defectum* experiuntur, ſunt communiter vel nimia *plethora*, & fere ſimul etiam *ſpiſſitudine* ſanguinis ſingulari conſpicuæ; vel ex aliis *antecedentibus* morbis admodum exhauſtæ, atque defectu potius aliquo tam *ſanguinis*, quam viuidi *vigoris* ad actiones vitales adminiſtrandas male affectæ: vel ipſa omnino *alius euacuationis* ſanguineæ peculiari adſuetudine, a dirigenda illa ad hæc loca *ſpecialiora*, velut alienæ.

Aliæ cauſſæ, quam menſium defectus, ſubeſſe poſſunt, quare aliquæ puellæ ad conceptum inidoneæ ſint.

§. XXVIII. Nihil quidem æque vetat, quin etiam ſuſpicio locum habeat, quod aliqua *ſpecialiſſima* quoque intimior ratio ſubeſſe poſſit, quamobrem aliquæ puellæ etiam velut a priori, omnino vero aliis de cauſſis, quam ſimpliciter *menſium* defectu, ad *conceptionem* inidoneæ eſſe poſſint. Quibus deinde potius *conſecutiue* hic fluxus deſit; cum ille non tam vllo modo vt qualiscunque *cauſſa* ad fœcunditatem facere videatur, ſed magis vt *conſequens* quoddam eius ſe habeat: dependens nempe ab illa *directione* ad hæc loca generaliore, ſub *deſtinatione*, nutritiæ ipſius materiæ concepto fœtui eo ſubminiſtrandæ.

Dum

Dum vtique, niſi præcedat *intentio* actui generationis inuigilans, nulla etiam ſubſecutura ſit, velut intermedia, ad hunc effectum remotius pertinens, operatio. Interim, vt de vniuerſo penitiore negotio *generationis*, quatenus talis, nulla conceptui idonea vera theoria ſuppetit: ita non poteſt etiam hac in parte aliquid vero conceptui perſpicuum determinari.

§. XXIX. Illud certiſſimum eſt, rariſſima occurrere exempla talium fœminarum, quæ hanc euacuationem plane nunquam expertæ ſunt, quin vel prorſus ante ipſum tempus pubertatis varia inſignia valetudinis detrimenta expertæ fuerint; vel euacuationes alias hæmorrhagicas, *narium* ante omnia, frequentes, largas, promtas ſubire valde adſuetæ: vel ad minimum ſucceſſu ætatis, mox in *adoleſcentia*, aut *iuuenili*, quin vel demum *conſiſtente* ætate, talia affectuum genera incurrant, qualia alias a menſium non recte ſuccedentium, ad minimum longinquis moliminibus, euenire conſueuerunt.

Rariſſima ſunt exempla fœminarum perfecte ſanarum, quæ menſes numquam expertæ ſunt.

§. XXX. Peculiarem in hoc genere, ad minimum difficulter coorientis euacuationis menſtruæ, prædiſpoſitionem habere & intelligi poſſunt, & docente experientia etiam deprehendi, puellæ conſtitutionis dictæ *phlegmaticæ*, magis *exquiſitæ* talis; tanto magis autem ad veram magis *intemperiem*, vt loquuntur, iam deuolutæ, *mucidæ*, antiquo vocabulo *pituitoſæ*. Tales enim vix non ſemper notabilem difficultatem menſtrui negotii, etiam *inchoandi* ſolum, præ ſeſe ferunt: dum non ſolum ipſe *eruptionis* ſucceſſus communiter multum difficultatis inuoluit; vt vel *quantitate* non ſufficiente, vel *qualitate* minus conueniente ſeſe ſiſtat; ſed re vera etiam totus *impulſus* a priori, tota *intentio*, inquam, atque *directio* ad hoc negotium, quibuslibet reſpectibus *languere*, & quod alias de hac conſtitutione dicere ſolent, re vera *frigere* videatur.

Peculiarem diſpoſitionem ad difficilem menſium eruptionem habent phlegmaticæ & pituitoſæ.

§. XXXI. Per *faſcinum* etiam & *incantamenta* in hoc negotio aliquando graues perturbationes tam ad *defectum*, quam etiam *incondita molimina* ſuccedentia contingere, faciunt fidem non ſolum velut a priori veneficarum propriæ confeſſiones, & mediorum naturalium, quæ pro talibus effectibus adhibuiſſe confitentur, minime nuda atque ſimplex huiusmodi efficacia: ſed etiam a poſteriori talium, quæ ita ab impreſſionibus ortum ducunt, menſtrui negotii læſionum multis modis diſpar ſucceſſus & exitus, per varia alia phænomena, & affectuum inſolentium conſectaria.

Per faſcinum & incantamenta in negotio menſium graues ſæpe perturbationes obtingunt.

§. XXXII.

Inſolita enim phœnomena & conſectaria obſeruantur.

§. XXXII. Cum enim *euentus* ſimpliciores male ſuccedentis menſtruæ euacuationis familiarius ad *materiales* etiam *regurgitationes* atque *reſtagnationes*, & inde *tumores* atque *infarctus* varios, aut *translationes* materiales inclinent; non autem æque directe ad *ſimplices*, inprimis *fortiores*, motuum *tonico-ſpaſticorum* turbas; ita inſiſtunt dictæ illæ per *veneficia* conciliatæ huius euacuationis deſtructiones communisſime ita aduerſam in hoc genere viam, vt quaſi ſimpliciter ad *motuum ataxias* inducendas præcipitent greſſum: & quidem etiam *impetuoſisſimas* tales concitent, inprimis *epilepticas*. Interim non ſolum etiam in hoc effectu denuo peculiare quiddam præ ſe ferant; vt nempe etiam tales *epilepſiæ*, plane ſingularem indolem minus vſitatam monſtrent: ſed inprimis tandem exitum quaſi forment, & aliis *epilepſiæ* generibus inuſitatum, & reliquis, etiam frequentiſſimis ſane, menſium ſuppresſionis exemplis inſolitum. Dum non ſolum familiarius quaſi *certas*, ſed etiam *vehementiſſimas*, & vere *inuſitati* ſchematis *contracturas* tandem formant.

Quemadmodum notatu non indignum forte eſt, quod omnes propemodum affectus, qui pro effectibus faſcini & incantamentorum vsquam agnoſcuntur, longe magis verſentur circa *motuum* perturbationes, quam materiarum directam alterationem, niſi quæ ipſis præſtigiis dæmonis partibus aliquibus affectis incuſſæ aliunde reputari debent.

Euentus defectuum menſtruæ excretionis.

§. XXXIII. Enim vero optime conſiderandæ hic ſunt conſecutiones illæ, quæ *poſt defectus* verius *ſequuntur*, quam vt *cauſſis* eorum accenſeri mereantur. Nempe vel *materiæ* ipſius, *ſanguinis* inquam, *reſtagnationes*, & ab his prognati *tumores*, & *infarctus*, atque *obſtipationes*; vel *motuum* magis directe ad hæc negotia pertinentium variæ inſolitæ alterationes; magis tamen propemodum in *exceſſu*, quam *defectu*. *Euentus* nempe hi ſunt *defectuum* inprimis menſtruæ excretionis, dum vel ita *reſtagnationes*, & ab his oppletiones & infarctus, circa ipſa *coniugata* atque conſpirantia *viſcera* oriuntur; (nempe *venæ portæ* cohærentia, *hepar*, *lienem*, *meſenterium*, *pancreas* & *glandulas*, *inteſtina*:) vnde *appetitus*, *concoctionis*, *diſtributionis*, *ſecretionum* vitia: variæ etiam *flatulentæ* oppletiones atque tenſiones: & ab his initiis *cachexia*, *hydrops*, *ſcirrhi* viſcerum, *infarctuum* & *grauationis* ſenſus. MOTVVM autem varia *ſpaſtica* vitia, tum circa ipſam etiam *vicinam* regionem, per *abdomen* ipſum; tum in *diſſitis* etiam partibus, per ambitum atque habitum corporis: a quorum *prioribus* varia

ria illa ſchemata *ſpaſtica hypochondriaco-hyſterica*; a *poſterioribus*, *rheumatico-arthritica*, per habitum corporis; imo *translatoria* illa ipſius materiæ ad alia loca, tanquam emunctoria; ad *caput* inquam, *pectus*, *ventriculum*: cum illis ſpaſticis *contentionibus* motoriis, ad *eruptiones* etiam in talibus locis perpetrandas: aut, dum hæ non ita promte ſuccedunt, ſubeundas inde etiam vlteriores *reſtagnationum* illarum moleſtiſſimas conſecutiones, *catarrhales*, *aſthmaticas*, *vomibundas*, *tuſſiculoſas*.

§. XXXIV. Indicauimus illud iam in præcedentibus articulis, quomodo fœminæ ex hoc ipſo excretionum ſuarum *menſtruarum* perperam ſuccedentium maxime fundamento ad *vomitum cruentum* magis pronæ euadant, quam viri: Minus autem procliues ad *hæmorrhoidales* euacuationes. Puto autem hoc inprimis ea de cauſſa ita euenire, quod communicatio illa ab *hæmorrhoidali* ramo ad vterum ita collocata ſit, vt ſi per *ſtricturam* aliquam vtero propius præiudicium offeratur, illud longe citius, quam in viris, etiam *hæmorrhoidales* venas ita ab *inferioribus* ſeu tenerioribus verſus *ſuperiora*, adeoque ipſum *ramum ſplenicum*, compellat: cum ex aduerſo ſtricturæ AD hæmorrhoidalem ramum directe pertinentes tales a *ſuperioribus* potius, nempe capaciore eius rami parte, incipere debeant. Iſta vero ratione repellitur potius maior copia ſanguinis magis directe *ad ramum* ſplenicum; circa quem ſi etiam ipſum *contentio* talis extendatur; (quod in *humani* corporis ſtructura, præ variis brutis, maxima copia fibroſæ texturæ obuolutis hiſce vaſis, expeditiſſimum eſt:) procedit inde tanto facilius illa a *ſplenico* ramo *extremo* ad *ſtomachum* regurgitatio; & ab huius pertinaciore *contentione* tandem *in* ipſum ſtomachum perruptio, *vomitui cruento* materiam ſubminiſtrans.

Cur fœminæ ad vomitum cruentum proniores, minus autem ad hæmorrhoides procliues ſint quam viri.

§. XXXV. Illud autem certum eſt, *conſectaria* illa varia, quæ menſtruæ euacuationis *defectus* innumeris ſchematibus excipiunt, *tantam* vtique, tam *vberrimam*, tam *multiplicem* plurimorum ſchematum ſegetem ſuppeditare, vt ex illis, tanquam ſolido ſupremo ſpecimine, omnium *hæmorrhagicorum apparatuum*, *ſucceſſuum*, *effectuum*, & *euentuum* ſeries ſimpliciſſime demonſtrari, & luculentiſſime intelligi poſſint. Quandoquidem in hoc menſium negotio tam *placidarum* atque tacitarum eruptionum, eruptionis *continuationum*, *ſtatarum* tranquillarum repetitionum; ſi difficultas aliqua obſtet, manifeſtiorum *coniſuum*: *diffuſionis* horum longinquioris, ſi in propinquo firmior ſit

Varia ſchemata conſectariorum, quæ menſium defectum excipiunt.

 reſi-

reſiſtentia: ſi totum negotium *contentionibus* non obſequatur, latius *euagantes* ad alia loca, inprimis tamen ipſa quoque *emunctoria*, *translationes*: *reciproce* fluctuantes ab *interioribus* ad *exteriora*, aut *inferioribus* ad *ſuperiora* conatus: & denique magis magisque in nudam *adſuetudinem* transeuntes ſimiles motuum conatus & contentiones, materiæ *proportioni* minime amplius reſpondentes, vix non vniuerſam Pathologiæ ſummam tanquam in tabula ſiſtunt.

Aliis vicariis ventilationibus ſanguinis non ita promte obtemperat hæc euacuatio.

§. XXXVI. Vltimo loco poteſt adhuc de hac euacuatione obſeruari, quod illa non æque ſimpliciter ita promte obtemperet aliis *vicariis* ſanguinis ventilationibus, vt in illarum vicem illa deinde emaneat; bene vero hoc faciat ſub certa conditione, quando nempe euacuationes tales ipſo illo tempore inſtituuntur, quo hæc ita ſpecialiſſima excretio *in ipſo motu* eſt: inprimis tamen, ſi euacuatio illa altera magis ſimpliciter in *oppoſito* quaſi, in partibus ſuperioribus ita inſtituatur: maxime vero, ſi ſimul ſit admodum *larga*. Facit tamen huc etiam quam maxime partim *ſenſibilitas* inſignis eiusmodi ſubiecti; partim etiam *ætas* iam ipſi ceſſationi propior: aut etiam p. n. inſignis prædiſpoſitio ad *retinendos* menſes, & iam ſponte languidus illorum ſucceſſus.

Ita enim fœminæ 45. annos iam prætergreſſæ, cum per inconſiderantiam, inſtantibus menſibus, V. Sem. largiorem, in pede etiam, admiſiſſet, menſes, qui huc vsque, licet ſatis parce, tamen ordinarie, adhuc fluere conſueuerant, ab hoc ipſo tempore conſtanter ceſſauerunt. Erat autem vtique hæc ipſa quoque vere ſenſibiliſſimæ indolis, corpore animoque: & occaſionibus quidem ad animi pathemata, terroris, angoris, mœroris, quaſi continuis expoſita.

Infantibus & vetulis interdum menſes erumpunt.

§. XXXVII. Vnum adhuc verbum dici meretur de inconditis huius fluxus eruptionibus, intuitu temporis, *ætatis*. Aliquot eius rei exempla habeo, quod hic fluxus *infantibus* eruperit, etiam minoribus adhuc æque, ac maioribus *anno*: *vetulis* autem, etiam 60. annos prætergreſſis. *Infantes* illi, quotquot commemini, omnes intra annuum forte, ab huius rei initiis, ſpatium, mortui ſunt; multis interim minus vſitatis *inquietudinum* ſchematibus & ſymptomatibus variis grauiter exerciti. *Vetulas* tamen etiam aliquot annos adhuc ſuperuixiſſe obſeruaui; inprimis quæ etiam hunc fluxum a largiore *vini potu* iterum incurriſſe merito iudicari poterant. Directas atque veras illius in *infantibus* euentus rationes reddere tam parum in me recipere poſſum, quam multorum aliorum *auſuum erroneorum* naturæ *humanæ*, præ omnibus animantibus non ſolum *proprie*, ſed etiam *promte* ad *errandum* diſpoſitæ,

tæ. Ceterum quod eiuſmodi infantes communiter non diu viuant, *generalis* eius rei non contemnenda eſt prorſus ratio, quam olim de puella, quæ intra primum ſeptennium ad iuſtam ſtaturam ſolitam humanam ſuccreuerat, a Facultate illarum regionum medica tanquam prognoſi quadam, quam etiam euentus confirmauit, propoſitam eſſe legitur, quod natura humana, vbi *nimium præmature actiones, ordinatioribus ſucceſſibus, ſecundum longiores menſuras temporum alias debitas, inchoare præoccupat, ibi ſoleat etiam, tanquam vniuerſa periodo abſoluta, magis tempeſtiue plane ceſſare.*

ARTICVLVS VIII.
DE
LOCHIORVM FLVXV.

§. I.

LOCHIA appellant ſcholæ medicæ illum ſanguinem, qui *poſt partum per puerperii priores plures* dies, imo in *tertiam* ſubinde *ſeptimanam* e genitalibus adhuc manare ſolet. Et quidem prioribus diebus vere *ſincerus*, & inſuper etiam *larga* prorſus quantitate; *poſterioribus autem* diebus ſenſim ſenſimque *tenuior*, *dilutior*, tandem *ſeroſa* ſolum conſiſtentia ſuccedente, ita rurſus deſinit. Lochia quid ſint.

§. II. Primo quidem intuitu videri poſſit hæc talis fluendi methodus nihil conſideratu dignum inuoluere; dum viam ipſi ſatis commode præbere apparet ipſa vtique *abruptio ſecundinæ*, in quam ab vtero ipſo tenerrimos capillares ramulos porrigi, anatomia grauidarum mortuarum fidem facit. Interim licet hoc *in genere* minime falſum ſit, habet tamen hic fluxus circumſtantias ſibi proprias, a ſimplici fluxu per *diæreſin* certe alieniſſimas, & quales in vera hæmorrhagia *a continui ſolutione* in ſolidum abſint. Primo intuitu nihil conſideratu dignum inuoluere videntur: ſed habent vtique circumſtantias ſibi proprias;

§. III. *Primo* enim, e quanam alias *vulneraria diæreſi* ſequitur tam *diuturnus* fluxus ſinceri ſanguinis? Et quidem inſuper, *ſecundo*, ſucceſſibus ita *moderatis*, vti quidem in vere iuſto & legitimo *lochiorum* fluxu: interim *tertio*, ſi totus complexus huius manationis in vnum colligatur, tam *largiter* vtique & copioſe? Et cum *quarto* fluxus ſanguinis e vulnere non contingat, niſi ſimpliciter adhuc *crudo*, & nihil Quarum hic ſeptem enumerantur.

abſolute alterato: (de maioribus vaſis autem diſſectis huc non trahi poteſt applicatio,) non poteſt ſane ad *vterum* puerperæ illa ſimilitudo applicari, nempe *manationis vt a vulneratione ſimpliciter*; cum nemo admiſſurus ſit, quod illa ſiue *ſpecies*, ſiue verius *ſimilitudo* vulnerationis in hoc loco tam diu *cruda*, & nihil vsquam mutata perdurare poſſit. Tanto minus *ſexto*, cum ipſa *ſubſtantia* vteri reliqua ne per ſuperficiem quidem totam, ne dum profundius, affecta hic eſſe *diæreſi* tali vulneraria oſtendi poſſit, ſed verſus ſolum ſubtiliſſimorum *vaſorum* quædam extremitates, vt ante dictum. Sub qua conſtitutione, *ſeptimo*, per ſimplicem ſubſidentiam vteri, qualis vtique facta fœtus euacuatione vere contingit, verius *opprimi*, ſtrictura illa de reliquo ſatis promtis progreſſibus fiente, deberet hæc ſubtilium vaſorum libertas, quod vel in aliis profundioribus *vulneribus* (excipiendo ſolum valde amplorum *vaſorum* diſſectiones) quantum ad tenuiores ramificationes, quam promtiſſime euenire ſolet.

Quibus ponderatis apparet, hunc fluxum non eſſe paſſiuum.

§. IV. Decenter itaque ponderatis omnibus his circumſtantiis, non dubito, quin circa hanc etiam ſanguinis euacuationem, appariturum ſit, quod de pluribus præcedentibus ſanguinis eruptionibus monuimus, minime conciliare poſſe cum ſolida ſimilitudine veri, quod hic ipſe etiam fluxus ſimpliciore *paſſiuo* lapſu, per *continuitatis* ademptæ vitium ita fiat. Quod ipſum ſimulatque agnoſcitur, neceſſario diſpiciendum erit de peculiari *regimine*, a quo hæc tam *diuturna*, *moderata*, *æqualis expulſio* potius quam ſimplex *fluxio* ſanguinis, inſtruatur. Fit itaque ex his omnino veriſimillimum, quod etiam ipſa hæc excretio potius *actiuis* talibus certis *moderaminibus motuum tonicorum* tribui debeat; quæ totum ſucceſſum tam diuturnum, tam proportionatum, tam tarde quidem, ſed tamen moderatiſſime, ſenſim ſenſimque decreſcentem adminiſtrent: quod a nulla, vt ſunt res corporis viui, ſimplici mechanica exſpectari poterat.

Sed actiuis moderaminibus motuum tonicorum tribuendum.

§. V. Sicut autem proprie MEDICAM theoriam ſeu *pathologiam* hæc conſideratio non plus attinet aut illuſtrat, niſi in quantum illam iuſtiſſimam *cautelam* ſuppeditat, quod ſic conſtitutæ huius euacuationis ſeries & menſuræ ſine ſenſibili & communiter *præſentiore damno* minui aut ſiſti non poſſint: ita non neceſſarium duco hoc ipſum prolixiore veſtigatione proſequi.

Prolixior cauſſalis inueſtigatio neceſſaria non ducitur.

Poteſt enim facile comprehendi, cum vaſa vterina, inprimis quæ ad placentam deſinunt, quantumlibet etiam re vera reliqua omnia, ſub incremento & expan-

expanſione illa vteri, quam eo tempore nanciſcitur, ipſa quoque expanſione æque in amplitudine, atque extenſione in longitudine, plane peculiari afficiantur: redeunte vero in tantam, quantam ſolet, contractionem & exiguitatem, etiam ipſo vtero, omnino etiam vaſa hæc, etiam iterum proportionate, in omnem dimenſionem contrahi & arctari debeant: ita tamen, vt nihil harum rerum inordinate fiat, ſed potius omnia non ſolum concinno ſucceſſu ordinis peragantur, ſed etiam in concinnum ordinem totius diſpoſitionis redigantur: hoc ipſum autem tumultuaria repentina corrugatione ita ad amuſſim fieri non ſoleat: præferenda hic vtique eſt leuiſſima huiusmodi quaſi reſtitutio, quæ vix commodius ſuccedere poteſt, quam ſi etiam ſanguis, ſub tali adhuc conſtitutione, etiam ad hæc loca vberius accedens, potius in iisdem adhuc liberam quandam ventilandi poteſtatem retineat (in proportione enim ad totum tempus non ſatis proprie dici poteſt, exceptis primis quatuor diebus,) multum euacuari, donec ſenſim tota illa expanſio placidiſſime in vere magnam anguſtiam reſtituatur.

§. VI. Sine vlteriore itaque prolixitate de reliqua indole *cauſſali* lochiorum progredior potius ad *effectus* & *euentus* eorundem. *Effectus* directus *lochiorum* etiam, vt omnium aliarum hæmorrhagiarum, *bene* atque commode ſuccedentium eſt inſignis vtique *vtilitas*; imo horum etiam talis *neceſſitas*, vt ſine illis puerperio nunquam certo bene ſit, communiſſime vero, imo potius, rebus quam maxime recte conſtitutis reliquis, ordinarie *male*. Vnde potius *deficientis* huius euacuationis, eiusque liberi ſufficientis ſucceſſus, *euentus* ſiniſter eſt, vt perperam ſuccedendo plus aut plurimum *deficiat*. Hic vero *defectus* demum vlteriora poſt ſe trahat alia plura *incommoda*, *pericula*, *damna*: ante omnia vero *acutas* febres, *inflammatorias*. *Effectus & euentus lochiorum.*

§. VII. Interim re vera hæc etiam excretio, veluti familiariſſime præ omnibus aliis, expoſita eſt *exceſſui*; qui ipſe quoque plane peculiarem veluti lucem fœnerari poteſt *efficaciæ*, circa hanc ipſam quoque excretionem *actiuæ* magis, *excuſſoriæ*, nempe *expreſſoriæ*, quam *paſſiuæ*, & magis ſimpliciter *lapſu* nudo ruenti. Siſtit ſe namque hoc ipſo loco inprimis circumſtantia illa huiusmodi ſanguineæ excretionis, quæ animum perite adhibentibus occurrit in *abortu*. Loquor autem, veriore vocis ſenſu, de maxime *intempeſtiua*, adeoque vere *immatura* partus excluſione. Siquidem certum hoc eſt, quanto *immaturior*, a tertio inde menſe, eſt adhuc conceptus, eo *grauiores* hæmorrhagias comitari eius eliſionem: niſi quidem *repentina* quadam, & magis quaſi *violenta* ratione extrudatur. Interim minime hic etiam diſſimulandum eſt, quod illa talis hæmorrhagia, quæ difficiliori abortui iungi- *Exceſſus eorum.* *Inprimis in abortu.* *Hæmorrhagia abortiua non ſimpliciter lochialis eſt.*

iungitur, non tam ſit ſimpliciſſimo ſenſu *lochialis*, nempe ipſam *eliſionem* conceptus iam perfecte factam *ſubſequens*: ſed potius *ſub illo* ipſo actu atque tentamine elidendi, ſeſe offerat.

Legitimo partui ſuccedens nimius lochiorum fluxus vnde oboriatur.

§. VIII. Cui tamen re vera geminum eſt, quod etiam legitimo *partui* ſuccedentes *nimii* fluxus *lochiorum* fere pari tempore contingant: nempe vel ſub ipſis adhuc *conatibus;* vel proximo poſt actu emiſſum fœtum tempore. Ante omnia vero, quando *ſecundinæ* imperfecte exierunt, ſed adhuc laciniam quandam placentæ vterinæ in reſiduo deſeruerunt. Tum etiam, ſi, vndecunque tandem largius eueniens hic fluxus, ſub quieto decubitu patientis, effuſi ſanguinis *coagulatione*, fruſta quædam format, quæ deinde veris repetitis *ſpaſmis* vterinis enitendo vere *elidi* neceſſe habeant: ſub quo vtique conatu expreſſio huiuſmodi ex ipſis vaſis ita violatis tanto certius ſequitur, adeoque mox illo ipſo tempore poſt partum propiore, nimis larga huiuſmodi profuſio.

Perturbatus legitimus lochiorum ſucceſſus alias ataxias poſt ſe trahit.

§. IX. Simulatque autem primus ille debitus atque legitimus ſucceſſus, ante omnia vero a *ſecundinæ* non penitus euacuatæ culpa, in inſolitam manationis huius *vehementiam* æque atque *diuturnitatem* mutatur; mox iuſtus eſt metus, ne & plures & inprimis contumaciores alias ataxias vlteriores poſt ſe trahat: ſiquidem nihil adeo inſolens illud eſt, vt ab hac tali perturbatione inſigniore *diu* nimium eiuſmodi profluuium perſiſtat: iam veluti *continuum*, iam equidem *interualla* formans, ſed *breuitate* tamen non ſolum *nimia* verum etiam inſuper *vaga*, & nullam æqualitatem in repetitas vices ſeruante, ſed modo 14. diebus, modo 8. a 10. ſolum reuertendo, & tamen diuturnum ſatis ſucceſſum multorum dierum ſeruando.

Euentus illegitimi fluxus lochiorum.

§. X. Diximus iam verbum de *euentu* huius fluxus, minus decenter fientis; quod nempe partim *febres acutas*, *inflammatorias* præſertim, parturiat, partim *torminoſis ſpaſticis vteri* & *meſenterii* affectibus ortum præbeat. Eſt autem adhuc addendum, quod etiam aptitudinem vlteriorem ad *concipiendum* ſæpe grauiter perturbare obſeruetur; aut *geſtationes* ſuccedentes ita turbet, vt vel aliis grauibus & inſolitis incommodis *grauidæ* vexentur, vel plane *abortum* incurrant: vel etiam ſubſequente *partu*, ſatis tempeſtiuo licet, tamen eius *difficiliores* ſucceſſus experiantur: vel denique iterum ſimilem profuſionem, poſt editum partum, denuo incurrant. *Defectus* autem decentis ſufficientis euacuationis coniicit patientes etiam in po-

Ataxiæ ex defectu ſufficientis euacuationis.

ſterum

ſterum familiariter in *menſium* quoque ataxias, & *durabiliora*, & magis magisque *periodica*, *ſpaſtica*, *hypochondriaco-hyſterica* pathemata. Quibus reſpectibus tanto dignior vtique eſt huius totius negotii talis moderatio, vt quantum ſatis ſit, omnino quidem fiat; aſt neque nimium, nec etiam nimis parum ſuccedat: minime omnium autem vniuerſus ſucceſſus intempeſtiue deſinat.

§. XI. Circa hanc rem habeo omnino, quod adhuc breuiter moneam. Nempe, quod hic etiam illud attendi mereatur, quod etiam *largior*, imo *nimius* huiusmodi fluxus tamen propterea non æque eo citius *in totum* deſinat, inprimis *ſine incommodis*. Quo intuitu, ſi etiam per artem hic citior iuſto cohibitio totius fluxus obtingat, veluti ſub excuſatione *quantitatis* vtique largioris breui impetu effuſæ, quæ ita *longitudinem* alias ſolitam veluti ſupplere poſſit: hæc ipſa ratio, teſtante experientia, ſatis firma non ſit, quin pluribus ſchematibus alia poſthac *incommoda*, tam intra adhuc tempus *puerperii*, quam *ſuccedentibus* temporibus ſubſequantur; quæ certe iuſtiſſimum ſit bene perpendere, an vere *ſimpliciter* magis a *fluxus* ipſius abundantia prægreſſa deduci poſſint: an vero potius ab eiusdem, non tam vt *largi*, quam vt *longi*, atque *ſucceſſiui*, *repentina* occupatione.

Largior, imo nimius fluxus non æque eo citius deſinit. Hinc eius iuſto citior cohibitio multa incommoda infert.

§. XII. In quem finem, pro meliore omnino intellectu huius rei aſſequendo, notanda venit peculiaris illa circumſtantia, quod etiam ingentes paſſim huiusmodi *profuſiones lochiales*, nulla *arte* cito occupatæ, tot atque tanta incommoda minime poſt ſeſe trahant, quam illæ, quæ ita tractatæ ſunt. Quod quidem propemodum de omnis generis hæmorrhagiis, non ſimpliciter *violenta* læſione *paſſiue* labentibus, ſed actiuo quodam impulſu ſubnixis, omnino valet. Et confirmat tanto magis illud, quod *in genere* æque, atque vere per ſingulas *ſpecies* hæmorrhagiarum, certe *qua talium*, cum veritate monui, quod qualescunque earum *defectus* & *certiora*, & *maiora* damna inferant, ac poſt ſe trahant, quam *exceſſus*, non ſimpliciter *maximi*.

Profuſiones lochiales tot ac tanta incommoda non inferunt, quam cito cohibitæ. Sicut in genere omnium hæmorrhagiarum defectus peior eſt quam exceſſus.

ARTICVLVS IX.

DE

FLVXIBVS SANGVINIS VERE PASSIVIS.

§. I.

Fluxus ſanguinis paſſiui quinam ſint.

VEre *paſſiui* fluxus ſanguinis ſunt illi, qui quacunque *violentia*, a *ſpontaneis* vitalibus actibus aliena, tanto magis autem prorſus ſimplicius *externa* & aduentitia, ſubnixi, viarum *continentium*, inprimis autem *capaciorum*, ſimplici *continendi* efficacia amiſſa, ſequuntur. Nempe *diruptiones*, *lacerationes*, *eroſiones*, *diſſectiones*.

Ruptiones.

§. II. *Ruptiones* oriuntur aliquando ſimplicius a *niſu* vehementiſſimo; aut per *lapſum* ponderis ſuper illas partes, circa quas exitus qualiſcunque perrumpere poſſit, (ſicut eius rei exempla a *ſaccis* frumenti aut farinæ, corpori illapſis, nota memini). Nanciſcuntur autem maxime exitus ſuos e *thorace*, *ventriculo* & *inteſtinis* (tam in enormi *vomendi* conatu, quam affectu illo plebeiorum, quem **das Wehethun, Verbrechen**, & ab externa occaſione, **ſie haben ſich zerhoben, gantz zu ſchanden gehoben**, enunciant) & *vtero*.

Lacerationes.

Laceratio, præter eam, quæ a *morſibus* animalium, & *aſperiorum* rerum, cum *contuſione* vulnerantium, incurſu contingit, tribuitur interdum ſpecialiter aſperioribus *calculis* renum: quamlibet re vera huiusmodi effectus, vere *indubius*, omnino *rarior* occurrat.

Eroſiones.

§. III. *Eroſiones* etiam non adeo frequenter occurſant, quæ hunc effectum exhibeant. Sunt autem inprimis ab *intrinſecis* quidem cauſſis tales, quæ ab *vlceribus pectoris*, *renum*, *veſicæ*, *inteſtinorum*, imo vel *exteriorum* partium atque locorum in corpore, originem trahunt. *Externæ* huius cenſus cauſſæ, rarius occurrentes, ſunt inprimis *halitus* aut *pulueris* forma in *nares*, *aſperam arteriam*, admiſſa vera *corroſiua* (ſicut eius rei exemplorum a *butyri antimonii* halitu, & *vitrioli venerei* ad albedinem calcinati agitatione in mortario, memini.)

Sectiones.

Per *ſectionem* nudam fiunt tum alia *vulnera* ſine delectu: tum *arbitrariæ* apertiones vaſorum ſanguiferorum, aut certe meatuum, V. Se. *ſcarificatione*, *hirudinum ſuctu*. Omnium æque ac ſingulorum huiusmodi fluxuum a *violatione continentis* nulla alia prolixa *ætiologia* vere locum

locum habet, cum tota fiendi ratio ſimpliciſſima & in procliui poſita exſiſtat.

§. IV. De *effectibus & euentibus* earum vero eſt illud omnino dicendum, quod pluribus aliquanto reſpectibus ibi ſit locus, tam ratione immediate *inſequentium*, quam longius *ſuccedentium* damnorum aut incommodorum. *Damnum* potiſſimum eſt *nimia* ſanguinis amisſio, ſi fluxus ita inductus modum valde excedat. Interim eſt illud ſatis certum, quod non admodum *immoderata* huiusmodi excretio nullum adeo æque valde ſenſibile ſiue *incommodum*, ſiue præſentaneum *damnum* poſt ſe trahat. Effectus & euentus horum fluxuum.

§. V. Peculiaris autem circumſtantia, etiam in huiusmodi *violentis* ſanguinis emanationibus vera atque certa, eoque ipſo obſeruatu quam maxime digna, eſt illa, quod ſi etiam ita *fortuitæ* & *violentæ* hæmorrhagiæ corpori obtingant, tam *plethora* onerato, quam etiam *commotionibus* eius ſingularibus affecto, tunc non ſolum velut *in præſens* minor periclitatio a tali fluxu ſimpliciter ingruat: ſed re vera potius ab immediata præpropera eiusdem *cohibitione*: ſed etiam omnino *in futurum*, peculiaris quædam ratio euacuationis huiusmodi, tanquam *vtilis* futuræ locum paſſim inueniat. Ad *priorem* claſſem referri debent admonitiones illæ, quas diuerſis locis Chirurgicorum ſuorum ſcriptorum dedit *Paracelſus*, de fluxu ſanguinis e vulneribus, ſub *ebrietate*, *ira*, *actibus venereis* incuſſis, procedente; quem non cito ſimul & ſemel opprimendum eſſe monet, quin metuendæ poſthac certius ſint *inflammationes* maioris impetus & ambitus, *febres* inflammatoriæ, *ſpaſmi*, *ſenſibilitates* diuturnæ, imo perennes, in membro tali poſt conſolidationem. Si tales hæmorrhagiæ corpori plethorico & commotionibus ſanguinis affecto obtingunt, tam periculoſæ non ſunt quam cito cohibitæ.

§. VI. Certe vero etiam in corporibus, in quibus & *abundantia* inſignis ſanguinis, & *commotio* ventilationem affectans præſto eſt, nimis *leuem* ventilationem *arte* inſtitutam trahere demum poſt ſeſe vehementiores eiusmodi *conniſus* ad actuales *excretiones* & *imminutiones* ſanguinis, docet ſubinde circumſpectior obſeruatio practica: vbi ita tractati non ſolum in genere poſt talem irritam ventilationem grauius a prægreſſis etiam ſuis inſultibus exagitantur; ſed etiam ſubinde in *acutas febres* deuoluuntur, paucis diebus ſuccedentes. Vtiliter autem aſſequuntur interdum poſtea demum magis ſufficientem, quaſi præmonſtrata ita via, ſpontaneum exitum. Ventilationes ſanguinis inſufficientes vehementiores conniſus ad imminutionem ſanguinis poſt ſe trahunt.

Exemplum allegare poſſum Illuſtriſſ. Viri, Iuuenis eo tempore forte 28. annorum, qui e pleno victu & vinoſa diæta, de reliquo ſana corporis, plethorica interim, conſtitutione, & per iram, & alia quædam multiplicis commotionis vtique incommoda aliqua perſentiſcebat, quæ ventilatione ſanguinis, ſi non vnice, certe tamen plurimum & optime ſubleuari potuiſſent, niſi per hæmophobiam patiens ab hoc ſubſidio abhorruiſſet. Quamobrem de tempore in tempus occupari ſolum magis, quam præuerti poterant. Proponebat ſibi tandem ſacrificationem: qua ipſa licet pares vt a V. S. effectus exſpectari non poterant, tamen qualicunque vſui idonea iudicata, cum in effectum deduci deberet, haud moderatius etiam circa ipſam ſe gerens patiens, ſed incondito animi angore, qui lipothymiæ metum faciebat, omittere vix cœptam ſuctionem cucurbitularum cogens, cum certe non vltra vnciam vnam & ſemiſſem euacuatum eſſet: incidit inde ſecutis duobus diebus, bis quolibet die, tam largam narium hæmorrhagiam, vt re vera omnibus his collecti fluxibus plus quatuor vnciis euacuatum ſit: cum tamen non commeminiſſet temporis eius, quo ipſi alias nares ſanguine manaſſent. Habuit autem re vera ab hac euacuatione etiam ſatis diu poſt admodum commode, & leuatum ſe inde ſenſibiliter profeſſus eſt.

Tam euacuationes artificiales quam hæmorrhagiæ vulnerariæ annuos recurſus & conatus imminutionis poſt ſe trahunt.

§. VII. Quod autem etiam in futurum eiusmodi euacuationes, vel *artis conſilio* inſtructæ atque ſuſceptæ, vel *caſu* magis quodam oblatæ per *violentiam* qualemcunque, interim conſtitutioni *plethoricæ* in patiente præſenti reſpondentes, inſignem efficaciam habeant, velut *adſuetudinis* cuiusdam repullulantes conatus inprimis circa *anniuerſaria* tempora poſt ſe trahendi, confirmat ſatis experientia. Quam vti de *arbitrariis*, per *venæ ſectionem*, *ſacrificationes*, *hirudines*, huiusmodi euacuationibus nemo in dubium vocare ſuſceperit, ita de hæmorrhagiis *vulnerariis* paſſim re vera idem obtinere, aduertentibus ſolertius animum non poterit ignotum eſſe, quemadmodum mihi certe huius rei exempla manifeſta occurrerunt, non vno, ſed altero, imo tertio anno poſt vulnerariam hæmorrhagiam inſignem, corpore cetera ſano. Vnde vtique quantumcunque paradoxam hanc rem vlteriori prudenti conſiderationi commendo, quod nempe etiam a *violentis* primo initio hæmorrhagiis, in poſterum *defectus* quidam velut hæmorrhagiæ, nempe & effectu *vtilis*, & *tentamine* atque *contentione* ipſa molientis, & deficiente exitu alia varia incommoda parturientis, *imminutionis* atque *ventilationis* ſanguinis conatus ſuccedat.

Quatuor poſitiones de neceſſaria ſanguinis abundantis ventilatione.

§. VIII. Adeo, vt profecto etiam ex hoc tandem vltimo, & ſupremo quaſi, vero tamen ſpecimine elucere poſſit illud, ab ipſo ſtatim initio huius tractationis a me aſſertum, *quadruplex theorema pathologicum vere medicum*:

I. Quod

I. Quod non ſolum dari poſſit, ſed etiam ſoleat, talis conſtitutio abundantiæ, & commotionis facilis ſanguinis, ſub qua actualis aliqua eius ventilatio vtilius fiat, quam non fiat.

II. Imo vero, quando manente illa conſtitutione euacuatio illa non fit, & certiora, & plura, & maiora alia incommoda exſpectanda veniant, quam ipſe ſanguinis fluxus, qua talis, minime exſiſtat aut exhibeat.

III. Interim hæc ipſa quoque conſtitutio huius fluxus non tam promte atque facile exceſſu ſui damnum inferre, ipſa experientia teſtante, re vera ſoleat:

IV. Quam quidem defectus debitæ atque iuſtæ reputandæ huiusmodi exonerationis, ante omnia vero iam quantumcunque adſuefactæ.

§. IX. Non placet autem tempus impendere, operoſius commemorandis illis valde *inſolitis* atque *raris* quibusdam eruptionibus ſanguinis, quales per loca penitus inuſitata aliquando obtingunt; fœminis inprimis, loco decentis *vterinæ menſtruæ* viæ: vbi e mediis artubus æque, atque extremis apicibus, pollicibus & digitis, quin etiam e media gena, & ſimilibus locis, etiam periodis menſtruis, ſanguis manauiſſe narratur. Cum enim talia oppido rara exſiſtant, quoad modum autem fiendi eorundem, partim ab externis primo probabiliter complicatis occaſionibus, partim a *tonicarum directionum* aptitudinibus, conceptui ita plane difficillima & inacceſſa eſſe non poſſint; interim tamen illa conſideratio ſimplicius *vſum* inprimis *medicum* peculiarem non promittat: non videtur propterea operæ pretium in illis prolixe occupari.

Inſolitæ & raræ ſanguinis eruptiones.

Hæmorrhagiæ non ſimpliciter pro morbido affectu ſed pro vtili conatu ad damnum auertendum habendæ ſunt.

§. X. Concludo itaque totam hanc ſectionem, iterum repetita illa commendatione, vt rectiſſime expendatur habitus ille *hæmorrhagiarum* reſpectiuus, cuius intuitu illæ non tam pro *directo*, per ſe & ſimpliciter, *morbido* affectu, actu aut effectu haberi mereantur, ſed re vera potius, pro reliqua conſtitutione antecedente æque atque coniuncta, imo etiam facile ſuccedere apta, magis pro *vtili* quoque & *optabili*, PRAE RELIQVIS ILLIS, *conatu* reputari: & hoc quidem exquiſitiſſime MEDICO ſenſu; vt videlicet etiam *therapia* ipſa *medica* veram *methodum* hinc agnoſcere, & in ſuos vſus conuertere poſſit: quomodo nempe per ipſas *ventilationes* ſanguinis, ſinceris eius eductionibus inſtitutas, corporis & *ſubleuationi*, a directa atque ſimplici *prægrauatione;* & *præſeruationi*, a metuendis, quin vel iam ingruentibus, variis grauioribus *damnis*, ita ſuccurri poſſit, vt eius rei tam *a priori* ipſam *naturam* auctorem atque ducem laudare cum veritate liceat: & *a poſteriori*, non ſolum euentus felix veritatem effectus teſtetur; ſed etiam re ipſa ratio ſana æque atque perſpicua effectus huius ſolidam energiam atque potentiam confirmet.

PATHOLOGIAE PARTIS II. SPECIALIS.

SECTIO II.

DE CONGESTIONIBVS SANGVINIS.

§. I.

Congeſtionis vox cur hic adhibeatur.

CONGESTIONIS vocem, tanquam vere *actiuum* potius quiddam, quam ſimpliciter *paſſiuum* indicantem, placet omnino his rebus adhibere; vt tanto magis pateat verus fons & origo, vnde illæ *paſſiuæ* conſtitutioni quoquo modo propiores appellationes *regurgitationis*, *ſtagnationis*, *ſtaſeos*, *obſtructionis*, veram ſuam ex-

exſiſtentiam æque atque dependentiam & ſucceſſionem mutuam nanciſcantur.

§. II. Prima quidem inter reliquas omnes directo *actui congeſtionis* quam maxime propinqua, imo proxima, eſt vtique *ſtagnatio*; interim ſano vtique ſenſu capienda, vt nempe ſecundum veritatem intelligatur eiusmodi habitus, qui actuali *progreſſui* ſanguinis non æque præiudicium ſimpliciter & abſolute inferat, quam ſolam potius *continentium* partium talem illam *proportionem* reſpiciat, ſub qua, ſaluo licet *progreſſu in genere*, tamen hæ ipſæ maioris quantitatis *appulſu*, quam ſpecialiſſima ſoliti progreſſus promtitudo atque proportio ferat, ita maiorem *diſtenſionem*, &, quæ hanc ſequitur, *ſenſus* etiam, quin *adſpectus* ſubinde ipſius alterationem inde reportent. Nempe omnino tenendum illud eſt, quod *ſtagnatio* minime intelligenda veniat, tamquam fluidi ſimpliciter *ſubſiſtentis*, ſed vnice potius non ſatis *expedite* atque *libere* progredientis. Quo vtique intuitu manifeſtum ſatis eſſe poteſt, quomodo ſenſim ita fiente huiusmodi progreſſus quidem *imminutione* aliquali, interim *appulſus* æquali, inprimis autem auctiore ſucceſſu, partium ſolidarum recipientium atque transmittentium tam maior ſuffarctus atque diſtenſio, quam ſenſationes etiam inde variæ rectis greſſibus ſequantur.

Stagnatio eſt conſequens congeſtionis, & humorum copioſe appulſorum regreſſum, non autem ſubſiſtentiam denotat.

§. III. Maximopere vero ad conceptum veriorem vtilis eſt hæc diſtinctio, tam *phyſico* intuitu, quid vere circa modum fiendi in his negotiis obtingat; quam etiam *medice*, ad intelligendos vlteriores illos paſſim *euentus*, qui illas ipſas adhuc *ſenſationes* hinc inde conſequuntur: partim per qualemcunque *irritatiuum* ſenſum, partim, & longe quidem familiarius, per *reciprocum* quendam vere diſcuſſorium iterum atque *repulſorium* actum, pro ſtaſeos huiusmodi qualiscunque tandem metuendæ præoccupatione, per viarum etiam illius ipſius loci *actiuam* ſuſceptam ſtricturam: qua ipſa etiam ita ab hoc loco iterum aliorſum depellatur, quod vel libero progreſſui ſenſim minus idoneum fieri, vel ſenſui nimis moleſtum, poſſet.

Diſtinctio hæc vtilis eſt, ad intelligendum illos euentus, qui ex congeſtionibus oriuntur.

§. IV. Cum enim e veræ Anthropologiæ etiam *phyſicæ* vel ipſis primis principiis notum eſſet debeat, quod ſanguis ab omni ſuo progreſſu impeditus, adeoque vere *ſubſiſtens*, præcipiti maxime lapſu in *corruptionem* grauiſſimam, *putridam*, tendat; quæ non aliter, niſi *operoſo*, *ſenſibus moleſtiſſimo*, effectu omnino notabiliter *damnoſo*, euentu vero interim etiam adhuc *incerto*, conamine impediri poſſit:

Staſeos & obſtructionis vocabula plane huc non quadrant.

non videtur certe adeo facile concipi debere vſquam in corpore, tanto minus autem circa intima viſcera, tam facilis ortus huiusmodi *actualium* verarum atque plenarum *detentionum*, ſiue vti vulgo loquuntur *obſtructionum* viarum, per *ſtaſin* humorum.

Generaliores circumſtantiæ congeſtionum.

§. V. Cum autem hac ſectione, vti præ ſe fert eius inſcriptio, de ipſis *congeſtionibus* agere, vt fere rerum ipſarum ordo, ita etiam animus ferat; quarum (1) *motus* ſeu impulſus, (2) *materia*, (3) *terminus* a quo, ad quem, & in quo; & ſub hoc etiam fere (4) *inſtrumentalis* methodus horum motuum in conſiderationem veniant, & denique (5) factarum talium congeſtionum tam a *materia*, quam ab huius *ſucceſſibus* diuerſa paſſim *indoles*; & vltimo (6) etiam ſiue *effectus*, ſiue *euentus* vlterior, qualemcunque forte *finalem* reſpectum inuoluens; interim *motus* ipſarum ſeu impulſus, inprimis anomaliis ſuis aut minus liberis ſucceſſibus, re vera plane proprias claſſes affectuum ſuppeditet ſpecialiores: propterea inſiſtam potius, ſecundum reliquas ſolum magis circumſtantias, huic ipſi conſiderationi; nempe nominato breuius ſolum, qui paſſim concurrit, motu, ſecundum *loca*, *materias* & *formalem* diuerſitatem progreſſurus. Proſequendo tamen hic etiam non vltimas *ſpecialiſſimas* penitus ſpecies, tanquam veros vlteriores *effectus* congeſtionis, ſecundum diſtributionem noſtræ tractationis ad *tertiam* partem ſpecialiſſimam pertinentes: ſed contenti erimus hoc loco de *congeſtione* vt in genere loquendo, ſolum potiſſimas eius vlteriores *ſubalternas* ſpecies aliquanto exactius exponere, *vltimas* autem tertiæ parti noſtræ tractationis reſeruare.

Motus, qui congeſtiones exſequitur.

§. VI. De MOTV, qui *congeſtiones* exſequitur, *generatim* hoc ſciendum eſt, quod ille nullus alius ſit, quam *actiue* quidem & *poſitiue* verus *tonicus*: *paſſiuus* autem ſeu *priuatiue* vera, & inſignis quidem illa, *obſtructio*. Huius vtriusque vt ſtatim magis realis aliqua diſcretio ſuppetat, notandum venit, quod *actiuus* ille ab altero differat (1 *ortu*, dum ille quidem ab *internis*, hic ab *externis* cauſſis, originem ſuam ſolennius habet. (2) *Latius* tam numero, quam ambitu ſeſe diffundit prior ille; contra poſterior. (3) Prior ille re vera *finibus* vlterioribus vere *vitalibus*, ad minimum *intentione*, ſi non æque ſemper ſucceſſu, quadrat; hic ſimpliciter *damnis*, atque grauioribus malis conſecutionibus viam ſternit: imo ſi ſibi ſimpliciter conſtet, directe illas poſt ſe trahit.

§. VII.

§. VII. LOCVS ſeu terminus *a quo*, *per quem*, *ad quem*, *in quo*, ſunt omnes partes corporis *poroſæ*; tum late patentes, atque diffuſi ambitus, *regiones* latiores corporis: tum exiguæ etiam eiusdem partes, & vere particularia plane interdum membra, minimi ambitus. Locus ſeu terminus a quo, in quo, per quem ad, quem.

Id quod ex eruptionibus huiusmodi e minimis partibus, vna, & quidem certa nare, vno oculo, imo palpebra magis &c. & quidem STATIS temporibus, menſtruis, ſæpius repetendo, fientibus, dilucefcit.

§. VIII. Cæterum earundem harum partium *poroſarum*, quatenus ſimul etiam *fibroſæ* paſſim ſunt, eſt illa etiam INSTRVMENTALIS ratio, vt per illas ipſas vtique etiam *præſtetur* ipſe *progreſſus*: dum harum earundem tonicis *ſtricturis* materia tam ex ipſarum meatibus, quam e vaſorum vndique ipſas intercurrentium capacitate verſus alia loca premitur. Vbi quidem, cum *congeſtorii* affectus non ſolum ita frequentiſſimi & numeroſiſſimi, ſed etiam re vera *promtiſſimi* eſſe atque fieri ſoleant; *impulſus* autem ipſius *interim* per PVLSVM vtique abſolute nulla hic ſit efficacia: ab *obſtructionibus* autem talia arceſſere, præter *phyſicarum* circumſtantiarum difficultates, etiam *mechanicarum* ſimpliciſſimarum legum *hydraulicarum* obſtet contradictio: ex aduerſo vero & veritas in ſenſus incurrentium *motoriorum* talium phænomenorum, & *ordo* atque *ſucceſſus* in ipſis his rebus re vera fiens, efficaciam hanc *tonicæ ſtricturæ* manifeſto demonſtret, puto hanc rem apud homines attentos omni difficultate cariturum eſſe. Inſtrumentalis ratio.

§. IX. Effectus congeſtionum reſpondet earundem finali deſtinationi; ita tamen, vt ſenſibilis congeſtionis apparatus ſucceſſum liberi illius effectus, atque deſtinati *finis* impeditiorem iam innuat: imo vero aliquando totius *apparatus* iuſto maiorem *impetum*, aut *diffuſiorem* extenſionem arguat, quam ad *liberum* effectum deſtinatæ talis vltimæ efficaciæ, vel directe requiri, vel debite quadrare videatur. Effectus.

§. X. *Euentus* autem congeſtionum vti ſemper ſunt *reſtagnationes* inſolitæ humorum circa illas partes, ad quas congeſtio ita dirigitur aut diffunditur; ita pullulant ex hac *reſtagnatione*, pro *quantitate* materiæ, *impetu* impulſus, *mobilitate* humoris, peculiari eius *dyſcraſia*, *meatuum* diſpoſitione, *ſenſationis* vehementia, *retrogradarum ſtricturarum* prouocatione, aut denique plenaria in parte occupata detentione atque *ſtaſi*, varii alii *vlteriores* partim *effectus*, partim *euentus*. Euentus.

§. XI.

Directus effectus.

§. XI. *Directus effectus* congeſtionis ſanguinis ſimplicioris eſt *tenſio* & qualitercunque *grauatiuus* ſenſus; ſi alte ſeſe exſerat, *rubor;* ſi acrius tendendo partes etiam ſenſus augeatur, valde ſenſibilis patienti *calor*, (qui tamen etiam re ipſa auctior eſt ad externum contactum, ſi *pulſus* proportio vegetior vna concurrat) quin denique etiam ſenſibus obuia, vel totarum *partium*, vel ad minimum *vaſorum* in illo diſtrictu, *inflatio* ſolito maior.

Specialiores circumſtantiæ & conditiones congeſtionum.

§. XII. Hæ ſicuti ſunt generaliores & vniuerſaliores circumſtantiæ atque conditiones congeſtionum ſanguinis; ita *ſpecialiores*, quæ illas maxime reſtringunt ad certum *ſubiectum*, intuitu tam *materiarum* habitus quam *perſonarum*, poſtulant omnino etiam decentem contemplationem. Cum enim de congeſtionibus etiam talibus illud omnino valeat, quod de omnibus aliis morbidis affectibus; quod nempe tales non promiſcue omnibus hominibus pari facilitate accidere poſſint, ſed, ſi *numerus* eorum, quibus tales obtingunt, conferatur cum illis, quibus nullæ eueniunt, *exiguus* ille certe hoc intuitu exſiſtat. Tanto magis autem, ſi etiam in illis, in quos tales congeſtiones cadunt, conſiderentur illæ temporis menſuræ & intercapedines, quibus illi ab ipſis his talibus actualibus congeſtionis *inſultibus* liberi degunt; neque etiam ab *actuali* illo inſultu æque *diu* admodum vniuerſim detineantur & exerceantur: dilucеſcet certe facile ex his conſiderationibus, quod omnino peculiares adhuc ſpecialiores conditiones obſeruandæ veniant, quarum intuitu affectus hi & *raro* eueniant, & *tamen* omnino vtique *eueniant*.

Subiecta huic affectui idonea ſunt plethorici.

§. XIII. Hæc ipſa talis ſpecialior conſtitutio ſubiectorum, quatenus huic affectui propius idonea obſeruantur, habet iterum diuerſos veluti *gradus* propinquitatis, atque ita *actiuitatis* ad influendum. Ita enim certiſſimum eſt, quod *materiali* æque atque *perſonali* intuitu nulli hominum congeſtionibus, vere quaſi eminenter ſumtis, & ſimul tamen adhuc etiam ſimplicius atque ſincerius ſumendis, verius atque certius expoſiti ſint, quam illi, qui *quantitate* inſigniter abundante ita prædiſpoſiti exſiſtunt. Interim vti *abundantia* ſanguinis remotior vtique hic etiam eſt cauſſandi energia: ita habet vtique adhuc longe propinquiorem efficaciæ gradum ipſa plethoræ frequentius aut impetuoſius fiens *commotio*.

§. XIV.

§. XIV. Proximum autem ſimpliciter actum ad congeſtiones formandas exercet *intentio exonerationis*, & expreſſionis immediatæ ſinceræ, nempe *hæmorrhagicæ*. *Vltimum* autem, re vera ſpecialiſſimum, ſed tamen adhuc ſimplicem atque ſincerum, congeſtionis qua talis auctorem agnoſco inprimis *difficultatem liberi ſucceſſus* modo dictæ actualis excretionis, ad quam intentio, a commotione prouocata, reſpicit. Cum enim in ſanguinis exonerationibus facile ſuccedentibus nec *apparatus* æque operoſior, (niſi quidem per adſuetudinum proteruiam, etiam nouis incitamentis exacuatam, aliquid minus ſolitum aut commune fiat) nec *impetus* immoderatior fieri ſiue poſſit, ſiue debeat: eoque ipſo vtroque hoc intuitu, dum *exitus* ipſe expedite ſuccedit, reſtitationi inſigni occaſio ita pateat: fit tamen eius rei contrarium, vbi exitus ipſe non ita libere reſpondet; interim *cauſſæ materiales*, reſpectus *finales*, & hinc etiam & ipſæ etiam *intentiones efficiendi* iuxta illum finem, in ſua actiuitate perſiſtunt.

Intentio exonerationis hæmorrhagica; & difficultas eius liberi ſucceſſus.

§. XV. Quod autem huius talis conſtitutionis veriſſima maxime indicia facit, eſt iam *ſpecialior* conditio atque indoles congeſtionum vlterior, & ſano ſenſu *accidentalis*; nempe vt *ſæpius*, *facilius*, quin etiam *impetuoſius* REDEANT, aut *pertinacius* inſiſtant. Quod enim talibus maxime circumſtantiis eueniant *congeſtiones* illæ, de quibus loquimur, talibus ſubiectis, quæ alias *liberioribus*, *frequentioribus*, *largioribus euacuationibus actualibus* ſanguinis affecti fuerant, ſi illis hæ poſtea emaneant, eſt vtique vel in vulgus notum. Ipſarum vsque *artificialium aſſuefactarum* huiusmodi euacuationum per *V. Ses*, *ſcarificationes*, (*fonticulos*, *ſetacea*, *veſicatoria iterata*, per indirectum) exemplis. Ne dum *hæmorrhagiæ narium*, & inde vulgatiſſimarum illarum, perite attentæ plebis ſuffragio vſitatarum formularum; quando de *plethoricis*, acri, æſtuoſo, atque tenſiuo, inflatiuo, & cum rubore vsque frontis, aut plane faciei infeſto, *capitis dolore*, vel ipſi patientes conſuetarum hæmorrhagiarum ſibi conſcii, hoc ita eloquuntur: Wann ſie nur bluten könten, ſo würde ihnen der Kopff leichter werden: Vel etiam, ſi quem talem videant eiusmodi fluxu correptum, tanquam in ſolamen, & omnis metus de ſiniſtris forte ſucceſſibus auerſionem, eadem loquendi formula ominantur: Es werde nichts böſes bedeuten oder nach ſich ziehen; ſondern vielmehr der Kopf darvon leichter werden. Imo vero, vel adhuc optabiliore prognoſi ad vniuerſum magis corpus ſeſe extendente, es werde einem gantz leicht dar-

Specialior adhuc congeſtionum conditio & indoles, vt ſæpius redeant.

nach: Vt, ſicuti *congeſtiones*, a peiore ſucceſſu ipſius exitus, etiam latius *diffunduntur*; ita exonerationes illæ liberalius ſuccedentes, etiam corporis maiorem *leuitatem*, (vtpote quod ipſa nimia abundantia ſanguinis etiam vniuerſim magis *grauatur*) & vniuerſæ actiuitatis vitalis & animalis *alacritatem* poſt ſe trahant.

Materia congeſtionum ſæpe eſſe ſolet ſeroſa & mucida, catarrhalis dicta, originem tamen ab ipſo ſanguine habet, licet aliam laruam induerit.

§. XVI. Hæc vti tam de *materiali*, quam *perſonali* etiam (ſecundum iam ſuſceptas *conſuetudines*) habitu ita vera ſunt: ita placet adhuc verbum dicere, & prælibare quidem de illa *translationum* quarundam *congeſtoriarum* peculiari *materiali* veluti *larua*, quæ, licet *origo* congeſtionis re vera ab ipſo *ſanguine* cœperit, tamen euidentior eius *effectus* potius *ſeroſo-mucidum* quiddam, *catarrhale* vulgo dictum, exhibet; aut *ſeroſo-ſalſum* & *vlceroſæ* corruptelæ acriori propinquum. Talis enim congeſtionis iterum iterumque coorientis *actum* proprie notant formulæ illæ loquendi: **es fallen dem oder jenem ſo offtere Flüſſe, geſaltzene Flüſſe, &c** Qualis nempe ipſa contenta eiusmodi veluti coaceruautio repentina *ſeroſorum* etiam humorum vti non aliunde, niſi e ſanguine ortum ſumere poteſt: ita pendet etiam principaliter, quantum ad *materiam* magis quam *vias* attinet, a ſanguinis, nempe *maſſæ ſanguineæ* ipſius, ad talia loca appulſu; licet altior aditus non ita toti omnino *maſſæ* conſiſtentiæ æque libere pateat, ſed tantum *tenuioribus* de ipſa partibus.

Vſus huius conſiderationis eſt, vt diſpares conſecutiones ex congeſtionibus ortæ recte agnoſcantur.

§. XVII. Habet autem hæc ipſa conſideratio in *medica*, nempe rationali, etiam *therapiæ* facem præferente, *pathologia* eum vſum, vt non ſolum inde agnoſcatur, quomodo etiam e *contentionibus* ad *ſanguinis* excretiones reſpicientibus diſpares illæ, quantum ad *materiæ* ſchema, conſecutiones hinc oriri poſſint, v. gr. tam excretionum *ſeroſo-mucidarum* per *coryzam*, *tuſſim humidam*, *diarrhœas* ſpontaneas, *vrinæ*, & *ſudoris* eruptiones; quam *reſtagnationum* copioſiorum & pertinaciorum, *aſthmate humido*, *tumoribus œdematoſis &c.*

Quo deinde Medicus non in ſola illius materiæ ſeroſæ ſubtractione & deriuatione occupatus

§. XVIII. Quæ ipſa etiam res *therapeuticis* auxiliorum inuentionibus certe non inanem occaſionem præbere poteſt, ne tam æque omnem intentionem ſuam Medicus collocet in *ſola* illius *materiæ*, quæ tandem ita procedit, ſiue *ſubtractione*, ſiue ſuppoſita ad alia emunctoria *deriuatione*: quando potius *primus*, & quaſi *primarius*, magisque *directus conatus*

ita

ita congerendi *ſanguinem*, etiam *ſtricta* acceptione talem, pro obiecto habeat; nempe *commotione* illa ad aliquem locum, *exonerationi* eius qualitercunque idoneum, compellendum: minime vero directe atque ſimpliciter illas *humorum ſpecies*, quæ ſub illo generaliore, vt totius *maſſæ*, appulſu, qualemcunque deinde *ſeceſſionem* facientes, occultato hac ratione vero *fonte atque fundamento*, & veram *ætiologiam* ſubterfugiunt: & *vſum* etiam *therapeuticum*, ſanguinis potius ipſius ventilationum, ad occupandas crebriores atque promtiores eius commotiones *congeſtorias*, fruſtrantur.

ſit, ſed veram potius cauſſam nempe ſanguinis exonerationem reſpiciat.

§. XIX. Nempe vltimo loco, manet adhuc vtique apprime notanda atque obſeruanda peculiaris illa *congeſtionum ſanguinis* indoles *periodica*, per *inſultus*, vtique tum plus minus, interdum etiam exquiſite, *ſtatos*, tum *vagos*, ſeſe iterum iterumque exſerendi. Quo ipſo, vti congeſtionis talis ipſarum hæmorrhagiarum mores, e mutua dependentia rectiſſime ſequuntur; ita faciunt hoc tanto apertius atque plenius illæ maxime congeſtiones, quæ ſimplicius ad hæmorrhagicas euacuationes ſiue *proſequendas*, ſiue *reſtituendas*, cooriuntur, (id quod in *menſtruis* horum generum commotionibus tam directe ad exitum connitentibus, quam ad alieniora etiam loca, *tali* tamen vtique *tempore*, ſanguinem adigentibus, notiſſimum eſt).

Inſultus congeſtionum ſanguinis periodici, ſtati & vagi, hæmorrhagiarum mores maxime imitantur.

§. XX. Quemadmodum autem præſente adhuc loco ante omnia inſiſtere placet ſtrictius atque verius, tam *ortu* quam *ſucceſſu* conſpicuo *ſanguineis* congeſtionibus; ita ſatis erit hoc ipſo loco ſuperiores ſolum *ſubalternas ſpecies* congeſtionum talium commemorare, ſub quibus deinde aliæ plures ſpecialius, imo *ſpecialiſſime* ſubſiſtentes, ad *tertiam* tractationis noſtræ claſſem referendæ erunt. Recenſebimus itaque præſente loco (1) *congeſtiones* ſimpliciter & magis directe *hæmorrhagicas*; (2) latius *ſe extendentes* æque, atque promtius *diuagantes*, quas *rheumatiſmi* nomine ſchola medica comprehendere ſolet: (3) *inflammationem*: (4) *dolores*, in quantum & quales ab hac cauſſa pendent.

Ordo ſequentium materiarum tractandarum indicatur.

MEMBRVM I.
DE
CONGESTIONIBVS SIMPLICIORIBVS, VT HAEMORRHAGICIS.

§. I.

Præcipua materia congeſtinum eſt ſanguis, ſecundaria aliæ ſeroſæ humiditates.

DIximus quidem de hoc negotio iam ſub ipſa præcedente generaliore tractatione: interim non ſuperfluum erit, etiam præſente loco adhuc ſemel arctius contrahere, quæ de hoc negotio ſcitu & notatu digna ſpecialius arbitramur. Nempe, vt præcedente deductione monuimus, quod *congeſtiones* præcipuæ *ſpontaneæ*, vt a cauſſis corpori magis *internis*, præcipuam materiam & fomitem primarium agnoſcant ipſum maxime *ſanguinem*; cuius *ſecundarii* demum magis ſucceſſus & euentus inuoluant etiam *ſeroſas* humiditates: ita meretur vtique tanto magis conſiderari, quid in *congeſtionibus* talibus tanquam magis *immediate*, debeatur *ſanguinis* veluti *deſtinationibus*, quid vero aliorum humorum magis *concurſui*, quam veræ *conſpirationi*, aut *complicationi*.

In puerili ætate conſpicua eſt congeſtio ſanguinis verſus caput, quorum dolores hæmorrhagia ſoluit.

§. II. Simpliciſſima *congeſtionis* ſanguineæ ſpecies eſt in *puerili* inprimis ætate conſpicua circa *caput*; tum ab importunis, inprimis præter eximiam *adſuetudinem*, *exagitationibus* æſtuoſis, ab immoderatis corporis *motibus*; aut *vini* potu *inſolito*; aut obuerſatione in feruido *calore ſolis*, capite parum tecto; aut in *hypocauſtis* etiam *humilibus*, & inprimis proxime terram ſitis, vnde *pedes* quidem atque crura frigore, *caput* autem calore ſenſibilius alterentur. Eſt autem hæc talis *congeſtio* non ſolum, ſed etiam ſuccedens denique eius *effectus*, illi *ætati* ſatis familiaris: vt, inquam, ita *oppletionis*, *grauitatis*, *ruboris*, *caloris*, *doloris* inſultibus denique *hæmorrhagia* ſuccedens *doloris* ſolutionem, & omnium illarum circumſtantiarum, perficiat.

In adoleſcente & adulta ætate familiares ſunt congeſtiones circa pectus; hinc hæmoptyſis.

§. III. Ita etiam in *adoleſcente* æque, atque proxime *adulta ætate*, inprimis *fœminino* ſexui, ſi debitæ ſanguineæ exonerationis *menſtruæ* detrimentum experiantur, familiares ſatis ſunt eiusmodi *congeſtiones* atque reſtagnationes circa *pectus*: non ſolum cito atque grauiter ſe exſerentes, quando corpus acrius agitant in genere; ſed in ſpecie *ſcalas* aut *cliuos* adſcendendo: ſed etiam vel quietis nihilo minus

incumbentes, & tunc etiam *anguſtias* & *oppreſſiones* ſæpe formantes. Quales conſtitutiones, licet non eadem promtitudine, tamen neque etiam rariſſime, excipit eruptio ſanguinis per *hæmoptyſin*. Sicut etiam, vt vtique dilucefcat, quod *ſanguineæ* maxime congeſtionis hic ſubſit energia, ventilationes etiam *artificiales inſoleſcenti* huic malo adhibitæ quamlibet forte *temporariam* ſolum, *luculentam* tamen paſſim efficaciam præſtant.

§. IV. Ita *ſplenicæ* inflationes, cum *cardialgiis* non ſolum, ſed etiam *vomendi* conatibus, ſicuti *fœminino* ſexui præ *virili* magis familiares ſunt: ita vnde maxime pendeant, teſtantur tandem vomitus *cruenti*, talibus apparatibus ſuperuenientes: ſicuti etiam in *viris*, *hæmorrhoidales* euacuationes alias experiri *ſuetis*, harum *emanſiones* ſubſequentia paria *ſplenico-inflatiua* & *oppreſſiua* ſymptomata ſatis declarant, quid *nexus* ſubſit inter huiusmodi *reſtagnationes*, & *euacuationes* ſanguini *debitas*. Nusquam autem arctius ſe exſerunt *congeſtiones* eiusmodi, ad *euacuationem* ſanguineam contendentes, quam in *hæmorrhoidalium* non ſolum *meatuum*, ſed latius paulo etiam *vicinorum inflatione*; in hæmorrhoidalibus tam *veſiculis*, quam duris *tumoribus*, & veris *furunculis*, nempe *hæmorrhoidibus cæcis*, *ſine* & *cum dolore*.

Splenicæ inflationes in fœminis & viris vomitum cruentum & hæmorrhoides tam internas quam externas reſpiciunt.

§. V. Sicut autem hæ quidem tales congeſtiones magis directe atque proxime ad *ſanguinem* ipſum reſpicere apparent; ita non inconueniens tamen erit, harum occaſione etiam illas congeſtiones leuiter luſtrare, quæ re vera etiam ipſo facto *ſanguinearum occaſione* euenientes, tanto magis *medicam* conſiderationem tali loco merentur, e quo etiam *therapeuticæ* intentioni formandæ lux veluti affulgere poſſit. Vt nempe memori mente teneatur, quod omnino etiam in talibus ad *ſanguinis* ipſius *ventilatorias* intentiones animus non immerito ſubinde aduerti debeat. Loquor autem hic de eiusmodi tum *ſtagnationibus*, tum alibi *eruptionibus*, alibi *inflationibus* atque *tumoribus*, qui magis quidem *ſeroſum* quiddam pro materia ſui habent atque fouent: interim *coaceruationem* ipſam ſui non aliunde magis nanciſci videntur, quam vel a directis *contentionibus* congeſtoriarum appulſionum *ſanguinis*; vel ab huius per eiusmodi congeſtiones ſenſim inducta *colatoriorum* certorum *obſtipatione*.

Aliæ congeſtiones ſeroſæ itidem ſanguinis ventilationes intendunt.

Duplicis generis ſunt.

Prioris generis ſunt catarrhi & diarrhœæ; poſterioris tumores.

§. VI. *Priore* modo fiunt maxime ita dicti *catarrhi*, cum *effuſione* humiditatum *ſeroſo-mucidarum*; *coryza* & *tuſſis humida*; quin etiam *diarrhœæ*, quæcunque non æque ab *aſſumtis* ortum ſuum ducunt. *Poſterioris* generis ſunt *tumores* ita dicti *frigidi*, tam *œdematoſi*, quam *ſcirrhoſi*, *glanduloſi* (σκληροὶ, vnde Germanorum Schiter). Nempe a *contentione* ſanguinis *verſus* & *circa* aliquam partem tenuiores *ſeroſas* ita altius a reliquis ſenſim dilabi, & in meatus *teneriores* circumiacentium etiam denſiorum partium inſinuari poſſe, nullam forte vsquam conceptui obiiciet difficultatem.

Retroceſſiones tumorum œdematoſorum teſtantur, quod hi non ſimpliciter a congeſtione dependeant.

§. VII. Interim, quod non æque abſolute omnes tumores *œdematoſi ſimpliciter* ab huiusmodi congeſtione etiam pendeant, (ſicut ab illa probabiliſſime *initia* tamen ſua traxerunt) equidem facile erit concipere. Dari tamen hunc ipſum etiam caſum admodum frequentem, teſtatum faciunt *retroceſſiones tumorum œdematoſorum*, etiam *ſpontaneæ*, tum *arte* inductæ: quæ quidem ſatis monſtrant, quod *reſtagnatio* illa, *inflationes* huiusmodi efformans, minime *ſimpliciter* dependeat ſiue a materiæ *ineptitudine ad motum*, ſiue a *viarum obſtructione*, ſiue a *fibrarum relaxatione* ſimpliciter flaccida. Alias enim, quando ita *diſcuſſa* eſt, ſeu *repulſa*, hæc reſtagnatio, ſolutus vtique eſſet affectus; quandoquidem ſuppoſita illa humorum *ſpiſſitudo* eſſet ita vtique correcta, quia illi ita diffugientes tumorem ita deſtituunt; *obſtructio* meatuum eſſet vtique aperta, fibræ, ad minimum tantiſper, iterum roboratæ. Sed aliud quiddam ſubeſſe, innuunt adhuc grauiores *internæ reſtagnationes*, *oppletiones*, *anguſtiæ*: non prius remittentes, quam *motus* ille, iterum dico MOTVS humorum, ad hæc loca *deorſum* iterum pertigerit atque redierit. Cum tamen vtique ita circa *interiora euacuationi* huiusmodi ſeroſarum materiarum longe aptior locus patere poſſet, per *diarrhœas* inprimis, tum etiam *tuſſes humidas*: niſi potius tota *inclinatio mouendi* in hanc maxime *regionem* vergeret.

Hi tumores plerumque ſequuntur emanſiones menſium & hæmorrhoidum.

Cui vniuerſæ rei, facem, quod aiunt, præfert illud, quod vtique huiusmodi etiam *œdematoſi* tumores, ſi non æque abſolute ſemper, tamen familiariſſime, ſequantur *euacuationum* ſanguinis conſuetarum *emanſiones*: & quidem euacuationum circa *hæc* maxime *loca* inferiora, *menſium*, *hæmorrhoidum*.

§. VIII.

§. VIII. Quemadmodum etiam conſiderationem omnino prudentem meretur illa vtique plurimum conſpirans conſtitutio *podagricorum*, *laxiore* corporis ſtructura præditorum, qui per *paroxyſmos* ſuos *tumoribus* eiusmodi œdematoſis corripi obſeruantur: *tranſitoriis* quidem, & ſenſim iterim euaneſcentibus; interim etiam re vera ſatis ſæpe *diuturnis*, *tres*, *quatuor ſeptimanas* durantibus. Imo vero, non ita raro, neque vero etiam difficulter, ad longe *pertinaciorem* durationem procedentibus, imo vel ipſam tandem *continuitatem* ſeruantibus: tanto magis, ſi *dolores* ſublati fuerint per incondita *artificia*, *ſtupefacientia*, *ſenſum* atque *motum* obtundentia.

Podagrici poſt paroxysmos ſuos eius modi tumoribus corripiuntur.

§. IX. Vbi animum aduertere iubemus ad illam noſtræ *ætiologiæ pathologicæ* comparationem, qua affectus quidem *podagricos* a *longinquioribus* moliminibus *hæmorrhoidalibus* deducimus; nempe ad ſincerum liberum exitum non ſolum non æque directe *peruenientibus*: (quamuis ſi hoc fiat, & ſatis proſpere ſuccedat, cum maximo *emolumento* fiat, dummodo reliqua commode procedant) ſed neque etiam directe & efficaciter ad hunc ſcopum penitus *pertendentibus*, & ad amuſſim *collineantibus*.

Podagra a moliminibus hæmorrhoidalibus deducitur.

§. X. Sicut autem per huiusmodi *longinquiora* & *rariora molimina temporarii* eiusmodi tumores cooriuntur: ita per *frequentiores* & *copioſiores* actuales *euacuationes*, per *vterina* & *hæmorrhoidalia* vaſa; (Illæ ex *inſtituto*, & *ſemper*, hic ſæpe, *menſtruas*, aut certe *frequentes* atque *largas*:) ſequitur etiam eiusmodi *durabilis*, imo *conſtans congeſtio* circa hæc loca, cuius altior diffuſio & inſinuatio proinde etiam *ſtabilem* & *perpetuum œdematoſum tumorem* ſiſtat. Et hæc quidem ita de *tumoribus* in genere, æque ac de *ſimplicioribus ſanguineis* congeſtionibus, dixiſſe ſuffecerit; plura occurrent in ipſa *ſpecialiore* ſingulorum euolutione.

MEM-

MEMBRVM II.
DE
RHEVMATISMO.

§. I.

Acceptio nominis rheumatiſmi apud veteres maxime generalis; & non vt morbus ipſe, ſed vt cauſſa aliorum morborum habitus eſt.

VTi multa ſunt alia in antiquorum placitis, quæ nulla tam exquiſita propoſitione in medium prolata, poſteritatis demum ſtudium excitarunt, ad conquirendum partim paſſim ſenſum veriorem huiusmodi aſſertionum, partim quoquo modo explicando aut applicando probabilem eundem reddendum; ita eſt ſane in eo cenſu non vltimo loco numerandus ita dictus RHEVMATISMVS. Quod de veteribus ſtatim in ipſo initio moneri debeat circa veram *acceptionem* huius nominis, eſt conſentaneum reliquæ etiam noſtræ vſitatæ conſiderandi methodo, nempe quod affectus hoc nomine ab ipſis proprie notati ſit *infrequens* graſſatio, & in corpus humanum inuaſio. Colligo hoc ex eo, quod re vera apud illos *rarior* eius, quam pro effectu frequentiore & familiarius eueniente, occurrat mentio: ad minimum certe vt affectus *per ſe ſubſiſtentis*, adeoque certam propriam *ſpeciem* vere conſtituentis, quæ pro *proprio* quodam morbo accipi atque tractari mereatur: & non potius pro CAVSSA demum aliorum morborum, tali, quæ mox alias *veriores per ſe* deinde *ſubſiſtentes ſpecies* affectuum progignat; quali ſenſu etiam de PLETHORA & CACOCHYMIA illos, antiquos, loqui, atque ita *iudicare* magis quam prolixe *ſermocinari* voluiſſe, commode agnoſci poteſt, ſi animus ad illorum ſcripta adhibeatur.

Conſpirat hæc res cum ipſa naturæ veritate & rheumatiſmi indole.

§. II. Et ſane conſpirat hæc res adeo eximie cum ipſa naturæ veritate, vt ſi vel maxime veteres hoc ipſum tali ſenſu intellexiſſe indubiis documentis probari non poſſet; tamen argumenta idonea omnino præſto ſint, quæ vel ipſos etiam *debuiſſe* ad minimum hoc ita intelligere, imo quolibet vocis ſignificatu, & rerum intuitu, ita *ſumere rheumatiſmi* indolem debuiſſe, exquiſite conuincant. Cum enim non ſolum recentioris æui ſit illa obſeruatio, ſed antiquitatis ingens prærogatiua, quod in genere *humores de loco ad locum moueri* non magis *poſſint*, quam vtique præſentiſſime & vſitatiſſime *ſoleant*. (Manente interim illa vtique recentiori æuo obſeruationis laude, quod talis motus etiam indeſi-

nenter

nenter *continuis progreſſibus* ita fiat.) Non poterat certe commodius inſtrui illa commemoratio TRIVM SVMMORVM GENERVM CAVSSARVM morborum, quam ſi ſecundum *tres generales affectiones humorum*, *quantitatem*, *qualitatem* & *motum*, primo *plethora*, ſecundo *cacochymia*, tertio *rheumatiſmus* aſſignetur: Ita vt ſit ſenſus, ABVNDANTIAM ſanguinis *enormem* producere, vt *cauſſam* principalem, certas morborum ſpecies; QVANTITATEM temeratam alias certas ſpecies; MOTVM denique peculiariter inferentem atque deducentem præter ſolitum, iterum certas ſpecies.

§. III. Confirmat hoc egregie ipſe *Hippocrates* lib. *de priſca Medicina*, in quo, vt alia plura tanquam *ad mentem priſcorum* medicorum ipſe quoque profert, facit nominatim prolixam mentionem *rheumatum* non ſolum *in genere*, ſed in primis inſuper *acrium* humorum, qui ita *fluxu* in partes deferantur, *in ſpecie*: neque ita *rheumata* talia, vt ipſum *morbum*, ſed ſolum vt *cauſſam* (*inſtrumentalem*) *morbi* vnius & alterius ibi nominati, arguit. Interim cum poſteriorum temporum Medici etiam inſignes ſubinde quam maxime morbidas diſpoſitiones, imo vero ſenſationes, animaduerterent in praxi occurrere, quæ qualemcunque illam *ideam*, quam alii affectus, qui ab *Hippocrate* hoc nomine notantur, præ ſe ferunt, ipſi etiam exhiberent; non dubitauerunt, etiam his hoc ipſum *nomen* tribuere, eosque ita *rheumaticos* appellare: imo *rheumatiſmum*, vt peculiarem *ſpeciem* affectus intueri, quæ ſolum *ſchematibus* ludens ſub illis veluti *laruata* Medicis imponat & negotia obiiciat.

Hippocrates iam vt non morbum, ſed vt cauſſam morbi rheuma agnouit. Recentiores vero rheumatiſmum vt peculiarem morbum intuentur.

§. IV. Ego, vti facile quemlibet ſibi vel quidlibet condere atque præfigurare patior, ita vbi tamen & mihi pro virili ſententiam dicere non poteſt interdici; præterea vero rerum ipſarum veritas potius, quam cuiuscunque tandem hominis placita & opiniones totam rem decernere debent, & quidem per recte ſuppeditatas *rationes*: non dubito proinde etiam hac de re aſſerere, quod *rheumatiſmus* non ſolum ipſa appellatione rem maxime *generaliorem* denotet, ſed etiam vera inprimis *diuerſitate* tamen adhuc valde *generaliter* ſe gerat, & longe facilius ibi etiam ſub aliis *ſpecificis* differentiis comprehendendos *affectus* progignat, quam vt ſub ipſius (vt *cauſſæ*, *generaliore*) nomine memorari mereantur. Quemadmodum enim nemo facile quaslibet diuerſorum *locorum*, *temporum*, *apparatuum hæmorrhagias* exhauriet ſolo ſimplici *generali hæmorrhagiæ* hiſtoria & conceptu; tanto minus autem

Rheumatiſmus rem maxime generalem denotat. Motus enim ſuos non ſimpliciter ſeruat, ſed in varia ſchemata pronus aliis morbis generalem influxum ſuppeditat.

ſpecialiores ſingularum hæmorrhagiarum circa ſua propria *loca*, & horum *confinia*, *difficultates*, *conſecutiones*, alibi *nullas*, alibi *ambiguas*, alibi *certas periclitationes generali* de hæmorrhagia conceptu ſatis diſtinguet; ne dum vt viciſſim omnes reliquas *reciproce* ex vnius alicuius indole ſpecifica ſatis explicet: ita valet hoc certe tantundem de *rheumatiſmo*, imo amplius; dum hic non ſimplicius, vt *hæmorrhagiæ*, vel *motus* ſuos ſeruat & exſequitur, vel, vt eædem, *vniformes* magis conatus diutius perſequitur; ſed potius longe facilius in varia *ſchemata* pronus vlterioribus nouorum affectuum geneſibus iam nimio propior exſiſtit, ſub quibus nihil niſi *generalem* influxum, vt loquuntur, ille ſibi retinere & aſſerere poteſt.

Rheumatiſmus reſpondet apparatui hæmorrhagiarum, quas tamen eminus tantum reſpicit.

§. V. Reſpondet itaque, quantum ego aſſequor, *rheumatiſmus* omnino ipſi *hæmorrhagiarum* apparatui, ita vt nihil aliud ſit, quam *diffuſior* quidam ad illas *conniſus*, nondum æque ad ſpecialiſſimum eruptionis *locum* ordinatus, & ordine inſtructus, & ſecundum illum exquiſite inſtitutus & *determinatus*; imo ne quidem, ſi res exacte conſideretur, in illa tali indiuiduorum indole exquiſite ad illum *tendens*, ſed tergiuerſando, quantum ad *ſpecialiſſimum* exitum, *eminus* ſolum tentet, quod vel non liberaliter natura ſperet, vel non poſſit abſoluere.

Hæc congeſtio rheumatica ſæpe latiſſime & per vniuerſum corporis ambitum ſe diffundit: cuius ſenſus cum ſenſu fatigationis & contuſionis plethoricorum conuenit.

§. VI. Tali nempe ratione ſuſcipitur eiusmodi *congeſtio* humorum, non tam directe *ad locum*, vbi verus exitus ſangini pateat; ſed ſolum *circa* illum locum, latiore, imo aliquando ita latiſſimo, ambitu, vt integram aliquam *regionem* corporis, omnino inſignis ambitus, complectatur. Quid? quod talis conſtitutio etiam obſeruetur, ſub qua veluti per totum ambitum corporis huiusmodi contentioſa *diffuſio* oriatur, quæ ſenſus illos vtique inferat & exprimat, quales alias ſimpliciter *plethoricis* obtingunt, quando præter conſuetudinem, ſub reliqua vita otioſiore, corpus aliquando inſolentius commouent, & inprimis ſimul diutius, vt viam longam ambulando: vnde poſtea iterum ad otioſam quietem reuerſi, poſtero die, imo pluribus deinceps diebus, eiusmodi exquiſitum vehementem ſenſum in muſculoſis corporis partibus longe lateque, quin ſubinde etiam vniuerſim experiuntur, qui cum inſignis *contuſionis* pediſſequo dolore maxime coincidit, in eo, quod neque *motum* ſeu agitationem nouam ſine ſenſibili reniſu ferat, nec omnino externum *attactum*, nempe qualemcunque *preſſionis* tenſionem, ſine exquiſito ſenſu moleſto toleret. Huic inquam cum *rheumati-*

maticus ille ſenſus non ſolum re vera quam maxime compar exſiſtat, in tali velut per vniuerſum corpus ſe diffundente rheumatismo; ſed etiam *plethoricis* exquiſite talibus familiaris exſiſtat *ſpontanea* penitus, & ſine occaſine prægreſſæ laborioſæ agitationis, perceptio eximiæ *fatigationis*, tendentis ad minimum & veluti grauantis, vt artum etiam ſolum mouere, proprio ipſorum effato, ipſos pigeat: poteſt inde tanto melius agnoſci *conuenientia* ipſius etiam *rheumatismi* cum euentibus, etiam a ſimpliciore *ſanguinea tenſione* in partes poroſas inſolentius redundante prognatis.

§. VII. Sane vero, ſi hanc ipſam adfectionem cum debita attentione perpendamus, vt illa omnino familiaris eſt hinc inde inter *plethoricos*, vt inquam illi ſecundum *tempeſtatum* mutationes, aut alias *arbitrarias* frigoris & caloris repentinas permutationes, talem ſenſum inſignis *tenſionis*, *preſſionis*, imo ſubinde etiam acrioris adhuc *doloris*, perſentiſcant; non licebit nobis talem pro ſimplici *analogo*, ſed profecto longe verius, pro ipſo *rheumatico* adfectu, reputare.

Imo hic ſenſus plethoricorum non ſimpliciter vt analogus ſenſus rheumatici ſed pro ipſo rheumatico reputandus eſt.

§. VIII. Vnde quidem tanto magis inſiſtimus huic tali *rheumatismi* acceptioni, vt illum quidem in genere accipiamus pro tali *congeſtione* ſanguinis, quæ ad varia loca corporis, inprimis tamen ſanguinis *euacuatoriis* portionibus propinqua, & circum vicina, equidem ſuſcepta, ſed non exquiſite ad hunc effectum proxime obtinendum vltimo directa, hac ratione magis ſolum *latiore ambitu* partem occupet & obſideat, quam ad ipſum *exitum* directe pertendat aut pertingat. Nempe ita quidem *rheumatismus* ſimplicior eſt ipſius etiam *ſanguinis congeſtio* eiusmodi, qua ille ad certa corporis loca ita reſtringitur, vt ibidem *reſtagnando* ſenſationes illas varias moleſtas poſt ſeſe trahat, nempe ante omnia *tenſionis*, *grauitatis*, *preſſionis*; hinc etiam ſub qualicunque *repreſſione* ſeu *contentione motus* voluntarii, aut *ſitus* corporis, aut fortioris *attactus*, acutior ſenſus, qualis poſt *contuſiones* obtingere ſolet: quin denique materialis *diſtenſionis* & *mobilis* adhuc ſuffarctus pediſſequus *calor*, licet leniore gradu, *inflammatorius*, quin etiam *ardor* velut acris.

Rheumatiſmus ſimplex eſt quidem congeſtio ad certa corporis loca, ſed non ad hunc effectum ſuſcepta, vt ad exitum directe pertingat.

§. IX. Ita inquam fieri, & in tali *cauſſali* conſtitutione fundari *rheumatismum ſimplicem*, omnino arbitror; conſentiente ipſa ſimpliciter & ſine præiudiciis inſpecta experientia: dari vero etiam *deteriores* aliquas rheumatismi *ſpecies*, quantumlibet ab *accidentali* magis quam vera eſſentiali conſtitutione, facile conſentio. Hæc aſſertio,

Dantur etiam deteriores rheumatismi ſpecies.

vt recte intelligatur, notanda eſt vtique diuerſitas *materiæ* & *motus* in negotio rheumatiſmi. *Materia* poteſt ſe hic habere ſatis *generaliter*, ſicuti iam de ipſo *ſanguine* notauimus; *motus* autem eſt magis *propria* totius huius negotii vtique *cauſſa*, vtpote a quo totum negotium ſimplicius pendet. Cum nempe rheumatiſmus ſit *motus humorum ad certa loca peculiariter contendens;* adeoque ipſum ῥέειν proprie ſit illud, a quo *rheumatiſmus* dicitur; nempe plus minus adſueſcens humorum *confluxus* ſeu *decubitus ad certa loca:* non eſt proinde, quod de *materiæ* quoque generaliore conſtitutione, aut per accidens etiam *varietate*, multa dubitatio oriri poſſit.

Materia rheumatiſmi non æque propria & determinata craſi circumſcribi debet, quia ex tota ſincera maſſa decubitus fieri ſolet: quamquam acris & tenuis humorum dyſcraſia altius penetrare & acrius adfligere poteſt.

§. X. Eſt itaque nullum dubium, quin etiam *varii* humores *rheumatico* MOTV ad partes varias *ferri*, *dirigi* & *adigi* poſſint; qui tamen cum non per alia peculiaria & propria *ſeceſſionum* genera eo pertingere valeant, quam vno magis ſimplici, *maſſæ ſanguineæ* ad illa loca maiore incubitu & appulſu; quandoquidem etiam qualescunque tandem ita diuerſæ rheumatum materiæ non niſi in *maſſa* tota ſanguinea ſtabulari, & ex hac in alia loca ſecedere poſſunt: diluceſcit hinc affatim, quod equidem *fluidum* vtique eſſe debeat, quicquid *rheumatiſmum* ſubire dici poſſit; interim nulla æque ſimpliciter *propria* atque *determinata craſi* circumſcriptum eſſe vel debeat, vel omnino poſſit, cum & e *promiſcua maſſa* ſeceſſio, & in loca ſpecialiſſimæ *ſequeſtrationi* nihil idonea decubitus totus contingat. Tanto magis autem vtique ſecundum *dyſcraſias accidentales* ſanguinis per in diuidua peculiaris, *materialis* æque atque *occaſionalis*, rheumatiſmi conſtitutio ita obtingere poſſit: vt inquam *reſtagnatio* illa, v. gr. a *tenuiore*, & *acriore* humorum dyſcraſia indiuiduali, & altius partibus impingatur, & acrius illas afficiat atque moleſtiis infeſtet; & occaſionem etiam præbeat, quam ob rem facilius æque atque ſæpius ad eiusmodi conamina exundationum natura concitetur, quod reliqua ſua ſponte ita ſæpe atque promte probabiliſſime minus factura eſſet.

Dyſcraſia humorum rheumatiſmo in genere occaſionem cooriendi præbet;

§. XI. Vere autem præbet ipſi rheumatiſmo *in genere* occaſionem, etiam per ipſa initia magis cooriendi, *dyſcraſia* qualiscunque humorum, qualis quidem etiam illo iam tempore ſepoſitione huiusmodi veluti peculiari affecta atque tractata fuit. Aeque atque a *violatione* partium inducta vel *irritatio* inſignis atque diuturna, vel *teneritudo*

ritudo veluti, atque *ſenſibilitas*, etiam in poſterum magis ſtabilis. *Prioris* exemplum ſiſtunt tam *eryſipelata*, quin etiam *apoſtemata*, ſponte acrius coorta: quam *ſegnes apoſtaſes* febriles, non tam æque ad *articulos* ſtricte dictos, quam potius totus *artus*. *Poſterioris* exemplar exhibent *contuſiones*, *dislocationes*, *fracturæ*, *vlcerationes* diutius manantes, *vulnera* cum grauibus inflammationibus *diu multumque*, antequam curentur, moleſta, *ambuſtiones* non cito & efficaciter reſtitutæ &c. Quæ omnia niſi ita *mature* & potenter ſatis ad veram ſolidam *integritatem* non corporis ſolum, ſeu *texturæ*, ſed quem maxime *roboris* debiti naturalis reuertantur, remanet inde in partibus talis vel *languor* & flacciditas, ad facilius recipiendum, vel *ſenſibilitas* tenerior ad prouocandum illum, de quo ſermo eſt, affluxum.

nec non irritatio a violatione partium inducta.

§. XII. Hi vero tales rheumatismi, nullum vtique eſt dubium, quin & peculiarem indolem præ ſeſe ferant, intuitu nempe magis *materiæ* vtique, quam *formalis* ſuæ rationis, quæ eſt nulla alia, niſi ipſe *motus*: Interim apparet vtique ſimul ſtatim, quod *differentia* tota non tam directe a *forma*, adeoque ſimpliciter *eſſentialis* exſiſtat, quam a *materia*, verius *accidentalis*. Hac quidem ratione fiunt vtique rheumatici tales decubitus ad *varia* plane, & vix non omnia corporis loca, tam *exteriora*, quam *interiora*; tam latiſſimi ambitus, quam exigui.

Differunt rheumatismi tam ratione loci, quam extenſionis.

§. XIII. Ex his autem, qui *latioris* ſunt ambitus, pendent vere certius a *ſinceriore*, *ſimpliciore*, *generali*, *ſanguineo-ſeroſa* materia, & ſincerioribus *ſanguineo-hæmorrhagicis* initiis, nempe *moliminibus*. *Particularia* vero, quamlibet etiam illis aliquando *hæmorrhagiæ* occaſionem præbeant, non ſatis commode ſuccedentes; & hoc inprimis in *interioribus* membris: tamen in *exterioribus* locis familiarius iam dictæ tales etiam aliæ p. n. quin vel *violentæ* plane cauſſæ, hunc eundem effectum producant.

Differunt etiam ratione cauſſæ.

§. XIV. Quemadmodum autem hæ ita ſatis conſpicue agnoſci poſſunt rheumatismorum *cauſſæ*, quatenus illi *vt in ſe* ſpectantur: ita poſtulat certe ſeorſim vlteriorem conſiderationem illa ipſorum conditio, quod tam promte, & fere familiariſſime, *adſueſiant* ſæpius *recurrere*. Hæc præcipue eſt illa circumſtantia, quæ euidentius commendare

Rheumatismi familiariſſime recurrere adſueſcunt, & maiora incommoda conciliant.

dare poteſt *ſanguinis* commotionum in his generibus affectuum præcipuam, vt illam commendauimus, *efficaciam.* Tam ratione *temporum*, quam ratione *occaſionum*, quin quarumlibet circumſtantiarum, quæ alias etiam ſinterius *ſanguineos*, tam ad *hæmorrhagias*, quam *inflammationes*, motus & impetus incitare valent: tam *concaleſaciendo* & *turgeſaciendo* intimius; quam per *externos* ſenſus inæquales eius motus prouocando: imo denique *intentiones* acriores ad ſuſcipiendos motus *excuſſorios* prouocando (quod *animi pathemata* inprimis faciunt.)

Conuenientia hæmorrhagiarum inſolentius adſueſcentium cum rheumatismis talibus.

§. XV. Ex harum enim rerum certe prudente conſideratione diluceſcet, quomodo tam *hæmorrhagiæ* inſolentius *adſueſcentes*, quam *rheumatismi* tales, exquiſitiſſime inter ſe mutuo *conueniant* ratione harum circumſtantiarum, *ætatum*, *anni temporum*, *plethoricæ* conſtitutionis, temporariæ *externæ* aduentitiæ commotionis, temporariæ *durationis*, & promtæ *reuerſionis.* Ante omnia vero eiusmodi ſucceſſionis, vt, quæ alias adſuetæ fuerant *ſanguinis* euacuationes, ſi poſthac negligantur, *rheumatismos* poſt ſe trahant. Et ex aduerſo etiam *hæmorrhagiæ*, inprimis *ſpontaneæ* STATAE, rheumatismis *ſuccedentes*, horum etiam vices in poſterum ita expleant, vt illi ſub harum iuſto ſucceſſu etiam in ſolidum ceſſent.

Effectus rheumatismorum numquam eſt vtilis.

§. XVI. *Effectus* rheumatismorum, & *euentus*, ſi conſiderentur, *effectus* certe nullus vsquam eſt *vtilis.* Cum enim ab *incompletis* moliminibus hæmorrhagicis proficiſcantur *ſimpliciores* & ſinceriores; ſed neque has *exſequantur* aut aſſequantur, neque quidquam perficiant, quod in huiusmodi ſcopi vicem ſuccedere poſſit, nempe *imminutioni ſanguinis* ſatisfacere: non ſperandum inde alium eſſe effectum, præter *incommodiores* illos in ſenſus immediate iniurios, facile eſt hariolari. Sunt autem tales, *ſenſus tenſionis, grauitatis, inquietudinis*, non tam *æſtuantis* ad tactum, quam ſolum *aeris* & *inquieti caloris* magis, quam ardoris: *inflatio* partis, ad *motum* præ eximio ſenſu ineptitudo: tandem, pro diſpoſitionis texturæ & vehementiæ affectus diuerſitate, etiam *rubor* inſolitus, & *inflammationi* ſimilior.

§. XVII.

§. XVII. Comitatur *rheumaticos* inſultus *fortiores* ſubinde quidem, minime tamen ſemper & quoslibet, etiam ita *ſenſibilis* motuum *tonicorum* alternatio, & hanc inſeparabili conſortio concomitans *frigoris & caloris volatica* variatio, vt inde pro *febrili* actu aut effectu ſimpliciter reputari ſoleat. Interim licet *generaliſſimo* ſenſu ita nominari poſſet, *ſpecialioribus* autem febris veris circumſtantiis minime quadret: ſi tamen & totus impetus fiat fortior, & *materia* etiam abundantior conſtituat ſuffarctum: tunc coniungi adeo & *fortiorem*, & *æqualiorem* & *conſtantiorem febrilem* etiam humorum impulſum, certum eſt. Sed non tam, vt ante dicta ratione, *toni* potius, verum ipſius *pulſus* aliter inſtituto modo.

Motuum tonicorum alternatio, & frigoris atque caloris volatica variatio in rheumaticis inſultibus, non debent pro febrili actu reputari.

§. XVIII. *Mitius* autem ſemper, & quouis intuitu *lenius atque leuius*, in rheumatiſmis *externis*, adhuc ſinceris: *Acrius*, in *internis*, quantumlibet ipſis etiam *ſinceris*, ſed tamen *fortioribus*: *Acriter* etiam in *externis phlegmonoideis* rheumatiſmorum euentibus: *Acerrime* vero in ſimilibus, *interiores* corporis partes aggreſſis. Nempe pertinent hæc vtique potius ad *euentus* rheumatiſmorum.

Incommoda hæc ſunt mitiora in rheumatiſmis externis, acriora in internis & externis phlegmonodeis, acerrima in phlegmonodeis internis.

§. XIX. Sunt autem hi duorum generum, ſimplices *directi*, & *indirecti*: illi, qui rheumatiſmos etiam *moderatos* & *ordinatos*, & materia etiam ſinceriore inſtructos, ſequuntur; hi, qui *intemperantes*, & loco etiam alieniore coortos, inſequuntur. Illi ſunt, poſt aliquot dierum incommoda ſenſim iterum obtingens *ſpontanea* lenitio atque remiſſio omnium illorum ſenſibilium incommodorum; aliquando cum *euacuatione* qua tali, aliquando etiam ſine illa.

Euentus duorum generum ſunt, benigniores & peiores.

§. XX. *Euacuatio* vero etiam illa vti nec *materiæ*, quæ tunc prodit, *ſpecie*, nec euacuandi ratione, neque leuaminis proportionato ſucceſſu, veri ſimile reddit, quod illa *qua talis* ſimpliciter & directe effectus illius fomitem conſtituerit: ita vbicunque & qualiſcunque tandem adhuc prodit, facit hoc non *præcipitibus*, *ſimultaneis*, *copioſis* eruptionibus; ſed *placidis*, *lenibus*, imo veluti *lentis*, & omni modo *placidis* ſucceſſibus: & minime omnium inſigniter, nedum exquiſite, *ſtatis* temporibus: re vera nempe potius qualiumcunqe *euentuum*, quam ſinceriorum directorum *effectuum* more. Vnde etiam, quod repeto, & omni modo notandum commendo, minime *conſtanter*, imo ne quidem vt plurimum, ſed re vera potius tanquam *indifferenter* rheumatiſmis *accedunt*, aut *ſuccedunt*.

Euacuatio illa, qualiſcunque ſit, placide ſuccedit.

§. XXI.

Euentus peiores.

§. XXI. *Peiores* autem euentus obtingunt rheumatiſmis neque motus gradu, neque materiæ *quantitate*, nec eiusdem *ſinceritate*, neque loco in quem incidunt, laudabilibus. Sunt hi non ſolum *reſtagnationes* nimio *copioſiores*, ſed tandem etiam vere inflammatoriæ *ſtaſes.* Sed illæ quidem minime omnium in vnum aliquem *nodum* aut *conum* coëuntes, *ſuppuratoriæ apoſtematodes*: ſed potius *in latum* ſeſe diffundentes, ſed ſimul etiam *profundum* comprehendentes, ſtrictiore vocis ſenſu *phlegmonodes*: aut *altiſſime* ad ſuperficiem totius corporis, in ipſam *cutim*, emergentes; aut in partes notabili *profunditate* ſpiſſitudinis deſtitutas acriore contentione incumbentes, *eryſipelatodes.* Illæ quidem re vera minus familiares; hæ magis. Illæ, ſi pertinax ſit & diuturnior *contentio*, (qualis autem eſt in impetuoſioribus & copioſioribus rheumaticis congeſtionibus) etiam periculoſiores, quam hæ: tanto magis in *interioribus* corporis partibus; vbi tamen nec *eryſipelacea* magno periculo caret: maximum vero illud etiam recto gradu ſubit, quando *intempeſtiuis*, aut quoquo modo inconuenientibus *exagitationibus* & impulſibus tam *medicamentorum*, quam *regiminum*, ſuperficiali magis & in latum diffuſæ qualicunque *ſtaſi*, violento *appulſu*, ab intempeſtiuo & præcipiti *impulſu*, etiam in *profundum* inſolentior reſtagnatio, imo reſtitatio, ita conciliatur.

Velox translatio horum affectuum ad interiora periculoſa eſt. Expulſio autem ab interioribus ad exteriora pari effectu non ſuccedit.

§. XXII. Huiusmodi affectuum poteſt equidem euenire, repentina impetuoſa *oppreſſione*, *translatio* velox atque ferox ad *interiora*, vt ibi etiam pari *impetu* congeſtiones hæ exerceantur; ſed tanto periculoſiore ſucceſſu & euentu, dum quolibet intuitu, ita in anguſtiorem locum cogitur materiæ quantitas, qualis illo ferociore impetu correpta fuerat, & tanquam intentione ipſa peculiari comprehenſa. Minime vero pari effectu ſuccedit talium ab interioribus *expulſio ad exteriora*; *primo*, non eadem *ſpecie*; cum tales & *phlegmones* & *eryſipelata*, non hic ſint (ſi quidem vsquam ſunt) ſimplex aliquis directus affectus: nec etiam ſimplex directus, ne dum perpetuus, *effectus* ipſorum rheumatiſmorum, ſed potius male cedentium ſolus *euentus*: vnde non vt *eryſipelas* aut *phlegmone* ad exteriora erumpere poſſet: ſed potius vt *rheuma*; quod ibi facilius ampliorem locum inueniens, vtique potius laxiori diſtributioni, quam eiusmodi denſiori conſtipationi, ab hac ſtaſi, & hinc *inflammationi*, idoneum eſſet. *Secundo*, nec vllo intuitu ita promta atque craſſo modo facilis figuranda eſt huiusmodi rheumaticorum inſultuum *inflammatoriorum* ab *interioribus ad exteriora* expulſio,

intuitu

intuitu neceſſariæ omnino præcedentis *reſolutionis* atque *diſcuſſionis* ex illis locis, quæ nunc ita obſidet. Quandoquidem certe, ſi modo decenter diſcuſſa fuerit ex aliquo loco inflammatoria *ſtaſis*, nemo mortalium exegerit, vt illa *ſincere* alio conuertatur, & ibi nouam ſimilem *ſtaſin abſoluta neceſſitate* formet.

§. XXIII. Sicut enim hoc etiam in *ſuppuratoriis* apoſtematicis inflammationibus ab omni ratione & experientia alienum eſt, dum *ſuppurationi*, ſi *diſcuſſio* ſtaſeos obtineatur, ne locus quidem eſt, ne dum vſus: ita tanto minus habet hoc locum in illis inflammationis generibus, quæ tota ſua indole nusquam ad craſſam *maturationem*, ne dum vllam *corruptionem*, niſi ſimpliciter *per accidens*, tendere debent, aut ſolent, ſed ſimpliciter ad *diſcuſſionem*. Quæ, ſi ſemel vere impetrata ſit, abſurdum ſit, neceſſariam eius nouam *concentrationem* exſpectare, ne dum ſperare aut optare. Tanto magis, cum nec etiam rheumatiſmus, vti talium, de quibus ſermo eſt, inflammationum fomes, vllo modo *translationem* ab vno loco in alterum *ſincere* admittat, ne dum vt *requirat*: Sed abunde contentus ſit vera atque ſincera *diſcuſſione*. Sine qua interim illum fieri non poſſe tranſitum a loco prius obſeſſo ad alium diſſitum, ſimpliciſſima vtique ſana ratio dictat.

Rheumatiſmus, qui inflammationum fomes eſt, translationem ſinceram ab vno loco in alterum non admittit, ſed contentus eſt vera diſcuſſione.

§. XXIV. Quamuis autem ſimplici rheumatiſmo non æque familiare ſit, ſed, ſi quidem vnquam, certe rariſſime ab illo exſpectandum, vt non ſolum *vehemente*, *repentino*, *copioſo* valde atque *prætumido*, ſed etiam *ſtabili* congeſtione in artum aliquem incumbat, quem non ſolum ita occupet, ſed etiam poſthac contumaciſſime obſideat: ſed ſolennius euenire hoc ſoleat a *febrilibus* incommode cedentibus *apoſtaſibus*, crus inprimis vnum ita impetu quodam inflare ſolitis.

Rheumatiſmus ſimplex in artum non ita incumbit, & illum contumaciter obſidet, ſicut apoſtaſes febriles.

§. XXV. Si tamen ſemel ita coorta eiusmodi congeſtio, infarctus, & inflatio, non ſatis mature iterum *diſſoluatur*, ſed *ſtabilis* ſemel ſubſiſtat, fit non ſolum tanquam *arx & vera ſedes*, ad quam rheumaticæ commotiones certum & quaſi iuratum *receptum* habeant, quoties & vndecunque cooriuntur: ſed deprehendetur etiam vel mediocriter attenta animi aduerſione, quod præſente ſemel eiusmodi conſtitutione ipſæ etiam nouæ *commotiones* rheumaticæ longe *promtius*, & ob *leuiores* cauſſas, cooriantur, & iam ita affectis partibus noua ſenſibilia incommoda adferant, quam extra tales *prædiſpoſitiones* fieri, vnquam obſeruatum,

Niſi hic infarctus tempeſtiue diſſoluitur, fit ſedes commotionum rheumaticarum.

 §. XXVI.

Incommoda quæ inde enaſcuntur, perículoſiora ſunt, quia facile febres accedunt, vel relapſus ad interiora contingit.

§. XXVI. Sunt autem illa incommoda augeſcentes *temporariæ* inflationes, maior *ardor*, *rubor*, *vibratilis* & *fremebundus* dolor, cum febrili totius *languore*, imo etiam *calore*, *inquietudine*, *inappetentia*, *agrypnia*, imo concurſantibus etiam *anxiis* circa præcordia *anguſtiis*. Talis conſtitutio multis modis eſt non ſolum contumacior, atque omnibus modis *moleſtior*: ſed etiam periculoſior circa *euentum ſuperuenientium febrium*, quæ his circumſtantiis promtiſſime accedunt. Ante omnia vero nimio periculoſior eſt talis conſtitutio, inprimis autem commotionibus rheumaticis inſuper exacerbata, ne ad *interiora* relabatur, quam quilibet alius ſimplicior rheumatiſmus: tanto magis autem e tali conſtitutione *relapſus* ad interiora nimio periculoſior eſt, cuiuslibet alterius *ſimplicioris* rheumatismi recurſu.

Effectus tragici recurſuum rheumaticorum in quibus partibus formentur.

§. XXVII Formant autem recurſus rheumatismorum in tenerioribus quidem *ætatibus* maxime circa ipſum *caput*, in mediocri circa *pectus*, *diaphragma*, *præcordia*, in vlteriore circa totam *venam portæ* & illi annexa viſcera, tragicos ſuos effectus *conuulſiuos*, *ſuffocatiuos*, *inflammatorios*, *anxios*, *febriles*. Benignius, & inprimis in conſtitutionibus *ſeroſioribus*, per *excretiones* aliquas, non tamen impetuoſas aut *ſimultaneas*, ſed quam maxime *ſucceſſiuas* atque tranquilliores. In quibus proinde ipſis circumſpectiſſimum vtique gerere ſe decet Medicum, ne ſimpliciter *cohibendo* certo grauiora damna inuitet.

MEMBRVM III.
DE INFLAMMATIONE.

§. I.

Quando congeſtio hæmorrhagica ad exitum non pertingit, tunc ſequuntur inde ſtagnationes, & ex his ſtaſes.

SImpliciſſima naturalis ſucceſſio, qua nempe etiam a naturæ priuatæ, animalis, poteſtate ſenſim deſciſcentes materiales corporis conditiones ad *macrocoſmicam* poteſtatem tandem recidunt, conſiſtit vtique in eo progreſſu, vt, dum ſatis iuſti *motus* ad abundantiam humorum minuendam a microcoſmica natura inſtituuntur, ſed ſiue *conſiſtentia* humorum, ſiue *libertate* viarum, ſiue denique ipſius directionis non ſatis exquiſito aut tranquillo atque ordinato regimine adminiſtrantur, non ſolum mitiores atque arctiores, ratione ambitus, contentiones

con-

congeſtoriæ ſequantur, ſed etiam inde latius diffuſæ *ſtagnationes*; quibus *materiæ*, *viarum*, *moræ* nimis diuturnæ vitiis ipſæ tandem detentiones atque *ſtaſes* ſuperueniunt.

Staſis inducitur vel a cauſſis externis.

§. II. *Staſis* ſanguini inducitur vel a cauſſis *externis*, vel cooritur atque ſequitur ab *internis*. *Externæ* ſunt, quæcunque ſanguinem alicubi præter modum coaceruant, legitimum eius progreſſum impedire, adeoque ita, aut præſentiore etiam directa efficacia, *coagulationi* eius anſam præbere poſſunt. Huiusmodi ſunt *meatuum* ſolitorum plenariæ *interceptiones*, *diuulſiones*, inſolitæ violentæ *relaxationes* a *contuſionibus* inductæ: imo violentæ *ſenſationes*, inprimis tamen cum qualicunque violatione *texturæ* concurrentes.

Vel ab internis.

Craſis ſanguinis vitiata raro ſtaſes inducit.

§. III. *Interna* cauſſa, ſi veritatem factorum, dico, non tam quæ fieri *poſſe* videntur, ſed vere fieri ſolere obſeruantur, attendimus, longe rariſſima profecto eſt ſimplex vitium *craſeos* ſanguinis; cuius energia ille ita ad motum debitum minus aptus ſimpliciter deinde paſſim ita *ſubſiſtere* cogatur. Præterquam enim, quod numeroſiſſima ſunt *ſpecierum*, ſed omnino innumerabilia *indiuiduorum*, exempla, in quibus ſecundum omnem reliquam non ſolum opinionem, ſed etiam omnino veritatem, diſpoſitio eiusmodi *ſpiſſa* omnino quam maxime vel agnoſcatur, vel ſupponatur: interim tamen vel nullæ huiusmodi, vel ſane minime *proportionatæ ſtaſes* ſequantur.

Familiarior vero cauſſa eſt congeſtio ſanguinis, eiusque præceps & impetuoſa velocitas, qua ſanguis repente in arctum compellitur.

§. IV. Longe vero familiarior, imo communiſſima interna cauſſa *ſtaſium* eſt ipſa vtique *actiua* magis *congeſtio*, & *contentio* ad hanc conſeruandam: familiarius tamen *impetuoſa* atque præceps congeſtionis *velocitas*. Cuius quidem rei præcipuum documentum exhibent ipſæ *translationes* inprimis ab *exterioribus ad interiora* corporis. Enim vero etiam nulla eſt, rationi quantumlibet ſimplici, euidentior ratio, qua ſucceſſus proportionatus progreſſuum debitorum ſanguinis citius implicari, imo obrui poſſit, quam *repentina* eius *in arctum* compulſio. Quantumlibet enim eiusdem copioſior *appulſus*, ad latiores tamen & maioris ambitus regiones, contingat, diſtenſa ita magna portione, longe facilior fiat diſtributio ex vna vicina parte in alteram, vt ita nulla prorſus & ſimplicius obruatur: Ita contra, quando impetus ad *vnam* aliquam *arctiorem* portionem totus peruenit, nihil ibi fit facilius, quam vt eiusmodi nimia *coaceruatione*, tandem progreſſus vniuerſus impedimentum incurrat.

Sanguis eſt præcipuum inflammationis ſubiectum materiale.
Inflammationis definitio.

§. V. Loquor hucusque de STASI *ſanguinis*, tanquam certiſſimo inflammationis *ſubiecto materiali*, *primo* & *præcipuo*; quandoquidem *æſtus* quidem, imo *ardor* obtingere poteſt, ſine vera completa actuali *ſtaſi*: non vero *inflammatio*. Eſt autem *inflammatio eximius* & *verus* quidem *calor*, *vltra naturalem gradum* in *parte* aliqua corporis coortus, *cum tumore*, *rubore*, *duritie*, & *exquiſitiore* patientis *ſenſu*, inprimis autem qualescunque partis ita affectæ, ſiue a *motu*, ſiue ab *attactu*, vlteriores *tenſiones ſenſui moleſtiſſimas* reddens. Inſidet non alias facilius, ſincerius & fortius partes, quam *ſanguini* ordinarie largiorem *aditum atque tranſitum* præbere ſolitas: inprimis *carnoſas*; deinde *parenchymaticas* dictas; rariſſime *exſangues*, imo nunquam, niſi qualicunque *impetu* aut *vi* inſolitum in illas aditum ſanguis nanciſcatur. Nempe omni modo *ſanguinem* pro *præcipuo materiali* ſubiecto agnoſcit *inflammatio*; vnde in *partes* huic minus patentes, aut *tempora*, quibus ille his non incumbat, minime cadit.

Peculiaris conſideratio, quod inflammatio certo reſpectu ſit infrequens, & contra etiam frequens affectus.

§. VI. *Hiſtoria* totius affectus eſt, qualem modo dedimus, tanquam per modum definitionis. Supereſt autem circa illam circumſtantia, quam in tota *pathologia medica* vtique maximi faciendam, & hucusque aliquoties indicaui, & habet omnino etiam in *inflammatione* meritiſſimam conſiderationem: dico de eo, quod *inflammationes* etiam re vera ſint affectus, in media ſui *frequentia*, tamen, ſi ad potentiam cauſſarum ſuarum referantur, ſatis *infrequens* ſeu *rarus*. Interim ſub hac etiam adhuc *raritate* ita comparatus, vt ſi animus aduertatur ad veras eius peculiares circumſtantias, non deſit tandem *determinatio*, *ſecundum quam rationem inflammatio* ſit *infrequens*, ſecundum quam autem contra *frequens*.

Circumſtantiæ communes, ſpecialiores & ſpecialiſſimæ.

§. VII. Nempe habent in hac conſideratione locum circumſtantiæ, inflammationibus *communes* cum aliis adfectibus, & poſt has, magis ipſis *propriæ*. *Communes* habent cum *hæmorrhagiis*, & ad eas tendentibus ſanguinis *congeſtionibus*. Sunt hæ conſtitutio corporis *ſanguinea*, *plethorica*, vita vel circa *motus* minus moderata, vel aſſumendis *inæqualium* commotionum compotibus rebus indulgens. *Specialiorum* cum ſpecialioribus itidem *hæmorrhagiis* communes cauſſæ ſunt inprimis *ætates*: *ſpecialiſſimæ* vero ſeu *ſpecificæ* inflammationum cauſſæ (*inſtrumentalis*) locum tuetur omnino *congeſtio* ſanguinis *contumax*: ſiue ad aliquam *eruptionem* hæmorrhagicam reſpectans ſeu tendens; quod de *inflammationibus* a cauſſa magis *interna* valet; ſiue

per

per aliquam *externam* occaſionem *prouocata* & inducta. Vnde quidem vere *proxima ſpecialiſſima materialis* cauſſa *phyſica* inflammationis eſt *ſtaſis ſanguinis*: obſeruato interim omnino hoc ſuccedendi ordine, vt cauſſæ illæ *communes congeſtionem*, *congeſtio* tandem *ſtaſin* producat, *ſtaſis inflammationem* prouocet.

§. VIII. Traditis ita *generalibus* inflammationis conditionibus, ſubiungendæ vtique ſunt etiam aliquæ eius *differentiæ*. *Differunt* autem inflammationes primo tota *ſpecie*, ſecundo *gradu* ſolum, atque tertio *loco*. Tota *ſpecie* differunt ab *æſtuationibus* & *ardoribus* tam *febrilibus* vniuerſalibus, quam ſimpliciter *ſtagnatoriis*, magis particularibus. Cum enim, per demonſtrationes in *phyſiologia* exhibitas, ſanguis in corporibus animalibus incaleſcat *motu*; *ſenſus* autem *caloris* æque atque fere aliarum rerum *ſubtilior* augeſcat *tenſione* partium fibroſarum: manifeſtum hinc eſt, vbicunque vel progrediendi *impetus* in partibus augeſcit, vel *viæ*, ſeu potius *fibræ*, (*ſanguinem transmittere ſolitæ*) magis rigide *tenduntur*, quod ibi, illic *actus* hic *ſenſus* caloris, augeſcant. Talis autem conſtitutio eſt vniuerſaliter in *febrilibus* caloribus, in quibus ita *impulſus* totus ſanguinis per ingentia incrementa *pulſus* intenditur. *Particulariter* in *contentis congeſtionibus* ſanguinis, atque inde productis, ſine vera plena actuali *ſtaſi*, etiam *ſtagnationibus* partes rigidius *tendentibus*.

Differentiæ inflammationum.

§. IX. Quæ quidem res, vti ſecundum veram *phyſico-mechanicam* contemplationem eſt ſimpliciſſimæ euidentiæ: ita meretur omnino vere contradiſtingui veris *inflammationibus*, a vera *ſtaſi* pendentibus. Ratio autem differentiæ certiſſima eſt illa, quod vera inflammatio non poſſit *diu* durare, quin vel iterum *diſcutiatur*, adeoque ſatis mature deſinat; vel *corrumpatur*, ſiue *ſuppuratione*, ſiue *ſphacelo*. Ex aduerſo vero, ne quid de *febre* dicamus, *calores* & *ardores* a veris nudis potius *ſtagnationibus congeſtoriis* pendentes ſæpe numero diu durare, & varie iam *remitti*, iam *intendi* poſſint, citra vllum effectum vel in totum *diſcuſſorium*, vel vllatenus verum *corruptorium*.

Ratio differentiæ ardoris inflammatorii ab æſtu febrili & congeſtorio.

Quæ quidem res maximo iure meritoque peritiſſime & notanda venit, & intelligenda, ad euitandas triuiales confuſiones tum ipſarum *rerum*, *ardorum* & *æſtuum* cum veris *inflammationibus*; *ſtagnationum* vero adhuc liberiorum cum veris *ſtaſibus*: tum *opinionum* ſeu theoriarum, quæ cum audiant in *inflammationibus veris* eſſe *ſtaſin*, in *ſtaſi* vero *coagulationem* humorum, confundunt hæc etiam circa *ſtagnationes*, & imponunt inde etiam illis, falſo quidem, neceſſitatem illam, quaſi etiam ita in talibus *ſtagnationibus coagulationes*, & ab illis *obſtru-*

 ctiones

ctiones veræ, ſubeſſent. Sicut etiam re vera hæc falſa ſuppoſitio in ſolidum impedit atque decipit omnem conceptum de vero illo euentu ſimpliciorum eiusmodi *ſtagnationum*, qualitercunque æſtuoſarum; quod nempe familiariter promtæ ſint ad ſubeundas e præſente aliqua ſui ſede *diſceſſiones*, & in nouam aliam *tranſitiones*. Quod quidem, ſi *coagulatio* humorum, & ab illa *obſtructio* meatuum, vere in culpa eſſet, nunquam poſſet fieri, niſi prius coagulatio illa *reſoluta*, atque ita ſuppoſita *obſtructio* ſublata eſſet. Quibus tamen rebus hac ſerie diſpoſitis, ſeu potius ſuppoſitis, ſtatim incumbit ingens illa neceſſariæ nouæ fictionis difficultas, quomodo illa *coagulatio*, cauſſa *obſtructionis* in vno loco, iam correcta atque *diſſoluta*, adeoque illam quidem *obſtructionem*, & conſequenter *ſtaſin*, & ex hypotheſi *inflammationem*, omittens, poſtliminio, & quidem ita *ſtatim*, ad genium antiquum redire, ſanguinem denuo *coagulare*, & alia in parte nouam *ſtaſin* & *inflammationem*, priſtina ſuppoſita etiam *veriorem* atque *ferociorem*, progignere poſſit. Ita nempe pullulant ab vno errore vtique neceſſitate quadam plures, veris factis paſſim diſſoni & nihil quidquam conſentientes.

Ita nempe *æſtus* quidem in partibus poſſunt etiam a *ſtagnationibus* ortum ducere; *inflammationes* autem veræ ſimpliciter ſequuntur actuales *ſtaſes*.

Species inflammationis. §. X. Sunt autem *inflammationis*, ſi ipſarum rerum veritatem conſideremus, *tres ſpecies*: *eryſipelas*, *phlegmone* & *apoſtema*.

Eryſipelas. ERYSIPELAS complectitur vnice ſtaſes *in latum*, cum *profunditate* quam *minima*, diffuſas. Adeoque etiam ad tale concipiendum non tam aptæ ſunt quælibet partes, quam inprimis *membranaceæ* magis texturæ; nempe in *latum* potius, quam in *ſpiſſum* & *profundum* textæ atque diſtributæ. Eo ipſo vero quoniam huiusmodi partes ordinarie *denſioris* ſunt compagis, quæ non tam *craſſiori rubicundo* ſanguini, quam *tenuiori lymphæ* & *ſero* penitiorem profundiorem aditum ordinarie concedat: fit ita, vt tales etiam *ſtaſes*, quando vtique in talia loca incidunt, ſi non longe plurimum, tamen facile plus de *ſero* & *lympha*, quam de ſincero ſtrictæ acceptionis *ſanguine*, ita complectantur.

Phlegmone. §. XI. PHLEGMONE, quamuis apud antiquiſſimos etiam paſſim tanquam pro *genere* toto accipi appareat, nempe *inflammatione ſimpliciter*: monſtrabunt tamen certe, animum vel paulo circumſpectius aduertentibus varia illorum loca etiam illam veram apud illos diuerſitatem acceptionis, quod ſub hoc nomine etiam certam omnino *ſpeciem* complexi ſint. (Aut, ne forte nobis lis moueatur a *Logicis* aut *Metaphyſicis*, ſit vtique *phlegmone* inflammatio *generalior*: non erit tamen ſimplex *genus* philoſophicum, ſed omnino ſpeciebus etiam ita *ſubalterno* reſpectu accenſenda, vt etiam re vera *ſeorſim* exſiſtere & pecu-

peculiares *affectiones* & *effectus* exhibere, quæ in aliis ſpeciebus ita non occurrant, certum ſit. Et hoc quidem adeo, vt *phlegmone*, tali vero atque reali ſenſu accepta, ab *eryſipelate* ne quidem diſtingui poſſet, poſtquam ab illo non niſi ſecundum magis & minus diſcrepare videtur: *eryſipelate* nempe minorem ſolum *ambitum* complectente, *phlegmone* maiorem. Niſi vere *ſubiecto inhæſionis* differret, quod in *phlegmone*, *eryſipelati* contradiſtincto, eſt complexus etiam *profunditate inſigni* gaudens.) Eſt autem hoc ſenſu *phlegmone* inflammatio *in latum & profundum* ita ſimpliciter, & velut *æqualiter* diffuſa, vt equidem *inſignem ambitum* comprehendat; interim ad *maturationem*, ſeu *ſuppurationem*, adeoque *abſceſſionem*, non idonea.

§. XII. Cui itaque tertio loco merito prorſus contradiſtingui- Apoſtema.
tur inflammatio *apoſtematodes*, ſiue ad *ſuppurationem* vtique apta atque nata.

Egi alias in particulari ſchedio de diuerſitate ἀποστάσεως & ἀποστήματος apud *Hippocratem*, iudicioſa diſcretione diſtinguenda; maxime ne confuſio hinc oriatur, ſiue in *pathologia*, ſiue *praxi*, vere *clinice*, & ſecundum rerum veritatem, vti occurrunt, adornanda. Cum enim *apoſtaſes phlegmonodes* aut *eryſipelatodes* ab omni *maturatione* & *abſceſſione*, adeoque ex ipſo loco adfecto ſimplici *eductione*, ſeu *extrorſum euacuatione*, alienæ exſiſtant; adeoque medicationibus ad hunc effectum acrius *impellentibus* re vera in grauia incommoda coniici poſſint: ſeruanda eſt propterea omni modo diſtinctio rerum ipſarum, ita vere diuerſarum.

Non placet æque tanquam peculiarem *ſpeciem* recenſere *gangræ-* Gangræna.
nam, cum ſecundum rei veritatem nihil aliud ſit, quam potius *inflammationis infelicior euentus*: & quidem inprimis *apoſtematicæ*; quamlibet etiam *phlegmonodes male cedens* eidem ſubiaceat.

§. XIII. His ita tanquam ad *hiſtoriam* inflammationis verio- Cauſſæ inflam-
rem præmonſtratis, proximum eſt, vt ſubiiciamus conſiderationem mationum.
ſecundum *cauſſandi* ordinem. *Materialem* cauſſam præbet vtique inflammationi *ſtaſis* ſanguinis, inprimis extra vaſa in *poros* partium late diffuſi: non tamen ita abſolute, quin etiam *in ipſis*, inprimis tenerioribus, *vaſis* comprehenſus omnino quidem inflammationi *anſam* præbeat, ſed impeditioribus ſucceſſibus periculoſis *euentibus* viam ſternat. *Staſium* huiuſmodi *vlteriores* cauſſæ vti vel *exteriores* ſunt, vel magis *internæ*: ita diſponunt tamen *internæ* propius ad *phlegmonodes* ſtaſes, quam *exteriores*, quæ longe plus fauent *apoſtematicis*. Secundum *formalem* ſuam rationem, vt in ſcholis vocant, eſt inflammatio *calor* in

parte

parte affecta *eximie auctus*; non ſolum ad *patientis*, ſed etiam aliorum *tangentium*, ſenſum: ita tamen, vt vtique patienti nimio maior videatur, quam re vera exſiſtat.

Geneſis caloris, ſeu modus fiendi inflammationis.

§. XIV. De huius talis caloris geneſi diſputant fere recentiores. Ab *inteſtino motu ſanguinis* illum pendere ſentiunt omnes: *cuius* autem *ſanguinis*, & vnde *excitatus*, imo potius tam diu *exercitus*, iudicandus ſit hic *motus*, vlterius ita decernunt, vt quidem & *ſanguinem* illum interpretentur de illo ipſo, *ſtaſi* ita detento; motum vero illum *inteſtinum* tribuant *corruptioni*, ſeu, plurium ſenſu & opinione, *fermentationi*, a qua nempe corruptionem iam *ſuppurationis*, iam *ſphaceli*, ſubnaſci monent. Quamuis autem magis ad *phyſicam*, quam ſimpliciter *medicam* conſiderationem pertinere videri poſſit hæc theoria de *modo fiendi* inflammationis: tamen, cum ſub ſe complectatur veram peculiarem indicationem, ſeu quaſi *manuductionem*, quid circa inflammationem *curandam* in animo habere debeat Medicus, circa eius *æſtimationem*, vt ſimpliciter & abſolute *morbidæ*, aut potius certo reſpectu *vtilis*, imo *neceſſariæ*, *actionis* magis quam *paſſionis*; non erit ita æque alienum a noſtro propoſito, hanc etiam rem penitius euoluere.

Dependet hic calor a motu ſanguinis inteſtino, cum progreſſiuo complicato.

§. XV. Affirmo itaque, quod inflammatio ſit vtique *calor*, in parte aliqua corporis præter naturalem *gradum auctus*; & dependeat omnino a *motu inteſtino ſanguinis*, in illa parte magis intenſo. Sed neque ſimpliciter ſit ſanguinis illius, qui *ſtaſi* ibi correptus detinetur: neque ſit ipſe ſimpliciter *inteſtinus*, ſed potius *cum locali* progrediendi augmento complicatus. Tanto minus autem vllatenus ab actu *ſpontaneæ fermentatiuæ agitationis* dependens: ſed potius plane contra, ab *actu*, ad *auertendam* omnem corruptionem non ſolum *aptiſſimo* & *vtiliſſimo*, ſed etiam ſimpliciter *neceſſario*, dependens; adeoque non ſolum contra *recentiorum* mentem non mere, vt illi autumant, *ſimpliciter præter naturam* & *morbidus*, ſed etiam contra *antiquiorum* in hoc genere conſenſum non ſimpliciter *aduentitius*; ſed ipſe vtique potius, eorundem acceptione, *innatus* ſeu *vitalis*: AVCTVS ſolum, minime per aliam aliquam *materiam* concurrentem; nec vſquam, vera vocis acceptione, AB alia quacunque *materia*, aut quoquo tandem ſenſu ſumta, ſubſtantia *peregrina*: ſed ſimpliciter potius ſolum PROPTER eiuſmodi materiam: interim a ſubſtantia, corpori omni modo *interna*, domeſtica, atque propria; nempe illo AGENTE, quod omni-

omnibus vtique in corpore *motibus vitalibus*, aduerſus quarumlibet *corruptionum* energiam decenter adminiſtrandis atque regendis, perpetuam operam præſtat.

§. XVI. Has meas poſitiones ita *probo*. De *ſanguinis* quidem *ſtaſi*, quod talis in omni vera inflammatione præſto ſit, *conſentio* omni modo: (ita tamen, vt circa hanc etiam rem maximopere adhibendam eſſe cenſeam circumſpectam in ipſis factis diiudicationem, an *vera ſtaſis* non ſolum, ſed etiam *coagulatio* vera in ſuſpicionem venire mereatur. Quo intuitu maxime conſiderandam commendo laudatam, *ſimpliciorem* adhuc, *ſtagnatoriam congeſtionem*, licet quantumcunque *pertinacem*; & ab illa formatos *infarctus*, aliquando quidem *eryſipelatodes*: familiarius autem *phlegmonodes*: tam *apoſtaticos* poſt febres, quam *rheumaticos*.) Interim totum illum, qui in inflammationibus ita formari ſolet, *tumorem* ſimpliciter a *ſubſiſtentis* ſanguinis, imo quomodocunque tandem *grumoſi*, infarctu eſſe minime conſentio. Sed potius omni modo a *viuido influxu* & omnino *progreſſu* atque *tranſitu* actuali, & *perpetuo* quidem, *boni* atque *legitimi* ſanguinis: a cuius etiam *viuido* omnino non ſolum *impulſu*, ſed etiam perpetuo *progreſſu* atque *tranſitu*, omni modo pendere arbitror tum illam *inflationem* & *intumeſcentiam* partis affectæ; tum *ruborem* vere viuidum, non niſi a bono atque *florido* ſanguine arceſſendum. (Cum ex aduerſo in *ſphacelo* neque tantus & tam durus atque *viuidus tumor* præſto ſit, ſed vel *flaccida* omnia, ſane *molliora*, aut valde parum *inflata*; vel *œdematoſo* flexili tumori ſimilia: neque *color* vllus *floridus*, ſed potius vel *pallor*, vel *nigredo*, vel ex his duobus oriundus *plumbeus liuor*.)

Probantur hæ poſitiones.

Staſis ſanguinis præſto eſt.

Tumor inflammatorius autem non ab infarctu ſed ab influxu viuidi ſanguinis eſt: vnde etiam rubor eſt.

§. XVII. Hic vegetus *progreſſus* atque *tranſitus* laudabilis omnino adhuc ſanguinis inter *vias* & *meatus*, ab aliis iam actu *coagulatis* portiunculis obſeſſas; imo *iuxta* atque *circum* has ipſas coagulatione veluti *ſemi-ſolidas* ſanguineas particulas, ſecundum leges hydraulicas communes reddit vtique motum tranſitorium *rigidiorem*: (nempe *arctatis* plus ſolito meatibus, manente interim *impulſu* priſtini vigoris. Quod in inflammationibus omnino fit, nec in illis locum habere ſentitur libera illa proportionata *diſtributio* per vicinas partes & meatus; comparente paſſim etiam *viſibili*, aut per *refrigerationis* ſenſum perceptibili, tum *coniugatarum*, tum interdum omnino etiam longe diſſitarum partium, *ſtrictura*: quæ tantum abeſt, vt illi hydraulicæ diſtributioni locum præbeat, vt potius craſſo modo contrarium, tanto ma-

Hic impulſus ſanguinis meatibus ita obſeſſis, motum tranſitorium reddit rigidiorem.

magis autem illud, de quo ego hic loquor, teſtatum imo manifeſtum reddat.)

Rigidior vero motus ſanguinis calorem eius auget.

§. XVIII. Iam vero e *phyſiologicis* meis repeto, quod vtique *rigidior motus* ſanguinis, per vias etiam ipſa arctatione magis *renitentes*, *calorem* eius augeat. Cui rei ex illo eodem dogmate adiicio, quod, cum vtique ſanguis ſtricte dictus ſit prima & longe princeps illa materia, quæ *inteſtino* illo ſui motu, quem per *progreſſum* per tenuiſſimas vias celebrat, adeoque *alliſu* atque *attritu* ad partes *ſolidas* & *fibras rigidas*, *calorem* inprimis concipit; adeoque etiam, licet in ſtatu ſui, *ſoliditati* iam propinquiore, nempe *coagulato*, tamen propter hanc ſui intimiorem, (& ſine dubio a propria ſua intima *mixtione* dependentem) diſpoſitionem ad ſubeundum *calorem*, hic etiam adhuc promtior ſit ad concipiendam impreſſionem *caloris*, a reliquo concalefacto ſanguine, quam ſimplices *fibræ* partium in ſe ſpectatæ: quod, inquam, ita etiam hæc ipſa talis conſtitutio ad *augendum* effectum caloris concurrere poſſit, non ſolum motu ſimpliciter *concalefaciente*, ſed omnino etiam cum ipſo, *materia* ad calorem concipiendum ſpecialiſſime habili, ita omnino concurrentibus.

Veritas progreſſiui motus in inflammationibus ab eius vtilitate & neceſſitate commonſtratur.

§. XIX. Quamuis autem ex hiſce dictis ſatis colligere ſit integrum, quod vtique in *inflammatione actiuus* potius, nempe *progreſſiuus* præſto ſit talis motus ſanguinis intenſior, qui *inteſtinum* illum calefacientem producat, adeoque hic non ab alia ratione, aut vti vulgus loquitur, *a ſe ipſo* cooriatur: placet tamen rem altius repetere, & veritatem huius *progreſſiui* motus in *inflammationibus* etiam ab eius *vtilitate*, imo ſecundum hanc potius *neceſſitate*, commonſtrare. Tenendum itaque ante omnia eſt memori mente *axioma* illud *pathologicum*, ſeu potius *phyſico-chymicum*, quod *ſanguis animalis*, nuda ſibi relicta (non inſignibus *vitalibus progreſſiuis* motionibus interpellata) *corruptione*, ſimpliciter, nude atque directe in *putredinem*, & nihil vsquam aliud, faceſſere poſſit. (Vnde contra omnem phyſico-chymicam veritatem ſunt quælibet eiusmodi opiniones, quaſi ſanguis *coagulatus*, ſibi ita relictus, peculiari quadam, & ſibi maxime propria corruptionis energia, aut formula, in *pus* abire poſſet, aut ſoleret.) Cum vero huiusmodi corruptio, *putredinoſa* inquam, adeo ſumme ſit agilis, vt omnino, niſi ipſi præſentiſſimis quibusuis actibus maxime mature obſiſtatur, illa ſemel præualeſcens vniuerſam œconomiam animalem non ſolum inutilem atque impotentem in futurum, ſed etiam ſubſtantiam

corpo-

corporis in præſens alieniſſimam, & quolibet vocis ſenſu euerſam potius, quam peruerſam reddat: erit profecto propterea ſub illa *conditione*, ſi corpus vtique *non* ſimpliciter *corrumpi* debeat, ſed viuum & *incorruptum* conſeruari, abſolute vtique neceſſarium, vt tales *motus* inſtituantur, & quantum neceſſe eſt, & conuenienter quidem atque decenter omnino, inſtruantur atque exerceantur, quales ad impediendam illam liberam corruptionem ſoli ſatisfacere poſſunt; nempe *locales*, *progreſſiui*, vel abſterſoriæ *diuulſioni*, *abraſioni* atque *diſtractioni* ſuffectari, a quo eiusmodi effectu *ſtaſeos* inflammatoriæ *diſcuſſio* ſequatur; vel ſi hoc non ſuccedat, ad minimum perpetua tali *abſterſione*, *tenuiſſimarum* portionum perpetua præſentiſſima *diſſipatione*, & toto loco *amotione*, libera illa corruptio omni modo ſubigatur: & hac plane potentiſſima, materias actiuiſſimas ſubtrahente variatione *alia* plane *ſpecies* corruptionis, œconomiæ toti animali minus formidabilis, inde reſultet.

Certe exquiſita ratio, quomodo hæc vere fiant, & ſeſe habeant corporaliter, nihil vsquam pertinet ad *medicum* forum, ſed ſimpliciter ad vere *phyſico-mechanicas* conſiderationes. Interim, cum ego etiam non ſine grauibus mei incommodis & faſtidiis abunde expertus ſim, & publica experientia vniuerſalis hoc monſtret, (prouoco enim vt e claſſicis dogmatibus, vsquam receptis, aut approbatis, monſtretur, vbi hoc, quod agito, iam declaratum habeatur,) quod, præ incondita illa & ad ſcientiam ſimpliciter inani *mechanica corpuſculari*, vera *phyſico-chymica* materiarum, & vera *mechanica*, ſeu *machinalis*, *motuum* (*inſtrumentalis* etiam) ratio omnem cogitationem, ne dum conceptum de his rebus diſſuaſerit atque præripuerit: quod me cum bona lectoris ſolertis venia facturum eſſe confido, ſiſtam etiam veram *phyſico-mechanicam* inflammationis rationem, tum quatenus adhuc iterum *diſcuſſionem* aſſequitur, tum *ſuppurationem* producit. *Ratio phyſico-mechanica inflammationis.*

Quando portio aliqua ſanguinis, intra *poros* partium *ſtaſi* deprehenſa, *coagulatur*, tunc nihil certe aliud inde exſpectare licet, niſi *corruptionem* eius ſimpliciter *putridam*. Hæc licet per prima ſui initia ſanguinem *coagulatum* ex illa *denſitate* coaguli iterum ita *diſſoluat*, vt longe *mollior* & *ſemifluidus* euadat; (vnde veterum locutio, *in tabum diffluere*) neque tamen ipſe inde ita *fluxilis* redditur, vt ita per ſe iterum ex illa *ſtaſi* decedere valeat: neque vero *debet*, vera *putredine* affectus, reliquæ humorum maſſæ vllatenus immiſceri. Neque diſceſſu ſuo liberaret propterea partes, in quarum *poris* eo vsque hæſerat; cum illas ſui ipſius *corruptione* iugiter *ſimul* in eandem corruptionem deducat. Vnde certe grauiter hic hallucinatur opinio illa, quæ inflammatorii *caloris* cauſſam in *inteſtino motu ſanguinis*, ita ſtaſi detenti, collocat, cum nullus talis locum habeat, niſi *putredinoſus*: talem autem *diſcuſſioni* adhuc locum relinquere, quæ tamen inflammationibus *Ex ſtaſi coagulatio, ex hac corruptio.*

Corruptioni occurritur per reſtrictionem & preſſionem ſanguinis ad locum affectum.

bus vtique familiaris eſt, nemo temere crediderit. Potius ita conſideranda eſt res, quod, ſicubi eiusmodi *ſtaſis*, imo plane *coagulatio*, euenerit, tunc omnino *neceſſe* ſit his rebus ſubuenire, & in tempore ita occurrere, ne libera illa *corruptio*, tanquam ſibi ſimpliciter relicta, locum inueniat. Hoc non poteſt aliter fieri, niſi per ſolitos *motus vitales*, nempe ſanguinis per ipſam partem obſeſſam perpetuum *progreſſum*, *ſtaſium* & *coagulationum* aduerſarium, & ſubnaſcentium heterogeneitatum & corruptelarum *diſſipatorem*. Mouetur itaque ſanguis non ſolum e *vicinis* atque *coniugatis*, ſed ſubinde etiam oppoſitis, imo toto corporis ambitu, ſi negotium ſit magis ſonticum, per modum reſtrictionis, preſſius ad affectum locum; vnde etiam ſenſim *iuxta* moleculas ſanguineas iam in poris ſubſiſtentes adhuc penetrat; quod autem fieri non poteſt, quin hac ratione ſimul pars ipſa, diſtenſis ita magis poris, *expandatur*, adeoque infletur ſeu *intumeſcat*.

Inde tumor.

Quia vero ille, qui ita *tumefacit*, *impulſu* ſui atque *tranſitu*, ſanguis *bonus* vtique eſt atque *floridus*; ſimulque partes ipſæ expanſæ ita quaſi *tenuiores* redduntur; imo etiam *coagulatus* ſanguis *ſaturatum* colorem format, cui adhuc ſuperaccedens maior quantitas ex nouo appulſu *tincturam* tanto magis auget; reſultat inde vtique ita etiam *color* auctior; vnde pars ita affecta inſigniter *rubet*.

Rubor.

Sicut autem, tam a vegetiore *appulſu*, per *tonicam* directionem, quam *rigidiore* partis ipſius *tenſione*, ſanguis ita fortius in ipſo loco hoc (*priuatim*, ſecundum mechanicam hydraulicam, manente interim *generali* cordis *impulſu* in antiqua formula) tranſit, & ad fibras æque partium, atque ipſas moleculas ſolideſcentes coagulati ſanguinis, ita *alliditur* fortius: fit inde (iuxta *mechanico-phyſicam* rationem in *phyſiologicis* traditam) etiam *caloris* incrementum; nempe omnino a *motu progreſſiuo* ſanguinis, *locali*, qui per modum *attritus* demum, & quidem principaliter ad *rigidas* partium ſolidarum *fibras* atque vias, *inteſtinum* illum fortiorem motum vere *mechanice* concipit. Et ita fit vtique a *motu* ſanguinis vegeto *progreſſiuo*, inflammatorio, etiam auctior *calor*.

Calor.

Hic motus progreſſiuus auctus abradit, diuellit, aufert, diſcutit particulas coagulatas. Craſſæ & inertiores relinquuntur, agiliſſimæ vero ſubtrahuntur & in reliquam maſſam recipiuntur.

Hic ipſe interim ita auctus *progreſſiuus* motus *radit* vtique perpetuo ſui tranſitu etiam *coagulatas* illas particulas; vnde ſi adhuc minus obfirmata ſit *coagulationis* denſitas, vel ipſa etiam *quantitas* corpuſculorum, e ſtaſi non valde copioſa, ſit minoris molis: ſequitur ita detentorum eousque corpuſculorum ſenſim iterum *diuulſio*; imo, a fluido vegete progrediente ſanguine, etiam actualis *ablatio* ex illo ſtaſeos loco, ſeu *diſcuſſio*. Si vero maxime hæ moleculæ coagulati ſanguinis ſint tam *craſſæ*, ſiue magnitudine, ſiue denſitate, ſiue vtraque, vt plena eiusmodi *localis* progreſſiua *diſſolutio* non amplius locum inueniat: fit ita omnino, vt illæ diſſolutionem *intimiorem* ipſius ſuæ *mixtionis* ſenſim ſubeant. Cum autem rationi conſentaneum ſit, partes *mixti* inprimis *tenuiſſimas*, nempe *mobiliſſimas*, ſubituras ita eſſe motum ex omnibus primas: (ſunt autem illæ in ſanguine ita tenuiſſimæ, adeoque *mobiliſſimæ* partes, ipſæ *ſulphureæ*:) fit ita, vt cito, & quaſi per momenta, ſubtractis *tenuiſſimis* particulis, & deſtitutis ſolum *inertioribus*, vera *putredo*, quæ non magis in *reſolutione* ſimpliciter, quam noua ſubtiliore *combinatione* conſiſtit, ſubtractis *agiliſſimis* particulis, ita eneruetur, & liber eius ſucceſſus ita ſimpliciter præoccupetur. Vbi etiam *ſecedentium*

hac

hac ratione *tenuiſſimarum* illarum particularum receptatio in reliquam maſſam humorum nihil ibi tumultus concitare valet; dum adeo *ſenſim* atque *languide* peragitur, vt non niſi quam minima quantitas, vno eodemque tempore, in ſanguinem receptetur: quæ interim, dum plus plusque ſuccedit, alibi, & inprimis per *transſpirationem*, iterum e corpore euacuari poteſt. Ab hoc actu ſequitur ita, ſublatis *tenuiſſimis* partibus, ſolarum *craſſarum* reſtitatio. Cum vero illæ tales tenuiſſimæ particulæ proprie ſint ipſæ *ſulphureæ* dictæ, quæ alias in *mixtione* ſanguinea *coloris* eius rubicundi auctores ſunt: fit ita, vt ſubſtantia, quæ ſic ab iſtis ſubtractis reliqua manet, amiſſo *coloris* principio, *alba* ſolum compareat, nempe PVS. Hoc eſt in poſterum ad ſinceriorem *putredinem* concipiendam longe minus aptum; ſed vnice magis ad *ſalſam* potius, *vlceroſam* indolem magis aptum & procliue. Sicubi vero hic talis *motus progreſſiuus*, *abſtergens*, *auferens*, non ita miniſtratur, ſequitur ſimpliciter & immediate *ſphacelus.* Nempe non ſolum libera atque ſincera *putredo*, ſanguinem, qui ita detentus fuerat, & ſimul portionem eius *continentem*, ſolidam, corrumpens: ſed etiam *fermentali* actiuitate proxima quæque vlterius corripiens, adeoque paruo tempore late ſe diffundens. Hæc eſt tum vera *phyſico-mechanica* ratio inflammationis; tum etiam *efficacia* eius, *vtilis* ad *conſeruationem* reliqui corporis, & partium circumambientium inprimis. Imo, ſiquidem hæc ita fieri *debeant*, & partes illæ ita conſeruari, eſt hæc talis motuum horum tota adminiſtratio etiam *abſolute neceſſaria*, *moraliter* ſeu *finaliter*; minime vero *phyſico-mechanicæ* neceſſitatis, vt aliqui opinantur: ſiquidem *ſphacelus* abunde teſtatur, quod non ſolum *ſtaſis* fieri poſſit, imo *vigere*, ſine *calore*, & reliquis ſinceræ *inflammationis* phænomenis; ſed omnino etiam vera non ſolum, ſed plane ingens & longe grauiſſima *corruptio*, cuius neque ſimilitudo vlla in *inflammatione* ſimplici ſupponi poſſit, aut vsquam locum inuenire.)

Relictæ craſſæ in pus conuertuntur.

Sphacelus.

§. XX. *Effectus* inflammationis *immediatus*, *phyſico-mechanicus*, eſt vel *diſcuſſio* ſtaſeos; vel ſi hoc non æque fieri amplius poſſit, *ſuppuratio*, ſeu in *pus* redactio eiusdem. *Mediatus* effectus, ſano ſenſu magis *moralis*, eſt *præſeruatio* contiguarum partium, imo per conſequentiam totius corporis, a ſimplici *putredinoſa*, præcipiti, vere *irreparabili* & emortuali *corruptione*. *Euentus* eius, ſeu potius *ſuppurationis*, *legitimus* eſt illius vtique *portionis* etiam *ſolidæ*, in cuius poris coagulatus ſanguis hæſerat, vna cum illo, *colliquatio*, adeoque a contiguis partibus adhuc ſanis atque firmis *abſceſſio*. *Malus* autem inflammationis ſucceſſus, ſub ſumma eius adhuc *contentione* atque conniſu impulſus inflammatorii, *gangræna*, *calore*, *colore*, *tumore*, omnia ſumma exhibens. Sin autem omnis *progreſſus* inflammatorii *motus* vere inhibeatur, adeoque inflammatio, manente tamen *cauſſa materiali*, locum aut ſucceſſum non inueniat, præcipiti lapſu ruit res in *ſphacelum.*

Effectus inflammationis.

Euentus.

Gangræna.

Sphacelus.

Dolor inflammationum.

§. XXI. De *dolore* inflammationum, inprimis ad *ſuppurationem* progredientium, comite, *punctorio* ad ſenſum patientium, ſeu *micatorio* quaſi, breuiſſimis dicendum reſtat, quod ille nihil aliud ſit, niſi in partibus ſubtiliſſimis, & tumida *tenſione*, & *calore* auctiore longe magis ſenſibilibus redditis, ſubtilis ſenſus maioris momentaneæ quaſi *vellicatoriæ tenſionis*, quæ per progredientis, ſeu transeuntis in ſingula momenta ſanguinis impreſſionem per ipſum PVLSVM contingit; quod manifeſtum eſt tum ex eo, quod ſenſus ille veluti *compunctionum pulſui arteriarum* ſimpliciter reſpondeat; tum quod eo momento, quo maturatus *abſceſſus aperitur*, adeoque effuſo contento pure *tenſio* illa ceſſat, eodem momento deſinat etiam omnis hic *punctionis* atque *pulſionis* ſenſus.

Si incommoda cum periculo conferuntur, tanta non ſunt, quantum hoc eſt.

§. XXII. Quamuis autem totus hic decurſus inflammationis vsque ad effectum ſui, etiam felicem & optabilem, *incommoda* illa inuoluat non vtique exigua, *caloris*, *doloris*, imo re vera connexi adhuc veri *interni angoris*; (ſiquidem inflammationibus laborantes omni modo nimio plus *inquietos*, *impatientes*, imo ſine vlla vocabuli affectatione re vera *anxios*, quam ad veram rei proportionem, eſſe, notiſſimum eſt;) interim ſi hæc *incommoda* conferantur ad *periculum* illud, tantum & tam certum, vt, niſi hæc operatio adhuc aliquid in contrarium efficiat, nihil niſi *ſummum in hac vita malorum*, *incoërcibilis* & *irreparabilis amiſſio corporis*, exſpectanda ſit: mirum inde eſſe non debet, ſi illud quantumcunque etiam *operoſum* & *oneroſum* tentamen potius ſuſcipiatur & exerceatur, quam nudæ atque ſimplici *corruptioni* & *pleno interitui* libertas relinquatur.

Ex hac conſtitutione Medicus intelligere debet, quid in negotio inflammationis vtile & neceſſarium ſit.

§. XXIII. Hæc eſt itaque vera inflammationis conſtitutio, tam *phyſico-mechanica*, quam etiam *medica*, quæ nempe monſtrare poſſit Medico, quid in toto inflammationis negotio non ſolum ita *vtile*, ſed etiam *neceſſarium* ſit; vt illud non ſublata *materiali* cauſſa nullo modo *impedire*, & ſiue totum *affluxum*, ſiue *calorem directe* oppugnare nullo modo ſit licitum: ſed vnice, quantum in artis poteſtate eſt, materiæ *ſtaſin* expedire, affluxum qualicunque *moderamine* temperare, & denique, ſi *ſuppuratio*, irrita *diſcuſſione*, admittenda fuerit, illius vere *opportuna* tempora obſeruando, iuſto tandem *maturitatis* momento *puris exitum* promouere, & reſidui *mundificationi* operam dare; vt ita tandem *conſolidatio*, tanquam *abſolutiſſimum naturæ opus*, recte ſuccedere, & in ſuo ordine abſolui poſſit.

Inter

Inter plura irritarum phantaſiarum commenta, quibus nudos *mechanicos* motus & actus non ſolum *vitam*, ſed etiam *nutritionem* abſoluere vulgo hodie memorare ſatagunt, tuetur certe non poſtremum locum crudum illud, profecto rude, figmentum de *conſolidationis*, vt loquuntur, *mechanica* methodo. Nempe volunt, eſſe iam omnes ſubtiliſſimas corporis, tam in *fibris* quam in *vaſis*, portiones vlterioribus ſubtiliſſimis ramificationibus ita abunde præmunitas, ſeu potius *præſtructas* quam *inſtructas*, vt quando vtique aliquid de illis dirimatur, præſto iam ſit farrago, ad reſarciendam antiquam ſtructuram abunde (nempe etiam iterum itermque ſuffectura,) quæ adeo in locum eius, quod ita deceſſit, præſentiſſimis ſucceſſibus ſubſtitui poſſit: ſeu potius, aptiore ad rem perplexam ſermone, ſi modo vis illius non rigoroſius exigatur, *ſuccreſcere* ſoleat. Sed quemadmodum vtique ſtatim *a priori* ſummam difficultatem obiicit illud, qua de cauſſa, *phyſica* aut *mechanica*, illa talis *abundantiſſima* diſpoſitio, quam diu corpus illæſum ſeruatur, non in effectum deducatur, ſed ſemper, ſecundum has traditiones, ſolum ad *futuras* neceſſitates, ſed tamen nuda *mechanica* ratione, intacta atque illibata ſeruetur: ita eſt profecto adhuc alienior, & a veris ſimplicibus *mechaniſmis* vsque ad oppoſitum diuerſa, illa *conſolidationis* circumſtantia, quod illa recte fiente pars, quæ læſa fuerat, non magis aut minus, ſed *exquiſite* ſimpliciter in *antiquam*, nempe *ſtructuræ* corporis exquiſite debitam *magnitudinem*, *texturam*, imo totam *figuram*, reſtituatur. Quorum certe vtrumuis, tum quod illud *non fiat*, tum quod hoc *ita* vtique & non aliter *fiat*, a *ſpontaneis mechanicis* euentibus ratione *temporis*, *numeri* & *menſuræ* arceſſere abſolutiſſime nihil aliud ſit, quam illud ſimpliciorum adhuc puerorum, qui de damno aliquo dato arguentibus proteſtantur, es ſeye ſelber ſo geworden. Vt de ſtructuris ſecundum abſolutas *fictiones mentis*, *næuis* inquam *maternis*, nihil huc repetamus.

Conſolidationis mechanica methodus.

MEMBRVM IV.

DE DOLORIBVS.

§. I.

DOLORES, niſi qui ſimpliciter ab *externis* cauſſis excitati fuerunt, communiſſime quidem vel ab *actibus*, vel ab *effectibus* CONGESTORIIS pendere, non poteſt animum decenter adhibentibus in obſcuro eſſe.

Dolorum variæ denominationes.

Sunt

Sunt autem *dolores* vel admodum euidenter *ſenſibiles*, adeoque craſſis etiam *nominibus* aut *ſimilitudinibus* iudicandi: vel ſenſibiles quantumlibet, tamen *nomine*, rem exquiſite notante, veluti deſtituti.

Prioris generis ſunt dolor *vrens* vero *calore*; dolor *ardens*, non magis voce, quam omnino ſenſatione *æquiuoca* qualis *eroſionibus* ſalinis formari ſolet; dolor *rodens*, nempe *pruriginoſus*. (Quas nempe res etiam ſolertiores e noſtris *Germanis* ſatis diſtinguere ſciunt expresſionibus: es hitze, es brenne wie Feuer, es beiſſe wie Saltz, es freſſe, jücke ꝛc.) Porro, dolor *compunctionis* ſeu *lancinationis* ſenſum exprimens, *duplex*, & ſane *diuerſus*; *pulſui* reſpondens, iterum *duplex*, vel (1) in *ſingulos* pulſus emicans, adeoque *continuus*, vel ſub agitationibus ſolum aliquoties acerbitatem ſuam exſerens (qualis interdum in *capite*, dum illud *agitatur*, aut *concutitur*, ſeſe offert;) (2) citra *pulſus* ſiue *ordinem*, ſiue *proportionem*, *ſingulatim* veluti *perreptans*, non *continuus*, ſed vagus, & ipſo etiam impetu *inæqualis*.

Dolor *mordicans*, manifeſtiore *ſpaſtico* ſeu *conuellente* repentino impetu percellens, (qualis *breuiſſimis* & *pauciſſimis* morſibus in *inteſtino recto*, circa ipſum eius *exitum*, tam ſenſibilis, vt ægros etiam veluti *ſyncoptica* quadam perturbatione percellat, interdum occurrit.)

Dolor *tendens*, imo *contendens*; tum *volubilis* veluti, tum *fixior*; ille *torminoſus*, hic tanquam *ruptorius* (quales in *colicis* ſubinde occurrunt.)

Dolor *grauatiuus*, quem Germani noſtri exprimunt: es ſeye, als wann ihnen ein Stein im Vor-oder Hinter-Haupt, im Magen, in denen Lenden, ein Centner auf der Bruſt, ein Pflock im Creutz ſtecke oder liege: die Schenckel ſeyen ihnen bleyſchwer ꝛc.

Senſus imo dolor *gelidus*, in *vertice* inprimis; rarius paulo in *lumbis*.

Verſatiles illos dolores, *acres* & importunos, non tam verbis, inprimis *latinis*, exprimere eſt integrum, quos Germani noſtri eloquuntur, iam de *ſuppuratoriis*, iam de *arthriticis*, iam qualitercunque *rheumaticis* vehementioribus ſenſationibus, es ziehe, zerre, reiſſe, werde ihnen das Glied noch zu Schanden reiſſen, fahre wie Meſſer gegen einander, fechte, wüte und tobe ꝛc.

Ad hunc cenſum pertinet etiam dolor *terebrans* venereorum, oſſa ipſa, inprimis cranium obſidentium *vlcerum*.

Ita etiam ſenſus tanquam CRVDI *vulneris* aut *vlceris*, tactu irritati: quod exprimunt, es ſeye, wie gantz rohe, wie rohe Fleiſch, brenne und beiſſe und nage wie ein offener Schade ꝛc.

§. II. Ex *innominatis*, & qualicunque ſolum *ſimilitudine* notatis magis quam notis, ſunt ſine dubio præcipui *duo* illi, quorum iam antiquiſſimi mentionem faciunt atque nomina proferunt, ὀστεόκοπος & ἑλκώδης. Hic quidem ἑλκώδης, vti tanquam medio loco eſſe poteſt inter illum modo nominatum, tanquam *vlceris* aut *vulneris crudi*, & ſimpliciorem, vti non immerito mihi videor appellare, *contuſorium*; qui nempe ſimilitudinem refert ſenſationis eiusmodi, qualis a *contuſione*, quin etiam acriore agitatione partium carnoſarum, ſuccedere ſolet: ita eſt vtique ſatis certum, quod hæc poſterior ſenſatio, & *ſpecie* & *numero*, longe familiarius occurrat ipſis exemplis, quam illa altera. Specimen eius familiariſſimum eſt a *minus conſueto*, *fortiore* aut *diuturniore* motu corporis, poſt quem ita familiariter proximo vno aut altero die partes muſculoſæ tam exquiſito, & moleſtiſſimo illo quidem, ſenſu laborant, vt etiam tactu nudo non aliter doleant, quam ſi *contuſione* a re quacunque dura pars percuſſa fuiſſet: vnde etiam Germani noſtri expreſſionibus illis rem eloquuntur, es thue ſo wehe, wie Blutſchwären, daß ſie kaum darauf greiffen dürffen: mitius, als wann ſie geprügelt wären: mitiſſime, es ſey alles an ihnen erſchlagen: & licet nullam exactiorem deſcriptionem ſpeciei ſenſationis exhibere poſſint, tamen generali nomine & aſſerto, es thue ihnen eben alles wehe. Innominati dolores. Helcodes.

§. III. Ὀστεόκοπος autem ille dolor ſolum magis tanquam *intimæ fatigationis* ſenſum exprimit, *grauitati*, tanquam *ponderis*, & *tenſioni* propinquiorem. *Nomen* autem, vt ab oſſe deſumtum, tuetur illo, quod patientes eiusmodi re vera expreſſione tali vti ſoleant, vt intimam quandam laſſitudinem enuncient, tanquam ad *medullam*, ſeu intimam non ſolum membrorum, ſed omnino oſſium profunditatem, penetrantem. Eſt huius comes *inquietudo* veluti perpetua patientium, vt ſitum vnum non diu quieti ſeruare valeant, ſed qualicunque motitatione veras illas *tenſiones* moleſtas in partibus tantiſper expedire laborent, donec iterum ſeruata aliquandiu mora *tenſio* illa, denuo velut *obrigeſcens*, nouum eiusmodi *motum* ad iſtam alterandam ſuadeat. Oſteocopos.

Fremitus.

§. IV. Ad hos *innominatos* dolores poteſt etiam referri ille pariter inſignis ſubinde *inquietudinis* autor, *fremitus* in partibus mollibus; quem acrius coortum, etiam vocabulo ipſo paſſim eloquuntur, **es ſumme ihnen in den Gliedern**: alii vero, quod etiam latine imitari ſuſceperunt ſcriptores, **es lauffe, kriebele ihnen in denen Gliedern wie Ameiſen.** Reliqui etiam tales *palpitatorii* ſenſus, inprimis a *conuulſiuis* motibus interdum pendentes, licet exquiſitos dolores non æque forment, exagitant tamen patientes familiariter *inquietudine* inſigni, quæ non ſolum *ſomnum* ipſis eripiat, ſed etiam *vigiles* multiplici *tædio* non ſolum, ſed etiam tentaminibus illis per varias *mutationes ſitus* ſibi conſulendi, occaſionem præbeat; qua nihil niſi verior *fatigatio* atque *laſſitudo*, cum *animi* inſuper *impatientia* & *faſtidio*, inducitur.

Palpitatorii ſenſus.

Dolores vel a congeſtionibus excitantur.

§. V. Diximus iam in ipſo initio huius capitis, quod *dolores congeſtionibus* inprimis veſtigia legere ſoleant; quod tanto magis præſente loco confirmamus, dum dolores vel AB ipſa *congeſtione*, vel PER & PROPTER congeſtionem cooriri aſſeueramus. AB ipſa congeſtione excitantur vel, vt in ſcholis loquuntur, *materialiter*, nempe a *materia* congeſta; vel *formaliter*, ab ipſo *actu* congeſtionis. *Materia* congeſta ſiue *ſtagnans* intelligenda eſt, ſiue plane *ſubſiſtens*, eoque ipſo *corruptionibus* facile & varie alteranda. *Stagnatione* ſimplici, nempe procedente tamen adhuc progreſſu, ſub ipſa ſolum *mora*, donec tranſit, format *materia* talis *calores*, *ardores*, *pruritus*: *ſtaſibus* autem & *corruptionibus*, & hæc omnia *acrius*, & inſuper ſenſum etiam *roſionum*, intolerabilium *ardorum*, & tandem cum veris actualibus *effectibus roſionis*, etiam acerrimas crudæ *vlcerationis* perceptiones. A *congeſtione* formaliter pendent inprimis *ſenſus infarctuum*, & inde pendentes *tenſionis* variorum graduum, & *grauitatis* ſenſus: imo tum *frigoris*, tum *ſtuporis* effectus, cum ſubſequente *fremebundo* illo ſenſu, quem vulgus exprimit *obdormiuiſſe* partem.

Vel propter congeſtiones oriuntur.

§. VI. PER & PROPTER congeſtiones oriuntur *dolores*, dum mediantibus prædictis *tenſiuis*, aut etiam *acribus*, materiæ congeſtæ effectibus, concurrente inprimis indiuiduorum illa inſigni *ſenſibilitate*, quin etiam *actiuitate*, congeſtionibus deſtinatos effectus perſequendi, peculiaris *conniſus* ſuſcipitur, ad *effectum* congeſtionis vel perpetrandum, vel a moleſto ſenſu hinc enato qualemcunque *eliſionem*

per-

peragendum. Hinc oriuntur *contentioſi* illi motus *ſpaſtici*, inprimis *teneriores*, per FIBRAS magis *ſingulares*, quam totos *plexus* quamlibet hi quoque tandem correpti dolorificis effectibus non careant. A talibus pendent *acutiores* ſenſationes tam *puncturarum* atque *lancinationum*, quam *vellicationum*, *tractionum*, *torſionum* variarum: imo quarumlibet *fremebundarum*, *palpitatoriarum vibrationum*.

§. VII. Cæterum, vti ſuis locis de *motibus* dicetur, eſt et iam huiusmodi *dolorum* ea indoles, vt non ſimpliciter & abſolutiſſime perpetuo euidentes *congeſtiones*, earumque *proportiones* iuſtas, ſequantur: ſed *adſuetudine* ad illam motuum *promtitudinem* deducantur, vt etiam poſthac propter longe *leuiores* occaſiones denuo ſuſcipiantur; & quidem non tam æque propter *materias*, quam ſimplices *motuum* magis directas *prouocationes*, quales a *patheticis* concitationibus ſequi ſolent. Interim eſt vtique illud certum, quod *regulariter* & *originaliter* etiam illi *dolores* certius ſequantur *congeſtiones*: Ad quarum cenſum, inprimis *dolorum* intuitu, pertinent omnino etiam maximopere collectiones tales atque ſtaſes, quæ ab *externa* vi, *contuſionibus*, *vnitatis* ſolutionibus, ſenſibiliſſimis *irritationibus*, *ambuſtionibus*, *congelationibus* &c. ortum ducunt.

Dolores ſæpe adſuetudine ad illam promtitudinem deducuntur.

§. VIII. Vbi breuiter de *irritatione*, placet adhuc attingere ſenſum illum, quando *leuior* eſt, equidem ridiculum, interim & eo ipſo moleſtum; ſi vero grauior fiat, etiam *conuulſionum* prouocandarum compotem, & medio impetu, ad minimum tanquam *laſſitudinem* aliquam poſt ſe relinquentem, *titillationis*. Non autem operæ duco pretium circa huius rei vllam theoriam occupari, cum inprimis non tam ad præſentem claſſem *dolorum* vllo iure pertineat, quam potius a conſecutionibus ſuis, plus minus *conuulſiuis*, ad *motuum* potius anomalias referenda videatur.

Titillationis ſenſus.

§. IX. Ceterum, vti *cauſſa* dolorum præcipue reſidere videtur, vel in acuta *tenſione*, vel inſigniter aucto *calore*, vel vera & ſine omni tropo ſalina *acredine*, *rodente*: ita eſt vtique ſatis manifeſtum, quod acerrima omnium ſpecies, & maxime variabilis mereatur haberi illa, quæ a *tenſionum* energia originem ducit. Cum enim hæ, præter illas quæ etiam vero infarctu nituntur, etiam nuda atque ſimplici *tractionis* facili *intenſione* & *variatione* promte *augeſcere*, aut ad minimum *alterari* poſſint; fit inde, vt tales maxime dolores inſolitam aliis *violentiam*, *acerbitatem*, & inprimis *inuadendi* atque *inſultandi* proteruiam,

Cauſſa dolorum.

exhibeant. Interim tamen etiam facile concipi poteſt, quod illi quoque dolores, quos *infarctus* alicuius materiæ, ſibras *diſtendentis*, producit, grauiter etiam exacerbari poſſint *tenſionis actiuæ*, aduerſus illam *extenſionem* obnitentis, quantalibet intenſione. Quæ ſane res præcipuum locum habet in exquiſitiſſimis illis *colicorum* dolorum ſenſationibus, qualibus veluti *diſrumpi* ſibi inteſtina ægri proclament: non aliunde, niſi quod ſuper duriſſima ſcybala, aut flatum etiam ſimplicem incluſum, inteſtinum *actiua* tali tenſione, tanquam *conſtrictoria*, acerrime trahatur. Sicut interim dolorum, a *tenſione* partium exquiſitiſſime ingraueſcentium, ſpecimen eſt notorium in tenſione corporum mediante *tortura*: cuius quidem interuentu etiam alios acres *ſpaſticos ſubtiles* dolores, nempe *podagricos*, etiam penitus exſtirpatos fuiſſe exemplis conſideratu dignis commemorat *Hildanus*.

Cauſſæ remotiores & occaſionales.

§. X. Inter *remotiores*, & quas *occaſionales* vocant dolorum *cauſſas*, facile in mentem veniet numerandas eſſe illas res, quæ *materiali* quadam corporea efficacia ſiue *infarctui*, ſiue *diſtenſioni* occaſionem præbere poſſint. Minime vero leuioris efficaciæ ſunt tales, quæ vel *ſenſus* irritare, vel motus veluti magis *immediate* incitare valent: vnde multum hic poſſunt, non ſolum *caloris* immoderatioris, ſed omnino etiam *frigoris* inſultus. Dico *inſultus*: quandoquidem eiusmodi *repentini* horum generum impetus re vera longe plus poſſunt in hoc genere, quam *diuturniores*, ſed aditu ipſo *leniores*, & gradu vltimo non penitus enormes, harum rerum ſenſus. Dum interim etiam ſatis leuis, inprimis *humidi*, *frigoris* talis *inuaſio*, ſenſus *cito* percellens, ſæpe numero ſufficit, ad acerbiorum *motuum* ſubtilium, ſenſus interim maxime adficientium, ſucceſſum. Et hæc potius *frigoris* vix effatu digni, quam *caloris*, moleſta, in ſenſus immediata, moleſtiſſima vero per *motus* (ſed e *ſenſu*) mediatā efficacia eſt omnino conſideratu maxime digna.

Effectus dolorum.

§. XI. *Effectus* dolorum, perpetui quidem atque *directi*, ſunt *inquietudines* patientium, tam reliquo corpore, inprimis autem parte propius adfecta; quam *ſenſuum*: imo vel ipſius *animi*. *Primorum* conſecutio eſt varia corporis *iactatio*, & frequentior *ſitus mutatio*: vnde plebis Germanæ locutio, qua tales per ſitus mutationem dolorum ſedandorum tentationes exprimit, Heylſtätten ſuchen. *ſecundi*

in *ſenſus*, effectus conſecutio generalior eſt ſomni impotentia, & vigiliæ. *Tertii* conſecutio vlterior eſt tum *impatientia* multiplex, tum *mala ſpes* de ſucceſſu & exitu totius negotii, & inde ſubnaſcentes varii *timores*, *terrores* atque *perturbationes*, mirifice paſſim exacuentes reliquum affectus impetum.

Interim tamen neque illud prudente conſideratione indignum eſt, quod quantiuis etiam, & inprimis acerrimi quilibet *dolores*, ſimpliciores, & veluti *qua tales*, perturbationem illam *meticuloſam*, animi veluti deſpondendi, & de ſalutari exitu minus animoſe ſperandi, longe minus familiariter ſecum ferant; imo verius rem eloquendo, ab iis prorſus alieniores ſint; nudam vero *impatientiam* maiorem concilient. Sed in eiusmodi affectibus, in quibus equidem *doloris ſenſus*, tanta perturbatione atque *ſpei deiectione* dignus, nullus exſiſtat; interim *periclitatio* corporis per reliquos ſucceſſus, imo veram phyſicam *efficaciam* cauſſarum, non ſolum ſit vera, ſed, quod omnis contemplationis ſupremam ἀκρίβειαν poſtulat, etiam adhuc *futura* magis, quam vere iam præſens: ibi maxima occurrere ſoleat & *anxietas* & *ſpei* lapſus. Cuius rei maxime conſpicua conſectaria ſunt, circa negotium vitale *ingentes* & maxime *repentinæ virium deiectiones*, imo *lipothymiæ*, etiam in non adſuetis; in negotio vero *rationali* tum dicta *animi* atque *ſpei proiectio*, tum *ſomnia terrifica* & *anxia*, tum denique *deliria*, circa *euaſionem periculi*, aut *profectionem* tanquam ex aliena domo atque diuerticulo in propriam, occupata, cum *obliuione* etiam præſentium, non ſolum *notiſſimorum*, ſed etiam *cariſſimorum*. Qualia tum in *febrius acutis*, ad funeſtum exitum procedentibus, tum in *ſphacelo*, notiſſima ſunt.

§. XII. *Euentus* dolorum, qui nempe non tam æque perpetuo & *indubie*, *ſemper* & omnibus ita affectis eueniunt, ſunt *debilitationes inſignes*; *ſpaſmi* exquiſiti *noui*, imo *conuulſiones*: poſt *diutinas*, inprimis concurrentes huiusmodi etiam *ſpaſticas* dolorum acerbitates, etiam *paralytodes* membrorum eneruationes; *atrophiæ* eorundem, & *ariduræ*, imo *contracturæ*. Vnde Germanis noſtris familiaris eſt illa locutio, der groſſe Schmertz habe das Glied gantz zu Schanden geriſſen. (Vnde etiam a grauiſſimis *hemicraniis*, *oculum* eius lateris vehementiſſime afficientibus, primo *guttam ſerenam* ſecutam eſſe, quæ ſenſim in *catarractam*, & quidem citiſſime indureſcentem, tranſierit, teſtatum fecit iterata triſtis miſeris patientibus experientia.) Euentus dolorum.

Dentium dolores.

§. XIII. Quantumlibet autem hucusque mentionem præcipue fecerim partium *fibroſarum*, tanquam exquiſitum *doloris* ſubiectum conſtituentium: eſt tamen peculiaris in hoc genere indolis *dentium* textura; vtpote qui non ſolum in *radice* ſua, vt appellant, nempe *neruoſo-fibroſa* ſubſtantia magis immediate, certiſſimum & exquiſitisſimum ſenſum percipiunt, ſed etiam vere per ipſam *oſſeam* ſui ſubſtantiam exquiſita ſenſatione non carent, *confractorum* dentium exemplo, quos ſubinde nudus linguæ attactus grauiſſime percellit. Interim non habent hunc eximium ſenſum *ordinarie*; ſed peculiari demum *intenſione* perceptionis, ipſa quoque veriſimiliter in *neruoſo-fibroſarum* illarum propaginum maiore ſuſcepta tenſione fundata: niſi quod ab *acidis* fortioribus etiam ita ſenſibiles reddantur, per firmam quoque ſui ſubſtantiam, dentes, vt etiam per plures horas peculiaris eorundem inſignis, & moleſtiſſima certe, ſenſatio, quam *hæmodiam* vocant, Germani, die Zähne ſeyen ſtumpff oder verſchlagen, inde ſequatur. Neque vero ignota eſt etiam illa dentium ſenſibilitas, *horridum* quiddam late per corporis habitum diſcurrens poſt ſe trahens, quando inter maſticandum *granum arenæ* fortius terendo confringitur. Conſiderantibus tamen rem exactius diluceſcit propemodum, quod vniuerſi illi ſenſus, qui per ſubſtantiam dentium cooriri percipiuntur, maxime *frigoris*, aut *caloris*, aut *fremitus* cuiusdam modo atque motu ſuſcitentur.

Clauorum dolores.

§. XIV. De reliquo tam in *dentium* exquiſitioribus doloribus, quam ipſorum *clauorum* in digitis pedum, *ſpaſticum* aliquid, per partes molles coniugatas, concurrere, ſatis manifeſtum eſt ex eo, quod etiam *clauorum* horum dolores non ſolum alias varie iam *intendantur*, iam *remittantur*; ſed inprimis *tempeſtatum* mutationes (& quidem nondum ad craſſum ſenſum *factas*, ſed demum *obrepentes* velvti) intenſione, etiam ad ſenium *ſpaſtica, tractoria* inquam, *vibratili*, ſequantur. Sed de his ſatis.

PAR-

PARTIS II.
SECTIO III.
DE
MOTIBVS IN CORPORE PRAETER NATVRAM AFFECTIS.

§. I.

MOTVS VITALES æque atque animales vti ante omnia ſupponunt ſufficiens *robur* in ipſa parte; quod, quia in certa *tenſione* conſiſtit, propterea *tonum* appellare ſoleo: ita cum hæc etiam ipſa adhuc *tenſio* non ſeruet vnum eundemque rigidum *gradum*, ſed potius & poſſit & ſoleat variari, & hoc quidem non tam in dies, imo ne quidem in horas, ſed vel in momenta quælibet promtis exemplis: nomino propterea omni iure, & maximo merito, MOTVM *tonicum*. Imo, adeo potius vniuerſum hoc negotium, perpetua *motoria actione* ſubnixum, appello propterea, propter *actum* inquam ipſum, *motum tonicum*. Tonus & motus tonicus, vnde & cur ita appelletur.

§. II. Huius æque *motus*, atque omnium aliorum, conſideranda venit iuſta *proportio* ad illos *vſus* ſeu *fines*, quibus *deſtinantur*; vt conuenienter proportionato *gradu*, conueniente *temporis* ambitu, exquiſita *directione* ratione *termini per quem* & *ad quem*, imo paſſim peculiari etiam *methodo*, in certas *periodos* ita diſtributa, vt interpoſita etiam *quiete* peculiaribus circuitibus etiam *reuertantur*. Huius motus proportio ad vſus ſeu deſtinatos fines. Secundum has circumſtantias mutantur hi *motus* ita præter naturam, vt, qui *tacite* fieri debebant, aut certe *placide*, *impetu* minime conueniente exerceantur; aut contra, quos *vegete* adminiſtrari decebat, *languide* ſuccedant: qui *cito*, *promte*, *breuiore* temporis menſura, fieri debebant, *negligantur*, *ſegniter* & *otioſe* adminiſtrentur; aut *contra*, *præcipitanter*, *præmature*, inſtruantur, qui certam relationem ad tempus ſeruare debuerant: qui propter certos *vſus* atque *fines* inſtitui debebant, illi iam ſine omni, aut ſane ſine *iuſto*, talium reſpectu, tanquam *temere*, inſtituantur; imo, contra conſuetos *vſus* inſtruantur: qui per decentia peculia-

culiaria *organa* æque atque *loca*, certis *materiis* ad certum etiam *locum* ducendis, inſeruire debebant, illi per *alia organa*, *per* & *ad aliena loca* adornentur: imo denique iuſtas *diſtributiones* tam *ambitus*, quam *reditus omittant*, *confundant*, amittant.

Vitia gradus excedentis & intenſiones motus tonici.

§. III. *Gradus* excedentis conſpicua magis vitia vti facile dignoſcuntur in *ſpaſmis*, *palpitatioibus*, *tremoribus*, *conuulſionibus*; aut in *defectu*, in *paralyticis* motuum defectibus: ita meliorem vtique attentionem æque, atque prudentiorem conſiderationem, merentur minus in craſſum ſenſum impingentes huiusmodi intenſiones *tonici motus*; quibus equidem effectus ſatis conſpicui *motorii* abſoluuntur: interim *actio* ipſa, licet *contemplationi* ſtatim ſimpliciſſimo greſſu obuia, *oculis* tamen nudis immediate minus ſeſe offert. Huiusmodi motus tonici *actio* offert ſe inprimis in variis *horripilatoriis*, imo *horridis* atque *rigidis* denſationibus tum vniuerſi habitus corporis, tum portionum eius peculiarium, iam maiorum, iam minorum etiam. Imo, ſicut alii horum talium motuum tandem ad veras *concuſſiones* horrido-tremulas progrediuntur, vt in *febrilibus* inſultibus; ita procedunt etiam alii illorum tandem ad *contracturas* rigidas, & exquiſite *ſtringentes* atque denſantes illas, quas complectuntur, partes, vt illæ inde non ſolum totæ *exſuccæ* appareant, ſed etiam plus minus vere *rigidæ*: quale quid *podagricis*, minus ſpongioſæ diffuſæ conſtitutionis, ordinarium eſt, quando ſubtiles *vellicationes* in fibris ſingularibus acerrime ſenſibiles, tandem in totum complexum muſculorum æqualiter diffuſi *acutum* illum ſenſum equidem dimittunt, ſed *rigidum* ſolum in iſtius locum ſubſtituunt.

Specialis effectus motus tonici, qui clandeſtinas tenſiones format, & inquieti doloris auctor eſt.

§. IV. Minime vero in hoc genere præterire licet illum effectum, *tacite* quidem, quantum ad *actionem*, contingentem, interim tam *tactui* patientis, quam *viſui* adſpicientium quadantenus obuium, qui *clandeſtinas* quaſi tenſiones in partibus corporis paſſim format. Quæ auctores ſunt querelarum illarum, & *inquietudinum*, vnius *ſitus* diu ſeruandi impatientiæ, quin denique vel manifeſtius nominandi *doloris inquieti*, de quo ſupra dictum, & patientes enunciant, es thue ihnen alles weh, ſie wiſſen ſich vor Müdigkeit nicht zu laſſen, die Glieder ſeyen ihnen bleyſchwer ꝛc. Adſpicientes autem ita etiam ſubinde derepente tanquam *extenuatos* penitus & exſuccos conſpicientes huiusmodi patientes, non ſine peioris omnis præſagio, mirantur, ſie ſehen ſo trefflich übel aus.

§. V.

§. V. Tandem venit adhuc conſideranda ſpecialiſſima illa motus huiusmodi, rudi quidem ſenſui imperceptibilis, interim ex *effectu* ſatis ſeſe manifeſtans, partis alicuius in corpore *ſtrictura ſpecialis tonica*, qua talis ſola afficitur, reliquis etiam immediate connexis nihil ſimile percipientibus. Eſt huius rei exemplar notata illa iam etiam ab aliis proximorum temporum practicis *ſpaſtica*, vt illi loquuntur, *tonica* denſatio non ſolum *cutis*, ſed etiam ſubinde ſolius *ſummæ cuticulæ*, ad pertinaciter retinendos *ſudores*.

Specialiſſima partis alicuius ſtrictura tonico-ſpaſtica.

§. VI. Quamuis enim in *acutis* febribus familiariter etiam totus habitus corporis non ſolum *pallore*, ſed inprimis etiam vulgo infami illo morbido *extenuato* adſpectu, contemplationi quantumlibet ſimplici, ſiſtat eiusmodi *ſtricturam*, quæ non ſolum ipſam *cutim* complectatur, vnde *pallor* eius & vere *exaridus* adſpectus; tum maxime etiam *muſculoſarum* ſubſtratarum parem compreſſionem, a qua ille etiam extenuatus, tanquam *macilentus* obtutus: monſtrat tamen ſatis, quod tota talis conſtitutio ita ſimpliciter ad impediendum *ſudorem* non penitus ſufficeret, notiſſima illa ſudoris in aliis tantum ſubiectis, ceterum eadem *ſpecie* febris adfectis, & eundem hunc *adſpectum* præ ſe ferentibus, nihilo propterea impeditior eius ſucceſſus, dummodo omnia reliqua ſe decenter habeant. Ex aduerſo vero conſpicua affatim eſt tum in *acutis* interdum, tum inprimis in ipſis *intermittentibus tertianis æſtuoſioribus*, tam *cutis* ipſius veluti verus *infarctus* a ſanguine; teſtante hoc *rubore* ita magno, vt vulgus patientes ita adfectos præ ardore totos *excandeſcere* interpretetur, ſie glühen gantz vor Hitze: quam etiam ſimul ipſe adſpectus totius habitus corporis hoc affatim demonſtrat, *turgidus* vtique totus, & *ſuffarctu* ſanguinis ad peripheriam exundante quam maxime diſtentus: vbi tamen interim *ſicciſſimus* ſolum inde prognaſcitur calor, ſine vllius *madoris* veſtigio, nedum *ſudoris*.

In acutis febribus eiusmodi ſtrictura totius habitus corporis occurrit, vbi in nonnullis ſudor tamen ſuccedit, in aliis vero plane non.

§. VII. Enim vero ſolent quidem in huiusmodi *acutis*, inprimis *malignis* febribus, patientes etiam alio modo *tractorios* huiusmodi motus eminentius percipere, in dorſo æque atque aliis corporis partibus; qui vti *per initia* maxime harum febrium ſe exſerunt, vbi nulli ad huc *ſudores* ſpontanei procedunt: ita quando vel ſponte, per ſucceſſum morbi ordinatiorem, & tam reliqua ægri patiente *continentia*, quam inprimis patientiſſime ſeruata *ſitus* corporis quiete, vel obſtetricante inſuper, (moderatiſſime tamen atque placidiſſime agendo) *arte*, *ſudores* tandem

In malignis ab initio patientes moleſtas tractiones percipiunt in dorſo & aliis partibus, vbi nullus ſudor procedit, ceſſant

autem illo ſuccedente.

tandem ad placidum ſucceſſum perueniunt, ceſſant etiam, ſucceſſiuis ad minimum imminutionibus, illæ ipſæ etiam *tractiones* ſumme moleſtæ, in dorſo atque reliquis partibus.

Vnde colligitur, quod hi tractorii motus ſint cauſſa impediendi ſudoris, minime vero, quod ſudor a priori eos directe diſpellat atque reſoluat.

§. VIII. Vbi quidem cuiuslibet conſiderationi facile relinquimus, quomodo harum rerum ordinem interpretari in animum inducat; magisne cum vulgari opinione interpretando, quod *ſudor* reſoluat, quoquo tandem modo, illas *tractiones*: an vero potius contra, placatis illis, *ſudori* ita locus atque progreſſus concedatur, qui ſine hoc ſubſidio, manente illa *ſtrictura*, minime proditurus eſſet. Cui etiam rei non vltimum argumentum præbet, quod tractiones illæ *frigore* omnino ſenſibiliter augeantur, ſicuti, *modeſto* vero, *calido*, inprimis tamen *quieto* regimine & ipſi *mitigantur*, & *ſudori* etiam ita locum atque ſucceſſum aperiunt. Vnde non improbabiliter colligitur, quod hi potius inquieti *tractorii* motus vera ſint cauſſa *impediendi* ſudoris; qui *diſſoluti* ſudori etiam ita locum concedant; quam *contra*, ſudor tanquam a priori *diſcutiat* aut *diſpellat* directe illos motus. Quo intuitu itaque non dubito cum illis ſentire, qui potius a priori *ſpaſticam* talem *contractionem* cutis pro vera *cauſſa* impediendi ſudoris, quam ſudationem ſimpliciter pro *medio* vero atque directo *diſſoluendæ* huiusmodi tractionis interpretantur.

Si ſudor hæc incommoda directe tollere poſſet, per ſudorifera & regimen coactum id præſtaretur, quæ vero ſudorem potius impediunt quam promouent.

§. IX. Quæ quidem res ne ab imperitis pro nudæ ſpeculationis obiecto reputetur, ſed potius exquiſitiſſimum *vſum*, inconueniens autem eius acceptio ſolidum *damnum* ad praxin afferre poſſe intelligatur, poteſt ſaltem conſiderari inconuenientia illa, quæ rationabili nexu e contraria illa opinione quaſi ſponte fluit. Si enim incommoda illa, anxie *inquieta*, in habitu corporis, & inprimis dorſo, per *ſudationem* vere tolli directe poſſent, deberet ſane *ſudatio* quoquo modo vrgeri atque procurari: huic autem ſcopo nihil melius ſatisfacere poſſe videretur, quam remedia ſudorem poſitiue, vt aiunt, & efficaciter *impellentia*. At vero cum talia, & quidem non ſolum *medicamenta*, ſed etiam omnino *regimina*, *ſanguinem* & intempeſtiue & nimium *commoueant*, eruptionem autem *ſudatoriam* eo ipſo certius *impediant* quam promoueant, indolem vero *febrilem* qua talem grauiſſime *perturbent:* prodit ſane ita ab hac tali incommoda *opinione* ingens damnum *practicum*.

§. X.

§. X. Quod cum in reliquis febrium *acutarum malignarum* ſpeciebus, per deteſtandas illas variarum phantaſiarum ſpeculatiuarum de illis exerrationes, in hodierna, quidlibet non ſolum *fingendi*, ſed etiam *audendi* licentia, præſertim ipſa praxi frequente deſtitutis, præiudicio autem multiplici præoccupatis, non æque vniuerſim placeat: VARIOLARVM tamen praxis illud ita certum atque ratum efficit, vt non ſolum *dolores* illos tales ſimpliciter & directe oppoſitis *ſudoribus* non diſſolui manifeſtum reddat; ſed etiam decenti *placido* exitui exanthematum certiſſimam *perturbationem* adferat, funeſto totius adfectus euentui veliſicantem. Cum inprimis, prorſus ex aduerſo, morbus hic recte ſuccedens & tempeſtiuis & vere opportunis emiſſionibus exanthematum rectiſſime ſeſe gerens, actualem *ſudationem* comitem plane non adſciſcat; ſed contentus ſit nuda libera ſufficiente *transpiratione inſenſibili*. Quod certe exemplum, vti ad praxin etiam aliarum *malignarum*, tanquam veri exemplaris loco transferri meretur; ita offert etiam prudenti theoriæ omnino *documentum* potius quam *argumentum* eximium, quid ſtatuere liceat de modo dicta illa energia *ſpaſticarum* potius illarum ſtricturarum ad cohibendam *tranſpirationem*, ne dum *ſudationem*: quam contra *ſudationis* qua talis, ad diſſoluendam illam ſtricturam, & ab ea pendentes ſenſuum moleſtias. Id quod praxis hodierna febrium exanthematicarum, in primis variolarum certum atque ratum facit.

§. XI. Habet autem vtique etiam locum decentiſſimum illa conſideratio *particularium* ſubinde, in certis ſolum membris corporis, *ſudationum*, reliquis non ſimul conſpirantibus: quemadmodum eius rei luculentius adhuc ſpecimen præbet adfectus talis *rheumaticus*, non paucis moleſtiſſimus, vt prouocatis per *artem* ſudationibus *alterutrum* ſaltem corporis latus ſudorem emittat, altero vel penitus & conſtanter refractario, vel ad minimum tardiſſime & *parciſſime* obſequente. Sudores particulares.

§. XII. CAVSSAS *motuum anomalorum* priusquam aggrediar conſiderare, dicendum adhuc venit non nihil etiam de *vniuerſa* cauſſali conſideratione negotii *motuum* in corpore *in genere*; maxime propterea, vt tandem occaſio præcidatur inanibus illis atque ſterilibus diſputatiunculis, de *principio motuum* in corpore *animato*, *viuo* & *organico*. Quemadmodum enim ſatis certus ſum, quod nemo, qui vel obiter ſalutauit logicam, imo potius ratione atque perceptione gaudet, non agnoſcere, ne dum negligere poſſit indiſſolubilem illum nexum, qui intercedit inter *neceſſitates animæ ratiocinantis*, *comparantis*, res vere *præſentes*, ſicuti vere ſunt, *ſentientis*, per *organa* corporea ſenſo- Cauſſæ motuum in genere.

ria, & *voluntatem* etiam ſuam per eadem talia *organa* corporis in effectum deducentis; cum neceſſitate *conſeruationis* corporis, quæ *motibus vitalibus* abſoluitur; adeoque pueriles illas altercationes, (tanquam de re maximi momenti, & cuius vel generis humani plurimum interſit) inexplicabilibus ſtrophis, otioſe, de *materialis & immaterialis nullo commercio*, iactatas, aſpernari potius & ridere, quam auſcultare & audire maluerit: ita qui animum, quem aduertant, habent, & ſubſidia ad rationem legitime exercendam, agnoſcent vtique facile, quod circa has res pro MEDICO vtique ſcopo & vſu, non tam in conſiderationem veniat, aut vllam veram vtilitatem habeat, præter ſimplicem theoriam, hæc quæſtio, *quisnam*, & cuius *indolis*? hos tales motus vitales adminiſtret: quam potius, QVOD vtique illi non ſolum *ipſo facto* ita exerceantur, ſed etiam VTILES prorſus imo NECESSARII exſiſtant: & quidem non tam ſolum ſimpliciter *generaliſſime*, ſed etiam *ſpecialiter*, ſecundum peculiares *temporis*, *menſuræ*, *ordinis*, *ſucceſſus*, *organorum* peculiarium, circumſtantias; ita tamen, vt etiam facili circa hæc omnia *peruerſioni* pateat locus, & quidem omnium & *citiſſime* & *potentiſſime* etiam a *nudis* mere *fictitiis* intentionibus, ex *animi* perturbationibus.

Pueriles ſunt altercationes de materialis & immaterialis nullo commercio.

Inanis quæſtio, quisnam motus vitales adminiſtret.

Motus ipſi tanquam vtiles & neceſſarii ſunt reſpiciendi.

§. XIII. Hoc enim vti neſcire non poteſt ſine certo & re vera magno detrimento tam *pathologiæ*, atque *prognoſeos* veræ, quam *therapiæ*, *obſeruationis*, *gubernationis*, *ſubleuationis* horum motuum: ita poterit vniuerſum hoc omnino rectiſſime ſcire, intelligere inquam, certum atque ratum habere, QVOD ita fiat, & fieri omnino DEBEAT; ſine vlla neceſſitate *inanibus* illis, quantum ad *medicinam*, quæſtionibus tempus perdendi, A QVO nam agente fiant hæc omnia; & quidem eo maxime *ordine* atque *proportione*, quæ ad certos *ſcopos* non ſolum *quadrent*, ſed etiam ita *neceſſaria* ſint, vti ipſe *actus totus* in genere, *ſcopis* ipſi *ſpeciei neceſſariis*, *neceſſarius* eſt.

Qui hoc non recte intelligit, quod ita fiat, & fieri debeat, aliis quæſtionibus tempus perdit.

§. XIV. Inter quas res etiam plane præcipuo loco non ſolum *phyſiologicis* (ſed tamen *medicis*, ſecundum *diſpoſitionem* etiam *ad ægrotandum*) animum aduertere licebit ad *reciprocam* veram *proportionem actiuitatis animæ* circa res ingenii ſeu *intellectus* atque *voluntatis*, cum vere *mechanica proportione agilitatis vitalis*: (minime omnium autem, niſi remotiſſime, cum vlla *phyſica proportione* humorum magis directa) ſed etiam omnino in ipſis *pathologicis*, non ſolum ad *energiam animæ rationalis in vitalibus motibus peruertendis*; ſed

plane

plane in *ſolidarum* etiam partium *ſtructura*, iam *facta*, etiam iterum *diſſoluenda*, & aliter denuo inſtituenda, *næuis maternis*: & hoc vtrumque *nudis animæ rationalis*, & *falſo* quidem *ratiocinantis* ſeu *fingentis*, & quidem abſolutiſſime *moraliter fingentis*, nempe falſo *æſtimantis*, energiis.

§. XV. Iterum dico, e ſua re faciet & eſſe ita experietur vſu ipſo, ſi recte perſpectum habuerit, QVOD hæc omnino ita fiant, imo ita fieri neceſſario *debent*, aut, ſicubi *deficiant*, *morbidum* illud exſiſtat. Si *a poſteriori*, a *materialibus* impedimentis, defectus talis proficiſcatur (non ſimpliciter *a priori*, a *pathetiсis* perturbationibus,) MEDICAE etiam tractationis obiectum conſtituat: numeroſis *ſpeciebus*, ſed innumeris *indiuiduorum* exemplis: quæ *medica* tractatio longe ſæpius, certius, & quolibet vocis ſenſu verius, perficienda veniat *cauſſarum* talium, *motus* ita lædentium, *remotione* potius; dico, per *motus*, *artificioſe* ſuſcitatos atque directos, ablatione, quam vlla magis *phyſica* correctione, directe *materiali* atque *corporali*. Hæc ita ſcire, imo *intelligere*, e re ſua ſentiet omnino eſſe prudens atque intelligens Medicus.

§. XVI. *Quis* vero hoc agat, *quod* vtique ita agitur, & qualem nam *aptitudinem*, *proportionem* atque *poteſtatem* habeat illud AGENS ad has *actiones*, ad ea agendi *media* ſeu organa, ad illas, in quas agit, *materias* (nam de *finibus* ſeu *ſcopis* euidentius eſt negotium) tanquam ad ſuum forum neque *pertinens*, nec *inſeruiens*, ſecure relinquet *Philoſophis*, *Metaphyſicis*, *Pneumaticis*, *Phyſicis*: *Medicis* autem ſolum talibus, quibus vel otium ſuppetit, ad ea etiam agenda, quæ nihil ad ipſos attinent; aut qui etiam habentes, quod ad ſe pertinens magis directe non ſolum poſſent, ſed etiam *deberent* agere, geſtiunt tamen aliis potius rebus ſe immiſcere, & nec ſua nec aliena, vti *decet*, atque *licet*, ſed ſimpliciter, vti *libet*, agere; imo perplexis potius rebus, vlterius etiam intricandis, quam ſimplicitate veritatis, delectantur. Quis hoc agat, ad medicum forum non pertinet, hinc aliis relinquitur.

§. XVII. Secundum hanc conſiderationem aggredior euolutionem *cauſſarum*, quibus *motus* vitales a *tranquilla* ſua, *ordinata continuatione* dimouentur: primo generalius monendo, quod hoc contingere ſoleat vel magis *a poſteriori*, vel *a priori*. *A poſteriori*, quando vel *materiæ* mouendæ debitæ *mobilitatis* detrimentum patiuntur; vel *inſtrumenta*, tam *impellentia*, quam *admittentia*, *tranſmittentia*, *recipientia*, peruertuntur. *A priori* præcipue & eminentiſſime ab *animi pathematibus*: inter quæ Medicus, me auctore, præcipuo loco nume- Cauſſæ motuum anomalorum.

rare poterit *conſuetudinem*, & inprimis *ſenſibilitatem*; ipſam quoque fere, ſi res exquiſite æſtimetur, *conſuetudine* introductam. Sicut ad hanc eandem claſſem, tam *ſenſibilitatis*, & *adſuetudinis* (quantumlibet vel *vna forti impreſſione* quaſi commendatæ) quam exquiſitiſſimi pathematis animi, *falſæ æſtimationis*, introductas *hæreditarias* diſpoſitiones, tam circa *appetitum*, quam *motus translatorios*, & *eliſorios*. Vbi quidem in hac vtique ipſa ſtatim claſſe commendo perite prudentem conſiderationem etiam illorum *concurſuum*, quos quidem *materiales* illæ, *a poſteriori*, cauſſæ his *a priori energiis*, ſimplicius *motoriis*, conferunt ſubinde: ſimul tamen parem dexterrimam contemplationem atque comparationem *proportionis*, in tali concurſu obſeruandæ; vtpote quæ immenſum quantum abeſt, a ſimplici *phyſico-mechanica* æqualitate, *materiæ* & *inſtrumentorum* ad motus: & propterea etiam non tam ad *impediendos* motus maximam efficaciam in hoc cenſu exhibet, quam potius ad *incitandos*, & effero more *turbandos* eosdem.

Senſibilitas peculiaris.

§. XVIII. Minime vero abſque ratione iuſtiſſima feci mentionem *ſenſibilitatis* peculiaris inter præcipuas *cauſſas* coorientium *motuum* inſolitorum; & reputo hanc animaduerſionem conſideratu tanto digniorem, quanto familiarius, communibus loquendi formulis, peruerſa interpretatione ita perperam explicatur, vt inde etiam re vera tota *intentio medica* non ſolum *poſſit*, ſed vel indies *ſoleat*, *præiudicium* aliquod practicum experiri. Dum videlicet talis conſtitutio ſatis communiter, imo veluti ſolenniter pro ſimplici partium *debilitate* inculpatur: cui dum ſæpe numero per medicamenta *topica*, *feruidioris energiæ* in humores, occurrendum eſſe cenſetur, euenit ita facile, & ſane quidem teſte experientia, etiam ſatis frequenter, vt affectus huiusmodi medicamentis huic intentioni ita dicatis, magis *exacerbentur*, quam ſubleuentur.

Pro partium debilitate habetur.

Vnum eius rei exemplum dabo. Fœmina 35. annorum, quæ in adoleſcentia ſua promtis & prorſus inſolentibus *narium hæmorrhagiis* multum exagitata, cum contracto matrimonio aliquoties pareret, melius inde habere obſeruata eſt; tanto magis, cum etiam in re familiari diffuſiore multum *agilitatis* ſuæ (ad quam a temperamento *cholerico-ſanguineo* tota propendebat) impendere, atque ita corpori non minus, quam animo ſatisfacere poſſet: in augenda etiam re familiari, optima ſpe plena atque læta ſucceſſibus, ſatis ita tranquille viuebat. Poſtquam autem abunde hactenus felices res ſolitam mortalibus partim cupiditatem,

partim

partim amittendi formidinem produxiſſent, & nimiæ fatigationes cum *iracundia* æque atque *terroribus timoribusque* mentem, & per hanc corpus, inquietiùs redderent, iam etiam ab aliquot annis non amplius peperiſſet, lautiore interim diæta frueretur: incurrebat hinc varias grauiſſimas *cephalalgias*, quæ magis magisque *ſpaſticam* indolem exſerentes, inprimis in *nucha* veris *ſpaſmis* ſcenam ſuam ludebant. Cum tandem certus illorum temporum Medicus *colocynthiacum* purgans ipſi exhibuiſſet, tranſiit velut impetu quodam affectus hic *ſpaſticus* in *os ſacrum*, adeo, vt ſubinde, ſi aliquid e terra ſuſtollere, inclinato corpore, ſuſciperet, repentino impetu *ſpaſtico* prehenſa ſine auxilio familiarium aſſurgere minime poſſet. Tranſibat ita hic affectus magis magisque in veriorem *iſchiadicam* indolem. Cum aliquando rheda ſua ad tertium milliare profecta eſſet ſero autumno, frigido, nebuloſo, pluuio aëre, tam a concuſſione vecturæ, quam cœli illa conſtitutione & animi quibusdam commotionibus exacerbationem huiusmodi ſuorum dolorum experiebatur, fremebundam tamen adhuc ſolum magis, quam exquiſite dolentem. Conſultura ſibi tamen in omnem euentum, a Medico illius loci magnæ exiſtimationis accipit liquorem quendam, ad inungendum locum affectum, ſi acerbiores emicarent dolores. Reuehebatur domum, muſſitante ſolum malo. Cum autem e ſuperiore loco aliquid depromtura corpus quidem ita inſigniter extenderet, & inprimis ipſas *coxas*, ſenſit hinc in inſtanti exacerbationem *ſpaſmorum* ſuorum longe acerrimam, citra tamen adhuc exquiſitam aliorum acriorum *dolorum*, præter leues aliquas micationes, vehementiam. Cum tamen hoc incommodum vtique non iuxta ſpem patientis miteſceret, arripit illa tandem allatum ſuum medicamentum, cui inprimis *oleum iuniperi* largiter innatabat, eoque inungi coxendicem curat. Cooriuntur inde per ipſa quaſi momenta *ardores, dolores, lancinationes, vibrationes* adeo enormes, vt etiam loqui dolorum immanitate vix auderet, *tuſſiendi* autem inſultibus in animi deliquium prolabi videretur. Hæc poſtea, ſuccedente tempore, tempeſtiuis interim ventilationibus ſanguinis ſubleuata, ſpontaneam eruptionem fluxus *hæmorrhoidalis* experta eſt &c.

§. XIX. Quemadmodum autem inepta permutatio *ſenſibilitatis* cum *debilitate* tales praxes inconuenientes ſuadere poteſt; ita abludit etiam paſſim ab ipſa nuda *theoria*. Exemplo poteſt eſſe antiqua iam illa traditio, voce maxime ſeu appellatione minus conueniente a latinis interpretibus inſignita, nempe *læuitatis inteſtinorum*, & *facultatis retentricis læſæ*, in variis *alui*, vt loquuntur, *fluxibus*: vbi cum aſſumtorum, quæcunque etiam fluida, ne dum ſoliceſcentia, fuerint, nusquam ita ſimpliciter per multiplices illos anfractus inteſtinorum, tam ſurſum quam deorſum ſpectantes, nudus aliquis lapſus locum inueniat; ſed potius omnis illa promotio a ſuperioribus ad inferiora & ipſum exitum *preſſione* potius, nempe *conſtrictione* inteſtinorum, fiat; abſurdum profecto neceſſario inde fuerit, hanc *incontinentiam* potius *paſ-*

Pari modo ſenſibilitas cum debilitate permutatur in variis alui fluxibus.

ſiuæ

ſiuæ debilitati harum partium adſcribere; quam potius *ſenſibilitati*, *per* & *propter* quam impatientior rerum minus tolerabilium *actualis* potius *excuſſio* per veros *motus* in talibus caſibus ſuſcipitur.

Senſibilitas hæc in ſpecie in hæreditariis diſpoſitionibus conſideranda eſt.

§. XX. Vnde quidem non ſolum in genere iterum moneo, vt prudenter conſideretur hæc *ſenſibilitas* in variis aliis *motuum* exacerbationibus; *promtioribus* ante omnia, ob quaslibet, tum etiam *leuiores* occaſiones: ſed etiam quam maxime in ſpecie *ſenſibilitatem* hanc conſiderandam commendo in *hæreditariis* diſpoſitionibus, tam *in genere* omnibus; quam *in ſpecie* circa manifeſtam *auerſionem* occupatis, inprimis vere *corporearum* rerum. Quamuis enim notiſſima ſint exempla, quod ita affecti etiam vel *figuras* talium rerum repente oblatas grauiter perhorreſcant; (ſicuti figuras æneas *ranarum*, circa hydraulicas machinas repente apparentes, mulieri ranas metuenti *lipothymiam* repentino proximo ad pectu induxiſſe memini; & alteri, *mures* metuenti, qualiscunque auditus, vel etiam opinione receptus nocturnus *ſtrepitus* circa lectum, ſufficere poterat, ad noctem inſomnem ducendam, aut ſeruulum accenſa denuo candela ad excutienda lecti ſtramenta adigendum:) eſt tamen etiam notiſſima illa talis, veræ corporeæ *ſenſibilitati* in hoc negotio innixa, exquiſita perceptio, quando v. gr. *felis* in conclaui, omnibus inſciis, præſens ita diſpoſitos ea ratione percellit, vt illi inde in *cordis palpitationes*, maximas *anxietates*, *ſpaſticas* commotiones, *lipothymias* incidant, aut alia grauia ſymptomata incurrant; quale quidem etiam de illis, qui *caſeum*, aut ſimilia, præſertim a vera *hæreditaria* impreſſione, auerſantur, quin etiam *aſcititia* demum vehemente auerſione abhorrent, familiaribus exemplis notum eſt.

Felis præſentia in conclaui.

Caſei auerſio.

Placet huius rei ſpecimen commemorare. Vir honeſtus, e peruerſa tractatione *fluxus hæmorrhoidalis hydropicus* factus, poſtquam medicamentorum atque methodi, quanta fieri poterat ἀκρίβεια, licet tumor non obſequeretur, tamen quantum ad reliqua ſymptomata, ita leuaretur, vt ſano homini nihil concedere appareret; inprimis autem *appetitu* quam optimo potitus, dapes, quas lautiores ex aula & vrbe quotidie accipiebat, (concionator aulicus bonæ exiſtimationis) & optime aſſumeret & perferret: cum ipſi aliquando artificioſum quoddam iuſculum, aut pulpamentum vinoſum pro ientaculo transmiſſum, optime ſapuiſſet, cœpit tamen mox ab eius aſſumtione *faſtidio*, *languore*, *cardialgia*, *inquietudine*, *capitis perturbatione*, & ſucceſſiue etiam *dolore*, vagis *horripilationis*, & volaticæ *æſtuationis* viciſſitudinibus, corripi; quæ mox in perfectam *appetitus*

titus deiectionem, ingentem *virium defectum*, calorem febrilem *lentum*, *inquietudinem* innominatam, *agrypniam*, aut ſumme turbulentam *nictitationem*, breuiter, anomala quæque pathemata, cum *anxietate* etiam, & *animi perturbatione* inſolita, tranſibant. Erant profecto omnia perplexa, & duorum Medicorum etiam quantumlibet operoſis ſpeculationibus tanto minus ſatisfacientia, quanto maiore cum induſtria illas inſtituere allaborabant. Tandem tertio die corripitur patiens ſpontaneo *vomitu;* ſub cuius exitu percipit diſtinctum ſaporem *corticum citri.* Dubius itaque an illi iuſculo illi, poſt quod cœperat male habere, vere inexſtitiſſent, informat ſe apud illas matronas, quæ hoc ipſi paratum miſerant: quæ liberaliter(vtique hos *cortices* cum aromatibus intritos fuiſſe aſſeuerabant. Ita patebat tota harum rerum ſcena. Conceperat patiens hic, hoc quidem tempore 46. annorum, ante viginti abhinc annos circiter ingentem auerſionem a *corticibus citri;* dum in conuiuio quodam de pomo citrio aliquid comedens, quod ipſi virgo quædam filia familias obtulerat, (ſicut ad illud tempus delectabatur *citri* vſu) incertum vnde, & fortaſſis a reliqua minus temperante edendi atque bibendi abundantia, in *cardialgiam*, *nauſeam*, *anxietates* vehementes, tandem grauiſſimos *vomitus*, cum plurium dierum periculoſa valetudinis perturbatione prolapſus, iniecta ſuſpicione per alias mulieres, quod hæc mala ab illo pomo *citrio* dependerint, mox ſub his anguſtiis, & conſtantiſſime in poſterum, tanta *citri* auerſione affectus eſt, vt quoties, pariter vti præſente caſu quam maxime *ignarus*, aliquid eius aſſumſiſſet, cum multiplicibus perturbationibus peſſime habere non deſiſteret, donec *excuſſum* iterum eſſet, quod ita ipſum male habeat, nempe *cortex* ille cum toto vna aſſumtorum complexu.

§. XXI. Et abundat huiusmodi exemplis quotidiana conuerſatio ciuilis, vbi etiam a *draſticis* aut alias ſumme *nauſeoſis* medicamentis, in certa eſculenta aut potulenta ſpecie cum ſummo & anxio *faſtidio* aſſumtis, in poſterum illius ſpeciei ſumma auerſio inuadit: quamuis in hoc caſu præcipuum ſit illud, quod etiam citra omnem conſcientiam, tam *ſenſationis* quam *cogitationis*, tamen efficacia illa ita certa & eximia valuerit.

Auerſio vehiculi, in quo medicamenta cum faſtidio ſumta ſunt.

Proſtat alias etiam digniſſima vtique lectu in hanc rem *hæreditariæ* auerſionis hiſtoria in *Actis Anglicanis* prioribus, *Oldenburgii*, de fœmina, grauiſſima ſymptomata perpeſſa, cum ipſi ad vlcus in crure curandum, vnguentum quoddam ſeu χρῖσμα, quale vulgo digeſtiuum vocant, applicitum fuiſſet, quod *mel* continebat; cuius tali congenita auerſione illa afficiebatur. Et proſtant talia magno numero paſſim apud auctores:

Quas nempe vniuerſas res neceſſe certe eſt, quantum ad ipſam *facti veritatem*, notas atque certas habere, multiplicis vſus gratia, *medici, pathologico-therapeutici* magis, quam ſimpliciter *ætiologici*: talium

 enim

enim certe ætiologiam liberrime licebit relinquere Phyſicis; qui ſi in his negotiis, communiter manifeſto a peruerſa *æſtimatione* opinionis pendentibus, vſitatam illam *phyſico-mechanicam* decantare pergant, dabunt, quo dignitatem huiusmodi ſcientiæ rectiſſime orbi repræſentent.

Frequentia aut infrequentia læſionis motuum obſeruanda eſt.

§. XXII. Sicut autem ſupra ſubindicatæ cauſſæ motuum *a poſteriori* ſunt certæ ipſorum *humorum* perturbationes, aut *inſtrumentorum & viarum*: ita aduertendus in hoc etiam negotio eximie eſt animus ad circumſtantiam illam, quam circa omnes morbidos affectus plane peculiarem in ipſis noſtræ tractationis initiis commendaui nempe *frequentiam* aut *infrequentiam* læſionis *motuum*. *Secundum quid*, inquam, motus euidenter læſi euenire & obſeruari ſoleant, aut non obſeruari? Vbi videlicet cum debita ſolertia attendi meretur, quod vtique *motuum* ſenſibiles peruerſiones non tam *facile*, *promiſcue*, *largiter* atque *liberaliter* cooriri atque euenire ſoleant ob quaslibet occaſiones *materiarum*, quantumuis generali ita ſuppoſitæ proportioni ſatis quadrantes; varias inquam *mobilitatis humorum* mutationes: ſed potius, ſi vitium vere ab humoribus pendeat, plane peculiares veluti caſus & certe conſtitutiones ſequantur, quæ non tam vllam ſimpliciter *materialem*, *phyſicam* aut *mechanicam*, quam *finalem* cauſſam pro fundamento agnoſcere non poſſint non comparere animum decenter aduertentibus.

Quoties motus præter ordinem naturalem intenduntur, certum finem & ſcopum ſequuntur.

§. XXIII. Nempe vt *a priori* motus vtique ſunt PROPTER humores, vt, inquam, illos promoueant, & eo ipſo tam *ſecretionibus* a ſubeunda, quam *excretionibus* ab inferenda atque fouenda labe corruptionis illos vindicent: ita quoties etiam præter ordinem naturalem intenduntur, paſſim huiusmodi *finem* atque *ſcopum* ſequi, non coacto vllo ſenſu, ſed ſatis euidente paſſim *nexu* intelligi & agnoſci poſſunt. Si enim *motuum*, *qua talium*, alterationes illas præter ordinem naturalem intueamur, quales fieri *a poſteriori* ipſa veritate facti deprehenduntur, patebit facile, quod iſtæ, de quibus ſermo eſt, *motuum*, iterum dico *motuum*, alterationes EXCESSV maxime ita peccent, vt *plus*, *ſæpius*, *alio tempore*, alio *ordine*, aliis *locis*, alio *exitu* quam conſueto atque decente fiant. Iterum dico, *fiant*; ſiquidem vti longe frequentior *ſpecierum* diuerſitate, & *temporis* ratione, ſeu *numeri* maxima familiaritate, eſt *motuum* ACTVALIVM intenſio; quam eorundem ita ſimplex *impeditio* atque *interceptio*; vt in tali caſu, vbi ipſos etiam

intercipi comparet, veluti maior ipſorum, *quatenus* interceptorum, ratio directe habenda videri poſſit, quam aliarum *complicatarum materialium*, affectus circumſtantiarum: ita facienda hic merito videtur *a potiori* denominatio, vt, quando de *motuum* alterationibus loqui ſuſcipimus, de *actionis* potius motuum variationibus, quam nuda *paſſiua* eius ſimplici atque plena *interceptione*, verba facere ſatis ducamus.

§. XXIV. Tales autem ita conſideratos *motus* indicaui atque monui eſſe maxime conſiderandos ſecundum *fines* illos, ad quos maiore vel minore *iure*, *directa*, *propinquiore*, aut *longinqua*, & ſolum *tergiuerſante*, neque ſatis ad exquiſitam metam collineante, *directione* perueniunt. Qua de re venit vtique notanda peculiaris illa horum talium *motuum* circumſtantia, quod ſi quam maxime in *ſpecie* multum abeant a vera exquiſita *proportione* ad *ſpecialiſſimos* ſcopos, quibus *deſtinari* videantur, aut *deberi*; tamen *genere* minime plene atque plane ab eiusmodi *ſcopis* pariter diſſentiant; ſed potius de *generica* quidem *intentione recta* atque *iuſta*, teſtari poſſint: dummodo etiam *ſpecialis inuentio* exſecutionis parem conuenientiam ſemper ſeruaret.

Motus tales ſemper ſecundum fines atque ſcopos ſuos conſiderandi ſunt.

§. XXV. Hæc conſideratio ſi cum animi debita ſolerte applicatione inſtituatur, monſtrabit facile, quod etiam variæ huiusmodi variationes *motuum* pro præcipuo ſui obiecto habeant inprimis *ſanguinis ſimpliciora* illa vitia, *quantitatem* nimiam, & *qualitatem* ſimplicius iuſto *ſpiſſiorem* potius, quam *aliis*, minime omnium autem *variis*, *materialibus* modis temeratam. Quo quidem nomine illam, quæ hodie ita frequentiſſima iactatur, *irritationem ſtimulatoriam*, a *ſalinis* acribus vitiis *qualitatis* ſanguinis, ab hac tam *multiplicis* efficaciæ dignitate excludendam arbitramur, non magis argumentis, quam veris potius *documentis*, variorum affectuum, qui cum manifeſtariis eiusmodi *qualitatis* humorum deprauationibus vere *acribus* nitantur, tamen vel *nullas*, vel certe minime ad hypotheſin *proportionatas* & condignas, alterationes poſt ſe trahant, in *motuum* genere, quam aliæ, etiam conſentientibus paſſim noſtris recentioribus, magis a *ſpiſſitudine* ſanguinis, quam ab huius ſuppoſita cauſſa, *aciditate*, dependentes.

Eiusmodi variationes motuum quid pro præcipuo obiecto habeant.

Ita enim v. gr. *variolis*, *morbillis*, *ſcabiei*, non ſolum adhuc in *proxima potentia* vlcerationis conſtitutis, ſed etiam iam in actum eiusmodi deductis, & in tali craſi ad interiora retropulſis, vel *nullos*, vel certe nullos *proportionatos* huiusmodi motus accedere, notiſſimum vtique eſt. Quemadmodum varii generis, etiam *acerrima*, non ſolum *ſtimulantia*, ſed plane grauiter *violantia*, *corrodentia*, ſpiritus *minerales*, ſalia *cauſtica* alcalica, *cantharides*, aromata varia *acria*,

 piper,

piper, *zingiber*, *ſinapi*, *pyrethum &c.* non edunt vllum dignum effectum *vomitorium* in ventriculum: quem contra alia, non tam *irritantia* ſimplicius, quam prorſus *deſtruentia*, *ſeptica*, & quidem ſub *ſicca* magis ſui conſiſtentia, aut ad ſummum per ſalia attenuata, ad impetuoſos *vomitorios motus* deducunt.)

Finis ad quem motus reſpiciunt.

§. XXVI. Sicut autem hæ tales cauſſæ *motuum a poſteriori*, *materiales* magis, attendi omni modo merentur; ita ſubeſt tamen etiam adhuc eximia eiusmodi cauſſa, tanquam *a priori*, quæ in *medica* maxime conſideratione, *therapeutica*, *methodica*, ſupremam conſiderandi ſolertiam non magis meretur, quam poſtulat omnino & exigit. Loquor de *fine*, ad quem *motus* reſpiciunt atque tendunt. Quamlibet enim varii dentur, & inprimis quidem maxime inſolentes, *motus* p. n. qui ſub ea, qua tunc temporis exercentur, ratione atque *proportione* nullam habeant directam ſpecificam relationem, aut veram propenſionem, quin proportionem, ad verum *vtilem finem*: eſt tamen illud omnino certum, & vere anima ſolidæ *pathologiæ clinicæ* atque *therapiæ* fundamentalis, quod tales etiam ipſi motus ad minimum longinquam *ordine*, primariam autem *dignitate*, *finalem intentionem* atque *deſtinationem* habeant.

Veræ conſiliæ & auxilia medica.

§. XXVII. Quam recte cognitam & perſpectam habere, & prudenter alibi *tolerare*, magis quam directe *tollere*, *temperare* ſolum magis atque *gubernare*, quam *cohibere* atque *ſupprimere*; alibi perite *imitari* atque *ſupplere*; alibi prudenter *præoccupare*, & magis *placida* ratione, antequam *impetuoſi* illi conniſus cooriantur, *tranquille* potius per artem inſtituere: adeoque operoſiores aut inſolentiores huiusmodi *conatus*, ad talem *finem* tentandum aut obtinendum, ſimpliciore eiusdem præſtatione præcipere: ſunt vtique *conſilia* & *auxilia* vnice vere *medica*, tam *a priori naturæ* rerum conſona, quam *a poſteriori fundamentali* & *conſtanti* potius *curatione*, quam fucata temporaria *palliatione*, morbis ſalutaria; & paſſim etiam *curatiue* efficaciſſima. Inprimis autem *vnicam* veram, & neceſſariam, & efficacem *præſeruandi* methodum complectentia.

Motuum finales reſpectus ſolertiſſime veſtigandi ſunt.

§. XXVIII. Iterum itaque atque iterum commendo vtique, vt *motuum* in corpore *finales* reſpectus ſolertiſſime veſtigentur; & ipſarum *materialium*, ſiue verarum & euidentium ſiue ſuppoſitarum, cauſſarum, inprimis habitus atque reſpectus ad *finem motus* inde coorientis, ſtudioſiſſime expendatur. Propterea maxime, quoniam etiam ingentia dantur, & inprimis quam maxime ſontica eiusmodi exempla,

Ll 3

in quibus maior longe habenda ſit ratio eiusmodi peculiarium motus circumſtantiarum *methodi*, *ordinis*, *temporis*, *locorum*, quam vel *materiarum*, vel etiam ſimplicius ipſarum *euacuationum*, ſine reſpectu ad has tales *conditiones*. (Exemplar huius rei ſunt *febres acutæ* omnes, & inprimis *malignæ*; in quibus aliquid *commouendo* moliri, aliis, quam *ſtatis* temporibus, neque *natura*, niſi malo omine, ſuſcipit, exemplo commotionum *ſexta* die ſuſceptarum: neque *ars*, niſi cum periculo atque damno, audere poteſt; exemplo ab illis, qui & praxin habent, & mentem, ſolertius attendi denique tandem cœpto, *variolarum*, quas *præmature*, aut *impetuoſe*, ad exitum impellere quam periculoſum ſit, ſenſim animaduertunt mortales)

§. XXIX. Tanto magis autem euitanda eſt omnis *confuſio rationis* atque *proportionis* motuum, quando etiam ipſa *materia* aut *viæ tempore* aut *loco* nondum conſentiunt & conſpirant. Quod vt in *therapeuticis*, ad minimum ratione *indicationis*, exquiſitam penſitationem requirit; ita etiam in *pathologicis* noſtris habet vtique eximiam *vtilitatem* non ſolum, ſed etiam paſſim *neceſſitatem*, ad dignoſcendos inprimis motuum p. n. concitatorum tales *irritos euentus*; qui non tam ab eo pendent, quod motus *in genere*, & ſimpliciter *qua talis*, ſit *inutilis*, peruerſus, noxius: ſed ex eo tantum, quod *materia* nondum decenter aptata, & *locis* minus conuenientibus, inſtituatur; generaliore interim *depellendi*, & *expellendi intentione* iuſtiſſima laudabilis.

Omnis confuſio rationis & proportionis motuum euitanda eſt.

§. XXX. Adhuc ſemel autem commendo maximopere efficaciam illam, ad concitandos varios, & inprimis tam *tempore*, quam *impetu* alieniores, motus, qui non ſolum a nudis ſimplicibus *animi pathematibus* incitantur; ſed inprimis etiam a notata hoc nomine merito peculiariter *ſenſibilitate*. Dico, euidenter peculiari magis ſolum *æſtimatione ſenſoria*, quam ſimpliciter vero *actu ſentiendi*, aut generali *perceptione*. Quæ certe res vti merito pariter ad *animi pathemata* refertur, nempe *peruerſum* de rebus ſenſui oblatis *iudicium*: ita omnibus integro iudicio potitis patet vtique facile, quantæ efficaciæ ſit hæc *ſenſibilitas*, ad deprauandos paſſim *motus*, vt vel *ante*, quam neceſſe ſit, vel *aliter*, quam vtile, inſtituantur. Recenſebimus autem breuiter tanquam ſumma genera motuum ita orbitam debitam deſerentium, ſub *tonicorum*, *ſpaſticorum*, *conuulſiuorum*, & *defectiuorum*, claſſibus.

Motus tam ab animi pathematibus quam a ſenſibilitate concitati.

MEMBRVM I.

DE TONICIS PRAETER NATVRALEM MENSVRAM VARIATIONIBVS.

§. I.

Motus tonici energia & vſus.

QVantæ energiæ & quanti vſus ſit *tacitus* ille *motus* in partibus corporis mollibus poroſis, qui *tenſione* ſolum *ſubrigida* ita abſoluitur, vt legitimo ordinario *tranſitui* humorum per illas partim *locum* ita præbeat, partim *adiumentum* præſtet, puto, quantum omnino ſufficere poſſit, traditum a me eſſe in *phyſiologicis*. (Sicuti *mobilitatem* huius *tenſionis*, adeoque verum *motum* talem *tonicum*, tanquam verum auctorem variationum diuerſarum circa *tranſitum* humorum in vna parte, & *transmiſſionem* eorundem ad aliam partem, tum peculiari *diſſertatione epiſtolica*, tum variis aliis monumentis atque documentis iam a 15. annis varie commonſtraui.)

Variæ eius alterationes contingunt.

§. II. Quemadmodum autem hic talis *actus* atque *motus* non ſolum ad *generalem* progreſſum humorum, *ſubordinata* energia ad *pulſus* impulſum, miniſtrat; ſed inprimis *partialis* motus humorum, & particularis *directionis* ad certam regionem corporis, maiore copia & energia præ reliquo eius ambitu, ſolum verum ſubſidium conſtituit: ita contingunt etiam eius variæ alterationes, quando vel *progreſſus* in genere aliquid impedimenti incurrit, vel in ſpecie *transmiſſio* humorum ab vno loco ad alium largior propoſita eſt; vel denique *ſenſus* peculiaris (ſiue *frigoris*, ſiue *adſtrictionis* potentialis) ſtricturam huius motus vegetiorem prouocat. Specimina huius præcipua ſunt in augmento, ſeu *exceſſu*; non æque totidem in *imminutione atque defectu*.

Horripilatio.

§. III. Leuiſſimum & *tranſitorium* exemplum exhibet *horripilatio* illa curſoria, quæ partem, etiam vnam minorem, inuadens plebeio loquendi modo a papillis, quæ pilorum tenerorum per corpus radices continent, veluti protuberantibus anſeris deplumati cuti comparari ſolet: es überlauffe ihn eine Gänſe-Haut. Hic *tonus* ita per portionem cutis augeſcens ſicuti maxime ſequitur *refrigerationis* ſenſum: ita adhuc magis conſpicuus eſt ſimilis huiusmodi *conſtrictorius*

Frigus conſtrictorium motum auget.

auctior

auctior *tonus* in inſigni *frigore*, corpus penitius percellente; a quo nempe exquiſitiore ſenſu non ſolum *cutis*, ſed etiam *ſubſtratæ* altius partes ita *contrahuntur*, vt inde totus adſpectus tanquam *emaciatus* appareat: vnde Germanorum locutio, **froſterich oder verfrohren ausſehen.**

§. IV. Vlterior iam gradus, *fortior* vtique, occurrit in morbidis ſtricturis ſuperficiei corporis, inprimis in eiusmodi affectibus, qui cum varia *translatione* humorum, ad *peculiares ſecretiones* aut *excretiones* ſpectante, connexi ſunt. Vnde in *diarrhœis* importunioribus, ante omnia vero *vomendi* conatibus, & *febrilibus*, præcipue autem *intermittentibus* & *vomibundis* apparatibus, eminenter ſeſe exſerere ſolent. Ab *extenuata* illa, & ſimul *pallida* adſpectus conſtitutione, ſolent Germani formula illa vti, **Der patient ſehe übel aus = = als wann man ihn ins Grab legen ſolte** ꝛc. Fortior gradus ſtricturarum.

§. V. *Cauſſa* huiusmodi *tonicarum ſtricturarum*, ita ſenſibiliter *augendarum*, eſt inprimis *motus humorum ab vno loco ad alterum*, vt ab *ambitu* corporis ad *interiora* vere dirigendus. Tali enim *ſtrictura* poroſarum partium per ambitum corporis inducitur vtique expreſſio humorum ex harum poris, & compreſſis ſimul ipſis etiam, & inſigniter admodum (imo aliquando penitus ad oppreſſionem vsque) arctatis vaſis, fit ita neceſſaria contentorum humorum *congeſtio ad interiora.* Cauſſa ſtricturarum tonicarum.

§. VI. Quamlibet autem in antecedentibus etiam *ſenſui* veluti ſimpliciter tribuiſſe videri poſſem cauſſam prouocandi huiusmodi motus; poteſt tamen facile, ſi res altius expendatur, colligi, quod etiam hæc talis, licet per *ſenſum* prouocata ſtrictura, ſicut *humores* neceſſario afficit, ita rem recte æſtimando, etiam veriſimillime maxime *propter* humores ita inſtitui ſoleat: *indicio* ſolum magis ſenſus, rem *humoribus nocituram* (quod omnino facere poteſt *frigus*,) veluti prodente: ad quod ſignum ita datum humoribus deinde per illam ad intimiora transmiſſionem decenter conſulatur atque proſpiciatur. De qua re iam egi in *diſſertatione de æſtu maris microcoſmici.* Num ſenſui cauſſa prouocandi ſtricturam ſimpliciter tribuenda ſit.

§. VII. *Effectus* motus *tonici* ita inſigniter *aucti* ſunt ſenſibilis plus minus *ſtrictura* ambitus atque dilatationis partis affectæ; quæ ante omnia velut *extenuatum*, ſeu, vt vulgo loquuntur, ſubſidentem eius ambitum & menſuram, oculis offert: magis magisque conſpicuam, prout ipſa ſtrictura gradu pollet. Comitatur hanc pari paſſu *vaſorum* Effectus motus tonici aucti.

etiam

etiam ſanguiferorum *coarctatio*, ad diſparitionem vsque, pro ſtricturæ gradu & energia. Huic reſpondet *color;* vt aditu penitiore ſanguini in partes ita conſtrictas negato *pallor* partes illas occupet: cum cuius gradu (dico a *tonica* conſtrictione inducto) pari paſſu ambulat etiam partis ita affectæ *calor.* Si tamen *ſtrictura tonica* ſola adhuc ſcenam ſuam ludat, & in humorum maſſam energiam ſuam exerceat; *pulſus impulſu* non ipſo etiam aucto ac intenſo. Hic enim ſi vna notabiliter augeſcat, etiam *vibratio*, ab eius energia qualitercunque vegetiore, per poros arctiores inſtituta, intendit potius *calorem.* (Vnde quidem etiam *debilis pulſus* atque *paruus* in corpore ad ſenſum ita *tonice ſtricto* nihilo minus tantundem caloris producit, quantum in corpore *patulis* meatibus atque poris inſtructo *fortis* atque *magnus* pulſus præſtat.) Quod idem etiam ſentiendum eſt de *coloris* proportione; vtpote qui, licet ad ſenſum *arctatis* tonica ſtrictura partium meatibus atque poris, ſi tamen *pulſus* energia ſimul notabiliter augeſcat, adeoque gradu *impulſus* decrementum *viarum* compenſet, penetrat nihilo minus aliqua humorum portio etiam ſatis alte; vnde quidem tales non tanta *palloris* excellentia conſpicui ſunt, vt in diuerſo caſu.

Effectus reſtrictionis humorum ad interiora.

§. VIII. Alias autem a largiore vtique *reſtrictione* tonica maſſæ humorum ex ambitu corporis *ad interiora* ſequuntur etiam familiariter in his *anguſtiæ* & *oppletiones*, multiplicibus vtique incommodis patientibus moleſtiam creantes. Minime autem æque *promte*, ne dum *directe*, ab his reſtrictionibus oriuntur ſiue *diffuſiones* penitiores & ſtabiliores, ſiue penitus *ſtaſes* in iisdem partibus; niſi penitus peculiares circumſtantiæ adhuc concurrant: nempe vel ſpecialiſſima *dyſcraſia* ſpiſſa atque coagulaſcens in humoribus, vel peculiaris *relaxatio* ad penitius receptandum in ipſis partibus, vel denique ſpecialiſſime contumaciſſima tonicæ huiusmodi congeſtionis atque compreſſionis ad hæc loca *continuatio* atque *duratio.* Habent autem potius illæ huiusmodi tonicæ *ſtricturæ*, quæ ſanguinem affatim & diutius ad interiora compellunt, hunc inprimis effectum vlteriorem, &, pro circumſtantiarum ratione, etiam vſum duplicem, partim 1) vt aliquid de maſſa humorum in aliquas cauitates *ſecernendum* & effundendum hac ratione ſuppeditent, & *actum* ipſum *ſecretionis* adiuuent in ſuo ordine: partim 2) vt copioſa illa humorum circa has partes *coaceruatione*, pororum & meatuum in hiſce partibus maiore *diſtenſione*, iuuent ita vſum illarum organicum; vt videlicet *colatoria* talia hac ratione magis intime expanſa

panſa maiorem ita, aut certe conſtantiorem non minus, quam certiorem efficaciam, ad præſtandum ſuum officium *ſecretorium*, aſſequantur.

§. IX. 3) Imo vero *placidiores* etiam, ſed vtique *diuturniores* aut *frequentiores* huiusmodi reſtrictiones *tonicæ*, humores verſus *interiora* ſolito maiore confluxu dirigentes, vſurpantur ſubinde ad illas etiam auctiores, tanquam *abſterſorias* transmiſſiones ſanguinis, quæ *inflammatoriis* ſtaſibus diſſoluendis inſeruire debeant. Sunt harum rerum ſpecimina præcipua in *febribus* (1) *intermittentibus*, inprimis *tertianis*; in quibus vti ſtrictura illa *tonica*, e toto corporis ambitu maſſam humorum ad interiora compellens, niſi quid aliud impediat, manifeſto inſeruit partim ad *proluendam*, partim *vehiculi* modo ad faciliorem excretionem adiuuandam materiam illam, quæ in ventriculo aut primis viis ſtabulans cauſſam *continentem* talium febrium conſtituit: *tenacem* nempe, *viſcoſam*, aut *ſolideſcentem*, ex aſſumtis &c. (2) Eſt exemplar huius rei in *continuis acutis*; quæ magis ſucceſſiuis eiusmodi *ſecretionibus & excretionibus* ſeroſis abſolui debent, per *interiora* viſcera, ante omnia *hepar* quam plurimum, perpetrandis. Vnde quidem in his febribus ad vnam omnibus initium totius febris fit ab huiusmodi forti atque copioſa *reſtrictione* humorum *ad interiora*, ſiue, vti vulgus ab effectibus in craſſum ſenſum incurrentibus denominat, ab *horrido frigore*. (3) Cum *inflammationibus* internis autem coniunctæ *febres* habent hanc indolem perpetuam, vt ad *horridulas* eiusmodi compulſiones humorum auctiores verſus *interiora* maxime propenſæ ſint, easque omnibus modis etiam continue ſeruent; (Vnde quidem ita affecti patientes etiam toto morbi decurſu conſpectum illum *macilentiorem* obtuentibus offerunt:) tum etiam ab ipſa *aura* ambiente libera, quantumlibet ſatis temperata imo concalefacta, tamen in *nudis* ſui partibus, *brachiis*, tanto magis autem *pedibus* temere exſertis, tam cito atque certo ad *ſtricturas* eiusmodi inducantur, vt, niſi *actuali* calore extrinſecus per *regimen* adhibito intercedente, perpetua *horridula* perfrigeratione laborent.

Vſus reſtrictionis humorum verſus interiora in febribus,

1) intermittentibus,

2) acutis continuis,

3) inflammatoriis.

§. X. Cum ex aduerſo in eiusmodi febribus, quæ nulla tali circa *interiora* viſcera perpetranda *ſecretione* indigent, nulla huiusmodi *congeſtio*, aut comes eius & pediſſequus *horror rigidus*, vsquam appareat aut locum inueniat, quam diu ſibi conſtant, & legitime ſuccedunt; quod non ſolum in febribus ſanguineis *continentibus*, ſed etiam omnibus

In aliis febribus nulla eiusmodi reſtrictio apparet.

bus malignis *contagioſis*, tam *exanthematicis*, quam cæteroquin *per acutis*, & nudam magis *halituoſam* excuſſionem exſpectantibus, proinde perpetuum eſt: vt ſcilicet hæ omnes, nec ab *initio*, neque toto ſui *decurſu*, *perfrigerationes* & *horrores* veros febriles *ſpontaneos* exhibeant, (id eſt, horum phænomenorum auctores *tonicas* eiusmodi ſtricturas *ſpontaneas*, quæ maſſam humorum ad *interiora* adigant, atque coaceruent.) Vnde omnes horum generum febres, quæ quoquo modo cum veris *horridis* febrilibus perfrigerationibus vel incipiunt, vel concurrunt, a *mixta* ſui, & inprimis *inflammatoria* introrſum, indole, valde *periculoſæ* ſunt, & a ſincero ſibi debito decurſu & exitu periculoſe alienæ.)

Stricturæ ingraueſcentes in ſpasmos tranſeunt.

§. XI. Quo magis autem huiusmodi *tonicæ* ſtricturæ ingraueſcunt, eo propius transeunt in *ſpaſticam* indolem: vnde quidem ſtricturæ horum generum, quæ ipſas etiam *muſculoſas* partes iam comprehendunt, formant non ſolum (1) *tenſiones* eiusmodi *inquietas*, quæ patienti obſcurum illum, ſed moleſtum ſenſum incutiunt, vt ille propterea nullum *ſitum* diu ſeruare poſſit, ſed mutatione eius ſubinde noua ſibi conſulere laboret; ſed etiam (2) actuales *ſuccuſſationes* tremulas experiatur, quibus proprie *horror* febrilis abſoluitur.

Mediæ indolis eſt ſenſus ille criſpatorius & repentina horripilatio.

§. XII. Sicut etiam medium veluti inter hæc locum occupant illæ *ſenſationes*, quæ *criſpatorium* quendam, & vt vulgo loquuntur *formicantem*, quaſi *formicarum* curſantium, ſenſum exprimunt; ſicut etiam *horridula* magis quam *frigida* eiusmodi percurſatio ſubinde percipitur admodum *volatica* atque *tremula*, quæ breui transcurſu corpus leuiter pererrat: cuius ſpecimen eſt illa repentina & vere *volatica horripilatio*, quæ paſſim etiam ſanis aliquando obtingit, quam vulgus Germanorum ioculari formula notat: **es lauffe ihm der Tod über das Grab.**

Reſtrictio ſanguinis ad interiora a repentino terrore.

§. XIII. Ceterum in *valde plethoricis*, ad minimum pro ſolita illa *anguſtia* circa præcordia, poteſt ſine dubio aliquid conferre *reſtrictio* illa ſanguinis repentina copioſa ad interiora, quæ a *terrore* repentino vehemente cito cooritur; a qua pariter conſpectus ille non magis *pallore*, quam *tabida* illa extenuatione præcipiti elucens, quem eundem Germani enunciare ſolent: **ſie waren erſchrocken daß ſie alle ausſahen wie die Leichen.** Quamlibet re vera etiam a mediocri *terrore*, quo corporis peripheria nihil magnopere alteretur, repentinus eiusmodi ſenſus, tanquam *compunctorius* in præcordiis ſentiri ſoleat; qui velut *ictum*

ictum quendam repentinum ibidem exprimat: vnde iterum plebs: **ſeyn erſchrocken, als wann ihnen ein Meſſer durch das Hertz gefahren wäre.** Vbi etiam adhuc nimio importunior eſt illa ab eiusmodi grauibus *terroribus* tandem vere *conuulſiuo-ſpaſtica* vehementiſſima *anxietas*, quæ fæminis interdum poſt graues terrores, circa eadem ipſa *præcordia*, ita obtingere ſolent, vt etiam *ſuffocationes* inde incurrant, *ſenſu* præcipuo circa *ſcrobiculum* cordis, vnde conqueruntur, **es wolle ihnen das Hertz abdrucken.** Progredimur autem hinc merito ad *ſpaſmos*

Conuulſiuo-ſpaſtica anxietas a grauibus terroribus in fœminis.

MEMBRVM II.
DE
SPASMIS.

§. I.

SPASMI, vſitatiore ſenſu vocabuli denotant inprimis *rigidiores* & omnino *ſenſibiles* eiusmodi *tenſiones*, quibus vel membra tota ad aliquod temporis ſpatium ita *rigide* trahuntur, vt non ſint in poteſtate patientis, donec illa vis remittat. Eſt autem omnino *ſpaſmus* ipſius vtique *tonici motus* eiusmodi exacerbatio, qua ille ad talem admodum ſenſibilem gradum *intenſus* patientes ita grauiter exercet, imo ſubinde etiam ad acrem vsque *dolorem*, ac ſi ruptura parti impenderet, inualeſcit.

Spasmi quid denotent.

§. II. Huiusmodi *lenti* atque *rigidi ſpaſmi* contingunt familiarius magis in ſingularibus corporis *partibus*, quam latius patentibus *regionibus* totis: vnde in *manu*, *pede*, *crure*, *brachio*, in aliquo *muſculo* femoris viſibiliter ſe exſerunt, exemplis paſſim & indies occurrentibus. Longe vero *rarior* eſt *vniuerſalior* aut late admodum ſe diffundens huiusmodi *ſpaſticus* actus, cuiusmodi ſub nominibus *tetani*, *emproſthotoni*, *opiſthotoni* aliquando contingit. Nequaquam autem improbabile eſt, etiam *thoraci* interdum obtingere huiusmodi acres *ſpaſmos*; qui ſumma ſui energia *reſpirationem* intercipiendo dubiam ita reddant *apoplexiæ* aut *catarrhi ſuffocatiui* indolem.

Spaſmi particulares.

vniuerſales,

Thoracis.

Deprehendi certe huius generis exempla duo manifeſtiſſima, quæ in diſſertat. epiſtolica *de motu tonico vitali*, æque ac alibi, memoraui: in quo vtroque caſu a neglecta, olim tamen *conſueta*, *ſacrificatione* patientes eiusmodi *ſpaſtica conſtrictio rigidiſſima ſcapularum*, quin totius auerſæ partis thoracis corripuit, vt vterque, inprimis autem ſenior ille, vix tantum ad *reſpirationem* libertatis retineret, ne plane *ſuffocaretur*. Quæ quidem vehemens *ſpaſtica* contentio cum apud vtrumque ad minimum totos tres dies ita perennaret, facile certe fuerit hariolari, quomodo talis, ſi adhuc vehementior cooriatur, vt *reſpirationis* etiam vix vllum veſtigium relinquat, & ſimul ita diu continuet, negotio *circulationis* ſanguinis ſufficientis vtique tantum præiudicii adferat, vt ante tertium diem mors ſubſequatur.

Quomodo apoplexia a ſuffocatione oriatur.

Opinione interim ſimplicis e *capite* oriundæ *apoplexiæ*, ſicut certe etiam ex huius generis *ſuffocatione* per *reſpirationem* interceptam *regurgitationem* atque *reſtagnationem* in *capite* cooriri poſſe tantam, quæ deinde partim *cruentis*, partim *ſeroſis* effuſionibus circa ambitum cerebri diuerſa phænomena exhibeant, nemo puto facile dubitabit, nedum mirabitur.

Spasmi capitis.

§. III. *Minores* & magis quaſi *ſingulares* partes inuadunt & exagitant *ſpaſmi* per varia corporis loca, & vere, vti vulgo loquuntur, a capite ad calcem. Ita enim circa ipſum *caput* infamis maxime eſt *ſpaſmus Cynicus*. In *occipite* vero notiſſimus certe eſt practicis *ſpaſticus* ille affectus, qui, *fœminino* præcipue ſexui vſitatior, cum aliis *rheumaticis* atque *hemicranico-arthriticis* pathematibus infimum *occiput*, nempe *muſculos* illos, qui capitis erectioni & in vtrumque latus *conuerſioni* ſuccurrunt, prehendit; cum tanta ſubinde vehementia, vt non ſolum *rigidam*, *ſpaſticam*, caput circumflectendi impotentiam inde experiantur, ſed etiam *contentionem* illam *ſpaſticam* tenſam atque rigidam ita ſecundum ſitum horum muſculorum exquiſite perſentiſcant, vt etiam ex illis partim verſus vtrumque *latus* ceruicis, partim ſecundum *longitudinem* eius ſitis muſculis, tanquam *animalculi* cuiusdam, *muris*, ideam ſibi concipiant, & veluti expanſis atque defixis eius *pedibus* ita caput, ſeu potius ceruicem, correptam detineri pronuncient.

In collo,

§. IV. Circa collum etiam affectus illos *tenſiuos*, quos ex incommodo ſitu inter dormiendum ſubſequi familiare eſt, & vulgo ita enunciant, ſie haben übel gelegen, es ſey ihnen der Hals davon gantz ſteif, daß ſie ſich nicht wohl umſehen können, *ſpaſmis* plurimum debere, in propatulo eſſe videtur. In *manibus* & *pedibus* ſtricte dictis,

manibus & pedibus,

parte

parte etiam *brachii*, quæ *cubitus* vocatur, æque atque *cruribus*, *ſpaſmos* vti maxime *ſenſibiles*, ita vere etiam plurimum familiares eſſe notum eſt. *Oeſophagi* æque atque ipſius *ventriculi* noti ſunt & paſſim obuii eiusmodi *ſpaſtici* veluti *rigores*, qui *deglutitionem* impediant, aut certe *morentur*, aut poſt pauca aſſumta tanta *contentione* renitantur, vt etiam non ſolum nihil vltra ventriculus admittat, ſed illud etiam, quod huc vsque quoquo modo recepit, non niſi cum ingente *contentione* ferat, imo ſummam inde *anxietatem* & *anguſtiam* patientibus exhibeat, vt magnis querimoniis deteſtentur, es ſeye nicht anders, als wolte es ihnen das Hertze abdrücken. œſophago & ventriculo.

§. V. Ita varias etiam *ſpaſticas*, *ſtabiles* atque rigidas contentiones in *colicis* torminibus verſari, nemo puto dubitare poterit, qui animum decenter aduerterit ad illas circumſtantias, quæ *colica* laborantibus ſenſum illum conciliant, quem enunciant verbis, es drücke ſie wie ein Stein im Leibe, als wann alles darinnen zerſpringen, oder der Leib ihnen aufplatzen wolte. Sicut etiam in ita mortuis diſſectione ſæpe reperiuntur firmiſſimæ tales *ſtricturæ* inteſtini coli, quæ portionem *flatu* diſtentam *vtrinque* ita rigidiſſime *conſtrictam* tenent, vt etiam ſtylo, niſi per vim, nullus pateat aditus. Maxime vero conſpicua eſt huiusmodi *ſtrictura* ſpaſtica in ipſis communiter etiam altioribus *colicis* doloribus, in ipſo *inteſtino recto*; quibus nempe hoc tanta contentione ſtringitur atque tenetur, vt neque *cannulam* clyſticam, ne dum altius ipſum *clyſterem*, admittat. In abdomine, præcipue inteſtino colo, inteſtino recto.

§. VI. Ita etiam *ſtranguriam* plurimum debere *ſpaſticæ* indoli, neminem puto ſerio dubitaturum eſſe. Sicuti *veſicæ calculo* acerbe commoto *ſpaſmis* inprimis tribuenda eſſe vehementiſſima illa pathemata, quæ ita affectos immaniter excruciant, vti quidem nemo etiam dubitat: ita cum tamen vulgata acceptio *promiſcua ſpaſmi & conuulſionis* forte crucem, quod aiunt, figere hic alicui poſſet, compareret certe per diuturnam æqualem *contentionem*, quæ his doloribus familiaris eſt, *ſpaſmi* potius *rigidioris*, quam vagæ atque *reciprocæ conuulſionis* indolem ſubeſſe. In veſica.

§. VII. Ita etiam *teneſmus* non immerito *ſpaſmo* magis quam *conuulſionibus* annumerandus videtur; cum *conuulſiui* quidam in inteſtino recto motus, ſeu *morſus* veluti acutiſſimi vere *conuulſiui*, *breues* & *vehementes*, ab illa ſimplici *teneſmi ſpaſtica* indole nimium quantum recedant, maxime in eo, quod *teneſmus* omnino fixus ſit in hoc loco, ne- Teneſmus ſpaſmis potius quam conuulſionibus annumerandus eſt.

neque tam ſummam moleſtiam, neque periculum altius euagantium conuulſionum portendens: cum illi *conuulſiui* morſus & in ſe velut intolerabiles exſiſtant, & in reliquo etiam corpore veras *conuulſiones* velut *epilepticas* ſæpe commoueant. Interim minime quidem lite dignam cenſeo hanc *ambiguitatem*, & liberum facile facio, cui generi hæc talia adſcribere placeat, & *ſpaſmos infeſtiores conuulſiuæ* ipſi indoli admouere. Illud vnum ſolum ego quidem conſidero, quod *pertinacia* diuturna *æqualis* vniformiter potius contendens, quam vagis motibus *inſultans*, nec in veras & quod aiunt, confeſſas *conuulſiones* vlteriores facile procliuis, a ſtricte dictarum *conuulſionum* genio vere diſtincta, *ſpaſtica* potius cenſeri mereatur.

Spasmorum a conuulſionibus diuerſitas.

§. VIII. Quandoquidem in his maxime circumſtantiis verſari arbitror *ſpaſmi* a *conuulſione diuerſitatem*, quod ille quidem *lentus*, *ſtatarius*, *immanens*, & in ſe minus *periculoſi* ominis exſiſtat: Cum ex aduerſo *conuulſiones vehementes*, *inſtabiles*, *latius vagantes*, *periculoſæ* exſiſtere ſoleant. *Spaſmorum* etiam, vt aliorum huiusmodi motuum in corpore *viuo*, cauſſam magis conſiderandam cenſeo *impulſiuam* ſeu *finalem*, quam ſimpliciter vllam *materialem*.

Cauſſa moralis ſeu finalis ſpasmorum.

§. IX. Qua quidem de re non poſſum quin deſignem inſcitiam quorundam recentiorum, qui *moralis*, nempe *finalis* reſpectus ignari, & verbis illi aduerſantes, tamen ipſa re nihil prorſus aliud dicunt aut agunt, niſi vt de *impulſiua* agendi ratione ſententiam ſuam ita dicant, vt, quod Latini aiunt, pedibus in ſententiam eant. Nempe, quicquid de huiusmodi *motibus* etiam quomodocunque p. n. ſpeculantur, ſuperſtruunt *irritationibus;* non PER quas, tanquam *corporali mechanico* actu atque impulſu, partes agitentur, ſed omnino PROPTER quas partes, vt illi loquuntur, ſe contrahant. Vbi certe quicquid de *inſito niſu*, ingenita *vi motrice*, (nempe *organice*, in *machina* ORGANICA, *ſociis reſpectiuis* motibus & *complexis* actionibus) dici poſſit aut ſentiri, ſemper tamen certe motus ita *conſequens*, non tam vsquam A cauſſa eiusmodi qualicunque tandem, neque PER illam, vt ſimplicius *inſtrumentaliter*, ſed certo PROPTER illam *finaliter* ita geratur, atque ſequiatur. Adeoque *finalis* ille reſpectus ſiue *propter* qualemcunque ſenſum, ſiue *propter* qualemcunque intentionem corpus conſeruandi, & illic *moleſtias* hic *damna* auertendi, omnino ſatis luculenter compareat.

§. X.

§. X. *Materialis* cauſſa, *interna* atque domeſtica, ſunt ſine dubio *humores*; & maxime omnium quidem ipſe *ſanguis*. Vnde ipſe *Hippocrates* non ſolum *pueris* & *infantibus*, maxime παχυτάτοις, *habitioribus* (apparentibus, *laxioris*, *diffuſioris*, *ſpongioſioris* texturæ,) præ aliis familiariores eſſe notat: ſed etiam *ſpaſmos* conſequi vel *repletionem*, vel *inanitionem*, definit. Vbi ſi *effectus ſpaſmi*, rigidæ tandem *ſtipationes* a *contractione*, diſtinguantur ab ipſo *actu* contractionis, & acriores veræ *conuulſiones* a ſimplicioribus veris *ſpaſmis*; poterit facile apparere, quo fundamento nitatur aſſertio illa de ſpaſmis AB *inanitione*, quem vero locum ſibi vendicet & ordinem prioritatis ad prouocandos ſpaſmos *abundantia* ſeu *repletio*. Nam ſicuti etiam antea monuimus, & in *phyſiologia* latius tractauimus, cum ipſa *ordinaria tonici motus energia* proprie humorum progreſſui deſtinata ſit, quos intenſione ſui fortius premit, & propellit: ita ſicubi neceſſitas poſtulare videtur, vt alicubi impeditius progrediens ſanguis *preſſione* auctiore *iuuetur*; vtpote qua decente proportione adminiſtrata, niſi quidem penitus *coagulatus* ſit, citra vllum dubium promouebitur: & difficultas illa ita explicabitur, compenſata aliquali illa *mobilitatis* impotentia per augmentum *impulſus*. Cauſſa materialis.

§. XI. Cum autem difficultas illa *ſucceſſus* proprie concernat ipſos *poros* partium, & ante omnia quidem *muſculoſarum* ſeu vulgo dictarum carnoſarum; vtpote per quas præſertim, maxima copia imo ſano ſenſu totus, *ſtricte* dictus ſanguis circulatur: fieri aliter vix poteſt, quin *ſpaſmis* præ aliis expoſiti ſint illi, qui talem non ſolum *humorum*, ſed etiam *partium* conſtitutionem atque proportionem quam maxime poſſident, quæ tali laborioſiori *progreſſui* magis expoſita videatur; nempe *humoribus* quidem multis atque ſpiſſis, partibus autem *valde* ſpongioſis inſtructi. Vnde etiam veritas huius rei maxime ſeſe ſiſtit tum in ſimplicibus ſtricte dictis *ſpaſmis*. Quandoquidem vere homines *laxioris* habitus corporis *ſpaſmis* etiam ſimplicioribus magis vexari, quotidiana experientia teſtatum facit. Ita vero etiam ſpaſmi *ſubtiliores*, & eo ipſo maxime *ſenſibiliores*, *arthritici*, longe magis cadunt in homines *laxioris* habitus corporis, quam *ſtrictioris*: (niſi vel *hæreditaria* diſpoſitio, vel *externæ* cauſſæ, per *arbitrarios* abuſus *vini*, *veneris*, *animi pathematum*, *frigoris*, & inde ſubnaſcentium etiam *rheumatiſmorum*, adſcititias diſpoſitiones introducant.) Subiecta ſpaſmorum.

§. XII.

Alia adhuc ſpaſmorum ſubiecta.

§. XII. Quod denique *ſpaſmi* etiam a diuturna *voluntarii* motus continuatione cooriri poſſint, inprimis ſi membrum aliquod, v. gr. *manus*, illud quod comprehendere debet non ſatis complecti valet, ſatis notum eſt, imo ne vulgo ipſi incognitum. *Aetas* autem poteſt hic etiam ita ſatis multum; dum, ſicuti ſanguinis *craſi* varie alterandæ, ita etiam *excretionibus* circa loca corporis, *muſculis* copioſius ſtipata, præcipue fauens *annoſior* magis magisque, vel etiam per *adſcititias* maxime cauſſas, *diætæ* aut *laborum*, aut *animi pathematum*, magis, quam in prima iuuenta his effectibus idonea, plurimum vtique ita hic præſtat, vt aliis, *iunioribus*, minus, aliis autem magis familiares euadant *ſpaſmi.*

Differentia ſpaſmorum.

§. XIII. *Differentia* ſpaſmorum non eſt etiam negligenda, vti mihi quidem videtur. Diſtinguo autem illos in *muſculares* & *fibrillares*: quorum *illi* quidem totum magis muſculum afficiunt; hi, *fibrillares*, *portionem* ſolum muſculi, paucas imo plus minus ſingulares *fibras*. Huiusmodi *ſpaſmum* agnoſco maxime in omnis generis *arthriticis* doloribus; vnde etiam tandem in totorum muſculorum *complexum* ſeſe expandit: eo ipſo vero diſtributa ita vehementia, quæ prius in ſingulares *fibras* incubuerat, dolorem illum exquiſitum omnino aufert atque ſuſtollit.

Effectus ſpaſmorum.

§. XIV. Effectus ſpaſmi qua talis nullus eſt alius, quam vt per *ſtricturam* partibus ita inductam, atque ita *poroſitate* illarum, tanquam ſpongiæ more expreſſa, humores in illis contenti ita exprimantur. *Vſum* interim *ſingularem* atque *directum* habet vtique nullum; dum magis tanquam in *ſubſidium* nudum, quam ad directum aliquem *effectum* inde ſperandum quadrat. Loquor tamen hoc de ſpasmis *particularibus*, & maxime quidem in ipſis *exiguis* partibus: quod enim *vniuerſaliores* illos *horridos* concernit, aſſequuntur vtique illi adhuc propius non ſolum veriorem atque euidentiorem, ſed etiam vtiliorem *effectum*, cui deſtinari tanto magis inde apparent.

Vſus.

Euentus illorum.

§. XV. Habent etiam ipſi hi tales *ſpaſmi* diuerſum *euentum particularem*, ab illa diuerſa ſui *accidentali* per indiuidua variatione; dum illi quidem, *vniuerſaliores*, quando repentino, vehemente, & ſimul diuturno impetu inſtruuntur, tam repentina, quam intimiore atque *pertinaci* congeſtione & ſtagnatione ad *inflammationes internas* inducendas plurimum vtique valent. *Partiales* autem ſpaſmi quo magis etiam ipſi impetuoſe, & vehemente quidem ſed tamen *breuiore* con-

ten-

tentione, aut in partibus dignioribus, v. gr. *capite*, contingunt; vel etiam nimis *diuturnis*, & ſimul admodum *fortibus* contentionibus inſiſtunt: vergunt ita vtroque modo ad *conuulſiones*. *Iuniori* ætati ſi *ſpaſmi*, etiam *ſimpliciores*, *frequentius* & quoquo modo *pertinacius* obtingant, & velut in *conſuetudinem* abeant, exſpectandi his ſunt *augeſcente* magis magisque ætate *ſpaſtici* illi affectus, qui cum maiore pertinacia atque *contentione* corpus obſidere ſolent: nempe *arthritici* variorum generum. *Senibus* coorientes ſpaſmi *fortiores*, olim minus adſueti, minantur *apoplexiam*, *aſthmata conuulſiua*, *catarrhos ſuffocatiuos*, *paralyſes*. Omnes nempe ſpaſmi *particulares* teſtantur de *conatu* quidem aliquo naturæ, ſed *incompleto*, & eo ipſo ad directum aliquem effectum *irrito*: interim datis occaſionibus ſufficientibus etiam ad maiora incommoda exardeſcere non ſolum idoneis, ſed paſſim etiam promtis vniuerſis cauſſis. *Acutis* morbis, *vulneribus*, *cerebri* commotionibus ſuperuenientes *ſpasmi* ſunt omnes periculoſi, & ad *conuulſiones* propenſi, adeoque mali ominis. Dum *ſimplices*, in rebus etiam de reliquo *tranquillis*, & *plethoricæ* atque ſanguineæ corporis diſpoſitioni ſuperuenientes, perpetuo magis *innoxii*, quantum ad *pericula* conſideratu digna, exſiſtunt.

MEMBRVM III.
DE CONVVLSIONIBVS.

§. I.

QVemadmodum in rebus ſuis, adhuc quantumcunque bonæ ſpei admittentibus, tanto magis autem inſigniter adhuc tranquillis, *moderate* admodum, *ordinate* atque *ſucceſſiue* natura motus ſuos exercere ſueuit: ita vbicunque ab hac moderatione deſciſcit, non caret vnquam ſuſpicione, imo promittit potius certius *periculum* eiusmodi conſtitutio. Indicium nempe faciens minime fallax laboris ita vere inſoliti, ſibi obiecti, cui illa non niſi inſolitis *modis* atque *methodo* ſuccurrere confidat. Imo vero, quod adhuc plus eſt, *laboris* a naturali indole œconomiæ corporeæ tanquam prorſus in diuerſum abeuntis,

Motus naturæ inſoliti laboris etiam inſoliti indicium faciunt.

quem ita *contrario* plane, quam alias ſolet, more atque modo aggredi vel *neceſſe* habeat, vel per qualemcunque ſiue *errorem* ſiue ad minimum *perturbationem* ſuſcipiat, tanquam ſui ipſius incerta.

Conuulſiones huius teſtes ſunt.

§. II. Teſtis huiusce rei eſt inprimis *conuulſionum* apparatus; nempe *vitalis* motus *tonici repentinarum*, *acrium*, imo ſubinde *violentiſſimarum* agitationum: quibus interim nulli cuiquam *fini* aut *intentioni* vere ſatisfiat, præterquam *generaliſſimæ*, *amoliendi* vtique operoſe atque potenter *amouendi* aliquid, quod eo tempore *moleſtum* imo potius *noxium* corpori exſiſtat, idque obſideat. Certe enim conſtans ſibi natura peragit *tonicos motus* ita *placide* & omnino *tacite*, vt illi etiam totam ſcholam medicam fefellerint; Imo ſi quid in eo genere, cui hi *motus* proprie debentur, deficit, *moderate* tamen quantumcunque atque *placide* reparari aptum: inſtruit quidem etiam ibi aliquos *auctiores* huiusmodi motuum conatus, non tamen nec *impetu*, neque *ſucceſſu*, nec *exitu* ſeu duratione, neqne *turbulento* per inſultus vagos *reditu*, vllatenus tam longe a vera naturali *moderatione* recedentes; nempe *ſpasmos* variorum generum atque diuerſarum partium. Ab his abeunt vtique *impetus* illi, quando tanquam ex improuiſo non ſolum ad inſolitum motuum eiusmodi *gradum* conuolat natura; ſed etiam non *diu* vno loco aut modo eidem inſiſtit, ſed potius cito & cum impetu *inuadendo*, mox autem iterum *deſtituendo*, paulo poſt iterum ex improuiſo *reaſſumendo*, *trepidum* vtique quiddam circa ipſam omnino *intentionem* agendi ſubeſſe, non obſcure indicat.

Conuulſiones a cauſſis ſimpliciter moralibus producuntur.

§. III. Quod ne iuxta vulgatum morem gratis ita opinari videar, confirmo teſtimonio penitus legitimo, dum etiam a ſimpliciter *moralibus*, & ſine omni tropo veris atque certis repentinis grauibus *trepidationibus*, a *terrore* ingente familiariſſime omnium veluti *directe*, certe ſimpliciter, & vbi nulla vsquam *materialis* culpa ne dum *proportionata* argui poſſit, *conuulſiones* producuntur. Et quidem non ſolum præſentibus aliquot *inſultibus*, aut quomodocunque continuantibus ſucceſſibus moleſtæ: ſed etiam interpoſitis interuallis *reuertentes*, imo vel ab his ſolis initiis in *habitum* & *adſuetudinem* transeuntes; ad minimum autem promtiſſime iterum *recrudeſcentes*, quando pares cauſſæ *morales*, *terroris* inprimis, tum etiam *iracundiæ*, quin imo ipſius vsque *gaudii*, *deſiderii* vehementis, interueniunt. Illud vtique eſt ſatis certum, quod *conuulſiones* etiam *materialibus* cauſſis circa negotia corporis neque facilius ſuperueniant, neque certius quam talibus,

quæ

quæ vel *ingens*, ſed etiam *præceps periculum* corpori minantur, aut ſtabili atque perpetua *moleſtia* corpus exagitant; inprimis circa loca corporis *ſenſibiliora*, ante omnia vero circa ipſum *caput*, *inteſtina*, *conſpirationes uterinas*.

§. IV. Conſiſtunt vero *conuulſiones* vere atque proprie in *motu muſculoſarum* præcipue partium *reciproco*; nempe *trahente* atque *remittente* per breues temporum menſuras, vere iuxta vſitatum vocis ſenſum *vellendo*, nempe *raptim* trahendo, & propemodum per breuiora temporis interualla tam iterum *remittendo*, quam *reuertendo*. Imo *inualeſcentes* conuulſiones exagitant ſatis familiariter *reciproco* non *motu* ſolum, ſed omnino etiam *ſitu* ipſas partes: vt nempe non ſolum verſus vnum *terminum* ſitus ita vehementer partem rapiant; ſed etiam mox iterum ſecundum alterum quemcunque, imo etiam *oppoſitum* terminum, non tam ſimpliciter *remittendo*, quam vere *trahendo*, ducant & agant. Conuulſiones conſiſtunt in motu reciproco.

§. V. Notanda vero vtique ſimul venit in conuulſionibus grauioribus, latius corpus afficientibus, & plures partes corripientibus, *alienatio cogitationis*, ſeu *ſenſuum internorum*, vt loquuntur, talis *obnubilatio*, vt neque quid fiat, neque quid factum ſit, quando iam deſinit impetus, commeminerint. *Duæ* ſunt peculiares *circumſtantiæ*, quæ vulgo grauioribus conuulſionibus iungi ſolent, *pollicis* in pugnum impreſſio, & *ſpumæ*, aut certe muci ſaliualis, ex ore effluxus: illa etiam mox ab *initio* paroxyſmi; hic magis ſub eius *finem*. Interim vt illa omnibus conuulſionibus *grauioribus & vniuerſalioribus* familiaris eſt: ita non æque ſimpliciter eadem eſt ratio alterius, *ſaliualis* inquam illius eruptionis; niſi in illis caſibus, vbi conuulſiones inprimis circa ipſum *caput* quam plurimum turbarum exhibent, inprimis *maxillas* valde exagitando, cum *dentium* vehemente colliſione. Qualis quidem conſtitutio præcipue familiaris eſt & tertio, vti vulgo numerant, modo (*omni*, licet non *ſoli*) *propria*, *epileſiæ*, & *iuniorum* maxime etiam aliis *ſymptomaticis* conuulſionibus. Alienatio ſenſuum internorum in conuulſionibus. Pollicum impreſſio in pugnum & ſpuma oris.

§. VI. *Diſtinguendæ* nempe ſunt conuulſiones ſecundum reſpectus hos *complicationis* cum alio quocunque affectu, magis aut minus euidente. Quando ſine huiusmodi euidente *complicatione* corpus exagitant, aut certe nullam *proportionem* cum illius vel *phyſica* vel *morali* vehementia præ ſeſe ferunt, ſed potius propria ſui vehementia excellunt, ibi habentur pro ſincerius *epilepticis*. Quando vero alteri Conuulſionum differentia ab epilepſia.

ſonticæ corporis periclitationi ſuperueniunt, habentur familiarius pro ſimplicioribus *ſymptomaticis* motibus conuulſiuis. (Hæc certe apparet verior ſecundum praxin, & citra inutiles λεπτολογίας, differentia inter *epilepſiam* ſtrictius dictam, & *conuulſiuos* motus reliquos. Quod enim e ſola *vehementia* differentiam facere velimus, non certe videtur conuenire, cum etiam *epilepſiæ* dentur aliquando per initia, aliquando diuerſis vicibus ſucceſſuum, ſatis *mites*, nempe minus vehementes, adeoque ſi talis conſtituatur *formalis ratio*, illam omnino fallentes. Cum ex aduerſo allegata hæc diuerſitas quoquo modo penitus rei quadrare atque ſatisfacere omnino videatur.) Interim dantur etiam *epilepſiæ*, quæ non æque plenam totalem eiusmodi *mentis* obnubilationem ſecum ferant; rarius tamen, quin ad minimum ingentem gradum eiusmodi perturbationis comitem habeant, vt vix ſatis ſui, aut eorum, quæ faciunt, *memores* maneant eiusmodi patientes.

Cauſſæ conuulſionum.

§. VII. Quod iam *cauſſales* reſpectus etiam huiusmodi conuulſiuorum motuum concernit, non habeo quod de illis ſpecialius aliud quiddam ſentiam, quam *generaliter* de exacerbationibus motuum iam dum dixi; nempe quod plus in his *moralis* ſeu *finalis* rationis & *reſpectus*, quam quoquo modo *phyſici* corporei *impulſus* ſubſit. Certe enim, vt vndique alibi, ita hic etiam in *conuulſionum* negotio abunde apparet defectus ille omnis connexionis, qui aſſertiones illas de corporali *vellicatione* atque *ſtimulatione* premit. Sicut enim non tantum variæ *ſpecies*, ſed inprimis inenarrabilis *numerus* exemplorum quotidie occurrunt *affectuum* talium atque *caſuum*, in quibus dubium vtique nullum ſit, quin vera *acrimoniæ*, iam in proxima *potentia* iam in ipſo *actu* conſtituta, præſto ſit, & tamen nullus huiusmodi effectus *conuulſiuus* ſequatur: ita eadem certitudine nota eſt etiam illa harum rerum circumſtantia, quod in ipſis illis affectibus, in quibus etiam denique *conuulſiones* interdum cooriri contingit, tamen nulla ſit ipſius affectus, aut materiæ eius, ſatis probabilis ad ſimpliciter *ſtimulandum*, iuxta hypotheſin, efficacia.

Exemplo variolarum demonſtratur, quod nulla materialis efficacia conuulſiones producat.

§. VIII. Ita enim v. gr. *quot* quæſo *millia* infantum corripiuntur *variolis*, non ſolum *benignioribus*, commode ſuccedentibus & exeuntibus, ſed tamen *copioſis*; verum etiam *male* ſuccedentibus, & e quibus tandem intereant, citra nihilo minus concurrentes vel *vllas*, vel certe *proportionatas conuulſiones*. Dum interim aliis *conuulſiones* accidunt, & quidem, qui etiam poſtea ſatis *paucas*, imo interdum etiam *valde*

valde paucas, eiusmodi puſtulas excludunt. Omnino autem certiſſimum ſit, quod hic caſus accedentium variolis *conuulſionum* re vera ita rarus ſit, vt, ſi res recte æſtimetur, vix *centeſimus* (non fefellero, ſi dicam *milleſimus*) quilibet infans in variolis vllo conuulſionis inſultu tentetur. E quibus certe rebus palam eſſe poteſt, quod minime veriſimiliter ipſa *materialis* affectuum talium conſtitutio, *actione* etiam *materiali*, hoc ita præſtet & efficiat, vt quacunque *vellicationis* energia hos prouocandæ conuulſionis effectus edat; cum alias vtique ſi non ſimpliciter *perpetua*, tamen vtique *familiarior* eſſe deberet eiusmodi huius ſpeciei morbi efficacia, aut quarumcunque tandem aliarum, quibus *conuulſiones* accidunt, ſpecierum. Quod cum in nulla vna ſpecie vere ita fiat, vt inde, decente probabilitate, *proprio morbi genio per eſſentiam*, quod aiunt, tribui poſſet; ſed ſimpliciter *per accidens* cooriri reputandum ſit: poteſt inde facile colligi, quid tandem roboris inſit eiusmodi opinionibus.

Alia opinio quod vellicans, irritans atque ſtimulans materia in genus neruoſum debile incidat.

§. IX. Eiusdem autem, niſi quidem craſſioris, commatis eſt etiam illa loquendi formula, quantumlibet fere vulgo ipſi huic alteri opinioni ſuccenturiata, quod *vellicans* illa atque adeo *irritans* atque *ſtimulans* energia edat hunc talem ſpecialem effectum, maxime eo, quod in *genus neruoſum* incidat; & inſuper quidem, ne hic etiam fabulæ perſona deſit, *debile*. Certe enim tam parum vlla veri ſimilitudo oſtendi poterit, quomodo illæ *materiæ* in tot innumeris exemplis *genus neruoſum* vel attingere vel affi.ere non poſſint; in aliquibus autem hoc faciant: ne dum an hoc, quando ita fiat, non ſimpliciter etiam caſu & per *accidens* ita eueniat, ſed magis *eſſentiali* aliqua certa diſpoſitione in talibus ſubiectis occurrente. Dum interim longe & certius eſt, & omnino etiam euidentius, quod in huiusmodi exemplo *conuulſiones* tunc quam maxime cooriantur, quando *excretio* debita ad ſuperficiem corporis non decenter ſuccedit: quam eo maxime ita diſtineri atque impediri, quod materia illa *generi neruoſo* inhæreat, & ab eo extricari non valeat, neminem puto ſerio aſſeueraturum eſſe.

Quibus affectibus conuulſiones maxime ſuperueniant.

§. X. Illud autem certum eſt, quod *conuulſiones* maxime ſuperueniant affectibus vel cum plurimo *periculo* complicatis, interim autem non ſatis ſalutariter *procedentibus*; cum tamen interim non ſolum *intentio* vegeta & alacris, ſed omnino iam *tentamina* per *auctiores motus* tali periculo occurrendi atque reſiſtendi, in promtu aut plane in actu iam exſiſtant; aut ſuprema tandem vis & vltimi conatus adhuc ſu-

perſint, quibus eiusmodi *pericula* tentare & *oppugnare* ad minimum, ſi minus *expugnare* detur, vnum adhuc ſit integrum: vel ſuperueniunt *conuulſiui* motus *diuturnis* etiam ſubtilibus & minus craſſo modo *ſenſibilibus* moleſtiis, *eliſionem* qualemcunque promerentibus. (In quam rem e multis aliis exemplis allegare licuerit illud apud *Hildanum*, vbi a *globulo vitreo auri profundius intruſo*, poſt alia *ſenſibilia* pathemata, tandem *epilepticæ* conuulſiones vehementes atque pertinaces ſucceſſerunt, quæ hoc tandem iterum educto ceſſauerunt.)

Cauſſæ conuulſionum corporales.

§. XI. Quantumlibet autem etiam ego ipſe quam maxime conſentiam, quod generatim conſiderando conuulſionum cauſſa ſit *irritatio*: minime tamen idem ſentio circa *ordinem atque modum* irritandi, quaſi nempe hic conſiſteret in eiusmodi craſſa *corporea* immediata *ſtimulatione* neruorum, imo ne quidem integrarum partium; ſed potius *generaliter* in tali vtique certa *deſtinatione* atque *intentione*, aliquid vt *moleſtum* immediatis propulſoriis, imo vt *periculoſum* expulſoriis, *motibus* amoliendi. Fauet certe huic conſiderationi indoles plurimarum euidentiorum cauſſarum, quæ non ſolum *certius*, ſed inprimis *grauius* conuulſiones concitare valent. Sunt autem hæ partim *corporales*, partim *incorporeæ*. Inter *corporales* numero inſignem *craſſitiem* ſanguinis, quæ vtique ad minimum vt cauſſa coniuncta & potenter *concurrens* in multis ſubiectis & exemplis efficaciam ſuam teſtatur.

Craſſities ſanguinis.

Ita recordor eiusmodi exempli in muliere nondum nupta, ſed iam 30. annis appropinquante, quæ quotidie pluribus paroxyſmis epilepticis obnoxia, cum ipſi ſuaſu Medicorum vena mediana ſecaretur, & nihil ſanguinis efflueret, chirurgum repetita ſectione vulnus venæ dilataſſe: e quo cum neque tunc flueret ſanguis, ſed emicaret ſolum tanquam fruſtum coagulatum, volſella arreptum hoc ad digiti longitudinem coagulatum ita e vena protractum, ne tunc quidem, niſi parce ſuccedente ſpiſſo & vix ſemifluido vlteriore. Quemadmodum etiam quotiescunque adhuc videre contigit ſanguinem V. Sne detractum epilepticis; qui non manifeſtius ab hæreditaria diſpoſitione, aut ſimplicius ab animi pathematibus initia, aut a longa adſuetudine, proteruam promtitudinem cooriendi in paroxyſmos, præ ſe ferebant; ſemper enormiter ſpiſſum hunc obſeruaſſe.

Achorum retropulſio. Tuſſes humidæ infantum.

§. XII. *Retropulſio vlceroſorum* ſeroſo-lymphalium humorum circa *caput* quid poſſit in infantibus, neminem puto fore quin memoriter meminerit. Neque vero adeo ignota eſt conuulſionum acceſſio ad *tuſſes* humidas, cum materia valde tenaci, in infantibus; quando

præ

præ materiæ tenacitate, tuſſiendi vero vehementia, *reſpiratio* ipſis ad tempus intercipitur: vbi ſtatim conuulſiones præſto ſunt, donec ad illam redeant. Ita etiam contenta in *abdomine* in *tenera ætate* ſubinde, in ipſo abdomine verius *conuulſiuis*, quam ſimpliciter *torminoſis ſpaſticis* commotionibus, imo tandem harum etiam diffuſioni per habitum externum corporis, anſam præbere, ne plebs quidem ipſa ignorat; vnde locutiones illæ, das Kind habe die Noth innerlich im Leibe, werde ohne Zweifel bald folgend gar ausbrechen. Neque vero tam rara eſt *epilepſia*, cui occaſionem præbent *lumbrici*.

Contenta in abdomine.

Lumbrici.

§. XIII. Interim nemo circumſpectus facile argumentabitur, ac ſi quidquam horum ſimpliciter atque *directe phyſice*, ne dum immediate *mechanice*, *impellendo* abſolute magis, quam reſpectiue & *moraliter* huiusmodi effectus edat. Quæ res cum de aliis huiusmodi materiis, tum in ſpecie de *vermibus* facile comprehendi poteſt; niſi quidem nænias illas de generatione æquiuoca vermium, per *vniuocam* veram atque ſimplicem *putrefactionem* in corpore viuo, recitare in animo ſedeat: quamuis etiam tunc adhuc applicationi inanes.

Effectus hi non phyſice ſed moraliter adſpiciendi ſunt.

§. XIV. Quæ res vt omnino *moralem* magis, ſeu *finalem* harum rerum efficaciam *impulſiuam* declarat, ita illuſtrat hanc eo magis notiſſima illa, & penitus quod aiunt confeſſa, energia ad producendas conuulſiones, tanquam magis ſimplices & *idiopathicas*, quam exſerunt *animi pathemata*. Cui enim ignotum eſt, quod hæc non ſolum *promtiſſime*, ſed etiam *vehementiſſime* conuulſiones producant; ante omnia vero a qualicunque *corporali* occaſione productas inſolenter *exagitent*, *reuocent* atque reſuſcitent & *exacerbent*. Sicut autem vel leuiter aduertentibus animum non poteſt non notiſſimum eſſe, quod *animi* pertubationes, vti iam ante monui, *grauiſſime* omnium, *præſentiſſime*, atque *pertinaciſſime* (inprimis ad *reuertendum*,) impellant ipſos conuulſiuos motus; ita nihilo certius etiam facile diſpicient veritatem illius noſtri moniti, quod etiam ſub illo qualicunque *concurſu corporearum* cauſſarum tamen *plus* appareat fieri ſecundum *reſpectus* & *æſtimationes* partium affectarum, *excretionum* certarum, & *periculorum* propiorum, inprimis talium, quæ per *motus vitales* operoſius adminiſtratos opem impetrare poſſe videantur.

Cauſſæ incorporeæ.

§. XV.

Differentia conuulſionum earumque prognoſis.

§. XV. Ceterum venit vtique non aliunde, quam ex tali conſideratione, lucem qualemcunque exſpectans, *differentia* conuulſionum, inprimis *Symptomaticarum*, reſpectu *temporis inuadendi*, in morbis acutis: Dum aliquando per ipſa *initia*, aut certe ante plenum *ſtatum* morbi, cooriuntur; aliquando *in ipſo* ſtatu, licet rarius: aliquando, & quidem frequentiſſime atque certiſſime omnium, in *declinatione* eorundem. Vbi vere minimi *periculi* ſunt, quæ *per initia* cooriuntur; longe *maioris*, imo certe maximi, quæ *exquiſito ſtatui* accidunt; inſuperabilis & ſimplicius *funeſti* exitus, quæ tempori *debiti exitus* & periodi *declinationis* accidunt, vtpote quæ *ordinarie*, niſi a nouis *externis* cauſſis prouocatæ, exquiſite funeſtæ ſunt; imo vero ad *funeſtum* exitum iam aliunde deuolutos ipſos tales morbos *claudunt* veluti & obſignant omnino *conuulſiones* tales.

Irritatio ſyſtematis neruoſi hic concipi non poteſt.

§. XVI. Harum rerum *cauſſæ* quomodocunque tandem fingantur atque ſupponantur, ſecundum receptam illam vulgarem opinionem de *irritatione ſyſtematis neruoſi*, non admittunt certe vllum probabilem conceptum. Quis enim mente concipere poſſit, quod in omnibus, ad minimum *iuniorum*, febribus *acutis* materia morbifera non poſſit ad neruos penetrare, eosque ita *irritare*, niſi ſub tempus debitæ alioquin *declinationis*? Aut cum hoc etiam *prius* euenire poſſe exempla conuulſionum, tam *per initia & incrementa* hinc inde his morbis accedentium, quam ſtatui ſubinde ſuperuenientium, teſtentur; quis ſibi perſuadebit, quod abſolute nulla *proportionata* tali adhuc tempore adſit *materiæ* eius energia, quæ vel *continuationem*, vel *vehementiam* conuulſionum proportionatam efformare valeat, illi parem, quæ ſub *declinationis* debitæ tempus funeſto euentu ſeſe exſerit. Imo, quis illud temere credet, quod ſumma illa *malitia*, quæ ſub vltimum *exitum* talismodi morborum ſeſe exſerit, vt etiam *funeſtum* euentum poſt ſe trahat, vniuerſa ita abſolute eo demum *temporis* ambitu ſiue *ſubnata* ſit, ſiue *aditum* ſimul & ſemel, in genus neruoſum impetrauerit, vt non ſolum tantam, ſed vere *vniuerſam* ſuam violentiam tunc demum exſerere poſſit: prius autem, quam tali exquiſitiſſima *temporis* menſura abſolute nullam *proportionem actiuitatis*, aut aditum *receptiuitatis*, impetrare poſſit, vt ſaltim *proprotionatis* ſucceſſibus, prius & lenius, quam vno tali *tardo* & inſuper *ſimultaneo*, preterea vero ſummo *impetu* effectus ſuos exerceret: & hoc quidem ita plane peruicaciſſime, vt totis exemplorum *millenariis*, per totum reliquum decurſum febris, *nulla* vera

atque

atque conſpicua conuulſionis efficacia quoquo modo ſe exſerat; interim ſub *exitum* funeſtum infallibilis ſit conuulſiua *cataſtrophe.*

§. XVII. Quam parum autem hæc ſuppoſita *phyſico-mechanica*, nempe directa *materiali* ſtimulatione, agere reputanda energia vlli conceptui locum præbet; tanto magis contra quadrare eidem videtur illa *finalis* intentionis & conatuum, quatenus *vtilium*, imo *neceſſariorum*, conſideratio: qui licet ſecundum ipſam *ſpeciem* minime exquiſite quadrent; tamen ſecundum *genus*, nempe *vitalibus motibus auctis*, imo quantumlibet operoſis atque fortibus, impendentes ingentes *periclitationes*, imo vero etiam *materias*, periculum tale obiicientes, depellendi, disiiciendi, excutiendi, minime a ſcopo debito abeunt. Sicut etiam *vehementiam*, quam exhibent, præſentia & magnitudo *periculi* vt *in genere* ſic ſatis excuſat.

Magis hic quadrat finalis intentionis & conatuum vtilium conſideratio.

§. XVIII. Quod autem inprimis circa vltimum *exitum funeſtum*, antequam vita ſimpliciter deſinat, hæ *conuulſiones* ſolenniſſime cooriri ſoleant, adeoque, vti vulgo loquuntur, *nemo*, inprimis *iuniorum*, *ſine conuulſionibus moriatur*: hoc, inquam, quomodo ex illis hypotheſibus de directa & immediata *corporali* efficacia, cuiuscunque tandem *materialis* cauſſæ morbidæ, intelligi poſſit, vt vere conceptum aliquem rationalem admittat, viderint vtique, quorum intereſt. Ego vere rem ita conſidero, vt cenſeam, ſicuti *motus vitales tonici* proprie atque directe deſtinati ſunt *excuſſioni* quarumlibet rerum, quæ huic *conſeruationi*, atque adeo durationi *vitali* intemeratæ exitum minantur; & exercentur etiam (quamdiu *tolerabiles* adhuc, nempe legitimæ *ſpei* ſuperandi adhuc pares ſunt iſtæ res atque periclitationes) *tranquille*, *ordinate*, atque *moderate*: ita quando rerum illarum indoles ab hac benigniore proportione non ſolum plurimum abit, ſed etiam vere decollat omnis ſpes boni ſucceſſus aut exitus, intendi hac ratione hos motus ad vltimam vsque ſui energiam; vt, quantumlibet hac ratione etiam nihil tandem ſolidi impetretur, tamen *vltima vis* ita *tentetur*, ne quid vsquam *inauſum* & *intentatum* relinquatur. Cum vtique *intentio* ita ſatis bona eſſe poſſit, quicquid *in poteſtate* vsquam ſupereſt, etiam *ſupremo auſu tentandi* potius, quam rebus ſumme ancipitibus ſtatim omnia concedere, & ſine quolibet auſu aut niſu *ſtationem actiuitatis* ſimul & ſemel *deſerere.* Dum ex aduerſo, quando vere *quicquid vsquam in ſuis viribus ſupereſt*, ſtrenue experta eſt *vitalis œconomiæ præſes energia*,

Conuulſiones circa vltimum funeſtum exitum coorientes.

gia, his etiam penitus fruſtra, & in irritum cedentibus, recte & ordine tunc *ſpem* ſuam & *rem deſerit*, & ab irritis laboribus requieſcit.

Locutio vulgi de conuulſionibus ſero ſuperuenientibus.

§. XIX. Intelligenda vero vtique ſecundum hos reſpectus venit locutio illa vulgi hominum, quando de conuulſionibus, *ſero*, nempe tempore debitæ potius ſalutaris *declinationis* morborum acutorum, ſuperuenientibus, nempe *vltimum* iam hunc, ſed *irritum* conatum agitantibus, dicunt, es ſey dem Patienten zum Tode angekommen. Cuius rei non contemnendum eſt phænomenon, in *remediis* aduerſus conuulſiones veriore energia pollentibus; qualia contra huiusmodi vltimas, *funebres* magis, quam *funeſtas*, conuulſiones oblata efficiunt communiter, vt loco alias ſuſceptæ *moderationis* atque ſedationis nimiarum talium commotionum *inſolentius* potius inſiſtat cœpto ſuo natura & vltimo conatui, adeo, vt etiam *continenti* impetu, ſine vlla interpoſita requie, conniti pergat, & ita ſenſim conſumta omni tentandi energia, deſiſtendo in perpetuam quietem, mortem admittat. Patet ex his, quod *directus* & *perpetuus effectus* quarumcunque tandem conuulſionum nullus ſit vere & in ſolidum corpori *vtilis*, ſed omnino vtique magis ab *irregulari nimia irritatione* pendeant vehementes tales conatus; *irritatione* vero vere *moralis deſtinationis* atque ſcopi, *generaliter* quidem omnino *boni*, nempe quantolibet conatu elidendi *noxias* corpori materias; *ſpeciali* vero *inuentione* atque *directione* vtique minus felici atque congrua.

Euentus conuulſionum.

§. XX. *Euentus* conuulſionum pro diuerſitate obiecti earundem variat, ea ratione, vt in *chronicis* quidem cauſſis aut ſcopis nihil æque *periculi* poſt ſe trahant ordinarie, niſi quidem *impetu* nimium excedant. Interim præcipua harum talium difficultas verſatur in promtiore *adſuetudine*, & ſenſim etiam, ob *leuiores* & pure *morales intentiones* & *indignationes*, *promto* & quaſi *proteruo* recurſu. Quæ vero *acutis* cauſſis accedunt, ſortiuntur communiter magis *ancipitem* euentum; non ſolum, quæ *per initia* & *incrementa* horum morborum contingunt, ſed etiam eo magis, quæ *ſtatui* aut *declinationi* demum eorundem ſuperueniunt. Vbi tamen bene notanda venit illa circumſtantia, quod quibus etiam *chronice* conuulſiones *conſuetæ* ſunt illis ſi etiam alio morbo correptis cooriantur, minoris periculi metum denuncient, quam quibus *inſolitæ* de reliquo ita accidunt.

§. XXI.

§. XXI. Supereſt phænomenon conuulſiuis *epilepticis* affectibus familiare, explicatu certe difficillimum, imo potius abſolute refractarium; nempe *ſuſcitatio paroxyſmorum* eiusmodi conuulſiuorum ſecundum menſuras temporis *lunæ phaſibus* circumſcriptas. Malo ego quidem confiteri hic ignorantiam meam, quod huic phænomeno non inueniam rationem ſatis luculentam. Nam de ſimplici ratione *temporis*, (contra mutationes menſuræ huius, per diuerſas motuum lunæ phaſes;) de *dominio lunæ* in humores (per ipſam petitionem principii;) de paribus ſemper *effluuiorum*, ſub eadem *phaſi* redeunte *materialibus* & *mechanicis conditionibus*, *configurationibus*, *elaſticis potentiis*, (ex eodem principio petitionis principii,) tanquam per ſomnium fabulari, non piget ſolum, ſed pudet etiam.

Phænomenon quod conuulſiones circa phaſes lunæ ſuſcitentur.

§. XXII. Commendo vero vtique conſiderationem illam *ſenſibilitatis*, *tacitæ*, ſed *intimæ* & exquiſitiſſimæ; & inprimis *æſtimatoriam* eius rationem, & hanc ſectantem mouendi *actiuitatem*, & qualemcunque, ad minimum arbitrariam, *proportionem*.

Senſibilitas tacita, intima & exquiſitiſſima.

Do huius rei exemplum. Adoleſcens 18. annorum, qui in infantia ſua, ſimiliter vt omnes ex eadem matre vtriusuis ſexus, *epilepticis* inſultibus aliquoties exagitatus, cum apud certum herum tirocinio artis addictus pro more famularetur, cum hic propinquas nundinas viſitaturus hora tertia matutina ſeceſſum, in quo adoleſcens ſecurus dormiebat, aſſeribus circumdatum, maximo cum ſonitu percuteret, adoleſcens cum ingente *terrore* e ſomno exſiliens corripitur ſtatim iterum *paroxyſmo* epileptico. Erat autem ſimul *proximus dies ante vltimam lunæ quadram*. Nihil amplius perſentiſcit proximis pluribus diebus, imo per totum inde menſem. Poſtquam autem par tempus, non tamen exquiſitiſſime *proximi*, ſed etiam *penultimi*, quin *antepenultimi* ante ſimilem *quadram* diei reuertebatur, corripitur denuo *paroxyſmo* epileptico, & quidem, quamlibet reſpectus ad *phaſin* lunæ aliquam, vt vocant, latitudinem ſubiret, quin etiam *duobus*, aliquando etiam *tribus* diebus deinceps circa hanc *phaſin* inſultus experiretur, tamen conſtanter ſeruabat paroxyſmus *horam* eandem, nempe *tertiam matutinam* in ipſo ſomno, ſecurum de reliquo, & qui cum cubitum abiret, nihil tale cogitaret, patientem inuadens. De hoc tali caſu qui multum tribuere voluerit materialibus corporeis reſpectibus, debet certe ante omnia fundamenti loco commeminiſſe, quod primus horum, vt talium, tali tempore, inſultuum ortus ſimpliciter proceſſerit a pathetica peruerſa æſtimatione trepida, terroris perturbatione: quæ, qualem relationem aut nexum habeat ad quamcunque materialem, qualiscunque tandem fingatur, rationem, aut diſpoſitionem meteoricam, nemo certe, niſi fortiſſima imaginatione inſtructus, præfigurare ſibi potuerit.

Tractatio medica conuulſionum.

§. XXIII. Quod ad medicam contemplationem attinet, eſt omnino notandum, quod quidem quælibet conuulſiones magis *directam* tractationem nullam admittant, quæ tanquam *directe materialibus* quibuscunque cauſſis veriſimiliter quadret aut reſpondeat; ſed ſimpliciter *ſpecificis* remediis, quæ nempe magis *motuum* certa moderamina atque directiones inferre videantur, quam *materias* peculiariter afficere, & quoquo tandem modo alterare. Euidentius vero & efficacius curantur *ſymptomaticæ* conuulſiones, vtique etiam magis *motuum*, illis primariis affectibus debitorum, bono ſucceſſu, quantum fieri poteſt per artem, procurato; *motibus* inquam *ſecretoriis* & *excretoriis* decenter inſtitutis atque promotis, quam vsquam *materialibus* morborum *cauſſis*, aliter, quam ad decentes *euacuationes* tentatis. Quæ certe res niſi & recte intelligatur, & recte etiam cognita ſint vera & certæ efficaciæ remedia talia *ſpecifica*, cum vero eorundem vtendi modo, reddit irrita vniuerſa talismodi curationis conamina, vt ipſa quotidiana experientia nimium teſtatur.

Species conuulſionum refractariæ.

§. XXIV. Interim ſunt vtique tanto magis etiam his rebus *refractariæ* conuulſiuæ tales *ſpecies*, vbi vel ſimpliciter a *patheticis* manifeſtariis occaſionibus initium ſumſerunt; vel inſuper adhuc diuturna *adſuetudine* in *contumaciam* ingentem adductæ ſunt: imo, quod palmarium eſt, ipſa *adſuetudine* tali in eam *promtitudinem* tranſierunt, vt præter vllam *proportionem iuſtam* quamlibet, quantumcunque *corporalium* occaſionum, *promtiſſime* efferentur. Quales certe circumſtantiæ prudenter penſitatæ Medico decente iudicio prædito facilem reddunt intellectum, qui fiat, vt equidem remedia etiam *ſpecifica* huiusmodi affectibus vnicum & verum auxilium præſtent; interim nec omnibus atque ſingulis *ſimpliciter* pari promtitudine, neque abſolute vna eademque plenaria *conſtantia*; quin aliquando, per incontinentiam *animi affectuum*, tanto facilius *reſuſcitetur* talium motuum vehementia, qualis etiam *ab integro*, nihil dum tale expertis, a ſimilibus etiam ſimpliciter excitari obſeruatur. Quæ res certe prudentem æſtimationem rationali harum rerum diſcrimine abunde inſtruunt; dum interim turbida plebeia ingenia ſpiſſis ſuis acriſiis omnia & ſingula vno eodemque modo, circa res quantumcunque diuerſas, non ſperare magis quam exigere audent, aut ſecus experimenta, in ſuo genere atque ordine ſumma etiam exiſtimatione digna, temere aſpernantur.

MEM-

MEMBRVM IV.
DE
DEFECTIBVS MOTVVM.

§. I.

Dicendum neceſſario eſt aliquid etiam de hoc genere læſionis *motuum*; & primo quidem omnium loco illud, quod inter omnium ſpecierum morbidarum cenſum agendum, tanto magis autem *cauſſas* deinde conſiderandas, minime poſtremum locum ſibi vindicat, quomodo ſe habeant intuitu *facilitatis* atque *promtitudinis* cooriendi. Secundum hanc enim conſiderationem eſt vtique notatu digniſſimum, quod *veri defectus* motuum, *qua talium*, nempe ipſius *actionis motoriæ*, omnium aliorum morbidorum affectuum reuera RARISSIME mortalibus eueniant, ante vltimam atque ſupremam totius œconomiæ diſſolutionem, adeoque, vt *irritorum*, vlteriorum conaminum omisſionem. Ita enim certe vix e *millibus* aliquot hominum, per totam ſuam vitam, *vnus* corripitur vera *paralyſi* aut *apoplexia* vel *hemiplexia*: vix *vnus* e *tribus*, *quatuor millibus* vero *tremore paralytode*, in poſterum *perpetuo* tolerando; inprimis ab alia quacunque, quam forte *inſtrumentorum* grauiter *violatorum*, quæ *moueri* debeant, cauſſa, ſeu *culpa* potius, quam ipſius *actionis* defectu.

Veri defectus motuum rariſſime eueniunt.

§. II. Sunt autem *ſpecies deficientium* motuum 1) debilitas vera, ſeu *virium defectus*; 2) *tremula* partium *impotentia*; 3) *paralyſis*; 4) *apoplexia* & *hemiplexia*. Merito *ſpecies* potius diuerſas appello, quam *gradus* ſolum deficientium ita motuum. Cum enim *graduum* intelligi poſſit, imo fere debeat, non tam ſolum *affinitas*, quam vera potius *confinitas*, e qua nempe tanquam ad progreſſum atque *ſucceſſum motuum* pateat aditus; interim in allegatis huiusmodi motuum *deficientium* ſpeciebus nulla talis vera & exquiſita *permutandi* aut ſuccedendi habilitas locum inueniat: eſt certe inde iuſtior *ſpecierum*, quam *graduum* tantum aſſignatio. Ita enim *deiectio virium* in *malignis* febribus etiam vere *ſumma*, & ad mortem vsque magis magisque augeſcens, propterea *paralyſin* poſt ſe non trahit; imo vero potius *conuulſiones*, diuerſæ per indiuidua *vehementiæ*. Quid, quod etiam ipſa *paralyſis*

Species motuum deficientium.

ralyſis longe frequentius ſuccedere ſoleat grauiter *conuulſiuis* affectibus (admodum iuniorum) quam vlli alteri leuiori *gradui defectus* motuum. Imo, quantumlibet etiam *tremores paralytodes aliquando* in veram *paralyſin*, & *paralyſes aliquando* in *apoplexiam* tandem deſinant; aut *apoplexia lenior* aliquando in *paralyſin* faceſſat: non eſt tamen huiusmodi tranſitus neque 1) ita *frequens*, ne dum *perpetuus*, neque 2) ita *facilis* atque promtus; ſed plerisque exemplis demum poſt *longos annos*, & *ætatum* amplas *periodos*, obtingens; adeo vt inde magis *generica* quædam occaſio, quam vsquam *ſpecifica* paritas colligi atque iudicari mereatur.

Defectus virium.

§. III. DEFECTVS VIRIVM, ſiue vti vulgo loquuntur DEIECTIO, obſeruatur vel poſt immoderatiorem illarum atque prodigam *conſumtionem*, quæ *fatigatoria* delaſſatio eſt: vel obtingit in rebus *ambiguis* ſucceſſu & euentu, *difficilibus* conſilio & auxilio, interim *agilibus* periculo, & grauiter *nocendi* energia. Exſerit ſeſe talis, tum in abſolute (etiam quantum ad ſubiecta, de quibus timetur,) *trepida æſtimatione*, in repentinis *terrificis* timoribus.

Cuius rei etiam *cauſſa*, quamuis non ſemper *exitu* pariter, riſu dignum exemplum præbent vehementer *hæmophobi*, qui etiam a prolixiore *mentione* grauiorum vulnerationum, ingentis hiatus, magnæ effuſionis ſanguinis, quin nudæ V. S.nis commemoratione, nedum inſtruendæ præſentiore metu, in *virium* non ſolum *ingentem defectum*, ſed vniuerſorum etiam *motuum vitalium* amiſſionem, *lipothymiam*, incidunt. Vt de aliis a *terrore* impotentiis atque tremoribus, tanquam re notiſſima, nihil prolixius dicamus.

In morbis qui eueniunt *virium defectus*, ſequuntur illorum vel *chronicam* conſtitutionem, vel *acutam*. *Chronici*, qui verum virium *defectum* ſuſcitant, ſunt inprimis tales, qui *nutritionis* debitæ ordinem & energiam eximie peruertunt: aut diuturna *dolorum* vehementia, inprimis autem *quieſcendi* impotentia, patientes exhauriunt.

Differentia defectus virium.

§. IV. Vbi interim rigida partium intenſio atque *contentio*, æque atque ignauus *torpor*, a ſegni atque ſomnolento otio, atque verum *faſtidium* agilioris, tanquam laborioſioris, mouendi operæ, non confundi vtique debet cum *defectu* virium vero. Tanto magis autem diſcernenda eſt a vero *defectu* virium *oppreſſio* ſimplex *grauatiua* atque tenſiua, a *plenitudine* ſeu abundantia ſanguinis; vtpote quæ ſæpenumero

mero ita prægrauat patientes, vt etiam illa loquendi formula ſæpius vtantur, es ſeye alles an ihnen bleyſchwer, daß ſie davor keines Glieds an ihrem Leibe mächtig ſeyn, verdrieſſe ſie einen Arm zu regen. Præcipuum autem criterium *virium* vere fatiſcentium exhibet *pulſus*, paruus atque debilis. Conſpirat abſentia proportionatorum *ſymptomatum*, quæ *fatigando*, & *quietem* denegando viribus eximie detrahant; ſed potius neque *calor*, neque *dolor*, nec adeo ingens impatiens *inquietudo* præſto ſint, interim tamen inquieta quædam *anxietas*, trepida de exitu ſalutari *deſperatio*, & vera dormiendi *impotentia*, ſed verius, *ſine vlla manifeſta cauſſa*, *peruigilium*.

Verum criterium.

§. V. Eſt autem hæc conſideratu vtique longe digniſſima diſtinctio circa negotium veri *defectus* virium, nempe diuerſitas *conſumtarum* & *exhauſtarum* a *deſtitutis*, & quaſi ſponte euaneſcentibus: verbo, virium *amiſſarum*, a *poſteriori*, & *omiſſarum*, a *priori*. *Amiſſæ*, per *labores*, *inquietudinem*, *dolores*, *agrypniam*, vires, imo per prægreſſos *labores* actuales, per *euacuationes* prodigas, præſertim non immediate *ſinceri ſanguinis*, (quamuis hæ etiam, modo extra morbos acutos.) Omnes inquam tales & facilius *reparantur*, & ſunt minus ſimpliciter *periculoſi* ominis, quam illæ, quæ *citra manifeſtas cauſſas* directas huiusmodi vires temere *euanidas* offerunt. Tales enim cum velut immediate magis dependeant ab ipſius *intentionis* vitales motus actiue adminiſtrandi tanquam deſperabunda tergiuerſatione; cum tales citra ſonticas cauſſas *materiales*, aut *turbulentas* ſimul atque obſtinatas *morales* non exſiſtant, minantur, imo ferunt, teſte experientia, magis ordinarie irreuocabilem eiusmodi iuſtæ adminiſtrationis motuum *deſertionem*, quæ funeſtos, aut certe pertinaciſſimos, tam ſucceſſus quam exitus poſt ſe trahere ſoleat.

Diſtinctio inter vires amiſſas & omiſſas.

§. VI. Huiusmodi virium *deſtitutio*, atque vera magis *omiſſio* quam *amiſſio*, vti tales *materiales* cauſſas maxime ſequitur, quæ eximiam *corrumpendi* energiam, *corrigendi* propemodum abſolutam, *expellendi* vero ſub ſumme ancipiti tam *ſenſibilitate* quam *vigilantia* neceſſaria, *difficultatem* inuoluunt: ita poteſt inde facile concipi, quod etiam huiusmodi *materialium* rerum *cauſſalis* ratio atque energia plus inuoluat *moralis* ſeu *finalis* reſpectus, ſecundum quem *intentio* ipſa *agendi*, in *trepidam incertitudinem* coniecta, circa *ſuſcipiendas* & *adminiſtrandas* ſuas actiones ita *deficiat* potius, quam vt illæ res vere *materialiter* agant, *corporalem* aliquem *immediatum* effectum in quamcunque

Omiſſio virium ex trepida incertitudine oritur, quando materiales cauſſæ maximas difficultates obiiciunt.

cunque

cunque tandem *materialem* in corpore ſubſtantiam perpetrando, quæ tanquam organon vires exerceat, hos effectus ita edere ſoleat.

Virium defectus ſequitur periculoſam conſtitutionem, quæ vero indiuidualis potius quam ſpecialis eſt.

§. VII. Hoc a priori certiſſimum eſt, quod illa, de qua ſermo eſt, virium deſtitutio non ſequatur, niſi vere periculoſam in corpore coortam conſtitutionem, *quatenus talem.* Ita enim minime, ſecundum vulgares præfigurationes, perpetuus eſt & inſeparabilis *virium* talis *defectus* certis vllis *materialibus* morbidis circumſtantiis, adeoque ſecundum has certis morborum *ſpeciebus;* ita, vt ab illis per omnia atque ſingula indiuidua in ſolidum inſeparabilis eſſet: cum non ſolum in omnis generis morbis *contagioſis*, ab ipſa *peſte* vsque ad familiare illud & notiſſimum inde exemplum *variolarum* atque *morbillorum*, apertiſſime notum ſit, quod illa ingens *malignitas*, quæ cum primis ex hac *virium* (vti recte notant, *ſine manifeſtiore* alia *cauſſa*) ſumma *proſtratione* colligitur, minime ſit *ſpecialis*, totius *ſpeciei* abſolute omnibus atque ſingulis, ſed omnino ſolum certis indiuiduis propria, adeoque *indiuidualis.* Imo vero inducatur demum aliis quoque propria ſua indole minime ſimpliciter atque directe *malignis*, ſed per improuidam aut peruerſam tractationem demum *periculoſis redditis* affectibus: aut per grauia *pathematum animi* accidentia in tranquilliore ſuo proprio ſucceſſu vehementer *turbatis.* Apparet hinc, inquam, ſatis luculenter, quod hæc tantam iacturam *virium* pediſſequam adſciſcens *malignitas indiuidualis* potius ſit, quam vere *ſpecialis;* non toti *ſpeciei* communis, adeoque, vt vocant, *eſſentialis*, ſed aliquibus priuata, *particularis*, *accidentalis*: nempe ſub ea demum conditione, quam nominauimus, quando conſtitutio vere eximie *periculoſa* redditur.

Egi de hac re in *diſſertatione* de *malignitatis veris cauſſis;* monſtrando, quod illa tunc demum locum maxime habeat, quando materia morbifera non tam ſolum *in ſe*, tota ſua *indole* ad grauiter nocendum valde promta & *efficax* eſt; quam ad *ſecernendum & excernendum* difficilior propter *tenuitatem* eximiam, atque *paucitatem:* inprimis autem, per indiuidua, *ordinis agendi* peruerſionem, *organorum* impeditionem atque præoccupationem, aut *materiei* circa *nobiliores* partes, præſertim male *prædiſpoſitas*, innidulationem atque detentionem &c.

Effectus huiusmodi virium defectus.

§. VIII. De *effectibus* huiusmodi *defectus* virium facile eſt iudicare, quod ille *duobus* præcipue modis ingentia præiudicia, imo damna, inferat; *primo*, dum ſufficientes vegetas *ſecretiones* & *excretiones*

tiones impedit, ſeu ad minimum *remorando* ita præoccupat, vt illæ nusquam debite & ſufficienter ſuccedentes ſenſim deſtituant optatum vitalium *conſeruatoriarum* excretionum *neceſſariarum* decentem *progreſſum* & *exitum*. Longe magis autem eo, quod *morali* illa peruerſæ *æſtimationis* & *intentionis* deſperabunda *trepidatione* non ſolum inſufficienter *proſequantur*, ſed neque decenter *aggrediantur* aut inſtruant ita affectæ Naturæ per indiuidua *neceſſarios* vitales motus, quin potius vndique illos *ſuſcipiendo*, *proſequendo* & *exſequendo* ita perperam adminiſtrent, vt ſub hac peruerſione, interim actiuarum *corruptelarum* libera & nihil impedita energia, non poſſit niſi ſumme anceps, omni modo vero in deterius quoquo modo pronior effectus conſequi.

§. IX. Cæterum longe peioris indolis eſſe illum *defectum*, quem potius per modum *omiſſionis* fieri innui, quam per ſimpliciorem modum *amiſſionis*, exhauriendo, vti vulgo loquuntur, ipſam vniuerſam energiam, facile vtique fuerit comprehendere. *Impotentiæ* illæ *tonicæ*, *paralytodes*, quæ peculiares *roboris* debilitationes poſt ſeſe trahunt, non carent vtique ſuis difficultatibus, quando præſertim *chronice*, cum maiore atque magis durabili contumacia eueniunt.

Virium omiſſio peioris indolis eſt quam earum amiſſio.

§. X. Nam de *ſimplici* eiusmodi debilitate, quæ per *acutos* inſultus febrilium paroxyſmorum ſeſe exſerit, meretur omnino notari, quod illa non tam *abſoluta* haberi poſſit, quam potius *comparatiua* atque relatiua. Cum enim in eiusmodi caſibus reliqui propius ſecretorii & excretorii actus *tonico-motorii* vna cum ipſius *pulſus* energia intendantur; & quidem vere *propter neceſſitatem* peculiarem, iam maxime vrgentem, ſub qua corpus *voluntariis* motibus fortius exagitare non ſolum minus vtile, ſed omnino etiam *noxium* exſiſtat; interim legitima *proportione*, quantum vni motuum vitalium claſſi ad *pulſus* augmentum & *toni* peculiare regimen adiiciendum venit, tantum ex alio latere minus *vtilibus*, ne dum *neceſſariis* merito detrahatur: non eſt inde mirum, imo potius non poteſt commode aliter fieri, quin potius vni ita *detrahatur*, quod alteri adiiciendum venit; adeoque vires ad *voluntarios* motus hac ratione non æque dirigantur, dum interim ad directe *vitales*, ſine voluntatis (tanquam ad res ſenſitiuas *externas* proprie reſpicientis) concurſu peragendas, & *auctiore* quidem energia abſoluendas, ita transferantur.

Debilitas quæ per acutos inſultus febrium ſe exſerit, non abſoluta eſt.

Actiua directio energiæ motoriæ hic agnoſci debet.

§. XI. Quod quidem optime conſiderandum atque intelligendum eſſe arbitror, vt inde etiam *actiua* potius non tam ſolum *omisſio*, vbi in præſens nullum vſum habeat; ſed etiam *translatio*, eo vbi neceſſaria ſit, adeoque vere actiua *directio* energiæ motoriæ hinc agnoſci poſſit. Quemadmodum enim corpus impurum, & euacuationibus potius indigens, quam noua oneratione, eo ipſo tempore prolixe nutrire ἄτοπον ϰ̀ ἄϰαιρον certe fuerit; inprimis *materiis* ipſis etiam ad promte ſubeundas corruptiones admodum procliuibus: ita certe eadem ratione & æque *intempeſtiuum* eſſet, & penitus ſanæ rationi aduerſum, quo tempore corporis intimior conſtitutio de ſubſiſtentia ſui propria *periclitatur*, eodem vſum eius liberum ad res *externas* pariter exigere, vti integro eodem & illibato fieri poſſit, ſoleat atque debeat.

Realis diuerſitas mechanismi & organismi ſeſe ob oculos ponit.

§. XII. Vbi nempe iterum realis illa diuerſitas ſimplicis *mechanismi* & pure *reſpectiui organismi* ſeſe ob oculos ſiſtit; ſub *proportionata* nempe illa exquiſita *directione, vt ad finem* ſeu verum vſum plane rationabili. Cum enim omni rationi contrarium ſit, inſtrumentum, interna labe aut labefactione temeratum, non ſecus ac integrum & illibatum pro ſolitis ſcopis, & impetrandis ſolitis effectibus, in vſum trahere velle: ita eſſet certe nihil niſi hoc idem agere, ſi corpus, quando *periculum* ipſius intimæ eius *ſubuerſionis* gliſcit, non ſecus atque integrum, atque vndique rectiſſime ſibi & vſibus ſuis conſtans, illis *directionibus* afficere, ad quas eo tempore, & ſub eiusmodi conſtitutione, etiam nusquam quadret, aut illis *obſequi*, ne dum *ſufficere* poſſit: inprimis ſine præſentiore adhuc maiore ſui *labefactatione*, adeoque ad omnes futuros vſus inducenda inhabilitate; & conſequenter *agentis* illius, cui proprie hi vſus ſeruiunt, *proterua*, omnibus vlterioribus vſibus veluti obnunciandi libidine, & *organicum* ſuum ſyſtema præſentaneo *abuſu* ſimul & ſemel amittendi petulantia. Quorum autem in tota ſpecie *animali* nihil vtique *regulariter* fit; quin potius non ſolum *petulans* abuſus corporis actu *labefactati* non ſuſcipiatur, & *repurgando* potius & exonerando a periculoſioribus illud inſedentibus rebus exſiſtente corpore, nihil interim ad eius nouam onerationem appetatur.

Vt-

Vtpote cuius contrarium, in caſibus inprimis ſonticis, idem valeret, iuſta *morali* rationabili æſtimatione, ac ſi quis concepto iam incendio, cui exſtinguendo incertum adhuc an par eſſe poſſit, interim partim, manente incendio, *ſufficere* aut *reparare*; aut ita correptis conclauibus atque partibus itidem vt ſinceris & intactis vti vellet.

§. XIII. Eſt autem certe hæc res tanto dignior conſideratu, quod etiam in languidis *hecticis* febribus tale præſto ſit *virium* diſpendium, veluti perpetuum; *proportionatum* tamen, pro magnitudine præſentis periclitationis. Vnde quidem ſemper ab omni *robore* motuum vegeto alieniores ſunt ita affecti; interim quando maxime exacerbatur, fiunt etiam ipſis patientibus vires vniuerſæ ita caducæ, vt non ſolum ab orthoſtadia qualicunque in lectum deiiciantur, ſed etiam ſenſim ſenſimque viribus plene fatiſcentibus, ea quaſi ſola ratione moriantur, &, vt inde vulgo loqui ſolent, tanquam ellychnium ſenſim deficiente nutrimento placide exſoluantur.

Hoc virium diſpendium etiam in hecticis febribus præſto eſt.

§. XIV. *Paralytodes* motuum *defectus* merentur ante omnia, pro meliore conſiderationis earum directione, *notam* illam *pathologicam*, quam in noſtra tractandi methodo omnino attendendam indicaui, nempe *infrequentiæ*: Eſt enim vtique *paralyſis* affectus oppido *rarus*, non ſolum ratione totius *ſpeciei* humanæ, vbi vix e *millibus* pluribus vni aliquando obtingere deprehenditur; ſed etiam reſpectu *indiuidui* ipſius, cui vtique tandem accidit: quandoquidem ita etiam non niſi *ſemel* inuadit, & ordinarie quidem fere magis *tarde*, quam admodum mature, (niſi per *ſymptomaticam* ſucceſſionem), vnum eundemque patientem.

Paralyſis eſt rarus affectus.

§. XV. Cooritur nempe *paralyſis* vel *ſymptomatice* veluti aliis morbidis affectibus ſuccedendo: quo intuitu conuulſionibus *epilepticis*, *diuturnis* & *vehementiſſimis*, ſpaſticis *dolorificis* exquiſitiſſimis, *rheumaticis* magis quam *arthriticis*, inprimis autem poſt *exanthemata* vlceroſa temere cohibita exortis; aut ita dictis *ſcorbuticis* pathematibus, circa exteriora corporis quin *externas diſtorſiones*, *luxationes* non reſtitutas, *contuſiones* grauiſſimas neglectas, ſecutis, veſtigia interdum legit. Aut incidit aliquando etiam magis plane *tacite*, citra vllas manifeſtiores, etiam ſolum occaſionales cauſſas, ſecundum ipſum maxime tempus vere præſentes; aut ad ſummum euidentem aliquam directam energiam pro tali effectu præ ſe ferentes.

Cauſſæ paralyſeos occaſionales.

Subiecta eius cum cauſſis.

§. XVI. Obtingit autem *paralytica* huiusmodi deſertio debiti *tonici vitalis motus* vel ipſi *infantili* ætati aliquando, rarius ab *epilepticis* vehementibus exagitationibus; magis ab *exanthematum, ſcabiei* aut *variolarum* malo ſucceſſu & reliquiis; maxime omnium autem a *dislocationibus*, *contuſionibus*, *diſtorſionibus*, per nefariam incuriam famulitii infanti oblatis, ſed per longe peius malitioſum ſilentium occultatis aut diſſimulatis, vt nulla tempeſtiua auxilia locum inuenire poſſint. Vnde miſellis talibus in poſterum irreparabilia vitia conformationis, artuum *aridura*, conſtantes *atrophiæ*, quin præſentis tractationis *paralyſes*. *Mediæ*, inprimis tamen *adoleſcenti* adhuc ætati obtingunt huiusmodi mala inprimis ab iſtis maxime *dolorificis*, *ſpaſticis* exagitationibus: vnde expreſſione illa poſthac vti ſolent, der groſſe Schmertz habe ihnen das Glied ſo gantz zu ſchanden geriſſen; quando nempe & *aridura* atque *atrophia*, & *paralytode* huiusmodi *impotentia* pars in poſterum laborat. *Tacite*, tanquam magis *idiopathice*, obtingit paralyſis ſenioribus; & quidem vel ſecundum qualitercunque *corpoream* magis cauſſam prægreſſam, *euacuationes ſanguineas adſuetas*, ſed temere rurſus *neglectas*, & *ſpaſticos* quosdam affectus, aut *congeſtorios*, *grauatiuos* atque *tenſiuos*: vel concurrentes cum qualicunque huiusmodi conſtitutione animi grauiſſimas perturbationes, inprimis tamen *terroris*, anxii *mœroris*, terroribus interpolati, aut grauiſſimæ *iracundiæ*: vnde illa vulgi locutio, habe ſich erzürnet, daß kein Wunder geweſen, der Schlag hätte ihn gerühret. Cæterum inter *remotiores* huiusmodi corporales cauſſas connumerari omnino debet cum inſigni *plethora* coniuncta *ebrioſitas*.

Gradus paralyſeos.

§. XVII. Vera *paralyſis* eſt *ſenſus atque motus* e parte aliqua *ablatio*. Habet autem etiam *gradus* ſui; adeo, vt ſimplex vera, abſoluta atque *plenaria* paralyſis etiam omnem *tonum* in parte ita exquiſite tollat & auferat, vt ſtatim inde plenaria *toni* energia ſublata, *inflatio* parti ingens, a ſimplici *irruptione* ſanguinis in partem ita *relaxatam*, & ſimpliciter *flaccidam*, ſequatur. Hanc talem conſtitutionem ſequitur fere familiariſſime repentinus metus *ſphaceli*: aut ſi huic in ipſo adhuc actu congeſtionis potenter occurratur, ſuccedit *aridura* partis. In *moderatiore*, nempe præcipue *ſucceſſiua*, tali *paralyſeos* inuaſione non deſunt tamen hæ ipſæ quoque moderatiores ſolum partis ita affectæ *inflationes*, eximie turgidæ per initia; vti ſuccedentibus magis magisque

tem-

temporibus tandem *ariduræ*: non tamen nec ita familiariter, neque tam promtis ſucceſſibus, vt in *grauiore* mali inſultu.

§. XVIII. Veræ *paralyſes* quam *infrequentes* ſunt prouentu, tam *conſtantes* & fere *intractabiles* curatu. *Sponte* certe nunquam ſoluitur hic affectus, vt mutationem *plenam* in melius tandem adipiſceretur. Aliarum interim rerum interuentu, quæ inprimis magis directe ipſas mouendi *intentiones* reſpiciunt, ſine qualibet *artificiali* ope abolitam interdum eſſe *paralyſin*, eſt certe notatu omnino dignum: nempe exquiſitis & intentiſſimis *animi* motibus, admodum *actiuæ intentionis*.

Paralyſes curatu difficiles ſunt.

Ita enim *Valleriola* memorat, virum per aliquot annos e graui *paralyſi* alterutrius lateris corporis impotem, coorto apud vicinum incendio, & in ſumma trepidatione diffugientibus familiaribus, non modo ſolum relictum, ſed penetrante etiam igne parietem, ad quem ipſe decumbebat, imo ſpondam lecti ipſius iam aggreſſo, præſentiſſimo hoc formidabilis mortis periculo impulſum, ita vires ſuas collegiſſe, vt non modo e lecto ſe proriperet, ſed etiam per feneſtram deſiliret, & ab illo tempore membrorum ſuorum omnium plene iterum compos eſſet. Ita etiam in A. N. C. memoratur huiusmodi reſtitutio a paralyſi in ruſtico, qui iam annoſior, & aliquot annorum ſpatio paralyſi affectus, cum a filiis ſuis in ingentem iracundiam coniectus eſſet, ſub hac ipſa ad libertatem ſe mouendi reuerſus fuerit, & a paralyſi poſthac immunem fuiſſe.

§. XIX. Quod iam attinet cauſſas huius defectus motuum *voluntariorum*, & ipſius *ſenſus*, nullum quidem eſt dubium, quod proxima cauſſa quaſi *materialis* (in ordine ad motum *animalem* ſeu *voluntarium*, *quatenus talem*) ſit *tonici* vitalis motus ita ingens remiſſio. Quod autem attinet *mediatas* cauſſas, quæ ipſæ hanc demum tantam *atoniam* inducant, piget certe vſitatas illas formulas commemorare, de *obſtructione neruorum*, & ita intercepto *influxu ſpirituum*. Cum enim talia & in ſe nihil *conceptui* idoneum ſignificent, & vllam viam ad excogitandum *auxilium*, imo vero ſolum ad intelligendas illas omnis auxilii inſuperabiles *difficultates*, nusquam commonſtrent: neque præterea cum illo quoque phænomeno, vtique maxime ſpectabili, quidquam conueniant, quomodo talis *obſtructio* non niſi adeo *rariſſime* eueniat; tantumdem certe valet huius expreſſionis allegatio, quam ſi ſincere tacendo nihil dictum eſſet. Illud certum eſt, quod etiam ſecundum *antiquam* hypotheſin, qua totum vitium *neruis*, & *animalium ſpirituum* influxui denegato imputatur, non cum veritate ſatis conue-

Cauſſæ defectus motuum.

 niat:

niat: dum potius illud verum exſiſtat, quod vitalis *tonici* motus maxime ſit hic defectus: quo tanquam vero *fundamento* intenſiorum *voluntariorum* motuum ſubducto, illos locum habere non poſſe magis rationi reſpondet.

Omiſſio motus tonici vitalis ſpaſticis contentionibus ſuccedere ſolet.

§. XX. Cum vero ipſi *vitales* motus vniuerſi, æque ac ipſe maxime *tonicus*, præſertim autem quatenus latius adminiſtrandus per plures muſculos, ad motus *ſanguinis* peculiariter *reſtrictorios*, *preſſorios*, *translatorios* reſpiciant: ita non abſimile vero eſſe exiſtimo, quod etiam huiusmodi pertinax eiusdem omiſſio propter rem qualemcunque, humorum *tonicam* talem translationem reſpicientem, contingere cenſeri poſſit; cum vtique quam maxime qualibuscunque, licet *languidis* eiusmodi *tonicis contentionibus* ſpaſticis, *grauatiuis*, quales alioquin *hæmorrhagicæ* obſeruari ſolent, ſuccedere ſoleant. Omnino enim exempla, quæ mihi occurrerunt, veræ ſimplicioris *paralyſeos* præ ſe tulerunt omnia, tanquam manifeſtam eiusmodi *adſuetarum euacuationum ſanguinis*, inprimis *artificialium*, neglectarum, velut euidentem culpam; cum *ſpaſticis* interim, magis tamen *grauatiuis*, & veluti *ponderoſis*, quam exquiſitius *tenſiuis*, aut *vellicatoriis* ſenſationibus.

Auerſionis pertinacia ſimili aliquo illuſtratur.

§. XXI. Quod totam rem magis implicatam reddit, eſt vtique illud, quod *paralyſis* tam *raro* occurrat. Interim, ſi *intentiones*, ſub hac re ſimul comprehendi apparentes, reſpiciamus, & peculiarem ipſius indolis differentis rariorem, iam meticuloſam, iam faſtidioſam maxime contumaciam; inuenire ſine dubio poterimus aliquid huiusmodi pertinaciæ auerſionis quadantenus ſimile, & tamen ita ſatis etiam *rarum*: nempe firmiſſimas *auerſiones* certæ alicuius ſpeciei *eſculentæ* aut *potulentæ*, per nauſeoſiſſimam aſſumtionem, aut impetuoſam ſecutam operationem *medicamenti* cuiusdam in tali vehiculo, primo inductas, & poſt hac perennantes, nec vnquam in ordinem & tranquillitatem redeuntes, quin, quoties (& ſæpe etiam ignaro) tali homini talis ſpecies offertur, anxiæ atque trepidæ tales intentiones atque conatus non deſiſtant ante, quam quoquo modo *excuſſionem* eius, quod ita pertinaciter faſtidit, & auerſatur, perfecerit.

Talis pertinacia in paralyſi obſeruatur.

§. XXII. Quæ nempe contumaciſſima vtique *intentio*, ita conſtanter *auerſandi* res quantumcunque moleſtas aut noxias, vel ex *vno* ſolo, *breui* inſuper, actu reputatas, conuenit in hoc, *conſtante* inquam *pertinacia*, etiam cum *paralytica* illa tergiuerſatione, ſatis vegetum *motum* tonicum in tali parte adminiſtrandi, in qua eundem ſæpius

pius fruſtra tentauit, adeoque *faſtidio* quodam plane potius negligit. Reſpondente etiam hac indiuiduali *infrequentia*, quod vtique *vtrumlibet* ita ſatis *raro* euenire obſeruetur: interim prius illud indubie vtique ab indiuiduali *intentionis* ipſius obſtinatione pendere certum ſit.

§. XXIII. Poſſem ſine dubio huc etiam referre partim *traditiones* illas, partim etiam *obſeruationes*, quod *paralytodes* atoniæ, v. gr. *impotentia* virilis, nudis *præſtigiis idealibus* (ſi quid vsquam concipere eſt integrum, in ipſam *intentionem* patientis maxime agentibus,) aliquando incuti ſoleant. (Exemplo tum modo nominatæ *impotentiæ* virilis, tum *guttæ ſerenæ*, vno eodemque momento coortæ, e *magicis* præſtigiis, quas ſimilium rerum conſcii accuſare deinde audiuntur, conſueta illa ipſis loquendi formula, **der Patient ſeye über eine böſe Stelle gegangen**: quarum rerum *ſimpliciter omnem* veritatem negare, abſurdum, abſolute eleuare, forte aliquando etiam ſuſpectum ſit.)

Traditiones & obſeruationes de impotentia virili.

§. XXIV. Interim non placet præterire etiam obſeruationem vnam & alteram, quæ *initium* paralyticæ impotentiæ ab actuali etiam aliquo *motu* cœpiſſe veriſimile ſatis reddere poſſit. Dum non ſolum a nobili quadam matrona, ante pluſculos annos linguæ paralyſi correpta, ſed iterum ab eadem ita ſatis liberata, narratum mihi eſt, obrigiſſe ſibi ipſam huius impotentiæ inuaſionem, ſub exquiſitiſſimo ſenſu, tanquam *frigidiſſimæ* cuiusdam *guttæ*, in poſtremam veluti partem linguæ illapſæ: ſed etiam *Boyleus* Tr. *de conſenſu corpuſcularis doctrinæ cum medicamentis ſpecificis*, exemplum commemorat viri, cui mane adhuc in lecto iacenti ex aranea, cuius telam ſuper ipſum eius caput in fornice lecti ſeu ſpondæ contextam vxor deiicere ſuſceperat, *limpida* quædam *guttula* in ipſum oculum delapſa, ſenſum talem *frigidum* iniecerit; a quo interim, cum ſurgens, & faciem lauans, alterum oculum forte comprimeret, hunc oculum *gutta ſerena* omni viſu priuatum offenderit.

Obſeruationes peculiares paralyticæ impotentiæ.

§. XXV. Quicquid tandem de hoc negotio ſpeculando ſibi concipere quisquam in animum induxerit, illud ſatis certum inueniet, ad *medicum curatiuum* ſcopum nihil inde vtilitatis redundaturum eſſe. Imo, inhæret animo illa præcipue peculiaris conſideratio, quod multis aliis affectibus, & ipſis omnino morbidis *exceſſibus motuum* chronicis, *conuulſionibus epilepticis*, reperta ſint remedia empirice *ſpecifica*, quibus etiam ſic ſatis fidere atque niti liceat: *Paralyſi* vero *veræ*, nullum eiusmodi remedium, cui firma experientiæ confirmatio ſuffragetur,

Specificum ad paralyſin curandam non habemus.

vsquam

vſquam compareat. Quod merito notandum, ad inutiles *ſpeculationes* nudas eu tandas.

Apoplexia etiam rarus eſt affectus, frequentior tamen paralyſi.

§. XXVI. APOPLEXIA vt ipſa etiam ita ſatis *rarus* eſt affectus, adeo, vt vix e *decem millibus* hominum, qui moriuntur, *ſinguli*, imo e *quingentis* propius de reliquo *diſpoſitis*, *ſinguli*, tali affectu intereant: eſt tamen re vera adhuc *frequentior*, quam ipſa *paralyſis*. Eſt autem *apoplexia* præceps atque ſimultanea *ſenſus & motus* per totum corpus talis *abolitio*, vt patientes vel ſimul & ſemel omnem harum rerum vſum amittant; vel ad minimum, ſi vtique *auditus* atque *viſus* aliqua adhuc ſigna præ ſe ferant, tamen *motuum* voluntariorum plena veluti impotentia laborent: manente interim *in tali gradu* ipſo *pulſu* adhuc ſatis integro; ad minimum *in proportione* ad talem adeo vehementem atque profundam *motricium* virium ablationem.

Differt gradu.

§. XXVII. Eſt autem ipſa etiam *apoplexia gradu* vtique plurimum diuerſa: *exquiſita* enim atque *ſupremæ* vehementiæ gradu pollens tollit etiam *ſimul & ſemel* omnem *vitalium* actionum energiam; adeo, vt vel eodem momento, aut paucis veluti minutis horæ partibus procedentibus, patiens talis totius *vitæ* vniuerſum vſum amittat. *Leuior* autem adhuc gradus aufert quidem *ſenſum atque motum*, inprimis vero *motum*; relinquit autem tantiſper *pulſum* cordis & arteriarum. Sub quali conſtitutione etiam patientes *rubore* adhuc aliquali *genarum* conſpicui manent. Quanto *debiliora* autem hæc ſunt omnia, eo propior eſt in vniuerſum funeſtus exitus. *Leuis* apoplexia tranſit interdum in *latioris* alicuius ambitus *paralyſin*. *Hemiplexia* dicitur, quando *dimidium* corporis, alterutrum nempe, & fere familiarius *ſiniſtrum* eius *latus*, tali læſione corripitur, dextro, aut oppoſito, adhuc qualitercunque ſibi conſtante & *ſenſus atque motus* compote.

Hemiplexia.

Apoplexiæ ſubiecta.

§. XXVIII. *Apoplexia* eſt vere morbus *peculiaris*, non *promiſcuus*; nempe *ætati* maxime *certæ* conueniens, minime vero *quibuslibet* communis. *Seniori* videlicet maxime, minime vero *iuniori*; niſi per cauſſas *concurrentes* plane ſingulares. Nempe *apoplecticæ* etiam *repentinæ* motus atque ſenſus ablationes vel *cooriuntur*, tanquam ex *improuiſo*, aut certe ſine *proportionatis* euidenter concurrentibus aliis cauſſis: aut *ſubſequuntur* ſatis conſpicuas, & probabiliter ita *proportionatas* cauſſas, (v. gr. immanem *inebriationem*, ſummum *terrorem*, *iracundiam* præcipitem grauiſſimam, *exagitationem* ſanguinis expanſoriam *immenſam*, inprimis cito e maximo frigore, *concuſſiones*

cere-

cerebri vehementiſſimas, *ſtrangulatorias* iugularium vaſorum cohibitiones &c.)

§. XXIX. Neque vero etiam confundenda venit *apoplexia* cum *ſpaſticis* grauibus *reſpirationis* oppreſſionibus, de quibus iam ſupra aliquid dictum eſt. (Quod ne pro monito nimium *ſpeculatiuo* forte reputetur, e re puto fuerit, illud vnum monuiſſe, quod eiusmodi alienæ *ſuffocatiuæ* motuum & ſenſuum abolitiones etiam aliis *ætatibus communes* eſſe poſſint; cum veræ *apoplecticæ* motuum deſertiones verius atque ſimplicius nudam potius *ætatis* rationem, cum reliquis qualibuscunque *materialibus* cauſſis conſpirantem, ſectari ament. Nec etiam dictæ tales *ſuffocatiuæ* magis atque ſpaſticæ affectiones *paralytodes* eiusmodi euentus poſt ſe trahere conſueuerint, quemadmodum verius *apoplecticæ*. Quid, quod etiam verius *paralyticæ*, licet non perpetuo, tamen quantumcunque, *proniores* ſint ad *apoplexiam* facilius poſt ſe trahendam. Quale quid *ſuffocatiui* eiusmodi affectus minime pari energia faciunt. Præterea etiam *ſuffocatiui* eiusmodi affectus & *ſequuntur* maiore adhuc *frequentia*, & propiore atque promtiore *efficacia*, cauſſas veluti *generaliores*: & proniores adhuc ſunt ad ſuſcipiendam *medicam* opem, quam vera *apoplexia*.)

Apoplexia differt a ſuffocatiuis & ſpaſticis affectibus.

§. XXX. Quod huius etiam mali *cauſſas* attinet, non minus vtique circa illas, quam de *paralyſi* dixi, perplexa ſunt omnia; niſi quod facilius forte agnoſci poſſe exiſtimem, quod præſentiore aliquo impetu *ſpaſtico*, aut contra *trepido*, aut, vt etiam antiquiores loqui amant, tanquam *attonito*, *deſtitutio* eiusmodi ipſius *energiæ motoriæ*, ſeu *intentionis* ad mouendum, committi poſſit, quam illa *durabilis* atque contumax mouendi *auerſio*, & faſtidioſa tergiuerſatio, qualis in *paralyſi* apparet. Quicquid autem harum rerum ſit, certe bene ponderatæ reliquæ circumſtantiæ *apoplexiæ*, quas tam *prægreſſarum* cauſſarum, quam *ſubſequentium* euentuum nomine cenſeri poſſe comparet, videntur illæ vtique ſimul indicare, quod propior *materialis* conſtitutio, ad inducendam ipſo velut actu *apoplexiam*, aliquam etiam *materialem* & *corporeo-organicam* concurrendi rationem habeat, ad effectum huiusmodi ſenſuum atque motuum deſtructorium poſt ſe trahendum. Cum enim in ita non ſolum *affectis*, ſed etiam hac ratione plane *demortuis*, inſtituta cadauerum inſpectione, tanquam familiariter deprehendatur notabilis *effuſio*, alibi *ſanguinis* ipſius, alibi *ſeroſæ* ſubſtantiæ, præſertim in ita dictis *ventriculis cerebri*: quæ quidem, ſi

Apoplexiæ cauſſæ.

res attente perpendatur, aliunde & alio modo propiore fieri minime poteſt, quam *motus ſanguinis* in his locis, & maxime nominatim per *plexum choroideum*, eique dicatas *venoſas* ramificationes, interceptione; e qua vel plena *eruptio* e vaſis, vel ad minimum tenuioris *ſeroſæ* ſubſtantiæ ſeceſſio & effuſio contingat. A quali quidem euentu, ſiue *compreſſione*, male affici, & qualicunque ſuo organico vſui ineptius reddi *principium*, quod vocant, *neruorum*, probabile haberi poſſit; aut correpto tandem *ſtaſi* toto per has vias humorum progreſſu atque aditu ad hanc nobiliſſimam cerebri partem, *ſtupidam* illam inhabilitatem inde prognaſci: quæ etiam quibuslibet aliis partibus obtingere per recentiora experimenta reperta eſt, ſi intercepta *arteria aditus* atque *progreſſus* ſanguinis per ipſam ita penitus auferatur.

Cauſſa remotior. §. XXXI. Conſentire vero cum hac conſideratione omnino videtur *remotior* cauſſalis diſpoſitio ad *apoplexiam*; vtpote qualis vix vlla eſt certior, quam *euacuationum* qualitercunque adſuetarum, inprimis *temporariarum*, atque *ſimultanearum*, vel etiam veluti *perennium*, commiſſus tandem *neglectus*: *manentibus* tamen interim, aut quomodocunque tandem *emergentibus* cauſſis aut occaſionibus, vſitatam talem *exonerationem* quoquo modo irritare idoneis.

Subiecta apoplexiæ. §. XXXII. Vnde quidem ſecundum talem *remotiorem* diſpoſitionem *apoplexia* vix alios familiarius corripit, quam tales, qui vel *florida* admodum conſtitutione, cum *plena* etiam atque *lauta* diæta in ipſo *ſenio* adhuc vtentes, olim conſuetis *euacuationibus* ſanguinis per *V. Ses.*, *ſcarificationes*, *hæmorrhoidas* ſimul & ſemel deſtituuntur, aut illis temere renunciant: aut, qui multiplices *ſeroſas* excretiones experiri *adſueti* per multiplicem *coryzam*, *tuſſim* humidam, *aſthma* humidum, *vlcerationes* ſpontaneas diuturnas, aut *artificiales*, *fonticulos*, &c. talibus ſimul & ſemel deſtituuntur, aut inauſpicato ab illis liberatos ſe eſſe arbitrantur. Talibus enim, coorta aliquando repente *congeſtione* eiusmodi *ad caput*, *apoplexia*; ad *fauces* aut *pectus catarrhi ſuffocatiui*, *aſthmata ſpaſtica ſuffocatiua* cooriri ſatis familiare, & vix quoquam contradicente ſatis indubium atque notum eſt.

Quia euentus apoplexiæ plerumque funeſtus eſt, conſideratio cauſſarum commu- §. XXXIII. Cæterum, quod etiam iam ſupra innui, vtique huiusmodi tanquam *communes* cauſſæ producere ſolent affectus tales, re ipſa quidem inter ſe *ſpecifice* ſatis differentes: *generice* tamen minime adeo a ſe inuicem diſcrepantes, nempe *ſuffocatiuo-oppletiuos*, *ſpaſticos*, & præſentis tractationis vere *defectiuos apoplectico-paralyticos*,

cos,

cos. Equidem, cum *euentus* veræ *apoplexiæ* non ſolum *funeſtus*, ſed etiam fere communiſſime admodum *præſentanea* efficacia talis exſiſtat; quantumcunque etiam *leuiſſimus* admodum familiariter *reuerti* ſueuerit, etiam ob cauſſas adeo *leues*, vt vix in conſiderationem venire hinc ſoleant: videtur hinc neque circa eius *ætiologiam* adeo æque vtilis eſſe ingens & operoſa ſpeculatio.

nium, immo remotiorum aliis ſpeculationibus anteferenda.

§. XXXIV. Certe vero ego quidem minime diſſimulo, quod longe maioris hic faciam animi aduerſionem ad *remotiores* illas, ſed tamen ad *prædisponendum*, cæteris conſpirantibus, ſatis certo *efficaces* cauſſas; quam inutiliores eiusmodi *theorias proximi modi agendi atque fiendi*, in quem veriſimillime ipſi etiam *arti* nihil aut minimum pateat poteſtatis: ſicut ipſa *natura* propria ſui actiuitate hic ita penitus deficere apparet; vt ipſa ſibi nullo modo amplius conſulere poſſe videatur. Qualis autem conſtitutio pro *artificiali* auxilio tanquam vere *deplorata* habenda eſt, (niſi vbi magis immediato *contactu*, & eo quidem etiam *præſentanea* efficacia potente, aliquid perficere adhuc obtingat: & *chirurgice* quidem magis, quam *pharmaceutice*.)

Speculationes illæ nullum artificiale auxilium huic effectui ſuppeditare poſſunt.

§. XXXV. Certe enim hoc pro *ſolidiſſimo axiomate therapeutico atque practico vere clinico* agnoſco, habeo, conſtituo: **quicunque affectus *ſpontanea* ipſius Naturæ energia, & ſatis conſpicuis agendi *methodis* & *ſucceſſibus*, *nunquam* reſtituuntur, illorum *artificialem* etiam *methodicam* curationem re vera nullam eſſe; niſi magis *immediatus contactus*, ante omnia *chirurgicus*, *locum*, ſeu potius *vſum*, habeat: ſed vnice *empiricis*, *ſpecificis* tractationibus ibi ſupereſſe locum; quales ſi ipſæ quoque nullæ ſuppetant, *irritam* eſſe omnem ſpem *directæ*, quantumcunque *probabilis*, ne dum *certæ* aut *perpetuæ efficaciæ* medicæ; adeoque omnem etiam *theoriam* talium rerum, vel, ſincerius eloquendo, *fictitiam* communius atque vanam, vel mollius dicendo, medico foro inutilem.**

Axioma therapeuticum & practicum.

§. XXXVI. Quid autem noſtræ conſiderationi lucis affundat, aut quoquo modo quadret illorum experientia, qui *apoplecticis* affectibus maxime ſubuenire, mature inſtitutam dextram V. Sem *e iugularibus* aſſeuerant, tunc demum patere poterit, quando rei huius vſus per

Num V. S. e iugularibus & ſal vitrioli apoplecticis ſubuenire poſſint.

per prudentem experientiam magis confirmatus fuerit. Quemadmodum de reliquo magnificam illam commendationem, quam *Langius* in miſcellaneis *ſali vitrioli* tribuit, quoties experientia ipſa confirmaret, magis *cardialgico-ſuffocatiuum*, quam ſimpliciter *apoplecticum* fuiſſe ſtatum, exiſtimauero. Conſiderabunt interim, qui poſſunt & cordi habent, quid priori intentioni conſentire videatur circumſtantia illa *apoplecticorum* (imo & *ſuffocatiuorum*) caſuum, quod ipſis talibus patientibus *vaſa circa tempora* æque atque *faciem* reliquam peculiariter *inflata* appareant. Sicuti *poſteriori* intentioni adhiberi poteſt illud, quod *ſenſibilioribus e ventriculi* aliquando *cruditatibus*, aliquando aliis ſenſibilibus *perturbationibus*, v. gr. velut ab immediata admiſſione *frigoris* in eius regionem, *vertigines* oriantur.

Hippocratis & Paracelſi aſſertiones perpenduntur.

§. XXXVII. Cæterum vltimo loco non placet præterire *duplicem* conſiderationem; alteram *tralatitiam*, ab antiqua traditione: alteram hauriendam ex *obſeruatione* clinicæ praxeos. Illa eſt, quod *Hippocrates* aſſeueret, *febrem* apoplexiæ ſicuti ſpaſmis etiam ſuperuenientem, hæc aliquando ſoluere. Hæc, quod reliquæ cauſſæ, quæ *annoſioribus apoplexiam* minantur, *iunioribus*, inprimis autem adhuc eximie talibus, *conuulſiuos* affectus concilient. Cæterum perpendant licet, quibus ſolers eſt otium, quid ſibi voluerit *Paracelſus*, quando ad huiusmodi affectus *paralyticos*, *apoplecticos*, *contracturas*, *ariduras* reſpectans, vocabulo *ſpaſmorum fixorum* vtitur. Inuenient certe in his omnibus tanquam veſtigia certa huius eiusdem rei, quod iidem affectus, intuitu cauſſarum earundem qualitercunque *materialium*, ſpecialiſſimam diuerſitatem talem ſubeant, vt alibi vehemente *motuum* exacerbatione & *exceſſu*, alibi eorundem *deſtitutione* ſumma, alibi *contentione* ita media nitantur, vt dubium eſſe poſſit, ſitne *ſpaſtica contentio*, an liberiorum motuum ſimplex *ſedatio*.

Effectus & euentus motuum deficientium.

§. XXXVIII. *Effectus deficientium* motuum vti nullus eſt verus, qui proprie non niſi *actionibus* directis debetur: ita *euentus* illorum eſt vtique, *atoniam* talem flaccidam preſſis veſtigiis inſequens etiam neceſſarii ſufficientis *progreſſus* ſanguinis proportionata imminutio; adeoque promtior eiusdem *reſtagnatio* in partibus, cum harum *inflatione*, *infarctu*, *ſtaſi*, & denique vera oppreſſoria *obſtructione*; cui *corruptio* veſtigia legit. Vnde quidem *hemiplecticis* grauiter ita affectis plerumque obtingit affecti lateris *ſphacelus*, antequam plane *emoriantur*: imo verius, *quo* denique penitus emoriantur. Quantumcunque

cunque vero etiam *leuioris paralyſeos* euentus, niſi quidem ab ipſa *infantia* (per *externam* magis violentiam introducta ſenſim *actionum vitalium* & *vigor* & *conſtantia* obfirmetur, perpetuo propemodum totius *œconomiæ vitalis* infirmior conſtitutio, & adminiſtrationis *trepidior*, & proinde *ſenſibilior* indoles familiariter ſuccedit. *Apoplexia leuior*, ſiue deſinat in *paralyſin*, ſiue iterum plane *remittere* appareat, familiariſſime tamen maiore energia *reuertitur*, *ſerius ocyus*. Et contingit vtique rariſſime, vt qui ſemel tacti fuerunt *apoplexia*, *alio* tandem morbo intereant, quam huius vehementiore nouo inſultu.

PARTIS II.

SECTIO IV.

DE FEBRE, SEV FEBRIBVS IN GENERE.

§. I.

Potuiſſem fortaſſe hanc tractationem iam in ipſa *generali* parte proponere, & ius ſuum in ordine tam *oriendi* quam *procedendi*, imo etiam *exeundi*, ſecundum ſimplicem illam *ætiologiam*, quam natura ſequitur atque ſeruat, & hactenus a me euoluta eſt, ibi etiam ita oſtendere: cum autem, rem recte æſtimando, *febris* re vera ſit *ſpecies* iam quædam iſtiusmodi *ſubalterna*, quæ ad minimum cum *hæmorrhagiis* æquilibrium ſeruet, in ordine ad *præoccupandas* grauiores periclitationes; & in ipſa quoque *generali* tractatione, ad minimum quantum ſatis ſit, mentionem huius negotii feciſſe putem, non inconuenientem huic rei hunc etiam eſſe locum reputo. Ordinis tractationis ratio.

§. II. Inter illa, quæ decentem conſiderationem, maiorem certe, quam vulgo fit, merentur, nempe *neceſſitatem*, *vtilitatem*, & tamen interim, pro *intentionis* variatione, adminiſtrandi *libertatem*, locum ſibi vindicat nihilo minus dignum ipſa quoque *ſanguinis* per *motum* localem *attenuatio*; tam medioeris *fluxilitatis* conſeruatrix, quam ſuprema totius intimioris etiam *cohæſionis* eiusdem, ſeu *mixtionis* Sanguinis attenuatio per motum localem.

 nis

nis diſſolutoria, adeoque vere tandem ipſius *quantitatis* eiusdem conſumtoria.

Eius actus & effectus a ſcholis medicis ad animum admiſſi non ſunt.

§. III. Hæ res cum in ſcholis medicis, *antiquiore*, ne quidem *cognitæ*, *recentiore* ad minimum non *agnitæ* fuerint, mirum eſſe minime poteſt, ſi vtræque etiam ad animum non admiſerunt illos affectus, qui quanti quanti ſunt, toti in his rebus non magis fundantur quam verſantur: nempe ſanguinis 1) *agitatione aucta*, tam ad *attenuandum*, quam *conſumendum*: 2) *directione motus* huius auctioris, tam ſecundum ſucceſſum & ambitum *temporis*, quam ſecundum *loca* conuenientia, & *materiæ* ipſius *proportionem* (tam *conſiſtentiæ* & *menſuræ*, quam *energiæ*) ad excretionem. Vnde etiam impoſſibile fuit factu, vt diſpicere liceret, imo vero liqueret, de vero habitu harum rerum, non magis ad *euentum*, quam reuera potius *effectum* SALVTAREM, cui huius generis *actiones* non magis *aptæ*, quam paſſim etiam *neceſſariæ* eſſe, ſi animus decenter aduertatur, non poſſunt non apparere.

Febris hiſtoria.

§. IV. Vt itaque ordinem noſtrum conſuetum ſeruemus, prodeat primo in conſpectum ſimplex FEBRIS *hiſtoria*, tam notoriarum *inhærentium*, quam *concurrentium* circumſtantiarum commemoratione inſtructa. Dicitur autem *febris* inſigniter & ſatis conſtanter alteratus *motus ſanguinis*, & hunc veluti preſſis veſtigiis inſequentia *caloris*, *frigoris*, *ſenſationum* augmenta: *roboris* autem ad voluntarium motum impotentiæ ſeu *atoniæ*. Neque hoc ſolum, ſed concurrunt etiam, tanquam ſolenniter, certæ atque ſolennes alterationes circa *appetitum*, *concoctionem*, placidam *digeſtionem*, inutilium *egeſtionem*, vtilium *retentionem*, & denique tandem *aſſimilationem*, ſeu vniuerſum *nutritionis* negotium. Imo concurrunt etiam non magis notabiles, quam paſſim *ſenſibiles* admodum atque manifeſtariæ huiusmodi alterationes circa *excretiones* etiam *ſecundæ* vulgo dictæ, imo *tertiæ coctionis*, nempe *ſudorem* & *vrinam*. Sicuti etiam *ſenſuum* æque atque animalium *motuum*; *torpor* horum, *actiuitas* & *intenſio* ſolito maior illorum, tam in reliquis ſenſationibus, quam ſpecialiter in *dormiendi* poteſtate & *tranquillitate*, perpetuæ hic occurrunt.

Febrium certæ vices ſeu periodi.

§. V. Sunt autem in qualibet febre conſiderandæ diuerſæ circumſtantiæ in ordine ad TEMPVS; vbi *incipiendi*, *augeſcendi*, *continuandi*, & tandem iterum *deſinendi*, certæ omnino *vices* conſiderationem ad ſe vocant. Tota temporis menſura, ſeu *complexus*, comprehendi-

henditur vſitato nomine *periodi*; *initium*, ſeu inuaſio in genere, habet peculiares ſuas circumſtantias; ſuas etiam *incrementum*, quod inprimis *ſucceſſu* non ſolúm, ſed etiam peculiari *ambitu* temporis circumſcribitur. Succedit huic tempus *æqualis* cuiusdam progreſſus, quod vulgo *ſtatum* appellant. Subſequitur denique *declinatio*. Quando febris non tam vna *continua* & maxime *æquali* ſerie ſcenam ſuam ludit, ſed interpoſitis veluti *requieſcendi* ſeu reſpirandi alternationibus poſtea demum nouo impetu inſultat, dicuntur repetitæ huiusmodi *exacerbationes* ſeruata græca formula *paroxyſmi*. Paroxyſmi.

§. VI. *Declinatio* fit vel cito, & quaſi *ſimultaneo* actiuitatis curriculo, quod *criſis* appellatur: vel *ſucceſſiua* magis veluti diſſolutione totius impetus, ſeu λύσει quadam *Criſis* habet maxime locum in *acutis*: λύσις illa ſucceſſiua in *intermittentibus*. *Criſis* eſt vel exquiſita, quæ omnium familiariſſime fit per *eccriſin* copioſam ſimultaneam. Minus exquiſita, ſed tamen omnino *notabilis*, &, ſi reliqua decenter ſubordinentur, ſatis *ſincera* æque atque *conſtans*, fit ſine *eccriſi*; *mutatione* tamen ſenſibili in melius: die vero *critico* cumprimis. Interim omnino *concurrentibus* debitis *excretionibus*; vt vt non *ſimultaneis*, tamen *ſuccedaneis*. *Criſes* exquiſitæ per *eccriſin* ſimultaneam copioſam nulli febri ſunt *propriæ*, ne dum *perpetuæ*: illæ vero, quæ ſine *eccriſi* fiunt, ſunt omni febri *acutæ*, recte ſuccedenti atque cedenti, perpetuæ, nec abſunt ab illa ſine *anomalia*. *Intermittentium* etiam totus interdum impetus tollitur vna *decente* æque atque *ſufficiente eccriſi* per conuenientia emunctoria. *Languidius* per plures ita ſuccedentes *paroxyſmos*; aut tardiore aliquo demum atque *languidiore* progreſſu: ita etiam *acutæ* incipiunt interdum ipſo *quarto* die, quem *indicatorium* vocant, *ſalutares* ſuos exitus oſtendere, imo exhibere, & deinde demum ad alterum vsque plenum *criticum ſeptimum* diem abſoluere. Rarius autem, & certe non niſi ſub exquiſitiſſimo patientis moderamine, quod vulgo *regimen* vocant, exſequuntur iam hoc ipſo *quarto* die eximie vniuerſam ſuam ſalutarem *expurgationem*. Criſis & lyſis. Eccriſis. Regimen.

§. VII. Enim vero febris in genere omnino tendit ad *expurgationem*; & quidem rei cuiusdam, quæ vel magis directe, vel remotius, ad intimam diſſolutionem ipſius *mixtionis* corporeæ vergat, imo veluti ruat. Febris tendit ad expurgationem.

Reſpexi ab hac veritate etiam ad appellationem latinam, qua *februare* non ſolum antiquo vſu pro *repurgandi* actu vſurpatum fuiſſe traditur; ſed etiam

ſpecia-

ſpecialiſſime *februa* appellabantur ſolennes quidam ritus, quibus in ſpecie *defunctorum vmbræ erraticæ* abigi, & domus ab illis *repurgari* credebantur. Iam, cum etiam febris proprie ſit eiusmodi actus, tendens ad expurgationem oberrantium in corpore veluti *morticinorum*, & ad eius *diſſolutionem* vere *emortualem* directe tendentium rerum; viſum hinc eſt, ſi non vere & actu ab antiquo æuo hoc ipſo intuitu formata & impoſita eſſe, certe tamen quadrare huiusmodi actui hæc appellatio.

Cauſſæ febrium; internæ.

§. VIII. *Hiſtoria cauſſarum* huiusmodi febrium reſpicit partim *internam* corporis conſtitutionem, partim *aduentitias externas*. *Internæ* ſunt, habitus corporis *ſanguineo-cholericus*, aut *cholerico-melancholicus*. Status ſanguinis inſigniter abundans *quantitate*; *qualitate* vero floridus ſatis, & vt vocant *ſulphureus*. (Monui enim iam ſupra, quod ſanguis quam *optimus* ad *corruptionem* vehementem *putredinis* ſit maxime aptus.) Hinc etiam *ætas*; inprimis *actiuior* in genere, iunior, atque ſatis viuida: in ſpecie vero ad agendum etiam *acrior*, *iuuenilis* & *prima virilis*. *Sexus* quin etiam, licet non totum negotium diſtinguat, *prærogatiuam* tamen oſtendit virilis præ ſequiore. Coortæ etiam vndecunque tandem ſtaſes *inflammatoriæ* circa *interiora*, ipſa inquam viſcera, præbent *febribus* anſam & occaſionem quam maxime ſonticam.

Externæ.

§. IX. E rebus *externis* præbet *febribus* occaſionem præcipuam, concalefactio ſanguinis nimia, & per hanc *expanſio* ſanguinis ingens: & quidem inprimis vel *gradu* ipſo toto, vel *impetu* præcipiti, vel *duratione* diuturna, quam plurimum exorbitans. Ita etiam poſt vehementem *refrigerationem* vniuerſaliorem cito facta huiusmodi expanſio poteſt multum in hoc ordine. Cibi atque potus; illi quidem *concoctioni* quam maxime refractarii, hi ſanguinem *inteſtino* acriore motu exagitantes. *Vigiliæ* præter omnem conſuetudinem ſimul & ſemel maxime ſuſceptæ; corpore de cætero vegeto atque florido, *animo* vero faſtidiente ac indignabundo. *Motus* corporis *repente immoderatus*; ex enormi quoque motu tranſitus immediate ad ſegnem *quietem*: vix tamen hic, niſi inſignis *refrigeratio* ſimul temere admittatur. *Excretiones* non recte ſuccedentes, non tam æque aliæ quam *ſanguineæ*, adſuefactæ alias, nunc autem emanentes: præcipue vero quæ per *ſuperiora*, imo ſpecialiſſime per *nares* alias fieri ſueuerant.

§. X.

§. X. *Animi pathematum* minime parua hic eſt efficacia; ante omnia *iracundiæ*, deinde *terroris*: *mœroris* non niſi e longinquo, & vere per indirectum. Ingens autem inter *animi pathemata* efficacia, ad *iterandum* febrium inſultum, eſt re vera etiam ipſius *conſuetudinis*: vt omnino, qui ſemel, maxime autem iterum, febribus laborarunt, ſimilibus etiam in poſterum promtius iterum corripiantur. Tandem peculiaris ſpecialiſſima cauſſa certarum inprimis febrium eſt *communicatio contagii* ſpecialis: *generaliter* tamen ad deſtruendam *mixtionem* corporis & corruptelam *putredinoſam* inducendam quam maxime apti atque habilis. Animi pathemata & contagium.

§. XI. *Effectus* & *euentus* febris ſunt certe maximopere diſtinguendi; & *effectus* quidem prudentiſſime conſiderandi atque expendendi. *Effectus* nempe ſinceri (non per accidens *impediti* per *materiales*, aut male adminiſtrati per *intentionales* cauſſas, per accidens peruerſo modo concurrentes) ſemper ſunt vtiles, & omni modo *ſalutares*. Fiunt autem per *excretiones*, *genere* quidem etiam ſtatui *ſecundum naturam* vſitatas: *ſpecie* vero ſolum, imo potius *gradu* tantum, *tempore*, *ordine* peculiari, *ſucceſſibus* ſpecialiter *ordinatis*, a *naturali* tramite abeuntes. Interim minime abſolute *morbido*, *extrauagante*, *inconueniente*, *inſtituto*, *actu*, aut *ſucceſſu*: ſed *proportionato* maxime ad propoſitum ſcopum; nempe *exterminationem* vtique operoſam, ſed etiam *ordinatam*, & in ſe omnino *efficacem*, eiusmodi rerum, quæ ingens *periculum* minentur: & eiusmodi, ad minimum *in genere*, *tempore*, quale *actiuitati* illarum rerum reſpondeat: nempe vt *noxiæ*, adeoque *expugnandæ*. Effectus febrium.

§. XII. Hinc etiam ſi *numerus* eorum, qui varii generis *febribus* paſſim corripiuntur, ſed tamen ex illis iterum *ſalui* euadunt, comparetur cum illorum numero, qui febribus vtique tandem *moriuntur*, comparebit facile *duplex* illa veritas: 1) quod longiſſime *pauciores* febribus ita *moriantur*, quam ſimpliciter *afficiantur*: 2) quod qui etiam ita *moriuntur*, vel plane ſimpliciter atque directe *febre* non intereant, ſed tantum *morbis aliis*, quibus febris demum *acceſſit* atque ſuperuenit: vel manifeſtius, impedito atque perperam ſuccedente ipſo *febris decurſu*. Quod tanto magis dilucescit de febribus *vere* dictis, ex *confeſſo* talibus. Abſtrahendo nempe a generaliſſimis illis acceptionibus qualiumcunque *anxiarum*, *æſtuoſarum* atque *refrigeſcentium viciſſitudinum*, quæ tum paſſim aliis affectibus, tum ipſi vltimæ Pauci febribus moriuntur.

 mori-

moribundæ, vt Germani loquuntur, *anxietati* eueniunt. De quibus proinde confuſæ illæ loquendi formulæ audiuntur, *neminem mori ſine febre*, imo neminem *ægrotare* ſine febre. Vbi inſuper diſtinctionis amantes, imo vero compotes, facile inuenient, quid interſit inter quaslibet *minus æquales*, *inconſtantes*, *trepidas motitationes* tam *pulſus*, quam *toni*, & ita conſequenter etiam *humorum*: & inter *veras*, *euidentes* omnium horum *exacerbationes*; aut *conſtantes*, vel certe plus minus *ordinatas* ſiue *durationes*, ſiue *alternationes*: nempe, ſi res etiam largiſſime aſſumatur, qualescunque *motus & apparatus* febriles; & ſinceriores *confeſſas* atque *notorias* febres.

Differentia inter mori cum febre & mori a febre.

§. XIII. Neque minus facile capient differentiam inter mori CVM febre, & mori A febre. Cui quidem etiam ipſa huiusmodi indiſtincta acceptio atque locutio inſcia conſentit: quandoquidem vtique hac ratione ſponte ſequitur, quod longe pauciores *febribus intereant*, quam *ſuperuiuant*. Si enim *in omni morbo* præſto eſt *febris*, quanto maior vtique eſt numerus eorum, qui paſſim a morbis *conualeſcunt*, quam qui illis *intereunt*? Notorio in indiuidua exemplo, dum paſſim homo *ſæpe* per vitam *ægrotat*, *ſemel moritur*.

Euentus febrium.

§. XIV. *Euentus* febrium eſt vel *irregularis* ſolum, ſed tamen *vitalis*; vel plane *funeſtus*. Vtrumque per *indiuidua* magis *accidentali*, quam omni febri perpetua, atque adeo, vt loquuntur, *eſſentiali* culpa. Fit autem huiusmodi *euentus*, quando vel *materia* non ſatis *obſequitur*; vel *viæ* non obtemperant: vel ipſa *methodus* atque *ratio motus in ſe*, & *a priori*, vt aiunt, non decenter inſtruitur. Quo in caſu multum vtique poſſunt tum reliqua *animi pathemata*; tum *conſuetudines* æque *heteroclitæ*, quam ipſæ etiam *inſuetudines*. Cum enim ipſæ *febres* vtique *apparatum* poſtulent operoſiorem & inſolitum, *intenſionem virium*, atque vigoris inſolitam *conſtantiam*, vel ſimplicem & æqualem, vel in certum *ordinem* diſtributam: certe nihil mirum eſſe poteſt, ſi etiam homines quam maxime & quam optime *ſani*, irruente aliqua peculiari *neceſſitate*, tam parum, mox & *immediate*, totum ſuum *intellectum* quaſi ad *conſilium* agendi dirigere, imo expedire totam ſeriem conſilii valeant *in ſpecie*, quam *voluntatem* paratam habere ad *inſolitum*, *operoſum* negotium in genere. Cum certe par humanæ indolis ratio ſeſe offerat etiam in rebus *directæ rationis*, & ſimpliciter *moralis æſtimationis* æque, atque *inuentionis*: vbi par certe eſt minus *exercitatis*, minus *adſuetis*, libero *otio* & *læto* rerum *ſucceſſu* frui ſolitis, tam *faſtidium* & *ſegnities* ad *laborioſe* coniten-

nitendum, quam *trepidatio*, *incertitudo*, *inconſtantia* in *inueniendo* exquiſito apparatu, & *ſeruando*, *proſequendo*, *exſequendo ordine* actionis. Eſt autem vtique notanda etiam peruerſionum illarum, quæ debitum *ſalutarem* effectum euertunt, illa vndique conſtitutio, vt partim minime *toto genere* a debito tramite diſcedant: partim nulla re promtius atque grauius perturbentur, quam *animi* commotionibus. Rarius vero nudam *perturbationem*, *aberrationem*, atque adeo ſimplicem *anomaliam* ſubeant, citra ingens *periculum* longe grauioris, imo in *acutis funeſti* prorſus euentus.

§. XV. Differunt febres & *ſucceſſu*, & *ambitu*. Illius intuitu ſunt vel *continuæ*, vel *intermittentes*: huius vel *acutæ* vel *chronicæ*. *Acutæ* diſtinguuntur iterum in *ſimplices* & *peracutas*: ſicut etiam *benignas*, aut *malignas*. *Chronicæ* æque atque *acutæ* ſunt vel *continuæ*, vel *alternantes*; quæ *alternatio* in *chronicis* ad plenam *intermiſſionem*, *hectica* excepta, in *continuis* ſolum ad ſenſibilem *remiſſionem* peruenit. *Continuæ alternantes* habent, quæ ipſis opponatur, ſpeciem, *continentes*. Quæ *progreſſus* ſuos æque atque vniuerſam *periodum* conueniente ordine ſeruant, dicuntur inde *typicæ*; quæ hoc non faciunt, *erraticæ*. Et fere hoc ipſo reſpectu deinde *anomalæ*, vt alteræ *legitimæ*. Hæ ſunt differentiæ febrium ſecundum *ſubalternas* ſui ſpecies, ſiue, vti vulgo loquuntur, *κατὰ γένη*. Differentia febrium.

§. XVI. Habet autem hæc conſiderandi ratio, præter ipſam veritatem, illam inſuper ſolidam vtilitatem, quod hac ratione non ſolum dilucefcat, quid in *motibus febrilibus activum* inſit, ad *finem* vtilem, imo in *contagioſis* præſertim, abſolute *neceſſarium*; quid vero *paſſiuum* vere, & nullo *vſu*, ſed ſimpliciore *moleſtia*, aut plane tandem *damno*, conſpicuum. Vbi inſuper maximopere vtique attendenda venit altera illa eiusdem rei penſitatio, quænam talia *inutilia*, *moleſta*, verius paſſiua, a morbo ipſo, eiusque noxia efficacia, vere pendeant: quæ vero ſolum vt *incommoda* ineuitabilia *vtiles* de reliquo illas, imo *neceſſarias* actiones vitales *auctiores*, ſecretorias & excretorias, nuda *neceſſitate conſequentiæ* concomitentur; adeoque pro *morbi* directis effectibus, quin imo paſſim pro ipſo *morbo* non poſſint, niſi falſo, argui. Quam vtilitatem hæc differentia habeat.

§. XVII. Deinde illucefcit ex hac conſideratione Medico ipſa *methodus*, quam ille in tractandis *febribus* ſeruare debeat. Quam alienum nempe futurum eſſet, ſi ille huiusmodi *bonos conatus* atque Alia vtilitas eſt methodus naturæ.

motus naturæ temerario auſu *oppugnare*, *alienis* methodis *eneruare*, imo vel ſolum quacunque ratione *negligere*, in animum inducat. Quam opportune vero, imo quolibet intuitu optime, præ omnibus aliis conſiliis huic methodo obſequium præſtare poſſit, poteſt illum inprimis docere obſeruatio illa quolibet intuitu ſumme commendanda, & nunquam vtique obliuioni permittenda, quod nempe hac ratione, *his* inquam *febrilibus proceſſibus*, & iuſtis tandem atque proportionatis *effectibus*, homines SPONTE NATVRAE, *citra artis concurſum*, a febribus ita *in integrum reſtituantur*, ſine vllo alio ſubſidio artificiali.

Hæc methodus vnicum eſt naturæ ſubſidium ipſi proprium.

§. XVIII. Deinde non extra ſummam conſiderationem relinquere fas eſt eiusmodi contemplationem, qua innoteſcat, quod hæc talis *methodus* non ſolum ſit VNICVM *naturæ ſubſidium*, quo illa *ſibi ipſi* poſſit conſulere: ſed ſit etiam ita in genere ipſi *proprium* veluti, atque *familiariſſimum*, vt eodem etiam abſolute, *generatim* per totam vitam vti conſueuerit, neque nunc, niſi *auctiore* gradu, pro circumſtantiarum neceſſitate vrgente, easdem exerceat: *proportione* ſolum, exquiſitius ſecundum ſpecierum differentes *neceſſitates*, inſtituta.

Sub ancipiti & indubio exitu huius rei iuſta eſt vigilantia & ſollicitudo.

§. XIX. Quæ quidem res peculiaris (vna cum vera vtique ita *periclitatione* omnino, non ſolum præſente, ſed ita etiam manente, vt ipſe *exitus*, tanquam res futura, tantisper vtique in ancipiti maneat: tanto magis, cum rationi omnino conſonum ſit, adeoque omni iure cogitandum, nec iniuria *metuendum*, quod etiam ſub his & *laboribus* neceſſariis, & illorum etiam ſuſceptorum, certe tamen adhuc *ancipiti* magis, quam certa & *indubia* felici *efficacia*, adhuc incidere poſſint aliunde nouæ *interpellationes*, *turbationes*, *impedimenta*, imo *pericula noua*.) Hæc inquam res facile hinc iudicari poteſt, quam iuſta ſit ſub rebus ita *laborioſis*, *ambiguis*, vlterioribus *impedimentis* metuendis, *vigilantia*, *meticuloſitas*, *ſollicitudo*, imo ſi res impeditius procedant, *anxietas* ipſa: qualia nempe omnia in exercendis illis *febrilibus operationibus* non ſolum occurrunt; ſed etiam quam maxime ſecundum *proportiones* eiusmodi *difficultatum* per ſpecies.

Mores animi ægrorum hic præcipue ſunt obſeruandi.

§. XX. Vbi quidem etiam, plus quam vnius intuitus ergo, animum aduertere conuenerit ad *habitum morum animi* eiusmodi patientibus per indiuidua alioquin etiam ſolitorum, quomodo illi tanto magis ſeſe exſerant in *regendis* atque *proſequendis* huiusmodi *operoſis*, *impeditis*, & tamen *neceſſariis*, adeoque *periculoſis* etiam, adminiſtratio-

tio-

tionibus. Non autem loquor de nuda illa *morali impatientia*, *formidine*, *trepidatione*, *anxietate*, quam tales in huiusmodi conſtitutionibus exſerunt circa negotium *rationale*: ſed quales etiam horum generum ἀταξίας re vera in ipſo etiam *vitali* actu deinde exhibeant, nempe ipſo hoc *motuum* horum *ſecretoriorum* & *excretoriorum ordine*, *proportione*, *conſtantia*, adminiſtrandis; etiam ſine *externa* exacerbatione *animi pathematum* oblata; quæ alias vtique etiam inſigniter vlterius *turbare* poteſt has operas, etiam in illis, qui cæteroquin ab eiusmodi *perturbationibus* alieniores ſunt.

§. XXI. Eodem fere etiam gradu atque loco conſideranda vtique eſt illa *animi* e febribus affectio, quando per veras *criſes* perpetrata feliciter excuſſione febris, adeoque ſuperata *periculi* energia, primum, quod etiam ſingularum *horarum* decurſu ſe exſerit, boni effectus ſpecimen, eſt *animi* reuertens *alacritas*, *tranquillitas*, imo vera *ſecuritas*; & a periculi *metu* alienatio. Animi alacritas & ſecuritas poſt periculum ſuperatum.

§. XXII. Hic talis eſt habitus *febrium*, ſeu *febris in genere*, *in ſe* ſpectatæ, vti *numero vna*, *ſemel*, *ſingulis periodis*, inuadit. Notandum autem, quod eadem ipſa etiam quaſi *ſponte* nuda ſua, aut certe per occaſiones minime exquiſite *proportionatas*, non ſecus quam vere proterua quadam *promtitudine*, repullulare conſueuerit. Et hoc quidem non ſolum breui interpoſito *tempore*, vt in *acutis*; ſed etiam admodum longo, vt in *intermittentibus*, inprimis *tertianis*: quæ minime raris exemplis, ſed re vera in hominibus inprimis quam maxime *robuſtioribus*, etiam *anniuerſariis* ſpatiis vel vere *repullulare* ſolet; vel ad minimum plane conſpicua ſpecimina *gliſcentis* noui huiusmodi *conatus* exhibere. Repullulare ſolent febres.

§. XXIII. Imo vero non ignota eſt in praxi illa febris *tertianæ* vera *adſuetudo*, vt ceſſantibus etiam ſecundum omnem rationalem veriſimilitudinem *cauſſis* ſui *materialibus*, tamen non ceſſet ipſa *febris*; ſed patientes tales extra diem & horas illas conſuetas per omnia *ſanos*, *vegetos*, *integros*, imo *robuſtos* & plane *validos* ſeſe gerant, & omnes *functiones vitales* quam optime exerceant: interim *hora* ſolita redeunte valido prorſus inſultu *paroxyſmus* cooriatur, & licet non æque nimium diu *duret*, tamen re vera etiam tam *breuis* non ſit, quin ſatis diuturnas, intuitu debiti *ſani* penitus immunis ſtatus, moleſtias exhibeat, per 2. 3. horarum decurſum. Tertianæ febris adſuetudo.

Subiectum febris.

§. XXIV. Vltimum in *ordine*, licet minime poſtremum *dignitate*, meretur quam maxime conſiderari, & quidem hoc ipſo potiſſimum loco, vbi breuem de febre *cauſſalem* theoriam formare ordo poſtulat. Loquor de *ſubiecto* febris, cui illa obtingere ſolet. Vbi certe non perfunctorie perpendi meretur hæc ipſa conditio febris, quod illa non eueniat, niſi HVMANAE ſpeciei. Nempe neque tam *vere*, neque tam *facile*, neque tam *varie*, & tamen ſub illa varietate ita *proportionate* & *conuenienter* iuxta veram dignitatem *neceſſitatis*, quam periclitatio eiusmodi ſiue tota ſui *ſpecie*, ſiue *partis*, quæ primario afficitur, *dignitate*, infert, febrilibus commotionibus in ipſis *brutis* locus eſſe videatur.

Quod hominibus præ brutis febres frequentiores obtingant.

§. XXV. Dixi, quod hæc res, & vera prorſus febris circumſtantia, primum locum omnino videatur mereri in CAVSSARVM febrium enumeratione peragenda. Cum enim febrem conſiderare liceat, imo vero per veras ſui circumſtantias deceat, vt eiusmodi *actum vitalem motorium*, *ſecretorium* & *excretorium*, mediante quo *præſentes* quædam noxæ remoueantur; ſed hoc ipſum etiam eo maxime *ordine*, eaque *proportione*, per notabilem numerum *ſpecierum*, ita adminiſtretur, vti tam *materiarum ad vias*, quam *efficaciæ periculoſæ proportioni* quadrat; & ſecundum hos reſpectus vtique quam maxime veluti requirit, ſeu præſupponit, *energiam* eiusmodi *æſtimatoriam* tam *rerum*, quam *actionum*: apparet hinc tanto magis eluceſcere tota veritas negotii, quamobrem *brutis* nullæ, aut quicquid tandem huc trahatur, vtique *pauciſſimæ*, & penitus *rariſſimæ* febres eueniant; *hominibus* autem & *ſpecie* plures, & *numero* frequentiores paſſim obtingant; inſuper autem & *proportione* ſpeciei, & *methodo* proſequendi & abſoluendi (niſi *per accidens* denuo peruertantur) ita etiam ad finem perducantur, quemadmodum *rationabiliter*, & *neceſſitati* corporis, & *receptiuitati* materiæ & *habitui actionum* ad tales effectus omnino quadrat.

Promtitudo humanæ indolis ad ſibi conſulendum.

§. XXVI. Vbi nempe etiam notanda venit, vti nota vtique eſt, non ſolum *promtitudo* humanæ indolis ad *ſibi conſulendum conſiliis ſuis*, & *conatibus conſulto* adminiſtrandis. (Intelligo autem non ſolam conſultationem per *præfigurationes phantaſiæ* perpetrandam, ſed *rationi* ſolum iuxta *principia nobiſcum nata* conſonam; & magis *habitum* materiarum *reſpectiuum*, ſecundum magnitudinem *periculi* hinc impendentis, quam *materiarum* ipſarum *in ſe* ſpectatam ſiue *phyſicam* ſiue *mechanicam* diſpoſitionem ſimplicius, reſpicientem.)

§. XXVII.

§. XXVII. Sane vero huic eidem tali conſiderationi *cauſſali* innititur *cauſſalis ratio* totius *ſucceſſus* & *exitus* febrium *generaliſſimus*, quatenus *bonus*, *iuſtus*, & *proportionatus*, adeoque etiam *ſalutaris*: imo ſimpliciori eloquendi formula *ſimplex*, *directus*, *ſincerus*, *per eſſentiam*, vt ſcholæ loquuntur; aut *indirectus*, *impeditus*, *perturbatus*, *per accidens*. Ratio ſucceſſus & exitus febrium.

§. XXVIII. Sub his omnibus autem febrium circumſtantiis illud, quod maximopere ad conſiderationem prudentem veræ *ætiologiæ* illarum maximum pondus præbet, eſt hoc, quod febres *menſura* non ſolum *impetus* ſui, ſed inprimis *ſucceſſus*, adeo pares & exquiſitos *ambitus* ſeruent in quibuslibet ſubiectis, quæ per *materiales* circumſtantias notorie plurimum *differant*, vt inde *materialibus* conditionibus illas circumſtantias aſſignare omnino maxime alienum ab omni conceptu videatur. Certe enim offendit in hoc negotio curioſitas ſcholæ humanitatis adeo craſſo modo contra vniuerſa etiam ſimpliciſſima principia, quæ tamen maxime iactat, *phyſica*, *mechanica*, *rationalia*, vt incuriæ magis, quam vllius alterius rei curioſa hinc appareat. Febres in omnibus ſubiectis pares ambitus ſeruant menſura impetus & ſucceſſus.

§. XXIX. Nempe craſſo certe quodam ſimili, a *fermentationis* effectibus petito, adumbrare ſuſcipit, quaſi etiam *dari* poſſint, verius *fingi*, eiusmodi materiæ, quæ in corpus humanum admiſſæ ibidem eiusmodi *commenſurata* fermentandi *tempora* ſeruent & ſequantur. Sed vti totum hoc negotium nudæ quam maxime ſuppoſitioni de eo, quod ita ſe habere *poſſe*, *fingi poſſit*, ſuperſtruitur; ita reddunt illam penitus irritam circumſtantiæ tales, quæ non *ſupponi*, ſed ſolum *attendi* atque *obſeruari* poſtulant, & eo ipſo, quoniam ita *fiunt*, etiam aliter *ſupponi* non poſſunt. Certe enim notiſſimum eſt, quod *quantitas* materiæ *fermentantis*, tanto magis autem ipſius *fermenti*, maximopere circumſcribat ſuppoſitam illam, de qua nempe maxime ſermo eſt, *menſuram* tam *incipiendi*, quam *inualeſcendi* atque *durandi*. Interim contrarium huius rei paſſim, imo per omnia veluti indiuidua, occurrit in noſtro negotio. Quandoquidem ibi tam *leuiores*, imo tandem longe *leuiſſimi* paroxyſmi (nam *paroxyſmis* inprimis adornatur illa ſcena) nihilo ſecius illam *menſuram* etiam exquiſitiſſime ſeruare deprehenduntur. Sicut etiam in tam diuerſa *quantitate* atque *diſtractione* materiæ, qualis alibi in paruis corporibus *infantum* atque iuniorum, alibi in diffuſis *annoſiorum*, occurrit, ne vlla quidem verecunda fictione eiusmodi paritatis *materialis* ratio ſupponi poteſt. Hoc materiæ fermentanti vulgo adſcribi ſolet.

§. XXX.

Reditus paroxyſmorum etiam fundatur in materiæ quantitate.

§. XXX. Interim adhuc rudior certe eſt illa præfiguratio de exquiſite ſtato *reditu* paroxyſmorum; quaſi ille innitatur vere exacte pari *quantitati* materiæ, quanta præcedente paroxyſmo fuerit. (Vt enim nihil dicatur de illo offendiculo, quod hac ratione ſimul, præiudicando, fingeretur *abſoluta* quædam *menſura* materiæ, *quanta*, & non *minore*, opus eſſet ad concipiendum ſeu ſuſcitandum *paroxyſmum.*) Cum vtique alias etiam *minor* quantitas prius in paroxyſmum erumpere poſſet, modo *leuiorem* atque *breuiorem*: dum interim ex aduerſo etiam *leues* paroxyſmi nihilo minus *paria* tempora obſeruant.

Reclamant his opinionibus ipſi ſuccedentes paroxyſmi proportionati.

§. XXXI. Cadit profecto tota hæc operoſa ſcena, reclamantibus maxime ipſis paroxyſmorum *ſucceſſiuorum* proportionibus. Cum enim, ſi priſtina exquiſita *quantitas* materiæ in cauſſa eſſet tam exquiſitæ *menſuræ* reuertendi, neceſſe omnino foret, vt etiam tam *impetus*, quam deinde *duratio* totius paroxyſmi, pariter ita perpetuo *æqualis* eueniret: aut ad minimum euidentioribus non ſolum *promtioribus*, ſed etiam *copioſioribus excuſſionibus* ſenſibiliter ita eliſa & exonerata materia ſufficientia harum rerum ſigna exhiberet. Cum autem contrarium abſolutiſſime conſpicuum, & nemini hominum has res aduertentium incognitum ſit; nempe, quod etiam de die in diem quam plurimum *decreſcentes*, imo vltimo vix ſatis amplius *ſenſibiles paroxyſmi*, & exquiſitiſſime quidem omnium *hi tales*, *ſtatas* illas horarum *menſuras* recurſu ſuo maxime exactiſſime ſeruent; iterum dico, quamuis *impetu* æque atque *duratione* ſæpenumero vix ſatis *ſenſiles*: diluceſcit certe hinc euidentiſſime, quomodo hæ tales circumſtantiæ quadrent illis commentis, tam *craſſæ proportionis* regulæ ſuperſtructis.

Paroxyſmorum quieſcentium reuocatio.

§. XXXII. Ex aduerſo vero longe certe alio vocat conſiderationem illa obſeruatio, qua ſatis etiam in vulgus notum eſt, quod etiam quantumcunque *quieſcentes* paroxyſmos tertianarios, præcipue rebus adhuc recentioribus, aut ſubiectis plurimum *ſenſibilioribus* exſiſtentibus, certiſſime atque promtiſſime reuocare poſſit non ſolum *aſſumtio* ita intempeſtiua cibi aut potius; aut *nidor* ſimilium rerum: ſed etiam nudus *conſpectus*, imo in exquiſite ſenſibilibus etiam ſola multa *mentio*, & moleſta ad acceptandum & conſentiendum tentata perſuaſio.

Eorum emanſio aut mitigatio.

Sicut e diuerſo non minus nota eſt etiam illa experientia, quod in oblato inſperato *gaudio*, animum maxime quaſi totum ad ſe vocante; *auerſione* animi a meticuloſa exſpectatione inſtantis horæ, per huius ab aliis factam diſſimulationem: quin etiam in ipſo *ſomno*, quando paroxyſmi,

iam

iam miteſcentes, in illius tempus incidunt, hi ſæpe toti *emaneant*: ſæpiſſime vero & familiariſſime ad minimum ſenſibiliſſime *mitigentur*. Sicut etiam notiſſima eſt vulgi obſeruatio de pari efficacia, paroxyſmos iam aliunde *ſeneſcentes* per *terrorem* inſignem velut obruendi, & vere conſtanter tollendi. Nec ignota etiam aliis eſſe poſſunt exempla paria, qualia ipſe expertus ſum & notaui, *inſtantium* paroxyſmorum per incidentem anxium *mœrorem* & præſentiſſimam *ſollicitudinem* non ſolum in præſens *interuerſorum*, & tanquam (ſub leuiſſima æſtimatione, in comparatione ad alterum obiectum periculum aut damnum) *obliuioni* datorum: ſed etiam in poſterum ita conſtanter emanentium.

Inſtantium interuerſio.

Seneſcentium ſuppreſſio.

§. XXXIII. Præterea vero impingit omnis huiusmodi præfiguratio contra veram *hiſtoriam legitimi*, eoque ipſo *ſalutaris* ſucceſſus & euentus febrium, in eo, quod feruoris *fermentatiui actui* in genere, & *effectui* in ſpecie, tribuat totam febrium ſcenam; quarum quidem actionum decurſu *materia* illa ita alteretur, vt prægreſſam ſuam *paroxyzandi*, id eſt, *fermentandi* efficaciam eo ipſo exuat & amittat. Cum autem per hanc ſuppoſitionem (vt nihil dicam de prorſus improbabili illa non ſolum *pullulatione* in genere, ſed maxime ita exquiſite *dimenſa* in ſpecie, *nouæ quantitatis* in ſingulos paroxysmos) in ſolidum ſilentio inuoluatur, imo omni conſiderationi eximatur *vtiliſſima* illa non ſolum, ſed prorſus etiam *neceſſaria* EXCRETIONVM efficacia, quæ paroxyſmum ſibi recte conſtantem non ſolum *a poſteriori* abſoluit, ſed ad quam ille etiam potius toto ſuo apparatu atque ſucceſſu, iterum dico, *ſibi recte conſtante*, nec per accidens impedito, proprie reſpicit atque *tendit*; & eo etiam omni *intentione*, ab *arte* medica regendus atque promouendus eſt. Qua vera non ſolum, ſed adeo vnice neceſſaria conſideratione per infauſta talia commenta non ſolum intercepta, ſed vere funditus euerſa, ſimpliciter vtique vna ſubuertitur vniuerſus *vſus* huiusmodi *theoriæ* debitus *medicus*. Quod quidem aliter fieri non poteſt, quin, quando ſemel a rerum veritate temere fit ſeceſſio, omnes etiam reſpectus vlteriores veri, adeoque vtiles, vna peſſundentur.

Per ſuppoſitionem fermentatiui actus in febribus efficacia excretionum ſilentio inuoluitur.

§. XXXIV. Quemadmodum autem ipſa vtique illa huiusmodi opinio (quaſi commotio febrilis ita ſimpliciter *phyſico-mechanica* ratione ab ipſis certis *materiis* morbiferis ita concitaretur, vt in ordine ad reliquam œconomiæ vitalis ſanam methodum vere ſimpliciter *paſſiue* ſeſe haberet) nullo modo quadrare aut reſpondere poteſt luculentis vni-

Diſceptatio quodnam harum actionum ſit principium ſeu Agens, nihil commodi rei medicæ adfert.

vniuerſis ipſarum phænomenis: ita medicæ rei aut intentioni tantundem vtique commodi adferre etiam poteſt illa diſceptatio, ſi, cum quantacunque tandem contentione, diſputetur, quale nam *Agens* aliud ſit *auctor* aut *rector* harum commotionum. Quemadmodum enim nemo humanæ rationis compos illam argumentationem agnoſcet: *ſi adminiſtratio* febrium præſtetur ab ipſa *anima*, ſequi inde, vt ipſa etiam *anima immediate* curanda, ſeu curatio *immediate* ad ipſam dirigenda ſit: ita totum illud, quod vtique interim ad Medicinam quam maxime pertinet, ab hac diſquiſitione, *quodnam nominatim ſit harum actionum principium*, ſeu ipſum verum *Agens*, quam longiſſime vtique diſtat; nempe, quod hic *actus* omnino vtique ſit BONVS & VTILIS, ipſo *effectu* potius, quam ſimplici forte *euentu*; & omnes eius *ſucceſſus* atque *progreſſus* omnino ad illum talem *ſalutarem* exitum ita *quadrent*, & conſequenter etiam probabiliſſime *collineent*, vt ſiquid horum aliter (quam ita vt omnino decet, & ſine intercedentibus impedimentis etiam ipſo facto ordinarie fit) procedat, funeſtus potius effectus inde reſultet.

Vtilior eſt conſideratio, quod febris ſit actus bonus & vtlis, ad ſalutarem finem tendens.

§. XXXV. Hæc, inquam, vera conſideratio ſi decenter ſtabilitur, nempe veritatem illam omnino practicam tuendo, quod febris *in ſe*, & niſi *per accidens* perturbetur, *ſalutarem* exitum adſequatur; & omnino etiam talis, vere *ſibi relicta*, habeat vniuerſas eiusmodi circumſtantias, quæ ad hunc *ſalutarem* euentum recte & ordine *quadrent*, neque ſine ſiniſtri exitus periculo *negligi*, *omitti*, nedum *contrariis* modis inſtrui poſſint. Iterum dico, ſi e vera æſtimatione *praxeos clinicæ* hoc agnoſcitur, atque certum & euidens ita habetur; adeoque a communi pandemia traditione, quæ hæc vniuerſa ſimpliciter *paſſiua*, & vera *morbida* pathemata facit, abeundo, meis de hac re demonſtrationibus aſſenſus præbetur: inepte abſurdum poſthac fuerit, futilibus, & ab omni argumentandi ratione alienis dubitatiunculis, tanquam de re maximi momenti, & ſerio definienda, huiusmodi ſpeciem facere, quaſi nihil eorum, quæ ego docuerim, placeat &c.

Generalis febrium theoria.

§. XXXVI. Enimvero hæc eſt vtique illa vere *medica* harum rerum conſideratio atque ratio, quod veræ atque ſinceræ *febriles actiones*, per *ſucceſſiuas ſecretiones* proportionatas & *tempeſtiuas excretiones*, &, mediantibus his, per morbidæ materiæ efficacem *depulſionem*, ad *ſalutarem* vitæ conſeruatorium exitum pertendentes, non ſolum *tolerandæ*, ſed etiam *obſeruandæ*, *gubernandæ*, & quoquo modo *iuuandæ* potius atque *promouendæ* ſint, quam vllo modo *negligendæ*, nedum

per-

peruertendæ. Hæc eſt illa mea GENERALIS FEBRIVM THEORIA; de qua licet omnino vtique ipſi etiam *antiqui* aliquid agnouerint, *pugnam* aliquam *naturæ cum morbo*, in febribus inprimis, arguendo: tamen tum totius medii ſcholarum medicarum æui acceptiones & explicationes tam parum, quam antiquiſſimorum expreſſiones veram & exactam differentiam expoſuerint, *quanam proprie* in febre ſint *morbi*, quæ vero contra *naturæ partes* & *energiæ*: non poteſt proinde neque mihi imputari, quaſi illorum, vt habet prouerbium, *vitulo arando* præcipua mea, ne dum omnia, illis ita debeam. Quamlibet certe neque de hac poſtulatione vllatenus contendere in animo habeam; vtpote nihil vtique minus quam hoc, illud autem omni vtique ſtudio expetens & agitans, vt *ſerium* hoc omnino negotium, *naturam potius in ſuis vtiliſſimis operationibus quouis modo adiuuandi, quam vllo modo ipſi obſiſtendi*, in tam ſontico negotio, quale ſunt ipſæ *febres*, decenter perſpectum, adeoque ad ipſam praxin perite applicandum, ab omnibus medicinæ ſtudium agitantibus agnoſcatur. Quam antiqui per pugnam naturæ cum morbo explicuerunt.

§. XXXVII. Quam maxime vero non ſcitu magis, quam conſideratu, & prudente, imo vero perita *obſeruatione* æque atque *gubernatione* dignam duco, imo commendo maxime hoc nomine hanc ipſam per febres *ſpontaneam naturæ energiam*; quomodo illa non ſolum præſenti *neceſſitati* corporis ipſamet conſulere ita ſuſcipiat: ſed etiam hoc ipſum peragat peculiari *methodo* atque *ſucceſſibus*, ſingulari *ordine* inſtructis. Cum enim *materias* illas, PROPTER quas huiusmodi *febrilis commotio* ita ſuſcipitur & inſtruitur, vera *artificiali* alternatione ſubigere irritum paſſim & vere inane ſit conamen; quod omnino Medici, rerum ſuarum & exiſtimationis inprimis ac honoris ſui & *artis* vere cupidi atque curioſi, non ſolum a ſpe ſua, ſed tanto magis a pollicitatione omni omittere debent: (exceptis pauciſſimis indiuidualibus caſibus, & in vna forte ſolum aut altera ſpecie) ſed omnia verius ſimpliciter per *ordinatas ſecretiones* & *excretiones* abſoluere, neceſſitas poſtulet: talis autem *apparatus* atque *methodica* adminiſtratio, ita *ſecretoria & excretoria*, ſit ipſamet *febris*: ſine cuius *generali* inſtituto (*ſecretionis* & *excretionis*) *materia* hoc tempore incumbens non *poſſit* ſuperari; ſine eiusdem autem *ſpeciali* (*ordinis*, *menſuræ*, *paroxyſmorum* & *periodorum*) *tranquilla* & nihil perturbata *proſecutione* non *ſoleat* hoc negotium abſolui: quin potius, ſi hic aliquid *turbetur*, totus Spontanea naturæ energia per febres, eiusque methodus.

tus actus inde in ingens *periculum*, *irriti* adeoque etiam *funeſti* in acutis, *exitus* coniiciatur.

Quæ methodus naturæ febrilis ſeruanda & gubernanda eſt.

§. XXXVIII. Cenſeo proinde digniſſimam vtique, imo *neceſſariam* prorſus obſeruatu, imo vero *factu*, hanc ipſam ſeruationem febrilis *methodiæ*: & dextram eius *artificialem* gubernationem potius, quam vllo modo in diuerſum abeuntes (artificiales) *intentiones* aut *inuentiones*; ne dum in *contrarium* tendentes, nempe huiusmodi *conatus*, *apparatus* & *actus* naturæ in directa ſua & tolerabiliter procedente proſecutione *impediendi*; neque quidem ſolum *craſſo* modo, & in genere, totum *ſcopum ſecretionis & excretionis* mutuo ſubordinatarum ſimpliciter impediendo & opprimendo; ſed etiam *in ſpecie*, peculiariter commenſuratos veluti greſſus atque paſſus harum actionum immodeſtius interpellando, iisque vel reſiſtendo, vel illos temere confundendo & obturbando, tum ſigillatim in *paroxyſmis*, tum ad ſummam rei in *deſtinationibus*, maxime omnium vero iam *actionibus* ipſis *criticis*.

Maxima autem artificis prudentia opus eſt, ſi naturam adiuuare in animo habeat.

§. XXXIX. Habeo enim pro certo, quod quilibet animum huc decenter aduertens facile deprehenſurus ſit, quantum differant eiusmodi affectus, quos non ſolum *adiuuare* & ad illos *concurrere*, ſed vniuerſos *præſtare*, *adminiſtrare* & *abſoluere* aggreſſa eſt natura & paſſim etiam *ſine* omni *artis* auxilio exquiſitiſſime abſoluit: ſi talibus immiſcere ſeſe & ingerere *artifex* in animum inducat, opus ibi ſit maxima & prudentia, & peritia, & dexteritate, ne plus officiat, impediat, turbet, & peruertat ſucceſſum, *euertat* autem & in contrarium coniiciat omnem bonum *effectum*, imo *ſalutarem* euentum: adeoque quod ſine *artificis* concurſu paſſim feliciter ſuccedit & exit, imperita eius, *inutili*, imo *aduerſa*, atque temeraria concurſatione certo & abſolute in irritum recidat, imo in *contrarium* adigatur.

Infauſta & fictitia eſt traditio de efficacia remediorum alterantium citra euacuationem.

§. XL. Vbi breuiſſimis adhuc tangere libet, quam antea etiam breuiter perſtrinxi, infauſtam illam tralatitiam traditionem, totam interim *falſam* atque fictitiam, & omni proinde etiam *ſalutari* euentu caſſam, de *efficacia artificiorum medicorum* ſimpliciter ALTERATIVA, pro auferendis *materialibus* cauſſis febrium, *citra euacuationem*, *præcipuum* totius negotii cardinem tandem moliente. Cum enim talis traditio, exceptis ſolis aliquibus exemplis febrium *intermittentium* ex *aſſumtorum* craſſiorum vitio pendentium, & initiis *cholericarum* & *ardentium*, a *bilioſa* ſaburra craſſiore & copioſiore pendentium, abſo-

lutis-

latiſſime *temeraria* ſit, *fallax*, imo *falſa* atque *mendax*; cui, a male intellectis, imo paſſim mala fide allegatis *paucis* exemplis, vniuerſam *methodum* curandi ſuperſtruere, & ab eiusmodi *particularibus* ad *vniuerſalia* graſſari etiam ſcholis intolerandum eſſet: nihil certe ſanæ rationi, ſi illa ſimpliciter in conſilium hic aduocetur, reliquum manet, niſi vt euacuatione ſeu *excretione* tandem totum negotium aggredi, imo abſoluere ſibi proponat.

§. XLI. Quod ipſum, ſic vbi iam ipſius *naturæ* auſibus ita agitari offendat, potius vtique in ſuos vſus hoc conuertere, & mutua *cooperatione* ad plenum optatum exitum deducre debebit ipſa *ars*; quam *ſalutaribus* his naturæ cœptis ſuperbe poſthabitis non ſolum *alia*, ſed vel prorſus *aliena* moliri. Quemadmodum enim, ſi fieri poſſit, *præoccupare* naturæ conatus cœptum vtique eſt & prudentiſſimum, & ſæpe etiam felici ſucceſſu minime deſtitutum: ita, quando ſemel natura ſuas res non ſolum peculiari cura, ſed etiam plane peculiari *menſura*, *methodo* atque *ordine* in effectum deducere aggreſſa eſt, quam infeliciter ibi communiter cedat, etiam ſolus *neglectus* huiusmodi obſeruationis debitæ, & *ſynergiæ* eiusmodi adminiſtrationis atque promotionis neceſſariæ, neminem certe poterit fallere, niſi ab omni res ſuas cum decente animi aduerſione tractandi ſtudio in ſolidum alienum.

Cooperari debet ars, ſi natura res ſuas peculiari menſura, methodo & ordine aggreſſa eſt.

§. XLII. Quo intuitu itaque digniſſimam conſideratu iudico hanc theoriam, ceu verum proprium genium, SYNERGIAE ſalutaris naturæ, imo etiam, ſine vllo concurſu artificis, veræ propriæ naturæ ENERGIAE: e cuius comparatione Medicus ita comprehendere poſſit, non ſolum indolem cauſſarum diuerſarum febrilium, æque ac apparentium pariter effectuum, nempe vulgo ita dictorum affectuum ſeu ſymptomatum febrilium; ſed etiam quid e motibus talibus, partim tendentibus ad excretiones, partim in excretione conſiſtentibus, effectui ipſius affectus adſcribendum: quid vero e contra potius aduerſus magis noxiorum talium effectuum energiam vtile imo neceſſarium, & ſi ipſa maxime ratio conſuleretur, conſultum ex his exſiſtat. Quod ipſe etiam Medicus *artificiali* operatione non ſolum *imitari*, ſed tanto magis *ſequi*, & poſtquam ſponte ita fit, non *impedire*, aut *cohibere*, & *contrarias* operationes tentare poſſit aut debeat; ſed etiam communiſſime huiusmodi *methodus* actionum & effectuum nulla alia ratione ita compenſari poſſit, vt verus *ſalutaris* euentus impetretur; adeoque hæc *talis* methodus non ſolum *neceſſaria*, ſed etiam VNICA vere exſiſtat.

Synergia imo energia naturæ conſideratu digniſſima.

Vt ita etiam præter intentionem atque mentem reliquam ſuam vera loquantur, qui dicunt, non ſolum *nihil melius*, ſed NIHIL ALIVD excogitari poſſe, quo *materiæ* febriles, & earum *efficacia* & *effectus*, depellantur & expellantur, quam prudenter gubernatæ, atque ſubordinatæ *ſecretiones* & *excretiones*. Qualium vera ſyſtemata atque ſpecimina exhibere ipſas FEBRES, *ſibi conſtantes*, & non *per accidens* deprauatas, *impeditas*, *perturbatas*, eſt vtique illud, quod omnium ſciendi & intelligendi compotum diiudicationi commendo.

PARTIS II.

SECTIO VLTIMA
DE
ADVENTITIIS.

§. I.

Repetitio ante tractatarum materiarum.

EGi huc vsque de illis affectibus, eorumque tam *generibus*, quam *ſpeciebus*, qui corpori humano *interna* ſua, *propria* quaſi culpa, tam ratione *materialis* conſtitutionis, quam quocunque vitio *adminiſtrationis*, ingruere & euenire ſolent. Vbi in illud inprimis incubui, vt monſtrarem, quod longe maximus numerus affectuum, ſecundum ipſas *ſubalternas* ne dum *ſpecialiſſimas* ſpecies, ſimpliciſſimo ordine procedere poſſint a *quantitatis* partim nudis adhuc *futuris* periculis; aut *propioribus ſimpliciſſimis* incommodis, *ſpiſſescentia*, etiam ipſi *progreſſui* detrahente: aut tali *ſpiſſescentia* vndecunque etiam alias contracta, & pro hisce rebus *deſtinatis* variationibus ſubſidiorum *motoriorum*; adeo quidem, vt inprimis hæ *nouæ*, *ſollicitæ*, *trepidæ*, *obſtinatæ* DESTINATIONES præcipue non ſolum maximam partem, ſed etiam inprimis *grauiorum*, apparatu *operoſiorum*, ſucceſſu *pertinaciorum*, exitu *periculoſiorum*, & *ambiguorum* affectuum complectantur. Quibus inſuper & *præoccupando*, & *ſubueniendo*, & paſſim prudenter *indulgendo*, & veſtigiis illorum inſiſtendo, & *vacillantes* tam perite, quam circumſpecte & *gubernando vnice* fere & *vere*

con-

conſulere ſit integrum. Quicquid autem aliter fiat, id non ſolum *alieno*, ſed communiſſime *irrito* euentu laboret.

§. II. Supereſt, vt etiam de illis rebus dicamus, quæ ADVENTITIAE, & aliunde corpori ingruentes, tum *materialem* eius conſtitutionem, tum *œconomiæ ordinem* & *adminiſtrationem motoriam* varie perturbare poſſunt. Obtingunt huius generis res ipſi corpori *duobus* præcipue modis. Primo via quaſi magis *ordinaria*, & per occaſiones admodum familiares: ſecundo, per ſimpliciter *fortuitos* & plurimum *inſolitos* caſus. *Prior* turba aduentitiarum talium læſionum, ſeu potius *cauſſarum* lædendi compotum, prodit ex illis ipſis rebus, ſine quibus vita humana ſubſiſtere non valet; nempe ita dictis NON-NATVRALIBVS: earum inquam vel *ſelectu* minus decente, vel *vtendi* ordine peruerſo.

Aduentitiarum rerum corpus lædentium duæ claſſes.

Prior ex rebus non-naturalibus,

§. III. Ita enim ab AERIS intolerabili conſtitutione, ratione *frigoris*, *æſtus*, *humiditatis*, *impuritatis*, oriuntur vtique paſſim eiusmodi læſiones tum ipſorum *humorum*, imo aliquando *ſolidarum* ipſarum partium: tum *motuum tonicorum*, & per hos etiam *humorum*. In ASSVMENDIS nota eſt humanæ libidinis varietas & intemperantia, iam propria aliqua *opinione*, iam *exemplo* exerrans. Vbi licet *conſuetudo* multum poſſit, nec etiam, in hac quidem via, adeo *promta* ſit ingens efficacia etiam minus idonearum rerum; ſi modo neque *quantitate* nimium delinquatur, neque *ordine* aſſumendi, neque animi aliqua inſigni *auerſione* concurrente: certum tamen eſt quotidianæ experientiæ documento, quod ab huiusmodi rebus perpetuo impendeat *aliquod* periculum maius, quam illa minime minentur, quæ *ſimpliciore* nutriendi energia corpori ſubueniunt. SOMNVS etiam *nimius*, *intempeſtiuus*, *inordinatus*, *interpellatus*, & *inquietus*, lædit varie; maxime *ſenſibiliores*. VIGILIAE nimiæ obiiciunt varia incommoda atque damna, iam externis *ſenſoriis*, iam internorum ſenſuum *actui* & *ordini* ſeu *conſtantiæ*. MOTVS *voluntarius localis* & QVIES faciunt etiam varium œconomiæ corporis negotium; *motus* inprimis *exceſſu*, quam maxime vero *repentino* & præcipiti: *quies defectu* præcipue, vel etiam continua ſegni *deſidia*; concurrente præſertim cum multa & *ſpiſſi* inſuper ſanguinis *cumulatione*, & *excretionum* negligentia.

1. ex aëris conſtitutione,

2. ex aſſumendis,

3. ex ſomno & vigiliis.

4. ex motu & quiete,

§. IV.

5. ex detentione excernendorum.

§. IV. Enim vero etiam illæ res *aduenire* omnino corpori intelligi poſſunt, quæ etiam intra ipſum *prognatæ*, ita tamen conſtitutæ abhinc ſunt, vt non ſolum nullum directum & perpetuum *vſum* corpori præſtent, ſed etiam actu *nocendi* compotes ſint, ſerius ocyus, niſi ad proportionem *tempeſtiue* ex illo eliminentur. Vnde quidem, ſi illæ res vltra tempus in ipſo corpore *detineantur*, merentur ſane ab eo tempore, quod vltra terminum debitæ *eliminationis* in corpore morantur, non aliter conſiderari, quam ſi vſurpatione quadam *poſtliminii* denuo aliunde corpori *acceſſiſſent*, & illud inuaſiſſent. Vnde certe, cum illæ materiæ, quæ ſemel vere merentur *excretionem* ſeu eliminationem e corpore, ſi vel ipſæ exitum hunc *morentur*, & non ſatis promte obſequantur excuſſioni, vel ipſe *motus* excuſſorius negligenter inſtruatur & exerceatur, vel voluntaria *deſidia* ac inertia etiam cohibeatur: fiunt tales materiæ omnibus hiſce modis corpori vtique quam maxime non ſolum *incommodæ*, *moleſtæ*, *oneroſæ*, magis magisque *intractabiles*; ſed etiam tandem pluribus modis *noxiæ*, & magis magisque *periculoſæ*.

6. per animi pathemata.

§. V. ANIMI PATHEMATA, ſicuti verum ipſorum obiectum ſunt rerum *externarum proportiones* ad *vſum* aut *damnum* corporis, ſiue *veræ*, ſiue *fictæ*: ita merentur etiam vere pro *aduentitiis* rebus haberi; aut certæ *cauſſæ* illorum, quando ita quoquo modo oblatæ ipſa hæc *pathemata* excitant. Sicut autem hæc conſideratio non ſatis decenter ad animum admiſſa ingenti damno afflixit omnem ſolidam *theoriam*, tam de *phyſico* habitu diſpenſationis in œconomia corporis, quam de *medica* conſideratione; cuius nempe intuitu ipſi effectus *animi pathematum* longe vtique magis familiares ſunt, quam vulgo illis tribuitur; ex aduerſo vero interim meris *corporalibus mechanicis irritationibus* atque *ſtimulationibus* illos effectus tribuendo, nudæ vtique *fictioni* ita indulgetur, atque ſimul porta aperitur irritis *conſiliis*, & inanibus, quas vocant, *indicationibus*: ita ſunt omnino in præſentem noſtrum cenſum quam maxime reuocanda, & pro rebus vere *aduentitiis*, adeoque non promiſcue toti *ſpeciei* actu communibus, ſed per *indiuidua* ſolum per *externas occaſiones* ſenſim inducendis, habenda atque notanda *duo* ingentia huiusmodi pathemata: nempe SENSIBILITAS nimia, & CONSVETVDO. Simul vero etiam reliqua vulgo hoc nomine nota, *ira*, *terror*, *timor* & *anxietas*, *mæror*, *nauſea*, &

auer-

auerſio: imo etiam *deſiderium*, *gaudium*, *voluptas*, *pudor*, *perturbatio*.

§. VI. Singulæ huiusmodi rerum *poſſunt* vtique, imo vero *ſolent* paſſim corpori varia incommoda atque damna inferre; præcipue tamen tunc maxime, quando *quantitate* nimia enormiter ingruunt; aut aliunde iam *prædiſpoſitum* corpus inuadunt, *internis* magis ſupra deductis cauſſis affectum, *abundantia ſanguinis*, *ſpiſſeſcentia* eiusdem, & propter talia gliſcentibus *motuum* vitalium extraordinariis *intentionibus* & *adminiſtrationibus*. Quando hæ res præcipue corpus lædere poſſint & ſoleant.

§. VII. Sane enim illud, quod etiam de hac claſſe *aduentitiarum* noxiarum rerum omnino, & maximopere quidem, notandum venit, eſt omni modo obſeruanda etiam harum rerum (niſi admodum excedant *quantitate* & *qualitate* ſui) INFREQVENTIA; vbi nempe, quando vel *ſenſibilitas* peculiaris abeſt, vel contra *conſuetudo* adeſt, pleræque omnes huius quoque claſſis res etiam nullum effatu dignum, nedum penitius *periculum* aut *damnum* inferunt. Infrequentia harum rerum.

§. VIII. Quæ circumſtantia cum etiam ſatis monſtret, quod *energia* illa nocendi minime tam abſolute fundetur in ipſa intimiore rerum harum vere *materiali* atque *corporali* conſtitutione; nec etiam ſimpliciter in ipſo *phyſico* corporeo effectu, quem *in materialem* conſtitutionem corporis & motus *mixtorios* aut *diſſolutorios* omnino edere valent; quin etiam nec in ipſa directe corporali *mechanica* ratione & proportione ad *motus ſecretorios* & *excretorios*: ſed potius in *adminiſtratione* decentis proportionati *regiminis organici* horum motuum; (vnde nempe fit, vt illæ qualescunque noxæ, quæ ita *corporaliter* vtique producuntur, tamen *maturis*, *aſſiduis*, *tranquille gubernatis* & *ordinate* ad finem deductis vitalibus *ſecretionibus & excretionibus* paſſim etiam (ad craſſum ſenſum) *inſenſibiliter* ita ſuperentur, & in integrum reſtituantur, vt inde vix vllum perceptibile damnum reſultet:) ita eſt vtique ipſo maxime hoc nomine conſideranda & æſtimanda *ratio*, *proportio*, *ordo* & *progreſſus*, quomodo hæ tales ita *aduentitiæ*, e rerum *externarum* cenſu, *materiæ* & *energiæ* corpori non tam *immediate*, quam *œconomiæ* eius *motoriæ* præiudicium adferant; adeoque ipſæ etiam longe minus poſſint & agant vera *phyſico-mechanica* operatione, quam *æſtimatoria* magis œconomicæ *adminiſtrationis*, ad harum rerum earumque efficaciæ & effectuum proportionatam *remotionem*, concurrente impari *proſecutione* & *exſecutione*. Nocendi energia in qua re fundata ſit.

Medica intentio ad actus ſecretorios & excretorios, non ad corporales effectus harum rerum dirigenda eſt.

§. IX. Quod ipſum certe etiam *medicæ* conſiderationi, quin *intentioni* maxime commendandum venit; ne in hoc etiam genere nimium immoretur ſimplicibus illis *corporalibus* talium rerum effectibus: ſed quam maxime intendat mentem ad illos vitales *actus ſecretorios & excretorios*, qui huiusmodi res, *proportione* ſolum tolerabiliore occurrentes, & *poſſunt* & *ſolent* etiam ſponte coercere: quorum quidem proportionatæ *cooperationi* prouocandæ omnino etiam inuigilare proinde cordi habeat, & in illa ſi non *vnam*, aut abſolute *primam*, certe tamen neque *poſtremam* ſalutaris auxilii ſpem collocare.

Secunda claſſis ſunt res toto genere præternaturales.

§. X. SECVNDA claſſis *extranearum* rerum, & ab illis coorientium læſionum atque pathematum, ſunt ita dictæ res *toto genere p. n.*; quæ cum *corpore* & eius *œconomia* plane nullam conſpirationem habentes ad eius *ſubſiſtentiam* aut *conſeruationem*, ex aduerſo in eiusdem *læſionem*, imo deſtructionem, quam maxime pronæ, imo promtæ atque efficaces exſiſtunt. Huius generis ſunt omnia, quæcunque *violenta* aliqua ratione corpori, eiusque *mixtioni*, *conſiſtentiæ*, *texturæ* atque *ſtructuræ* nocere poſſunt. *Rodentia*, *vrentia*, *ſubtiliter* & ſimul efficaciter *irritantia* atque ſtimulantia, *acria*, *coagulantia* atque *denſantia*, *adſtringentia*, *mollientia* & *relaxantia*, &c. Meatus *comprimentia*, *dura*, *rigida*, *contundentia & quaſſantia*, *pungentia* & *ſcindentia*: imo craſſo modo & impetu *frangentia*, *rumpentia*, *diſtorquentia*, & ſimilia manifeſtam *vim* exercentia.

De efficacia & modo agendi harum rerum non eſt inſtituenda quæſtio, ſed qua frequentia & promtitudine ſuam efficaciam exerceant.

§. XI. De talium rerum efficacia & agendi modo vti inanis eſſet prolixior ſermo, & inprimis ad *medicum* ſcopum omnino ſterilis; dum nec ex illa theoria *modi agendi actum* ipſum directe impedire vllo modo liceret; neque tam ſecundum vllam huiusmodi *per cauſſas* ſcientiam, ſed per nudam ſimplicem *experientiam*, aut ſimpliciſſimum rationis dictamen reſiſtere conceditur: ita meretur ex aduerſo ſummam vtique atque iuſtiſſimam conſiderationem illa conditio *ſubtiliorum* huius generis rerum, quam toties, imo vbilibet, meritiſſimo vtique iure produco atque commendo: nempe, qua *frequentia*, *an*, *vbi*, quam *promte* aut minus huiusmodi res re vera ita præſto ſint, & efficaciam illam ſuam vere & indubie exerceant?

Ingens frequentia & præſentia his rebus peregrinis earumque

§. XII. Non fruſtra vero profecto in conſiderationem venit hæc ipſa quæſtio, poſtquam proximis temporibus ingens omnino *frequentia* & *præſentia* his rebus earumque efficaciæ adſcribitur; dico, ita *ſubtiliter* agere compotibus *peregrinis materialibus* cauſſis; quæ iam

humo-

humores varie conturbando, iam *vias* obruendo, iam *ſenſus* exſtimulando, *plerorumque* & fere tam *grauiſſimorum* quam *contumaciſſimorum* quorumlibet morborum *fontes* atque *fomites* exſiſtant.

efficaciæ adſcribitur.

§. XIII. Quemadmodum autem veram exſiſtentiam harum cauſſarum, qua talium, (nempe quod re vera in illis affectibus hæ res vere *cauſſalem* rationem habeant, & effectum hunc talem edant & exerceant) primo prorſus loco refellit ipſa etiam talium affectuum, qui ipſis tanquam effectus tribuuntur, INFREQVENTIA tam *abſoluta*, quam *reſpectiua*; dum videlicet non ſolum vniuerſim ex omni hominum numero certe ſic ſatis *paucis* eueniunt, ſed illis ipſis etiam *raro*, non quolibet, ſed magis peculiari atque *certo tempore*, inprimis *ætatum*, obtingunt: ita deſtruit totum negotium tanto potentius illa conſideratio, quod interim hæ tales *cauſſæ*, pleræque res inquam tales, ſine vera eiusmodi efficiendi libera energia non ſolum paſſim & promiſcue magno hominum numero *familiares* ſint, imo multæ illarum etiam paſſim veluti *communes*, citra tamen eiusmodi effectus conſecutionem; verum etiam apud magnum hominum numerum multæ talium rerum in *vſu*, imo multoties in *abuſu* ſint, ſine nihilo minus vllo huiusmodi ipſis ita *directe* adſignato effectu.

Infrequentia talium affectuum, qui his rebus materialibus tanquam effectus tribuuntur.

§. XIV. Cui rei addendum adhuc amplius eſt alterum huiusmodi ingens offendiculum, quod vtique etiam *eminenter tales* res, quando maxime in corpus humanum admittuntur, tamen paſſim vel *minores*, vel certius ad minimum plane *diſpares*, & alios, quam quales ipſis ita imputari ſolent, effectus edant. Id quod de efficacia ita dictarum potentiarum *ſalinarum*, in comparatione ad verum potentiorum *acerrimorum* ſalium effectum, æque ac ad variarum *ſpecierum vinoſam*, *acetoſam*, cereuiſiariam, *aromaticam*, *ſaccharatam*, *ſalſam*, *muriaticam* diætam (*ebrioſam* etiam, & *ingurgitatoriam*) manifeſtum euadit. Quandoquidem longe maximus paſſim numerus talium hominum occurrit, qui varia talia *affatim* & *frequentiſſime*, imo vel *continuis* plane ſucceſſibus & quotidiano *abuſu* ingurgitant; neque tamen interim vllam effatu dignam alterationem ſanitatis ſuæ hinc incurrunt: ne dum ad illam *proportionem*, a qua, per hanc vſitatam Pathologiam, deinde multi magni alii morbi arceſſendi putantur.

Sæpe minores & plane diſpares effectus edunt; exemplo potentiarum ſalinarum, aliarumque ſpecierum.

Pericula & incommoda valetudinis ex his rebus diſſimulari non poſſunt, ſed peſſime ad hypotheſin conſuetudini tribuuntur.

§. XV. Imo, quum etiam paſſim reipſa verum compareat, licet alio procedendi modo, dum v. gr. vini potu penitus inſolito grauiter ſeſe onerantes variis, & ſæpe etiam ingentibus incommodis, imo *febrium* periculis exponuntur; *ſuillæ*, *ſumo* induratæ, *crudæ*, minime adſueti, tum etiam *piſcibus* durioribus, *aſellis*, aut mollioribus, *anguillis*, *oſtreis* &c. præter conſuetudinem, aut cum aliquali nauſea veſcentes, quamlibet etiam non admodum talibus abutentes, grauia ſæpe pericula & incommoda valetudinis non ſolum, ſed vniuerſæ quoque vitalis œconomiæ incurrunt: interim, quando hoc vtique diſſimulari non poteſt, quæritur huic rei excuſatio in eo, quod huius diuerſitatis cauſſa tribuenda veniat *conſuetudini*. *Veriſſime* omnino; ſed peſſime ad *hypotheſin*. Cum enim hæc ſuperſtruatur *materiali* atque *corporali* efficaciæ huiusmodi rerum, & ante omnia quidem in ipſam *craſin* atque *conſiſtentiam* humorum: perit ibi omnis energia *conſuetudinis*. Cum abſurdum ſit a *materiis* exſpectare, vt hæ per *conſuetudinem* deſinant *mutuam* actiuitatem & receptiuitatem habere. (Vbi ne quidem addere placet, quod *materiæ* illæ tales etiam ſemper *recentes* hic ſubſint, in nullum vero *nouum* ſiue *agens* ſiue *patiens*, vt *nouum*, *conſuetudo* cadat.)

Actiuitatis diuerſa inſtructio circa has res moleſtas conſideranda potius eſt quam efficacia earum.

§. XVI. Recte autem vera eſt omnino hæc res de *actiuitatis* diuerſa inſtructione, ſecundum *ordinatam & tranquillam* tolerandi & eliminandi methodum: aut contra, *trepidam* atque turbulentam, circa res præter ordinem moleſtas, exagitationem, qualis apud nihil adſuetos circa huiusmodi negotia ſeſe offert. Tali enim demum conſideratione dilucescet, quod, quæcunque etiam tandem energia ipſis eiusmodi materiis vere aſſignari poſſe videatur, tamen in ſe paſſim adeo exiguæ ſit efficaciæ, vt corpori, ne dum œconomiæ vitali, nullum tam inſigne periculum aut damnum inferre poſſit; quin illud, ſi modo *ordo* motuum vitalium iuſta *proportione* & decente *moderamine* contra inſtruatur & exerceatur, eo ipſo ſatis efficaciter ſubigi & expugnari valeat, imo vero præcipue *expurgari*. In hac autem re, *actione* inquam, eiusque *adminiſtratione* debita, quando demum *error* hæret, prognaſcitur hinc eiusmodi magis magisque abhinc inualeſcens *morbida* conſtitutio; quam maxime vero ſolennius *motuum* ſecretoriorum & excretoriorum *peruerſione* præcipue peccans, quam ſimplex & directum *materiæ* vitium pro ſui fundamento exhibens; inprimis *proportionato* ad vniuerſum affectus complexum.

§. XVII.

§. XVII. Habet autem ſane huius rei debita ſufficiens conſideratio ſummum pro *praxi medica rationali* vſum. Qui generatim quidem in *duobus* conſiſtit, *primo*, quod hoc intuitu longe minus tribuere, ne dum fidere conueniat eiusmodi *methodis* & *medicamentis*, qualia hodie paſſim talibus *materialium* læſionum energiis opponuntur; ipſis quoque magis nuda *fictione* nitentibus, quam vlla in numeroſis exemplis talium euentuum immanibus probabilitate. *Secundo*, ne *medicamenta* e tali hypotheſi *materiis* deſtinata, acrimonia quacunque in MOTVS potius quacunque *ſtimulandi* energia impetum facientia, *alienos*, *intempeſtiuos*, *nimios* MOTVS ita perpetrent, & eo ipſo e *leuioribus* incommodis paſſim *grauiora* concitent. Imo vero non tam *tertium* his adiungere, quam proprio omnino loco conſtituere neceſſarium duco, peculiare prorſus illud *theorema*, quod hac ratione irritis *intentionibus materias*, & *potenter* quidem largis medicamentorum doſibus, *corrigendi* & *ſubigendi* TEMPVS fruſtra perdatur, nec interim ad veriorem *ſcopum* ſecernendi & excernendi vlla intentio in mentem veniat: quin imo remediis, ſub opinione *correctionis materiarum motus turbantibus*, *ordo* & ſucceſſus *excretionum* actu peruertatur.

Quem vſum habeat hæc conſideratio pro praxi medica.

§. XVIII. Perit certe tali incommoda & incondita opinione omnis & agnitio, & qualiscunque præoccupatio veriorum cauſſarum *materialium*, *mediatarum* & *antecedentium*, *quantitatis*, & ſimplicioris *qualitatis* peruerſæ; quin etiam ſimplicioris exonerationis, aut ad hanc tendentis *apparatus*, ſeu vulgo dictæ vergentiæ atque *tendentiæ*. Quæ interim res vel totam *methodum* decentem, & in ipſa veritate fundatam, peruertunt; vel, quod omnino notatu digniſſimum eſt, reliquæ etiam quantumcunque ſiue *methodicæ*, ſiue veriori *empiricæ* ſeu experimentali medicationi, eiusque effectui, ita moram obiiciunt, vt, quæ ſub iſta *ſubordinatione* ad eiusmodi verarum *genericarum* cauſſarum atque certiſſimarum *connexionum*, quibus ſpecialiores affectus ab illis pendent atque foventur, præmiſſas *remotiones* inſignem vſum præſtare poſſent, ſine tali obſeruatione, imo vero præſtatione, etiam prorſus in irritum recidant.

Irrita illa intentione materias corrigendi vera methodus peruertitur.

§. XIX. Vbi profecto non ita, vt fert hodiernus typhus opinionum, ſimpliciter contemni atque negligi debet, ſed cum grano ſalis accipi, & vbi vere conuenit, applicari, conſtans illud monitum antiqui chori practicorum, quod *ſpecifica & appropriata remedia* vſur-

Monitum antiquorum: ſpecificis vniuerſalia ſunt præmittenda.

vſurpari debeant *præmiſſis vniuerſalibus*. Quod quidem ſi non temere, contra auctorum mentem, ſimpliciter *empirice* capiatur, ac ſi in quolibet ſpeciali affectu *omnes*, aut ſane *pleræque*, *vniuerſaliores* euacuationes neceſſariæ eſſent, ſed potius *dogmatice* de *conuenientibus* (vere tali *ſpeciei* genericis) explicatur & applicatur; imo magis aduertitur animus ad vere *tempeſtiuam* præſeruatiuam (cum plerique huiusmodi affectuum *repullulare* ſoleant) quam ſimpliciter *curatiuam* talium applicationem: prodeunt certe hinc longe aliæ veritates *practicæ*, & vſus vere *dogmatici*, quam e contrariis illis opinionibus, non magis *theoriam*, quam omnem veram atque ſolidam *praxin* deſtruentibus.

Rerum aduentitiarum actiuitatis ſphæra tanta non eſt, quanta ipſi tribuitur.

§. XX. Nempe, vt de hac etiam re ſententiam diſerte eloquar, tantum abeſt, vt eiusmodi *cauſſis* tam amplam *actiuitatis* ſphæram aut directam *materialem* efficaciam tribuam ad producendos illos affectus *formaliter*, vt loquuntur, ſeu ipſam maxime *ſpecificam rationem* atque indolem iisdem imprimendam, & quidem, de quo proprie eſt ſermo, per directe *materialem* agendi energiam: vt potius in vero *ordine* agendi magis pro *generalibus*, *remotioribus*, *occaſionalibus*, aut ad ſummum *coniunctis*, & exacerbare magis, quam ſimpliciter *formare* huiusmodi affectus compotibus, illas paſſim reputandas cenſeam. Vnde maxime prorſus ſtudio conſiderandam & denique ſolide perueſtigandam eſſe reputo illam mutuam *connexionem* atque *ſucceſſionem* cauſſalem, qua huiusmodi *aduentitiæ externæ* cauſſæ, & quicquid tandem vere ex illis in corpore efformari poteſt, & ſubnaſci, ad veras tandem *ſpecies* certorum affectuum contribuere poſſunt.

Internæ cauſſæ magnam præ illis prærogatiuam habent.

§. XXI. Quandoquidem ex huiusmodi conſideratione certiſſimus ſum, facile appariturum eſſe, quanta, non ſolum *ordine prioritatis*, ſed etiam *dignitate* efficaciæ, ſit prærogatiua, *internarum* illarum cauſſarum, *quantitatis*, *qualitatis*, & *actiuæ*, iterum dico, *actiuæ* atque *deſtinatæ motionis*, & peculiaris localis *directionis* ſanguinis; & variarum *patheticarum*, præcipue valde *ſenſitiuarum*, & *conſuetarum* concitationum; ſupra omnem *proportionem* ſimpliciter *phyſicam materiarum*: præ quibuslibet, inprimis autem vſitatioribus, *externarum aduentitiarum* cauſſarum effectibus, non ſolum vniuerſa efficacia, ſed inprimis *ordine* & ſucceſſu agendi. Quibus interim rebus veram *methodum* medendi tanquam veris fundamentis inniti, non poteſt non manifeſtum eſſe.

ARTI-

ARTICVLVS VLTIMVS DE
SENSIBILITATE.

§. I.

SI quis me reum agere ſuſcipiat interuerſi *ordinis*, quod hic potius *ſpecialiore* loco, quam in prægreſſa prima parte magis *generali*, tractationem hanc de *energia* SENSIBILITATIS ad inducendos varios *morbidos* affectus agere ſuſceperim; habebit ille quidem *in genere* facilem ad confitendum, quod hæc ipſa tractatio etiam illi loco facile conueniſſet: interim vti hoc delictum non adeo graue eſſe confido, & vel illo vulgato, *ſat cito, ſi ſat bene*, ſatis emendandum; ita ſi prudentiæ etiam, non nudæ ſcientiæ, leges nouerit, non faciet tanti, ſi etiam hæc res eo loco in conſpectum veniat, vbi nihilo minorem attentionem inuenire poſſit, quam ſi quam maxime appropriato loco penitus euoluta fuiſſet. Excuſatio interſi ordinis.

§. II. Enim vero inter illas conſiderationes, quæ etiam vulgo minime, quantum ſatis eſt, diſtincte perpenduntur, imo vero ſine conſideratione etiam *præternaturalium* affectionum atque conſtitutionum ne quidem poſſunt ſatis comprehendi, eſt omnino hæc, de qua ſermonem hic capeſſo, SENSIBILITAS. *Senſationis* nempe circumſtantiæ ita ſatis paſſim enumerantur, ſecundum quas, tanquam *in genere*, ſenſatio fieri ſoleat. Hanc autem *diuerſitatem*, quod *alii* homines *præ aliis*, imo *iidem* homines, *diuerſo* ſolum tempore, eandem *ſpeciem* ſenſationis admodum *diuerſimode* experiantur, non ſolum in ipſa theſi, *quod* ita ſe habeat, minus in conſiderationem ſpeculantium venire manifeſtum eſt: ſed etiam veras eius rei circumſtantias, minus, quam deceat, vel penſitari, vel explicari, non minus conſpicuum. Senſibilitatis ſeu ſenſationis circumſtantiæ non ſatis diſtincte perpenduntur.

§. III. Vulgus quidem hominum, vti quotidianam huius rei obſeruationem propemodum minus poteſt negligere, ita & nouit ſatis, & taxat atque accuſat hanc conſtitutionem ſub titulis *teneritudinis*, *mollitiei*, *debilitatis* &c. zärtliche, weichliche, ſchwächliche Leute, die nichts vertragen können, von dem geringſten ſich ſtracks übel gehaben, &c. *Medici*, tanquam ſi maxime in ſuam rem conuer- Vulgus taxat teneritudinem, Medici accuſant debilitatem.

ſuri

ſuri eſſent totum negotium, & nudæ *morbidæ* (actu tali) conſtitutioni totam rem aſſerturi, amplectuntur inprimis vocabulum *debilitatis*. Vnde fere per hodiernam illam facundiam, verbis exornandi res, quæ ſolidum conceptum minus admittunt, formula illa, *debile genus neruoſum*, paſſim decantatur.

Senſibilitas minime pro debilitate, ſed potius pro actiuitate debet explicari.

§. IV. Interim cum vtique totum negotium *ſenſationis* nusquam *debilitate*, ſed potius *actiuitate*, ſeu *poſitiua actuatione generis neruoſi* perpetretur; certum omnino eſt, quod etiam ipſum AVGMENTVM ſenſationis nihilo magis cooriri poſſit ab vlla *debilitatione* aut *defectu*, ſed potius *exceſſu* illius ACTIVITATIS. Præterea vero cum *ſenſibilitas*, quatenus de illa nobis maxime ſermo eſt, non ſimpliciter *conſiſtat*, tanto minus autem *ſubſiſtat*, in nuda *perceptione*; ſed potius varios vlteriores ſucceſſus, tanquam *effectus*, variorum *motuum* poſt ſeſe trahat; MOTVS vero tales, nemine contradicente, ſint vtique *actio* potius, quam *paſſio*; & quidem *actio* omnino *conueniens æſtimationi* ſenſoriæ, ſimpliciter cum ratione conformi: non poteſt inde ſatis probabiliter hæc ipſa talis *ſenſationis promtitudo* æque ac *abundantia*, iuxta ſolitam receptam vocis acceptionem, pro vera *debilitate* explicari.

Senſibilitas non ſubſiſtit ſimpliciter in actibus quinque ſenſuum, ſed prodit ſe etiam e motibus ſuccedentibus.

§. V. Vt rei melius ſatisfiat, neceſſe erit *hiſtoriam* eius primo loco exhibere. Poſtquam tamen adhuc præmiſero, quod *ſenſibilitas*, de qua loquor, non ſimpliciter ſubſiſtat in craſſorum vulgo dictorum *quinque ſenſuum* actibus, & abſolute manifeſtis atque diſtinctis horum *diſcretionibus*, quæ vulgatis etiam certis nominibus explicari conſueuerunt: ſed ſæpe etiam ſe prodat magis ſolum *a poſteriori*, e *motibus* ſuccedentibus: ſicut *motus* non ſolum regulariter ſubordinatur *ſenſui*, & illius (non tam ſimpliciter *perceptionem*, quam *legitime*) *æſtimationem* ſequitur; ſed etiam ipſam manifeſtam & confeſſam *ſenſibilitatem* (v. gr. *perfrigerationis*) omnino *motus* proportionatus (*cutis conſtrictorius*) ordinarie preſſo pede ſequitur.

Motus vero non tam perceptionem, quam æſtimationem ſectantur.

§. VI. Quemadmodum autem, vti etiam modo dixi, *motus*, qui *ſenſum* ſequuntur, non tam ſimpliciter ipſam *perceptionem*, quam *æſtimationem* ſectantur: ita in præſente quoque negotio plurimum vtique conſiderari meretur illa potius *æſtimatoria* ratio ſenſibilitatis, quam ſimplex *perceptio*. Imo vero etiam perceptio ipſa præſupponit peculiarem tum *neruorum*, *toni*, tanquam attentiorem, certe *intenſiorem*,

ſiorem, *directionem*; tum ipſius quaſi *animi*, nempe quodcunque ipſum percipit præſentiorem & *intentiorem* aduerſionem.

§. VII. Quanquam ab hac inſeparabilis eſt ante notata illa *æſtimatoria* actio; ita vt reuera magis *cogitatione* vtrasque has diſtinguere, quam *phyſicis* diſtinctis *temporis* momentis vere discretas obſeruare, ſit integrum. Quandoquidem vtique actus *æſtimationis* & *appetitus*, *vt iucundi*, aut *auerſio*, *vt aduerſi*, ipſum perceptionis actum circa talismodi obiecta tam *cito* atque proxime inſequitur, quam *intentio*, ſecundum huiusmodi *æſtimationem* conuenientes *motus* ſuſcipiendi.

Inſeparabilis tamen eſt æſtimatio a perceptione.

§. VIII. Exſerit ſe vero hæc *æſtimatio* etiam manifeſto in talibus *ſenſibilitatis* obiectis, quæ craſſiore quadam *moleſtia* (*æſtimatoria* certe) patientes afficiunt; vnde quotidiana eſt, v. gr. inter plures eandem rem ad animum non admittentes, vnius aut alterius, ita *ſenſibilis* ſubiecti, de *moleſtia* horriduli *frigoris*, abundantis *caloris*, certi boni aut mali *odoris*, (imo, qualem ne quidem adhuc vt bonum aut malum exquiſite definire ſtatim auſit,) certi *ſaporis* perceptio, deque illa iam *laudatio* vel *approbatio*, aut contra *quiritatio*. Qualis etiam ſæpe numero circa ipſum *tactum*, quantumlibet non nominanda quadam ratione, ſe exſerit; inprimis in *cardialgicis* atque *nauſeabundis* anxietatibus; vbi familiariſſimæ ſunt illæ formulæ, **es ſeye ihnen ſo wehe ums Hertz**, (*ſcrobiculum* ita dictum, & vulgato nomine præcordia) **ſeye ihnen ſo übel**, etiam citra quidquam vere *nauſeoſum*.

Aeſtimatio exſerit ſe craſſiore quadam moleſtia.

§. IX. Has tales manifeſtiores *ſenſationes* imitantur paulo magis *clandeſtinæ* atque diſſimulatæ, quantum ad craſſum efficiendi actum atque modum; interim *motuum* ſuccedentibus perturbationibus nihilo leuiores: dum inprimis iam vniuerſali *languore* ſeſe inſigniter exſerunt, & *faſtidioſa* quadam, & omni modo *tædioſa* ac *indignabunda*, certe *moleſtum* quiddam in genere declarante, *animi* affectione; iam ſpeciali *eliſorio* motu illarum partium, in quibus res talis, *ſenſum* huiusmodi efficiens, hæret; aut certe *loco* quidem differentibus, in-

Sunt vero aliæ ſenſationes clandeſtinæ, prioribus nihilo leuiores.

terim *ſcopo* & efficacia omnino maximopere congruentibus eiusmodi *motibus*, qui illam rem, vtique vt *moleſtam*, ex vniuerſo corpore eliminare valeant, eique ſcopo recte quadrent atque ſatisfacere poſſint.

His rebus moleſtis & ad nocendum aptis opponuntur motus excuſſorii.

§. X. Hæc nempe eſt inprimis vera illa *ratio*, *ſucceſſio*, & vti vulgo loquuntur, *dependentia* cauſſalis *ſenſibilitatis* & eius effectuum; imo vero hinc pendentis vulgo dictæ *morbidæ* conſtitutionis variorum ſubiectorum; in quibus dum præſentiæ rerum moleſtarum, imo ad nocendum aptarum, huiusmodi *motus excuſſorii*, plus minus proportionati, opponuntur: hoc ipſum autem non fit ſine 1) *faſtidioſa* illa animi, vt a re *moleſta*, affectione; 2) aliorum *motuum*, intentione operoſiore ad vnum *præcipuum* iam directa, qualicunque *imminutione*; 3) ipſorum ita inſolitorum *motuum* concitatione; 4) quæ (vt omnes res *extraordinariæ* & inſolitæ) nunquam fere ſimpliciter ad exquiſitisſimam *proportionem* inſtituitur, quin potius *impetu*, *æqualitate*, *duratione*, exquiſitam proportionem varie tranſcendat; 5) tanto magis, cum ſubiecta hac *ſenſibilitate* affecta manifeſtiſſime etiam circa ipſas res *morales faſtidioſam* illam, *impatientem*, *trepidam*, *fluctuantem* & inconſtantem, *dubiam* & bonæ *ſpei* impotem *agendi* non magis, quam *deſtinandi* atque *dirigendi* rationem perpetuo & infallibiliter præ ſe ferant.

Hinc prognaſcitur morbida indoles ſeu ſenſibilitatis effectus.

§. XI. Ex hac tali conſtitutione prognaſcitur illa *morbida* vulgo dicta indoles, ſeu indiuidualis ratio atque conditio, qua ad occurrentes res etiam *leuioris* læſionis atque periculi compotes huiusmodi ſubiecta mox eiusmodi alterationes circa *motus* vitales (rerum moleſtarum atque noxiarum, *vt talium*, *excuſſorios*) adeant: quales, cum ab *ordinaria* ratione, tranquillitate, æqualitate alienæ vtique ſint, nempe notabiliter diuerſæ, eo ipſo *in genere* vt *præter naturales* hinc arguantur, cum tamen *in ſpecie*, & inprimis vero *finali* reſpectu, ſolum *non-naturales* haberi mererentur, nempe ad *conſeruationem* vtique corporis proprie deſtinatæ, & eo etiam generice, non magis reſpicientes, quam etiam habiles.

In motibus excuſſoriis ſubeſt aliquid præter

§. XII. Cum autem vtique in confeſſo ſit, quod huiusmodi *ſenſibilitas*, & illam ſequentes motuum *excuſſoriorum* machinationes,

præ-

præter exquiſitam rationem veræ *phyſicæ* efficaciæ materiarum, contra quas dirguntur, ita inſtruantur; adeoque omnino aliquid præter naturam, *erroneum*, & quantum ad *ſpecialiſſimam* rationem & proportionem, irritum ſubſit: diluceſcet tamen ex iuſta *ordinis* harum rerum ita deductarum conſideratione, quod vtique vitium illud quodcunque minime tam hæreat vere & *directe* in ipſa corporea *phyſico-mechanica* conſtitutione; quam potius *animi* ad hæc habitu, nempe *æſtimatione* oblatæ eiusmodi ſenſoriæ perceptionis, & *proportione* ſecundum talem æſtimationem inſtitutorum *motuum* excuſſoriorum.

naturam, quod ex animi æſtimatione deducendum.

§. XIII. Quæ certe res quamlibet aliquatenus etiam innitatur teneritudini *texturæ*, quæ aliis hominibus præ alteris peculiariter tanquam propria exſiſtit: non exhaurit tamen hæc ſimpliciter vniuerſum verum huius negotii latifundium; cum nihil notius exſiſtat, quam quod omnino etiam huiusmodi ingens *ſenſibilitas* paſſim obtingat quantumlibet *robuſtæ* texturæ æque, atque vniuerſæ indolis ſubiectis; partim ſub aliis *morbis*, adeoque iam vigentium peculiarium *excretoriarum* neceſſitatum aut machinationum *intentionibus* & agitationibus; partim proxime *poſt* tales, vbi vix ſuperati *periculi*, *laboris*, *faſtidii*, *timoris*, recentiſſima adhuc memoria facile ita denuo excitatur, vt inde nouæ *moleſtiæ* qualiscunque oblatione ad tanto promtiorem occurrendi atque reſiſtendi *intentionem* nouus conniſus ſuſcipiatur.

Senſibilitas non ſolum tenerioribus ſed etiam robuſtis ſubiectis obtingit, tam in morbis quam poſt tales.

§. XIV. Hæc talis conſtitutio vti minime raro occurrit, ita eſt vtique certiſſimum, quod vbicunque tandem occurrat, ibi vtique maxime ſeſe offerat illa peculiaris diſpoſitio, quæ vulgo *morbida* appellata, non ſolum ita diſpoſita ſubiecta præ aliis ſuæ ſpeciei promtiori variorum *inſolitorum motuum* concitationi ita apta, imo expoſita reddit: verum etiam tanto magis verum primum atque præcipuum fundamentum conſtituit, quo *frequentia* illa ægrotandi, *humanæ* ſpeciei *præ* omnibus aliis *animalibus* propria, vere nititur.

Præ aliis vero occurrit in iis, in quibus morbida diſpoſitio adeſt.

§. XV. Interim quantumlibet, vt paulo ante monitum eſt, etiam hæc vtique conſtitutio *ſenſibilis* aliquando pro qualicunque *occaſione* habeat *texturam* corporis teneriorem: ita tantum tamen abeſt, vt hæc

Quod tenerior textura corporis fundamentum huius rei

non abſoluat; ſed alia ſubſit ratio, triplici documento euincitur.

hæc vere ſolidum huius rei fundamentum conſtituat, ne dum abſoluat, vt potius *triplici* documento ſatis dilucefcat, quod prorſus alia ſubſit ratio: dum 1) etiam innumeri dantur eadem textura euidenter inſtructi, qui tamen ea *ſenſibilitate* non laborent. 2) Etiam, qui talem præ ſe ferunt, tamen tempeſtiua *adſuetudine* ita omnino diſponi poſſint, vt prorſus alia ratione, quam apparens illa ipſorum conſtitutio inferre videatur, hic agant, & incommoda illa alioquin percepta euitent. 2) Ex aduerſo vero etiam magna ſatis atque ſpatioſa corporis *mole* affecti, & omnino ſatis *robuſtis* corporis fibris & textura inſtructi, huiusmodi *ſenſibilitate* non minore laborent, quam alii longe teneriore ſtructura atque *textura* affecti.

Duplex ſpecimen, quod energiam falſæ æſtimationis in hoc negotio arguit.

§. XVI. Illuſtrat autem totam hanc rem tanto magis duplex vtique illud ſpecimen, quo & *corporis*, & reliqua *animi* conſtitutio ab huiusmodi peculiari conſecutione *ſenſibilitatis* ita in ſolidum excluditur, & magis ſolum, inprimis in altero caſu, nudæ falſæ *æſtimationis* energia declaratur, vt diuerſitas illa inter veram *materialem*, & hanc *intentionalem* actiuitatem, ſiquidem de vniuerſo negotio ſenſationis verus conceptus foueatur, liquido dilucefcat. Eſt autem primum horum illa omnibus & ſingulis, cuiuscunque etiam de reliquo *texturæ* hominibus familiaris, & omnino perpetua *ſenſibilitas* huiusmodi, poſt prægreſſos alios *laborioſos* affectus: imo poſt nudas *æſtimatorias* ex confeſſo *animi* commotiones, *terrorem*, *timorem*, *nauſeam*, vehementem factam commotionem a formula *medicamentoſa*, cui eiusmodi res forte vehiculi loco inſeruiit &c.

1. Senſibilitas familiaris eſt poſt alios laborioſos affectus, aut poſt animi commotiones.

§. XVII. Secundum citatum ſpecimen eſt *auerſio* illa ſumma, & *perceptio* etiam nimium quam exquiſita, eiusmodi rerum, a quibus abhorreſcentia quædam per *imaginationem maternam* impreſſa eſt: nulli certe alteri ſubiecto, quam *animo* infantis. Quemadmodum enim tota illa *auerſio*, nihil aliud vtique eſt, quam nuda mentis *fictio*; *motus* interim illi, qui *propter* illam inſtituuntur, peruerſi & inſoliti vtique non ſecundum veram *phyſicam materialem* energiam, ſed ſimpliciter ſecundum *ideam* illam *fictitiæ & erroneæ æſtimationis*, & ſecundum illam *intentionis*, inſtruuntur; reliqua interim quælibet *promtitudo* ad alios

2. Auerſio & perceptio per imaginationem maternam impreſſa.

quos-

quoscunque *ſenſus* in tali ſubiecto nihil vsquam peculiare, & ab aliis hominibus diuerſum exſerit aut fouet: fit certe hinc ſatis euidens, & omnino conſpicuum, quod neque talis hic ſubſit *corporis* vere phyſica *receptiuitas* maior, & vt loquuntur, *patibilis* conſtitutio peculiaris; neque tanto minus *materiarum*, quæ huiusmodi *ſenſibilitatem* ita potenter afficiunt, tanta directa atque ſimplex energia, ſed præcipua, imo potius *ſola*, *æſtimationis* culpa, & ſecundum hanc conceptæ partim *faſtidioſæ* & *indignabundæ*, circa obiectam extraordinariam operam & moleſtiam, *animi* inquietudinis atque perturbationis; partim ſuſceptæ & adminiſtratæ ſecundum talem *æſtimationem & intentionem* operæ, nempe *motuum*, ad amolitionem & excuſſionem qualemcunque tendentium, imo etiam plus minus efficacium.

§. XVIII. *Effectus* ſenſibilitatis generalis non eſt adeo eximie malus in ſe & *directe*. Sicut enim tanquam *a priori* hac ratione natura in eiusmodi indiuiduis promte conſurgens ad ſibi conſulendum, & excutienda pericula, ita mature iisdem defungendo, promtius ad ſe reuerti, & œconomiam ſuam in integrum reſtituere, intelligi poteſt: ita videtur omnino hanc rem illuſtrare atque confirmare experientia, eiusque obſeruatio ipſi vulgo hominum familiaris, *a poſteriori*; qua videlicet notant, pleroſque ita affectos, *debiles* atque *morbidos* apparentes & vulgo quoque ita dictos, minime pro hac proportione huiusmodi morbidæ diſpoſitionis æque promte *mori*. Effectus ſenſibilitatis.

§. XIX. Vnde triuialis eſt illa obſeruatio, quod tales homines, cum ſua ex hoc fundamento *ſæpe*, *diu*, quaſi *perpetua* apud multos talium *morbida* diſpoſitione, longe rarius e ſingularibus eiusmodi inſultibus *intereant*, quam alii, maxime vt loquuntur, *athletice* ſani, nempe quam maxime *florida*, vegeta, atque exquiſita apparenter, imo vero vere tali, e longa *tranquillitate*, *ſecura*, & velut *otioſa ſanitate* freti. Cum hi tales e longa *ſecuritate* ad obiectas res ſibi inſolitas, inſtruendas nempe *prouide* peculiares, *proportionatas*, *ordinatas*, *operoſas* tamen omni modo, vitalium ſuarum ſecretoriarum & excretoriarum actionum *directiones* ita ex improuiſo adacti, familiariter ad res ſuas *trepide*, aut *impatienter*, *impetuoſe*, *intempeſtiue*, *præpoſtere* agendas prolapſi, perperam perfungantur hisce ſuis cœptis, imo debitis officiis. Triuialis obſeruatio, quod tales perpetua morbida diſpoſitione affecti longe rarius intereant, quam athletice ſani.

Hæc alias robuſta ſubiecta per occaſiones minus periculoſas in inſignes trepidationes aguntur.

§. XX. Sicuti, quod vulgo notum, illud ita etiam omnino notandum venit, quod huiusmodi ſubiecta non ſolum in genere *animi* manifeſtis *trepidationibus* atque *deſperabundis* deiectionibus conſpicui ſint, ſimulatque effatu digna aliqua, imo ſæpe numero vix talis, periclitatio œconomiæ vitalis ipſis obtingit: ſed pari euidentia notiſſimum etiam eſt, quod huiusmodi ſubiectis, e talibus affectionibus etiam ſtatim languores nimio maiores, quam alteris illis obtingere ſoleant, etiam e multo leuioribus cauſſis. Vnde nata eſt notiſſima illa locutio, **wann etwas über ſolche ſtarcke, geſunde, wohl-ausſehende Leute komme, ſo greiffe es ſie aus dermaſſen hart an, ſetze ihnen hefftig zu**; imo: **die allergeſundeſten Leute ſterben am erſten, wann erhebliche Kranckheiten über ſie kommen**: quorſum etiam ſpectat pariter familiaris illa obſeruatio, quando de *animi* iam *impatiente*, iam *anxie trepido* habitu, & *inquietudine* varia, ſpectatores inter ſe muſſitant: **es komme dem guten Menſchen freylich ungewohnt für, er ſeye des Kranckſeyns nicht gewohnt.**

Periculo autem ſuperato citius ad ſe reuertuntur.

§. XXI. Ex aduerſo vero maximopere vtique aduertendus eſt animus ad illam circumſtantiam, quæ ex eadem triuiali atque notisſima obſeruatione diluceſcit, quod huiusmodi ſubiecta, ſicuti per occaſiones minus vere dignas in inſignes huiusmodi *trepidationes* aguntur: ita etiam poſtquam iterum ſuperatum eſt *periculum*, tanto *citius* atque promtius ad ſe reuertantur. Vnde eadem communis locutio, **wann etwas über ſie komme, greiffe es ſie hart an, werffe ſie bald darnieder: Sie erholen ſich aber auch bald wieder.**

Licet autem ſenſibiliores plures inſultus tolerent & felicius ſuperent, reuera tamen breuiorem vitæ metam adſequuntur.

§. XXII. Interim vt hac etiam in parte veriſſimum eſt illud poetæ: *interdum populus rectum videt, eſt vbi peccat*; ita vt verum vtique diſcrimen, quod in ipſis rebus eſt, etiam agnoſcatur atque deprehendi poſſit obſeruatione prudente, eſt illud vtique ita conſiderandum, vt animi decente aduerſione obſeruetur, quod quidem *ſenſibiles* tales, eoque ipſo ad quaslibet occurrentes moleſtias, ne dum periclitationes, promte occurrere ſueti, ad occurrentes *ſingulas* commotiones ſæpenumero felicius dirigant & exſequantur machinationes ſuas *excuſſorias*; adeoque *ſingulos* atque *ſingulares* inſultus felicius ſuperent, quam maxime

xime vegeti, & extraordinariis eiusmodi apparatibus minus aut nihil adſueti: interim ad ſummam *totius periodi* viuendi non ſolum nullam *prærogatiuam* habeant, ſed vere potius *breuiorem* viuendi *metam* adſequantur; probabiliter tam ex ipſius *energiæ*, præter veram neceſſitatem nimis prodige conſumtæ, ſucceſſiuum *maturiorem* defectum; quam *animi* etiam, ſeu *intentionis* præter rem *trepidæ*, magis magisque inualeſcentem *abiectionem*, adeoque etiam deſtitutam iuſtam & vere decentem *directionem ad agendum*, & *in agendo*. Vnde vtique fit, vt licet eiusmodi homines plures *inſultus* tolerent atque ſuperent, quam alii ſimilibus rebus minime adſueti: tamen reſpectu *totius* viuendi *ambitus* atque durationis re vera communiter citius deficiant, &, quantum ad totam ſummam, *breuioris æui* euadant.

§. XXIII. Vbi tamen iterum obſeruanda venit illa peculiaris conſtitutio, & vere ſpecialis, nempe certæ *ſpeciei* talium ita *ſenſibilium* propria; qui nempe ad huiusmodi *ſenſibilitatem creſcentibus* iam annis deuoluti, ſenſibilitatem illam ſuam præterea *vno* aliquo ſolo, aut ad minimum *præcipuo*, modo atque motu excuſſorio exſequuntur. Tales enim contingit vtique ſæpe numero ad inſigniter *diuturnam* totius vitæ longitudinem durare. Quando inprimis conſpicua aliqua *exonerandi* methodo efficaciam *ſenſibilitatis* ſuæ abſoluunt.

Excipiuntur, qui creſcentibus annis ad ſenſibilitatem deuoluti aliqua exonerandi methodo eam abſoluunt.

§. XXIV. Cæterum non magis ex ita dictis, quam ipſa ad animum reuocata quotidiana experientia, maxime vtique conſtare poteſt, quanta ſit efficacia *ſenſibilitatis* eiusmodi, vt rei inprimis *aduentitiæ*, nempe *adſcititiæ*, & per initia *indulgendo*, aut *inſuper habendo adſueſactæ*, ad facilius ſuſcipiendos varios inſolitos *motus*, adeoque formandos affectus, a naturali *ordine* vſitato recedentes. Quam rem, vt digniſſimam conſideratu, & ingentem *theoriæ* ambitum comprehendentem, prudenti penſitationi vtique commendo.

Efficacia ſenſibilitatis.

DE

DE REBVS TOTO GENERE PRAETER NATVRAM

NOn opus eſſe puto, vt prolixus ſermo inſtituatur; vtique noſtra præſente adhuc methodo, vbi non ipſas ſpecialiſſimas res, ſed ſubalternas tantum ſpecies tractare voluimus. Vnde ſicuti facile intelligitur, quod per res t. g. p. n. intelligantur tales, quæ nullo plane modo vllum vſum in corpore habere poſſint, ſed vnice vel incommodis, vel damnis illud afficere valent: v. gr. vermes, calculi, deglutita abſurda, per vim incuſſa, globi plumbei, fragmenta gladiorum, ſagittarum &c. ita fruſtra impenderetur tempus prolixiori deſcriptioni rerum ita per ſe conceptui obuiarum, vnde potius tranſitum facio ad ipſa ſpecialiora.

PATHO-

PATHOLOGIAE MEDICAE DOGMATICAE

PARS III.

SPECIALISSIMA;

DE

SINGVLARIBVS SPECIEBVS AFFECTIONVM, p.n.

CVm prægreſſis duabus partitionibus, GENERALI & intermedia SPECIALIORE, illud agere & præſtare allaborauerim, vt oſtenderem, quali *nexu* a ſe mutuo pendeant anomaliæ conſtitutionis *p.n.*, & quo *ordine* illæ etiam procedant ex ipſis quam maxime *ſecundum naturam* conſtitutionibus; quam varie etiam e *ſimpliciſſimis* illis alternationibus atque mutationibus, ad quas omnes, tanto magis autem *præcipuæ partes* corporis *materiali* ſui conſtitutione maxime procliues ſunt, ſimpliciſſimo modo æque ac ſucceſſu ſubnaſci non *poſſint* magis, quam re ipſa *ſoleant*; quibus adeo deductionibus etiam illud ad MEDICVM ſcopum agere atque præſtare ſategi, vt paſſim agnoſceretur longe profundior ille *nexus*, qui inter varias affectuum *ſpecies*, earumque *cauſſas* atque *fomites*, ita intercedit, vt pro vera ſolida atque ſtabili *eradicatione*, imo ſæpe numero ſolum efficaciore *præoccupatione* & imminutione, alio plane loco quærenda ſit *origo* & vera ſcaturigo affectuum, & conſequenter *curationis* etiam *methodus* alio vtique dirigenda veniat, ſi ſolidius atque conſtantius affectus eiusmodi vere *ſubruere* potius, quam nuda temporaria mitigatione *ſuſpendere* atque *palliare*, animo ſedeat: progredior itaque aſſiſtente

 diuina

diuina gratia ad complendum & abſoluendum plene hoc cœptum; SPECIALISSIMA hac parte vlterius oſtenſurus, tum quid SINGVLARIBVS affectibus, *qua talibus*, vere *proprium* ſit; tum quid iidem non ſolum forte *poſſint*, ſed communiſſime etiam *ſoleant*, *commune* habere, non ſolum cum *generalioribus*, *ordine*, *tempore*, *dignitate* efficaciæ, & totius veluti *fundamentalis* energiæ, & vt vulgo loquuntur, *dependentiæ*, affectibus, ſed etiam cum aliis quibusdam *ſpecialibus*, & in ordine *reciprocæ* concitationis quaſi *collateralibus*, cum quibus partim in illos nudo *metaſchematismo* mutuo transfigurari ſoleant. Quæ quidem res vti non ſolum ad veram *directionem* praxeos, & euitandam illam familiariſſimam offenſionem inſeruit, qua effectus tales vt *in ſe* ſimpliciter & *ſeorſim* conſiderati, aliquando quidem ſupprimuntur atque *obnubilantur*; interim autem alia non minoris efficaciæ, imo valde familiariter adhuc longe deterioris, *ſpecies* & ſchema introducitur, adeoque ipſa artis opera æger vere in peius coniicitur: ſed etiam ad illud quam maxime facit, vt hac ratione etiam ſi quid tale geſtum iam eſt, eo melius diiudicare, adeoque & tunc, & alias, veram atque iuſtam METHODVM penitus exſequi valeat rationalis Medicus. Ita confido fore, vt hac ipſa ratione vere MEDICAE PATHOLOGIAE, nempe *inuentioni* etiam iuſtorum atque proportionatorum auxiliorum, & veræ *methodi* prælucenti, recte ſatisfiat.

SECTIO

SECTIO I.

DE SPECIALIBVS HAEMORRHAGIIS, ET AFFECTIBVS, CVM ILLIS PROXIME CONNEXIS.

DEduxi partim in *generali*, partim proxime prægreſſa *ſpecialiore* parte, quomodo vera *ſimpliciſſima*, quæ non ſolum *poſſit*, ſed quam maxime ipſo facto *ſoleat*, exſiſtere & in effectum deduci, ſpecies *cauſſarum* morbiferarum comprehendatur ſub *exiguo*, nempe *binario* numero *materiarum*, & *vnico*, ex parte quoque iſtas demum conſequente, *motuum* anomalorum. Vbi *materiales* illas duas cauſſas comprehendi, primo ABVNDANTIAM inſignem cuiuslibet, etiam quam maxime *floridi*, *ſanguinis*: ſecundo vero etiam ab ipſa *plethora* naturali quodam ſucceſſu oriundam *ſimplicem* ſanguinis SPISSITVDINEM. E quibus harum rerum conditionibus varii inſoliti MOTVS, iam ad *exonerandum* & ſimpliciter deplendum, iam ad de loco in locum, & e qualicunque impeditiore ſucceſſu, *propellendum* ita refractarium ſpiſſiorem ſanguinem, cooriantur. Quarum rerum etiam mutuos *nexus*, *quæ*, & *quomodo* inter ſe mutuo *cohærere* ſoleant, quantum in me fuit, indicaui. Aggredior itaque præſente loco vltimam vniuerſæ huius rei deductionem vere *ſpecialiſſimam*, ſecundum *ſingularium* affectuum ductum, iterum iterumque commonſtrare intendens, quomodo hi ipſi tales *ſpecialiſſimi* affectus re ipſa minime aliunde, quam a citatis huiusmodi *ſimplicioribus prægreſſis* & *coniunctis* cauſſis, re vera dependeant atque foueantur.

MEMBRVM I.

DE

HAEMORRHAGIA NARIVM MORBIDA.

§. I.

Hæmorrhag. narium moderate ſuccedens eſt conſeruatoria ventilatio.

IN *ſpecialioribus* prægreſſis dictum eſt de *hæmorrhagiis*, & ante omnia quidem, vt ſimpliciore, NARIVM, quod illæ, & inprimis hæc, quam diu *moderate* ſuccedunt, & *cauſſis* ſuis, nec ipſis etiam nimium alienis & *enormibus*, adhuc reſpondent, reuera non adeo inſigniter a ſcopo conſeruatiuo *vitali* abire iudicari poſſint; nedum veram ſpeciem ſimpliciter *morbidæ* & abſolute *paſſiuæ effuſionis* ſiſtant: ſed potius pro *actiuo* quodam *exonerationis*, adeoque veræ conſeruatoriæ *ventilationis*, conatu haud iniuria reputentur.

Eius aberratio & anomalia.

§. II. Sicut autem huic aſſerto omnino hodieque ita inſiſto: ita venit tamen vtique conſideranda illa ipſa huius cœpti *aberratio*, adeoque illi innitens & ſucceſſus & affectus *anomalia;* quæ vti non raro ſeſe omnino ſiſtit atque offert, ita poſtulat etiam veram ſui tam *æſtimationem*, quam etiam veracem atque in ipſa re fundatam efficacem *moderationem.* Dixi de *laudabiliore* illa & vere in vſum œconomiæ corporis ſuſcepta *ventilatoria* & *exoneratoria* narium hæmorrhagia, quod certæ maxime *ætati* euenire & familiaris eſſe ſoleat; nempe *puerili*, & *adoleſcenti.* Quod adeo certum eſt, vt quoties etiam *aliis* ætatibus, inprimis citra ſatis euidentes *externas* occaſionales cauſſas (*nimium motum*, *vinoſum inſolitum potum*, *æſtum ſolis toleratum*) & iam *annoſioribus* paulo, hæmorrhagiæ ipſarum quoque narium facilius & ſæpius occurrunt; illi ordinarie aliis etiam pluribus *incommodis* exerceri obſeruentur, quæ non tam *ſimplicem* aut ſinceram amplius ſubeſſe *hæmorrhagiam* affatim teſtentur: aut intercurrant etiam tales *intempeſtiuæ* narium hæmorrhagiæ, manifeſtiore ſolum effreni motu, manifeſtis diuerſæ vehementiæ aliis conatibus atque motibus SPASTICIS; non ſolum ſine vllo *vſu*, ſed re vera paſſim manifeſtiore effera tali concitatione *vaga*,

vt

vt dum iam hoc iam illud tentatur, etiam hæc ipſa euacuatoria contentio vti nullo regulari *ordine* atque *ſcopo*, ita nullo quoque debito *proportionato* aut ordinato *effectu* aut *euentu* tentetur. Quo intuitu quidem auſim generalius aſſerere, quod quæcunque *narium* hæmorrhagiæ ſubiectis vltra 30. annos progreſſis repetitis vicibus eueniunt, vix vnquam ſine *complicatis*, familiariſſime adhuc multo importunioribus aliis pathematibus *συζύγοις* ita obtingant: nempe vulgo ita dictis *rheumaticis* aut verius *arthriticis*, *ſpaſticis* & *congeſtoriis* molliminibus.

§. III. Vt autem hanc rem, manifeſtius inquam *morbidarum* hæmorrhagiarum per nares veram indolem, luculentius delineem, placet illas ſub *triplici* ordine ſiſtere. *Primum* conſtituendo, quando eruptiones huiusmodi, vltra commotionem magis *tacitam ſpontaneam*, per *irritationes externas* in effectum deducuntur; & hoc ipſum *frequentiore* euentu ſenſim ita *inſoleſcit*, vt non ſolum iuſto plus ſanguinis ita pereat, ſed inprimis etiam mala CONSVETVDO ita ſimul introducatur; cuius efficacia in poſterum, etiam per longe *leuiores* inſtinctus, nihilo ſecius par & promtitudo & intemperantia cooriatur, quæ vel ſponte aliqua ſua, vel quam maxime minus prouidis *artificiis* in poſterum ceſſans, aut *oppreſſa*, longe *plura*, ſed omnia *grauiora* incommoda certo poſt ſe trahat. Morbidarum hæmorrhag. narium tres claſſes. Prima.

§. IV. *Altera* claſſis eſt *abundantium* huiusmodi euacuationum ſanguinearum, imo *efferarum* paſſim, quæ ab HAEREDITARIA diſpoſitione pendentes, famoſam illam ſimilitudinem introducunt, quam vulgus de pueris eiusmodi enunciare ſolet: **Er ſeye recht ſeines Vaters Art, ein ſchwindſüchtiger Knabe, der ſein Alter auch nicht hoch bringen werde**, &c. (Mouentur autem ad huiusmodi loquendi formulam inprimis duabus e circumſtantiis; vna, quando pater ſimplicius *phthiſica* tabe interiit: & puerum etiam talem non ſatis *nutriri* conſpiciunt. Secundo, quando pater magis *hectica* tabe conſumtus, proxime dicendi *tertii* ordinis hæmorrhagiis ipſe quoque delaſſatus, tandem ita morte interceptus eſt: vel aliquando etiam *phthiſicam* tabem cum *hæmoptoicis* profuſionibus complicatam expertus, illi tandem ſuccubuit.) Altera claſſis.

§. V. *Tertia* claſſis comprehendit *impetus* illos hæmorrhagicos, quibus ſub *aliis* affectibus, e fundamento *plethoræ commotæ*, ſed exitu non potitæ, prognatis, etiam ipſis quoque varie turbulentis & Tertia claſſis.

ferocientibus, eruptiones tales ſuperueniunt; *largæ* communiter, imo *immoderatæ: intractabiles* inſuper, & quæ *cohibitionibus* quantumcunque neceſſariis viſis grauiter *exaſperari* ſoleant, aut ipſum ad minimum *affectum* reliquum exaſperare. Solet huiusmodi hæmorrhagia præſertim euenire *arthriticis*, VAGO hoc malo vehementer affectis; tum etiam *tabidis*, *hecticis* magis, quam vere & ſimpliciter *phthiſicis*. (Vnde antiqua manet traditio, quæ non ſolum *guttam roſaceam* incaleſcentiæ nimiæ *hepatis* imputat, ſed etiam *hæmorrhagias narium ferociores* adultiorum *obſtructionibus* eius.) Imo ſuperuenit huiusmodi peruerſa hæmorrhagia etiam paſſim aliis *adultiorum* eiusmodi affectibus, qui a ſanguinis *inquietis* motibus de reliquo pendent: vnde *fœminini* ſexus ſubiectis euenire ſolet, etiam iam adoleſcentiæ annos prætergreſſis; aut loco eruptionis vehemente *dolore capitis*, reſtagnatione *congeſtionis* ſine exitu, patientes obſidere. Sicuti re vera iterum aſſeuero, quod antea iam attigi, quod hæmorrhagiæ narium adultioribus, inprimis *trigeſimum* annum longius ſupergreſſis, nullum vsquam ſolidum, ſed ſimplicius forte aliquem temporarium *vſum* præſtent: dum interim alio magis legitime *dirigendas* excretiones ſanguineas, & his ſubſeruientes *ſtricturas ſpaſticas*, ita inauſpicato ad hæc loca transferunt, quæ omnino inde nihil certius, quam multiplicia non ſolum incommoda, ſed etiam pericula incurrunt.

Cauſſæ horum errorum.

§. VI. *Cauſſæ* huiusmodi exerrantium *profuſionum* ſunt variæ, communiter tamen omnes atque ſingulæ *aduentitiæ*. Quamuis enim *indoles* etiam acriter & *clam* præſertim *impatiens*, *cholerico-melancholica* vulgo dicta, etiam veluti per ſe ad *largiter*, & plus quam rei neceſſitas poſtulet, excutiendum inclinet: tamen vix certe ab hac *ſola* cauſſa cooriuntur tam inſignes exceſſus, niſi hæc diſpoſitio per alias actiuiores cauſſas vere in *effectum*, aut plane in *habitum* deducatur. Sunt autem illæ tales cauſſæ, (præſuppoſitis *generalioribus* internis, inſigni *abundantia*, & ſenſim concepta eliminandi *intentione*) tales præcipue *aduentitiæ* externæ occaſiones, quæ *commouendæ* illi abundantiæ ſanguinis, nempe tam grauiter *concalefaciendæ*, quam vehementer

1. e rebus non-naturalibus.

expandendæ ſeu *turgefaciendæ*, inſeruiunt: inprimis e rebus *non-naturalibus* AER enormiter calidus, (præcipue *caput* magis afficiens, infimas corporis partes minus, *hypocauſtorum humilium*; *æſtus ſolis* nudo capiti diutius incumbens, *lotiones* capitis inſolitæ &c.) *motus corporis* repente inſolens; inprimis autem e cæteroquin vſitata deſide *quiete*: *ſomnus*

ſomnus nimium longus; ſed adhuc magis inſolitæ nimium diuturnæ *vigiliæ*. *Excretiones* autem, tum hæ ipſæ qua tales, nempe *actus* excernendi *exacerbati*, tum congeneres ſanguineæ, alibi non recte procedentes, *translatione* conaminis huius ad caput & nares, vt emunctorium huius cenſus.

§. VII. Quamlibet in *fœminino* ſexu etiam paſſim ſimul accuſetur *alui* contumax obſtructio: inſtituenda tamen ibi prudente vtique penſitatione & æſtimatione, an etiam huiusmodi detentio alui vere magis ſe habeat vt *cauſſa antecedens*, an vero potius vt *conſequens*; *ſtrictura* nempe potius circa *venam portæ*, ad minuendum ſanguinis aditum ad hæc loca, adeoque copioſiorem eiusdem directionem alio, ad caput. Quandoquidem re vera pleræque circumſtantiæ hanc ſuſpicionem affatim ornant, quod non tam vera aliqua *obſtructio* a *materiarum* vitiis qualibuscunque ibi ſubſit, quam ſimplicior effectus *actionis motoriæ in vias*, exigens vtique ſolertem diſtinctionem inter *obſtructionem* alui *paſſiuam*, & *adſtrictionem*, ſeu *cohibitionem actiuam*.

Directio ſanguinis verſus caput adſtrictionis alui in fœminino ſexu cauſſa eſt.

§. VIII. Inter *animi* vero *pathemata* connumero præcipuo loco ipſam *conſuetudinem*; quæ etiam in hoc ipſo genere *abundantium* imo *effrenium* huiusmodi hæmorrhagiarum longe maximam habet efficaciam: imo tantam, vt non ſolum a *naribus* ſenſim, per *ætatum* gradus, ad quælibet alia ſanguinis emunctoria tendat, ſed etiam e priſtina methodo tanto promtius iterum ad eadem loca contendat, quando ſucceſſus per alias vias in dubium adducitur, ſiue harum vitio, ſiue ſenſualibus incitamentis congeſtionem ab alio loco recentiore *repellentibus*, adeoque *translationi* eiusdem ad priſtinum occaſionem præbentibus.

2. Conſuetudinis efficacia in effrenibus hæmorrhagiis.

§. IX. Imo vero ſubſeruit etiam *conſuetudini* magis introducendæ ipſa *externa* violentior occaſio duplex, nempe vna, quæ *affluxum* etiam copioſum vna prouocat, *ſenſu* vehemente colliſionis *contuſoriæ*: altera, quæ magis ſimpliciter ipſum *effluxum* ſolum inducendo, *inclinationem* hac ratione inducit atque fouet, quæ hæ *exonerationes* in poſterum etiam *actiuæ* methodo congerendi & expellendi viam ita ſternunt. Nempe quando importunius *ſcalpendo* partes hæ ita violantur, vt abraſa ſumma membranacea textura, concerptis ſubtilibus vaſculis, verus eiusmodi *lapſus* ex his ita ſequatur: vel etiam per *pulueres* aut *halitus corroſiuos*, violatis iisdem his partibus. Frequentiore etiam exemplo ſolet tale quid producere immoderata nares *emungendi* vehementia: rariore paulo, ſolus vehemens *niſus*, cum reſpira-

Occaſiones externæ violentæ, conſuetudinem introducentes.

tionis acri detentione, imo contentione, niſi in maxime per ipſam *adſuetudinem* prædiſpoſitis. (*Agyrtarum* quorundam exemplo, qui hac ratione non ſolum e *naribus*, ſed omnino ex ipſis *auribus* ſanguinis eruptionem producere didicerunt.)

Hæreditariarum hæmorrhag. cauſſa.

§. X. *Hæreditariarum* enormium huiusmodi profuſionum cauſſam, vti omnium *hæreditariorum* adfectuum cauſſalem rationem, colloco merito pariter in ipſa impreſſione *intentionali*, ſeu non *promtitudine* ſolum, verum etiam tanquam peculiari proterua *intentione* agendi vtique, & huiusmodi effectus omnino perpetrandi. Vnde illam non alibi, quam ſub ipſius *conſuetudinis* cenſu collocandam iudico.

3. Commotiones externæ & importuniores exſtimulationes.

§. XI. Tertiæ claſſis cauſſæ vti pro generaliore ſui parte ſimiliter omnino agnoſcunt *conſuetudinem*: ita ſubſeruiunt illis ſpecialius etiam eiusmodi *externæ* commotiones & importuniores exſtimulationes *temporariæ*, quæ vel *commotionem* in genere grauiter exacerbare valent, vel *depulſionem* eius ex alio conuenientiore loco in talem minus conuenientem. Quæ quidem poſterior res non facilius, & fere familiarius aliis occaſionibus, quam peruerſis *medicationibus* ſiue ipſorum patientium auſu, ſiue ineptis *artificum* perſuaſionibus, tam *internorum* quam *topicorum* inconditi vſus, introducitur. Vndecunque vero naſcatur VAGA commotio *arthritodes*, (*iracundia* cum *anxiis terroribus* plurimum hic efficacibus) inclinat certe illa maximopere ad huiusmodi *eruptiones;* vnde etiam mediocres reliquæ occaſiones illas ad hunc effectum impellere poſſunt.

Effectus irregularium hæmorrhag.

§. XII. *Effectus* irregularium hæmorrhagiarum ex ipſis etiam naribus nullus eſt vere *vtilis*, qualis a *moderatis* atque *tempeſtiuis* exſpectari poſſit: ſed potius certior inſolens *adſuetudo* ad huiusmodi impetuoſas eruptiones, iterum iterumque & magis magisque importunius conuolandi, ſine vlla *iuſta proportione* amplius ſeruata; imo, cum magis magisque *intractabili* indole atque contumacia, vt, ſimulatque hac ratione ferocientibus immodeſtiore aliqua cohibitione occurratur, præſentiora præſto ſint maiora pericula grauiorum *internarum* congeſtionum, & ab illis vel *inflammationum*, vel *obſtipationum*; *exteriorum* autem *ſpaſtico-arthriticorum* pathematum *plurium*, & magis *ferocium*. Si vero etiam indulgeatur huiusmodi exerrantibus *fluxibus*, ſine moderata atque perita *contemperatione*; cooritur inde ſatis familiariter *debilitatio* patientis; inprimis quando iam nimium inſolens

lens quantitate inſigniter excedit: quo caſu ad *animi* vsque *deliquia* continuare non ita rariſſime contingit.

§. XIII. *Iunioribus* quidem, ſola promtitudine *adſuefacta* delinquentibus, obtingunt inde tanquam *atrophicæ* tales ſolitæ ſufficientis *auctionis* & incrementi corporis moræ, e quibus etiam aliquot annorum ſucceſſu non tantum accreſcant, vt illi ætati affines inde iudicari poſſint. Quamuis quidem non æque contendere placeat, quod hic talis defectus ita ſimpliciter ab huiusmodi conſtitutione *hæmorrhagica perpetuo* & infallibiliter pendeat, cum vtique etiam directe ipſa *cauſſa*, quamobrem tales enormes commotiones intenduntur, ſtataria illa ſua atque ſtabili præſentia ſtabili etiam huic defectui quam maxime velificari poſſit. Interim tamen certum vtique eſt, quod ipſa etiam vtique adſuetudo ſit ita *fomes* veluti perpetuus etiam illarum talium perpetuarum velut *intentionum*, quibus continua quaſi *ſollicitudine* imminens natura reliquas ſuas res cum peculiari tergiuerſatione adminiſtret.

Effectus in iunioribus.

§. XIV. Notitia vero huius rei vera clinica habet illum *vſum* therapeutico-practicum, vt ex huiusmodi nota harum talium rerum indole *artificialis* earundem *moderatio* ita vtique inſtruenda veniat, ne omnem naturæ intentionem & conatum ſimpliciter negligendo, imo ignorando, animus dehinc labatur ad ſimplices immediatas *cohibitiones*; certo, & auſim dicere *perpetuo*, non magis *periculo* grauiorum conſecutionum, quam actuali damno. Quandoquidem in iunioribus in procinctu hinc ſunt tranſitus a *naribus* ad *pectus* & inde *phthiſici* euentus: aut ad *hypochondria*, & vere ad *hepar*, *lienem*, *glandulas* cum *vena portæ* communicantes; cum *hecticis*, *tabidis* conſecutionibus; aut ad minimum *hypochondriacis* paſſim *præmaturis* aut mox *inſolentibus* turbis.

Quem vſum practicum notitia huius rei habeat.

§. XV. Tanto maiore vero circumſpectione opus eſſe in ipſis *hæreditariis* impreſſionibus, facile fuerit intelligere; cum ibi etiam ſatis *apparentes exceſſus* tamen adeo ſummas noxas non æque poſt ſe ſtatim trahant; nec etiam *impedimenta* ſimplicia, intemperantius obiecta, aliter quam *impatientiſſime* ferant: adeoque minus prouida talium tractatio & *præſentiores* atque *certiores*, & *ferociores* huiusmodi grauiores ſucceſſus introducat.

Prouida hæmorrhag. hæreditariarum tractatio.

Hæmorrhag. a ſpaſticis translationibus & ſtricturis congeſtoriis quomodo æſtimandæ.

§. XVI. Neque vero diſpar ratio eſt etiam illarum talium fluxionum, quæ ab impetuoſis *ſpaſticis translationibus* & *ſtricturis congeſtoriis* pendent & fouentur. Sicut enim his vllam etiam ſolidiorem *curationem* præſtare, quando iam inſigniter inſoleſcere ſentiuntur, difficile omnino exſiſtit: ita ferunt vtique longe moleſtiſſime nudas illas *repreſſiones adſtrictorias*; vnde quidem tanto prudentius æſtimandæ veniunt. Nempe iterum hoc etiam loco repeto, quod, niſi huiusmodi conſtitutionibus per *vicariam* opportunam ventilationem, & *locis* inprimis magis opportunis, ſecundum *ætatum* inclinationes, dexterrime ſubueniatur; & tunc commotionum *occaſiones* æque, ac ipſæ muſſitationes, perito lenimine temperentur: facilius tunc imo certius *damnum* promoueatur, quam vlla vero *Medico* digna cura hinc ſperanda veniat.

Iuniorum hæmorrhag. immoderatiores, intermedia ætate ceſſantes, quos affectus augeſcentibus annis proferant.

§. XVII. Illud autem minime obliuiſci conuenit, quod quibus iunioribus, etiam per nudam *adſuetudinem* improuidam, *immoderatiores* huiusmodi eruptiones obtigerunt: his, ſi maxime *intermedia* ætate a proportionata ſimilium inſultuum continuatione immunes appareant, tamen augeſcentibus annis, & nominatim iam ſub initium iam ſub finem *conſiſtentis* ætatis, denuo vergant in eiusmodi affectus, qui tum *inclinationes*, tum *commotiones*, tum *contentiones* hæmorrhagicas, tum *translationes* & *palindromes* talium ad *ſupernas* regiones, cum variis grauioribus periculis, facile adſciſcant.

Euentus morbidæ narium hæmorrhagiæ.

§. XVIII. Sunt autem vlteriores *euentus morbidæ narium* hæmorrhagiæ aliquando *polypi* narium, aliquando vlcerationes fœdæ, *ozænæ* vſitato nomine: vix tamen per ſe ſimpliciter & velut immediate huiusmodi conſtitutionem inſectantes, ſed minus conueniente potius medicatione per *vitriolata*, quin penitus *æruginoſa*, per Chirurgiæ imperitam adminiſtrationem in nares pro cohibendi ſcopo immiſſa. Non debite autem *erumpenti*, interim pertinaciter *contendenti* ita *adſuefactæ largiori* hæmorrhagiæ ſuccedentes euentus complectuntur ſub ſe, vt *in genere*, *reſtagnationem* ſanguinis circa caput, ab auctiore congeſtione eiusdem ad hunc locum reſtricta: *in ſpecie* vero iam *cephalalgicas*, iam *ophthalmicas*, iam *odontalgicas*, & *otalgicas*, imo etiam *anginoſas*, cum *doloribus*, *ardoribus*, *inflammationibus*, paſſiones.

Plebis præſagium de hæmorrhag. exceden-

§ XIX. Peculiare eſt plebis præſagium de frequentia & abundantia *excedentibus* hæmorrhagiis narium, quod non tam ſolum in

in genere *caput*, quam prorſus in ſpecie *oculos* debilitent. Sicut autem tota hæc traditio potius *generaliori* efficaciæ *iacturæ* ſanguinis, & cum hoc ex hypotheſi *ſpirituum*, (ſed ſane ſic etiam *vitalium* potius in genere, quam *animalium*, adeoque *ſenſoriorum*,) inniti videtur:

tibus, quod oculos debilitent.

Quo fundamento etiam probabiliſſime ſubnixi eſſe videntur illi apud *Botallum* memorati, qui viro, frequentioribus venæ ſectionibus indulgenti, *viſus* tempeſtiuum *damnum* prædixerunt, cum totius *vitæ* abbreuiatione: quod vtrumque tamen adeo feſellit, vt ille non ſolum *viſum* ſuum illibatum conſeruaret, adeo, vt etiam poſt *ſeptuageſimum* annum ſine conſpicillis commodiſſime legeret; ſed etiam ipſa hac *viuendi* pertinacia nominatim illos *Medicos*, qui ipſi *breuitatem* vitæ prædixerant, ſed longe iuniores moriebantur, plurimum ſuperaret. Et memini profecto etiam ego ipſe, & grato quidem erga diuinam benedictionem animo, ſenis viri, qui iuxta cum *hæmorrhoidalibus* euacuationibus ſibi conſuetis etiam *bis quotannis*, vere & autumno, vſus eſt pariter conſueta ſibi V. Se. moderata, a tribus ad quatuor vncias: & hoc continuauit vsque ad annum ætatis ſuæ 76., vbi a male adminiſtrata ſectione venæ periculoſam inflammationem expertus, ab illa ſibi in poſterum metuens, eaque omiſſa, tunc demum ſenſim incommodius habere incipiens, ſub finem propemodum *ſeptuageſimi octaui* viuere deſiit: interim ad hoc ipſum vsque vitæ faſtigium ſine conſpicillis legere, quin etiam ſatis minutum characterem ſcribere ſolitus, quantumuis multiplici ſcribendi, & ſcripta legendi vſu plus dimidia vitæ parte abunde exercitis oculis, & reliqua etiam corporis ſtructura aut robore vir neque procerus, neque carnoſus, ad tantam longæuitatem nihil peculiare præ ſeſe ferens; ne dum ad illud, quod etiam a *quinquageſimo* anno ad *ſeptuageſimum nonum* proxime, ſine vllo morbo, ſanus atque vegetus vixit.

§. XX. Ita non confirmat hanc familiarem traditionem vera obſeruatio: cum magnus vtique numerus occurrat illorum, qui ſatis *largis* narium hæmorrhagiis vexati, minime tamen effatu dignum detrimentum *viſus* vsquam perſentiſcunt. Sed verior ſolum illa vtique occurrit, cum prouida ſolertia obſeruantibus, efficacia, quod a quibuslibet *largis* ſanguinis *profuſionibus*, ſi mox, & velut immediate dehinc, intemperantius exerceantur *oculi*, *multum*, *tenuia*, & ad *ellychniæ*, vel etiam ad illuſtriorem *ſplendorem* ſolis, legendo & acriter contuendo, oculorum acies ſenſim hebeſcat: minime vero ita ſimpliciter, atque adeo *directe* ab his fluxibus, vti traditio illa inferre videtur.

Non confirmatur obſeruationibus.

§. XXI. Idem ſentio de debilitatione *capitis* pariter nominata; at vero agnoſco etiam vtriusque adhuc maiorem efficaciam, ſed ſolum *tardiorem*: non autem tam ex ipſo *fluxu*, quam ex *apparatu* ad

Alia cauſſa euentuum tam ophthalmicorum quam ce-

 eun-

phalalgicoſum.

eundem, nempe *congeſtione* atque *contentione* eiusdem diuturniore & importuniore circa ipſum caput. Quemadmodum enim de *euentibus* huiusmodi *cephalalgicis*, *ſomnum* & *requiem* turbantibus; *ophthalmicis*, vtique facilius debilitantibus *viſum*, quam immunem relinquentibus; & *aurium* etiam affectibus varie debilitatoriis iam diximus: ita eſt vtique etiam ſatis notum, & tanto facilius hinc notandum, quod hæ ipſæ horum generum *congeſtiones* vtique etiam vniuerſam ſenſuum *internorum* conſtantiam & integritatem ita peruertant, vt *vertigo* patientibus inde moleſtiam creet, cum alia varia *perturbatione*, & ad intentiores *cogitationes* ineptitudine, in *iunioribus*; in *ſenioribus* etiam cum metu, vt aliquando veriſimillime ipſo euentu, *apoplexiæ*.

ARTICVLVS I.

DE

PHLEGMATORRHAGIA NARIVM.

§. I.

Hic affectus licet non quotidie, tamen familiariter admodum occurrit.

QVamuis hic affectus ſub tali conſtitutione, vt verum *fluxum* continuum aut *ſtillicidium* exhibeat, qualis apud *Salmuth. C. 1. obſ. 37.* commemoratur, minime ita quotidie occurrat; quia tamen vtique ſpecimina aliqua minora, quæ, niſi luculentum illud in decentem conſiderationem veniat, huc non referri poſſent, admodum familiariter occurrunt, duco certe operæ pretium, totam rem paulo latius diducere, & quid tandem de illa conſiderandum ſit, penſitare.

Exemplum eius.

§. II. Hiſtoria, quam pro vero exemplo exhibere conuenit, verſatur in eo, quod puella, ſana ſine dubio de reliquo, vt ipſa actio innuere videtur, cum *ſaltando* non dies duos ſolum, ſed totidem etiam forte noctes conſumſiſſet, ex illa partim *fatigatione* ingente, partim *peruigilio*, inciderit in *ſomnum* adeo profundum, vt in quartum diem eundem continuaret. Cum rurſus euigilaſſet, correpta eſt *ſtillicidio narium*, quod tamen nihil niſi nudum limpidum *phlegma* eduxiſſe memoratur; continuante interim fluxu huiusmodi per aliquot dies: ceſſante vero ab vſu pilularum *cephalicarum*.

§. III.

§. III. Quantumlibet autem hæc hiſtoria (pro more inter alios, etiam huic ſcriptori ſatis familiari) mutila omnino atque manca exſiſtat; & promeruiſſet vtique, vt cum maiore diligentia *temperamentum* ita dictum, & reliquæ indiuiduales circumſtantiæ huius puellæ curioſius conſignatæ fuiſſent: non denegari tamen propterea huic narrationi æque debet omnis fides: (qualem tamen huic Auctori per omnes eius relationes nimium pronam indifferenter adhibere, nec ipſe ſuaſerim.) Confirmat enim vtique huius rei fidem nota illa ſatis familiaris huiusmodi eruptio, ad minimum aliquot *guttarum* ſinceri tenuis *aquoſi* humoris e naribus; quem cum illi, qui experiuntur, ipſo illo primo fluxionis impetu pro ſanguinis fluxu æſtimantes, admoto ſtrophiolo captant, nihil niſi limpidam aquoſitatem exhibere deprehendunt.

Quanquam hæc relatio mutila ſit, tamen non omnis fides deneganda.

§. IV. Subſiſtit autem hic fluxus, *fluxus* inquam, communiter vtique intra guttas non ita multas, vt *ſtillicidium* verum, quale *hæmorrhagia* narium format, non proſequatur: eſt tamen vtique hæc ipſa etiam continuatio notabilis *fluxus*, *ſpiſſioris* æque in vulgari communiore, quam *tenuis* in acriore *coryza*, vtique notiſſima. Quarum quidem poſterior, dico *tenuis* & *acris coryza*, largiſſima ſubinde fluxione ſeſe exſerens, vix vllo diſcrimine a *ſanguinis* ſtillicido e naribus diſcrepatura eſſet, ſi patientes eodem more, vt in *hæmorrhagia* vſitatum eſt, inclinato antrorſum capite ſucceſſum eius, imo ipſius *ſtagnationis* energiam, pariter ita intenderent.

Differentia huius fluxus a coryza.

§. V. Nempe conſiderandum hoc vtique puto, eo maxime intuitu, vt ita non ſolum ad *modum fientis* etiam ipſius *fluxionis coryzæ*, ſed quam maxime ad *motum fiendi* eiusdem conſideratio dirigi poſſit. Certe enim tantum *ſeroſæ* mucidæ, aut etiam acrioris materiæ, quanta intra aliquot ſæpe dies continuos e naribus profluit, a nemine, vti credo, putabitur ipſo actu ſimul & ſemel circa caput collecta hæſiſſe, vnde dehinc ſolum ita ſucceſſiue erumpat: ſed potius intelligetur, quod vtique ſucceſſiuus ille *exitus* cum ſucceſſiuo *aditu* omnino tanquam reciprocum nexum ita foueat, vt omnino continua talis *appulſio* proportionata, nempe *largior*, demum etiam exitum largiorem poſt ſe trahat.

Materiæ ſeroſæ ſucceſſiuus exitus in coryza cum ſucceſſiuo eius appulſu reciprocum nexum habet.

§. VI. Cum autem *appulſus* ille largior hac ratione vtique aliter fieri non poſſit, niſi ex ipſa vniuerſa *maſſa ſanguinea*, id eſt, rem ſinc erius eloquendo, *ſanguinis* ipſius *largiore appulſu*: hic autem iterum aliter fieri nequeat, niſi per *tonicam* auctiorem reſtrictionem ſan-

Appulſus ſanguinis & apparatus in coryza proprie ad hæmorrhagiam deſtinatus eſt.

ſanguinis e reliquo corporis ambitu ad ipſam hanc regionem, & *excernendi* veluti *portam;* adeoque ſi res vero ſimplici ordine æſtimetur, non magis *prima*, quam verius *primaria* vniuerſi huius actus ſcena ſit illa vna eademque, quæ in ipſa etiam *hæmorrhagia* luditur: confido firmiter, fore, vt ex hoc maxime negotio facilius agnoſci poſſit, quod *apparatus* ipſe in genere, qui *coryzam* adornat, aut potius tanquam poſt ſeſe trahit, proprie potius ad *hæmorrhagiam* deſtinatus ſit; peccet autem, ſeu offendat ſolum *a poſteriori*, vitio ipſius *conſiſtentiæ* ſanguinis *ſtricte dicti*, qui, quando *craſſior* eſt, & cum tenui pariter atque abundante *ſero* non ſatis *ſubactus* atque conquaſſatus, hac ratione inconuenientem illam conſiſtentiam *exeuntis* ſubſtantiæ poſt ſeſe trahit; vt nimirum, cum ipſa *rubicunda* portio ſtricte adeo dicti *ſanguinis* hac ratione progredi non poſſit, *tenuior* ita ſolum pars inde prodeat.

Disparitas inter eruptionem ſanguinis & coryzam exigua eſt.

§. VII. Cum autem *ſanguinis* ſincerioris ita libera eruptio alias quidem intra exiguum tempus periodum ſuam totam abſolutura fuiſſet; *coryza* vero veluti ſolenniter diu, nempe per aliquot dies, *durare* ſoleat, poſſet hinc vtique peculiaris diſparitas argui. Si vero etiam qualitercunque ſuccedentis intentionis *euacuatoriæ* proſecutio hic æſtimetur, eique etiam ad latus ponatur circumſtantia illa, ipſi etiam *hæmorrhagiæ* narium ſatis familiaris, quod nempe etiam ipſa hæc, ſane admodum frequenter, non vna ſimplici eruptione abſolute contenta ſit, ſed aliquot dierum ſucceſſibus *repetitas* eiusmodi eruptiones agitet: apparebit hinc facile, quod nec hæc ipſa etiam circumſtantia *coryzæ* ſatis idonea ſit, vt illam abſolute toto, quod aiunt, *genere* a narium hæmorrhagia excludat, & non potius pro euentu magis *deſtinatæ*, habendam ſuadeat.

Quædam circumſtantiæ, quæ differentiam conſtituere apparent.

§. VIII. Cum autem vtique plane peculiares quædam circumſtantiæ occurrant, quæ *coryzam* etiam vti *deſtinatam* magis *ſeroſam* excretionem ab hæmorrhagiis pariter *deſtinatis* diſtinguendam eſſe perſuadere poſſint; meretur omnino etiam de illis aliquid dici. Eſt vtique ipſa *coryza*, ratione *ortus* ſui atque familiaris prouentus, *triplicis* velut ordinis. Primo enim euenit *iunioribus*, & ipſi omnino *puerili* ætati, in ſubiectis conſtitutionis ita dictæ *phlegmaticæ;* inprimis autem *otioſa*, *ſomnolenta*, *inerte* vitæ ratione gaudentibus: ſecundo *ſenioribus*: tertio *adſuetis* frequentiori huiusmodi euentui; & hoc quidem ex *interna* præcipua diſpoſitione, quam magis reſpicere conuenit, quam *accidentales* externas *occaſiones* ex intemperie *aeris* frigida humi-

humida. Ex his circumſtantiis ſi eximantur *adſuetudo*, & *exteriores* occaſiones, reliquæ certe nihil impediunt, quo minus paſſim ſub eiusmodi *grauedinoſis congeſtionibus*, *reſtagnationibus* & *eruptionibus* verior *intentio*, quæ totum huiusmodi *apparatum* regit, ad *hæmorrhagiam* reſpiciat potius, quam ad huiusmodi nudam *ſeroſam* exonerationem.

§. IX. Vbi etiam tanto magis in conſiderationem venire meretur peculiaris illa *coryzæ* energia, quæ vti mihi ipſi familiaris eſt, ita hac maxime ſolertius obſeruandi occaſione deprehenſa mihi eſt multis, etiam paſſim annoſioribus familiaris eſſe: vt nempe *ſtimulus* ſternutandi repente cooriens citatam ſternutandi vehementiam *decies*, imo ad *vicies* vsque, intra dimidium horæ quadrantem exerceat, cum prouentu mucaginis tantisper emungendæ, vtut non largiſſimo, certe tamen neque exiguo: deſinente interim ſtatim dehinc omni reliqua *grauedinoſa* efficacia, & quolibet huius generis prouentu. In quo ita cum *hæmorrhagiæ* breuiore impetu conſentit.

Sternutandi ſtimulus, coryzæ familiaris, eiusque effectus cum hæmorrhagia conſentit.

§. X. Quemadmodum etiam merito, ex alibi paſſim iam tactis, inprimis autem proxime præcedente membro memoratis, omnino commendo conſiderationi, quod deflectentes eiusmodi *morbidæ* conſtitutiones, & intentiones *hæmorrhagicæ* ex ipſis naribus, *ſenioribus* minime inuſitatæ, ſed & hoc ipſo præcipue tales, nempe *morbidæ* exſiſtant, eoque ipſo nec *effectum* verum, qui legitime ſemper notabiliter *vtilis* eſt, aſſequantur, ſed magis & aliis nadis *euentibus*, nempe impeditis ſucceſſibus, pateant; & inter hos huic etiam, de quo in præſens eſt ſermo, *catarrhalis* potius *ſeceſſionis*, quam ſinceræ promiſcuæ *ſanguineæ* maſſæ eruptionis.

Hæmorrhagicæ intentiones & catarrhales ſeceſſiones ſenioribus non inuſitatæ ſunt.

§. XI. Habet autem tota hæc conſideratio illum inprimis *vſum*, vt hinc in iuſtam contemplationem venire poſſit illa etiam circa iam annoſiores penſitatio, an non *antecedens* ad minimum *cauſſa* & præcipua *occaſio* ad eiusmodi etiam *catarrhales* circa nares *congeſtiones* & *eruptiones* ſit ipſa *hæmorrhagica* eiusmodi *intentio*? cui tum *ventilationibus*, inprimis alias quoquo modo *vſitatis*, occurrere integrum eſſe poſſit; tum *deriuationibus* ſolis, ſanguinis inquam motus ad alias partes dextra adminiſtratione deducendo. Quo ſcopo v. gr. ipſæ aliquando *pedum* nudæ lotiones, aut *fotus* in aqua calida, aliquid effatu dignum conferunt: aliquando vero ipſæ *ventilationes* ſanguinis, ex *adſuetudine* prægreſſa, poſtea neglectæ, ſi *iterum aſſumantur*, proſunt ſenſibiliter,

Vſus huius conſiderationis.

liter. Qua de re tamen in proximo membro, vbi de *pectore* dicendum, plura memorandi erit occaſio.

Senioribus eiusmodi contentiones & catarrhales decubitus non deeſſe denuo monetur.

§. XII. Sufficit autem hoc vtique monuiſſe, quod ipſis *ſenibus* minime deſint huiusmodi *contentiones*, vulgo ſimpliciter pro *catarrhalibus* memoratæ, quæ re vera magis a *ſanguinis* huiusmodi compulſionibus & reſtrictionibus *ad* & *circum* hæc loca pendeant atque foueantur: nempe *motibus* vere magis *actiuis* & *intentis*, nullo peculiariter proportionato *qualitatis materiæ* vitio, & *motus* ſimpliciter *paſſiua* imminutione; adeoque, quantum ad verum *fontem* atque *fomitem*, & tanquam certum *fundamentum* potius *ventilationibus* indigeant, *ſanguinis* dico, pro veriore atque conſtante præoccupatione; quam vt *ſeroſis* euacuationibus aut diuerſionibus aliter, quam aliquo ſolum *temporario*, vt in præſentes ſolos inſultus, leuamine tententur. Sicut etiam in ipſis *valde iunioribus* huiusmodi conſtitutio, ſi maxime *ſanguinis* eductio non æque videatur locum habere, aut *neceſſaria* eſſe, tamen regimen diætæ, inprimis circa *motus* corporis, ita inſtruatur, vt inde largiori *conſumtioni*, quin etiam *attenuationi*, ſubueniendo, vel ipſi naturæ via ſternatur ad ſanguineas *ſinceras* euacuationes: vel imminuto per *conſumtionem* proportionatam ſanguinis nimio quanto, occaſio etiam ipſa ad eiusmodi *congeſtiones* ſubtrahatur.

MEMBRVM II.

DE HAEMOPTOE.

§. I.

Hæmoptyſis differt a ſputo cruento.

QVantumlibet de hoc affectu iam in ſecunda parte pleraque dixerim, quæ poſſunt atque debent; non erit tamen ſuperfluum, etiam ipſo præſente loco de *ſpecialiſſima* illius conſtitutione tum iterum verba facere, tum quæ ad illam tanquam ſingulariter pernoſcendam faciunt, repetita ad minimum opera, commonſtrare. HAEMOPTYSIS vera, *reiectio ſanguinis ſinceri, e profundo pectoris copioſe*, imo ſæpe numero *impetuoſe ſcaturientis*, differt vtique longiſſime a ſimplici *ſputo cruento*, quod non raro, imo vero potius quam

quam maxime familiaribus exemplis ſimpliciter ex *ore* & *infundibulo* confluens, ſanguinem, quem admixtum exhibet, ex *infundibulo* atque *gingiuis* forte hauſit. Vnde vera *hæmoptyſis* perpetuum hoc vtique habet, quod omni ſenſus teſtimonio profundius *e pectore*, *ſcreandi* peculiari niſu, imo *tuſſiendi* neceſſitate, aſſurgat: vbi ex aduerſo verum atque ſimplex ſolum *cruentum ſputum* absque omni manifeſtius complicato *pectoris* vitio, labore, concurſu atque conſpiratione, prodit; ſi quis autem *ſcreatus* vtique concurrit, ille manifeſtius *ronchis* quibusdam ex *infundibulo* ad palatum trahendo, aut e ſummis *faucibus*, nempe infimo *infundibulo* ſolum elidendo, ita procedat; vnde quidem etiam ſatis familiariter manifeſto ex ipſis etiam *naribus*, fortius emungendo, aut excutiendo, ſimile quid excutitur. Et communiter etiam, inſtituta quæſtione, innoteſcit, quod tales etiam patientes familiariter *adſueti* ſint huiusmodi euacuationibus ex ipſis *naribus*. Eſt autem opus huiusmodi diſcretione maxime propterea, ne familiariſſimus ille *abuſus adſtringentium*, etiam in eiusmodi caſibus, in quibus ne quidem vllius periculi metus præſto eſt, gratis & ſine omni cauſſa ſuscipiatur.

§. II. Vera interim *hæmoptyſis*, profundius *e pectore* aſſurgens, ſicut omnino eſt eiusmodi affectus, qui minime negligi poſſit, quin potius periculoſas conſecutiones *phthiſicæ* vlcerationis denunciet: ita poſtulat tamen ipſe etiam adhuc peculiarem conſiderationem; intuitu veræ *originis* ſui. Nempe ſecundum meam vtique conſiderandi methodum maxime diuerſæ rationis *cauſſalis*; an vere *paſſiua* potius ratione, *lapſu* inquam nudo, ita contingat; an vero potius *actiua* quadam peculiari *congeſtione* ad hæc loca & *contentione*, vere ad exprimendum & elidendum contendente, ita foueatur. Hæmoptyſis an paſſiue contingat, an vero actiue erumpat.

§. III. Hanc in rem venit omnino perpendenda illa peculiaris ratio huiusmodi eruptionis *duplex*; *primo* quod eruptio *hæmoptyica* vera ſæpiſſime ſine vlla *tuſſi*, aut certe ſine vlla effatu digna, cooriatur; *ſecundo*, quod hæc ipſa *eruptio* etiam paſſim admodum *ſtata tempora* ſequatur, & quidem non tam ſolum breuia, *ſeptimanarum*, aut *lunæ* mutationum, ſed multum diſſita, *anniuerſaria* prorſus, interim vix vno aut altero die a priore *menſura* abeuntia. Quibus adhuc *tertium* addere licuerit; nempe quod huiusmodi *eruptiones* propemodum præ omnibus aliis obſequantur *ventilationibus* in alia aliqua parte ſuſceptis, & quidem etiam omnino ſolum *mediocribus*. Duplex eruptionis ratio.

Hæc cum nuda diæreſi vaſorum conciliari non poſſunt.

§. IV. Quæ res quo vllo vno modo conciliari poſſit cum illa ſententia, quæ hunc fluxum a nuda *diæreſi* vaſorum accerſit, ego certe non perſpicio. Vnde quidem prudente omnino diſtinctione opus habere videtur hæc diuerſitas, vbi vere locum habeat violenta vaſorum atque totius texturæ pulmonum *ruptio*, qualem deinde eiusmodi *paſſiuus lapſus* vere ſequatur: & ex aduerſo talis vera *eruptio*, quæ ab *actiuo appulſu & incubitu preſſorii appulſus* non ſolum exoritur, ſed etiam vera *contentione* huiusmodi *appreſſionis* fouetur.

Aetas, cui obtingat eruptio hæc.

§. V. Obtingit autem huius generis ſimplicior *appulſus*, ad *actiuam* eruptionem contendens, maxime familiariter *ætati adultæ*, & floridæ *iuuenili*, ab annis 18. ad 30., imo 35. iuxta *Hippocratem*. Et hoc quidem maxime veluti *ſponte* quadam; aut per *occaſiones* etiam *generaliores*, quæ excuſſoriam ſanguinis *commotionem* incitare valeant. *Puerili* ætati, niſi ab admodum immoderate forte repreſſis *narium*, & ipſis etiam importunioribus eo vsque hæmorrhagiis, minus competunt hæ ex ipſo *pectore* eruptiones: aut ſectantur ad minimum etiam *externas* violentiores concitationes; imo harum *vtrarumque* rerum concurſum. Vbi nempe omnino iterum vtique notanda venit illa vera circumſtantia, quod etiam veræ huiusmodi *violentæ* occaſiones non raro *concurrere* ſoleant cum *internis* illis magis *ſpontaneis* cauſſis: adeo, vt quæ primo per *vim* inducta fuerat effuſionis *neceſſitas*, in poſterum *foueatur* tanquam qualiscunque *commoditas*, generaliori *intentioni ſpecialiori* tali *loco* ita ſubueniens.

Euentus hæmoptyſeos.

§. VI. Cum autem vtique hæc euacuatio per hunc *locum*, propter *periculoſos* omnino ſucceſſus, quoquo modo *inconueniens* habenda ſit, imo vere intoleranda; vtpote cuius nullus vsquam vtilis eſſe poſſit *effectus*, in comparatione atque proportione *periculorum*, quæ certiora minatur: non poſſunt inde exſpectari, niſi *euentus* quolibet intuitu grauiores, qui tam *apparatum* ad hanc excretionem, quam ipſum eius ſucceſſum ſtipant & ſequuntur. *Apparatum*; nempe *congeſtionem* atque *contentionem* ſanguinis circa *pectus* inſequuntur atque comitantur facile circa *aſperam arteriam* & *pectus* ipſum, & conſequenter etiam *reſpirationem*, & per huius conſenſum circa ipſum vsque *diaphragma*, variæ tales anguſtiæ, & ſecundum has etiam varii *conatus* harum *eliſorii*. Vnde frequentiores etiam & feroces paſſim *ſiccæ tuſſes*, *aſthmata ſicca*, imo ſubinde *ſpaſtica*, *anginodea* etiam ſymptomata; quin *peripneumoniæ* & *pleuritides*. Exterius etiam *ſpaſtici*, *rheumatico-*

arthri-

arthritici, *compreſſorii* affectus. Interdum etiam *apoſtemata* in glandulis ſubaxillaribus, aut fœminis in *mammis*. Quid, quod etiam a *contentionibus* illis pertinacioribus huiusmodi reſtagnationum congeſtoriarum *ſtaſis* aliquando oriri poteſt, imo etiam ſolet, teſte frequente experientia; e qua primo *nodi ſcirrhoſi*, quales hinc inde in cadaueribus inueniuntur eiusmodi hominum, qui durante vita pulmonum quoquo modo affectorum vix vllam ſuſpicionem fecerant: ſenſim autem etiam horum *nodorum* talium denique etiam *vlceroſæ* corruptiones *phthiſicæ*.

§. VII. Placet hoc loco tanquam anticipando mentionem facere, imo conſiderationem commendare, ſatis noti illius caſus; cuius ſtatim duo nominare poſſem exempla generoſorum iuuenum, inter plura talia: vbi ex immoderata ingurgitatione *vinorum* generoſiſſimorum, *Hungaricorum*, *Italicorum*, *Canarienſium*, velut immediate in *ſiccas* huiusmodi *tuſſes*, cito præualeſcentes; & hinc *phthiſin* etiam cito præualidam & lethalem ruunt. Quid ita vero? Certe alter ex his iuuenibus pandebat latius hanc ſcenam, aditum vtique ad ſuccedentem *phthiſin*, qua intra ſemeſtre deceſſit, capeſſens ab *hæmoptyſi* erumpente, & pro more *adſtringentibus* cito impugnata. Nempe nemo puto, niſi quidlibet fingere pronus, huiusmodi vinis hoc tribuet, quod illa *immediate pectoris* vlcerationes efficiant. Quod autem *ſanguinis fortes commotiones* prouocent, e quibus etiam paſſim aliæ *narium hæmorrhagiæ*, & in diſpoſitis *hæmorrhoidum* copioſior fluxus ortum ducant, id vero familiarius notum. Vt adeo etiam hi tales effectus *ordine* a nobis deſignato *congeſtorio*, *ſtagnatorio*, *obſtipatorio*, *corruptorio*, recte procedant. Cæterum *effectus* etiam veri hæmoptyici *euentum* vlteriorem atque grauiorem eſſe ipſam *vlcerationem phthiſicam*, notius eſt e tanto numero exemplorum, quam vt prolixam confirmationem poſtulet: ſicut etiam omnino *rationes* ſuccedendi nullam prolixam theoriam requirunt.

Immoderata ingurgitatio vinorum generoſiſſimorum tuſſes ſiccas, hæmoptyſin & phthiſin prouocat.

§. VIII. Vnde nihil ſupereſt, niſi vt verbum dicamus de illis hæmoptyicorum *moliminum* complicationibus atque ſucceſſionibus, quæ aliis euacuationum ſanguinearum *moliminibus* ſuccenturiantur. Vbi nempe ſimplicioris & veluti directi progreſſus eſt, vt *congeſtiones* huiusmodi *hæmoptyicæ*, quin etiam paſſim *eruptiones*, fiant in adoleſcentibus, qui *narium hæmorrhagiis* frequentioribus aut largioribus alias *adſueti*, has ipſas experiri deſinunt, *cauſſis* interim ad euacuationem *incitandam* non emanentibus. *Retrogrado* vero ordine ſuccedit

Complicatio atque ſucceſſio moliminum hæmoptyicorum cum aliis moliminibus hæmorrhagicis.

hæmoptyſis euacuationibus ſanguineis *inferioribus*, non debite ſuccedentibus, aut temere ſubſiſtentibus. Vnde triuialis illa *fœminarum* iuniorum, ſi *menſtrua* ſupprimi contingat, *anguſtia*, *oppreſſio*, *irritatio* in *pectore*, imo ipſa *phthiſis*, aut eruptio *hæmoptyica* ſincera.

Expanſiones ſanguinis anguſtia circa pectus inſequitur.

§. IX. Notanda vero ſimul vtique venit etiam huius tanta frequentia eo euidentioris conſtitutionis circumſtantia, *theoriam* noſtram optime illuſtrans, dum vtique qualeſcunque ſanguinis *expanſiones*, vt e nudo *motu* corporis liberaliore, mox anguſtia hæc talis circa *pectus* ingens inſequitur. Non profecto ex illo ſimplici fundamento deducenda, quod ita ſanguis *directe quantitate* tantum præualeſcat, vt quaqua verſum expandatur, ſi illum turgefieri contingat; cum alias de menſe in menſem, vti *coaceruatio* ſecundum hanc præfigurationem, ita etiam huiusmodi *anguſtia* & oppreſſio increſcere deberet: ſed longe veriſimiliore promta mox *reſtrictione* circum hunc locum, quando inſignis cauſſa *ventilandi* per *commotiones* manifeſtiores obtigit.

Præſertim ſenioribus hæmorrhoidariis obtingit ſæpe regurgitatio ſanguinis verſus pectus, aſthmatica oppreſſio, tuſſis immo phthiſis.

§. X. *Senioribus* autem vtriusque, præſertim vero *virilis* ſexus, ab *hæmorrhoidalibus* iam *excretionibus*, iam ſolis, ſed ſincerioribus & intentioribus *moliminibus*, obtingit ſatis ſæpe huiusmodi *regurgitatio*; quæ niſi in actualem eruptionem *hæmoptyicam*, at certe in ſatis manifeſtas vehementes atque contumaces *contentiones* circa pectus, tendit: vnde non ſolum *aſthmatica* atque vehementer *tuſſiculoſa* varia incommoda, ſed etiam *phthiſeos* pericula, aut veriores prorſus euentus paſſim cooriuntur. Quæ ipſa interim res vtique non perfunctoriam conſiderationem omnino meretur, dum vtique ipſa talis *moleſtia* aliis longe, nempe ſimplicius *ſeroſis* cauſſis vulgo tribui ſolita; imo inſuper *expectorationem*, id eſt, *directionem*, imo *impulſum* humorum ad ipſum pectus potius perſuadens practicis, nihil aliud hoc ipſo vlterius conſequitur, niſi vt indies grauiora incommoda & præſentiora pericula ita producantur.

Placet breuem mentionem facere obſeruationis apud *Ioh. Rhodium*, ſed pro more lemmate magis, quam ſufficiente narratione conſpicuæ: *phthiſeos periculum hæmorrhoidum fluxu declinatum*. Vbi *clauſarum* hæmorrhoidum mentionem faciens, ſimul vtique iuſtam ſuſpicionem facit, quod huic hæmorrhoides *fluere* ſueuerint, & ab harum demum *occluſione* in periculum illud inciderit, quod deinde facto largiore illarum *fluxu per biennium* (vel continuante quaſi, vel frequenter reuertente) totum ſublatum (adeoque ſine dubio cum vni-

vniuerſis ſuis ſymptomatibus) aſſeuerat. Quanquam autem ille mentionem hic inprimis faciat *catarrhorum ſalſorum*, quæ nominatum illum metum *phthiſeos* in hoc patiente obiecerint: tamen apud alios patientes etiam *aſthmaticas* oppreſſiones e talibus rebus oriri, documentum dare poſſum Virum genere & officiis Illuſtrem, qui 67. anno ætatis *pectoris* oppreſſione, qua etiam alias a longiori tempore ſueuerat interdum corripi, tam vehemente affectus eſt, vt etiam *paroxyzantibus* inſultibus vere *ſpaſticis* in tam deploratam conſtitutionem coniectus ſit, vt Medici illum cum prognoſtico deſtituere non dubitauerint: quoad deniq; e Illuſtriſſimi ſui Domini magis iuſſui quam ſuaſui conſentientes Medici, V. Sem. permitterent. Ex ore Illuſtris huius patientis hoc habeo, etiam cum peculiari aſſeueratione commemorantis, quod ipſo momento ſalientis e delibuta vena ſanguinis *oppreſſio* illa cœperit ad ſenſum eius manifeſtum remittere, & ſucceſſu etiam fluxus hoc magis præſtare & perficere continuauerit, vt ipſe inde liberatus, quo tempore hoc mihi narrabat, 79. annum ageret. Vtique vt ante iſtam V. Sem., ita etiam poſt eandem per hos ſuccedentes 12. annos inſultibus eiusmodi iteratis, non tamen eadem vehementia, vexatus, *hæmorrhoidum* fluxui, quamlibet rariori, a multis inde annis adſuetus: V. S. ibus etiam per reliquam vitam vſus, non quidem ordinatis, ſeu *ſtatis*, interim neque admodum raris. Laborabat autem eo tempore, cuius occaſione hæc mihi memorabat, (anno ætatis ſuæ 79. iam longius prouecto) eadem tali *oppreſſione* ad plenam *orthopnœam* inſoleſcente, a qua tamen ſine ſanguinis miſſione, benedicente Deo, reſtitutus, hodieque viuit *octogenarius:* ſepoſitis medicamentis *volatilibus*, a quibus talia ſymptomata familiarius exacerbari ſolertes Practicos non poterit fallere.

§. XI. Cæterum hæc ipſa etiam *ſanguineæ eruptionis* ſpecies habet hoc vtique cum cæteris commune, quod ſemel potita hoc *exitu*, admodum prona ſit ad illum iterum iterumque *affectandum*. Quæ res adeo potentis eſt conſecutionis, vt etiam ſæpenumero eiusmodi euacuationes, quæ *proniori* ſucceſſui obſequi & poſſe & debere videantur, tamen data hac via, in illam ita procliues ſint, vt niſi quidem adhuc magis, certe æque promte hunc exitum denuo occupent, quam alterum. Non poſſunt ignota eſſe huius rei exempla peritis atque circumſpectis Practicis in *menſium* negotio in genere, quando illi reſtitant, facta interim aliquando *hæmoptyicæ* eruptione.

Hæmoptyſis ſemel exitu potita, illum iterum affectat.

§. XII. In ſpecie vero habeo vtique aliquot exempla, quæ ex hoc eodem fundamento pendentia, imo huius ipſius euacuationis ſpecialiſſimam indolem per *conſecutionis* morem excipiendo, eidem reliquæ debitæ euacuationi ingens tale præiudicium adferunt; nempe fœminarum, quæ a *lactatione*, imo etiam citra illam, profundiores abs-

Exempla ſpecialia in abſceſſibus mammarum menſtruam euacuationem impedientibus.

abſceſſus *mammarum* paſſæ, ab illis non ſatis dextre atque promte liberantur. Tales enim experiuntur hoc familiariſſime, vt *menſes* ipſis non redeant, quam diu ille *mammarum* fluxus perennat *ſanioſus*. Dum interim per *menſtruum* tempus vel hæc *manatio* cum ſuis quibuslibet incommodis ſymptomatibus intemperantius ſe gerere obſeruatur: vel manifeſto ſincerius *ſanguineam*, quantumlibet etiam non ita copioſam, excretionem perpetrare. Adeo, vt reuera communiter quaſi reciproca difficultas occurrat, tam in ſananda hac *vlceratione*, antequam *menſtrua* euacuatio in ſuum liberum progreſſum reſtitua ſit: quam in hac reſtituenda, antequam *vlceratio* illa ſanata, aut certe longe plurimum imminuta fuerit. Dum interim manifeſtum eſt ipſa experientia, quod, quicquid horum recte ſuccedit, mirifice faciliorem reddat alterius etiam ſucceſſum.

Sic hæmoptyſis adſueta menſium reuocationem difficiliorem reddit.

§. XIII. Cui rei penitus reſpondet par difficultas *menſes* ſuppreſſos reuocandi, vbi vera, inprimis ſpontanea, citra violentas cauſſas, *hæmoptyſis* qualitercunque adſueuit. Quantumcunque enim ibi ſanguis *commoueatur*, tam promta ſemper hinc euenit ad *hæmoptyſin* potius, quam aliam quamcunque viam, *impulſio*, imo actualis inde *eruptio*, vt non ſolum ad iuſtam viam nulla *maior* inclinatio inde iudicari poſſit, ſed re vera ne *par* quidem ſolum appareat, quin hæmoptyſis pronior longe ſentiatur.

Leporis marini & nummulariæ efficacia.

§. XIV. Inter res *externas*, quæ hæmoptyſin inducere poſſe ſuſpectæ ſunt, eſt breuiter memoranda tradita illa ab antiquis vsque ad nos peculiaris efficacia *leporis marini*; cuius nomine etiam ipſum *Apuleium* in diſcrimen adductum eſſe *apologia* eius teſtatur. Deinde meretur ad minimum commemorationem traditio apud *Botanicos* occurrens, a plebis ſine dubio obſeruationibus (nequaqum abſolute ſpernendis) deſumta, quod *Nummularia* herba, quam tamen hominibus ad vitia pulmonum ſalutarem eſſe adſerunt, *ouillo* generi *phthiſicas* pulmonum corruptiones inducat. Quæ traditiones vti ſimpliciter experientiæ teſtimonium requirunt, cæteroquin inanes habendæ: ita non poſſunt tamen etiam tantisper ſimpliciter inſuper haberi, quam diu vtique incertum adhuc eſt, quid veri in illis ſubſit.

ARTI-

ARTICVLVS I.
DE
TVSSI.

§. I.

SI quid vsquam tam in *hiſtoria* ipſa, quam reliqua *ætiologia* PATHOLOGICA vere prudentem, imo peritam animaduerſionem & æſtimationem poſtulat, eſt certe *duplex* illa circumſtantia, *primo*, quid a cauſſis manifeſtius *externis* & *aduentitiis* potius, quam *interno ſpontaneo* prouentu dependeat & cooriatur: *ſecundo*, quid magis *progreſſu* quodam, imo verius *ſucceſſu*, nitatur, quam *directo ortu* ſimpliciora generationis ſuæ ſinceræ indicia faciat. Duplex circumſtantia in ætiologia pathologica animaduertenda

§. II. Valet hoc, vt in numeroſis prorſus aliis exemplis, ita in re vera etiam quotidiano illo, TVSSIS. Cum enim hæc non ſolum omnibus *ætatibus*, ſed etiam primo adſpectu omnibus *temporibus*, accidere videatur; hoc ipſum tamen, exquiſitius aduertendo animum, nequaquam ita ſe habeat; interim ex eiusmodi falſa ſuppoſitione non poſſit vera ſubſumtio aut connexio elici: intereſt propterea omnino ſolidæ veritatis, vt recte perueſtigetur, quomodo hæ res, citra *fictionem* aut *confuſionem*, ſeſe vere habeant atque gerant. Applicatio ad tuſſim.

§. III. Secundum hanc docimaſiam, ſi TVSSIS hiſtoria excutiatur, non poterit non diluceſcere, quod *tuſſis* non ſolum ita ſimpliciter *promiſcue* cuiusuis generis hominibus nequaquam communis exſiſtat; verum etiam ingens & ſatis omnino euidens diuerſitas occurrat circa ipſam omnino *cauſſarum* familiarem paritatem, prout illæ vel re vera *internæ*, vel ſimplicius externæ fuerint: illæ magis *actiuæ*, hæ ſimplicius (reſpectu corporis) *paſſiuæ*. Videtur certe propterea hæc ipſa talis conditio omnem attentam diſcretionem poſtulare, vt rerum ipſo facto diuerſarum etiam conueniens differentia obſeruetur, & quid cuilibet cauſſæ ſeorſim competat, ita recte dignoſcatur. Eius hiſtoria & ætiologia.

§. IV. Eſt itaque ante omnia diſpiciendum de illa diuerſitate, qua *tuſſis* diuerſis indiuiduis obtingit vel ab *externis*, vel magis *internis* cauſſis. *Externas* quod attinet, ſunt illæ ſatis notæ, inprimis aura *frigida*, halitu adducta; longe magis autem admiſſio *frigidæ* huiusmodi auræ ſimul valde *humidæ* circa *caput* & exteriora *pectoris*. Eo Cauſſæ eius externæ.

magis,

magis; quando hæc talis conſtitutio ambientis aëris incidit in corpus eo ipſo tempore notabili quadam *commotione* humorum affectum, nempe ad *ſudorem* vsque concalefactum; aut enormi *ſeroſorum* humorum ſpiſſitudine & tenacitate iam grauiter *prædiſpoſitum*: quod ipſum tamen iam prorſus *ſpeciale* quiddam infert. Adhuc autem craſſius *externa* tali energia agunt, imo peccant, halitus partim humorem *coagulantes*, partim *progreſſum* reſtringentes, partim *ſenſum* ſtimulantes, cum *aëre* in pulmones attracti; vel etiam ſub *liquida* forma ſummis faucibus allabentia huiusmodi efficaciæ corpuscula, *irritatione* acri non ſolum ad *ſcreatum*, ſed etiam ipſam *tuſſim* ita irritantia. Præter has autem *externas* tales occaſiones eſt vtique longe *ſpecialior*, atque magis ſingularis ratio *internarum* conſtitutionum, quæ ad *ſubeundam* tuſſim corpus propius diſponunt.

Internæ.

Tuſſis re vera quam maxime infrequens eſt.

§. V. Vt enim hoc loco iterum illud agam, (quod omnibus omnino modis agendum quam maxime exſiſtit, ne falſi aliquid ſub ſpecie veri nobis obrepat,) commendo iterum inſignem illam, imo vere eximiam, etiam ipſius tuſſis conditionem, quod harum talium circumſtantiarum intuitu, a quibus induci atque prouocari poſſe videtur, nihilo minus re vera adhuc INFREQVENS quam maxime, atque vere *rara* adhuc ſit ipſa tuſſis. Ita enim, ſi vtique tempore quantumcunque *frigido* bona pars hominum, v. gr. *mille*, ſimul verſentur in vna aliqua *congregatione*, quamuis ibi ita ſatis multi audiantur *tuſſire*, tamen ſi res non plane inconſiderata æſtimatione perpendatur, rariſſima certe fuerit huiusmodi congregatio, in qua ſub allegato cœtu vere *tuſſientium* numerus *vigeſimam* partem aſſequatur: vt inquam de *mille* ſubiectis re vera *quinquaginta* tuſſi laborent; *laborent* inquam, vltra ſimplicem leuem & plane tranſitoriam *irritationem* ſeu verius *titillationem*.

Aliud argumentum infrequentiæ tuſſis.

§. VI. Imo vero, vt INFREQVENTIA hæc tuſſis adhuc euidentiore comparatione diluceſcat; quando homo triginta, quadraginta, quin ſeptuaginta vsque annos viuendo explet, ſi reminiſcatur, quoties, quamdiu qualibet vice, imo quamdiu collectim, omnem ſimplicem tuſſim, quam expertus eſt, ad totam reliquam vitæ menſuram comparando, talem expertus ſit; quin etiam conferat ipſas circumſtantias *occaſionum*, dico *totos autumnos* & *hyemes*, quantum per eiusmodi temporum *totas* periodos vere laborauerit eiusmodi affectu, aut immunis ab illo fuerit: diluceſcet certe ex eo manifeſſime, quod eiusmodi cauſſæ, *toties* & *tamdiu* etiam inſuper continue præſentes, ſi res recte æſti-

æſtimetur, re vera *rariſſime* huiusmodi effectus edant. Cui rei adhuc accedit, quod ingens numerus hominum occurrat, qui abſolute quolibet intuitu re vera vix vnquam tuſſim experiantur; quantumlibet huiusmodi famoſis *cauſſis* vtique non magis expoſiti, quam iisdem affecti: niſi prorſus enormiter illis abutantur, quo ipſo tamen nihil ad aliorum *proportionem* patiuntur, ſed cito incommoda inde contracta iterum ſuperant.

§. VII. Id quod omnino iterum commendo, imo vrgeo, maximopere notandum; vt etiam ex eiusmodi ita vniuerſali vtique ratione *cauſſali*, qualis omnino occurrit in hac efficacia *frigoris* ad *tusſim* prouocandam, omnino adhuc maximopere attendatur euidens hæc prorſus circumſtantia, quod etiam in hac non *generaliſſima* ſolum, ſed etiam *actu vera energia* tamen adeo *rarus* ſit verus effectus. Vnde nullum vtique ſupereſſe poſſit dubium, quin hæc ita *vniuerſalis* ratio, cum non niſi *particulares* effectus vere inferat, non poſſit etiam pro vere *generali*, dico ita *vniuerſaliter* efficaci haberi, ſed ſimpliciter pro *generica*, quæ diuerſos *ſpeciales* potius effectus producat: intercedentibus ad hoc ipſum *ſpecialioribus* etiam aliis cauſſis, quæ ipſæ demum proprie hunc effectum *abſoluere* dici poſſint, quod reliquæ illæ *generaliores* per ſe nunquam facerent.

Ita vniuerſalis cauſſa non niſi particulares effectus infert.

§. VIII. Quamlibet ergo ex ipſis etiam *internis* cauſſis AETAS prærogatiuam peculiarem habere videatur, ita, vt *tenera*, *infantilis* atque *puerilis* ætas præ aliis *tuſſi* magis obnoxia appareat; ſi tamen res ſolide ſecundum ſimplicem nudam veritatem æſtimetur, dilueſcet facile, quod hæc diſpoſitio non tam directe ad *producendam*, quam ſolum ad *receptandam* tuſſim conferat: nempe ad *externarum* illarum aduentitiarum cauſſarum propiorem energiam in ipſis pulmonibus; vbi in *humores* (*ſerum* præcipue) *coagulando*, in *partes* earumque texturam (*tenerioris* inprimis ætatis) *irritando* energiam ſuam exſerant.

Aetas tenera non tam ad producendam quam receptandam tuſſim apta eſt.

§. IX. Quamuis etiam in hac re iterum iterumque obſeruanda veniat obuia illa attendentibus etiam harum concurrentium rerum efficaciæ actualis adhuc *infrequentia* non ſolum, ſed etiam *irritatoriæ* energiæ in infantibus talis euentus culpam gerentis documentum euidentiſſimum, *adſuetudo*, totam illam efficaciam *poſitiue*, *vt* aiunt, & *priuatiue* circumſcribens: vt nempe non tam vlla huiusmodi *materialis* conſtitutio *in ſe* & *ſimpliciter* huius euentus cauſſam conſtituat, & vere abſol-

Obſeruanda etiam eſt in hac re non ſolum infrequentia efficaciæ materialis, ſed etiam adſuetudo ſeu ſenſibilitas.

abſoluat; ſed nuda maior aut minor *ſenſibilitas*; ipſo omnino vſu deſueſcens.

Aetas adultior aptior eſt ad tuſſim producendam.

§. X. Vt rem totam breuiter definiam, eſt hæc talis *actiuitas* talium externarum cauſſarum, & *receptiuitas* partium, veræ ſimpliciter *paſſiuæ* ex parte corporis, tuſſis geneſi apta. *Actiuioris* autem energiæ ad huiusmodi productionem eſt *ætas adultior*, & *iuuenilis*: vtpote in qua tales tuſſes quam familiariſſime cooriuntur, quæ etiam tota ſua ſubſiſtentia, & quomodocunque æſtimata *materiali* ratione, ſatis præ ſeſe ferant, quod nulla exquiſita *materiali proportione* cum ante dictis illis conueniant. Dum neque *materiam* vllam ita *proportionatam* fouent: nec aliam idoneam cauſſam *irritationis* ſimplicis oſtendunt.

Tuſſis ſiccæ cauſſa.

§. XI. Loquor de tuſſi SICCA; cui certe vti abſurde ſimpliciter & vnice materia *acris* pro cauſſa aſſignatur, vtique poſtea quam hodie ſatis per triuia nota eſt *nodoſo-ſcirrhoſa* illa ſatis familiaris conſtitutio in pulmonibus, tuſſes huiusmodi diuturnas fouens, vti ſimplicior etiam *turgefactio repentina* easdem *exacerbans*: ita eſt vtique cauſſa *ſiccæ* huiusmodi etiam ſimplicioris tuſſis, tali præcipue *ætati* familiaris, ipſa illa huic eidem quaſi magis *propria congeſtio* huiusmodi, ad pectus conſtringens ſanguinem; eoque ipſo iam ſimplici maiore *oppletione anguſtiam* inducens; iam frequentiore æque atque penitiore & pertinaciore eadem, *ſcirrhoſum* talem infarctum. Et hoc quidem maxime in ſubiectis, etiam in genere *ſiccioris* ſeu *ſtrictioris* texturæ.

Tuſſis humidæ cauſſa.

§. XII. Vbi nempe vlterior *interior* cauſſa eſt vtique ipſa inſignis *plenitudo*; & quidem tum in genere *ſanguinis*, tum ſpecialius *lymphatico-ſeroſæ* ſubſtantiæ: dico *bonæ*, *nutritiæ*, *alimentoſæ*; quæ nempe ad *ſuperfluum* etiam alimentum, *pinguedinem*, inſeruiat. Vnde huiusmodi *plenos*, *pingues* pectoris *anguſtiis* & humidæ præſertim *tuſſi* plurimum expoſitos eſſe, adeo notiſſimum eſt ipſi plebi, vt hanc *tuſſis* & *oppletionis pectoris* cauſſam, tanquam manifeſtam, non ſolum in adultis, imo conſiſtentis ætatis ſubiectis propterea arguant: es ſeye eben ein ſchwerer voll-leibiger Mann: ſed hoc ipſum etiam quam maxime agnoſcant in teneris vsque *infantibus*: ſtarcke, voll-leibige Kinder.

Tuſſis ſubiecta.

§. XIII. Quamuis autem hæc talis conſtitutio etiam ita *generaliorem* cauſſam vna conſtituat atque ſuppeditet, vt ipſis etiam *externis* reliquis viam planam reddat, ad inducendam tuſſim ante dictam etiam, magis *paſſiua* ratione: tamen minime negari poteſt, quod hæc eadem, dico, *plethora* etiam ſimplex, veriorem *directam* rationem

ſatis

ſatis abſoluat, cuius efficacia etiam ſpecialius certæ conſtitutioni hominum familiarius eueniat: nempe illis, qui per peculiarem reliquam *inclinationem* ſanguinis ad hæc *loca* ſingularem talem diſpoſitionem gerunt. Vbi nempe nihil dubito adſerere, quod tuſſis, eo ſenſu *idiopathica*, vt ab *internis* maxime cauſſis originem ducat, peculiariter penitus cadat in *ætatem iuuenilem*. Sicut e diuerſo *omni* ætati *accidentalis* illa, ab *externis* occaſionibus imo etiam efficacibus cauſſis prognaſcens, obtingit: omnibus etiam promtius *repullulat*, quæ per qualemcunque occaſionem coorta, frequentiore huiusmodi caſu in *conſuetudinem* aliquam adducta eſt: nedum quæ plane *violatione* aliqua *conformationi* ipſi illata nititur, adeoque alibi continua ſerie inſiſtit, alibi ad minimum promta *receptiuitate* facillimis *exacerbationibus* patientem exponit. Iterum dico, veræ *ſimplicioris*, ſed eo ipſo etiam *contumacioris* æque, & in vniuerſum *periculoſioris* tuſſis præcipua cauſſa *antecedens*, quæ illam certæ inprimis ſubiectorum peculiarium tribui tanquam magis propriam reddit, eſt *ætas iuuenilis*; poſt hanc autem vlterior, *virilis* atque *ſenilis*, e prægreſſa illa aſſuefacta *diſpoſitione*.

§. XIV. Propior autem omnino cauſſa, qua hæc talis etiam huc vsque nuda *diſpoſitio* vere in *actum* atque effectum deducitur, eſt *congeſtio* illa ſanguinis *adundantis* ad pectus, ad *hæmoptyſin* reſpectans: interim dum liberum *exitum* non plane adſequitur (imo non æque maximo impetu ad illum ferociter *pertendit*) naſcitur hinc illa talis *oppletio* intra pectus, quæ *tuſſim* proritat; vel etiam adhuc maioris momenti *infarctus* intra veſiculas pulmonales, quæ conſtantiore moleſtia, imo periculo, *eliſorios* illos conatus producit. *Propior cauſſa eſt congeſtio ad pectus.*

§. XV. Vnde iterum repeto, & ad prudentem obſeruationem prouoco, vera *tuſſis ſimplicior*, & ab *internis* præcipue & quaſi *domeſticis* cauſſis pendens, eſt *iuuenili* maxime *plethoricæ* conſtitutioni magis propria: promiſcue propterea, non ſolum humida; nempe, vel directe *phyſica* cauſſalitate *a ſeroſo-mucoſa* humiditate pendens; vel *morali* quolibet reſpectu ad iſtius ſimplicem *euacuationem* contendens: ſed omnino etiam ipſa *ſicca*, cum manifeſtioribus ſignis ſimpliciter *contendentis* infarctus; adeo, vt etiam paſſim per veros *inſultus* huiusmodi progrediatur; aſthmatis *ſpaſtici* ſchemate. *Repetitur, quod tuſſis iuuenili plethoricæ conſtitutioni propria ſit.*

§. XVI. VSVS medicus, quem hæc talis conſideratio promittit, eximius omni modo & maximi faciendus, eſt ille, vt non ſolum *poſitiue* perpendatur, quid conſilii ſæpe numero quærendum ſit pro *Vſus huius conſiderationis.*

tuſſi iuuenum *ſicca*, cum *oppletionibus* pectus varie ſtringentibus: ſed etiam *priuatiue* cauendum ab eiusmodi methodis & medicamentis, quæ tanquam ſimpliciter *ſeroſam* talis tuſſis cauſſam, iam aliis irritis methodis, iam peſſima omnium *expectorationis*, expugnare aggrediuntur; aut, ex opinione *continuitatis* iam actu læſæ, *myrrhatis* opitulari intendunt. Quibus ſolum aucto potius ſanguinis & *orgaſtico* impetu, & ad *expellendum* eum conniſu, omnia certius in deterius ruant, quam vllum leuamen impetretur.

Poſſunt harum rerum duo ſpecimina allegare, vt euidentiſſima, ita profecto conſideratu longe digniſſima.

Generoſa fœmina, quæ per annos adoleſcentiæ ſuæ e menſibus non ſatis legitime procedentibus varia incommoda ſentiens, *Venæ ſectionibus* vſa erat, *largis* æque atque *repetitis*, & hoc ita per aliquot annos agere ſueuerat; in matrimonium collocata ab his quidem rebus abſtinuit, interim puerperia aliquot experta; & ſub his *lochiales* euacuationes largiores communiter, vixit ita ſatis commode. Cum autem *trigeſimo* ætatis anno parere deſineret, in longe grauiores, quam olim *anguſtias* pectoris prolapſa, Medicis conſiliis paſſim vſa, vere peius inde, quam vllo modo tolerabilius habuit: eo vsque quidem, vt in grauiſſimum *aſthma* ſenſim ſenſimque implicaretur, tantum, vt tertio poſt hæc initia anno ab aſperiore autumno per totam hyemem, velut ordine perpetuo, omnino plurimum difficultatis circa reſpirationem experiretur; ſimul autem continua *tuſſi*, quæ vero his talibus temporibus ſummopere intendebatur, laboraret. Vt hodie ſunt mores, nemini in mentem veniebat *ventilationum* ſanguinis: tanto minus, cum patiens ex ipſa corporis ſtructura, tenerior atque gracilis, ſub his pathematibus re vera ita *extenuaretur*, vt merito *tabida* iudicaretur, & profecto citra ambiguitatem talis vere eſſet. Vocatur tandem in conſilium Medicus, ad *ſanguinis ſtatum atque motum* plurimum reſpicere ſolitus. Cum patienti longe plus quam ad reliquam illam extenuatam corporis gracilitatem venæ turgerent, *aſthma* vero illud præter *æquinoctiales* exacerbationes etiam frequentioribus, magis *ſpaſticis*, inſultibus, per *animi pathemata* inprimis, exaſperaretur, propoſita eſt V. Sio., & ad 3. a 4. vncias emiſſus ſanguis. Datis paucis præterea *diſcutientibus*, & leniſſime *diuretico-abſterſiuis*; repetendo circa *æquinoctia* huiusmodi ventilationes, vixit patiens certe manifeſtiſſime tolerabilius quam ante, in *tertii* de hinc anni finem.

Cum autem non contenta tolerabilius habere, integram potius ſanitatem reſpectaret, eamque ipſi non ſolum promitteret Practicus recens appellatus, ſed etiam per viam maxime tritam incedens, ante omnia inciperet ab improbatione methodi hactenus vſurpatæ, & ſuper omnia *ventilationis ſanguinis*: cauſſatus hærere in pulmonibus patientis *tenaciſſimum mucum*, qui *euacuandus* ſit per expectorationem; præſcripto electuario e *iuiubis*, *ſebeſten*, *melle*, cum *glycyrrhiza*, *pi-*

neis

neis, aniſo &c. Conſecutus quidem eſt ex huius larga vſurpatione largam etiam expectorationem; de qua primis duobus diebus, tanquam ſpecimine ſui præſagii, plurimum ſibi atque patienti gauiſus eſt. Cum autem *anguſtia* aſthmatica, loco ſperatæ *imminutionis*, potius in dies ſummopere ingraueſceret, & inde patiens, proxima ſeptimana ſimpliciter lectum cuſtodire cogeretur; augeſcente vero, velut in horas, vniuerſo mali impetu, & ſub copioſa expectoratione iugiter augeſcente *oppreſſione* reſpirationis, cum *febre hectica* acri concurrente, tertia ſeptimana *purulenta* inter reliquam copioſam materiam tenacem egererentur: mutata opinione *vlcus* pulmonum in occulto latitaſſe cauſſatus, *mortem* denunciauit. Vixit autem patiens per totam illam hyemem, & continuauit, ſicut vſum medicamenti huius ex præſcripto, ita etiam perpetuam illam ſuam *expectorationem, oppreſſionem, tuſſim;* quæ plane a *quarta ante lucana* ad *quintam*, & eadem *veſpertina* hora, vero quodam *paroxyſmo* enormiter commouebatur: *febrem tabidam* exquiſitam, & reiectionem indies circiter 3. librarum muci per nycthemerum. Vixit, inquam, præter ſpem omnium, ſed longe ante omnes ipſius medici, per totas 6. ſeptimanas. Harum fine, qui incidebat in ſeptimanam poſt Dominicam *Iudica*, nempe ſummo verno tempore (quo per proximos annos *ſanguinem mittere* ſueuerat) corripitur *hæmoptyſi* ſimpliciter ſpontanea; prægreſſa ante 3. horas repentina *palpitatione cordis*, & inprimis circa *temporales* arterias tumultuante: ſuper qua re aduocatus priſtinus Medicus, cum ſepoſitionem electuarii illius ſuaſiſſet, minuebatur ſponte *tuſſis*, ſed ante omnia maximopere *expectoratio*, vt vix ad *octauam* partem priſtinæ menſuræ perueniret. Repetebatur, ſuffragante etiam ex inſperato Medico illo nupero, *ſanguinis ventilatio* (ſubſtiterant autem etiam aliquot iam periodis *menſes*). Sequebatur hinc tam propera patientis in ſtatum tolerabiliorem reuerſio, vt tertia de hinc ſeptimana patiens in publicum prodiret, totam illam æſtatem negotiis ſuis familiaribus per prædia ſua vacaret, menſes in ordinem redirent; celebrata iterum V. Se. *autumno* etiam ſubſecuto, *hyemem* quoque admodum tolerabilem experiretur, quantumlibet aſperum, inter annos 1694. & 95. *Vere* ſequente, cum, iterum nouus Medicus *ſanguinis miſſionem* non probaret, denuo lecto affixa, denique intermortua eſt. Ita præpoſtera ſpeculatio de *cauſſa antecedente*, *aſthma* hoc atque *tuſſim* vehementem fouente, certe nihil boni protulit.

Iuuenis autem floridæ conſtitutionis, boni habitus, & quoquo modo ſani adſpectus, pleno victu gaudens, potu quoque vinoſo, licet non continuo, tamen non raro, non parco, ſed generoſo, vtens, vt de inauſpicatis illis *ſalium volatilium aromaticorum* guſtationibus nihil dicam; cum aliquando corriperetur huiusmodi *infarctibus pectoris*, qui præter *oppreſſionem*, *tuſſim* etiam, *ſiccam* magis quam humidam, inducerent; hac ita perſeuerante anxius ſenſim, cum medicamentis vti in animum induxiſſet, & ex opinione *phtiſeos* non ſaltim obrepentis, ſed iam innidulantis, *eſſentiam myrrhæ* cum *balſamo peruuiano*, & ſimilibus rebus, acciperet, incurrit inde, præter reliquam harum pectoris *anguſtiarum* atque *tuſſis* concuſſionum inſolentiam, ſub *anxietate* etiam & *ſollicitudine* animi, ſen-

 ſibilem

ſibilem *extenuationem* corporis. His rebus anxius, & ſtabili aliquot ſeptimanarum pertinacia, imo augmento potius, quam vllo lenimine, perturbatus, cum diuerſo ſuaſu iſta quidem ſeponeret, *venæ ſectione* vero, & poſt hanc *turgeſcentiam* ſanguinis *contemperantibus*, vteretur, euaſit non ſolum cito iſtos inſultus, ſed manſit etiam a ſimilibus, aſſiſtente Deo, per plures iam annos immunis, & huc vsque certe ab omni tabe alieniſſimus.

Tempeſtiuæ venæ ſectiones in phthiſi opto præferendæ ſunt.

§. XVII. Imo vero quid in ipſa vera *phthiſi tempeſtiuæ* V. Ses. poſſint, æqueatque *intempeſtiuæ* ac *immoderatæ* noceant, alia quidem vtique, quam e nudis phantaſiis, peritia opus eſt; interim minime certe Practico rerum ſuarum ſatagenti contemnenda: qualis certe crudorum potius capitum turbulentiæ relinquet cenſuras illas, quod *ſanguinis miſſione phthiſis* minime *curari* poſſit; ſatis gnarus, quanti adhuc pretii haberi mereatur ſenſibilis talium patientium ad minimum *ſubleuatio*, ſi vtique ad ſummam rei adſpirare non ſit integrum. Et certe puto longe melius hac ratione conſultum eſſe ipſi conſcientiæ, quam ſi per *opium* patienti, etiam iam eximie debili, vnius noctis ſomnum, ſecundæ vero mortem conciliet, & hoc artificium etiam commendatione Ε'υθανασίας deſperatis patientibus conciliandæ excuſare laboret. Medici vero veri ſcient vtique, imo meminerint memoriter, non ſolum quid interſit inter *præſeruandi* & *curandi* ſcopos; ſed quid etiam vtrique in ſubſtrato caſu tribuendum veniat, & an aliquem aut nullum vſum habeat interceptio grauiorum *exacerbationum*. Quid autem illi ſcopo conferat hæc ventilatio, vti *ratio*, ſed tamen *perita* vtique, innuere poteſt; ita docere atque certum reddere ſola *experientia*.

Ratio, quomodo e congeſtione ſanguinis ad pectus ſeceſſio partis ſeroſæ contingere poſſit.

§. XVIII. Ratio vero ſecundum *cauſſas*, quomodo, inquam, e ſanguinis ad pectus *congeſtione* & *contentione*, præter *infarctus* & *oppletionis* ſenſum etiam tenuioris partis *ſeroſæ* ſeceſſio talis contingere poſſit, certe apud eos, qui experimenti *ligationis venæ iugularis* aut *cruralis* phœnomena non ignorant, omni difficultate carebit. Eo magis, quando conſiderabunt, quod *pulmonum* conſtitutio plane nullum vſum habeat ad peculiarem *ſecretionem*, & quicquid in illis ſecedit, neceſſario magis per ſimplicem *transſudationem* fiat, copioſiorem ſub maiore *congeſtione* ad hunc locum, & *contentione* circa eundem.

§. XIX.

§. XIX. Vt ita recte penſitatis omnibus circumſtantiis ſatis vtique dilucesſcere poſſit, quod præcipuus *fons tuſſis* profundius *radicatæ* ab *internis* cauſſis pendentis, *pertinacis*, ſemper *rebellis*, & *leuiori*, quæ ab *externis* cauſſis ortum ducit, plurimum contra-diſtinguendæ, imo ad leues *externas* cauſſas cito & grauiter inſoleſcentis, longe magis quærendus ſit in ſanguinis *contentioſis congeſtionibus*, ad eruptionem, nempe *imminutionem* atque *ventilationem* ſpectantibus, quam directo vitio ſiue *quantitatis* ſiue *qualitatis* totius partis ſeroſæ: niſi vbi perperam, non tam ipſa *intentione* prima directa, quam ſolo *euentu* huic exitui adſueta ſenſim eſt ipſa natura. Quæ quidem diſcretio quemnam vſum habeat in ipſa *praxi*, diſpicient, quicunque idonei ſunt ad praxin, cum vera diſcretione exercendam, vt cuique ſpeciei affectus vere conuenientia remedia adhibeantur, & nihil præpoſtere fiat. Fons tuſſis ab internis cauſſis pendentis vbi quærendus ſit.

ARTICVLVS II.

DE

PHTHISI.

§. I.

QVisquis de *congeſtione* tam *hæmoptyica*, quam ex illius fundamento *tuſſiculoſa*, vere peritam theoriam formare ſciuerit, illi certe parum negotii faceſſet theoria vera *phthiſeos* etiam illius, quæ magis ab *internis* cauſſis originem ſumens, *certis* proinde hominibus, *ætatibus*, prægreſſis generalioribus *diſpoſitionibus*, euenire obſeruatur, quam quibuslibet huiusmodi conditionibus *promiſcue* abſentibus. Vera phthiſeos theoria ex congeſtione hæmoptyica formanda.

§. II. Ante omnia vero & primo vtique loco diſtinguenda eſt *vera phthiſis*, vti famoſa potius *acceptione* quam nuda *vocis* ſignificatione ſumitur, ab *hectica tabe*. Quamlibet enim *phthiſis*, *conſumtionem* denotans, hoc ſenſu ſimplicius *tabem* notare poſſet; *tabida* autem illa conſumtio vtique etiam *hecticæ* veræ *febri* communis exſiſtat, & quidem non minus, quam illi affectui, qui vulgo vere eminenter appellatione *phthiſeos* notatur; dum ex aduerſo *hecticæ* nomen nihil *tabidum* exprimit, quamlibet re vera plus abſumat & extenuet corpus, quam reliqua *phthiſis*: tamen ſeruatur hic commode vſu recepto appellatio Phthiſis diſtinguenda ab hectica tabe.

ſatio, qua *phthiſis* non tam *tabidam* ſimpliciter conſumtionem, quam *pulmonum vlcerationem* denotat, ſicuti *hectica tabidam febrem*, etiam illæſis, aut ſane non ad huiusmodi proportionem, *pulmonibus*. Licet enim a vero *vlcere* pulmonum *hectica* febris reuera nunquam abſit; quia tamen etiam cum aliis aliorum *viſcerum* affectibus plus minus *vlceroſis*, aut ad minimum *ſcirrhoſis*, complicatur, adeoque *phthiſis* quidem (hoc ſenſu) *ſine hectica* nunquam eſt, bene vero *hectica* ſine tali *phthiſi*: propterea eſt vtique vtraque decenter diſtinguenda, non ſolum, ne aliud dicatur, quam nominum acceptioni quadret; ſed etiam, ne abuſus circa ita intellectam *phthiſin* admodum familiaris etiam temere ad *hecticas* transmiſſus, tanto grauiora non ſolum, ſed etiam præſentiora, & fere in ſolidum irreuocabilia damna poſt ſe trahat.

De phthiſi pulmonali cum complicata febre hectica hic loquitur.

§. III. Volo itaque præſente loco nihil aliud, quam *pulmonalem phthiſin*; nempe extenuationem corporis ab *vlceroſa*, tanto magis autem actu *vlcerata*, *pulmonum* conſtitutione pendentem, cum complicata *hectica* febre. Quamuis autem, ne vna eademque res diuerſis locis repetenda veniat, etiam ita, vti deſcriptio hic habet, de *phthiſi* iam loqui ſit animus; tamen vt reliqua magis per occaſionem dici posſint, quam e nudo directo inſtituto ſimpliciter; vtpote quod præſente loco magis reſpicit ad veram *connexionem* affectuum ſecundum *cauſſas communes* & mutuas, vt loquuntur, *dependentias*: contemplabimur itaque etiam præſente loco ipſam *phthiſin*, eo maxime ordine, quem vere ſeruat atque gerit, & qui ipſe etiam filum tractationis noſtræ non tam ſequitur, quam vere conſtituit ſeu largitur.

Phthiſis non omnibus ſed certis hominibus euenit, in adulta & iuuenili ætate.

§. IV. Explicat ſeſe hoc primo atque primario mox in ipſa vera *hiſtorica phthiſeos* conſideratione, nempe obſeruatione, quod *phthiſis* non tam *promiſcue* omnibus, ſed *certis* maxime hominibus eueniat. Nempe illa, quæ magis ab *internis* cauſſis, domeſtico œconomiæ vitio & errore prognaſcitur, quam *extrinſecus violenta* quacunque occaſione introducitur. Talis nempe euenit omnino præcipue ſubiectis *adulta* & *iuuenili* ætate: quemadmodum hoc iam ſuo tempore ſolerti annotatione expresſit *Hippocrates*, diſerte nominans periodum penitus exquiſitam, nempe ab anno ætatis XIIX. ad XXXV. *Iunioribus* enim & *ſenioribus* neque *tot*, neque tam *facile* euenire *phthiſin*, niſi a manifeſtoribus *externis* occaſionibus, monſtrat vtique affatim ſolers conſideratio praxeos clinicæ.

§. V.

§. V. Interim exhibet prouide conſiderata etiam *iuniorum*, inprimis infra XVIII. annos, *phthiſica* correptio peculiare monumentum, imo ſolertiore penſitatione etiam documentum, *cauſſalis* illius nexus, quem *phthiſis*, etiam in periodo illa ſibi magis propria, ſequi ſolet. Dum ex eiusmodi admodum iunioribus, a *puerili* ætate ad *pubertatis* tempus *phthiſin* incurrentes, non alii æque (iterum dico, citra ſinceriores *externas* cauſſas) ſunt, quam tales, qui multis aut immoderatis *narium hæmorrhagiis* vexati, harum repentinas *ſuppreſſiones* ſubeunt.

Si iuniores phthiſin incurrunt præter cauſſas externas, quæ ſubſit cauſſa.

§. VI. Deinde in ipſa etiam illa periodo, quæ magis proprie his periculis ſubiacet, videtur re vera adhuc animaduertenda eſſe peculiaris illa differentia, qua promtius adhuc, familiarius inquam, ipſo vero effectu *phthiſis* obtingere apparet *maribus*, quam *fœminis*. (Quæ res profecto etiam ad ipſum non ſolum verum *pathologicum*, ſed omnino etiam *therapeuticum*, inprimis *prophylacticum* vſum quam maxime pertinere videtur, vt poſtea dicemus.) Quamuis enim *fœminis*, per hanc ætatem, longe familiariores paſſim ſint *oppletiones* & anguſtiæ tales pectoris, cum *tuſſi* etiam merito ſuſpecta, & dubiis inſufficientis nutritionis, & tabidæ *extenuationis* ſignis: eſt tamen merito notandum, quod puellæ tali modo affectæ longe frequentioribus exemplis adhuc euadant veræ *phthiſeos* conſtantem ſucceſſum; aut ad minimum, ſi vtique *phthiſis* coorta eſſe ſentiatur, longe mitiore huius *progreſſu* conficiantur. Cum ex aduerſo *mares* a paribus initiis non ſolum certius, & veluti ineuitabiliter, ipſam veram *phthiſin* incurrant; ſed etiam *progreſſus* eius longe *ferociores* communiter experiantur.

Familiarius maribus quam fœminis obtingit.

§. VII. Quemadmodum autem *phthiſis* fere quam maxime manifeſtis ſucceſſibus ſequi ſolet actualem *hæmoptyſin* prægreſſam; quandoquidem certe admodum familiare eſt, quicunque ſemel largiore præſertim & impetuoſiore *hæmoptyſi* correpti fuerunt, illos in poſterum manifeſtioribus vlterioribus *pectoris* periclitationibus, ante omnia *tuſſi ſicca* indeſinente, & *anguſtia* inſigni affici, quæ magis magisque manifeſta *phthiſeos* indicia exhibeant; in aliquibus autem etiam citius, & largis progreſſibus, talis vera *phthiſis* ſeſe ſiſtat: tamen adhuc omnino maior eſt numerus illorum, qui citra actualem *cruentam* huiusmodi perruptionem nudis magis *congeſtionibus* exerciti, tamen huiusmodi euentibus denique ſuccumbunt, & vera ita *phthiſi* corripiuntur.

Phthiſis non ſolum hæmoptyſin prægreſſam ſed etiam congeſtiones nudas ſequitur.

Vera cauſſalis ratio harum rerum.

§. VIII. Cum autem vniuerſa hæc ita euidenter inter ſe conſpirent, non poteſt vtique admodum impedita manere *cauſſalis* ratio harum rerum verior; vndenam, inquam, pendere poſſit *cauſſalis* ſucceſſio veri familiarioris ortus *phthiſeos*, citra *externas* magis directas cauſſas metuendæ?

Famoſum prognoſticon de ſubiectis phthiſeos.

§. IX. Cuius quidem veluti *ſpeciei*, aut certe peculiaris circumſtantiæ *phthiſeos* magis ſingulare veluti documentum occurit in famoſa illa apud noſtrates formula prognoſtica, *hunc illum habere, quod ſibi caueat, aut certe metuat a phthiſi: diſpoſitum videri ad phthiſin.* Quantumuis enim in hac prædictione familiaris admodum ſit aberratio, vt non tam *phthiſeos* quam ſimplicis *tabis* nomen, ſub vſitata Germanica formula Schwindſucht, intelligendo, *tabida* talis conſtitutio metuatur etiam illis, qui quoquo, ſolum etiam paſſim apparente, modo ab ipſo habitu corporis *gracili* ad *extenuationem* vlteriorem diſpoſiti apparent: eſt tamen etiam vera, & intelligitur ſæpe ſatis ſub his præſagiis illa conſtitutio, quando iam vtique patientibus vere e *pectore* male affectis præſagium tale adhibetur.

Signa, quibus hæc præſagia ſuperſtruuntur.

§. X. Sunt antem ſigna illa, quibus hæc præſagia ſuperſtruuntur, inprimis non tam *anguſtiæ* ſimpliciter perennes, quam *anguſtationes*, *actus* inquam tales frequentius ſeſe exſerentes *anguſtatorii*, & quoquo modo recurſantes; inprimis a leuioribus corporis *motibus*, *vini potu*, aut qualibuscunque tandem ſanguinis *expanſionibus*. Tanto magis autem a manifeſta iam tuſſi *ſicca*, ſiue magis *perpetua*, ſiue pariter ad *leues* occaſiones mox inſoleſcente.

Cauſſæ.

§. XI. Huiusmodi vero conſtitutiones vti nemini ſimplicius æque atque familiarius obtingere certum eſt, quam *iuuenili* ætate adhuc conſpicuis; ita ſi animus adhuc aduertatur ad reliquas ſatis euidenter conſpicuas circumſtantias, dilucefcet facile, quod hæ ipſæ etiam futuræ ſint 1) conſtitutio *plethorica*: 2) vita *inertior* & ſegnius *otioſa*: 3) diæta interim *plenior*, inprimis autem *calidior*, *aromatica*, *vinoſa*, *ſpirituoſa*: præſertim autem *inordinate*, & quaſi per viciſſitudines, *excedendo*, eminentius talis: 4) exceſſus *repentini*, etiam in *motibus* corporis, ſanguinem cito exagitantes; quin 5) actuales iam hinc frequentes *anguſtationes* emicantes, quæ cum aut ſine *tuſſi*, præcipue *ſicca*, patientes exerceant. His ſi 6) iungatur illa adhuc circumſtantia, quæ in ipſa experientia admodum familiaris occurrit, quod etiam ſub reliquis antedictis circumſtantiis paſſim iam aliæ *excretiones*, *hæmorrhagia narium* vſitata,

vt

vt in fœminis *menſium*, præceſſerint, quæ poſtea *deficientes* ſenſibiliora mox reddant illa circa pectus incommoda, omni modo vero certiora hæc poſt ſe trahant, & præſentiora: non poterit ita diu latitare aut fallere conſiderationem reliquus ille *ordo* aut *habitus cauſſalis* ad producendum hunc affectum, procedens ab *intentionibus* atque *moliminibus* inprimis *hæmoptyicis* ipſis; quæ dum *congeſtionibus* ad pectus, imo *contentionibus* circa illud, auctiorem ita reſtagnationem ſanguinis in illa parte formant, tandem qualicunque *ſtaſi* coorta materiam ita præbent *corruptionibus*, in parte per ſe & in intima ſui textura propria *exſangui*, membranacea, *vlceroſæ*. (Nam *inflammatorias* ſtaſes hic non producunt, niſi admodum *copioſæ*, & late ſeſe diffundentes ſtaſes.)

§. XII. Sicut autem ab his allegatis cauſſis *directe* magis, ex ipſis *internis* œconomiæ corporis anomaliis, *phthiſis* ita originem ducit, & quidem etiam ſimplicius a nuda pertinaciore *congeſtione* maſſæ ſanguinis ad & circa pulmones: ita eſt altera, huic ordine atque dignitate omnino *proxima*, illa, quando a facta actuali *eruptione* hæmoptyica aliquid ita reſtitat, vt inde *corruptio* huiusmodi originem ſuam ſumat. Id quod ſolenniſſime fit a repentina oppreſſione iſtius per *adſtrictionem*; conſpirante etiam circa hoc negotium indole peculiari *contentionis congeſtoriæ*, nempe *reſtringendo* e reliquo toto corpore abſoluendæ. Vbi per prouocatas ſtricturarum *intenſiones* nihil vtique aliud ſincerius concipi poteſt, quam quod æquali tali ſtrictura, ſi maxime *exitus* tandem opprimatur, nequaquam tamen pariter *aditus* etiam ipſe pari ratione intercipiatur: imo potius *augeatur*, tanto magis, quanto magis æqualis ipſa illa ſtrictura facta fuerit, adeoque nihil certius perfecerit, quam huiusmodi vigentis eo vsque reſtrictionis ad vnum aliquem locum, nudam fortiorem *intenſionem*, ſeu auctiorem effectum. Quamuis re vera etiam hic ſufficere poſſit *detentio* portionis de iam extrauaſato ſanguine: tanto magis, quando ſimul etiam reliquus conatus ſimpliciter *tuſſiendo* excutiendi, quicquid ipſas veſiculas obſidet, additis *opiatis* euertitur.

Altera phthiſeos cauſſa detentio portionis extrauaſati ſanguinis, iam in corruptionem abeuntis.

§. XIII. De aliis, *externa* magis efficacia & *aduentitio* concurſu *phthiſicam* vlcerationem producentibus, non equidem prolixum eſſe placet; interim eſt certe in hoc etiam genere monendum, quod (præter manifeſtiores vere violentas cauſſas, *lacerantes*, *erodentes*, grauiſſime *irritantes*,) vulgo accuſari ſolita illa ſimplex *catarrhalis* dicta

Cauſſæ externæ & aduentitiæ.

Catarrhalis acrimonia

Vulgo ſupponitur.

dicta intemperies humorum, aut ſuppoſita eorundem *acrimonia*, minime ita familiariter in culpa ſit, vti vulgo ſupponitur, & variæ inuentiones materiarum medicamentoſarum contra tales ſuppoſitas cauſſas diriguntur, non ſolum *vano*, ſed ſæpe numero etiam re vera *noxio* conatu: cum verius vniuerſum vitium re vera quærendum eſſet in MOTV peruerſo, maxime etiam talismodi *feroſioris*, imo, vti vocant, *pituitoſioris* ſanguinis, quacunque occaſione prægreſſa ad hunc maxime *locum* & *exitum* dirigi adſuefacto; qualem ne quidem ſubtractis, aut quadantenus correctis materiis non directe & plane ſimul tolli, ipſa quidem triuialis *pathologia* atque *praxis*, pro dignitate quam maxime familiaris euentus, nequaquam tradit, attenta vero atque vere dextre inſtituta obſeruatio clinica, tanquam perpetuis exemplis, in ipſos vtique omnino ſenſus ingerit.

Phthiſeos ſemel natæ pertinaciſſima indoles dependet ab vlcerum in partibus exſangibus indole.

§. XIV. Cæterum venit omni modo cordate perpendenda ſemel natæ veræ *phthiſeos* indoles, ita *pertinaciſſima*, vt re vera, vbicunque ſemel præualuit & innidulata eſt huiusmodi *vlceratio*, pro *incurabili* habenda veniat. Suppeditat huius rei verum documentum *experientia* communis locupletiſſima. Non minus autem complectitur etiam ſana & ſatis ſimplex *ratio*. Non iam dicam æque abſolute de directa illa *experientia*, quæ ipſi adeo plebi tanquam certa atque firma eſt, quod vera *phthiſi* affecti ab illa non liberentur; ſed reperam rem totam altius ab *vlcerum* in partibus vere *exſanguis* texturæ prognatorum, & cum qualicunque *eroſione* dilatatorum, a *ſpontanea* non ſolum ſed etiam *artificiali* omni reſtitutione atque conſolidatione plurimum aliena indole; niſi & *ſuperficies* veluti, ſemi - arroſis fibrillarum laceris apicibus deprauata, decenter *mundificetur*, & tunc demum per remedia magis immediate applicita *balſamica conuenientia* (*vera*, non quælibet vano vſitato nomine talia) ſubueniatur. (Exemplum præbent vlcera per grauiorem attritum anteriori acutiori parti *tibiæ* inducta, pertinaciſſima, & longe difficillimæ curationis, niſi illa dexterrime geratur: ſicut etiam omnia *ſordida vlcera* e mala tractatione, aut neglectu eo vsque prolapſa, hoc faciunt.)

Abſterſio & ſepſis in his vlceribus neceſſaria per medicamenta in corpus

§. XV. *Ratio* autem non *confirmat* hoc ſolum, ſed *dictat* profecto penitus; dum *vlcerationes* vere tales etiam *immediato contactu* oppoſitorum remediorum tamen paſſim difficulter corriguntur atque ſanantur: præſertim vbi propter deprauatam *ſuperficiem* (angelauffen) præcipuum ſcandalum Chirurgiæ medicæ vlcerum, non tam

ſim-

ſimplici *abſterſione lentorum* ibi obhærentium, quam vera ſubtili *ſepſi laciniarum* fibrillarium, opus eſt. Iam cum in pulmonibus hæ res nulla ſpe rationali exſpectari poſſint a medicamentis in corpus aſſumendis, & per *circulationem* ſanguinis, (*quota* vero *parte* ad exiguam portionem læſam?) deuehendis; *ſeptica* vero *abſterſio* ita abſolutiſſime nullum locum inueniat: facile hinc eſt colligere, quid rationalis ſpes circa hæc negotia, eorumque conſtantem & inſuperabilem pertinaciam, concipere poſſit atque debeat.

assumenda non poteſt peragi.

§. XVI. Et cum ipſa *ratio* præterea auctorem habeat *experientiam*, quod pleraque illorum medicamentorum, quæ familiariſſime ad ſuppoſitas *vlcerationes phthiſicas* præſcribuntur & laudantur, ita ſimpliciter, & *per ſe*, etiam ad nullum ſimplex *vlcus* circa *ſuperficiem* corporis communiſſime ſufficiant: poterit inde tanto facilius colligere, quid ab illis exſpectare fas ſit, quando intra corpus aſſumta, longe familiarius ſimpliciore efficacia *ſtipatoria excretionibus*, etiam ex ipſo pectore, nocendo, nihil niſi damna grauiora potius inferunt. Vnde profecto inter opprobria medica præcipua referri debet ſimpliciter ſuperſtitioſa illa *credulitas*, quæ impellit homines, vt talia, non ſolum quotidianæ *experientiæ*, ſed ipſi omnino *rationi* reclamantia, tam audacter venditentur, vti quidem vulgo fit.

Medicamenta ad vlcerationes phthiſicas laudata & rationi & experientiæ reclamant.

§. XVII. Vt adeo ex harum rerum conſideratione certe ſatis diluceſcere poſſit, quid ſperare liceat de ſimplici illa generali intentione per *traumatica* ſimpliciter, & qualiacunque, has vlcerationes ſanandi: cum læſio huiuſmodi plane peculiaris *partis*, & ita plane peculiaris *indolis* atque conſtitutionis, ſi vere ſanari poſſet, vtique non aliam, quam *ſpecificam* penitus efficaciam vere *ſingularium* traumaticorum exſpectaret; qualibus interim donec potiri contingat, contentos eſſe oportebit conſilio *abſtinendi* a qualitercunque *adſtringentibus* & *conſolidantibus* æque, atque *balſamicis calidioribus*: dum *priora* expectorationem impediendo, *poſteriora* inflammationem intendendo, vtrinque certo malum exaſperant. Vnde etiam ipſius vulgi obſeruatio eſt communiter vera, quod quando *phthiſici* Medicos conſulere incipiunt, de iis, quæ procurando funeri neceſſaria ſunt, deliberandum veniat.

Quid de traumaticis ſperare liceat.

Abſtinendum ab adſtringentibus, conſolidantibus & balſamicis calidioribus.

§. XVIII. Illud autem, quod etiam reliquam hucusque propoſitam theoriam *phthiſeos*, citra *externam* violentiam per *internas* cauſſas coorientis, tanto magis illuſtret, eſt ſatis confeſſa efficacia ad inducendam *phthiſin* ipſius HAEREDITARIAE diſpoſitionis.

Hæreditaria diſpoſitio ad inducendam phthiſin.

Quæ certe res vti nulla veriſimilitudine imputaretur vel *ſtructuræ* pulmonis in ſpeciali particula, *ſpecialiſſimæ* tali formationi præternaturali; nedum *humorum* ita ſpecialiſſimæ *dyscraſiæ*, quæ *ſpecifice* in *pulmonibus* efficaciam ſuam exſerere poſſet, aut vnice deberet: ſicut vtrique huiusmodi ſuppoſitioni re vera contradicit euentus ille, quod vtique etiam huiusmodi *hæreditaria* diſpoſitio, per annos demum *adoleſcentiæ* ſeſe exſerat, aut plane tardiores *iuueniles*: cum ex aduerſo, ſi vitium *humoribus* aut *partibus* ipſis congenitum ſubeſſet, nemo vsquam concipere valeret, vnde ita *differri* poſſet harum rerum in ipſum effectum deductio; cum nemo forte fuerit, qui ſupponat, *humores* inprimis, *numero* eosdem, permanere vsque ad illos ætatis gradus; quod certe neceſſarium eſſet, ſi ſecundum hypotheſin *congenita* talis aliqua *intemperies* illis inhærens talium effectuum, tam longo poſt tempore producendorum, cauſſa fieri deberet. Longe probabilior autem eſt congenita eiusmodi *idea*, ſeu *intentio* veluti, *dirigendi motus* peculiares, ad perpetrandas tales ſpeciales *excretiones*. Id quod non ſolum, vti modo dixi, probabile, ſed re vera potius certum prorſus atque manifeſtum eſt: dum notorium omnino exſiſtit, quod ipſæ vtique *hæmorrhagicæ commotiones* quam maxime *hæreditaria* impresſione ad liberos transmittantur; qua interim ratione ex illis *contentionibus* hæmorrhagicis, vt hoc loco *hæmoptyicis*, eo ordine, qui huc vsque indicatus eſt, tandem *phthiſis* enaſcitur. Quæ indolis directio *intentionalis* ad agitandos deſtinatos *motus* etiam confirmari apparet ipſorum *animi motuum* ſeu *morum* exemplo; vtpote quos *hæreditaria* tali transmisſione pariter ſolenniter a parentibus communicari & imprimi liberorum *animis*, ſit vtique omnium maxime manifeſtum ex eiusmodi gratuitis & ſimpliciter *fictitiis* ac *erroneis* auerſionibus, *timoribus*, *terroribus* & *anxietatibus*, quales ex *imaginatione* matrum infantibus poſthac obhæreſcere vulgo notum eſt.

MEM-

MEMBRVM III.

DE

VOMITV CRVENTO.

§. I.

CVm hæc ſanguinea excretio omnium ſine dubio reliquarum *rariſſima* occurrat, non eſt mirum, quod etiam circumſtantiæ circa illam *actiuiores* parum mouerint *Theoreticos*, ad animum ſatis aduertendum pro agnoſcenda tam hac indole eius, ad *exitum* talem ita vere contendendi; tum ad colligendum hinc & agnoſcendum verum *nexum*, quem cum συζύγοις & proxime *affinibus* ſui aliis ſimilibus affectibus fouet.

Cur Theoretici indolem & nexum huius affectus tam parum agnouerint.

§. II. Cum autem de ipſo *vomitu cruento* mihi videar iam ſatis dixiſſe, quicquid poteram aut debebam; non placet proinde hic actum, quod aiunt, agere, aut denuo repetere, quæ iam ſatis ſunt dicta & deducta. Poterit ſufficere, ſi iterum dicam, quod affectus hic eo ipſo, quia eximie *infrequentem* ſeſe exhibet, non poſſit agnoſci pro tali, cuius *cauſſæ* ita triuiales & veluti *quotidianæ* reputari mereantur, quin potius agnoſcenda ibi ſit vere plane *peculiaris* ratio magis *indiuidualis*, quamobrem tale quid non niſi *paucis* hominibus, & his ipſis etiam *rariſſime*, eueniat.

In hoc tam infrequenti affectu etiam peculiaris ratio indiuidualis agnoſcenda eſt.

§. III. Puto poſſe hanc aliquanto facilius agnoſci, ſi decenter, & certe ſine omni præiudicio aut præconcepta (inprimis etiam ipſa improbabili) opinione (iam de ſimplici *obſtructoria* congeſtione, iam de *acri ſalina eroſione*, cum nullo vno vero phœnomeno affectus huius concilianda) in præcipuam contemplationem adhibeatur illa circumſtantia, quod *vomitu cruento* tandem corripiendis familiariſſima ſit præcipue ingens eiusmodi *contentio* circa præcordia, & inprimis in horum *ſiniſtro latere*; ſed hæc ipſa tamen non ita *ſtatariæ*, & ſimpliciter perpetuæ æqualitatis, vt inde vulgo ſuppoſita illa *obſtructio* in verum conceptum venire valeret, verum potius manifeſtis *inſultibus* diuerſis iam *coorientes* atque vehementer *contendentes*, iam, & per tempus etiam ſæpe longum, *requieſcentes motuum* contentiones. Quantum in his rebus conſiderationis mereatur *animi commotio iracunda*,

Quæ ſe manifeſtat per contentiones iſtas circa præcordia.

ſcient

ſcient ſine dubio cordatiores Practici colligere ex ipſis eius effectibus in *hæmoptyſi* reuocanda, & acerrimis eiusmodi *contentionibus* circa *præcordia*, ad *conuulſiuos* vsque impetus, quales ipſiſſimam etiam *vomitus cruenti* ſcenam ad ipſum paroxyſmum inſtruunt. (Exemplo nimium quam noto fœminarum ita *hypochondriaco - hyſtericarum.*)

Hæ contentiones per ſpasmos perficiuntur, quibus ſanguis ad lienem conſtringitur.

§. IV. Tales nempe *contentiones*, non ſolum per veros, manifeſtos, ſed etiam *repentinos* impetus coorientes, monſtrant affatim, quod hoc negotium vere potius geratur per modum *ſpaſticarum* eiusmodi contentionum, quibus ſanguis e reliqua *vena portæ* ad *lienem* magis conſtringatur; aut certe circa *ramum ſplenicum* ad reſtitandum atque regurgitandum ita compellantur, quoad tandem penitus eruptio contingere poſſit. Tanto magis autem illuſtrat hoc negotium illa *hiſtoria*, quam (vti ſimiles Practicis hinc inde notæ ſunt) diligentius deſcripſi tum iam olim in diſſertatione *de motu tonico vitali*, tum ſupra, vbi de hoc negotio iam latius egi: nempe *ſtati* huiusmodi *menſtrui* vomitus, qui ſimpliciter *ſtatis* etiam *apparatibus*, prorſus *vniformiter*, adornatus, imo in effectum ita deductus eſt, per totius anni & duorum amplius menſium periodos, ſublatus autem eſt (ingenue fateor præter exſpectationem ita præſentis efficaciæ) per ſolam energiam *millefolii*. Et licet per proximos dies iterum a grauiſſimo animi pathemate acerbiſſimæ *contentiones* tales *ſpaſticæ* per hæc loca concitarentur, non tamen perruptionem priſtinam pertenderunt, nec vnquam poſt illud tempus iterum experta eſt patiens hanc euacuationis ſpeciem; quantumlibet etiam aliquando *hæmoptyicis* eruptionibus poſt hoc tempus ſemel iterumque tentaretur, quin, per errorem in medicamento admiſſum, vehementi *vomitu* alio tempore afficeretur. E quo certe caſu facile erat velut oculis perſpicere, quid ibi gereretur veris *motuum* paroxyſmis, ab *initio*, per *progreſſum*, & *actum*, vsque ad ipſum *exitum*, periodicorum eiusmodi *inſultuum* ſanguinem vomendi.

Caſus vomitus menſtrui.

Effectus vomitus cruenti fœminis familiarior eſt quam viris.

§. V. Sicut autem hic affectus, imo effectus ſanguinem vomendi *virili* ſexui longe *minus* familiaris eſt, quam *fœminino*, quantum *effectum* ipſum concernit: ita nihilo tamen rarior eidem exſiſtit longinquus velut *apparatus* ad hoc negotium; reſpectans veluti, licet non *pertendens* penitus ad hunc ipſum *exitum;* quantumlibet tamen etiam in hoc ipſo fœminæ viros adhuc antecedant, quantum ad *impetum* tam inuadendi quam vigendi.

§. VI.

§. VI. Nempe eſt ante omnia notanda huius etiam affectus, quem *malum hypochondriacum* appellant, omnino penitus *peculiaris* habitus ad circumſtantiam illam vbilibet merito animaduertendam, INFREQVENTIAE. Ita enim, quantumlibet hic affectus, præcipue ſub qualibet veluti latitudine ſumtus, minime abſolute *rarus* dici mereatur, ſed potius re vera paſſim notabili numero ſeſe offerat: eſt tamen, vere conſiderando, nihilo ſecius mirabiliter adhuc *rarus*; & quidem duplici illo intuitu, primo *numeri* hominum per indiuidua, ſecundo *temporis*, ſecundum ſingula indiuidua. Sicut enim, priore reſpectu, certe vix vigeſima pars hominum *vero* malo hypochondriaco obnoxia eſt:

Mali hypochondriaci infrequentia.

Ne reſpiciendo quidem ad illam longe maximam mortalium partem, quæ ab *indomitis cupiditatibus* circa victum, imo reliquam vitæ rationem (quos litterati fere *cultiores mores* vocant) alienior, ſimplici victu, induſtria exercitatione, & animi minore perturbatione, vt ab aliis corporis malis, ita ab *hypochondriaco* quoque, immunis viuit: in *Africa*, & *America* præſertim: & abſtrahendo a quibuslibet promiſcue *flatulentis* & *inquietis* per *inteſtina atoniis*, etiam per malas *adſuetudines* & inconditam aut inſolitam *diætam* euenientibus, pro vero atque directo malo *hypochondriaco* non niſi perperam habendis.

Ita eſt vtique poſteriore intuitu notum, quod ipſum etiam malum hypochondriacum *verum* ipſis illis ſubiectis, in quæ omnino vere cadit, adhuc ita *infrequenter* atque rarius eueniat, vt non quolibet vitæ illorum tempore, ſed magis certa ætatis *periodo* etiam ipſis obtingat: neque vero etiam magis perpetuo & indeſinenter, quam per *interualla*, & inprimis datas demum *occaſiones*, ab iisdem inſultibus vexentur. Spectando etiam ibi meritiſſimo illo diſcrimine, quid verius imputandum videatur eiusmodi vero affectui: quid vero contra vere ſimpliciori ab *externis* occaſionibus ortæ, aut ad ſummum *exacerbatæ* huiusmodi *atoniæ flatulentæ*, *torminoſæ*, *aluinæ*. Ita nempe, & vt omnino etiam vera diſcretio neceſſaria huius rei ſeruari poſſit, neceſſe eſt, veram eius conſtitutionem ipſa *hiſtoria* ſiſtere & exhibere.

ARTICVLVS I.
DE
MALO HYPOCHONDRIACO.

§. I.

Malum hypochondriacum in quo conſiſtat.

CONſiſtit autem MALVM HYPOCHONDRIACVM proprie, vt etiam ipſum nomen innuit, in eiusmodi pathematibus, quæ ſub ipſis *coſtis*, & maxime omnium *ſiniſtri lateris*, ſeſe exſerunt; *doloribus non* tam ſimpliciter *acutis*, *lancinantibus*, *acerbiſſimis*; ſed *tendentibus*, *prementibus*, *anguſtantibus*, imo angentibus: rarius *ardentibus* velut, imo *vrentibus*, & ſolum *interpungentibus*; cum inſigni ſæpe numero *inflatione*, aut *duritie*, ſiniſtri hypochondrii: vnde iam ipſe *Hippocrates* hunc affectum, eminentiore gradu ita inſignem, ſub *magnorum lienum* nomine indicaſſe non immerito cenſetur.

Intumeſcentia ſiniſtri hypochondrii & palpabilis durities inſtar cotis.

§. II. *Intumeſcit* ſane hinc locus ille ſub infimis coſtis nothis *ſiniſtri lateris*, non ſolum ad inſignem inflationem & eximiam duritiem, ſed etiam paſſim ad pertinacem plane *durationem*, non modo per aliquot dies continuantem, verum etiam plane aliquando *ſtabilem*; & quidem ſæpe etiam tanquam palpabilem *lienis* figuram exprimentem, ex aliqua latitudine in *apicem* antrorſum coëuntem: vnde enunciatio ita affectis familiaris, a ſimilitudine *cotis*, quo *meſſores* vtuntur *ad falces exacuandas*; ſicut etiam apertione cadauerum huiusmodi conſtitutionis veritas paſſim compareт.

Alui adſtrictio huic malo familiaris, licet non perpetua.

§. III. Eſt cum hoc affectu coniuncta *alui reſtitatio*; & hoc quidem *familiariter*, non tamen propterea *perpetuo*, præterquam in vehementiore *impetu*, vero quodam *inſultu* inuadente, & præſertim in ſexu *fœminino*. Vbi tamen probe animaduertendum, quod etiam *aliunde* coorta & negligenter habita *alui adſtrictio* etiam reciproce ipſas has paſſiones *ſuſcitare* obſeruetur, aut omnino ſenſibiliter fouere.

Subiecta huius mali.

§. IV. Sunt autem huic malo quam maxime expoſiti (I) *plethorici*; & adeo quidem certo, vt *verum* malum hypochondriacum nemo quisquam certius incurrat, quam tales. (II) *Spiſſitudine* quoque ſanguinis plus minus conſpicua & euidente affecti: quam V. S. æque, ac ſpontaneæ eruptiones, oculis ſiſtunt. (III) *Vitæ ſedentariæ otioſæ* addicti; quandoque vero *repentinos* intemperantes corporis *motus* ſuſcipientes, quibus ſanguinem cito turgefaciant. (IV) Largiter quidem

dem *edere* ſueti; & inprimis *ſicciores* dapes, quin ipſum *panem*: parum autem *bibere*. (V) Ante omnia vero *iuuenilis* ætatis ſubiecta *ortui* huius affectus ſubiacent; minimum *puerilis*, aut tenerioris *adoleſcentis*: *ſeniores* autem vel *continuationem* priſtini, vel *palindromen* ſentiunt. Imo fit familiariter, vt, facto tranſitu e *iuuenili* ætate in *virilem*, pathemata hæc ſenſim ſponte euaneſcant, aut certe ſenſibiliter miteſcant atque minuantur, ſi maxime non penitus deſinant.

§. V. (VI) Deprehenditur obſeruatione ſolerti, quod multi, qui *malo hypochondriaco* exerciti fuerunt, ab eius impetu, imo interdum vniuerſa poteſtate, liberentur, ſi ipſis *hæmorrhoides* fluere adſueſcant. Viciſſim autem teſtatum facit eadem experientia, quod *annoſiores*, quibus hic *fluxus* familiaris fuit, ſimulac ille ſupprimitur, quaſi præcipites ruant in hæc *hypochondriaca* pathemata. (Digniſſimum notatu eſt illud exemplum, quod *Hildanus* commemorat de nobili quodam ex *hypochondriacis* pathematibus miſere affecto; qui cum, ſuaſu auctoris, *hirudinum* frequentiori, per menſes, vſui ſe ſubmiſiſſet, feliciter liberatus inde fuit.) Hæmorrhoides fluentes hoc malum ſoluunt, ſuppreſſæ autem illud prouocant.

§. VI. In *fœminino* ſexu eſt adeo euidens huius affectus nexus cum *euacuationis* menſtruæ negotio, vt palam cum illo conſpirare ſentiatur; imo hinc adeo & *familiaris* ſit huic ſexui, & *vehemens*, & *frequens*, vt vniuerſæ antiquitati totam peculiarem *ſpeciem* penitus conſtituere exiſtimatus fuerit. In hoc ipſo *ſexu* eſt etiam tanto euidentior paritas illa euentus cum *hæmorrhoidum* modo dicto fluxu; quod fœminis, quando per ætatem *menſes* illis deſuefiunt, eo inſolentius tunc ſe gerere incipiant hæc *hypochondriaca* pathemata, quanto manifeſtius *plethoricæ* conſtitutionis fuerint. Conſpirat etiam cum euacuatione menſtrua.

§. VII. Imo vero, non eſt etiam ſilentio hic prætermittenda illa conſtitutio, quando *hypochondriacis tempeſtiue*, & decentibus *locis*, adhibetur *ventilatio* ſanguinis artificialis, quod inde ordinarie inſignem & etiam ſatis *durabilem ſubleuationem* perſentiſcant; omnia etiam tunc alia remedia (inter quæ *potus* & *motus* regimen primatum ducunt) longe certius ipſa quoque proſint, plus & certius quam ſine illa: quin potius etiam meliora alioquin remedia, & ante omnia *tonico-ſubadſtringentia*, in huiusmodi conſtitutione, omiſſa *ventilatione* debita, omnia incommoda exaſperent. V. S. tempeſtiua & decentibus locis hypochondriacos ſubleuat.

Vomitoria hæc pathemata magis exacerbant.

§. VIII. Imo adiicio his rebus merito (VII) illam circumſtantiam e circumſpecta praxi clinica, quod quando huiusmodi ſubiectis, inprimis notabiliter *plethoricis*, aduerſus *anguſtias* illas & *contentiones* inſignes per præcordia, iuxta hodiernos mores promte medicamenta *vomitoria* obiiciuntur, quod inde familiariter pathemata illa in his locis non ſolum in præſens adhuc magis *exacerbentur*, ſed etiam perſæpe longe diutius *continuentur*, imo vel in verum *habitum* obfirmentur *contendendi*, *premendi*, *inflandi*. Quamlibet enim, puto quantum alius quisquam, ſatis perſpectum habeam, quod huiusmodi exacerbatio etiam præcipue illos grauiſſime adficiat, qui *flatibus* peculiariter vexantur; imo etiam poſtea, ſub tali exacerbatione, multum grauiter *flatulenti* præ ſeſe ferant: non eſt tamen propterea vllo modo verum, quaſi vniuerſa hæc ſcena vere primario, ne dum ſimpliciter & *vnice*, a *flatulentia* ita dependeat; quin potius e talibus exemplis, re vera non ita raro euentu, ipſe *cruentus* vomitus prorumpat.

Malum hypochondriacum concurrit cum apparatu tam ad vomitum cruentum, quam hæmorrhoides.

§. IX. Ex his itaque circumſtantiis non potui vnquam quidquam certius atque luculentius colligere, quam quod *malum hypochondriacum* vere ſit *ſyndrome* eiusmodi circumſtantiarum, quæ *apparatum*, partim ad *vomitum cruentum*, partim ad *hæmorrhoidas internas* reſpectantem, ſtipant. Ita quidem, vt illi eius actus & effectus, qui propius & conſtantius circa *præcordia* & ipſum *lienem* occupantur, magis ad illam eruptionem per *vomitum cruentum* reſpiciant: vnde etiam præcipue familiares ſunt *fœminino* ſexui, cum maximo impetu. Qui vero magis ad *inferiora* tendunt, aut *dexteram* magis partem hypochondriorum frequentant, magis *hæmorrhoidalis* ſint ſcopi: vnde *colicæ* tales *hæmorrhoidales*; imo ex *hæmorrhoidibus* temere oppreſſis plane *hydropici*, cum *hepatis obſtipatione*, euentus. Sane vero, quid monſtri alant in *virili* ſexu vulgo ita dictæ *colicæ nephriticæ* & *vomitus nephriticorum* quorundam; & quid e talibus hinc inde ſequatur, de his maxime tribus rebus I. *vomitus cruentus*; II. *tenesmi excretiones mucido cruentæ*, aut, meliore fato, ſincerius *ſanguineæ hæmorrhoidales*: III. vel denique vulgo dictæ *cachectico-ſcorbuticæ*, ſed ingenue magis *hydropicæ* cataſtrophes, vti *praxis* prouida facile docere poterit, ita æſtimare cordi habebit *theoria* prudens æque atque ſolers.

Pathemata huius mali conueniunt etiam cum molimi-

§. X. Conſentit etiam cum reliquis hucusque allegatis circumſtantiis, quod *mali hypochondriaci* præcipua pathemata etiam in eo ſequantur indolem atque rationem *ſanguinearum commotionum* & *directio-*

ctionum ad eruptiones, quod AETATVM circa huiusmodi *molimina* peculiares gradus atque relationes ita ſequantur, vt *iunioribus* adhuc (ante omnia *fœminis*, ſed tamen etiam *maribus*) magis ita circa *ſuperiora*, per *præcordia* & *lienem* verſentur atque machinentur, (niſi per *externas* aduentitias cauſſas aliter formentur aut flectantur;) nempe magis *hæmat-emetode* quodam ſcopo, licet illum ad ipſum vsque *effectum* valde raro proſequantur: in *prouectioribus* autem, maxime *viris*, magis iam ad *inferiora* vergant, *colicis* & *teneſmoideis* moliminibus.

nibus hæmorrhagicis in eo, quod diuerſis ætatibus peculiaria molimina machinentur.

§. XI. Non poſſum autem hic præterire phænomenon iam multoties mihi oblatum in *iuuenibus*, inprimis *robuſtioribus*, & eo vsque præter hypochondriaca aliqua incommoda notabilia ſatis floridis; vt nempe ſenſum exquiſite moleſtum, *tendentem*, *prementem*, *durum*, interdum *lancinationes* quaſdam formantem, experti ſub regione *notharam coſtarum* in *ſiniſtro hypochondrio*, mox ſubſequentem experirentur *hæmoptyſin*: imo etiam paroxyſmos *hæmoptyicos* aliquo tempore reuertentes vera huiusmodi pathemata in *ſiniſtro hypochondrio* illo ipſo, aut proximo præcedente die antecederent. Qualia cum nemo ex immediate connexa aliqua parte deducere in animum induxerit: iterum dico, reuera *infra coſtarum regionem* hærente ſenſu. Poterunt tamen præcipue illuſtrare hoc meum aſſertum, quod etiam, quæ propius circa hæc loca ſentiuntur & perſiſtunt, ad *hæmorrhagicas* eruptiones inclinare videri poſſint; poſtquam etiam cum talibus concurſare, & quaſi conſpirare ſentiuntur, quæ ratione connexionis omnino plurimum hinc diſtent, nempe *hæmoptyicis* ipſis.

Iuuenes hypochondriaci poſt ſenſum prementem & lancinantem ſub coſtis ſpuriis mox hæmoptyſin experti.

§. XII. Euidentius autem illuſtrat, niſi quidem declarat hanc rem συζυγία illa fœmineorum *menſtrualium*, *hypochondriacorum* atque *pectoralium* affectuum: quod nempe *plethoricis* fœmellis a *menſium* ſuppreſſionibus tam, quod etiam præcedente membro adſerui, in *pectore* promte ſuccedant graues *congeſtiones*, *contentiones*, ac *eruptiones* aliquando; quam re vera etiam pariter, imo adhuc magis pares in *hypochondriis* & *præcordiis* vehementes *commotiones* atque *contentiones*, & hæ quidem *promtiſſime* atque *frequentiſſime*; quin etiam actuales *eruptiones* per *vomitum cruentum*, quamuis hoc *rarius* multo.

Hoc phœnomenon declarat συζυγία affectuum menſtrualium hypochondriacorum atque pectoralium.

§. XIII. Supereſt, vt *conſpirantem* indolem *hypochondriacarum* acerbiorum commotionum cum eruptionum *hæmorrhagicarum* genio etiam demonſtrem ex eo, quod hæc *hypochondriaca congeſtoria* atque

Vlterior demonſtratio nexus & conſpirationis

inter pathemata hypochondriaca & eruptiones hæmorrhagicas.

atque *contentioſa* pathemata pariter incitentur & *exacerbentur* a paribus, imo prorſus iisdem cauſſis, quæ etiam *ſanguineas* illas eliſiones potenter incitare, & exacuere valent atque ſolent. Et quidem quæ multo certius *motibus* potius, earumque *ideis* atque regiminibus, tanquam magis immediate, quam vllo modo vllis *materiis* alterandis apta ſunt. Deſigno *animi pathemata*: quorum cum notoria ſit ingens efficacia in *menſium* motibus & ſucceſſibus varie alterandis; non minorem eſſe in *hypochondriacis* etiam pathematibus, etiam propemodum in ipſum vsque vulgus notiſſimum eſt. Tanto maiore autem conſideratione vtique dignum, quod hæc ipſa etiam incommoda, quæ *menſtruæ* euacuationi per *animi pathemata* conciliantur, vel ſtatim vna complectantur & inuoluant *hypochondriaca* etiam pathemata; vel prono lapſu in talia transmigrent, & illa vtique ita quoquo modo in conſortium adſciſcant.

Differentiam inter malum hypochondriacum & hyſtericum interponere abſurdum eſt.

§. XIV. Vbi abſurdum omnino fuerit ex antiqua formula, tanquam ſolidam diſtinctionem atque differentiam interponere velle affectuum *hypochondriacorum* & *hyſtericorum*, & hæc, de quibus nobis ſermo eſt, cum *menſium* perturbationibus ita promte *colludentia* vitia non tam vere *hypochondriaca*, quam vere *hyſterica* iudicanda eſſe contendere. Certe enim ſi pari animi attentione perſequi imo exſequi cordi habuiſſent *Highmorus* atque *Williſius* verum reſpectum & nexum, a priori *euacuationum* ſanguinearum cum *apparatibus* ad easdem congeſtoriis, & a poſteriori verum etiam conſuetum talium *reciprocum* euentum, non tam e praxi clinica medica, quam omnibus hominibus notiſſima quotidiana *frequentia*: rectiſſime ita vtique abſoluiſſent laudabilia illa ſua cœpta; ille deductionem, quod malum *hyſtericum* fœminarum & *hypochondriacum* virorum ſpecie nequaquam differant; hic, quod pathemata illa vere ſint *ſpaſtica*, ſiue vt ipſe loqui amat, *conuulſiua*, omnino vtique verius circa motus, quam æque circa peculiares materias earumque læſiones occupata.

Motus ad exonerationes ſanguinis contendentes magis hic reſpiciendi quam materiales qualitates menſtrui ſanguinis.

§. XV. Inſpexiſſent forte hinc dilucidius in mutuam illam relationem *motuum* ad *eruptiones* & *translationes* ſanguinis contendentium, cum his effectibus æque ac euentibus: inprimis, ſi ex antiquis potius placuiſſet ſalutaris illa obſeruatio & commendatio, quod *natura ad exonerationes vergat*, *tendat*, imo *elaboret*, quam vere contagioſus ille pandemius, nec iniuria dixerim peſtilens veris ætiologiis pathologicis error eiusdem æui, quod *maligni*, *venenoſi* halitus & vapores ſanguinis

nis menſtrui, (vt in ſe peſſimæ qualitatis habiti) dum ille ita retinetur, alio ſe diffundentes omnes has tragœdias, & inprimis illas adeo odioſi nominis iuxta Williſium *conuulſiuas* violentias proritent.

§. XVI. Non conſiderando, quod facile centum puellis menſes tergiuerſentur ſine effatu dignis huiusmodi ſymptomatibus, quæ vna forte e tanto numero experitur: & ſola vehemens *animi* commotio per *iram terrorem*, *anxium deſiderium*, non modo plus ſed etiam certius & frequentius hic noceat atque turbet, quam vel illa μύρια ἄλλα Hippocratis, vel ſexcenti *ſapores*, *vapores*, *humores* & *vligines*. Nam quod de *dulcibus* æque atque *odoratis*, tam *iucundis* quam *fœdis*, (vt candelis exſtinctis) dicitur, nemo circumſpectus agnoſcet, verum potius *materiarum* hoc eſſe vitium & directam efficaciam, quam peculiaris *ſenſoriæ æſtimationis*; aut *mediatæ* ſtimulatorio-motoriæ conſecutionis, etiam ſimplicioris, & manifeſtæ potius, quam occultæ *venenoſæ* qualitatis. Dum longe maior numerus occurrit, etiam grauiter *hyſtericarum* dictarum, quales talia nihil quicquam lædunt; niſi *dulcia* flatulento-fermentatiuo ſtimulo mediate ad *ſpecialiores* iſtas commotiones impellant: nulla vero certe vna eſt hyſterica, quin præcipites, inprimis autem inteſtinæ *iracundiæ*, ingentes *terrores*, eximia *deſideria*, tam in *menſibus* quam in *hyſtericis* dictis affectibus non ſolum *ingentes*, ſed etiam *præſentes* perturbationes incutiant.

Sola animi commotio plus hic nocet & turbat, quam ſexcenti ſapores Hippocratis.

§. XVII. Eſt itaque mali etiam *hypochondriaci* & *hypochondriaco-hyſterici* prima atque primaria directa cauſſa *interna abundantia* ſanguinis, & huius *commotio* ad exonerationem reſpiciens; & quidem circa *venam portæ*, eiusque iam ad *ſuperiora*, iam ad *inferiora* vergentem partem, emiſſioni tali, teſte experientia, aptam: nempe vel *vomitus cruenti*, vel *hæmorrhoidum* ſucceſſu. *Aduentitia* cauſſa, quæ tanto magis promouere poſſit & velut inſtigare hanc ante dictam, præſertim iam gliſcentem, eſt etiam aliunde accedens occaſio *atoniæ* inteſtinorum *flatulentæ*.

Cauſſa interna mali hypochondriaci.

Aduentitia.

§. XVIII. Nam licet etiam primarium ſymptoma *hypochondriacorum* motuum ſit *flatulentia*, vti mox dicemus: poteſt tamen minime negari, quod etiam aliæ quædam cauſſæ, ſub conſtitutionibus reliqui corporis inſigniter ſenſibilioribus, hunc affectum, dico *flatulentiam*, etiam magis directe producere poſſint. Quæ vero res vt in genere *ſucceſſum* liberum ordinatum *ſanguinis*, innumerabilibus illis diſſeminationibus per inteſtina in tunica neruea, etiam ex parte omnino

Flatulentia primarium ſymptoma mali hypochondriaci.

viſibi-

viſibilibus, non poteſt non turbare: ita nullum vtique eſt dubium, quin etiam ita veram, quam vocant, *impulſiuam* cauſſam præbere poſſit, quamobrem reliqua illa generalior conſtitutio, ad hypochondriacos *ſpaſticos motus* inclinans, tanto certius æque atque citius in effectum deducatur.

Cauſſa coniuncta eſt diſtenſio viarum.

§. XIX. *Coniuncta* vero cauſſa, ad *fouendum* magis, imo & *exacerbandum* hoc malum, eſt ſine omni dubio etiam ſucceſſiua *diſtenſio* harum viarum, *vaſorum* dico *meſaraicorum* atque *ſplenicorum*, venæ portæ propaginum. Dum etiam ita *ſtricturis* eiusmodi inæqualibus alii quidem de communibus his meatibus intercipiuntur aut *arctantur*, ad alios autem eo ipſo tanto plus incumbit, (manente etiam ſimpliciter pari *impulſu* generali appulſus;) naſcitur hinc ſimpliciore ordine fiendi huiusmodi maior *diſtenſio* vaſorum, quæ in poſterum, *fouendo* ad minimum, & ad promtiores *exacerbationes* diſponendo, huic malo inſeruit: dum veris tandem *ſtaſibus* anſam vtique præbere poſſet inæqualis talis diſtributio & incubitus ad *pauciores* meatus nimius.

Ad præoccupandas ſtaſes ex diſtenſione vaſorum oriundas, motibus tonicis natura ſuccurrit.

§. XX. Cui præoccupando atque diſſipando *motibus* maxime tonicis, progreſſum debitum tanquam vi aliqua præſtantibus, ſuccurrit principium œconomiæ corporis actiuum; *irritatione* certe, ſed *vera*, *propter fines*, adeoque *impulſu finali*, ſeu, ſcholarum idiomate, *morali*; nullo vero vsquam ſimpliciter *corporeo phyſico* aut *mechanico* actu aut ſucceſſu: cum vtique hæ partes ad *ſubeundam* diſtenſionem talem ſint ſatis aptæ, imo non minus etiam ad *tolerandam*, vti ſatis comparet ex ipſis actualibus *ſtaſibus*, iam *inflammatoriis* æque ac ſimpliciter adhuc magis *oppletoriis* atque diſtenſoriis, ſub *inflatione* diuturna, imo conſtante prorſus *induratione* coniuncta, tam *ſplenica*, quam *meſaraico-hepatica*, *hectico-aſcitica*. In qualibus cum huiusmodi *phyſico-mechanicæ* regurgitationes atque reſtitationes graues ſint certiſſimæ, adeoque proportionatum etiam, nempe vtique eximium habere deberent huiusmodi effectum *ſpaſticorum* illorum motuum; certe maiorem, quam in vlla v. gr. *fœmina*, e ſimplici vehemente *iracundia* aut *terrore* vſitati ſui hypochondriaci affectus exacerbationem incurrente: fit tamen ordinarie nihil omnino horum; longe veriſimilius propterea, quia talis *motus* ita *ſimpliciter* in huiusmodi conſtitutionibus vllum *vſum* habiturus eſſet, quam quod cauſſa talis *phyſico-mechanica* ſuppoſita deeſſet.

§. XXI.

§. XXI. Vnde *ordinarie*, inquam, ab huiusmodi affectibus *ſpaſticæ* illæ contentiones hypochondriacæ *proportionatæ* omnino abſunt: *per accidens* autem vtique etiam in his ipſis conſtitutionibus tales quoque, quantumlibet irriti, motus non deſunt, quoties per *animi pathemata* occaſio incondita ſubminiſtratur; vel etiam per alias *extraordinarias* occaſiones tale quiddam concitatur, affectui reliquo vti *inutile*, ita etiam citra extraordinariam incitationem vere *inuſitatum*. Dum ex aduerſo, quo propius hæ tales hypochondriacæ *ſpaſticæ* commotiones reſpondent locis illis, per quæ huiusmodi euacuationes *actuales exitum* penitus ſortiri & adſequi poſſunt, eo manifeſtius etiam, nempe omnino grauius, cooriuntur veris paroxyſmis huiusmodi hypochondriaci *inſultus*: non magis per ſimplices *internas* occaſiones; vbi nempe ambiguitas talis manere poſſet, an vere a *motu congeſtorio* & impetu *eliſorio* hæc phænomena ita formari poſſint, ſed manifeſto etiam a nudis *patheticis* incitamentis. Legitima ita conſequentia, quod vniuerſi hi effectus verius pendeant ab *actiua* eiusmodi *appulſione* & *appreſſione* ad huiusmodi loca, vere ad *exitum* talem reſpectante, qualis per illa ſuccedere poteſt, *habilitate* illorum ſingulari atque propria: Quamlibet hæc *intentio* non perpetuo ad ipſum effectum *pertendat*, ſed ita ſatis mature iterum in tranquilliorem ſtatum paſſim reuertatur.

Cauſſa phyſico-mechanica effectum illum non producit, ſed actiua appulſio & appreſſio ad locum exitus.

§. XXII. Cæterum eſt omni modo pro hoc etiam ſcopo quam maxime commendanda decens circumſpecta conſideratio & æſtimatio *ſtructuræ* & *communicationis* tam *venæ portæ* in genere, quam rami eius *ſplenici* atque *hæmorrhoidalis* in ſpecie. *In genere* aduertendus eſt animus ad illas *numeroſiſſimas* æque atque latiſſime patentes, longe lateque, inquam, *diffuſas* huius venæ *ramificationes*, quas per longiſſimum illum in homine tractum *inteſtinorum* diffundit atque diſtribuit. Deinde *lienem* (in homine quidem magis in modum *ſpongioſi* cuiusdam aut *filtri* fibroſas implicationes æmulantis fungi, ſanguinem largiter & imbibentis & ſuſtentantis) ita annexum habeat, vt ex illo etiam in ſatis tenuia *rami ſplenici oſtia*, vaſis breuibus ad ventriculum porrectis gemina, largiore quantitate ſanguinem receptare debeat, quam vt profunde atque penitus per lienis texturam vndique diſtributis ramulis, quod magis in brutis viſitur, ſanguinem ex illo ſuſcipiat. Vnde fere minus mirum eſt, quando hæc transmiſſio, velut e *copioſa* coaceruatione, e tali ſtrue lienis magis immediate in *pauciores* æque ac *anguſtiores* ramos venæ ſplenicæ promtius aliquanto obruitur quaſi impetuo-

Structura & communicatio venæ portæ eiusque ramificationes per tractum inteſtinorum.

Ramus ſplenicus.

Huius rami inſertio in alueum portæ. Alius ramus qui ad pancreas & duodenum fertur.

ſiore conniſu ab ipſius lienis *tonica* contentione; aut auctiore impedimento peruertitur, etiam per ipſius *rami ſplenici*, circa ſui inſertionem in ipſum alueum *portæ*, peculiarem *arctationem* atque *ſtricturam*, de qua mox pluribus. Neque parcior adeo diſtributio *venæ portæ* rami ſatis ampli inter *pancreas* & inteſtinum *duodenum*.

Noua huius venæ extenuatio per totum hepatis latifundium, vbi arteriæ officio fungitur.

§. XXIII. Tandem autem perpendenda vtique venit noua ex ipſo capaci *alueo* venæ huius extenuatio in numeroſos maiores & minores, innumerabiles autem, & *cito* quidem in maiorem imo maximam *anguſtiam* transeuntes *minimas diuaricationes* & attenuationes, per totum *hepatis* latifundium. Vbi, contra indolem vniuerſam totius generis *venoſi*, ex *amplis* ramis motus iterum ita in *anguſtos*, *anguſtiores*, imo *anguſtiſſimos* tranſit. Quæ certe talis conſtitutio ſtructuræ, e tanto numero & ambitu magnam quantitatem ſanguinis ſuſcipiendi, inſigni capacitate (quæ omnino in hac vena ad *arterias*, *cœliacam* & *meſentericas* comparata, præſertim circa maiores ſui ramos, & ipſum truncum, plane notabilis eſt) fouendi, & denique demum denuo ex illa capacitate in multas & repente increbeſcentes *anguſtias*, etiam vere *anguſtiſſimas*, dimittendi, mirandum merito eſſet, cur non nimio promtiores, plures & conſtantiores, imo vel perpetuas tales offenſiones exhibeat, impedimenta obiiciat, & multiplicia incommoda atque damna introducat: niſi quidem prudens & vere mechanica conſideratio peculiaris patulæ detentionis ramorum *venæ portæ hepaticorum*, & perpetui, minime certe exigui, *impulſus* a *motu diaphragmatis & abdominis*, has difficultates ex bona parte expediret.

Communio venæ hæmorrhoidalis cum ſplenica. Item peculiaris arctatio per plexus fibroſos circa inſertionem rami ſplenici in truncum venæ portæ.

§. XXIV. Specialior autem conſideratio, iuſtiſſima etiam ipſa, imo vere neceſſaria, reſpicere debet partim *communionem venæ hæmorrhoidalis* cum ipſa *ſplenica*; partim ſpecialiſſimam illam in corpore humano præ plerisque brutis, & reliquam, & inprimis circa ipſum truncum ſeu *alueum venæ portæ*, & *rami* etiam *ſplenico-hæmorrhoidalis*, largiſſimam *ſtipationem* per plexus quosdam *fibroſos* copioſiſſimæ texturæ & implicationis. Quorum intuitu, & quidem poſterioris, locum maxime inuenit efficacia illa *ſtringendo coarctandi* ipſum huius *rami* nexum cum *trunco* venæ portæ: & conſequenter, intercepto ita libero & ſufficienti progreſſu *refluo*, *ſtagnationem* ſanguinis circa partes in hanc venam alias ſe exonerantes ſuſcitandi & fouendi.

E prio-

E priore vero illo diluceſcit habitus ille ex harum ipſarum venarum *communione* conſpirandi atque communicandi inter *motus* illos *hypochondriacos*, iam ad & circa *lienem*, iam deorſum ad *hæmorrhoidales* meatus progredientium: imo vero, reciproce, inter has vtrasque regiones *vagantium*.

§. XXV. Cum enim per dictas illas *fibroſas* circumſiſtentes multiplices copias verum *inſtrumentum* præſto ſit, cuius medio partim tota *vena portæ* in ipſo ſui trunco atque alueo, partim in ſpecie *ramus ſplenicus* circa ipſum hoc *oſtium* ſuum, vbi in *venam portæ* exoneratur, partim ramus *hæmorrhoidalis* ſpecialiſſime, qui hoc eodem in loco cum *ſplenico* ramo communicat, *ſtrictura* harum *fibrarum* ita coarctari poſſint, vt ſanguis, qui per hos canales mouetur, conſtricto ita illorum velut *oſtio*, inter *aditum* ſui, nempe extremas teneriores ramificationes, & hunc vltimum quaſi progreſſus ſui receptum detentus, tam *meatus* ipſos, quam *orificia* vltima ſucceſſiua illa ſui reſtagnatione atque collectione ita *diſtendat*, vt tandem dehiſcentia præter modum actualem talem effuſionem contentæ ſuæ ſubſtantiæ fluidæ admittant.

Stagnatio ſanguinis per ſtricturam harum fibrarum.

§. XXVI. Quæ res facile excuſat difficultatem illam reliquam, quod per vaſa *venoſa* non tam fluxus *a maioribus verſus minora* & ipſa *minima* orificia fieri ſoleat; cum hac ratione intercepto per ipſos *maiores* meatus progreſſu fiat tam coaceruatio, quam *diſtenſio* ſenſim verſus, imo ad ipſa *orificia* vsque; vt non *refluendo* ab illis ad hæc, ſed *affluendo*, & re vera *apponendo*, vero conſueto motu a minoribus verſus maiora, ita ſenſim impleantur, imo ad ipſam vsque orificiorum *anaſtomoſin* tandem ita extendantur. Vbi inſuper in his ad *venam portæ* pertinentibus ramificationibus peculiariter notanda abſentia omnium *valuularum* etiam ex hoc capite liberam prorſus reddit antrorſum & retrorſum fluendi promtitudinem.

Abſentia valuularum in ramificationibus venæ portæ.

§. XXVII. Cæterum fouet etiam talem *reſtagnationem*, a reſtricto libero progreſſu oriundam, *conſiſtentia* ipſa lienis mollior, & quaſi flaccida, & inde quaſi perpetuo rugoſam faciem exhibens, qualem nempe probabile ſit inſtitutam ita proprie eſſe, pro felicius & ſine præſentioribus periculis abſoluendis huiusmodi contentionibus ad actualem vsque eruptionem: quamuis vltimo inſigniter *diſtentus* lien, etiam *tonico* aliquo actu contra *niti*, imo *reprimere* valeat; vti *fibræ* eius, diu in aqua macerati, oſtendunt.

Lienis conſiſtentia etiam fouet hanc reſtagnationem.

Structura ventriculi tenuior in eo loco, vbi vaſa pauca ex liene ad ipſum porriguntur.

§. XXXVIII. Tandem licet non incommode allegetur etiam illa pars ſtructuræ in ipſo *ſtomacho*, quod in eo loco, vbi vaſa pauca ex ipſius *lienis* confinio ad ipſum porriguntur, *tenuior* ſit eius ſtructura, quam alibi vsquam per totum eius ambitum; vnde ita *penetratio* illa ex his vaſis in ipſam cauitatem eius promtius ſuccedere poſſit: eſt tamen interim etiam ex hac re prudenter colligenda ingens illa differentia inter *aptitudinem* organorum, & actualem *vſum*, ſeu *actuationem* eorundem. Non male enim, ſed plane ſecundum veram harum rerum œconomiam agnoſcitur hic, quod ipſa *ſtructura* ventriculi ita facta ſit & efformata, vt hæc *perruptio* non ſolum euenire *poſſit*, ſed etiam quaſi ſine difficultate, prono penitus & expedito ſucceſſu.

Licet perruptio in cauitatem ventriculi facilis ſit, peculiaris tamen actuatio requiritur.

§. XXIX. Interim cum *effectus* ipſe huiusmodi quantumcunque ita *facilis* rei nihilo minus adeo *eximie rarus* obſeruetur: reſpiciendum propterea certe etiam hic eſt ad illam penitus peculiarem *actuationem*, qua huiusmodi *potentia*, vt loquuntur, in *actum* demum deducitur, & ſimplicior illa *mechanica habilitas*, *organizante actiuitate* ſeu *energia*, ita aſſumitur, *actuatur*, *regitur*, *dirigitur*, vti, & quo demum *tempore* vel *vtilitas*, vel *neceſſitas*, vel ipſa ſola tandem *adſuetudinis proteruia* hoc poſtulare aut ſuadere videntur.

Vnde vomitus cruentus tam raro ſuſcipitur, apparatus vero ad illum frequentius agitatur.

§. XXX. Vnde, vt iterum moneo notandum eſſe, ita quidem *raro* ipſe vomitus cruentus tanquam *primo* ſuſcipitur. Interim *ſemel*, aut ad ſummum *iterum*, ſuſceptus facile poſthac, & omnino promte *repetitur*: & *ſtatis* quidem etiam, imo *exquiſite* talibus temporum *menſuris*. *Apparatus* vero *eminus* ad illum velut inclinans longe vtique *promtius* & *frequentius* agitatur; ita tamen hic etiam ſe *recolligente*, imo verius *corrigente* ipſa natura, vt ſuſcepta qualitercunque *molimina* talia ſenſim iterum dimittat, & propulſare contenta ad ipſam *expulſionem* non pertinaciſſime pertendat.

Vſus practicus ex hac intentionis & contentionis æſtimatione.

§. XXXI. Quæ nempe eſt ipſa vera ſcena *hypochondriacorum* illorum, de quibus præcipuus ſermo nobis hic fuit, affectuum. Circa quos hanc *actiuæ* velut *intentionis* ipſius conſiderationem, & *contentionis* veræ æſtimationem decentem inſtituiſſe, illum præbet verum VSVM MEDICVM PRACTICVM, vt animus ipſe ita dirigi poſſit ad agnoſcendum, æſtimandum, imo pro circumſtantiarum ratione *commodiore loco, modo & menſura imitandum exonerationes* tales, in quarum *finem* ipſæ hæ contentiones proprie ſuſcipiuntur; & *ſine illis* non ſolum minime feliciter perdomantur, ſed re vera ne quidem

vtili-

vtiliter, ne dum *conſtanter*, *mitigantur*; *periculoſe* vero fortius compeſcuntur atque *reprimuntur*. Vtpote qualibus vniuerſis rebus nihil certius obtinetur, quam *exacerbationes*, *pertinaciores adſuefactiones*, *heteroclitæ* in noua & inuſitata ſymptomata *euagationes*, & tandem *metaſchematiſmi* in alia vulgo credita *genera* morborum, in ipſa tamen rei veritate σύζυγα potius pathemata, ſiue *ordinatiore* progreſſu magis ad *interiora* tendentia, ſiue minus moderata concitatione ſimpliciter ad *exteriora*, *arthritico-rheumaticis*, iam *fixis* iam *vagis* commotionibus: vel immodeſto *impetu* repentino ſiue vlterius *incitandi* & *exagitandi*, ſiue ſimul & ſemel in media commotione *reprimendi*, ad manifeſtiores per alia loca *intemperantiores eruptiones* aut periculoſas *oppreſſiones*, *hæmoptyſi*, *aſthmatibus conuulſiuis*, & vulgo dictis *catarrhis ſuffocatiuis*; imo in annoſioribus, aut mediocribus etiam, valde *iracundis*, *paralytico-hemiplectico-apoplecticis* conſecutionibus.

§. XXXII. Vnde quidem ex his ipſis conſiderationibus, ſecundum rerum veritatem inſtitutis, paſſim diluceſcere poteſt, qualem *ſpecialem* longe magis indolem præ ſeſe ferant etiam illæ *mali hypochondriaci* externæ & vere *laruatæ configurationes*, quales *ſenibus* paſſim euenientes triuiali acceptione perperam pro *ſimplici* malo hypochondriaco declarantur: cum longe certius iam *hæmorrhoidalia*, iam *nephritica*, imo non raro obſcuriora quidem, ſed propterea nequaquam *leuia & fugitiua podagricorum* moliminum phaſmata *retrograda*, aut ita circa interiora reſtitantia, exſiſtant. Mali hypochondriaci externæ & laruatæ configurationes in ſenibus.

§. XXXIII. Qualibus interim rebus per *Martialia* (quantumcunque tamen potius ad ſtringendum in veritate facti, quam ad aperiendum per inanes nomenclaturas apta) temere obuiam ire, quid in circumſpecta praxi emolumenti aut detrimenti adferat, recordabuntur tales practici, quibus & occaſio liberalis, & capax ſolertia præſto eſt, qua has res vere perſequi, imo exſequi poſſint. Martialia quid in his rebus emolumenti adferant.

Placet huius etiam rei ſpecimen aliquod hiſtoricum producere. Contigit, vt anno 1694. cum viro eo tempore 58. annos habente colloquendi occurreret occaſio. Incipiebat ille de conſtitutione ſanitatis ſuæ (de aliis autem rebus erat prior noſter ſermo) tanquam per occaſionem quædam loqui; vbi cum talia vtique phænomena commemoraret, e qualibus non mirum erat, Medicos, vt ipſe narrationem ſuam concludebat, affectum ipſius pro malo hypochondriaco declarare. Erat vir habitu corporis tali, qualem per iuuentutis florem ſanguineum, aut e ſanguineo-leuiter melancholicum fuiſſe, adhuc fidem faciebat habitus corporis laxus, & ſatis obeſus, & animi etiam indoles atque inde mores ad hilaritatem &

otii, cum poſſeſſio negaretur, tamen cupiditatem propenſi: ſicut nec ipſe quidem color floridior etiam huius adhuc ætatis alludebat. Interrogabam de V. Se., ſcarificatione, forſan alias conſuetis; aſſeuerabat vtrumque, niſi quod V. S. quidem diu ſe non vſum eſſe recordaretur, neque admodum magis ſcarificatione. Procedente ſermone adiiciebat, vexatum ſe fuiſſe anno proxime prægreſſo peculiari ſymptomate, vt ſternutatione corriperetur, ſed ita importuna, vt cum ipſo ſternutandi actu omnium ſenſuum immemor concideret, & vix intra aliquot horæ minuta ad ſe reuerteretur. Ceſſauiſſe autem hoc quidem ingens ſymptoma, remanſiſſe tamen vertiginem, quam ita ſatis ſæpe perſentiſcat, quamlibet diuerſo incommodi gradu. Ex his circumſtantiis indicabam ego, ſecundum mihi vſitatam theoriam, quod non ſolum non bene ſibi conſuluerit, conſuetas ventilationes ſanguinis negligendo; ſed quod etiam importuniora illa pathemata hypochondriaca, & inprimis ſub ſiniſtri lateris vltimis coſtis veris, ad hæmorrhoidales exitus ſpectent. E quibus tamen (cum inprimis illo tempore ſermo de familiaritate & facilitate hæmorrhoidalis fluxus velut inuſitatus eſſet) non verebar ipſi leuamen potius præſentium incommodorum ominari: imo niſi ille ſucceſſus obtingeret, nempe *hæmorrhoidalis fluxus perruptio*, in hac ſua ætate de alia ſolida ablatione præſentium hypochondriacorum incommodorum dubitationem meam non diſſimulabam. Cum abſoluiſſem meum hunc diſcurſum, quem etiam ipſe cum conſpicua attentione audiuerat, regerebat, recte me quidem & ordine de his ſuis rebus ſenſiſſe, poſſe ſe ipſum non magis agnoſcere, imo comprehendere, quam teſtimonium etiam mihi vti verum ita liberale perhibere. Adſuetum ſe per annos ſuos viriles fuiſſe euacuationi ſanguinis hæmorrhoidali, bene ſe eo tempore habuiſſe: redire autem ſibi iam quidem facile in memoriam, quod hypochondriacis huiusmodi, qualia nunc experiatur, pathematibus etiam ante tempora, imo vero circa tempus eruptionis harum, infeſtatus fuerit, quæ, ſecuto tandem hoc fluxu, ſenſim ceſſauerint. Efficiebat autem vtique hac ſua confeſſione, vt ego, licet cum quantacunque fieri poſſet modeſtia atque moderatione, præmonerem, vt rerum ſuarum atque medicationis ſubeundæ, quantam fieri poſſet, circumſpectam rationem haberet, & haberi inuigilaret; non enim leuia hæc eſſe, quæ ex his pullulare poſſent incommoda, & faceret harum rerum Medicos ſuos certiores. Quid illi de tali mea ſententia, inprimis ſub primam eius a patiente ipſis factam eius inſinuationem, ſenſerint, meminerint fortaſſe, qui adhuc ſuperſunt. Affectus vero ipſius ſucceſſus ille fuit, vt patiens quidem nunquam quidquam leuaretur ab hiſce ſuis incommodis; bene vero ex aduerſo, altero poſthac anno incideret in mictum cruentum admodum largum non ſolum, ſed etiam contumacem; de cuius cohibitione per adſtringentia, ſimplici atque directa, licet dehortatus eſſem conſultantem me propterea patientis generum, tamen alia methodus non placebat. Correptus hinc eſt patiens febre hectica acri, ſeu qualem veteres hecticam cum putrida indicare ſolent. Superauit tamen, robore vtique præcipue eximio indolis ſuæ, etiam hunc impetum; & licet aliquoties poſthac iterum emicaret mictus talis, obtemperantes tamen tandem monitis, qui ipſi aſſiſtebant, vt in locum adſtringentium temperantia potius ſubſtituerent, habuerunt inſultus hos

etiam

etiam tanto magis obſequentes. Manſerunt tamen patienti, tanquam domeſtica non ſolum, ſed increbuerunt etiam, & exacerbata frequentius ſunt illa incommoda: quoad ſuperueniente, ſecundo poſt has res anno, ingente animi perturbatione, poſt paucos dies decubitus, vix ſatis luculenta morbi indole, deceſſit.

Laruæ mali hypochondriaci in ſenibus hæmorrhoidales aut nephriticos inſultus occultant.

§. XXXIV. Et poſſum ſane hoc vere aſſeuerare, quod nemo adhuc *ſenum* occurrerit, de eiusmodi affectibus, quales alias *hypochondriacis* obtingunt, conquerens, quin multo manifeſtius vel ab ipſa adhuc *iuuenili* ætate, tanquam continua quadam ſerie, *ſucceſſum*, imo *recurſantium* per occaſiones inſultuum, hæc ita *continuauerit*; vel longe manifeſtioribus *hæmorrhoidalibus* aut *nephriticis* inſultibus iam vexatus fuerit, aut quam maxime adhuc, inter illa ipſa *hypochondriaca* comparentia pathemata, iiſdem vna affectus fuerit: ſiue ad *eruptionem* vere pertingant, ſiue *cæcis* inflationibus aut plane inflammationibus ſe exſerant, ſiue *teneſmode* excretione copioſioris aliquando, ſæpe tamen etiam parcioris *muci* ſeſe exſerat.

Repetitio dictorum.

§. XXXV. Vt breuibus repetam, quæ latius memorata ſunt, dico, quod *malum hypochondriacum*, quatenus ſimplicius huic ſuo nomini quadrat, & maxime ſub ipſis *coſtis ſiniſtri* communiter lateris eminentius moleſtias faceſſit, pendeat a *longinquo apparatu ad vomitum cruentum.* Quanto magis autem ſe diffundit etiam ad inferiora, tam *flatulentis*, *tenſiuis*, *ſpaſticis*, imo *torminoſis contentionibus* ſe exſerit, liberioribus præcordiis & ſiniſtro hypochondrio, eo magis ad *hæmorrhoidales* exonerationes inclinet.

Cur fœminis hoc malum, hypochondriaco-hyſtericum familiarius ſit.

§. XXXVI. Quo intuitu ſimul elucet, quamobrem *fœminis* non ſolum *in genere* malum hoc familiarius ſit, ſed & *in ſpecie violentius*, *ſpecialiſſime* vero pathematibus circa *præcordia*, & *ſiniſtrum hypochondrium* ferocius; & quomodo iiſdem ita etiam reuera *vomitus cruentus* ipſe præ viris ſit familiarior. Sicut enim, niſi plane ἀπὸ μηχανῆς confingendum, nullum vsquam ſuppetat documentum, vnde *muliebri* ſexui hæc talia, non ſolum ita *magis* euenire ſoleant in genere; ſed etiam tam *promte* & *grauiter* recrudeſcere, exacerbari, proritari inquam & incitari a nudis *animi commotionibus*; certum autem ſit, & ab omni fictione longiſſime remotum, quod pathemata talia, *hypochondriaco-hyſterica* dicta, ortum ſuum primum, vti ſimpliciſſime, ita familiariſſime, ſumant, ab exonerationis *menſtruæ* turbatis ſucceſſibus; verſentur etiam longe euidentiore & ſimpliciore tota occupatione atque deſtinatione, ſicut ipſo paſſim tali cruento *exitu*, circa *motus ſanguinis*

tam

tam *tranſlatorios*, *compreſſorios*, quam *excuſſorios*, factis etiam excuſſionibus, aut *artificioſis* ventilatoriis præoccupationibus, ad minimum in impetu ſuo vere & ſenſibiliter mitigentur: arbitror hinc vtique tanto probabiliorem longe confici poſſe nexum inter ipſos mutuos *cauſſales* reſpectus & *energiam* harum talium rerum, & *directos* magis, imo *deſtinatos*, huiusmodi ſucceſſus & exitus, quam vt inde ſimpliciter *paſſiuæ* & *ſortuitæ*, ſine omni reciproco *nexu fiendi* & exſiſtendi, *turbæ* concipiendæ videantur.

ARTICVLVS II.
DE
VOMITV NIGRORVM.

§. I.

Inter infrequentes morbos numerandus etiam eſt vomitus nigrorum.

QVamuis ſæpe vtique iam dixerim, dicendum tamen omnino eſt etiam ſæpius, imo aſſidue, quod ad euitandas inanes opiniones & aſſertiones de *cauſſis morborum veris*, vti *ſunt* potius, quam eſſe poſſe *videntur*, non ſolum prima, ſed certe primaria conſideratio haberi mereatur ingentis per plerasque ſpecies adfectuum INFREQVENTIAE circa totum genus humanum. Diximus de *vomitu cruento*, quod ſine *violentis* inprimis *externis* occaſionibus per draſtica medicamentoſa (ſanguinem, aut vomitum enormiter exagitantia) re vera ſit oppido *rarus*. Tanto magis verum hoc eſt de *vomitu nigrorum*, vtpote etiam *rariore*, quam ſincerior cruentus.

Cauendum ne decipiamur narratiunculis de vomitu reiectis.

§. II. Eſt autem hic vtique neceſſario monendum, vt caueatur ab iſtis offendiculis praxeos clinicæ, vbi familiariter *relationes* huiusmodi inconditæ occurrunt, quod æger iam *ſurſum*, iam *deorſum* emiſerit iam hoc iam illo *colore inſolito* conſpicua. Inter quæ etiam ſatis ſæpe narratur non ſolum color *niger*, ſed etiam *conſiſtentia* formidabilis, *picea* penitus, wie Theer, wie Pech; quod vti moderatiores etiam ſponte minuunt, generali inprimis illa locutione, es gehe wie verbrannt von ihm, & ad deſcriptionem adducti, de *ſiccitate* magis aut qualicunque *obſcuriore* colore excretorum explicant: ita meretur certe etiam illa ipſa res inſignem conſiderationem, ſeu potius, ſi fieri poſſit, ocularem diiudicationem, quando de *vomitu* reiectis iam longe rariſſi-

rariſſimas *æruginoſas*, iam *nigras* dyscraſias memorant; vbi frequentiſſime vix *gryſeum* quiddam, aut ex ipſis *cereuiſiis* ſpiſſioribus, aut *conditis* aſſumtis, (*nuce iuglande* condita, *ceraſis* conditis) aut *martialibus*, aut decocto *prunorum* pro mollienda aluo ingurgitato, discolores tales eiectiones ſubſequuntur.

§. III. Neque vero etiam verus *vomitus nigrorum* ita ad literam intelligendus venit; quin communiter ſit potius *fuſci* ſolum coloris, *diapruni* inſtar, aut ad ſummum *Rob iuniperi*, vel *ſambuci* (ſine *corticibus vridibus iuglandium*, quos pro ſaturatiore colore fœminæ adiicere ſueuerunt, parati.) Quoties autem mihi videre obtigit, non recordor autem plus quatuor caſuum, etiam inſuper ſpecialis cuiusdam, velut æqualis *grumoſitatis* ſpecies conſpicua fuit, meris, tanquam *oblongis*, & veluti *fibroſis*, vtut breuibus, talibus moleculis. Sicut etiam vna qualibet vice non multum certe eius, & quod ſub reliqua etiam vehiculi muceſcentis ſocietate *cochlear* vnum excederet, exhiberet. Vbi tamen excipiendus eſt caſus *vomitus cruenti*, qui ab immediate oppoſitis *ſtypticis*, aliquando vltimis ſuis conatibus, re vera *nigriora* talia extrudit. Verus vomitus nigrorum cuius coloris & qualitatis ſit.

§. IV. Euenit autem *vomitus* talis vel per *chronicas* ſolum contentiones *hypochondriaco-ſpleneticas* obſtinatiores, ſed (iterum dico, & addo, quantum mihi experiri, & communicando comperire obtigit) *rarius*; vel per *acutos* adfectus & *febres* vere *heteroclitas*, *vigiles*, *taciturnas*, præter patientium mores; imo *tædium* peculiare, & *penſitabundum* quaſi atque *mæſtum faſtidium* his præ ſe ferentibus; ſine eximiis vllis *commotionum* ipſarum febrilium turbis ferocioribus, ſed *languidioribus* potius & vere *debilibus* tam *pulſus* quam *toni* corporis viribus: nempe ita maxime ſe gerentibus, vti alias *malignitatis* indicium aliquod facere practicis cenſentur; & ſane omnino vere, cum affectus primarius vtique ſit malignus, nempe *inflammatio* vera lienis, licet nec ad *ſuppurationem* æque, nec ad *corruptionem* ſphaceloſam vsque durans: ſiquidem hinc vomitum *nigrorum* e ſphaceloſa corruptione vere *putidum* erumpere, vere *rariſſimum* crediderim. In quibus morbis eueniat.

§. V. *Nigricans* vomitus e *chronicis* pathematibus prægreſſis ſicuti non eſt, vt aliqui interpretantur, *ſimpliciter* ſalutaris: ita tamen etiam minime eſt *ſimpliciter* lethalis, ſed ita medio loco poſita, vt, ſi prægreſſa illa pathemata nihil vere *febrile* complectantur, imo vero ſatis *eximie* tale, periculum ipſa illa proportione ſit minus. Vbi etiam Vomitus niger in chronicis licet non ſalutaris, tamen non ſimpliciter lethalis eſt.

vel mediocri adhibita penſitatione facile diluceſcet, quod hæc talis conſtitutio euidentius *cruenti vomitus* molimen quoddam ſit, imo verius ſpecimen, quam vere ita iam deuii *ſemicorrupti* ſanguinis excuſſio.

In acutis calamitoſus eſt.

§. VI. Quando vero cum *acuto* adfectu talis excretio concurrit, ibi ſemper ſumma eſt *calamitas*: certa vero non ſolum, ſed etiam præſens, ſi ſuperueniat in ipſo *ſtatu*, aut circa *critica* tempora, quibus ſalutare potius ſubſidium per excuſſionis motum ſperari conueniebat. Quamuis rem totam etiam vere æſtimando neque hæc *excuſſio in ſe* & *ſimpliciter*, dico *directe*, *inſalubris*, nedum prorſus per ſe noxia cenſeri mereatur. Licet enim in ſubſtantia ita *corrupta* non tam ſolum, quæ excernitur, ſed etiam illa parte, quæ hanc eo vsque continendo communicationem labis ſine dubio ſimul ſubiit, etiam ipſa *excretio* minime ſatisfaciat: non eſt tamen *abſolute* a propoſito ita aliena, quin, ad minimum *in genere*, iuſta & æqua ſit; *intentione* inquam, ne dum conatu, imo actu, excutiendi: licet excuſſione iam corrupti, corruptelæ tota ſubſtantia, *fomes*, adeoque vniuerſus vlterior, imo vltimus, *effectus* non plane tollatur; adeoque conſequenter, etiam facta qualicunque tali *exoneratione*, nihilo ſecius continuans *damnum* œconomiæ vitalis continuationem neceſſario interrumpat.

Συζυγία ſeu nexus reciprocus cum pathematibus hypochondriacis.

§. VII. Cæterum, vt etiam ex hoc affectu agnoſcatur συζυγία illa, de qua prægreſſis duobus capitibus locutus ſum; venit vtique notandum, quod illa etiam pathemata, quæ *nigrorum* vomitus aliquando ſequitur, *chronica* inprimis, manifeſtiſſime ſint *hypochondriaca*, plus minus ferocia. Adeo, vt hinc etiam non minus *hypochondriacus* quam *cruenti* vomitus nexus cum hoc ſchemate reciprocus ſatis diluceſcere poſſit. Vnde quidem aliam ſpecialiorem huius ipſius affectus ætiologiam texere non libet: cum ſufficere poſſit iam ante data tam *vomitus cruenti*, quam *congeſtionum* & *contentionum hypochondriacarum* euolutio.

Alii aliam huius affectus ætiologiam dent, ſi poſſunt, inprimis cur ita ſit rariſſimus.

§. VIII. Re vera potius exigo ab illis, qui diuerſa principia ſtabilire contendunt, ratione ſubiecti ſimpliciter *materialia* & *corporea*; ratione *actionis* autem, aut facti, *effectus* aut euentus, quomodocunque appellari velint, mere *fortuita*, & quando tandem res ita *cadit*, ita etiam euenientia: vt vtique tandem illas, quas ſemper verbis crepant, ſenſibus etiam obuias demonſtrationes producant, ad elucidandum, quamobrem vtique hic affectus re vera ita ſit *rariſſimus*? Fero autem vtique conditionem, ne mihi *infrequentiam* hanc e ſua praxi, experimen-

rimentis & obſeruationibus, negent: niſi ſimul vades dederint, quod illæ obſeruationes non etiam artificiis ipſorum debeantur, per *draſtica*, imo euidentius *corroſiua* artificia *enormes vomitus* iam prouocandi, iam vndecunque coortas *obturbandi*, & in *deterius* coniiciendi. De qualibus quidem ita *externis* cauſſis ipſius etiam *ſanguinei vomitus* minime vtique placuit in inſtruenda *ætiologia* hac prolixiorem eſſe, cum ipſæ res pro ſe loquantur: ambages autem omnes ſuperfluas merito auerſer.

MEMBRVM IV.
DE HAEMORRHOIDIBVS.

§. I.

HAEmorrhoidalis exonerationis hiſtoria, prout illam per ſpecialiſſimas occaſiones obſeruare mihi contigit, imo ſtrictiore ſenſu vocabuli, *animaduertere*, fuit vtique primaria cauſſa, quamobrem de vulgaribus Medicorum tam *relationibus* atque commemorationibus, quam *ætiologiis* atque connexionibus adornandis, minus bene ſperare aut exiſtimare auſus fuerim, cum in hac vna re tam longe illos a veritatis ἀκριβείᾳ deflectere experirer. Certe enim experientia hoc me docuit, quod non ſolum *hæmorrhoidalis* hæc euacuatio ſit negotium, plus quam propemodum credi poſſit, *familiare* atque *obuium*; ſed etiam eiusmodi *nexus* atque *conſecutiones* foueat, quales ſcholæ medicæ, nedum reliquo hominum cœtui, vix etiam vsquam in mentem veniſſe, res ipſa loquitur.

Vulgares Medicorum relationes & ætiologiæ longe a veritate deflectunt.

§. II. Sicut autem hæc ipſa maxime cauſſa mihi fuit, quamobrem hunc talem affectum maiore cum ſtudio & indicare & explicare per annos iam ſatis multos cordi habuerim: ita confido etiam, me harum rerum tractatione ita functum eſſe, vt non ſolum ipſarum ſeries vera inde conſpici, ſed etiam deductionis meæ valor ex eo colligi potuerit. Quod ipſum cum tanquam ex profeſſo egerim in parte tractationis huius ſecunda; ſine vlteriore prolixitate præſente loco tranſitum hinc ſolum faciam tam ad *fluxus* ipſius ſpecialiores, & vere tanquam ſimplicius *morbidas* deprauationes; quam aliorum affectuum, fluxum

Hæc fuit cauſſa, hunc affectum maiore cum ſtudio explicandi.

 talem

talem *morbida* quadam ratione *ſtipantium*, deductionem, ratione mutui ſui nexus atque conſpirationis.

Hæmorrhagiæ, & inter illas narium, frequentiſſimæ ſunt ex omnibus aliis affectibus.

§. III. In reliquorum præter naturalem ordinem adfectuum republica, maioris aut minoris *frequentiæ*, omni vtique conſideratione digniſſimæ, intuitu, *primatum* veluti ducere *hæmorrhagias*, earumque *apparatus*, *circumſtantias* & *conſecutiones*, non poteſt fallere aut fugere, quicunque animum & poſſunt aduertere, & ſolerter etiam volunt, imo ſtudent atque cordi habent. *Frequentiſſimas*, inquam, ex omnibus aliis affectibus, eſſe œconomiæ corporis humani *hæmorrhagias narium*, neque ipſum populum fugit. Quamlibet autem vel ipſos etiam paſſim *Medicos* fugiat, nihilo tamen propterea minus verum hoc eſt, imo exquiſite certum, quod, ſiquidem vsquam *minus frequens* exſiſtit, non tamen adeo ingente numero aut menſura hoc faciat ipſa etiam euacuatio per HAEMORRHOIDAS.

Apparatus ad eruptiones ſanguineas ſunt congeſtiones & contentiones.

§. IV. Sicut autem ad quamlibet *ſanguineam* talem eruptionem admodum familiariter concurrunt *apparatus* aliqui; quos comprehendi poſſe exiſtimo ſub *congeſtione* e reliquo corpore ad locum exitus; *contentione* circa illum locum; & denique quibuscunque *difficultatibus* ad ipſam, imo ſub ipſa adhuc *eruptione* durantibus, quin *poſt eandem* adhuc reſiduis: ita ſunt hi iidem *reſpectus* vtique etiam conſiderandi in ipſa HAEMORRHOIDALI euacuatione. Quemadmodum autem porro ipſæ etiam vtique tales circumſtantiæ reliquæ diuerſis gradibus atque paſſibus ab ipſo excretionis *actu* diſtant; proximæ autem illi ſunt, quæ *contentiones* illas inuoluunt atque circumſcribunt: ita ſequemur etiam hic eundem ordinem, vt de *contentionibus* maxime illis per & circa ipſum exitum aliqua adhuc dicamus.

Quo ſenſu hæmorrhoides ſint beneficium naturæ.

§. V. *Fluxum* hæmorrhoidalem, in idoneis ſubiectis peculiariter ad illum prædiſpoſitis, ſi *facile*, *moderate*, *ordinate* ſuccedat, *beneficium naturæ* appellant practici; nempe in comparatione *damnorum*, quæ metuenda eſſe per *experientiam* didicerunt, ſi *excretiones* tales non procedant, ET TAMEN INTERIM MANEAT DISPOSITIO TALIS: intellige, & *ſtatus plethoricus*, & *commotionum* eius occaſiones frequentiores; in conueniente his rebus *ætate*, aut a præcedentibus ætatibus *continuata* exonerationum talium generaliore *conſuetudine*. Plurimum autem etiam in hoc ipſo genere exeretionis valet *hæreditaria diſpoſitio;* adeo, vt inſignis numerus exemplorum mihi occurrerit, *transmiſſæ* a parentibus in liberos huiusmodi excretionis:

non

non ſolum *certa* quaſi, ſed paſſim etiam *aucta*, *præmatura*, *abundante* commotione & exoneratione.

§. VI. Euenit *fluxus hæmorrhoidalis* æquidem vtrique *ſexui*, non tamen ita *promiſcue*, quin ſatis euidens ſit *prærogatiua* maſculini præ fœminino. (Quamuis non ad mentem *Hippocratis*, muliebri ſexui hunc propemodum denegantis: cum in noſtro certe climate contrarium ſit notiſſimum, & fœminæ hic non ſolum ſub geſtatione ad *veſiculas hæmorrhoidarias* (Zacken und Maſtkörner appellant) in orificio inteſtini recti pronæ ſint; ſed omnino etiam ad actuales *excretiones*, tanto magis autem, quando iam *menſium fluxus* ipſis deficit.) Ita tamen, vt neque tam *multis* fœminis, vt viris, hic *fluxus* eueniat; nec adeo exquiſitam paſſim *menſuram* temporis ſeruet, vt in multis viris; imo nec in genere æque *ſæpe* aut *copioſe* emicet, quibus etiam obtingit de reliquo fœminis, quam viris. Subiecta huius fluxus.

§. VII. Interim neque viris etiam obtingit *promiſcue*, ſed maxime ſub certa *ætate*. (Exceptis *externis* fortuitis occaſionibus, vt a *niſu* fortiſſimo *alui* valde *duræ*; *equitatione* ſucuſſatoria per aliquot dies continuata; *tempore*, *ſanguine*, *diæta*, ſimul *calidis*; aut *hæreditaria* inſigni diſpoſitione; præcipue *concurrentibus* adhuc inſuper talibus.) *Aetate* inquam *conſiſtente* ſeu *virili*, alibi *incipiente*, alibi *procedente* altius. Quibus valde *iunioribus* hic fluxus euenit, iugiter continuat, & inprimis, (quod fere facit) minus *moderate*, raro ad inſigne *ſenium* pertingere datur; contra vero, quibus iam *annoſioribus* accidit, *moderatis* & *ordinatis* ſucceſſibus, his familiarius longiorem vitam quaſi pollicetur. Iunioribus talibus communiter *conſtantiam* non ſeruat, ſed *ceſſat* iterum, & trahit poſt ſe alia σύζυγα affectuum genera. Aut erumpit denique iterum, tempore iam magis *idoneo*: non tamen ſine *laborioſo* tam *apparatu*, quam exitu & *ſucceſſu*. Obtingit ſub certa ætate.

§. VIII. Vnde quidem, cum in præſenti maxime ſpecialiores *morbidas* declinationes *hæmorrhoidalium fluxuum* deſignare nobis incumbat, merito ipſo primo loco commemoranda venit hæc eius ἀταξία, quando *tempore* & *menſura* peccat. *Tempore*, quando vel ſolito *maturius* ſe offert; vel etiam nimio *ſæpius*; aut nimio *diutius* continuato fluxu excedit. *Concurrit* autem familiariter hoc vtrumque, ad minimum allegato ordine; vt quibus multo *citius* ſolito eruptio hæc contingit, illis etiam *ordinem* decentem æque ac *menſuram* tolerabilem non obſeruet, ſed vtroque modo *excedat*: aut, ſi vtique iterum *de-* Ataxia hæmorrhoidum.

ficit, ante omnia vero ſi ſimpliciter ipſa arte *reprimatur*, non emanet, citra alia inſignia *incommoda:* imo ſatis ſæpe ipſo illo tali fluxu non ſolum *moleſtiora*, ſed omnino *periculoſiora.* Aut *reuertitur* denique tanto certius creſcente ætate: aut, ſi hoc non æque promte ſuccedat, format inde diuerſa alia incommoda; quorum *nexus* cum hoc ſcopo ſi non animaduertatur, fruſtra hinc finguntur numeroſæ aliæ *cauſſæ* atque *ideæ* talium adfectuum.

Cauſſæ intemperantis indolis hæmorrhoidum.

§. IX. Quamuis autem certior cauſſa huiusmodi *intemperantis* indolis hæmorrhoidum inprimis exſiſtat ipſa *hæreditaria* diſpoſitio: conferunt tamen ad illam etiam citra hanc ſuum ſymbolum, & omnino quidem potenter, etiam *externæ* illæ iam nominatæ cauſſæ *fortuitæ*, & plus minus *violentæ.* Quantumlibet enim *per initia*, & ſimplici *directa energia*, non æque faciant ad *præcipuum* huius negotii *momentum; motum* inquam magis, quam *fluxum* hæmorrhoidalem: fit tamen facile, imo vero etiam communiſſime, vt ſemel datam huiusmodi portam ad exitum, (ſi reliquæ circumſtantiæ conſpirent, ratione *plethoræ*, & qualiscunque *commotionis* ſanguinis,) etiam huiusmodi *fortuitas*, & per initia *violentiores* eruptiones in poſterum ſequatur etiam intentior *inclinatio* ad hoc idem genus euacuationis; adeoque etiam porro huius *continuationi* aut *repetitioni* congruentia talia molimina conſuefiant. Quod præcipue de illis valet, quæ per *equitationis* inſolitam vehementiam concitatæ fuerunt. Quæ vero etiam quantumcunque magis tempeſtiuo prouentu ſeſe ſiſtunt, ratione *ætatis* ſatis maturæ, non amittunt tamen ſubinde etiam illam *excedendi* in *quantitate*, promta *reuerſione*, aut pertinaci *continuatione*, ἀταξίαν: cui tum alia *diætæ* vitia, tum incondita *remedia* ſæpe occaſionem præbent eximiam.

Alterum vitium huius fluxus conſtituunt hæmorrhoides cœcæ; turgentes.

§. X. Alterum hæmorrhoidalis *fluxus* vitium occupat propius ipſum *exitum*, vnde partim *vaſorum* ipſorum *infarctus*, partim *motuum* ad ipſam velut expreſſionem contendentes *conatus. Infarctus* illi vaſorum formant hæmorrhoidas *cæcas;* alias *turgentes*, alias *tumentes. Turgentes* exhibent *veſiculam*, non ſolum tactui aliquatenus cedentem & molliculam, ſed etiam adſpectu ipſo transparentem, nempe manifeſto ſanguine intus detento plenam; vnde etiam, quando hic vel ſectione ſimul emittitur, vel ruptura proſilit, *flaccida* hinc atque *rugoſa* reſtat illa huc vsque veſicula.

§. XI.

§. XI. *Tumor* autem ab hiſce vaſibus ita diſtentis oriundus comprehendit maxime longiores illorum *tubulos*, vera *ſtaſi*, imo *coagulatione* talis ſanguinis; & conſequenter *inflammatione*, portionis circumiacentis ita intercedente. (Eſt autem verus *furunculus*.) Vnde tali hæmorrhoidali *tumori* iungitur verus *dolor* inflammatorius, *exquiſitiſſimus* penitus: vnde hæmorrhoidum *cæcarum dolentium* appellatio. Huiusmodi *tumoris* niſi matura obtingat reſolutio, non eſt alius exitus, quam nuda *ſuppuratio*: quæ tamen haud difficulter, & hinc etiam ſatis ſæpe, & veluti familiariter, *in fiſtuloſam vlcerationem* tranſit. Tanto facilius autem hoc tunc maxime facit, quando ante *maturationis* tempus profundius inciſa non ſolum ad *vlcerationem*, ſed omnino *ſphaceloſam* corruptionem pronior exſiſtit: aut, quando nimis *diu*, etiam iam *ſuppurata*, hæſit, antequam *euacuetur*, *mundificetur*, & recte *conſolidetur*.

Tumentes & dolentes.

in fiſtuloſas vlcerationes transeuntes.

Nam talis etiam *inflammatoriæ* ſtaſeos, vt omnium *furunculorum* primum & primarium receptaculum *ſtaſeos*, & conſequenter ſuppurationis, nullum eſt aliud, quam *tubulus* aliquis vaſis ſanguiferi, detento *coagulato* ſanguine ſuffertus: vnde etiam aperto aut rupto eodem *tenuis* admodum & *anguſta*, ſed *profunda* eſt huiusmodi *cauitas*: *mundificationi* proinde, etiam propter ingentem *ſenſibilitatem*, minus opportuna. Cui rei cum etiam *loci* incommodus ſitus, & hinc familiaris per initia *neglectus* patientium accedat, facilis, imo quaſi præceps ſit tranſitus a purulenta adhuc conſtitutione in *vlceroſam* ſaniem: fit ita ex his omnibus circumſtantiis ille facilior tranſitus in *fiſtuloſam* vlcerationem.

§. XII. Altera illa *molientium* ita, ſed perperam ſuccedentium hæmorrhoidum ſequela eſt TENESMODES eiusmodi *conatus*; *perpetuus*, aut per vices *reuertens*, & aliquandiu inſiſtens, etiam non raro ſine vllis *eminentiarum* hæmorrhoidalium concurrentium veſtigiis: bene vero cum excretione *muci* cuiusdam, non tam *lenti* & *tenacis*, quam ſimpliciter *ſpiſſi*, inſtar *tragacanthæ* ſolutæ. Communis tamen cum aliquali *colore* ſubruffo, & quaſi *roſeo*: imo vero cum ſubtilibus ſubinde *ſtriis cruentis*. Ad talismodi conſtitutionem nullum eſt dubium, quin etiam ſymbolum conferat *ſpiſſitudo* ſanguinis *ſtricte* dicti, *rubicundi*, quæ ſincerum eius *tranſitum*, imo perruptionem vegetam per ipſas vsque ſubtiles *membranulas* circa orificium ani, ita impediat, vt vel nudi *infarctus*, imo *ſtaſes* inde ſubnaſcantur: vel, ſub *preſſoriis* illis contentionibus *teneſmoideis*, *seceſſio* tantum aliqualis portionis ſequatur. Cæterum autem hanc talem *mucoſam* excretionem ſimplici-

Teneſmus hæmorrhoidalis.

pliciter ſoli muco *inteſtinorum* velut ordinario tribuere, per illud non licet, quod conſpicua ſit huius & illius mucoſitatis diuerſitas: vel ipſis *teneſmoideis*, aliunde ſolum (vt a refrigeratione externa huius orificii) coortis ſtricturis; quandoquidem ille mucus magis ordinarius, & *tenacior* eſt, & magis *pellucidus*, neque quidquam, niſi forſan a fæcibus, *tinctus*.

Serpigo hæmorrhoidalis.

Hæmorrhoides albæ.

§. XIII. Imo non ſunt prætereundæ *ſerpiginoſæ* etiam quædam, *pertinaces & incoërcibiles prurigines*; tum alias *diuturnæ*, imo perpetuæ: tum ſi maxime aliquando deliteſcant, promte iterum ſponte reuertentes. Galli appellant hæmorrhoides *albas*; quamuis etiam aliqui, & omnino recte, reuertentes illas proxime notatas excretiones *mucidas* hoc nomine appellent. Quando hic affectus (a *venereis*, *criſtatis*, vti non incommode nominat *Liſterus*, vlcerationibus & excreſcentiis per hæc loca, recte diſcernendus) diutius iam patienti innidulatus eſt, nihil boni poſt ſe trahit ſolida eius repentina cohibitio.

Habeo huius rei eminens prorſus exemplum, dum Vir 50. annorum vehemente admodum febre rheumatica correptus, ſeptimo die incurrit repentinam impetuoſam apoſtaſin in totum crus, ita, vt hoc inſigni admodum repentina inflatione turgeret, cum rubore æquali, & tenſiuo quidem etiam aliquali, nullo vero inflammatorio acuto ſenſu. Sicut autem hæc febris cum exquiſitiore quodam ſenſu doloris in artubus, nempe humero, brachio, coxa, femore & crure illius eiusdem lateris inceperat; mox autem hoc iterum euaneſcente ita acrius commota fuerat, vt vera ſigna internæ inflammationis exhiberet: ita poſtquam etiam ab hac apoſtaſi ad maiorem tranquillitatem ſenſim iterum rediit, emicuit etiam denuo dolor ille, non ſolum in dies magis magisque vere arthriticus, ſed etiam ita inſolentem ſeſe geſſit, vt patiens, conquiniſcente quam maxime ipſo doloris ſenſu, tamen continuam experiretur ſpaſticam illam partium harum rigiditatem, vt brachium vix ad aurem vsque flectere & attollere valeret. Coxa etiam vexabatur præcipuo mali ſenſu, & facile incurrebat exacerbationem huius eximiam, inprimis a qualicunque iracundia, terrore, anxietate: ad quas tamen res ſuppetebant patienti frequentes, neque quidem ſubinde friuolæ occaſiones, ſicut etiam tota illa prima eximia commotio ab ingente tali conſternatione initium ſumſerat.

Cum ſecundum meam theoriam ratione pathologiæ huius adfectus, tanquam ad cauſſam, ordine quidem, minime vero dignitate, remotiorem, reſpicerem motus quosdam hæmorrhoidales, & de hac re non ſolum, ſed etiam de vſu hirudinum (quamuis magis per modum diſcurſus, quam conſilii,) verba facerem, ſuggeſſit patiens tria hæc phænomena: I. quod minime ita raro peculiari moleſto teneſmo vexetur, per vnum alterum, imo tertium ſubinde diem continuante;

nuante: II. quod ante plures iam annos, in Galliis eo tempore per vnum aut alterum annum degens, ibidem aliquoties vſus ſit hirudinibus: III. quod pruriginoſam talem ſerpiginem per longum poſthac tempus tolerauerit ſæpiſſime recrudeſcentem, donec tandem proximis ab hinc annis coniux ſua tandem rebellem moleſtiam expugnauerit artificioſo quodam balſamico oleo hyperici, vt ab eo tempore immunis ab hoc perſtiterit.

Ita nempe ſatis dilucеſcere potuit ex his rebus, quis fuerit nexus inter illas ita prægreſſas circa hæmorrhoidalia loca & artificiales euacuationes, & ſubſecutos confluxus & eruptiones ad minimum vlceroſas; & ſubſecutas tandem has rheumatico-arthriticas, iſchiadicas, & vltimo etiam apoſtaticas illas per ipſum crus conſecutiones: tanto magis, cum ipſe etiam hic patiens mox recordaretur, quod non ita multo tempore poſt illam plenariam conſolidationem & occluſionem huius vlceroſæ conſtitutionis circa loca hæc hæmorrhoidalia magis magisque incommode habere cœperit; partim hypochondriaco-colicis, partim rheumatico-arthriticis eiusmodi ſymptomatibus: licet his poſtremis per initia obſcurioribus atque languidioribus, quod vulgo incuſant, es liege ihnen ſo in denen Gliedern, komme ihnen manchmaln, als wann ſie gantz zerſchlagen wären: es ziehen Flüſſe an ihnen um, die da zum öftern ſich einlegen in Schultern, Rücken, Lenden, Hüfften, Creutz &c. daß ſie ſich nicht davor umſehen, frey regen oder wenden können &c.

§. XIV. Cæterum licet ſatis coniicere poſſim, non defuturos, qui huiusmodi circa hæc loca pertinaces atque refractarias *ſerpiginoſas* vlcerationes nec ipſas conſideratu dignas habituri ſint, nec aliquam illis effatu dignam efficaciam ad vlteriores conſecutiones adſignaturi: ſi tamen & alias energiam *ſcarificationis* ad ventilandas & præoccupandas huiusmodi *rheumaticas* moleſtias in aliis locis, aut neglectu ſui, in poſterum *reuocandas*, imo *prouocandas* ſimiles, velut *a priori* perpenderint; *a poſteriori* vero huius ipſius affectus, eiusque ſimilium conſecutionum, certe nequaquam ita valde rara *exempla* reſpexerint: confido fore, vt ex harum vtrarumque rerum iuſta conſideratione tandem etiam colligant, quod colligendum videtur. — *Serpiginoſæ vlcerationes refractariæ ſunt.*

§. XV. Denique vero *externarum* inprimis hæmorrhoidalium talium *veſicularum*, non decenter ſuccedentium, fructus ſunt *mariſcæ; rugoſæ* nempe pelliculæ, ad iterum iterumque ſubeundas eiusmodi *inflationes*, tandem *perruptiones*, & hinc continuandam aliquandiu ſanguinis talem *effuſionem*, adſueſcentes. Sicut ex aduerſo etiam *verrucoſæ* conſiſtentiæ huiusmodi tubercula aliquando cooriuntur; partim ex his ipſis, per *vnguinoſa* inprimis porcina deprauatis, partim ex illa *ſerpiginoſa* vlceroſa conſiſtentia maiore *irritatione*, aut minus conuenientibus *vnguinoſis* vlterius irritata aut deprauata. Talium autem — *Externarum veſicularium ſpecies ſunt mariſcæ; verrucoſæ, & aliæ.*

ſpecialiſſimæ prauitates, e *venereis* inquinamentis aliquando ſubnaſcentes, & prudenter diiudicari debent, & a verioribus *hæmorrhoidalibus* ſimplicioribus dextre penitus & perite diſcerni.

Conſenſus & tranſitus hæmorrhoidum internarum & externarum.

§. XVI. Illud vnum ſupereſt hoc loco paucis adhuc repetendum, quod ſuperius ſub generaliore tractatione iam notatum eſt, quod peculiaris ille *conſenſus* omnino notandus veniat inter MOTVM HAEMORRHOIDALEM *internum* & *externum*. Vbi quidem longe minus familiaris & procliuis eſt tranſitus ab *interno* ad *externum*, latius diffuſum: longe pronior autem, imo promtior, ab *externis* ad *interna*. Loquor autem de *ſpontaneis* magis harum rerum *motibus*. Cum ex aduerſo per *artem* minus opportunam, etiam ipſo patientium auſu aut conſilio interdum temere tentatam, etiam re vera huiusmodi diffuſio MOTVVM talium introduci valeat; de qua minime vana ſit illa vulgi hominum enunciatio, **es ſey ihnen in die Glieder geſchlagen, in die Glieder getrieben worden.** Quod præſertim aliquando locum habet in *Pareſi e Colica*, per *diaphoretica* medicamenta potentiora æque, ac *regimina* inconuenienter vſurpata: neque minus *balnea*, corpore non prius decenter ventilato. Poſſum huius rei exemplum ſiſtere conſideratione iuſta omnino dignum.

Mulier quadraginta annis proxima, vt alias in rebus pro ſua conditione ſatis lautis conſtituta, ita genio, & patrio quidem, ſed non contemnendæ energiæ vino indulgens, habitior etiam corpore; cum vno ſolo ex aliquot liberis filio ſuperſtite in deſiderium magis imprudens, quam iuſtam ſpem vlterioris fœcunditatis poſt aliquot annorum quietem animum intendiſſet, eique fini facile reperiſſet Practicum popularem, qui ipſi plauſibilia promiſſa offerret, vſurpauit per ſatis longum tempus varia *vterina*, *neruina*, imo non magis *roborantia* dicta, quam *ſtimulantia*. Reportauit inde *hypochondriaca* pathemata, non ſolum *ſpaſticis* contentionibus varie infeſta, ſed etiam *inflationem* inſignem abdominis ſenſim concitantia, cum inani conceptæ ſpei vanitate, dum *menſes* ſucceſſum ſuum aliquandiu omitterent; poſthac autem raro quidem, & nullo ordine, ſed tamen iterum iterumque reuertebantur. *Extenuari* interim apparebat fœmina in ſuperioribus euidenter præter ſolitum. Tandem augeſcebat *inflatio* illa, inprimis in *ſiniſtro* hypochondrio, non ſolum ita viſibiliter, vt ingens etiam *protuberantia* immediate ſub coſtis nothis emergeret, & conſtantem hanc ſedem ſeruaret; ſed etiam tactus æque atque *ſtricturæ* veſtimentorum prorſus impatiens, ſenſum ab his rebus moleſtiſſimum mox conciperet, vnde ab omnibus vſitatis alioquin ad hunc locum pertingentibus ſtricturis abſtinere cogebatur.

Cum,

Cum, circa ipſum ſolſtitium hybernum, maritus æque atque filius adultus nuptiis intereſſent vicini, directe ex huius domus oppoſito habitantis, a quibus fœmina quidem, propter hanc maxime valetudinem ſuam, abſtinuerat, interim domi minime ieiunauerat; contigit, vt non ſolum tumultus oriretur, a petulantia aliquot ſtudioſorum, ſed ad inſignem vsque conflictum, gladiis ex vna parte ſtrictis, ex altera fuſtibus, perticis & lapidibus, gereretur, cum clamoribus terribilibus. Gerebantur hæc in oculis patientis, quibus rebus maritum ſuum intereſſe coniiciebat, filium autem e ſono vocis etiam audiebat. His rebus vehementer perterrita æque atque anxia reddita, (& inprimis proximo adhuc poſt cœnam tempore,) incipit admodum male habere. Biberat autem omnino, & quantum ipſa profitebatur, dimidiam menſuram vini. Mittit itaque in pharmacopolium, allatum pro duobus groſſis *tincturæ bezoardicæ Michaelis;* capit inde dimidiam partem aut paulo minus; componit ſe in lectum. Non remittentibus autem, quin potius augeſcentibus anguſtiis maximis, ſumit etiam reſiduum, & arctius lecto ſe contegit, ad expellendum ſudorem. Incaleſcit quidem hinc vehementer, ſed neque ſudor vllus ſequitur, nec anxietates illæ minuuntur, imo increbeſcunt potius. Summo mane corripitur *brachii* vtriusque, a cubito ad ipſos apices digitorum, doloribus vibratilibus ita immanibus, vt non ſolum a clamoribus, ſub eiulatu indeſinente ſummo, ſibi temperare minime valeret; ſed etiam faciei geſtu, & oculorum penitus inſolita ferocia, delirii ingruentis metum faceret. Sub his doloribus non illa ſolum proclamabat, **es ſeye alles darinnen lebendig**; ſed teſtabantur etiam mulieres adſiſtentes, & iam linteis calidis, iam aquis ſpirituoſis brachia atque manus fricantes, ſentiri tanquam lumbricorum in brachiis ſerpentium motus: augeſcentibus autem ſpaſmis contrahebantur ſenſim vlnæ verſus humeros, vt vix ſpithamæ longitudine ab axillis adhuc abeſſent; extendi amplius nullo modo, ſed nec ad axillas vsque temere flecti poſſent, ſine inſigni doloris incremento: Ibi graciliora ſenſim, ipſis ſpaſmis, apparentia brachia, offerebant vtique oculis luculenter vndulantes tales motus ad palmi latitudinem circa carpum, ſecundum longitudinem maxime gracilescentium muſculorum, imo tendinum, interius ad flectendos, exterius ad extendendos digitos eorumque articulos pertinentium. Cum tandem immanis hic dolor a *cerato de Galbano*, circa cubitum appoſito, tanquam miraculo ſub ipſo actu appreſſionis quaſi attonitus euanuiſſet; non ceſſabant tamen propterea ſimul, exquiſite *viſibiles* hæ vndulationes: ſed minuebantur pedetentim demum intra dimidiam circiter horam, magis magisque remittendo, & tanquam pari paſſu ſucceſſiuam liberam extenſionem brachiorum tanquam comitem inferendo. Ita quidem omnia tanquam penitus ex inſperato tranquilla erant; ſed non diu manebant. Cum enim ipſa vndecima hora ad meridiem hæc quies obtigiſſet, mox poſt primam a meridie inuadebat immanis talis dolor ſiniſtrum hypochondrium, cum paribus, vt ante, ad commiſerationem anxiis patientis eiulatibus. Ad V. Sem. nec ipſa poterat disponi, nec aſſiſtentes fœminæ agnatæ aliæque, ſummam deiectionem virium e languore a præcedente dolore metuentes, ſi inſuper ſanguis educeretur. Reliqua in compendium redigere ſatis fuerit. Durabat hic vehementiſſimus dolor, ſicut initium ſuum

hac hora cum inſigni horrore cœperat, ita tanquam febrili quodam paroxyſmo atque typo, non multum diminuente vehementia, medium illum diem, totam noctem, & proximum diem vsque ad meridiem. Ibi quieſcebat, tanquam exquiſite per dimidium diem, & noctem plus quam mediam. Hinc redibat; & illo mane poſt octauam vomebat, & deiiciebat magnam copiam *nigræ* & *ſpiſſæ* ſubſtantiæ. *Surſum* quidem ſine *odore* inſigni; *deorſum* vero, a duris intermixtis ſcybalis fœtidam, vt ancillæ referebant, ſed non tamen velut ad proportionem. Quæ ſurſum reiecta erat ſubſtantia, dimidiam circiter menſuram æquans, ſub portione fluidiore habebat ſedimentum ſpiſſum ceu amurca, ſed nigrius, quam Rob ſambuci; & multum quidem, apparenter duas tertias totius. Videbatur rem implicare, quod ſummo mane, cum pridie aluus non reſpondiſſet, decocti prunorum cum foliis ſennæ, minus tamen quarta parte menſuræ, ſumſerat: & ſunt, qui *ſennam* atra educere tradunt: quod ſi hic ipſa feciſſet, non potuiſſet luculentiore teſtimonio traditio illa firmari, nam hæc profecto atra erant, ſtrictiſſime loquendo. Continuabat paroxyſmus angoris totum illum diem & noctem, vltra gallicinium, quin vel ad tertiam vsque matutinam. Ibi remittebat rurſus; dies præter magnam debilitatem totus quietus. Cum nocte redibat impetus, durabat per noctem, diem, (quo verſus meridiem *ſincerum ſanguinem* multum euomebat,) & iterum noctem. Dies totus tranquillus, excepto ſummo languore. Interim hoc ipſo die deiiciebat fruſtulum digiti longitudine, & ſemunciali ambitu, ſpiſſa rugoſa cruſta (rugis in longum excurrentibus) cinctum, intus coagulato ſpiſſo ſanguine plenum. Hoc, quia ex vna parte repente in apicem faſtigiatum erat, ex altera vero parte gracili quaſi cauda conſpicuum, quæ manifeſto alicunde auulſa apparebat, *muris* figuræ a patiente & mulieribus adſignabatur. Proximo, poſt iterum 12. horam circiter inducias, paroxyſmo, cum emicantes conatus *vomendi* moderate refrenarentur, non amplius quidem vomuit. Deiecit autem iterum tale *concrementum*, ſpithamæ minoris longitudine, craſſitie vero vix maiore, quam maximus calamus olorinæ pennæ; interim plus quam viginti internodiis ita diſtinctum, vt licet nihil exquiſite, tamen minus abſurde, quam prægreſſum illud *muri*, hoc *ſeriei corallorum* tornatilium, einer Schnur Corallen, æquipararent. Rurſus nouo paroxyſmo *duo fruſtula* talia, minimum digitum longa, & mediocri tali ambitu paria deiecit, quæ, quod verſus alteram extremitatem ſenſim graciliora, ad exitum magis extenuarentur, *fundulis* adſimilata. Vehementia reliqua affectus continuabat interim illis maxime inſignibus ſtrophis paroxyſmorum, vt per tres inde ab initio ſeptimanas; *Mercurii* ſemper die morti proxima, *Saturni* die ita non tranquilla ſolum, ſed *vegeta* videretur, vt ſingulis his diebus ſe proxima ſeptimana iterum in publicum prodituram cum inſigni fiducia profeſſa, & his ipſis diebus nec intra lectum coercenda etiam ſuſpicionem delirii fecerit. Verſus finem autem tertiæ ſeptimanæ, conſentientes mulieres, ex illarum reiectarum rerum velut argumento, ſubeſſe faſcinum, mittunt conſultum bubulcum in vicinia famoſum; qui inſpecta vrina, & faſcini ſuſpicionem ſtatim confirmat, & nominatim illa *tria*, quæ ab illa ſeceſſerint, commemorat, & duo adhuc talia apud ipſam hærere prædicit: qualia etiam, ſub illius adhibitis mediis (*incantamentis*,

viua voce, *ſignis* ad feneſtram ſcriptis, *periaptis*, vt ille memorabat, e cœmeterio petitis, & *ſuffimigiis* frequentibus,) quæ a vehemente *emeſi* per radicem aſari in medio morbo inchoauerat, adhuc vere ab ipſa reiecta ſunt. Ipſo vero præſtigiarum decimo quarto die, qui erat *Saturni*, hora quarta poſt meridiem, mortua eſt patiens; quod ita, & hac quidem hora, fore, ipſa patiens præcedente die iterato prædixerat: præſtigiator autem ille initio huius ſeptimanæ promiſerat, illam hoc die in forum prodituram eſſe &c.

Quamuis autem nihil hic pro certo ſimpliciter affirmare velim, ſed facile cuiuis iudicium ſuum liberum relinquam, non dubito tamen pro vero ſimili habere, quod hæc *concrementa*, *excreſcentiæ* quædam *hæmorrhoidalium vaſorum intimiorum* fuerint. Quamuis enim tale quid ſine dubio longe quam rariſſimis exemplis contingat hoc in loco; mouet me tamen illud, quod his etiam penitus *paria concrementa* viderim ex vtero reiici fœminarum, quæ, poſt teneriores *abortus*, vtero non decenter expurgato, imo per *ſtyptica* cito oppreſſa omni ſanguinis lochiali fluxione, aliquando etiam demum poſt longum tempus plurium menſium, ex vtero excuſſa fuerunt: neque certe aliud quid eſſe poterant, quam *excreſcentiæ* tales vterinorum vaſculorum, ſenſim ita elongatæ atque protenſæ. Quod quidem libera eorundem, & cum nulla alia re contigua, ne dum continua, conſtitutio, interim etiam ad digiti longitudinem aliquando extenſa, oſtendere videtur.

Pro præſente vero ſcopo ſufficiet, ex hoc caſu agnoſcere promtam illam vehementemque *translationem ſpaſticorum* huiusmodi *motuum* in muliere, *hypochondriaco-ſpleneticis* pathematibus grauiter affecta ante harum exacerbationum tempus; quæ *translatio* his turbis ad huiusmodi vtique effectum deducta ſit, vt per intempeſtiuam talem *concitationem* tam ſanguinis *inteſtinam*, quam motus eiusdem *localem*, per quantitatem & qualitatem medicamenti & regimen violentum vehementes tales commotiones ſpaſtico-conuulſiuæ ad *extremos artus* quaſi directæ fuerint; & viciſſim ab his promte iterum ad *interiora* recurrendo tales ibi & congeſtiones & contentiones formauerint, quæ partim *anguſtiis* ſummis, *oppletionibus*, imo *eruptionibus* per vomitum nigrum & cruentum, partim manifeſtis vibratiuis *doloribus*, imo & exacerbationum, & ſolidarum ceſſationum manifeſtis *paroxyſmis* ſe oſtenderunt. Nempe quod minime ſimpliciter atque directe cuiuscunque *ſtaſeos*, aut *inflammatoriæ*, ne dum *corruptoriæ* energiæ effectus fuerint; ſed veri *motus*, qui & concitari, & continuari, & iterum remitti, iterumque denuo aſſumi & exerceri potuerint.

§. XVII. Præcipuum autem exemplar huius rei exhibent nobis frequentia illa ſpecimina *podagræ* ita fluctuantis, vt iam in ipſis *artubus* vſitatam ſuam ſedem & occupet & ſeruet; iam cito ibi conticeſcens, pari interim velocitatis paſſu in patiente repentinam *virium* veluti deiectionem, omnis *appetitus* quaſi disparitionem, imo *nauſeam*,

Motuum per artem minus opportunam diffuſio in podagra fluctuante agnoſcitur.

quin *vomitum* inanem, tanto magis autem *anguſtias* & *anxietates* præcordiorum, cum *febre*, alias *lentiore*, ſed tamen inſigniter notabili, alias *vehemente*, & tanquam ex profeſſo *inflammatoria*, etiam cum *ardoribus* & *lancinationibus* exquiſitis *internis*, poſt ſe trahat. Qualia quidem producta, hodiernis illis artificiis & officiis, dolores podagricos *cito ſedandi*, diſcutiendi, *retropellendi*, locupleti obſeruationi adornandæ largo numero offeruntur.

Excreſcentiæ hæmorrhoidales varias figuras exhibent, hinc varias etiam habent denominationes.

§. XVIII. Cum vero alterius iam capitis videri poſſet hæc allegatio *podagræ* hoc in loco, vbi adhuc de *hæmorrhoidibus* fuit ſermo; ſatisfaciam propterea ſtatim huic dubio, facti huius mei rationes producendo: poſtquam ſolum illud adhuc breuiter indicauero, quod ab his *hæmorrhoidum*, inprimis *externarum veſicularium*, prominentiis, imo paſſim tandem *excreſcentiis* ſucceſſiuis, etiam diuerſa illa ſchemata *concretionum* efformari ſoleant, quæ, apud antiquiores inprimis, iam ſub *ficuum*, iam ſub *mori*, iam *thymi* ſimilitudine commemorantur; quas, vt etiam iam ſupra indicatum eſt, *verrucoſas* excreſcentias Germani propterea ſatis conueniente nomenclatura, tam ab externa ſimilitudine, quam intimiore vera textura petita, Feigwartzen appellant: ſicuti *veſiculas* adhuc nudas inferiores Saxones Tacken, (Zacken) ſuperiores Maſtkörner appellant.

ARTICVLVS I.
DE
MALO ISCHIADICO.

§. I.

Nexus huius mali cum negotio hæmorrhoidali eſt cauſſa, de illo hoc loco tractandi.

QVamuis ſecundum methodum in parte generali atque ſpeciali ſeruatam, vbi primo de *fluxibus*, deinde de *congeſtionibus humorum*, & denique demum de *contentionibus motuum* egi, ἄτοπον adhuc haberi poſſit, tanquam ex profeſſo de tali quodam affectu verba facere, qui maximam partem in *motibus* huiusmodi atque *contentionibus* conſiſtit; quia tamen huius quam maxime manifeſtus *nexus* cum *hæmorrhoidali* negotio agnoſci poteſt, ſi animus aduertatur: non poſſum propterea mihi temperare, quin in *ætiologia* atque *nexu cauſſali pathologico* proprie tractando maiorem rationem habeam hoc ſtatim loco allegandi

huius

huius etiam affectus, quam vt eundem, ſecundum ſtrictam methodum, potius ſimplici, vt in ſcholis loquuntur, *formalitatis* ſuæ claſſi deſtinem, quam *cauſſalitatis* ordini inſeram & connectam.

§. II. Quod quidem tanto iuſtius & maiore huius merito fa-" cere audeo, poſtquam vtique hic ipſe affectus proprie fuit, qui me per-" mouit ad vniuerſam pathologiam ex alio fonte deriuandam, & alio, &" perpetuo quidem illo nexu rationis & experientiæ inſtruendam: nem-" pe ſuperſtruendam ſimpliciſſimæ habilitati ad exonerationes ſanguinis" quaſi promerendum, apparatui neceſſario ad has exonerationes ador-" nandas, & conſecutionibus, ſi quid ſucceſſum harum rerum moretur," variis, in humoribus, partibus, & motibus."

Hic affectus proprie anſam dedit, totam pathologiam ex alio fonte deriuandi.

§. III. Sicut autem in tota hac tractatione hanc methodum ſeruare ſtudui, vt ante omnia *hiſtoriam* rei ipſius ſinceram memorarem, & hinc *comparationes* comparentium affectuum, vt *effectuum* ad ſuas cauſſas, adornarem; ita placet etiam modo allegatæ rei *hiſtoriam* ſiſte-" re; quomodo inquam iſchiadicum malum occaſionem mihi dederit" ad hanc nouam pathologiæ faciem euoluendam."

Hiſtoria occaſionis.

Vir ille, cuius mentionem plus ſimplici vice in hac tractatione, & inprimis de hæmorrhoidibus & motibus ſpaſticis iam prolixius feci, fuit omnino ſanguine mihi ſummo gradu propinquitatis iunctus; vnde etiam multiplici commemoratione, tandem etiam, augeſcente quantumcunque iudicio atque ſtudio, modeſta interrogatione, exactiorem, imo omnibus numeris abſolutam & exquiſitam harum rerum, vti geſtæ ſunt, veram ſeriem & hiſtoriam non adſequi ſolum, ſed plane memoriter comprehendere procliue mihi fuit. Nempe corripiebatur hic quadrageſimo quarto, vel circiter, ætatis ſuæ anno, poſt vinorum Hungaricorum per aliquot annos intermiſſum, tunc autem largius repetitum vſum, vehemente *Iſchiade*. Hæc licet admodum mature etiam per femur ad genua, & ab his ad ipſos pedes, imo paucioribus recurſibus etiam ad manus excurreret, non deſtituebat tamen vnquam hanc

hanc ſtationem, quin, quoties paroxyſmus denuo cooriretur, præcipua dolorum & vehementia & pertinacia, ad minimum per initia paroxyſmorum, coxendices obſideret. Harum rerum paroxyſmos binos, ternos quotannis, ita per quatuor propemodum annos expertus, potitus tamen ſimul docto æque ac perito & vere ſolerte Medico, liberatus non ſolum eſt ab omni horum pathematum genere, ſed manſit etiam ita liber, vsque ad annum ætatis 79., nempe finem 78., minus duobus menſibus.

Cum autem vel a pueritia mea alias, tum inprimis occaſione huius rei in ſpecie, toties audiuiſſem, *podagram eſſe opprobrium Medicorum* & malum intractabile; imo vero in ipſa illa eadem adhuc mea patria, quin ipſa reliqua mea cognatione, exempla huius rei minime deeſſent, exercuit hæc res tanto magis imo excitauit animum, ad intelligendam harum rerum rationem.

Difficultatem illis quidem temporibus nondum ſatis intelligebam, quamobrem impeditior mihi fuerit aditus ad harum rerum etiam ſolum circumſtantias exactiores cauſſales, aut ad minimum tanquam hiſtorice coniunctas, exquirendas; longe facilius autem hoc poſtea comprehendere potui, cum per fortuitam occaſionem innotuit, quod ille idem vir honeſtus *ſtato hæmorrhoidali fluxu* adfectus ſit, inde ab illo tempore, quo *iſchidiaco-podagrico-chiragrica* illa pathemata ipſum deſeruerant.

Hoc exemplum ſuſpicionem iniecit nexus inter has res.

§. IV. Cum enim partim pudori ſibi ducant patientes vulgo hunc affectum ex vna parte; ex altera vero ſatis vtique commeminiſſem, quod ipſi huic viro nequaquam ſuccurrerit *nexus* ille, qui inter malum priſtinum & ſecutum hunc *fluxum* ad tam optatum euentum intercedat: mirum hinc minime fuit, ſi etiam ipſa prorſus hiſtoria facti de

de his rebus non niſi fortuna demum aliqua ad meam notitiam peruenit. Simulatque tamen hoc factum vtique eſt, ſubiit mature animum ſuſpicio illa, quod *nexus* inter has res ſubeſſe poſſit veriſimiliter. Exemit autem omnem propemodum dubitationem *duplex* alia occaſio, ſimplici admodum, ſed ſane non contemnendo veluti caſu.

§. V. *Thoneri* obſeruationes quamuis breuitate reliqua quadantenus obſcuriores haberi poſſint, (imo didicerim etiam vſu rerum magiſtro, quod viro huic fidem adhibere non omnes ex æquo procliues inueniantur,) tamen animauerat me ad has attendendas, adhuc ſtudioſum diſcendæ artis, præ aliis B. Ettmüller, viro huic admodum æquus. Apud hunc inueniebam duo inſignia ad conſiderationem exempla. Primum directe de hoc ipſo affectu, quomodo nempe Vir quidam (etiam ipſe Medicus) vehemente *Iſchiade* correptus, & fruſtra aliis tractatus ſit: donec in mentem venerit, quod hæmorrhoides alias conſuetæ ipſi diu defecerint. Quibus demum iterum reuocatis ſtatim etiam ceſſauerit dolor ille. Altera huius cenſus obſeruatio commemorat mulierem, acerrimo dolore, per totum crus ad extremum pedem pertendente, infeſtatam; cui poſt alia in caſſum tentata auctor tandem ſibi concipiens, quod hic dolor a ſanguine, (vt ille pro eius temporis moribus exiſtimabat, feruido) dependeat, irritis præſertim aliis remediis, ad ventilationem huius adiecto animo, venam in pede ſecuerit. Et licet iam ſemel ſecta nihil profeciſſet, coniiciens, quod non quantum ſatis eſt emiſſum ſit, altero ſtatim die apertionem repetierit. A quo remedio dolor velut incantamento euanuerit. Similia habet adhuc vna in *ſequente* obſeruatione.

Duobus exemplis ex Thonero res confirmatur.

§. VI. Dum has res irrequieta animi applicatione confero cum aliarum etiam *hæmorrhagiarum* phænomenis, tam per *nares*, quam in muliebri ſexu per *menſes* familiarius occurrentibus: offerre ſe mihi viſa eſt hac ratione tota ſcena veræ *connexionis* atque *conſpirationis* clinicæ veræ *hiſtoriæ* atque conſtitutionis reliquæ potioris partis plurimorum morborum. Poſtquam autem animum etiam a longo tempore illa conſideratio exercuiſſet, quod pathologiam illam, quam illis ipſis temporibus maxime celebrari, & quaſi florere incipientem, minime conciliare valerem cum maxime conſpicua ægrotandi INFREQVENTIA: penſitata tamen ſolertius illa morborum differentia, qua ſecundum AETATES inprimis quam proxime hunc reſpectum *frequentiæ aut infrequentiæ* ſubeunt: collectis tandem partim ex ipſo

Applicatio & collatio cum aliis hæmorrhagiis, & conſideratio earum ſecundum ætates differentium.

Hippocrate lib. III. aph. 24. ſeqq. partim hinc illinc e Practicorum monitis, *hæmorrhagiarum ſecundum ætates* differentiis, non potui non altius in harum rerum latifundium proſpicere.

Aliud ſpecimen huius ſententiæ.

§. VII. Vt vero propoſito adhuc preſſius inhæream, vidi huius meæ ſententiæ non ſolum, ſed etiam quolibet intuitu recentis doctrinæ, ſpecimen memoratu non indignum, *ſecundo* ſupra indicatorum duorum *caſu*, dum ipſe certe eo tempore adhuc iuuenis Practicus, quarto circiter ab impetratis honoribus anno, cum in Collegialibus vti vocamus exercitationibus, ſolertium philiatrorum coronæ, quibus per illos annos dogmata Medicinæ proponere ſtudueram, hanc ipſam etiam rem operoſius commonſtrare atque commendare allaboraſſem, & inter illos eſſet iuuenis certe iam illo tempore optimæ ſpei, & paris ingenii atque induſtriæ, cognomine Bachmann, *Vlmenſis*, (quem aliquot poſtea annis Sereniſſimi Adminiſtrat. Duc. Würtenberg. Perſonæ Medicum, in expeditionibus bellicis Dominum hunc ſecutum, amiſſo per tormenti ictum crure, in flore ætatis interceptum, non ſine luctu comperi,) contigit, vt a Parente ſuo certior redderetur, quod ille vehementibus doloribus *Iſchiadicis* grauiter infeſtaretur. Cui cum hic quam poterat citiſſime hunc ita eundem caſum (erat enim etiam pater *hæmorrhoidali fluxui* obnoxius) filius allegaſſet, atque ſi forte hæmorrhoides detentæ ſubeſſent, vti ſuſpicabatur, commendaſſet: (fuerat autem etiam ipſe *Thonerus Vlmenſis* Reipublicæ Medicus, & ab eo in obſſ. memoratus æger eiusdem patriæ ciuis) non habuerunt ſe ſolum hæc ita, quantum ad *hæmorrhoidas*; ſed cum etiam harum reuocationi efficaciter ſubuentum eſſet, tanquam ipſo illo caſu, in terminis quod aiunt, reuerſo, non ſolum eodem modo, ſed etiam eadem promtitudine liberatus eſt hic quoque patiens.

Ex his conſiderationibus tria dogmata confecta ſunt.

§. VIII. Intendi itaque magis magisque animum ad exquirendas veras harum rerum συζυγίας, per ſuccedentia praxeos tempora. Quo quidem indefeſſo ſtudio has maxime res adſecutus ſum, quas ex alterius ore aut dogmate mihi non obtigiſſe vere aſſeuerare poſſum.

I. Quod hæmorrhoides ſint adfectus nimio inter viros familiarior, quam vulgo creditur, ne dum docetur: ad minimum certe in noſtris regionibus, quousque ſciſcitando perſequi datum eſt.

II. Quod

II. Quod *hæmorrhoidum*, *iſchiadis*, *nephritidis atque calculi renum*, inter ſe mutuo, & cum *podagra*, ſi non ſimpliciter perpetuæ, tamen multiplices vtique & plane communes ſint ſocietates, communicationes, conſpirationes.

III. Quæ differentia intercedat inter MOTVS hæmorrhoidales & FLVXVS tales.

§. IX. E quibus certe conſiderationibus quaſi neceſſario defecit mihi fides circa vulgatam ſcholarum traditionem, de ingente diuerſitate *rheumatiſmi* & *arthritidis*, tanquam toto *genere* diſſitentium: cum adeo manifeſte potius a *ſanguinearum eruptionum moliminibus atque contentionibus iſchiadicus* dolor pendeat; quem tamen illi vnanimiter *arthritidi* abiudicant, *rheumatiſmo* vero tribuunt: hic ipſe vero *iſchiadicus* dolor inſolentior non ſolum certiſſime, ſed omnino etiam mature in *gonagram* atque *podagram* extendatur; tam autem hæ, quam ipſe *iſchiadicus* dolor, cum quarumlibet reliquarum corporis partium *artbriticis* doloribus notorie *conſpirent* atque colludant, imo communicent & inuicem commutent. Vnde aliter certe non poſſum, quin *iſchiadici* doloris ætiologiam præcipue fundem in *ſpaſtico apparatu contentionum*, ad *hæmorrhoidales* eruptiones quaſi reſpectantium atque deſtinatarum, interim nec exquiſite & maxime ordinate eo pertendentium, neque tanto minus eodem perpetuo, inprimis ſine externa ope, pertingentium.

Dubium circa vulgarem traditionem de diuerſitate rheumatiſmi & arthritidis.

Iſchiadicus dolor cum arthriticis doloribus conſpirat.

§. X. Quemadmodum autem de priuatiore *ordine* atque methodo *fiendi* & *eſſendi* prolixum ſermonem inſtituere a *medico* ſcopo & *vſu* omnino alienum foret; ita eſt ex aduerſo *medicus* huius talis *rationis* atque æſtimationis iſchiadici doloris longe magis diſpar vſus: tam *poſitiue*, vt nempe omnino non ſolum illud, quod re ipſa verum eſt potius, quam aliud quiddam, imo alienum, ita agnoſcatur & intelligatur; ſed etiam iuſtior ita & vere conuenientior *methodus* dilucefcat, cuius beneficio expugnari poſſint damna illa, a talibus cauſſis inducta: quam *priuatiue*, vt nempe non ſolum ab aliis, ſed etiam alienis omnino methodis hac ratione *abſtinendi* fundamenta ſuppetant. Cum vtique nihil aliud quam *alienum* ſit, nempe *contrarium*, hos affectus a *tenaci*, *lento*, adeoque, vt illi loquuntur, *frigidæ* indolis *muco*, partibus ita impacto, arceſſere; & ex hac hypotheſi remedia *acria* & *calida*

Vſus medicus ex hac conſideratione.

interne & externe his affectibus deſtinare & applicare: vnde, ſi *leniora* fuerint, nullum, præſertim *ſtabile* leuamen, ſi *efficaciora*, certior *exacerbatio* & ſimplex a tali arte deterioratio occurrit in quotidiana experientia. Quæ certe res, quod in *medico-therapeutico-practica* conſideratione eximium habeant *vſum*, neminem, niſi ſimpliciter ἄπρακτον, poterit fallere.

Cur vſitatis methodis nihil efficiatur.

§. XI. Sicut etiam prudentes rerum arbitri facile hic inuenient clauem pro aperienda illa difficultate, „cur vſitatis communibus „methodis, nempe ita diuerſæ cauſſæ ſuperſtructis, hi tales affectus „tanquam certo & omnibus exemplis conſono effectu exſpectationem „ita deſtituant, vt, niſi quidem modo exacerbentur ſenſibiliter, nulla „vsquam vera & conſtante mitigatione potiantur, niſi vel ipſe tempo„ris curſus tandem aliquid adferat leuaminis, vel inanibus huiusmodi „conſiliis anchora omnis alius irritæ ſpei, opium, obiiciatur." (Cum quo vero, interdum etiam præſentiore, tanto certius autem languidiore in futuros euentus effectu, confido, & huius adhuc æui ſolertius attentiores Medicos circumſpecta obſeruatione deprehenſuros eſſe; & tanto magis intemeratam adhuc præiudiciis poſteritatem.)

Non graue erit ſolertioribus vnum adhuc exemplum audire vſus euacuationum e locis hæmorrhoidalibus externis. Vir ad 40. annos appropinquans, ſub frigido quidem climate natus & educatus, interim a iuuentute media ad potum vinoſum, & generoſum quidem, calidum, vt vocant, in locis etiam feruidioribus, Galliis, Italia, Hiſpania, vti conſueſcens, cum ex his in Germaniam reuerſus ceruiſiariis potibus denuo admoueretur, hinc autem Viennam Auſtriæ perueniens, Hungarico vino indulgeret, correptus eſt rigoribus iſchiadicis ita vehementibus, vt neque flectere corpus ſine vehementibus doloribus, neque flexum erigere valeret ſine pari effectu, quoties malum hoc ab vſitatis, aëris inprimis, occaſionibus irritabatur. Aſportabat ſecum hanc conſtitutionem iterum in Italiam; ſed cum non admodum diu ibidem ſubſiſtere potuiſſet, quin reuocaretur Viennam, reducebat vtique ſecum eundem comitem, quoad tandem & acriore, & magis, quam eo vsque, contumaci, huiusmodi inſultu vexatus, obſecutus tandem eſt ſuaſui quorundam, vt hirudinibus vteretur. A quarum vſu non ſolum præſentiſſimam liberationem conſecutus eſt, ſed ſtabilem etiam illam retinuit per aliquot annos, poſt quos vtique mihi ipſi, audientibus tamen pluribus nobiliſſimis commenſalibus, rem ipſam ita recenſuit, addita ſimul etiam illa circumſtantia, quod certi cuiusdam Religioſorum ordinis Patres, cum ipſis de liberatione a nupera mala valetudine gratulabantibus remedium, quo tanto cum fructu vſus fuerit, aperuiſſet, ipſi adſeuerauerint, quod hoc ipſum ſit Conuentus ſui Patrum velut vniuerſale & maxime ſolenne præſeruatiuum æque atque curatiuum remedium aduerſus hypochondriaco-ſplenetica æque atque iſchiadico-arthritica pathemata &c.

MEM-

MEMBRVM V.
DE
MENSIVM VITIIS.

§. I.

SI quidquam eſt, quod exundantem ad multas atque varias curioſas, vti vulgo audiunt, opiniones atque ſpeculationes non ſolum circa ipſas *hæmorrhagias*, ſed etiam varias illarum *conſecutiones*, in viam ſimplicioris veritatis reducere poſſit, aut ſane reuocare debeat, eſt hoc ſine dubio negotium *menſium* in ſexu fœminino, tam ſecundum, quam præter naturam. Sicut enim neminem arbitror futurum, qui *exonerationem* hanc & *deberi* ſexui fœminino, & recte ſuccedentem nihil *præter naturam*, ſed ſimpliciter ſolum *non-naturale* dictum exonerationis genus reputaturus ſit; quod nempe legitimo ſui *ſucceſſu* reliquæ conſtitutioni ſanæ omni modo ſubſeruire atque famulari, *defectibus* autem ſui ſanitati certa detrimenta parturire, cognoſcatur: ita, quicunque animum aduertent, vel mediocri cum attentione atque animi præſentia, illi deprehendent vtique in huius etiam euacuationis euidentioribus *apparatibus*, *circumſtantiis*, *conſecutionibus* non tam ſimilia, quam omnino *eadem* illa phænomena, qualia aliis etiam *ſanguinis* eruptionibus, *apparatu*, *actu*, *ſucceſſu*, *exitu*, pari penitus euentu communia ſint. Imo vero, eſt illa vtique potius merita admiratione digna conſtitutio, quod, cum fœminino ſexui, ſi *menſtruæ* euacuationis ſucceſſus grauius aliquod detrimentum ſubeat, incommoda illa atque damna tanquam *largiſſimo* quodam prouentu ingruant.

In negotio menſium eadem illa phœnomena apparent, quæ aliis ſanguinis eruptionibus communia ſunt.

§. II. Tamen nec illorum propemodum *nexus* cum *mechaniſmo & organiſmo* ipſius huius *excretionis* ſatis attendantur, ſed potius quæcunque *phyſico-chymicæ*, vt volunt, rationes excogitentur: verum etiam inſuper in *virili* ſexu euenientia, non ſolum ſimilia, ſed plane *gemina* conſectaria vel plane non ad animum admittantur, quod hiſce rebus in *fœminino* ſexu tam abſolute conueniant; vel peruerſa illa de *craſi* potius, quam MOTV ſanguinis theoria, omnibus veris *ſpecialibus* circumſtantiis quorumlibet talium adfectuum *contraria*, in vtroque ſexu *potentiis* illis *ſalinis* ſuperſtruatur, quæ vel circumſtantiis *infrequentiæ*, tam in genere quam in ſpecie, nusquam reſpondet; vel etiam,

Nexus horum phœnomenorum cum mechaniſmo & organiſmo huius excretionis non attenditur, ſed aliis rationibus & cauſſis adſcribuntur.

quantumcunque quadrare apparet, tamen longe euidentius vel *remotiorem* tantum cauſſandi ordinem & energiam præ ſeſe ferunt: vel prorſus *effectuum* ſolum *productorum*, quam *cauſſarum* quoquo modo *antecedentium* & concurrentium locum tueri valent. Id quod merito iterum iterumque notandum commendo.

Vitia huius euacuationis.

§. III. Cum autem, antequam de ipſa vniuerſa *connexione* atque mutua *dependentia* variarum conſecutionum plura proſequar, ipſe maxime *ordo fiendi* hoc ſuadeat, vt de ipſis *vitiis euacuationis* huius priore loco verba faciam; tanto magis, cum etiam ex hac ipſa conſtitutione illuceſcere poſſit ipſe ille *ordo* cauſſandi, qui irritas & imaginarias alias ætiologias tanquam luci exponere ac detegere valet: quando animaduertitur, quod eiusmodi mala conſectaria, quæ, aut ipſorum ſuppoſitæ *cauſſæ*, iuxta tales opiniones pro veris *cauſſis* errorum menſibus inducendorum arguuntur, ſimpliciter inuerſo ordine potius ſint veri & promti cumprimis *effectus* ipſius menſium perturbationis, & inprimis e talibus cauſſis coortæ, quæ cum *materiali* deprauatione humorum vere probabili (a næniis illis *ſpirituum deſtituentium* liberata) ne per ſomnium quidem conciliari poſſint.

Præcipuum vitium eſt circa motus & exitus vel exceſſum vel defectum.

§. IV. Nempe ipſorum vtique menſium vitium, non *ordine* ſolum ſimplici ſed tota omnino *dignitatis* prærogatiua *primum*, verſatur circa *motus & exitus* vel *exceſſum*, vel *defectum*. *Exceſſus* ita conſiderandus imo diſcernendus eſt, vt *abundantia* eius largior omnino diſtinguatur a verius ſtrictiore ſenſu dicendo *exceſſu*. Quemadmodum etiam *defectus gradus* vtique ſuos habet, a *parciore* prouentu, & notabili porro *imminutione*, ad plenam vsque *ſuppreſſionem*.

Ab his exceſſuum & defectuum gradibus diſcernenda eſt morbida diſpoſitio.

§. V. De his rebus venit vtique iterum maximopere notanda habitudo illa vere *νοσηρὸς*, ſeu *morbida*, quatenus his, ſiue *exceſſuum*, ſiue *defectuum*, gradibus potius quam generibus, quadret nec ne. Secundum hanc enim conſiderationem eſt vtique ante omnia obſeruandum, quod *abundans* excretio menſtrua ſatis ſæpe occurrat, vbi interim nulla vsquam vere *morbida* diſpoſitio aut conſecutio inde redundet, ſed nuda potius illa ſucceſſio, vt, quando demum hæc talis *abundantia defectum* patitur, ibi *morbidæ* tales ſucceſſiones eueniant, quæ prius, quamdiu largo illa prouentu ſuccedebat, nullum vtique verum damnum dederant. Cum ex aduerſo quilibet propemodum quantumcunque vere ſenſibilis *defectus* longe *citius*, *plura* etiam ſenſibilia vlteriora incommoda poſt ſeſe trahat, quam vnquam proportione pares

exceſſus vllo modo exhibere ſentiantur. Nempe valet etiam hic omnino illud, quod ſupra tanquam de toto *genere* hæmorrhagiarum affirmaui, quod, exceptis *enormibus* exceſſibus, moderatiores huiusmodi *largi* fluxus longe minus conſpicuarum moleſtiarum faceſſant, quam declinationes *defectiuæ*.

§. VI. Quod autem omnino attinet *largiorem* menſium fluxum, eſt ille merito diſtinguendus a ſimpliciter ita dicto aut dicendo *nimio* fluxu. *Largus* talis fluxus circumſcribitur inprimis *tolerantia* conſpicua *a poſteriori*; ſicuti *plethora* luculenta *a priori*. Sicut enim certe attenta opus eſt tam animaduerſione, quam æſtimatione, an eiusmodi *largo* fluxu adfectæ veram aliquam *debilitationem* potius inde experiantur, magis magisque ipſo fluxus ſucceſſu accreſcentem, quam ſolum nudos *grauatiuos* languores perſentiſcant, qui a *contentionibus* illis, ad exitum omnino connitentibus, dependentes non diutius durant, quam ipſe fluxus. Imo, illo magis magisque procedente, *mitefcunt* potius, quam augeſcunt. Ita, vbicunque vtique huiusmodi valde *largum* fluxum non ſolum comitatur, ſed etiam adhuc inſuper ſequitur, aut in reſiduo manet vera aliqua *debilitas*; inprimis cum malo *colore* patientis, magis magisque increbeſcente: ibi *nimium* incuſandum eſſe fluxum, non eſt dubium. Interim eſt hic caſus certiſſime immenſum quantum rarior, quam oppoſita *imminutio* maior, quam conueniat, & ab hac præſentiora damna magis magisque inſoleſcentia.

Largior menſium fluxus a nimio diſtinguendus eſt.

§. VII. Præterea eſt vtique apprime notandum, quod *nimius* fluxus menſium diſtinguendus veniat a fluxu ſeu *hæmorrhagia vterina*, non tam veræ *menſtruæ* euacuationi innitente, quam aliis *vterinis* prægreſſis vitiis. Et hoc etiam eo vsque, vt ſi quam maxime etiam *menſtruus* motus ad *reſuſcitandas* has ſuperfluas profuſiones contribuere videatur, tamen nequaquam tam huius, quam præcedentis illius alterius malæ diſpoſitionis primaria & fundamentalis ſubſit culpa. Ne vero quis opinetur, quaſi huiusmodi diſtinctio plus *ſpeculationis* inuoluat, quam *practicæ* veritatis & vtilitatis; audeo ad experientiam prouocare, quod huius generis *nimii fluxus nondum nuptis*, imo ſimpliciter extra commercium cum viro viuentibus, nec a prægreſſis *puerperiis* aut *abortu* aliquid retinentibus, abſolute incogniti exſiſtant. Bene vero, vti dico, talibus, quæ vel a *puerperio*, vel ab *abortu*, vel a *mola*,

Nimius fluxus menſium diſtinguendus eſt ab hæmorrhagia vterina.

mola, affectum adhuc & non decenter liberatum atque repurgatum habent *vterum*.

Excipiam adhuc illum caſum, vbi etiam nondum nuptis aduerſus defectus menſium vehementia *pellentia* obiiciuntur; quorum forſan impetu poſtea tales *profuſiones* ſubſequi poſſint. Interim ſalua conſcientia non poſſum aſſeuerare, quod huius ipſius rei ipſa praxis verum mihi obtulerit exemplum, præter ſimplices *abundantiores* fluxus, non vero ita eximie *nimios*. Bene autem occurrerunt mihi aliquot talia exempla, vbi etiam ſub prætextu vſurpatorum ſimpliciorum *pellentium* emmenagagorum tales atque tantæ profuſiones ſecutæ fuerunt, quas *abortiuas* fuiſſe etiam vno & altero exemplo non præfracte negare ſuſtinuerunt, quæ conſultum, imo ſciſcitatum delegatæ erant. Interim, ne etiam ſuſpicioni præbeam locum, vbi forte nulla iuſta ſubeſſe poſſit, facio merito etiam mentionem illius circumſtantiæ, quæ minus quoque ſuſpectis aliquando euenit, vt ſub admodum *largo* fluxu etiam *fruſtorum* coagulatorum procidentium mentio fiat. Quod quidem adeo ſummopere mirum non eſſe etiam ipſe agnoſco, quando ſedendo, aut iacendo, hæc loca tantiſper quietiora, aut penitus oppreſſa, occaſionem ita præbent, etiam ex affluxu non vsque adeo impetuoſo, oriundæ per moram coagulationi. Eo magis, dum etiam ipſe fluxus non ſimul pariter importunus vrget, ſed potius vndiquaque luculentiora conſpirant indicia, *fluxus* ſimul quidem non ita impetuoſi, ſed ſolum *detentionis* liberi effluxus.

Fluxus largioris cauſſæ.

§. VIII. Eſt autem *largioris* menſium fluxus, dico vere ſimpliciter talis, ſimplex atque directa cauſſa *interna* ipſa *plethora;* inprimis tamen cum *vaſis capacioribus* coniuncta, & *habitu* corporis non ſimpliciter nimium laxo atque molli. (Cum ita dictæ ſimpliciter *ſanguineæ*, laxo corporis habitu cum admodum *exiguis* venis inſtructæ, niſi concurrentes aliæ cauſſæ præcipuum ſymbolum conferant, *impeditiori* potius fluxui, licet ſub commotione vegeta, expoſitæ ſint.) Concurrentes autem *mediatæ* cauſſæ, tam impulſiuæ, quam aliquo reſpectu organicæ, ſunt vtique varii *corporis & animi* inſolentiores *motus*, inſtante fluxu; *diæta aromatica*, *vinoſa:* inprimis autem, vt in omnibus motibus & euacuationibus largiter adornandis efficaciſſima, ſucceſſiua *adſuetudo*. Aliquando facit huc etiam vſus *artificialium* euacuationum interdum celebratus, poſthac autem, & inprimis etiam opportuniore tempore, iterum omiſſus: præſertim, quod iterum moneo, præcipua magis directa cauſſa, *abundantia* plethorica primo loco conſtituta præſente.

Hæmorrhagiæ vterinæ cauſſæ.

§. IX. Alterius autem claſſis vterini illi fluxus ortum ſuum maxime ducunt a *lochiorum* poſt partum, maxime vero poſt *abortum*, (inprimis adhuc valde *parui fœtus*) vitiis: ſpecialiſſime vero a *concrementis*

mentis quibusdam, per tempus e qualibuscunque reliquiis ſecundinarum pullulantibus; vel aliunde ſubnata *mola:* (licet huius quoque natiuitas, ſi non æque abſolute ſemper, certe tamen *ſæpe* ſatis ab inſufficiente *expurgatione* vteri poſt partum, ante omnia vero poſt *abortum*, pullulare animaduertitur.)

Huius rei exemplorum luculentorum habeo & alias bonum numerum, & recentius vnum & alterum tanto dignius conſideratu. Commemorabo pro ſpecimine duo horum. Illuſtris Matrona 30. annorum, *plethorica*, atque floridi, ſed ſane *teneri* admodum atque valde ſenſibilis habitus, cum *abortum* paucorum menſium paſſa fuiſſet, deuoluta eſt ſenſim ex illo tempore in tantam ἀταξίαν commotionum ſanguinis, vt ſibi aliisque videretur tanquam perpetua aliqua febre percelli, inprimis quando magis ſedentariæ vitæ indulgeret. *Appetitus* vt plurimum minime erat contemnendus; interim vna aut altera hora poſt paſtum cum anguſtiis præcordiorum corripiebatur *horridula* prorſus refrigeratione externi habitus corporis, cum malo omnino *colore*, *caput* turbabatur, & ex obtuſo ſenſim in *acutum* dolorem procedebat. Quando hinc ſuper lectum procumbebat, ſeruata aliquandiu quiete ſuccedebat in frigoris locum omnino notabilis *calor*, cum *rubore* non ſolum ſed omnino ſpectabili *inflatione* faciei, *dolor* capitis augeſcebat magis magisque. Non dormiebat interim patiens, & affectabat etiam ſomno diurno reſiſtere; nec ante decimam, quin vndecimam noctis ad quietem ſe componebat, cœna valde modica aſſumta. Quoties autem per dictum tempus iterum erecta aliquandiu ſederet, *refrigeſcebat* iterum atque *palleſcebat*. Toto autem hoc ita *pomeridiano*, imo ad ſeram vsque noctem, tempore etiam ſub refrigeratione atque pallore faciei, tanto magis autem ſub concaleſcentia, inflata comparebant *temporum vaſa*. Ante mediam noctem quietum *ſomnum* non experiebatur; verſus matutinum autem tempus tranquillius dormiens indulgebat ita ſomno vsque ad octauam circiter ante meridianam. Vbi exſurgens, loco *Thee* vtebatur floribus & gemmulis *anthos*, e commendatione aliquorum Medicorum. *Menſes* ſuccedebant ipſi *periodo* exquiſitiſſima, *menſura* vero largiſſima; ſub ea inprimis ſpecialiſſima methodo, vt cum admodum notabili impetu erumperent, deinde largiter quidem, ſed aliquanto tamen moderatius pergerent vsque ad octauum diem, quo pari prorſus typo atque modulo, vti cœperant, ita etiam iterum deſinebant, cum inſigni quodam *profuſionis* impetu. Non defuerunt Medici exiſtimationis non poſtremæ, qui valde graues exitus, *tabidos*, tanquam e *phthiſica* aut *hectica* conſtitutione, non ſolum ominarentur, ſed etiam breuem harum rerum periodum præfinirent. Mihi in conſilium pro his rebus adhibito in genere quidem conſtitutio *plethorica*, & *commotiones* ſanguinis *æſtuariæ* indubiæ erant; *menſtruus* autem ille *impetus* de vitio *vteri* non communi atque ſimplici, ſed omnino vtique peculiari, ſuſpectus. Confirmabat hanc ſuſpicionem, tanquam experimento, vſus medicamenti mei, ad *ordinandos vterinos fluxus* eminentis, &, ſine vanitate, velut indubii. Hoc enim cum conuenienter vſurparetur erumpente illo primi diei fluxus impetu, refrænauit eundem cito valde inſigniter; altero die repetitum cohibuit ita potenter,

vt etiam plane ceſſare videretur, non ſine formidine patientis. Cum tamen auſcultaſſet ſuaſui de continuando medicamento, ſequentibus quidem proximis diebus nihil ita magnopere prodiit, ſed vix, non ſimpliciter ſuppreſſæ euacuationis, aliqua ſigna manſerunt: ipſo vero *octauo* die, vſurpato etiam adhuc eodem medicamento, emicuit iterum notabili quidem, ſed tamen non ſolita quantitate ipſe fluxus. Cum poſt duas de hinc ſeptimanas, adminiſtrata plethoræ reliquæ ventilatione, etiam alia, quæ huc facerent ſecundum meas conſiderationes, adhibita fuiſſent, euanuerunt ſenſim reliqua illa vſitata huc vsque incommoda, & magis magisque ad conſtantiorem ſanitatis vigorem æqualem redibat patiens; ſola vero hæc menſium ἀταξία continuabat ita, vt quando medicamentum illud non vſurparetur; ſolito hucusque impetu fluxus procederet, ſimulac autem hoc adhiberetur, non quidem tantundem, vt a primo eius vſu, interim maxime tamen moderate ſuccederet. Talis conſtitutio cum ſub reliqua quam maxime læta ſanitatis conſtantia ita per quatuor menſes manerent, quinto tandem menſe prorupit cum maiore quam huc vsque vſitato illo impetu exiguum quoddam concrementum ex ipſo vtero, citra tamen grauiores alias conſecutiones, dum medicamentum dictum ſedulo adhiberetur. Hoc vero ita demum obſtaculo eliſo rediit non ſolum ad firmiorem, & vndique ſinceriorem æqualitatem & conſtantiam etiam vniuerſa reliqua ſanitas; ſed reuerſi ſunt etiam in tranquilliorem, & omnino moderatum motum ipſi menſes.

II. Non abſimili ratione alia honeſtiſſima fœmina, ſed vix 23. annos ſuperans, iam duorum liberorum mater, cum tertia vice grauida fuiſſet, experta eſt *abortum*, admodum *præmaturum*. Poſt annum ab eo tempore acceſſit ad me, conſilium petens pro ſumma reſpirationis *anguſtia*, præcordiorum *anxietate*, ingente *laſſitudine*, *appetitus* defectu; *color* faciei erat maxime pallidus, licet *turgidior* magis, quam extenuatus ſimul eſſet vultus. Cum autem vna *venter* in eandem molem inflatus eſſet, qualis *partui* proximis eſſe poteſt aut ſolet, perquirebam ante omnia de hoc habitu. Ibi indicabat illa, quod equidem ſecuram plane ſeſe reputare non valeat, interim plus *annuo* iam ſpatio ventrem hunc talem vtique geſtet, conſtanter eundem. Narrabat ita *abortum* eo tempore factum. Huic autem, ſubiiciebat, ſucceſſiſſe *inordinatum*, citiſſime *reuertentem*, diutiſſime *durantem*, per *leuiſſimos* motus corporis aut animi *recrudeſcentem*, & *prodigum* penitus *menſium*, vti quidem vulgo enunciant, ſuorum fluxum: quem etiam eo ipſo quam maxime die moleſtiſſimum ſibi eſſe querebatur. Licet autem ſub tali conſtitutione ſuſpicionem complicatæ *impregnationis* locum vix habere monerem; orabat tamen illa, vt quoquo modo illa medicamentorum ratio haberetur, ne tali ſpei forte damnum obtingere poſſet. Sumebat itaque ante dicti medicamenti doſes quatuor, a quarum prima ſtatim ceſſabat *fluxus*, a tribus reliquis minuebatur cito & potentiſſime *venter*: vnde ſubiunctis adhunc duabus doſibus omnis *inflatio* penitus euaneſcebat. Manebat interim *durus* ita extenuatus omnino venter; & quamlibet inſolentes illæ *anguſtiæ* & *anxietates* deſiſterent, non erat tamen vsque quaque conſtanter & æqualiter *tranquilla*. *Quarta* ab hoc

tem-

tempore ſeptimana reuertebatur *fluor* vterinus, quamlibet moderatus; cui cum iterum medicamento eodem debitum moderamen adhibere inuigilaremus, corripitur patiens tertio poſt die tanquam exquiſitis *doloribus partus*: imo parit poſt duas forte horas, ſed nihil aliud, quam, vt illa interpretabatur ab externo figuræ ambitu, mediocrem *murem*; *concrementum* videlicet, intus fibroſo-tunicaceum, ſed indiſtinctis tricis perplexum, ſpiſſo vero ſanguine expletum, exterius continua tunica firmiore comprehenſum, vna vero ſui extremitate articuli digiti longitudine, cito valde gracile, quæ etiam alicunde auulſa apparebat e manifeſta continui ſolutione. Poſt huius concrementi reiectionem, procedentibus per plures dies iuſtis *lochialibus* expurgationibus, concepit paulo poſt legitimum fœtum, geſtauit tranquille, peperit feliciter ſanum & incolumen, incolumis etiam ipſa per diuinam gratiam.

Sane vero huiusmodi perturbationes *menſtruæ* euacuationis, quæ a *lochiis* male ſuccedentibus dependent, non confundendæ ſunt cum *ſimplicibus* menſium erroribus; quod iterum moneo.

§. X. Maioris autem certe conſiderationis ſunt, non ſolum propter *frequentiam* maiorem, ſed etiam & certiores atque præſentiores, & plures numero, vlteriores malas conſecutiones, *imminutiones* atque *defectus* debiti fluxus menſtrui. Contingunt hæ *tribus* maxime modis: 1) *imminuendo*, menſura: 2) *cunctando*, tempore: 3) plane *emanendo*. Quod iam attinet *imminutionem* ſimplicem quantitatis, quamuis etiam ipſa nihil boni poſt ſe trahat, ſubſiſtunt tamen fere incommoda hinc pullulantia in ipſis *periodis* debitæ euacuationis; &, niſi cito ad plenam *oppreſſionem* ruat progreſſus, ex alio violentiorum cauſſarum ingenio vndique leuior hæc eſt, quam altera, proxime memoranda.

Defectus menſtrui fluxus maioris momenti ſunt.

1. Imminutio.

§. XI. Nempe illa imminutio debiti fluxus, quæ *tempore* deficit, & non ſolum reliquam *periodum* deſerit, ſed in ſpecie *menſtruam*, eſt vtique iam multo propior, non ſolum ad plenam æque *ceſſationem*, ſed etiam inprimis ad *importuniores* & turbulentiores commotiones, tam *frequentiores*, quam *ſpecie* diuerſa plures, ad minimum externa: vere autem plus *motum* *ἀταξία* turbantes, quam ſimplicioribus *ſtagnationum*, *infarctuum*, *ſtaſium* effectibus. Hæc aberratio quanto plus recedit a *tempore* non ſolum, ſed etiam ipſo prorſus *ordine*, nempe, vt aliquando hoc, proxime alio modulo & ambitu temporis qualitercunque reuertatur, eo proprior eſt aliis eiusmodi ataxiis vlterioribus & *grauioribus*. Quid, quod etiam ille non plane negligendus ſit *temporis*

2. Cunctatio tempore deficiens.

huius flexus, quando a *phaſium* potiſſimarum *lunarium*, *nouæ* inquam aut *plenæ* lunæ ambitu, multum recedunt.

3. Oppreſſio ſeu emanſio. §. XII. *Oppreſſio* denique plenior quam maxime etiam ſub *duplici* differentia conſideranda venit. *Primo*, quando *languide*, & tanquam per occaſiones deficiendo tandem plane ſubſiſtit: *ſecundo*, quando *ſimul & ſemel* velut opprimendo cohibetur, in conſtitutione inſuper reliqua largius abundante *plethorica*. Quamuis autem aliquid etiam diuerſitatis omnino inferat *ætatis* ratio, ſub qua eiusmodi ſuppresſiones eueniunt; vbi omnino, quæ *iuniori* adhuc ætati obtingunt, tanto magis vlteriores grauiores turbas poſt ſeſe trahunt: ſunt tamen in genere etiam *cuilibet* ætati quaſi certi *periculi* prænuncii; & quidem non ſolum in præſens, ſed communiſſime in *longum*, quam familiariter in *omne*, quod adhuc reſtat, vitæ tempus.

Cauſſæ horum defectuum. §. XIII. CAVSSAE huiusmodi defectuum ſunt quidem etiam diuerſi tam *generis* & *ordinis*, quam *ponderis*; commode autem conſiderantur 1) vt *internæ*, aut manifeſtius *aduentitiæ*; 2) vt *materiam* magis, aut *motum* afficientes; 3) vt *præſentioris* atque fortioris, aut *remotioris* atque languidioris efficaciæ. Primum quod concernit,

Internæ. ſunt ſane ipſæ *internæ* huiusmodi cauſſæ non ſolum *familiariores*, ſed & re vera, ſi res recte æſtimatur, *potentiores* ad *imminutionem* atque *perturbationem*, quin ipſam vsque *ſublationem* plenam, quam fere *externæ*. Multo efficaciores autem communiſſime aliquæ illarum, inprimis importuniores, ad concitanda etiam deteriora *conſectaria* vlteriora, *promtius* & proinde *frequentius*, quam *externæ* quæcunque, exceptis plurimum *rarioribus*. *Prima* ordine, neque certe poſtrema dignitate atque energia, eſt ipſa *plethora*; & quidem vſitatis illis ſuis *duobus* offendendi modis, nempe vel *ſpiſſitudine* conſiſtentiæ humorum, hinc ſenſim innidulante; vel nata hinc occaſione *commotionum* importuniorum, quæ ante hac ſub moderatiore menſura, adeoque nulla æque iuſta cauſſa exonerationis, vt *ſuperflui*, minime cooriri ſueuerant. *Priorem* efficaciam fouet atque promouet duplex illa morum popularium familiaris circumſtantia: parum *bibendi*, licet ſub reliquo ſolidorum largo paſtu; deinde *deſidem* inſuper viuendi rationem ſeruandi. Hæc certe cauſſa duplex poteſt longe plurimum in illis, quæ frequentius eueniunt, *ſimplicibus* menſium imminutionibus.

§. XIV.

§. XIV. Ex *aſſumtis* extrinſecus accuſantur quidem, craſſioribus hodiernorum quorundam conceptibus, talia, quæ famoſis illis *potentiis ſalinis* humores alterare valeant; & eminenter talia, quæ vel *acida* manifeſtius ſint, vel ad *aceſcendum* prona atque promta videantur. Quamuis autem his rebus minime denegem omnem huiusmodi energiam, qua coagulatoriam, ſeu *inſpiſſatoriam* qualemcunque conſecutionem habere poſſint, eoque tam motui reliquo, quam exitui tandem ſanguinis moram obiicere: tamen ſi vere attendamus, quod nempe vnice vtique neceſſarium eſt, potius illa, quæ *manifeſto* eueniunt, & ſine fictione aut ſuppoſitione potius vere SOLENT euenire, quam, e ſimplici materiarum habitu, euenire POSSE videntur; diluceſcet ita facillime, quod illa ſuppoſita ingens procliuitas, quæ e *potentia* diſpoſitionis præmature infertur, re vera a *veritate facti* ſit alieniſſima.

Num aſſumta ſimpliciter noceant, & quid potentiæ ſalinæ valeant?

§. XV. Dum vel vniuerſum ſexus muliebris vulgus æque, atque delicatiores intemperantiores, & cupediarum cupidiſſimæ, magno numero, imo innumeris penitus exemplis, & confirmant & intelligunt etiam, ſeu conſciæ ad minimum ſunt, quod varia talia *aſſumta* minime ſimplici aut directo *materiali*, licet valde largo & ſatis immoderato eſu aut vſu, tanquam ſimpliciter noceant, atque damna talia incutiant: ſed ſimplicius magis *formali* inconueniente *adminiſtratione*; repentina immodica *ingurgitatione*, *primas* potius adhuc *vias* luculenter prægrauante, quam quidquam conſpicuum in ipſos *humores* ſiue *transmittente*, ſiue *introducente corporaliter*, vlteriores illas malas *conſequentias*, etiam in *menſium* ſucceſſus ſenſim redundantes, poſt ſe trahant: *eminus* & *languidius*, ſane *mediate*. *Immediate* vero magis & *promtiſſimo* euentu tunc demum maxime ita noceant, quando illo ipſo *tempore ſpecialiſſimo*, neque tam ſolum in vſum modeſtum, quam verius abuſum trahuntur, quo ipſo *motus* ad hanc excretionem maxime dirigi & ordinate inſtrui debebat.

Quando, & qua ratione aſſumta noceant.

§. XVI. Vbi certe omnia præiudicia reliqua facile euertere poteſt, ſi modo animus adhibeatur ad illud, quod efficaciſſima in hoc genere ſint inprimis talia, quæ vel abſolute nullam probabilem aliam, quam ſimpliciter *in primas vias* & *primam coctionem*, turbationem edere valeant, qualia ſunt v. gr. *placentæ*, imo ſimplex ordinarius *panis*, tam *ſecalinus* domeſticus, quam *triticeus*, optimæ de reliquo notæ, & vere *quotidianus*; nec enim *copia* noxia ingurgitatus, ſed ſola illa cir-

Efficaciſſima aſſumtorum talia ſunt, quæ primas vias & primam coctionem turbant.

cumſtantia, ſi adhuc *a clibano calens*, in denſam *paſtam tenacem* per hæc momenta compingi aptus, ita peruerſe vſurpetur. Vbi nempe etiam manifeſtiſſimis penitus ſignis paſſim dilucescit, quod præcipua illa *prima* atque *directa* noxa, quam talis peruerſus vſus introducit, vere ipſi *ventriculo* obtingat: vnde etiam extra tempus *menſium* in *ventriculum* pariter ab eiusmodi erroribus ingruit, vix quidquam minus, quam ſi tempore *menſium* vna conſpirante etiam horum ſucceſſum ſimul impediuerit.

Non quælibet ſapida, ſed ad fermentationem apta, inprimis fæx cereuiſiaria, hos effectus edunt.

§. XVII. Sicut etiam e *ſapidis* non tam ſimpliciter actu talia, aut quoquo modo in eminentiores *ſapores* tranſire apta, nec etiam temporis proportione tali methodo conſona, huiusmodi effectus edunt: ſed talia præ aliis, quæ efficaciam coniunctam habent, in ipſis *primis* præcipue *viis* in effectum deducendam; cuiusmodi ſunt tum quælibet ad velocem *ſpumidam* atque halituoſam *fermentationem* maxime apta; tum ſpecimen atque documentum ſimilium luculentum (quod inquam ipſa maxime *fermentatione*, & eminenter ſimplicius *quatenus fermentantia* etiam hos effectus edant) ipſa *fæx cereuiſiaria*, tam in *potu* adhuc turbido, quam *farinaceis* mixturis, ad *liba* atque *frixa* varia admixta. (Vbi certe contra omnem demonſtrationem experientiæ pugnat, quod *fæces* vllius *fermentati* proprie, nedum directe, ad *acidam* præcipue, ne dum directe, *acuitionem* conferant, ne dum tendant, imo ita, vti hic fingitur, *ruant*. Cum potius per *feceſſionem* atque *depoſitionem fæcum*, *pinguium* nempe & *acrium*, *aceſcentia* tota contingat: &c.) Vnde quidem etiam paſſim videre eſt, plebeias *acetum*, a lactucæ & ſimilium acetariorum ferculorum apparatu reſiduum, acre, & non paucum, epotare, ſine vllo ſenſibili detrimento.

Effectus ſalium volatilium tam accidorum quam vrinoſorum, ſi ad corpus viuum applicatur, perit omnis eorum vſus.

§. XVIII. Impingit autem tota illa opinio tandundem, quantum altera illi in hoc ordine directe oppoſita, de vtilitate & efficacia *ſalium volatilium* in his ipſis caſibus, vere craſſo modo contra ſimplicem illam, vti prætexitur, *mechanicam rationem* & *proportionem*. Cum enim opinio hæc de tali modo nocendi huiusmodi rerum innitatur *experimentis* illis, quibus *acida coagulare*, *vrinoſa* vero *reſoluere* & colliquare *ſanguinem* deprehenditur: perit tamen omnis vtique vſus huiusmodi rei ipſa *applicatione*, ſi illa ſecundum iuſtam alteram experientiam in corpore *vt viuo* æſtimetur. Cum enim primum illud experimentum omnino fundetur ſuper peculiari iuſta, præcipue vero etiam *larga proportione* huiusmodi ſalium vtriusuis generis; *acida* vero illa ex

huiusmodi aſſumtis neque tam *largo* prouentu; neque tánta *energia* (vti quidem pro illis experimentis *fortiſſima* adhibentur; *mineralia*) pro-gnaſci poſſint: neque ex aduerſo, quod expertis practicis nimio plus notum eſt, *volatilium vrinoſorum* vel *centeſima* pars in corpore, quantumcunque ægro, ſine notabilibus *perturbationibus* toleratur, quam neceſſe eſſet pro corrigenda eiusmodi ira potenter & vndique *coagulante* aciditate, qualis per illas vſitatas fictiones ſupponitur; quæ nempe adeo coaguiet totam maſſam humorum, vt etiam minima quælibet illorum particula ad *ſtaſes* ſubeundas apta ſit.

§. XIX. Pro quarum rerum vero intellectu, quantumlibet vtique ſimpliciſſimo, commendo ſimplex illud experimentum, vt ſemuncia *cryſtallorum Tartari* pulueriſſ. ſaturetur ſpiritu *volatili vrinoſo*, & adhibeatur prudens æſtimatio *proportionis* mutui ponderis: & hinc inſtituatur comparatio, cum *tartarus*, vt abunde notum, ſit ſal *moderatæ aciditatis*, & tamen tantum eiusmodi ſpiritus *vrinoſi* requirat ad ſui ſaturationem; quid concipiendum eſſet de illa *proportione*, qua ſanguis tantopere *coagulatus* non ſolum *priuatiue*, ſubigendo *aciditatem*, ſed plane *poſitiue*, vlterius adhuc *attenuando*, inſtruendus foret; ſi & ſuppoſita illa cauſſa vera eſſet, & hinc etiam illa eiusmodi efficacia oppoſitorum vera eſſe deberet. Breuiter & aſſeuero hoc; & concludo confidenter, quod etiam illa, quæ qualicunque materiali *corporeo* actu *menſium* ſucceſſum *imminuere*, inprimis autem *cito* & *potenter* cohibere, ſine fictione & opinione de *potentiis*, vere *ſolent*, longe manifeſtius in *motus* potius directe, quam ſimpliciter in humorum *craſin*, minime omnium autem nude *coagulando*, operentur.

Experimentum cum cryſtallis tartari ſpiritu volatili vrinoſo ſaturatis.

Cauſſæ hæ materiales magis in motum quam in humorum craſin operantur.

§. XX. Sicut autem etiam energiam *ſpiſſitudinis* ſanguinis ad *ſucceſſiuas* inprimis *imminutiones* minime nego; ita quæro ſolum *cauſſam* eius in illa potius ſimpliciſſima *ſpiſſeſcendi* ratione *triplici*, vere *ſolita* œconomiæ animali: 1) deficiente *dilutione* debita: 2) inſufficiente *ſubagitatione tenui* ſanguineæ ſpiſſioris partis cum diluente (illo pingui huius *nimiam aquoſitatem* reſpuente): 3) *ſeroſo-lymphalis* ſubſtantiæ nimio *lentore* & *tenacitate*. Quibus longe ſimpliciore ratione quadrant & reſpondent & ipſæ cauſſæ, quæ hos effectus non tam putantur *poſſe* præſtare, quam vere ipſo *effectu* hoc præſtant: quam indoles illarum, ad modum & conſpicuas circumſtantias *fiendi* comparata.

Spiſſitudinis cauſſa triplex.

§. XXI.

Cauſſæ externæ ſpiſſitudini fauentes.

§. XXI. Conſpirant cum his inſigni conſenſu cauſſæ etiam *externæ*; quæ, ne circa enumerationem per nomina prolixi ſimus, omnes vtique, quotquot vere & certa efficacia his rebus aliquid præiudicii adferunt, vel defectum *dilutionis* ſufficientis, vel *heteroclite* diluentis exceſſum, vel *ſeri lentorem* conciliant: aut denique plus in *motus* atque *vias*, quam *vniuerſaliorem* talem *craſin* humorum efficaciam ſuam exercent.

Animi pathemata.

§. XXII. Merito vero peculiari plane loco conſtituo cauſſas, ad *defectum* menſium præſentiſſime ſubinde inducendum præ omnibus aliis quam maxime efficaces; quæ nempe ſunt ANIMI PATHEMATA, ante omnia vero repentinus ingens *terror*. A tali enim menſtruum etiam actualem *fluxum* vel in *medio curſu impetu* prorſus repentino opprimi, vix vlli hominum ignotum eſt, quamuis etiam vtique *nauſea vomibunda* inſignis aliquid hic conferre poſſe videatur: vix tamen ſola ſimpliciter. (Exemplum eius rei eſt in *epiſtola de motu tonico vitali*, ſupra etiam, vbi de *vomitu cruento*, memoratum.)

Venæ ſectio largior ſub menſium fluxu.

§. XXIII. Adiicere tamen his cauſſis, aut verius tanquam ſpecimen *externæ* cauſſæ, *motum* humorum ſimpliciter alterantis & auertentis, nominare placet, ſanguinis *repentinas ſubtractiones*, non tam promiſcue per quaslibet, quam ſeorſim per *oppoſitas* vias atque regiones. Vnde quidem & alias nota eſt, & a *Foreſto* etiam peculiari exemplo illuſtrata, efficacia *largioris V. Snis in ſuperioribus*, brachiis, fluentibus aut inſtantibus ipſis menſibus.

Quæ ex his cauſſis præſentioris ſint efficaciæ.

§. XXIV. Iam vero, vt omnino magis diluceſcere poſſit ipſa veritas *efficaciæ*, ſecundum quam huiusmodi cauſſæ hos effectus ipſo facto, & vero experientiæ teſtimonio, exhibere & exſerere *ſoleant*: conſiderandum omnino eſt *fundamentum* a nobis conſtitutum *cauſſalitatis*, in hoc ordine *tertium*, nempe, a qualibusnam etiam verarum hactenus indicatarum cauſſarum FAMILIARIVS, PROMTIVS atque SAEPIVS effectus ille vere produci atque præſtari SOLEAT. (In hac enim certe re familiariſſime impingit ſpeculatiua pathologia, ante omnia vero ἄπρακτος, vt magis intenta ſuis ſpeculationibus vndique præferat illas, quæ ſibi tales *videntur*, cauſſas, alteris, quæ potius *ipſo facto*, & experientiæ teſtimonio quam maxime actiuæ eſſe, & vere *operari*, indies obſeruantur.)

§. XXV.

§. XXV. Hanc ad normam ſi etiam veras cauſſas *frequentioris* menſium defectus expendamus, facillime vtique palam erit, quod præcipuæ cauſſæ, quæ hic in conſiderationem veniunt, ſint illæ, quæ MOTVS inprimis directe magis alterare ſentiuntur; & tanto certius quidem & eminentius, quanto *certius* æque atque *fortius* hoc perpetrare ſentiuntur. Vnde *prima* in hoc ordine ſunt *animi pathemata*; ad *repentinam ſuppreſſionem*, *terror*, ad *ſucceſſiuam* quidem, ſed tamen minime quoque ſegnem, *deſiderium* anxium & *mæror*. *Secundum* locum occupant, quæ *primas vias*, imo ſincere primam *coctionem*, *eximie* turbant aut prægrauant. *Tertiam* inter hæc locum vindicant ſibi alia *externa*, quæ vel *ſenſu*, vel *partialibus inſpiſſatoriis* effectibus, illo *motum* ipſum, his *mobilitatem* humorum alterare poſſunt. *Vltimum* autem profecto locum inter omnia talia occupant, *rarius* inquam atque *tardius* edunt effectus tales illa, quæ re vera humorum CRASIN alterando quidquam hic efficiunt. Imo vero ſi res exquiſite ſine omni præiudicio, cum ſufficiente ſolum vera & ſolerti *obſeruatione* ipſius experientiæ, conſideratur, non poterit fallere obſeruatio illa, quod etiam hæ ipſæ cauſſæ longe *rarius* ſuum effectum *ſincerum* edant *per ſe, propria energia*: quam *remoto* ſolum *mediato* concurſu cum illis priorum claſſium atque graduum cauſſis, *motus* ipſos magis *a priori* alterantibus, aut *particulares* demum in *humores*, aut priuatius in ipſas *vias* perturbationes introducentibus.

Præcipuæ harum cauſſarum directe magis motus alterant, reliquæ cum illis conſpirant.
1. Animi pathemata,
2. quæ primas vias turbant,
3. externa motum & humores alterantia,
4. humorum craſin alterantia.

§. XXVI. Quæ certe res, quantum ad *medicam* conſiderationem attinet, maximi eſt momenti; quatenus inde longe luculentius vtique comparet diuerſa vti *efficacia*, ita etiam *æſtimatio* illarum huius ſeriei cauſſarum, quæ re vera *conſpirando*, aut *ſuccedendo*, tandem potius hos effectus abſoluunt, quam directe & ſimpliciter vniuerſam *energiam* complectuntur: adeoque illis neque ſimpliciter *ſolis*, ſed in *ſubordinationis* ſuæ ordine recte *ſubueniri* poteſt. Interim tamen, ſi etiam hæ, & iterum dico, *in ſuo ordine*, negligantur, etiam aliarum huiusmodi *concurrentium* cauſſarum plena coërcitio ſpei minime obſequetur. Vbi rurſus commendo veram agnitionem & æſtimationem illarum cauſſarum, quæ non tam directe ad *ſucceſſum* euacuationis menſtruæ impediendum, quam ad *motus* euacuatorios inordinate & intemperanter *incitandos* atque perturbandos faciunt. In quo quidem genere remote *plethora*; propius autem *ſenſuum incitamenta*, & *ventriculi* one-

Vſus huius conſiderationis.

onera; proxime vero *animi pathemata* plurimum omnium poſſunt: ſed tamen in *reciproca conſpiratione*.

Magnus numerus fœminarum, licet his cauſſis afficiantur, tamen nullum vitium menſium inde contrahunt.

§. XXVII. Vt autem, tanquam de ſuperfluo, huic etiam rei tanto magis iuſtum *ætiologiæ* veræ ſcrutinium adhiberi poſſit, affundet vtique lucem etiam illa conſideratio, quantus paſſim, & maximus quidem omnino numerus occurrat, variis huiusmodi cauſſis *ſeorſim* affectarum fœminarum, quibus tamen propterea *menſes* etiam vllum, nedum effatu dignum vitium aut damnum nequaquam contrahant: ſed tunc demum, quando mutuis *concurſibus* & *reciprocis* concitationibus conſpirando, his effectibus portam aperiunt, imo vero non magis velificantur, quam operantur. Sicuti profecto pro vniuerſa *vera pathologia* immenſum quantum momenti habet conſideratio illarum cauſſarum, quibus illæ veteribus dictæ *antecedentes*, quas recentiores propemodum ſolas commemorant, vbicunque adhuc aliquid veri adſequuntur, in ipſum *actum* vere deducuntur. Cuius nempe rei exempla in noſtro caſu certe innumera ſunt, *plethoricarum* inquam, *ſpiſſo* ſanguine affectarum, *mucido lentore* feri laborantium, *ſedentaria* ſatis vita ſegnium; quin etiam *iracundia*, *terrore*, *frigore*, praui ſucci *cibis*, excedentium: quas tamen aut nunquam, aut *tarde*, aut *parum* in hoc genere perturbari ipſa experientia teſtetur. Et hoc *exemplis*, quod vtique iterum iterumque monendum duco, vtique velut *innumerabilibus*. Quæ certe res non ſolum vulgatam, ſed omnem penitus, niſi quidem *circumſpectiſſimam*, *pathologiam* euertit.

Duæ circumſtantiæ hanc rem explicant. Hinc pellentia reiiciuntur.

§. XXVIII. Sicut autem iuſta tandem penſitatio præcipuam rationem habebit *duarum* illarum circumſtantiarum, I. *concurſus* harum cauſſarum mutui; II. efficacioris (commotiones inprimis turbantium) *incurſus* in ipſa *tempora* menſtruæ debitæ commotionis irrumpentis: ita redundat ex hac vtique tali conſideratione etiam illa *therapeutica* cautio, ne plus iuſto hic tribuatur *pellentibus*, nempe ad concitationes *motuum* diſponentibus remediis; neque vias quantumcunque *ſtringendo* liberum ſucceſſum impedire aptis, inprimis verſus ipſum *tempus* debitarum ſpontanearum commotionum: quæ cum ſecundum naturam *tranquille* penitus, *tacitæ* atque *placidæ* exſiſtant, non ſolum non poſtulant, ſed neque facile ferunt eiusmodi *incitamenta*, niſi quidem ſumma cum prudentia adminiſtrentur.

§. XXIX.

§. XXIX. Quamlibet autem hodie paſſim in dubium vocetur energia *incantamentorum* atque *faſcini*, tamen cum ad minimum *veneficiorum* per materias non cuiuis cognitas peculiaris inſolita energia non poſſit pari audacia negari, placet proinde mentionem etiam illorum aliquam facere circa hoc noſtrum negotium. Ipſarum certe veneficarum etiam iudiciariæ publicæ confeſſiones loquuntur hoc paſſim, quod puellas hic illic malis ſuis artibus in damna ſanitatis coniecerint, vti ſumma, ita circumſtantiarum ratione penitus inuſitata. Communiſſime autem dicuntur talia initium facere a *menſium* vitiis, maturam eorum plenam *ſuppreſſionem* poſt ſe trahentibus. Et quidem cum *inuſitatis*, non ſolum magnitudine atque frequentia, ſed tota etiam *ſpecie*, ſymptomatibus, circa *phantaſiam* inprimis & *motus tonicos* occupatis; nempe *melancholiis*, *apparitionum ſpectrorum phaſmatibus*, *anxietatibus*, imo paſſim a mitiore initio ad *maniacam* violentiam præcipitibus: *motibus* tum *conuulſiuis*, tum *firmiter* & inuſitato more atque partium ſitu membra *contrahentibus*. *Excretionibus* etiam, inprimis *vomitu*, rerum alieniſſimarum, *pilorum*, *ſegmentorum vnguium*, *corticum ouorum* &c. Nec inſuper fere comparentibus prægreſſis *phyſicis* cauſſis, ſed vel e media florida *ſanitate*. Ergo certe ex huiusmodi rebus, poſt excretionem talem *abſurdorum* huiusmodi, præcipua ſuſpicione dignam exiſtimo inprimis *contracturam* illam vehementiſſimam, vtpote aliis vehementiſſimis tam *conuulſionibus*, quam *artuum doloribus* minus vſitatam.

De veneficiorum energia ad menſium vitia contrahenda.

§. XXX. Sicut autem de cauſſis, & *phyſico* quocunque illarum agendi ordine circa hæc negotia, irritum puto eſſe omne conamen: ita non dubito fateri, quod etiam ſimplici tali *phyſicæ* efficaciæ re ipſa parum hic tribuam; aut minus certe, quam efficaciæ *impreſſionis* per malignam *imaginationem*, præſertim ſi actio non ſimpliciter in diſtans fiat, ſed præſentes *horridi* obtutus, quin verbis ambiguis, imo diſertis, expreſſæ *minæ*, *penſitabundas*, *meticuloſas*, & *anxias* inſuper reddiderint patientes. Quamlibet autem luculenta vlla pathologia in his negotiis omnino deficiat; non tamen propterea *rem ipſam* etiam vanam atque falſam eſſe, vti rationes habeo, quamobrem credam, non vanas: ita mentionem etiam huius ſecundum τὸ ὅτι ad minimum iniicere, non abſonum exiſtimaui.

Cauſſas & phyſicas rationes hic allegare irritum eſt. Interim tamen imaginationi plus quam efficaciæ phyſicæ hic tribuendum eſt.

Vitia menſium, quæ non vniuerſo fluxui, ſed tantum initio & fini obtingunt.

§. XXXI. Quemadmodum autem hæ fere ſunt læſiones atque perturbationes fluxus *menſium* qua talis: ita non indignum tamen eſt, etiam illa vitia tanquam ſeorſim intueri, quæ non tam indifferenter vniuerſo fluxui obtingunt, quam primariis eius *circumſtantiis*, *initio* atque *fini*. Cum enim hic fluxus & *incipiendi* circa *ſecundi ſeptenarii*, & ſponte *deſinendi* circa *ſeptimi ſeptenarii* exitum omnino habeat certa tempora; & vtrinque ſatis familiariter *defectus* aliquos experiatur: erit vtique iuſtum de illis etiam aliquid monere.

Initium ante completum 14. annum nihil damni infert.

§. XXXII. *Initia* huius fluxus *exceſſu* vix peccant aliter, quam vt ſic ſatis *mature* emicent, nempe ipſo 13. anno. Interim adeo certe parui æſtimatur vulgariter hæc circumſtantia, vt etiam potius ſolenne ſit, vel ipſi etiam medicæ ſcholæ, terminum hunc pro legitimo agnoſcere. Propterea maxime, quia hæc circumſtantia inprimis per ſe, & citra alias, etiam propria efficacia hic incommoda inducere compotes, nihil ſenſibilis alterationis, ne dum damni, inferre conſueuit. Præter vnam illam conſecutionem, ſed nec ipſam ſatis certam, quod quibus admodum *mature* menſes emicuerunt, his etiam ſolito *maturius* interdum *deſinant*.

Exceſſus menſium longe minus occurrit quam eorum defectus, inprimis circa initium.

§. XXXIII. Sicut autem omnino ſecundum ipſarum rerum indolem iam ſupra paſſim monui, quod in genere *exceſſus* hæmorrhagiarum longe minus familiariter occurrant, quam *defectus* earundem; ita valet hoc certe tanto magis de hoc etiam initio menſium. Vtpote quod longe vtique familiarius *defectu* incommode ſeſe gerit, imo negotia faceſſit, quam *exceſſu*. Siquidem cum fere, vt etiam iam innui, non ſolum vulgus experientia edoctum ita arbitretur, ſed etiam ſcholæ medicæ conſenſu ſuo hoc omnino confirment, quod illa eruptio menſium ante completum 14. annum velut indifferens exſiſtat, ita ex aduerſo neutri horum inficias eunt, quod *emanſio* diuturnior vltra 14. annum ſatis certa, & propemodum indubia incommoda introducat: & ante omnia quidem etiam promtiorem, ſuccedente ipſo tempore denuo coorientem *defectum*, aut ſane *impeditum* & *inordinatum* ſucceſſum.

Emanſio vltra 14. annum, quas cauſſas agnoſcat.

§. XXXIV. *Emanſio* hæc agnoſcit vtique paſſim communes cauſſas cum aliis eorundem menſium *imminutionibus* aut *defectibus*. Ea ſolum differentia, quod in hoc quidem genere maior ſit efficacia *ſimpliciorum* vitiorum, *conſiſtentiæ*, aut *motus* alio inclinantis: minus autem illarum rerum, quæ ipſum *fluxum* alias in medio ſui actu occupare aut opprimere obſeruantur; niſi quidem etiam in tali iam ætate penitus

for-

fortuito caſu in ipſa forte tempora molientis huiusmodi exitus forte inciderent. *Mœror* autem, tum alias triſtis, tum cum *deſiderio* vehemente iunctus, poteſt vtique hic non parum. Sunt autem huiusmodi diuturnioris *emanſionis* præcipuæ conſpicuæ cauſſæ, 1) *ſpiſſitudo* notabilis ſanguinis; 2) *animi* quidem *mœror*; *corporis* autem etiam aliæ morbidæ *dyscraſiæ* & *ataxiæ*; 3) quin imo ipſa inſignis *plethora* cum vita *deſide*, aut repentinis *exundantiis* expoſita. Sicut etiam hæ ipſæ cauſſæ circa recentiorem adhuc *ordinem* huius fluxus paſſim vtique nouas turbas atque moras obiicere ſentiuntur.

§. XXXV. Quæ res recte & obſeruata & æſtimata lucem præferre poteſt alteri compari, quomodo nimirum ſæpius certe, quam quidem vulgo agnoſcatur, tam mulierum ipſarum auſibus, quam inauſpicatis conſiliis Medicinam facientium, per intempeſtiua *pellentia commota plethora*, loco ſperatæ *prouocationis* etiam in his temporis periodis non ſolum nihil cum fructu abſoluatur, ſed paſſim etiam adhuc deteriora incommoda conflentur, tum alia, tum omnino ipſius adhuc pertinacioris *cunctationis*, imo ſubſequentis tanto citius actualis *ſuppresſionis*. Cui nempe rei tanto propius fauet opinio illa recepta, non ſolum de *materiali* correctione ſanguinis neceſſaria, ſed etiam nominatim *aciditate* & *coagulatione* eius reſoluenda; vbi partim *acria* ſalina, partim *tenuia pellentia* ſegnem ſanguinem, temere in vſum tracta, turbas edere ſolent. Vt de *martialium* falſo nominata *aperitiua* efficacia nihil dicam; quæ verius *ſtricturas* prouocando, & *quantitati* abundanti, & *qualitati* non ſatis dilutæ, minime quadrant. Vnde, niſi tandem ipſe naturæ vigor, nouis moleſtiis excitatus, perrumpat, (in *robuſtioribus*, *plebeiis*,) familiarius ipſæ potius *ſuppreſſiones* hinc ſubnaſcantur: aut certe non tam in vllum conuenientem *ordinem* redigantur, aut ſponte reuertantur; ſed certius *anomalos* fluctuantes, quantitate atque tempore, *motus* inde experiantur.

Intempeſtiua pellentia, ſanguinem corrigentia, martialia in hac periodo adhibita, pertinaciorem cunctationem imo ſuppresſionem menſium inferunt.

§. XXXVI. De *cunctantibus* erumpere iuuencularum menſibus valet certe, quotidiana experientia teſte, quam maxime, quicquid hic tetigi de neceſſaria cautione, tam in *pellendo* quam vulgo ita dicta *aperiendi* intentione & opinione; quandoquidem vtrisque his modis, & inprimis ipſarum mulierum arbitrariis artificiis *pellentibus*, ita affectæ puellæ familiariter in maiores *obſtipationes*, cum *anguſtiis* & *anxietatibus*, *becticas* aut ſane *lentas* extenuantes *febriles*, *phthiſicas*, *cephalalgicas*, *ſpaſticas*, imo *conuulſiuas* conſecutiones coniiciuntur: quæ

Quæ damna per iſta pellentia & ita dicta aperientia inducantur.

vero *ſpongioſioris* ſunt habitus corporis, *cachecticas*, malorum *colorum*, variarum *oppletionum*, *anguſtiarum*, *grauationum* ſenſus, imo tandem *œdematum* euentus incurrunt. Ad minimum autem familiariſſime omnium in eiusmodi *perturbationes* vlteriorum ſucceſſuum inde conjiciuntur, vt in poſterum nihil *ordinati*, aut *moderati*, aut *æqualis* & *conſtantis* inde reſultet; quin potius iterum iterumque poſthac neceſſariis viſis nouis huiusmodi adiumentis denuo confuſiones aut peruerſiones cooriantur: quod tandem vndecunque commendata aliqua *ventilatione* per *venæ ſectionem*, (ſi illa bona fortuna *tempeſtiue* inſtituatur) aut abſtinentia diuturniore *a medicamentis* talibus vſitatis, aut denique mutata *ſegniore* vitæ ratione in *agiliorem*, res in meliorem ordinem reuertatur.

Monitum practicum de ſubordinatione medicamentorum.

§. XXXVII. Vbi profecto non poſſum, quin aliquid moneam, quod conſideratione omni vtique digniſſimum iudico. Nempe quod ſano ſenſu etiam ipſe quam maxime agnoſco, & verisſimum eſſe ſcio, illud tamen cordatæ reliquæ conſiderationi etiam ita commendandum cenſeo, vt non magis ſolers, quam etiam ingenua penſitatio a practicis cordatis de eo inſtitui poſſit. Ante omnia conſideranda hic eſt hæc ipſa vera atque conſtans *ſubordinatio* medicationum, vt alia quomodocunque *alterantia* ſubiungantur maxime tam præmiſſis *ventilationibus*, quam *coniunctis* modeſtis *commotionibus* ſanguinis per *agiliorem* vitæ rationem. Quandoquidem longe certe ſæpiſſime contingit, vt etiam *medicamenta*, quæ ſub huiusmodi debitis *ſubordinationibus* vere efficacia fuiſſent, citra has iam prorſus inania, iam re vera *noxia* (ſi vſu paulo minus circumſpecto adhibeantur) euadant; aut ad minimum nihil quidquam *ſincerum* aut *durabile* perficiendo, tanto magis hinc animum inclinent ad *largiorem* aut *frequentiorem* vſum: quo interim longe ſæpius *damna* induci poſſunt, quam maior efficacia vere *melior* obtineri.

Citra hanc methodum alia ita reputata remedia & reliquæ methodi dubiæ imo ſiniſtræ ſunt efficaciæ.

§. XXXVIII. Interim merito etiam vere ingenue & cordate conſideranda venit illa huiusmodi rerum efficacia, quæ, ſi decenter adminiſtretur atque dirigatur, non ſolum maximam, imo vere præcipuam dignitatem & energiam pro ſubſequente exoptato euentu exhibent; ſed etiam variorum huiusmodi tam *methodorum* reliquarum, quam ſimplicius ipſorum *medicamentorum* plerorumque efficaciam ita re vera *dubiam* reddunt, vt vel eximiam ambiguitatem ſuggerant, *an etiam iſta medicamenta re vera quidquam, ne dum tantum & præcipuum,* con-

contulerint, ſi vtique melior ſucceſſus adhuc ſequatur? an vero ſolum ab illis tam *methodis*, quam *ventilationibus*, & ſubiuncta ſufficiente *dilutione*, totum negotium dependeat? Aut ex aduerſo, quomodo illa ita reputata *remedia*, quando citra has reliquas etiam *propria ſua efficacia vtiles* methodos adhibentur, potius re vera incommoda, imo damna ſenſibilia obiiciendo, teſtatum ita reddant, quod ipſa verius ad hos affectus nullius ſint pretii: ſed quicquid tandem etiam eueniat, id vnice potius reliquæ illi *methodo*, quam vlli efficaciæ horum *medicamentorum* tribuendum veniat: niſi quidem aliquando vere *heteroclita*; vt nempe per *moleſtiam* potius, aut *intricationem* ex huiusmodi rebus obortam, vegetior natura ad excutiendam tam *priſtinam* ſpontaneam, quam hanc *acceſſoriam* moleſtiam conſurgat, adeoque tandem vniuerſum negotium feliciter expediat.

§. XXXIX. Hoc ſatis certo ſcio, quod *prouocandorum* menſium negotium, qui nunquam adhuc emicuerunt, interim tamen iam *tempus* debitum præſto eſt, imo concurrit, nimio plus obſequatur *ſpontaneis* potius illis naturæ conſonis *lenibus motoriis incitamentis*, quam variis ſtricte *artificialibus* & *materialibus* remediis: imo vero plura horum etiam reuera nullius veri vſus exſiſtant ſine iſtis *ſubſidiis*; non pauca vero, neque certe poſtrema, etiam *cum iſtis* ſubſidiis nullius ſint veræ energiæ, quin potius tota vera efficacia atque felix exitus illis demum dictis *ſubſidiis* proprie & vnice debeatur, quibus potius paſſim *impediendis* aliqua horum inſeruiant.

Menſes prouocandi certe plus obſequuntur naturæ conſonis incitamentis, quam aliis artificiis.

§. XL. *Ceſſationem* autem menſium per ipſam *ætatis* periodum, nempe ſub *ſeptimi ſeptenarii finem*, quod attinet, & inprimis *morbidas* eius ataxias, eſt omnino ſatis familiare, vt fœminis in hac mutatione conſtitutis inſoliti quidam tales euentus obtingant, vt vel, poſtquam per alterum aut tertium menſem emanſit omnis fluxus, vel etiam ſimplicius breuioribus interuallis, inuſitato *impetu* inconueniẽter ſuccedat; aut veris nimiis *profuſionibus* excedendo, certioribus peioribus ſucceſſibus anſam ita præbeat, inprimis, quando *artificialem* opem poſtulare apparens, occaſionem ita præbuit repentinis *oppreſſionibus* per adſtringentia, aut *palliationibus* per opiata; neglectis ſubſidiariis aut vicariis *ventilationibus*. Vnde nihil ſolennius, niſi vt varia *hypochondriaco-hyſterica* pathemata, *profuſionum* noui impetus, poſt repetitas *oppreſſiones* repentinas *œdemata* & *hydropes*: ſæpiſſime vero ſenſim ſenſimque inualeſcens, & familiariter etiam omnem reliquam

Ceſſatio menſium, & morbidæ illam ſubſequentes ataxiæ.

vitam

vitam complectens, *mala valetudo* circa talia pathemata fluctuans, ita introducatur.

Subiecta & cauſſæ harum declinationum.

§. XLI. Qui iam etiam in huius rei cauſſas inquirere auidi ipſam præcipue experientiæ veritatem cordi habere velint, deprehendent facile, quod huiusmodi variationes & ab vſitato tranquilliore ſucceſſu & exitu huius *ceſſationis* declinationes, præter ſimpliciores *aduentitias* cauſſas, nullis certius eueniant, quam 1) eminentius *plethoricis*; 2) *largæ* euacuationi alias etiam *adſuetis*; 3) per *animi pathemata* inſignia varias eiusmodi alterationes commotionum ſubire ſuetis. Imo vel penitus 4) etiam alias adhuc arbitrarias *artificiales* euacuationes celebrare ſolitis; quas circa hæc tempora minus ſollicite & exacte, quam decebat, proſequi, imo potius plane negligere cœperunt.

His rebus ſi accedat peruerſa tractatio, grauior exacerbatio mali ſubſequitur.

§. XLII. His rebus, ſemel aut iterum qualemcunque perturbationem obiicientibus, ſi deinde adhuc accedat minus circumſpecta *tractatio*, ſiue ipſarum fœminarum arbitrio, ſiue quorumcunque Empiricorum inconditis auſibus: certius nihil eſt, niſi talium etiam gliſcentium errorum adhuc grauior exacerbatio; ſiue ſimpliciter ad priſtinum modulum *immodicæ* eruptionis; ſiue ad *ſpaſticorum* vlteriorum conatuum vel nouas, vel multo ferociores, quam vnquam conſueuerant, exagitationes. Quæ quidem, quantumlibet denique *deſinente* vtique fluxu vterino ſanguineo, vel in frequentiores illas *ſpaſticas*, *hyſterico-hypochondriacas* contentiones transmigrant; vel alteri fluori, etiam in ſeram vsque ſenectutem continuanti, viam ſternunt, nempe *albo* ſic dicto vteri *fluori*. Et tales ſunt propemodum conſecutiones exerrantis ita *ceſſationis* fluxus menſtrui, prout illa vel paucioribus titubationibus tandem acquieſcit; vel magis in transuerſum acta, atque alieno modo & loco vlterius perturbata, *diuturnis*, imo *perpetuis* in poſterum repullulantibus inſultibus, patientes exponit.

Lochiorum vitia.

§. XLIII. Placet vltimum locum tribuere LOCHIORVM vitiis. Horum ſicut iterum vel in *exceſſu* vel *defectu* præcipua contingunt vitia; rariora vero propemodum in *conſiſtentia* materiæ fluentis admodum inſolita: ita venit vtique notanda, non ſolum maior *frequentia defectus*, quam inſignis *exceſſus*; verum etiam longe præſentior *energia defectus* inſignis, quam *exceſſus* non abſolute extremi & immoderati; tanto magis, cum, vti modo dictum, talis ſumme *intemperans profuſio* longe *rarius* eueniat, quam repentinus atque plenus *defectus* ſeu ſuppreſſio.

§. XLIV.

§. XLIV. Eſt autem omnino etiam horum vitiorum, quæ *lochiorum* fluxui debito accidere ſolent, primariarum cauſſarum minime poſtrema *abundantia* inſignis, *ſpiſſitudo*, & denique *commotio* ſanguinis inſigniter expanſoria, ſiue, vt loquuntur, *turgeſactoria.* Cuius quidem poſtremæ tanta omnino eſt *prærogatiua*, vt, niſi illa præcipue concurrat, reliquarum vel in genere minor ſit directa energia, vel in ſpecie, ratione adhuc *ſubſequentium* plurium vlteriorum damnorum atque incommodorum. Quamuis enim vtique ipſa etiam notabilis ſanguinis *abundantia* æque atque vera *ſpiſſitudo* a defectu *dilutionis* impedire paſſim ſoleat & imminuere *lochiorum* fluxum eiusque ſucceſſum; non faciunt tamen hoc tam *certo*, tam *cito*, adeo *præſentanea* efficacia, tam *profunde*, tanta *pertinacia*, quam nominata illa vlterior *expanſio* exundantis abundantiæ, & ipſa *irruptione* eruptionem impedientis. Cauſſæ eorum.

§. XLV. Vnde quidem in illis locis, vbi *vini* potus non plane promiſcuus & quotidianus eſt fœminis, non raro contingit, vt ipſo improuido vſu *vini*, quando eousque etiam rectiſſime omnia ſucceſſerunt, demum incurrant *lochiorum* ſuppreſſiones. Quanquam, ne hic *vino* aliquid ſimpliciter peculiare tribuendum videatur, etiam calidorum *alexipharmacorum*, *myrrhatorum*, *crocatorum*, *ſalinouolatilium* vſus, pro tergiuerſantibus atque imminutis lochiis adhibitorum, nihilo ſegnior ſit effectus ad inducendam plenam *oppreſſionem*: tanto magis, ſi ipſa etiam illa dicta tergiuerſatio atque parcitas ſucceſſus originem ſumſit a *commotione* tali expanſoria, per aliam occaſionem prægreſſam ſuſcitata; v. gr. per immodicos & feſtinatos puerperæ *labores* ad partum, conclaui etiam inſuper vehementer *concalefacto*, imo per remedia etiam *pellentia*, *myrrhata*, *crocata*, *ſalina*, ad promouendum partum ſimul ingeſta. Interim poſſunt etiam huc omnino plurimum, & efficacia etiam præſentiore æque atque impetuoſiore, conferre *animi pathemata*, & inprimis *terror*: cuius nempe hic etiam communes cum aliis hæmorrhagiis ſunt effectus. Commotio ſanguinis per vinum, alexipharmaca &c. magis ſuſcitat lochiorum ſuppreſſionem.

§. XLVI. Sicut autem *lochialis* etiam hæc euacuatio ita pleraque communia habet impedimenta atque detrimenta cum reliquis ſanguineis eruptionibus, & inprimis talibus, quæ cum minore periculo etiam largius procedunt, quam penitus, & inprimis *cito*, *deficiunt*; ita differt tamen ab omnibus talibus reliquis in eo, quod nulla ſit alia, cuius *defectus præſentiora*, & paſſim etiam *importuniora*, vlteriora damna, pericula, incommoda poſt ſe trahat, quam hæc ipſa ita male Defectus lochiorum longe præſentiora damna & pericula poſt ſe trahit, quam reliquarum hæmorrhagiarum.

ſuccedens. Habet enim conſecutiones huiusmodi partim *mitiores*, *anguſtias præcordiorum*, *appetitus deiectiones*, *inquietudines*, *capitis dolores* atque *perturbationes*: aut *ferociores*, *febres acutas*, & vere *inflammatorias*, feroces, *præcipites*, cum inuaſionibus irritis, tanquam *hæmorrhagicis*, in *caput*, *deliriorum*, *anginarum*, *aphtharum* feracibus, ſatis familiariter *funeſtis*. Iterum autem hoc dico, & experientiam quotidianam teſtem cito, quod *defectus* lochiorum, quando non æque a vehemente *concitatione* concurrente pendet, ſed ſimplicius ab inſignis *abundantiæ* ſuffarctu, *ſpiſſitudinis* autem ſimul qualicunque concurſu, habeat proprie conſecutiones illas maxime *mitiores*, neque tam *præceps* ſit, tanquam ſponte ſua, in grauiores illas modo dictas *acutas* conſecutiones.

Reliquiæ ſecundinarum fluxum lochiorum enormem & refractarium reddunt.

§. XLVII. Sicut autem antea ſub agendo cauſſarum cenſu illas maxime allegauimus, quæ *ſuppreſſioni* lochiorum, vtpote vere familiariori, anſam præbere conſueuerunt; ita eſt adhuc aliquid monendum de illa conſtitutione, quæ *lochiorum* ſolito *maiorem*, imo enormem ſubinde fluxum & *profuſionem* poſt ſe trahit: tum inquam, vno *impetu* repentino atque vehemente profuſione patientem exhaurit; tum alibi *diuturnæ* & maxime *refractariæ* huiusmodi fluxionis verum fomitem ſuppeditat. Eſt hæc ipſa inprimis *ſecundinarum* non plena & perfecta excretio; qualis equidem & alias interdum, maxime omnium autem poſt *abortum* euenire ſolet: & quidem tanto certius, quanto *minor* toto ſui incremento atque vniuerſa mole ille ipſe, dum excuteretur, adhuc fuit. Talia enim *laciniarum* ramenta, facile poteſt concipi, quomodo occaſionem præbeant huiusmodi largiori *manationi*; tam per ipſam *communicationem vaſorum*, quam inprimis per *impulſum*, connitentem ad horum eliſionem & plenariam excluſionem.

Excluſio earum niſi procuretur, irrita ſunt omnia.

§. XLVIII. Eſt certe hæc res tanti momenti, vt, ſi illi non ita conſuli poſſit, vt omnino *excluſio* ipſa in effectum deducatur, irrita ſint interea omnia alia conamina aliter ſubueniendi: medicatio vero per *adſtrictionem* etiam actu noxia.

Non poſſum, quin huius rei exemplum allegem, notatu, niſi me quidem omnia fallunt, certe digniſſimum. Illuſtr. Matrona, quæ iam aliquando abortum experta fuerat, poſtea tamen bis feliciter & geſtauerat prolem & pepererat, cum denuo concepiſſet, interim autem variis animi perturbationibus afficeretur, iſta duodecima ſeptimana quaſi ſimplicem, placidam & maxime moderatam menſium reuerſionem experiebatur. Cum etiam hic fluxus per ſuccedentes aliquot

dies

dies eadem æqualitate permanens dubiam haberet & ipſam, & miniſtras, quid de eo ſentire deberent; cum vtique venter interea temporis incrementum ſumſiſſet vera imprægnatione omni modo dignum, neque ſub hoc fluxu tantisper vllum imminutionis ſignum exhiberet: ſeptimo fluxus die cooriebatur tantus profuſionis impetus, vt patiens inde cito atque grauiter debilitata in magnum periculum adduci videretur. Nulli concurrebant dolores, ſed nudæ anxietates & anguſtiæ circa præcordia, cum leuibus tantum morſibus in hypogaſtrio. Præſcribebantur a Medicis analeptica & leuiſſima adſtringentia, roborandi laude vulgo celebria, confectio de hyacintho, coraliata; tandem etiam fortiora, ſub plus trium horarum decurſu. Tandem excludebatur conceptus oui gallinacei magnitudine & propemodum figura. Erant tamen tunicæ eius ruptæ, nec inueniebatur in eius cauitate quidquam: exterior autem ſubſtantia, textura & vniuerſa conformatio exhibebat vtique ſincera fœtus inuolucra. Simulatque ſubſtantia hæc eliſa eſſet, ceſſabat impetus fluxus, anguſtiæ, inquietudines & anxietates, & vniuerſus ille anxius languor: redibat mox ad ſeſe ipſa patiens, & conſequebatur ſub exitum 14. dierum illam bonæ valetudinis integritatem, vt contineri non poſſet, quin iterum in publicum prodiret. Apparebant poſt alios 14. dies menſes; fluebant recte & ordine, patiens non habebat quidquam, de quo quereretur etiam poſt hunc fluxum, & cum ille ſuccedente proxima periodo æque ac ſequente adhuc altera denuo emaneret, venter autem interim tanquam legitime augeſceret: anxias habebat matronas Illuſtr. patientis miniſtras & aſſiſtentes, quod hac vice ipſi non eueniſſent circumſtantiæ alias eidem vſitatæ circa appetitum, carnium faſtidium, imo vomitus; iam enim edebat, & cum viuido etiam appetitu, patiens, & habebat ſatis commode, ita vt etiam habitior a prægreſſa ſenſibili extenuatione euadere appareret. Redibat ita duodecima ſeptimana, & cum illa exquiſite fluxus ille, cum omnibus ſui circumſtantiis, tanquam menſtruus. Septimo die larga profuſio, non deſiſtens prius, quam ſub magna patientis virium interim iactura, iterum excluſa ſubſtantia hujusmodi tunicacea, ſponte miteſceret omnis impetus, patiens ad ſe ſenſim rediret, ſanitatem omnino tolerabilem recuperaret, & ita ſatis recte reſtituta videretur. Interim redibat vniuerſa hæc, & vere in ſolidum eadem ſcena, etiam tertia, & denuo quarta vice: niſi quod patiens ſenſibiliter magis magisque langueſceret, & intercurrentibus etiam tranquillis temporibus ſatis appareret, debilitatam ipſam eſſe. Quartus autem inſultus tanta vtique vehementia æque atque pertinacia concutiebat patientem, vt tribus ingentibus lipothymiis perfuncta, quarta vere ſyncoptica, inſtantis mortis exſpectationem faceret. Donec tandem eliſo iterum tali concremento ſtatim & fluxus minueretur, & anxietates langueſcerent, & lipothymia non reuerteretur, & patiens licet ſumme languida maxima capitis debilitate, aurium tinnitu, auditus hebetudine, & multa tam grauedine, quam fluente etiam coryza, exagitata, valde pallida, & tam colore malo, quam habitu corporis vaga inflatione corripi incipiente, peiora metuendi occaſionem præberet. Reuerſa tamen qualitercunque ad tolerabilem orthoſtadiam, vt alias indole quidem ſatis alacri atque vegeta erat, tanquam affectata quadam ſanitatis firmitate, incurrebat mox quinta vice hanc eandem

 cha-

charybdin. Habueram præcedentibus illis temporibus collegam, aut certe ſocium alterum Medicum; qui vero ante aliquot ſeptimanas paralyſi correptus, & non ſolum corpore, ſed etiam memoria inſigniter debilitatus, neque poterat commode iam in ſubſidium vocari, neque deſiderabatur etiam a patiente. Cum interim ita trium menſium decurſu omnia atque ſingula ad priorem formulam fierent, propter inſignem autem patientis debilitationem non iuſtus ſolum ſed ingens eſſet metus, ne reuertens denuo eiusmodi verus paroxyſmus abortus, omnino perficeret illud, quod proxime prægreſſus velut ante oculos iam obiecerat, vt non ſolum famæ & exiſtimationi meæ, ſed ante omnia ipſi conſcientiæ ſatisfacerem, conſultandum mihi exquiſitiſſime ducebam cum nobilibus Matronis, Illuſtr. Patientis partim miniſtris, partim adſiſtere eidem ſolitis: tanto magis, cum nulla iam eſſet harum, quin tanquam certum funeſtum exitum inſtantis huius periodi ominaretur. Illud quod me hucusque non perplexum ſolum habuerat, ſed etiam conatus omnes irritos reddiderat, erat ſummum faſtidium patientis, a puluerulentis quibuslibet formulis æque, ac inprimis pilulis. Vnde etiam coacta voluntate ad huiusmodi formularum aſſumtionem, tanquam adſuetudinis ergo, ſemel iterumque conſentiens, remouebat tamen, vel interpoſita horæ quadrantis mora, talia. Interim non ita multis diebus ante impendentem iterum duodecimæ ſeptimanæ terminum offendebam illam ingentis cuſpidis cultri menſura aſſumentem candidum tenuem puluerem; quem cum pro ſaccharo nudo interpretari non poſſem, interrogando comperiebam eſſe puluerem contra ventriculi ardorem, quem ſodam vocant, e creta, oculis cancrorum, macere, & modico ſaccharo, paratum a fœmina, cui longe plurimum fauebat Illuſtr. Patiens, cubiculi eius, vt vocant, præfecta. Arripiebam hinc occaſionem, vt huic æque, atque genere & dignitate ſuperioribus, proponerem, commendarem, iniungerem, vt quantum in ipſis eſſet, prædiſponerent, ſub ipſa etiam exhibitione, quoquo modo diſſimulare iuuarent conſiſtentiam, quamuis parum & ſubtiliter, tamen omnino vtique puluerulentam, medicamenti, quod vnum erat, de quo in rebus ita ſumme ancipitibus, ſpem adhuc fouebam meliorem. Cum omnes anxie compromiſiſſent, ineunte mox duodecima ſeptimana, redit ipſe quoque fluxus, & pergit ſolita moderatione etiam ita per ſex dies. Capiebat interim patiens ſemel quotidie doſin medicamenti ita diluti, vt liquoris forma qualicunque non quidem plane imponeret patienti, interim ſeuera tamen diſſimulatione primo ambiguam haberet, mox etiam facilem & conſentientem. Nihilo ſecius ſeptimo die ſequebatur exquiſitisſime ad methodum hucusque ſeruatam impetus par profuſionis ſanguinis, & anxiorum illorum ſymptomatum. Quæ cum proxime duas horas ita continuaſſent, & iam ſecundam lipothymiam profundam incurreret patiens, conclamantibus omnibus circumſtantibus, miſceo ſcrup. j. hepatis anguillæ cum modico mixturæ analepticæ, & cum iam iterum leuiter reſpirare atque ſuſpirare inciperet, inclamando cito excitatæ, neque ſatis adhuc ſui memori, exhibeo. Minimo abhinc tempore ſequitur iterum moles eiusmodi, circiter pyri mediocris magnitudine, ſed tunicis & tenuibus, & in inæqualia multa loculamenta diſcretis, quæ denſo nigro ſanguine turgebant. Excluſo hoc, cum omnia iterum ſatis promtis ſucceſ-

ſibus

ſibus miteſcerent, continuabat interim vſum prædicti illius liquaminis, quamdiu adhuc quidquam indicii manationis ex vtero ſupereſſet; quod hac vice multo diutius continuabat, quam prægreſſis. Redibat inde patiens præſentioribus ſucceſſibus ad firmam ſanitatem, concipiebat autem non multo poſt iterum, ſed cum ſignis antehac ſibi vſitatis faſtidii carnium, & facilis vomitus, per initia. Geſtabat autem recte & feliciter, interpoſito aliquoties vſu, inprimis circa duodecimam ſeptimanam, medicaminis illius liquidi: valebat ſatis commode vsque ad partum, quem proſpere abſoluebat, & viuit per Dei gratiam hodienum, ſedecim nunc annorum Ill. Filia. Totam autem culpam toties rebellis huiusmodi noui repetiti abortus, non poſſum certe veriori alteri cauſſæ adſignare, quam huiusmodi imperfectæ expurgationi vteri, cui medicamentum hoc, quam certos & conſpicuos vſus præſtet, præ vſitatis quibuslibet aliis, multis ab illo tempore huc vsque exemplis non aliter quam ſimplicibus experimentis perſpectiſſimum habeo. Illud autem, quamuis tot repetitis euentibus in hac patiente etiam vna, tamen non ſola, didici, quod abortiui eiusmodi conniſus hæmorrhagias concitent & prodigas, & incoërcibiles, priusquam eliſum ſit, quicquid in vtero deliteſcens, ita commotum iam eſt, imo decerptum, vt retineri amplius minime poſſit.

Quamuis autem hæc hiſtoria plus loquatur de hæmorrhagia *ante* excluſionem ſeu *partum*, aut ad ſummum *ſub* illa coorta; eſt tamen omnino ita, quod etiam aliquando, *cohibito* præcipuo primo impetu, (per *adſtrictiones* & *ſopitiones* impedita plena excuſſione, ne dum plena expurgatione) *longus*, *pertinax*, ſubinde *repullulans*, & vndiquaque *intemperans* huiusmodi fluxus eueniat: ſicut eius exemplar etiam iam ſupra innui & exhibui.

§. XLIX. *Euentus* lochialium perturbationum, ſi illæ tam per ſe grauiores eueniant, quam minus conuenientibus *artificiis* perperam tractentur, exeunt quam maxime promte tam in *vteri*, & ſpecialiſſime *fœcunditatis*; varia vitia, quam ipſius *fluxus* debiti *menſtrui* perturbationes: tum denique varia, antiquitus *hyſterica* dicta, in abdomine pathemata, non ita raro cum huius etiam peculiari *inflatione* conſtante, præcipue ſi quid in ipſo *vtero* remanſerit *reliquiarum* e ſecundinis, inprimis teneris, *abortiuis*. Euentus lochialium vitiorum.

Enim vero occurrunt ſubinde vtique talia in praxi exempla, quæ, niſi animus æque aduertatur, atque circumſtantiarum rationes prouide exquirantur, & poſſunt ſæpe numero Medicum atque patientes fallere, & tanto magis iam medicamenta fruſtrari, iam, quantumcunque etiam optimorum remediorum energiæ ſuſpicionem, aut plane calumniam, machinari. Non ita dudum eſt, quod fœmina gente Hebræa, quamuis iam octo liberorum mater ita ſatis circa has res felix, cum iterum perperiſſet, & obſtetricum aſſeueratione omnia exquiſite peracta

 eſſent,

eſſent, & quam maxime ad votum ceſſiſſent, habuit tamen ipſa non ſolum admodum male, & experta eſt inprimis valde abundantem, vt interpretabantur, certe nimium & vires exhaurientem ſanguinis fluxum, ad quartum vsque diem, tanquam veris quibusdam inſultibus, per vices grauius erumpentem; ſed ſimul etiam ingentem inquietudinem in ventre, veris quidem vſitatis doloribus poſt partum, non ſimpliciter & continue parem, interim intercurſantibus etiam ſatis acribus huiusmodi doloribus ſociatam. Imo obruebat patientem etiam ſub initium quarti diei tum inſignis horror, tum anguſtia ſuffocatiua, quin tandem ſincerum animi deliquium. Cum tandem his ſymptomatibus diffidentes non ſolum puerperæ proximi cognati, ſed tandem etiam ipſæ obſtetrices, compellerent ad quærendum auxilium, oblato decente remedio illo ipſo quarto die inclinante, poſt varia anxia apparentia pathemata, excreuit patiens fruſtum adhuc ſecundinarum, ad mediocris palmæ magnitudinem, & tunc demum continuato remedio ſenſim recuperauit tranquillitatem, vires, imo ſanitatem.

Adſtringentia & motus excluſorios opprimentia quæ damna in his rebus adferant.

§. L. His autem rebus quando ſimplicibus *adſtringentibus*, & *motus* opportunos adhuc excluſorios opprimentibus, reſiſtitur, quid inde boni adhuc conſequi poſſit, palam vtique eſt, & loquuntur idem certe non exiguo numero exempla indies occurrentia. Dum paſſim eiusmodi exempla audiuntur fœminarum, quæ & in genere ſanitatis ſuæ integritatem a prægreſſo inde aliquo *puerperio* amiſiſſe conqueruntur: tum in ſpecie ventris *inflationes*, *ſanguinis* vel *ſuppreſſiones*, vel maxime *turbatos fluxus*, vel denique, cum aut ſine talibus rebus, multiplicia alia grauia pathemata abunde commemorant & accuſant. Imo vero ſi quæ etiam talium adhuc poſtea iterum *concipiant*, ſunt vel expoſitæ *abortibus*; vel ſi etiam geſtationem abſoluant, conflictantur tamen interea cum multiplicibus incommodis: incurrunt etiam *ſub* partu & *a partu* noua incommoda & pericula; vel edunt ſimul etiam infantes *debiles*, *valetudinarios*, *minus viuaces*, & conqueruntur inde memori querela, ſie ſeyen in jenem Kindbette ſo verwahrloſet worden, ſo zurücke gekommen, daß ſie es nicht mehr überwinden können. Quoniam autem de *fluxibus* indomitis poſt non recte atque plene *expurgatum* vterum, æque atque de ataxiis ordinis atque ipſis poſthac *ſuppreſſionibus* & *defectibus* menſium iam præcipua diximus, placet aliquid adhuc ſubiicere de peculiari efficacia MOTVVM *vterino-hæmorrhagicorum*, ad pathemata *in infimo ventre*, ipſis etiam *fœminis* peculiari ad minimum ratione familiariora quam *viris*, & proinde ab antiquiſſimis inde temporibus vsque ad hæc propiora, pro veris ſpecie *diſtinctis*, & huic ſexui re vera *propriis* affectibus æſtimata.

ARTI-

ARTICVLVS I.
DE
PASSIONE HYSTERICA.

§. I.

DE *Hyſterica paſſione* notum eſt, quid ſenſerint veteres, & quomodo illam non ſolum tanquam in ſolidum & ſincere ab *vtero* ſeu *matrice* deduxerint, verum etiam *Hippocrates* hoc intuitu fœminam morbos bis pati ſuſpicatus ſit; ſemel ſecundum propriam illorum ſedem & indolem, iterum autem & altero non magis *modo*, quam veluti *loco*, ſecundum *vterum*. Habuit etiam hæc opinio adſenſum vsque ad hoc, quo viuimus, æuum, quo demum partim *mali hypochondriaci*, paulo vetuſtioribus *ſplenetici* & *ſcorbutici* dicti, aperta eſt ſcena, partim ad huius cancellos etiam hoc ita dictum *hyſtericum* malum reuocauit *Highmorus:* eoque ipſo illud præcipue penitus nouum & peculiare egit atque præſtitit, vt ita demonſtraret, quod malum illud veterum opinione *ſoli* muliebri ſexui ſimpliciter *proprium*, nequaquam tale exſiſtat, ſed potius vtrique ſexui *commune* ſit, adeoque conſequenter tali *ſubiecto* atque *loco*, quale mulieribus vere *proprium* exſiſtat, non niſi falſo adſcribatur.

Hyſterica paſſio a veteribus ſolis fœminis attribuitur: Highmorus autem eius conuenientiam cum malo hypochondriaco oſtendit.

§. II. Quamuis autem ſatis promtum inuenerit aſſenſum, natum tamen hinc eſt e nuda, ſine vlteriore conſideratione atque penſitatione, poſitionum huius viri aſſumtione atque perpetua nuda commemoratione *duplex* non exigua difficultas, imo vero vera hallucinatio & offenſio, vt neque vera intima *ſedes* quorumlibet horum affectuum, nempe tam *hyſterici*, quondam dicti in fœminis, quam *hypochondriaci* in vtroque ſexu, verum *primarium ſubiectum* in lucem protraheretur; vera inquam ratio redderetur, *vnde*, *vbi*, & *in quantum* hæc incommoda in vtroque ſexu vere *communem ſedem* habeant, communem *indolem;* breuiter, vna eademque ſint res. Deinde, & cum vtique ingens *diſparitas*, ad minimum *gradualis*, tanquam manifeſta præſto ſit, *vnde* proprie, vere atque euidenter hæc *diuerſitas* pendeat? quibus *fundamentis* innitatur, neque ſolum quidem *theoriæ*, ſed etiam ipſi *praxi* ſcitu neceſſariis magis, quam ſolum dignis.

Duplex difficultas, quæ ex nuda aſſumtione aſſerti huius nata eſt.

Neque Helmontiana neque Syluiana placita rationem aliquam diſparitatis inter hypochondriacum & hyſtericum malum reddunt.

§. III. Sicut enim etiam in hodiernum vsque diem vigent, & ſub varia ſpecie recoquuntur, tam *Helmontiana* illa placita, vt omnium propemodum morborum, ita tanto magis horum *hypochondriacorum*, & ſecundum hanc præfigurationem *præcordialium* pathematum, ſedem in *ventriculo* conſtituentia; quam *Syluiana* phantaſmata, qui e *conflictu*, quaſi innumeris modis vitioſo, *bilis & ſucci pancreatici* in inteſtino duodeno omnes propemodum, ne dum circa abdomen ſentiendos affectus arceſſit; neglecta interim & *ſtructura* ſpecialiſſima, & *vſu* VENAE PORTAE, & MOTVVM ſanguinis *per ipſam*, per *viſcera* connexa, per *exitus* ab illa & ab his dependentes: ita tantum abeſt, vt verior aliqua ratio reddita hinc ſit veriſſimæ interim prorſus ingentis diſparitatis inter muliebres & viriles huiusmodi *hypochondriacos* affectus, eiusque veras cauſſas; vt ne quidem generalis horum rationis verum fundamentum immanens atque vere radicatum in conſiderationem venerit.

Differentia hæc in quo conſiſtat.

§. IV. Conſiſtit autem differentia hæc in eo, quod fœminæ non ſolum ſecundum *hiſtoriam* morbi *pathematibus* iisdem, qualibus etiam viri, multo *frequentius*, & numero *plures*, multo *ſæpius*, & numero pluribus inſultibus, multo *promtius*, & longe facilioribus ad leuiores etiam occaſiones exacerbationibus, multo *citius* ſecundum ætatis proportiones, multo *diutius*, ſecundum ætatis etiam augeſcentis ſucceſſus, exerceantur: verum etiam tam in genere communiſſime *gradu* longe *ferocioribus*, quam in ſpecie tota apparente *indole diuerſis* huiusmodi pathematibus percellantur. Cui rei porro, circa hiſtoriam *cauſſalitatis*, iungenda venit diſparitas illa, vtique omnino in toto hoc genere vere abſolute *ſpecifica*, quod fœminis hæc ſua mala non aliunde certius, præſentius, ferocius cooriantur, quam a *menſtruæ euacuationis* ataxiis, aut *partus* & *puerperiorum* erroribus. Qualia vti a *maſculino* ſexu penitus aliena ſunt; ita non exiguam vtique inuoluere videtur difficultatem, quando a *cauſſis* ita penitus diuerſis eiusdem generis *effectus*, nempe *vere iidem affectus* prognaſci poſſint.

Differentia ſpecifica.

Affectus paſſionis hyſtericæ.

§. V. Sunt autem huiusmodi affectus repentinæ atque violentæ exacerbationes 1) *circa præcordia*, 2) in *meditullio ventris*, circa *inteſtina*, 3) circa *reſpirationem*, *deglutitionem*, 4) circa *caput* & ipſos *ſenſus internos*, qualiter inſoleſcentium variorum ſymptomatum.

Vbi circa *præcordia* vehementiſſimæ *anguſtiæ*, *anxietates*, *oppreſſiones*, *ſuffocationes*, *inflationes*, *conatus* & *præferoces* atque præcipites

cipites & *contumaces vomendi*, interim tamen aut *vacui*, aut denique *ſanguinem* ipſum extundentes: *inappetentia* [illegible] *nauſea*, aut *appetitus vagus*, & frequenter *abſurdus*, & rerum non conuenientium aut idonearum, aut certe ipſa raritate, aut ad minimum obſtinata illa eligendi ſingularitate, *alieniorum*. In *medio ventre* iam repentinæ violentæ *correptiones* preſſoriæ, (quaſi duabus manibus prehendendo corriperetur, ſeu *raptim comprimeretur* hæc portio) vt propterea tanquam duplicato corporis ſitu ſedere aut iacere cogantur; correptiones violentiſſimæ, *ſuccuſſatoriæ* primo intuitu, & hinc etiam vulgata loquendi formula *ſingultuoſæ*, (Hertzſtöſſe vulgo appellant:) in *inteſtinis flatulentiæ* tum *variæ* atque *vagæ*, tum *ſtatariæ*, & inprimis ſpecialiſſimo loculo vel pertinaciter inhærentes, vel per eiusmodi paruum complexum *volutando* oberrantes (waltzet ihnen wie eine Kugel im Le be:) *tormina* vehementiſſima: *alui* non ſolum *ſiccitas*, ſed etiam manifeſta *ſtrictoria* conſtipatio.

Circa *reſpirationem*, tam e *diaphragmate*, quam vere ex ipſo *pectore*, concurrentibus tamen etiam per *hypochondria* & *abdomen* inſignibus huiusmodi incommodis, reſpirationis difficultates, imo veræ pectoris *oppletiones*; *palpitationes cordis* vehementes. In *faucibus ſtrangulationes* & *deglutiendi* vitia, etiam citra vllam *tonſillarum* alterationem, ſimpliciter per ipſas *fauces*, & ſincere per *æſophagum*.

In *capite* inſultus & veri *paroxyſmi dolorum*, & *inuadendi* impetu & reliquo *durationis* ſucceſſu velut immanium; *vertigines mentis* & obnubilationes & vacillationes &c. Et omnia quidem hæc talia huic *ſexui* præ virili maxime familiariſſima: ex aduerſo vero aliqua horum *virili* ſexui non ſolum prorſus inuſitata, ſed etiam propemodum incognita.

§. VI. Vt vero huius rei non ſolum in ſe vera atque realis, ſed etiam *Medicinæ* atque *Therapiæ* conſona *ætiologia* ſuppetat; eſt vtique ante omnia conſideranda *generica* vera *conuenientia* horum affectuum in vtrolibet ſexu. Suppeditauit hanc popularis *Highmori Williſius*, indicando, quod mala hæc, tam *hyſtericum* fœminarum dictum, quam *hypochondriacum* virorum, ſint veluti ſororii affectus CONVVLSIVI. Cum autem re vera differant non ſolum *gradu*, ſed inprimis euidentiore *cauſſali* ratione; dum fœminis non ſolum exacerbari ſenſibiliter, ſed etiam plane ſuſcitari obſeruantur a *menſtruæ* euacuationis vitiis: videtur vtique hoc intuitu rectiſſime ita referri ad illos reſpe-

Conuenientia horum affectuum in vtroque ſexu.

[illegible]arum conſpirantium cauſſarum, vt, ſi vel maxime non *directus & immediatus* [illegible] ſit inter hæc pathemata & euacuationes *vterinas* vitiatas; tamen *mediatus* ille eius dignitatis exſiſtat, vel re vera pro *fundamento* ſolido totius mali ita agnoſci debeat, vt niſi hoc in ordinem redacto de felici non ſolum *reſtitutione*, ſed omnino *imminutione*, & qualicunque leuamine nihil *conſtantis* ſperare ſit integrum: his autem neglectis, & inprimis paſſim ad alia quælibet directis & intentionibus & remediis, etiam plane *damna* concilientur.

Conſiderandum quod, licet motus contentioſi loca remotiora aut etiam propinquiora exerceant, tamen vterum & excretiones per illum reſpiciant.

§. VII. Vnde certe *medica* conſideratione conuenit maximopere prudenter æſtimare, quid in his pathematibus mulierum agnoſcendum veniat, quæ ratione *ſubiecti affectus* equidem vere *hypochondria*, *abdominis* contenta, *pectus* atque *caput* exercent, interim ratione *cauſſæ*, *ſubiecti cauſſæ*, vt vocant, vere habent ipſum *vterum* aut ad illum vtique *pertinentes* excretiones: quæ impeditæ partim variis circa hæc loca *conſpirantia contentionibus* pathemata huiusmodi excitant & efformant; partim *translationibus* ad loca quidem *remotiora*, cæterum *generali* huiusmodi *deſtinationi excretoriæ* omnino dicata, qua *vterinæ* illius exonerationis interceptæ vices ita ſubeunt, atque defectuum pœnas luunt.

Conuenientia & diuerſitas inter hos affectus, in quantum vtrique ſexui communes vel vni proprii ſunt.

§. VIII. Quo nempe intuitu commode vtique agnoſci poterit & *conuenientiæ* & *diuerſitatis* ratio inter affectus tales, in quantum vel re vera *communes* ſunt vtrique pariter ſexui; vel alterutri, & inprimis fœminino; vere ſpecialius *proprii*. Sunt *communes* ratione *loci*, tam per *hypochondria* & *præcordia*, quam ipſa *inteſtina*, & *meditullium* veluti *meſenterii*. Sunt communes ratione *cauſſæ generalioris*, *commotionum* & *contentionum*, ſanguinis euacuationem e *vena portæ* eiusque conſpirationibus emoliri connitentium. Sunt autem magis *proprii* ratione tam *loci* quam *modi*, *ſpecialis* non ſolum, ſed etiam re vera pariter *proprii*; dum in *virili* ſexu vere ſincerius ad *hæmorrhoidales* exitus inclinant, in *muliebri* vero ad *menſtruas* debitas ventilationes: & hoc quidem adeo, vt niſi etiam his vere ſatisfiat, vel directe, vel ad minimum per indirectum, irritæ hinc propemodum ſint reliquæ curandi intentiones & inuentiones; imo vero quanto ab *hoc ſcopo* alieniores, tanto magis etiam non ſolum inutiles, verum etiam facile penitus *noxiæ* euadant.

§. IX. Quo reſpectu cum vtique ita verum euadat, quod talium fœmininorum pathematum primariam culpam eximiam re vera gerat ipſe *vterus*; imo etiam hæc conſideratio Medicum ſimul decenter inſtruere poſſit, ad formandas eo melius ſuas iudicationes & intentiones veras, & rerum indoli conſonas: non iniquum hinc certe fuerit, etiam ſecundum hanc diuerſitatem reſpectuum differentiam intueri ipſorum quoque diuerſorum *ſexuum*. Diſcretionem autem vere tanto prudentiorem poſtulat illa differentia, dum aliis quidem mulieribus non ſolum eminentius, ſed etiam euidentius ab *vteri* & *menſium* turbationibus incommoda illa obtingunt: aliis autem etiam ſimplicius, aut ſane maiorem ad minimum partem ab ipſis *flatulentis*, circa primas vias, turbis euenire, aut plurimum foueri ſentiuntur.

Quia vterus horum pathematum præcipuam culpam gerit, reſpectus diuerſorum ſexuum habendus eſt; eo magis; cum multis mulieribus ab vteri & menſium turbis multa incommoda obtingant.

§. X. Vt nempe ita tam ſecundum *ætiologiam* realem, quam ſecundum *medico-therapeuticam* relationem etiam hi tales affectus nulla iniuria ab illa parte denominentur, cuius defectus non ſolum in culpa (non magis ordine, quam ſubinde etiam dignitate prima) exſiſtunt, ſed etiam ad horum defectuum *reparationem* in ipſa methodo medendi primaria intentio dirigenda venit magis & diligentius, quam ad quælibet alia ſubſidia: quæ in hoc genere vere nullum alium quam ſimpliciter *ſecundarium* vſum habentia, ſi præter decentem *methodum* adminiſtrentur, ne illum quidem effectum adſequuntur, quem in ſuo ordine, & decente *harmonia* cum dignioribus adminiſtrata, præſtare poſſent.

Hæc ætiologia etiam methodum medendi adiuuat.

§. XI. Vnde quidem licet verum omnino eſſe poſſit, quod *præcipui* tales affectus circa *hypochondria* maxime effectus ſuos edant *mediatos*, in ordine ad primam ſui *originariam* ſedem: agnouerit tamen puto quilibet, quod fruſtra hic futurum ſit *hypochondria* directe & ſimpliciter ipſis medicamentis atque tota curatione reſpicere, cum verior potior reſpectus dirigi debeat omnino ad illam potius partem, per quam legitimum, & re vera debitum *exitum* aſſequi deberent eiusmodi *contentiones*, quæ iam vel vera *directione* irrita & minus conueniente, vel ad minimum *redundantia*, ſeu, vt vulgo loquuntur, *regurgitatione* atque *reſtagnatione* ad aliena loca, (inprimis ad verum *debitum* locum & exitum comparata) ita *per accidens* alienos tales, a vera ſui *fundamentali* cauſſa, effectus exſequuntur.

Licet affectus hyſtericarum circa hypochondria effectus edant, curatio tamen ad locum exitus dirigenda eſt.

§. XII. Sufficiet autem puto hæc ita mouiſſe, & in *medica pathologia* etiam *medicorum* reſpectuum rationem habendam commendauiſſe.

Deſtinatio illa in ſexu fœminino ad eua-

cuationes vterinas, harumque ataxiæ declarant, cur hic ſexus tot & tam ampla atque acerba ſymptomata perpeti debeat.

dauiſſe. Sicut autem ex his tanquam vniuerſalior conſpectus ſeſe offert efficaciæ illius, quæ ex *vterinarum* exonerationum ataxiis tum propius in totum ſyſtema *venæ portæ*, & viſcerum ſub eius quaſi ditione comprehenſorum, redundat; tum altioribus & generalioribus *transſumtionibus* tam in *pectus*, quam *caput*, impetuoſe transfertur: ita haurit indidem ſufficientem lucem etiam illa *ſpecialior* circumſtantia; quamobrem *fœminino* ſexui hæc talia pathemata talibus maxime modis atque modulis, tanto *pluribus*, tanto *promtius*, tanto *ſæpius*, tanto *impetuoſius*, tanto *prolixius*, & cum ampla quaſi *ſyndrome* multorum acerbiorum ſymptomatum, ita ſatis familiariter obtingant. Non certe abſolute ob maiorem *debilitatem* ſexus fœminini, ſiue, vti vulgo hodie loquuntur, *debile genus neruoſum* huic ſexui ſecundum hanc opinionem magis proprium putandum: ſed propter *inſtitutum* œconomiæ corporis humani fœminei, ad *euacuationes* illas *vterinas* non ſolum *ſæpe*, & non *parce*, verum etiam per determinatos *conniſus* perpetrandas. Quæ *deſtinationes* quando non, vti decet, procedunt, ſed impetus ille *exoneratorius* ad alias *vias* aut *exitus* inclinat; non poteſt propemodum aliter fieri, quin vſitatos ſuos *mores* ad minimum generalius ita ſeruet, vt *ſæpius*, & propterea etiam *promtius*, & tanquam per veros *inſultus*, etiam has deſultorias ſui viciſſitudines inſtruat.

Licet in virili ſexu circa ſanguineas & in ſpecie hæmorrhoidales euacuationes oppreſſas vehementia etiam conamina eueniant, talia tamen non ſunt, qualia in muliebri ſexu.

§. XIII. Quale quid cum *virili* ſexui tam circa quaslibet in genere *euacuationes* ſanguineas, quam *hæmorrhoidales* in ſpecie minus ſolitum exſiſtat vniuerſim: mirum ſane eſſet, ſi in heteroclitis talium *inclinationibus*, *machinationibus*, aut qualibuscunque longinquis *apparatibus*, diſpar methodus, (niſi forte per *adſuetudines*, etiam plane *externarum* occaſionum) ſuſciperetur. Vt tamen hæc res etiam vere, quod aiunt, ſua luce radiet, confirmat vtique harum rerum *cauſſalem* energiam illa in ipſo quoque *virili* ſexu experientia, vt, non ſolum, quibus viris, v. gr. *hæmorrhoidales* ventilationes, iam qualemcunque *adſuetudinem* ſuſceperunt; ſed tanto magis, quibus exquiſitiorem aliquam, quin omnino ipſam etiam *menſtruam* aut qualemcunque breuiorem *periodum* aſſumſerunt: his, ſi talium etiam euacuationum oppresſiones eueniant, non admodum diſparia, ſed & *certa*, & *promta*, & *frequentia*, & *vehementia* talium commotionum conamina eueniant; nunquam tamen vere & in ſolidum ſimpliciter eadem, *quot* & *qualia* *muliebri* ſexui occurrere obſeruantur. Sed puto de his ſatis dictum eſſe.

MEM-

MEMBRVM VI.
DE
MICTV CRVENTO.

§. I.

Morbida mi-ſtus cruenti conſtitutio in quo conſiſtat.

DIxi etiam de hoc ſanguinearum euacuationum exitu iam in parte ſpecialiore propemodum pleraque, vnde h. l. illa ſolum præcipue perſequi conueniet, quæ rem in ſe quoquo modo & *incommodam* & *periculoſam* tanquam ſpecialius *deteriorem* reddunt, & exquiſitius *morbidam* velut efficiunt. Eſt autem huiusmodi *morbida* conſtitutio vlterior *mictus cruenti*, velut in genere ſeorſim placidioris, quando ille vel *quantitate*, & ſub hac ſiue impetuoſis *inſultibus* ſiue irrequieta *continuatione* excedit; aut, quando vere *ſymptomatice* ab aliis morbidis adfectibus ſimpliciter excitatur; quin denique, quando diu iam *adſuefactus*, & ſiue propemodum ſiue vere & in ſolidum *continuus*, ſimul & ſemel occupatur & *opprimitur*.

Mictus ſanguineus ſymptomaticus,

§. II. De reliquis illis circumſtantiis actum iam eſt, quantum ſatis eſſe poſſit, in parte ſpecialiore; hoc loco ſupereſt aliquid dicere de *ſymptomatico* ſanguineo mictu. Accidit hic aliis vehementibus læſionibus aut ſtimulationibus, *renum* inprimis, rarius autem veſicæ. *Læſio* oritur interdum a *calculo*; non temere vero dico *interdum*, quandoquidem a vero in renibus calculo *mictum cruentum* re vera obtingere adeo certe parum familiare aut *commune* exſiſtit, vt facile ingens numerus vere *calculoſorum* confici poſſit, etiam acerrimos ſubinde dolores a progreſſu calculi expertorum, quibus tamen talis *laceratio* partium continentium aut transmittentium, quæ *ſinceri ſanguinis* talem fluxum inferat, penitus incognita ſit. *Stimulationes* autem vehementes primo *diureticas* nimias, quas tandem etiam ſinceri *ſanguinis* expreſſio ſequatur, inducunt quidem aliquando etiam alia medicamentoſa acriora & fortiter pellentia; efficaciſſime vero *cantharides*.

num calculoſis communis exſiſtat.

Inprimis in *non adſuetis*, *plethoricis*, & quantumcunque *bilioſiore* ſanguineæ maſſæ intemperie adfectis. Adſueti enim dantur, qui vel *duas* aut *tres* cantharides ſine damno adſumant.

Tales *læſiones* quamuis ita quaſi ſimpliciter *per accidens* tali ſubiecto *mictum cruentum* incutiant: eſt tamen minime contemnenda circumſtan-

cumſtantia illa valde promtæ in poſterum etiam *inclinationis* ad eiusmodi euacuationem, quatenus ſimpliciter talem: quantumlibet *loci* inidonei prorſus nulla vndique *opportunitas incommoda, pericula, damna* vtique poſt ſe trahat, imo vero quaſi ſecum inuehat.

Duplex conſideratio therapeutica.

§. III. Sicut autem de *calculorum cauſſali* tali efficacia verbum addere ſuperuacuum eſſet, cum tota res pro ſe loquatur; ita eſt tamen adhuc locus non iniuſtæ, & vere quidem *medicæ* conſiderationi duplici *therapeuticæ*. *Primo*, an non aliquando *mictus cruentus* ita cum *calculo* cueniens verius debeatur *remediis* pellentibus; etiam proprio auſu, aut concurſantium mulierculàrum ſuaſu, niſi quidem Medici, aut ad minimum pharmacopolæ conſilio & præſcripto, aſſumtorum. *Secundo*, quid bonæ ſpei hic velut eminus promittat huius generis patientibus dextre, & *tempeſtiue* quidem, *præſeruatiua* methodo, adhibita *ventilatio ſanguinis* etiam *vniuerſalior*; (& quidem inprimis ob cauſſas proximo articulo ſequ. producendas.)

Mictus cruentus contumax quidem, interim rarus affectus eſt, & ſenioribus magis proprius.

§. IV. Cæterum cum *mictus cruentus*, iuxta ſupra iam dicta, affectus vtique ſit *contumax*, vbi quantumcunque vel *inualuit*, vel poſt *diuturniorem* iam conniſum demum perrupit & exitum inuenit; præterea etiam ſpontaneus quidem & magis directus *ſenioribus* quaſi proprius ſit, & velut ex ipſius etiam huius ætatis indole *pertinacior*: ita eſt tamen eo melius, quod omnino valde *infrequens* exſiſtat, & non æque facile, aut *multis* hominibus, minime omnium autem *promiſcue* quibuslibet, impendeat.

Hinc iunioribus hæc perruptio incognita eſt; & ſi a calculo iis eueniat, ſecurius cohibetur quam in ſenioribus.

§. V. Quæ tamen ipſa etiam circumſtantia omnino ingens momentum offert, ad peculiarem penitus *cauſſarum* rationem, pro tali euentu reuera ita *peculiari*, reperiendam. Certe eo magis, poſtquam illis *ætatibus*, quibus præcipua magis eſt *alacritas* ad eruptiones inſtruendas, imo, quibus etiam adhuc hæc ipſa loca quaſi directis *inſultibus (nephriticis)* exercentur, tamen hæc perruptio velut *incognita* exſiſtat. Et ſicubi etiam per *calculorum* violentam aliquam læſionem his ætatibus eueniat, tamen longe *ſecurius*, etiam tanquam ſimpliciter & directe, tanto magis autem perite, rurſus *cohibeatur*, quam in ſenioribus; iam *adſuetis* autem nihil niſi certa pericula propinquioris *funeſtioris* exitus minentur paulo præſentiores & firmiores *oppreſſiones*. Quod bene notandum. Interim cum iam ſupra de his rebus, quæ conueniunt, dixiſſe mihi videar, ad ea progredior, quæ adhuc dicenda ſunt.

ARTI-

ARTICVLVS I.

DE

NEPHRITIDE.

§. I.

SI quidquam eſt, quod vere prudentem æque atque peritam æſtimationem theoreticam poſtulet, eſt illud omnino tam ipſa *exſiſtentia*, quam præterea *energia* MOTVVM HAEMORRHAGICORVM. *Contentionum* inquam & variarum & *longinquarum*, *diuturnarum*, *pertinacium*, *rebellium* & itendidem *repullulantium*, neque facile prius, quam *exitu*, quem affectant, potitæ ſint, fidas aliquas inducias & qualemcunque moderationem & tranquillitatem promittentium. Sicut enim in hoc negotio omni profecto iure notanda venit recentioris ætatis incuria, quæ, dum minimorum corpuſculorum inanibus mechaniſmis tempus fallit, interim corporis *organici* mechanicam rationem ad *organicos* ſuos effectus ita præteruidet, vt etiam ipſa manifeſtiora phænomena eius rei non attendat, adeoque præcipuorum ſymptomatum rationem reddere vtique impos, hæc potius ipſa diſſimulando totam hiſtoriam morborum corrumpat: ſolidiſſime vero amittat omnem *ætiologiam*, imo hactenus etiam propemodum nudam *hiſtoricam* agnitionem vel ſolius *exſiſtentiæ* ne dum mutuæ *conſpirationis*, & vt loquuntur, *dependentiæ* morborum *ætatum*; non, inquam, ſolum perdant, ſed re vera verius peſſundent. Motus hæmorrhagici ſeu contentiones prudentem æſtimationem poſtulant.

§. II. Eſt enim vtique ſola hæc MOTVVM *hæmorrhagicorum* vera atque iuſta conſideratio, quæ tam *ſpaſticæ* indolis, inprimis *moderatioris* adhuc, veram ſcenam aperire poſſit, quibus *temperamentis*, *ætatibus*, *cauſſis coniunctis*, *occaſionibus* euenire, quos *actus* edere, quos *effectus* ſortiri, quomodo *procedere*, *redire*, *exire* ſoleat, quid boni aut mali perpetrare; quam ipſorum *exituum*, ſiue, vt vulgo loquuntur, *fluxuum* variorum ingenium pandat, quo *reſpectu* illi *vtilitati* alicui ſubſeruiant, & *grauiora* adhuc incommoda tantisper differant: quin denique diuerſorum adhuc, præter hæc omnia, *ſtagnatoriorum*, *oppletoriorum*, *rheumaticorum* dictorum, *æſtuantium* particulariter, *pruriginoſorum* particulariter, *inflammatoriorum*, inprimis per occaſiones etiam *internas* ſolas, *recurrentium*, imo ab vna corporis regione Ex hac motuum hæmorrhagicorum vera conſideratione præcipua phœnomena & ſymptomata diiudicari & illorum rationes reddi poſſunt.

in

in aliam *migrantium*, *veras*, ſed & omnino *ſimplices* & euidentes rationes reddere poſſit.

Longinqua apparatuum ad hos effectus.

§. III. Interim ſicuti *apparatus* ſemper vtique prior eſt ipſo plane *actu & effectu* completo: ita venit etiam in toto hoc MOTVVM hæmorrhagicorum negotio omnino conſideranda *longinqua* illa paſſim veluti *collineatio apparatuum* ad huiusmodi ipſos effectus; quales nempe hinc inde re vera *eminus* agitantur, & late *diffuſa* circumcirca conſpiratione: qui interim, quo latius ab *ambitu* moliuntur; eo *tardius*, imo abſolute *minus*, ad vltimum ſuum effectum atque *ſcopum* (vtpote a quo vere hac ratione longius adhuc abſunt) perueniunt ſeu pertingunt. Quæ interim res, (adhuc maior inquam, & longe quidem, *frequentia*, variorum eiusmodi affectuum, qui quamlibet a *motibus* ad *eruptiones* tendentibus pendent, tamen effectum ipſum *eruptionis* minime aſſequuntur) cum proprie vera theoria prudente æſtimari decenter, & luci exponi debuiſſet; vt ſunt res mortalium, potius nude & ſimpliciter in contrarium vertit, & quantum a ſenſu craſſo alienior eſt, tantum etiam ab intellectu minus attento refugit. Cum tamen *clauis* pro his rebus ſinceriſſima, ad manus veluti præſto eſſet in eo, quod plane *paria* ſymptomata, qualia *deſtinationibus* eiusmodi *eruptoriis* veluti *præludunt*, eædem etiam SEQVANTVR, eruptiones tales iam libero multo exitu potitas; ſi illæ denuo ad *ſuppreſſionem* deuoluantur. Quæ ſane res ſincerarum *clauium* inſtar toti gazophylacio *pathologico* vero & reali recludendo vnice inſeruiunt.

Hiſtoria nephritidis.

§. IV. Non ſine cauſſa præmitto hanc breuem ſed neruoſam repetitionem contemplationi, quam præ manibus habeo, *nephritidis*; vtpote plus quam vno intuitu *longinquorum* eiusmodi *apparatuum ſpaſticorum*, *congeſtoriorum*, *hæmorrhagicorum* ſpecimen exhibentis. Quæ res vt veram ſui theoriam adſequatur, opus ante omnia eſt veram eius *hiſtoriam* commemorare. Conqueruntur nempe, qui hoc genus incommodi experiuntur, de *doloribus*, per initia quidem magis ſolum *tendentibus*, *prementibus*, ad liberiorem motum etiam exquiſitiorem quendam veluti *contuſionis* moleſtum ſenſum exhibentibus, circa *lumborum* maxime regionem. Fiunt autem hi dolores etiam ſenſim magis magisque *acutiores*, *ardoris*, imo exquiſitæ *inflammationis*, *lancinationis* penetrantis, & prorſus *anxiæ inquietudinis* acerbitate; cum *appetitus* deiectione, *virium* ſummo lapſu, *agrypnia*, *ſiticuloſitate*, *capitis* dolore *obtuſo*, aut ad minimum *perturbatione* & *vertiginoſa*

debi-

debilitate; interdum etiam concurrentibus circa *primas vias* tam *ventriculi vomitoriis* ſubuerſionibus, quam *inteſtinorum torminibus.*

Familiaris huic affectui eſt turbatio circa ventriculum & primas vias; imo harum vitia hunc affectum exacerbant.

§. V. De qua etiam re nequaquam ſilentio præterire licet, quod non raro, etiam in certioribus *nephriticæ* conſtitutionis exacerbationibus incipientibus, adeo familiaris ſit hæc talis circa *ventriculum* & *primas vias* exquiſitiſſime & eminentiſſime ſenſibilis turbatio, vt etiam hac quam maxime ferociente ſpecialiores *lumborum* dolores nullum prorſus adhuc indicium ſui faciant. Neque hoc ſolum, ſed meretur ſane etiam hoc ipſo ſtatim loco memorari illa ſpecialiſſima huius conſiderationis circumſtantia, quod verà quantumcunque *nephritis* præſentiſſime incitetur ad formandos paroxyſmos, mediantibus *primarum viarum* & *concoctionis* ipſius *primæ* onerationibus. (Vnde edulia partim *flatulenta* dicta, *leguminoſa*, partim *concoctu difficilia* habita, vt *caſeus* macrior, carnes fumo *induratæ*, *piſces* duriores, *nephritidem* cito exacerbare ſentiuntur.)

Febriles commotiones, ſeu horripilationes.

§. VI. Occupat autem hic dolor patientes ſæpe numero etiam cum circumſtantiis, *febrili* commotioni alias magis quaſi propriis; *frigidi* nempe *horroris*, quem moleſtiſſimus *calor*, licet non tam *æſtu* ſemper exquiſito, quam *acri* quodam *ardore* moleſtus, inſequitur: aut, ſi quam maxime *horror* talis nullo eminente concurſu, ſed potius *inſultu*, ſeſe prodat, eſt tamen indiuiſus omnino comes *horridula vaga* percurſatio, vt, quoties vel leuis aura frigidula illis allabitur, dum vel parturiunt paroxyſmum doloris, vel etiam iam ſentiunt, cito illos ita moleſtæ *horripilationes* percellant. Interim dignum inſuper eſt notatu etiam illud, quod *verus nephriticus* dolor non ſolum *alterutrum* tantum latus lumborum obſideat potius, quam *vtrumque*: ſed etiam, adhuc ſpecialius, *ſiniſtrum* latus communiſſime præ dextro.

Dolor alterutrum tantum latus & ſpecialius ſiniſtrum occupat.

Infrequentia nephritidis.

§. VII. Præterea vero eſt etiam vtique hic notanda huius ipſius *nephritici* mali ſatis euidens INFREQVENTIA; *veri* inquam, & extra ambiguitatem talis. Hoc autem intuitu non euenit *promiſcue* quibuslibet, vti vocant, *temperamentis*, ſed ante omnia peculiariter magis *ſanguineo*, *ſincero*, aut *dominanti.* Neque promiſcue quibuslibet *ætatibus*, ſed præcipue *iuuenili* accreſcenti & *virili*, niſi quidem *hæreditaria* diſpoſitio ſubſit; quo caſu etiam iuniores, quin ipſam *infantilem* ætatem inuadit. Præterea ſeruat adhuc illam *infrequentiæ* rationem, vt non *continuo* impetu patientes exerceat, ſed *interpoſitis*, ſæpe numero etiam, ſi patientes cautius viuant, vere *diuturnis* inter-

 uallis,

Frequentia eius ex quibus cauſſis.

uallis. Interim *frequentiam* maiorem in genere nanciſcantur ipſa *adſuetudine*; in ſpecie vero per malum regimen circa *occaſiones externas*, ſeu cauſſas *procatarcticas*, quibus huius mali *repetiti* tales inſultus familiariter excitantur: quæ, *generalius*, verſantur in rerum *non-naturalium* incondito abuſu; *ſpecialius* autem ſunt illæ maximæ eædem res, vt *cauſſæ*, quæ ipſas etiam *hæmorrhagias* paſſim concitare & exacerbare obſeruantur.

Nephritis ſimplex differt a calculoſa;

§. VIII. Interim ſuperſunt adhuc *duo* circa hanc rem notabilia, nempe, *primo*, quod *nephritis* ſimplex omnino diſtinguenda veniat a *calculoſa*; dum vtique etiam datur ingens *nephritis*, & multis etiam *repetitis* inſultibus, per prolixum temporis decurſum infeſta, ſine vllo calculo: ſicut ex aduerſo etiam paſſim *calculus* & præſto eſt, & mouetur atque decedit, ſine vlla vera *nephritide*. *Secundo*, quod vtique *nephritis* quidem *ſimplex*, & nequaquam adhuc *calculoſa*, ſi ipſi *mature* & *recte* inprimis conſulatur, *percurari* iterum poſſit, vt patientes ab illa liberentur in poſterum: *calculoſa* vero, vere talis, vix vnquam.

illa facilius curari poteſt, hæc vix vnquam.

Abſtrahendo inprimis ab illis confuſionibus *arthritico-rheumaticorum*, quin ſæpe *nephriticorum* verorum, ſed *ſimplicium* adhuc, & minime *calculoſorum*, phænomenon in *vrinis*; quæ vulgo hominum pro *ſabulo* imponunt, cum nihil ſint, niſi verum *ſalinum* concrementum, quod ſub *refrigerio* demum vrinæ coaleſcens lateribus vitrorum æque adhæreſcit, atque ad fundum partim decidit ex vrina, quæ ſub emiſſione vniuerſa *limpida* prodierat: cum *ſabulum* verum atque genuinum non minus, quam ipſi etiam *calculi*, iam in illa ſua conſiſtentia *ſolida*, intra corpus concreta, ſtatim iam cum reliqua limpida vrina e veſica in vas vrinarium decidant, & immediate mox huius fundum occupent.

Conſpiratio nephritidis cum malo iſchiadico, hæmorrhoidibus & podagra.

§. IX. Vltimo vero loco venit omnino etiam notanda *conſpiratio* ſolennis *nephritidis* & vera *συζυγία* penitior tam cum *iſchiadico* malo & *hæmorrhoidibus*, quam cum ipſa etiam *podagra*: adeo, vt ſatis frequentes occurrant *hæmorrhoidarii* & *podagrici*, non ſolum tanquam ambiguis forte & generalioribus circa *lumbos* doloribus vna obnoxii, vt quaſi anceps eſſe poſſit, an magis *rheumatico-iſchiadici* ſint effectus, an vero verius *nephritici*; ſed ita vera *nephritide*, vt etiam *calculoſa* ſimul exſiſtens nullum dubium relinquat indolis ſuæ. Cui etiam conſtitutioni merito annumeranda venit illa *nephritidis* paſſim obuia circumſtantia, vt dolore in lumbo præſente, quaſi peculiariter *grauatiuo*, *tenſiuo*, *rigido*, totum ſimul illud *femur*, imo *crus*, non ſolum *ſtupeſcat*, ſed etiam *rigeſcat*, imo vel *doloribus* etiam eo excurrentibus ſimul afficiatur. Vltimo loco

Dolor nonnumquam per totum femur excurrit.

Nephritis & calculus fœmi-

loco accenſeo huic *hiſtoriæ* illam obſeruationem, quod vera *nephritis* æque atque ipſe *calculus* longe *rarius fœmineum* ſexum exerceat, quam virilem. nas rarius exercent quam viros.

§. X. Has vniuerſas circumſtantias, prout in facto ipſa hiſtoria ſeſe offerunt, ſi iam ad *rationes* reuocemus; & huic ſcopo adhibeamus *conuenientiam* ſecundum pares cauſſas & effectus conſpicuorum diuerſorum *hæmorrhagicorum* moliminum, ante omnia vero *hæmorrhoidalium* apparatuum *externorum*, & *conſenſuum ſtricturæ*, circa has regiones equidem *venæ cauæ* & *iliacis internis* deſtinatæ, ſed facillime in portiones etiam *emulgentes* redundantis: poterit inde ſine magna difficultate vtique eluceſcere, quomodo harum rerum ita mutuus valeat apparatus; vt nempe etiam *nephritica* pathemata ab *hæmorrhoidalibus* tentaminibus pullulent. Oſtenditur nexus, quo modo nephritis ab hæmorrhoidalibus tentaminibus oriri poſſit.

§. XI. Sicut enim etiam vel ipſa ſimplex ocularis inſpectio *implicationis* illius ſpiſſiſſimæ tenuiter fibroſæ innuere poteſt, quæ in corpore humano complectitur tam *venam cauam* a diaphragmate deorſum, quam partem *venæ portæ* dorſo contiguam; quæ *hæmorrhoidalis* maxime eſt, quod huius, fibroſæ inquam implicationis, varia *ſtrictura* varie etiam impellere atque dirigere poſſit progreſſum ſanguinis circa hæc loca, & conſequenter variis *detentionibus* atque *reſtagnationibus* inſtruendis inſeruire: ita non poſſum, quin pro huius negotii notabili illuſtratione hoc etiam loco commemorem plane peculiarem effectum, qui e *ſtrictura*, præter opinionem profundius operante, plus quam ſimplici vice mihi ſeſe obtulit. Strictura fibroſæ illius implicationis, venam cauam & hæmorrhoidalem complectentis, varias detentiones & ſtagnationes inſtruere ſolet.

Præſcribit *Paulus Barbette* in ſua praxi cap. de *catarrhis* ad arthritidem incipientem *emplaſtrum e ceruſſa, minio, oleo oliuarum, & ſapone Veneto.* Hoc commendat lectori peculiari quadam epiphoneſi. Idem proponitur in ita inſcriptis *experimentis Digbæi chymicis*, ſub titulo: Herrn Digby fürtreffliches Pflaſter aus Bley. Hoc emplaſtrum ſicut vſu ſuo non caret, ita paraueram ante hos XVI. annos primo ipſe; cum vero vſum eius annotaſſem largioris diſpenſationis fini, commendabam eius præparationem pharmacopolæ publico, e cuius officina illud poſthac præſcribebam ſub titulo *Empl. ſaponati Barbette.* Cum vero hoc non ego ſolum, ſed etiam alter in eodem loco Medicus (qui raro in hac arte decore, quamlibet annoſior, nec experimenta neque rationes audire, imo vero amiciſſimis colloquiis etiam prouocare adſpernabatur; nempe vir in copioſa praxi conſtitutus, facillime agnoſcens, quid per vera phænomena practica probaretur, & verum in illis nexum adſequeretur) aliquoties hoc emplaſtrum præſcriberemus; & ego quidem ſemel aut iterum idem aliis iam prius ipſe etiam dediſſem in ſubſtantia, qui forte poſthac audiebant, me idem etiam in pharmaco-

polio parandum curaſſe: neſcio quomodo hinc euenit, vt talium hominum occaſione emplaſtrum hoc ſimpliciter meo nomine adpellaretur, id, quod hac ratione demum comperi, quæ mihi ſimul eximiam peculiarem obſeruationem ſuppeditabat ſequentem.

Veniebat ad me hortulanus mercenarius, commemorans, contigiſſe ſibi inſignem *dolorem nephriticum*, (nempe *lumbarem*, qualem ſtatim promiſcue hoc nomine notare ſolent, Stein-Beſchwerung; quamuis huic patienti etiam ſiniſtrum maxime lumborum latus occupauiſſet:) huic dolori adhibuiſſe ſe emplaſtrum meum, (darauf habe ich des Herrn Doctors Pflaſter ge egt, aiebat) ſublatum hinc eſſe ſatis feliciter dolorem; agnoſcere ſe vero, quod ſine dubio nimis diu emplaſtrum hoc ibi reliquerit, per tres circiter dies, poſtquam iam dolorem ſuſtuliſſet. Eueniſſe ſibi hinc alterum non magis moleſtum, quam metuendum etiam accidens, vt *teſticulus ſiniſter* magnopere *inflatus*, quin *inflammatus*, valde doleret; & ſuperabat certe teſticulus ouum maioris gallinæ Indicæ ſeu Calicuticæ. Ego, cum non meminiſſem, quod huic viro prægreſſis forte diebus empl. hoc commendaſſem, nec etiam, plus iam anno, emplaſtrum hoc domi amplius paratum habebam; eſſet autem interim alius Medicus, qui ſub ſuo nomine empl. quoddam diſtrahebat: monebam ita patientem, ne erraret forte, præcipue cum mihi nullum vſitatum ſit emplaſtrum, quod ſpecialiter ſub meo nomine venire vel ſciam, vel velim. Agnoſcebat ille, quod neque conſilium a me, nec emplaſtrum ab aliquo meorum accepiſſet; nominabat autem virum primarium eius loci atque temporis, qui & ſuaſerit illi emplaſtrum hoc, & e pharmacopolio ſub hoc nomine petendi autor fuerit; imo proferebat ipſum quod vltimo geſtauerat fruſtum. Ego, fateor, non aſſequebar ſtatim efficaciam talem ab hoc emplaſtro pendere poſſe, imo vero reſpondebam hoc ipſum patienti; recordari iubens aliarum forte concurrentium cauſſarum, quandoquidem ab emplaſtro talis effectus minime ſequi valeret. Excuſabat ſe ille modeſte, quod contrarium ſentiat, cum nota ſibi iam ſint facta, duo alia huiusmodi exempla, quod a iuſto diuturniore in hoc loco geſtatione *teſticuli tumor* obortus ſit, pœnitendo, vt aiebat, effectu tam boni emplaſtri, ad dolores illos de reliquo ſubigendos, ſi ita per imprudentiam nimium diu geſtetur. Hunc effectum cum ita, quod omni modo ingenue profiteor, ex horum ipſorum hominum ita plane propria experientia perciperem, capto interim ex ipſa re conſilio, iubeo idem emplaſtrum, ſimpliciter inuerſo ordine, toti ambitui ſiniſtro ſcroti, & teſticuli inflati, circumponere, camphora etiam largius imbutum. Ita quidem feliciter iterum diſceſſit rumor.

Tanta eſt efficacia ſtricturarum circa hæc loca ſpinæ dorſi connexa.

§. XII. Mihi vero, & quotquot tandem animum huc ſolerter aduertere voluerint, exhibuit ita luculentum, imo profecto tanquam ad oculum manifeſtiſſimum documentum, quænam ſit efficacia *ſtricturarum* talium circa hæc loca *ſpinæ dorſi contigua*, etiam vsque a tam *longinqua*, & *ſpiſſa*, & ſi *anatomico-phyſiologicam* conſpirationem ſpectemus, velut alieniſſima efficacia ſtrictoria a cute dorſi per muſcu-

muſculos iuxta ſpinam dorſi, non ſolum externos, ſed etiam ipſos penitus internos, *Pſoas*, non ſolum in *venam emulgentem*, ſed omnino *ſpermaticam* ſiniſtram; (quæ nempe ordinarie e *finiſtra emulgente* vena, vti dextra *ſpermatica*, communiter e *trunco venæ cauæ*, ortum ſuum habet.)

Ex hac conſpiratione facile colligi poteſt, quod ex hac ſtrictura dolores vsque ad emulgentes & ad renes, ad femur, ad nates & vaſa ſpermatica, quæ ad teſtes procedunt, ſe diffundi posſint.

§. XIII. Iam cum etiam tam fortis inter has res præſto ſit conſpiratio, vt *per tranſuerſum* integumentorum non ſolum, ſed ipſorum vsque muſculorum ſpiſſorum tales *ſtricturæ* ad ipſa vsque vaſa, & ſatis *tenera* quidem illa, propagentur; & vaſa grandiora, vt hic venam emulgentem ſiniſtram, ſtringendo regurgitationem ad ipſum *teſticulum* inflatoriam & inflammatoriam ita efforment: quid non poſſint *propiores* huiusmodi ſtricturæ & compreſſiones, in ipſa magis proxima vicinia vaſorum *emulgentium* inſtitutæ? Vbi nempe certe omni modo, & maximo prorſus opere, etiam obſeruandam commendo illam diſſeminationem illorum ramorum venoſorum, qui *non procul* ab ipſis *emulgentibus*, ſi res oculis potius inſpiciatur, quam minus accuratis figuris credatur, non ſolum ſecundum ductum vertebrarum lumbarium excurrunt ad vtrumque latus lumborum: ſed etiam partim *maioribus ramis*, *venæ muſculæ ſuperioris* nomine, ad multos atque craſſos muſculos, partim ad femur, partim ad nates, vſu tamen etiam præcipuo femoris, multis ramificationibus diſcurrunt. Quorum *ramorum*, iterum dico, *vero ſitu* ab emulgentibus non valde diſtantium, qualiscunque *ſtrictura* extrinſecus, quomodocunque ſuſcitata, poteſt profecto nulla difficultate etiam ita ad ipſos vsque *emulgentes* diffundi, & per hos etiam in *renes* ea ratione redundare, vt imminuto hinc ſatis libero ſanguinis per illos *refluxu* in venas, *reſtagnatio* aliqua in ipſo renum habitu hinc cooriens, *infarctum*, *diſtenſionem*, *ardoris*, *lancinationis* ſenſum, quin verum *inflammationis* genium, ibi exhibeat.

Nephritidis cauſſæ ſunt motus ſanguinis congeſtorii verſus renes, hæmorrhoides eminus reſpicientes.

§. XIV. Iam cum *dolores nephritici* non ſolum in easdem periodos *ætatum* incidere ſoleant, quibus veluti *prima molimina hæmorrhoidalia* micare conſueuerunt, imo vero etiam in poſterum cum *iſchiadicis & hæmorrhoidalibus fluxibus* concurſare, (ſicut etiam iam *Hippocratis* temporibus notum, & hinc ab ipſo annotatum fuit IV. Aphor. §. XI. quod hæmorrhoides non ſolum *ſuperuenire* ſoleant *nephritidi*, ſed hoc etiam vtili euentu ita facere; quaſi diceret, *inuenientibus exitum hæmorrhoidibus deſinit contentio circa renum regionem*,) ſed etiam, quibus minus familiares ſunt *hæmorrhoidales* excretiones, velut

velut euidenter eadem proportione pariter minus familiares ſint *nephritici* dolores; (vt *fœminino* ſexui) imo recte procedente *hæmorrhoidali fluxu*, per allegatam *Hippocratis* obſeruationem, hi dolores mox ſubſeuentur; ex aduerſo vero per incommode procedentes hæmorrhoides ipſa *nephritis*, etiam ſerius, & fere fortius, cooriatur, (ſicuti reapſe *Hippocrates nephritidem* quaſi magis *propriam ſenibus* recenſet alleg. III. Aph. 30.): ita videtur certe mihi ex his veris circumſtantiis nihil magis atque certius diluceſcere, quam, quod ipſius etiam *nephriticæ ſtagnationis*, *infarctus* & *inflationis* nullæ ſint certiores *occaſiones* & velut introductiones, quam MOTVS eiusmodi *congeſtorii*, qui *ſanguinem* ita velut eminus ad *hæmorrhoidales* ventilationes, præcipue *externas*, veluti deſtinare atque compellere aggreſſi, *reſtagnationibus* huiusmodi ſpecialioribus circa *renes* occaſionem ſubminiſtrant, quæ ſemel ita *præualeſcentes* etiam in poſterum ſpecialiori ad hæc eadem loca redundantiæ aditum præparant.

Sanguinei hæmorrhoidalibus moliminibus externis, nec non iſchiadicis & podagricis pathematibus ſubiecti, etiam nephriticis expoſiti ſunt.

§. XV. Non poſſum autem mihi temperare, quin etiam iam hoc ipſo loco aliqua pro confirmatione maiore huiusmodi adſertionis adferam ex ipſa *hiſtoria*, partim *pathologico*- partim *therapeutico-practica* vera, & experientiæ conſona. *Primo*, ſicuti *externis* hæmorrhoidariis moliminibus & *apparatibus* inprimis obnoxii ſunt homines *habitus corporis ſpongioſioris*, mollis, qualem vulgo *ſanguineum* vocant, (ſiue magis *ſincerus* ille ſit, ſiue in qualicunque compoſitione *prædominans*,) &, niſi *molimina* hæc exitum adſequantur, redundat in *iſchiadica* aut *podagrica* pathemata, talibus ſubiectis proinde præ aliis familiariora: ita eueniunt etiam maxime talibus iisdem *nephritica* pathemata vel *frequentiora* præ aliis aliter conſtitutis; vel certe ſenſibiliter omnino & *grauiora*, & *acrius inflammatoria*. *Secundo*, monſtrat prudens experientia *practica therapeutica*, quod tempeſtiuæ *ventilationes* tum *generales* ſanguinis, inprimis in *inferioribus* partibus corporis, tum *ſpecialior*, e locis *hæmorrhoidalibus* externis per *hirudines*, *calculoſis* non ſolum per ſe multum emolumenti & leuaminis adferant; ſed etiam omnium reliquorum medicamentorum feliciori operationi viam ſternant, vt illa longe veriorem ita exhibeant efficaciam, quam ſi ſine præmiſſo huiusmodi ſubſidio in vſum trahantur.

Venæ ſectio tempeſtiua multum leuaminis adfert.

§. XVI.

§. XVI. Supereſt autem omni modo adhuc aliquid dicendum de *inclinatione* etiam ſanguinis verſus hæc loca, poſtquam ſemel, ne dum iterum, reſtagnatio hæc illa loca inuaſit & expandit. Siquidem non ſolum quaſi ſua *ſponte* etiam in poſterum hanc eandem ſemitam velut iterum affectat, & facile ſequitur natura: ſed quando etiam, inprimis *in actu* iam fientis huiusmodi congeſtionis atque reſtagnationis, remedia ſpecialius *ad renes* pellentia intempeſtiue adhibentur, obtingit hinc adhuc tanto maior circa talem *ſpecialiſſimum* locum non magis *commotio*, quam vera *contentio*; a qua & facillime, & inde propemodum familiariſſime, reſtagnatio *nephritica* non ſolum ad veram *inflammationem* augetur, ſed ab hac etiam ſuccedens aliqualis *vlceratio*, poſthac *calculi renalis* prouentui ſcaturiginem quaſi ſubminiſtrat. Vnde quidem valde familiariter occurrunt animum ſolerter aduertentibus eiusmodi exempla, vbi mox a primis dolorum *per lumbos* velut initiis adhibita *acriora*, *terebinthinata*, *ſuccinata*, *ſpiritus nitri dulcis acrior*, & *largiore* vſu; quin ipſa aqua *petroſelini*, *fragorum*, *amygdalæ rancidæ* & *amaræ*, tum *diuretica* acriora &c. patientes tales mox eo deducunt, vt admodum tempeſtiue *calculi* prouentum experiantur, cuius ante hac nulla adhuc veſtigia perceperant: niſi quidem forte phænomenon illud, iam ſupra tactum, impoſuerit *tartareo-limoſi* concrementi in vrina, ſub emiſſione *limpida*, poſthac demum ſub *refrigeratione* coaleſcentis.

Recurſus congeſtionum & ſtagnationum ſanguinis per leues occaſiones.

Inprimis per pellentia ad renes & alia diuretica acria calculus renalis prouenit.

§ XVII. Habet autem inſuper, vt etiam iam ſupra notatum eſt, *nephritis* ſimplex illud peculiare, vt etiam non ita multos dies iugiter perennet; quin iterum quaſi ſponte diſſoluatur; remiſſa nempe ſenſim *contentione* illa congeſtoria, ad *renem* ita redundante. Præter hæc omnia vero habet vtique *nephritis* etiam illam *cauſſalem* rationem conſideratu dignam, quæ hactenus a me aſtructam eius *ætiologiam* confirmare poſſit, quod *nephritis* omnino ab iisdem cauſſis *occaſionalibus* exacerbetur, quæ etiam ſimplices quaslibet *hæmorrhagias* pariter incitare & exacerbare obſeruentur; & inter tales velut eminenter ab ipſis *animi pathematibus*. Qualia tamen quid de reliquo peculiaris inferant ſtabile & materiale circa *renes*, *vrinam*, *vias vrinales*, quatenus tales, nemo vtique hominum agnouerit: niſi quidem cum antiqui cenſus *ſpiritibus*, ſine omni reliqua comparatione hic turbas concitantibus, vel recentiore illo monſtro, *Gorgonio ſpiritu*, nudæ fabulæ ſcenam inſtruere arrideat.

Nephritis ſimplex non multos dies iugiter perennat: eædem cauſſæ occaſionales illam exacerbant, quæ alias hæmorrhagias incitant, inprimis animi pathemata.

§. XVIII.

Aliæ pathologiæ nephritidis & calculi de ſpiritu lapidifico, ſeminiis & fermentatione minime reſpondent circumſtantiæ eſſentiali.

§. XVIII. Cæterum placet etiam hanc conſiderationem iterum illo monito obſignare, quod quælibet aliæ *pathologicæ* opiniones tam circa *nephritidem*, quam *calculum*, vel minime reſpondeant circumſtantiæ *eſſentiali* penitus circa hos affectus, eximiæ *infrequentiæ*: aut ſi denique hanc diſſimulare non amplius ipſis concedatur, noua, & adhuc minus toleranda vanitate ad abſolutas huiusmodi fabellas dilabantur *ſpirituum Gorgonicorum*, & *materialium* quorumlibet *ſeminiorum*, non ſolum per *tot annos* deliteſcentium, & per longas demum ætatum *periodos*, vt Aloë Americana, matureſcentium ad progerminandum; aut per modum cereuiſiarum *fermentando* paroxyſmorum varios recurſus formantium: niſi quod vtique etiam hoc ipſum *ſimile* grauiter, quod vulgo dicitur, *claudicet*; dum nullum in toto mundo concretum occurrit, quod in *eodem*, maxime vero *exiguo*, *loco* detentum *fermentationis* commorionibus ſolum ita *per particulam* afficiatur, vt illa quidem *fermentando* emoueatur, ad reliquam vero veluti *mineram*, ſeu *farraginem*, *commotio* illa non pertingat, ſed illa ſemper nouos demum *inſultus* exſpectet, qui tamen ſinguli non plus, quam *exiguam* qualibet vice particulam ita emouere valeant, & tamen hæc omnia indole *fermentatiua*: profecto abſurde. Sed de his plura, vbi de ipſo calculo.

Nephritis non ſolum ſenioribus ſed etiam conſiſtenti ætati euenit.

§. XIX. Sicut autem hanc tractationem de *nephritide* ſubieci tractationi de *mictu cruento*, ita poſſet forte non iniuria a me exſpectari *connexio* etiam ipſius vtriusque huius affectus. Cum autem ſecundum *Hippocratem* quidem hæc res facile expediri poſſet, qui e ſui temporis atque climatis experientia & obſeruatione ipſam etiam *nephritidem* non niſi *ſenioribus* familiarem obſeruauit; quibus iisdem, quod præced. membro notaui, quamlibet *Hippocrates* illud in illis *aphoriſmis* prætererit, ipſe etiam *mictus cruentus* ſine vi externa veluti proprius eſt: quia tamen in noſtris regionibus, imo verius noſtris *moribus*, *nephritis* etiam reuera iam ad *conſiſtentem* ætatem appropinquantibus paſſim euenire notatur; poſſet videri, quaſi hæc res nexum talem inter *intentionem* directe hæmorrhagicam, & *apparatus* atque *exitus* ſimiles hic implicaret.

Connexio inter mictum cruentum & nephritidem.

§. XX. Sed cum non ſine prægnantibus, & certe plane ſolidis rationibus in ipſo initio præſ. artic. repetierim differentiam, quæ vere intercedit inter MOTVS *ad hæmorrhagias* deſtinatos, & ipſos *exitus* ſeu *fluxus*, ad quos illi collineant; & huius eiusdem rei eximia vtique prorſus ſpecimina præſto ſint, non ſolum in *hypochondriaco* malo,

malo, ſed etiam ipſis *arthritico - iſchiadico - podagricis* contentionibus: (& in his quidem maxime in eo, quod ibi & *longinquæ*, & *diuturnæ*, & *pertinaces* tales *contentiones* fiant circa *eruptiones hæmorrhoidales;* quamlibet ad illas in multis ita affectis vel nunquam plenum hunc *exitum* aſſequantur: in *hypochondriaco* vero apparatu reuera geminum ipſum contingat cum præſentis *nephritici* MOTVS ingenio, vt, inquam, hic etiam, quamuis ad actualem *perruptionem* hæmorrhoidalem illa ætas, quæ *hypochondriacis* pathematibus quam maxime obnoxia eſt, non pariter procliuis exſiſtat, & illam omnino aſſequatur) ita pari ratione in noſtris certe regionibus obtinet hoc omnino ita, vt etiam illis, quibus ad actualem *perruptionem cruenti mictus* non tam directe & ſimpliciter procliuis eſt progreſſus atque ſucceſſus, tamen longinqua hæc veluti *molimina* ad illum, quæ *reſtagnationem* inſignem circa *renes*, & per hanc *nephritica* illa pathemata efformant, etiam prius, quam ad ipſam *perruptionem* pertinacius pertendat totus conniſus, tantisper huiusmodi veluti progymnasmatibus præludat, & veluti *tentet* & aditum expeditiorem & exitum.

§. XXI. Quamuis autem hæc forte ita facile agnoſci poſſint, agnoſcet tamen ſine dubio etiam, quicunque naris eſt emunctioris, quod etiam hoc ipſum nondum exhauriat *dubium* illud, quamobrem, teſte experientia, vtique tales *apparatus præmaturi* familiariores ſint, qui *Hippocratis* tempore aut climate *ſeriores* obtingere ſoliti ſint: cur inquam *Hippocratis* tempore non etiam *maturius* euenire cœperint, quam proxime ipſa illa ætate, qua etiam *mictus cruentus* ipſe ad exitum peruenire familiarius obſeruatur? Hic licet nulla affectata ratione etiam allegare poſſem, quod *Hippocrates* non abſolute illibata ἀκριβείᾳ omnes circumſtantias morbidarum diſpoſitionum exhauſerit: (vel ipſo *hypochondriacorum* affectuum teſtimonio, qui apud illum vix attinguntur veluti:) minime tamen hoc facere opus habeo, cum ſufficere mihi poſſint aliæ etiam vere *poſitiuæ* circumſtantiæ huiusmodi diuerſitatis, ipſa re veræ, inter *calidiorum* regionum & noſtrarum genium intercedentis.

Dubium cur Hippocratis tempore tales apparatus nephritici ſeriores obtigerint, quam mictus cruenti.

§. XXII. Subeſt enim hic duplex cauſſa, altera vere *immanens* & prorſus inſita; altera *aduentitia* & arbitraria. Illa, *ſpiſſior* diſpoſitio ſanguinis, tam a frigidiore *aëris* temperie & viciſſitudinibus, quam a craſſiore *victu*, & ante omnia *potu*: cum in calida *Græcia* & potu *vinoſo*, græcæ generoſæ indolis, longe familiariores fuerint,

Duplex cauſſa, ſubeſt, ſpiſſior ſanguis, & peruerſa medicandi methodus per

diuretica & alia pellentia.

imo hodieque ſint, tum ipſæ actuales *eruptiones* ſanguineæ, tum exquiſitiores ambitus *apparatuum* ad illos pertinentium. *Secundum* autem quod attinet, eſt illud nihil aliud, quam *mos* longe vſitatiſſimus hodiernus, vt non ſolum *arthritodes-iſchiadicæ* contentiones familiariſſime cum vere *nephriticis* ipſa diagnoſi confundantur: verum etiam pandemia ſit illa ad ita ſemel iudicatum *nephriticum* malum conſultandi atque medicandi proteruia potius quam promtitudo, non ſolum *ſimplicioribus* remediis, vulgo vti notiſſimis ita vſitatiſſimis, arillis *cynosbati*, *baccis alkekengi*, *petroſelino*, *raphano ruſticano* &c. ſed etiam, (poſtquam famoſa Chymiatrica ita ad homines ſylueſtres diuertit, vt, qui inter ſyluas & materiis huiusmodi & inſtrumento præcipuo pro his artificiis, ligno quaſi gratuito abundant, etiam iam tam præparatione abundantiſſima, quam diſtributione & conſiliis vtendi cum oppidanis talium rerum præconibus certant, non notiſſima ſolum inde, ſed &) vſitatiſſima vtique facta ſunt *olea deſtillata terebinthinæ*, *piceæ*, *iuniperi*, *ſuccini*, *ſpiritus acris empyreumaticus tartari*, *ſpiritus nitri* tum minoris apparatus ſimplex, tum maioris apparatus cum *ſilicibus*, clyſſiformis, interim vtique *nitroſa* parte ſatis ſincerus. Qualium quidem rerum noti familiariſſimi *abuſus* quotidiani, ſi res recte ſecundum indiuidua æſtimetur, deprehenduntur vtique paſſim præcipuam penitus partem habere in illo hodie adeo frequentiore prolapſu qualiumcunque circa *dorſum* & *coxendices* contentionum, veluti recto gradu ad *renes* inclinando.

Mictus cruentus magis pro euentu nephriticarum contentionum quam effectu habendus;

§. XXIII. Reuera autem eſt etiam ita conſiderandum negotium hoc vniuerſum, vt memori mente teneatur, quod ipſe etiam *mictus cruentus* non ſit *euacuatio* talis hæmorrhagica primaria atque *directa*, ad quam tanquam *recto gradu* tendat, adeoque pertendere ſatagat, natura. Sed, quemadmodum ipſe quoque *mictus cruentus* nihil aliud eſt, niſi *deuia* quædam eruptio *hæmorrhoidalium* intentionum atque contentionum: ita, ſi res ſine omni præoccupatione vere ſolertiſſime æſtimetur, eſt ipſe *mictus cruentus* magis pro *euentu nephriticarum* reſtagnationum & contentionum, quam directo qualitercunque deſtinato *effectu* habendus. Ipſæ vero etiam hæ *nephriticæ* congeſtiones atque contentiones non æque pro tali effectu aut *apparatu*, ſimpliciter ad *cruentum mictum* pertendente, agnoſci inde poſſunt; quam potius pro *euentu* magis quam *effectu* latiorum conniſuum *arthritico-iſchiadico-hæmorrhoidalium* æſtimari.

nephriticæ congeſtiones autem pro conniſum arthritico-ischiadico-podagricorum.

§. XXIV.

§. XXIV. Vt ſit ſenſus, *nephriticos* quidem affectus ex *hæmorrhoidalium* moliminum occaſionibus euenire, ſed nullo æque directo atque deſtinato *agendi* ſcopo aut conniſu: *mictum* autem *cruentum* vel conſequi ſimpliciter *fortuita* magis ratione has etiam *nephriticas* contentiones, ſine efficacia tanquam *deſtinati*, & ad hunc effectum obſtinati conniſus: vel, ſicubi reuera ad hunc exitum *tendere* apparet, ibi maxime ſubeſſe etiam illas *ætatis hæmorrhoidalium motuum* & conatuum, imo iam paſſim *adſuetudinum*, certiores circumſtantias; ſed ſimul etiam, quod oppido bene notandum venit, in iſtiusmodi conſtitutione, etiam reuera longe minus exquiſita, vera *nephritica doloroſa* eiusmodi ſiue molimina, ſiue pathemata: dum in talibus caſibus potius omnia etiam ipſos ſucceſſus planiores, ad ſimiles intentiones abſoluendas & vere in effectum deducendas, aſſequuntur, vt nempe ipſa *eruptio* cruenta promtius obtingat. Et hoc quidem etiam magis exquiſite in ipſis *ſenioribus*, effectui huiusmodi reali omni modo verius ſubiectis. Vt adeo hæ ipſæ quoque res, ſi ſine fictionibus potius vere ita vti ſunt accipiuntur, etiam *ætiologiæ* illarum ex *hæmorrhagicorum motuum* & moliminum indole ſatis luculenter comprehendi poſſint.

Ita nephritis ex motibus hæmorrhoidalibus, mictus cruentus autem ex nephriticis contentionibus oritur.

ARTICVLVS II.
DE
CALCVLO RENVM ET VESICAE.

§. I.

NOn dubito, quin primo intuitu, & ſecundum præconceptas opiniones, ἀτοπώτατον appariturum ſit pleriſque, quod præſenti ſeriei tractationis, vbi de *hæmorrhagiis* earumque proximis conſpirationibus agere promiſi, CALCVLI mentionem immiſceam, & eo ipſo ingentem, vt habet prouerbium, ſcrupulum ipſis iniiciam. Interim confido omnino, quod, ſi modo æquo animo rationes meas audire ſuſtinuerint, confeſtim ſenſum illius ſcrupuli amiſſuri ſint. Sicut enim non dubito, quin ſuperius illud meum monitum de nexu *phthiſeos* cum congeſtionibus *hæmoptyicis* citra difficultatem aſſenſum aſſequi poſſit: ita ſpero tantundem etiam de eiusmodi *congeſtionibus*, ad minimum autem omnium conſenſu *reſtagnationibus* atque *inflammatoriis* plane

Remouetur ſcrupulus, cur in ſerie hæmorrhagiarum calculi mentio immiſceatur.

ſtaſibus nephriticis; quod nimirum aliquando actualibus *ſuppurationibus*, magis autem *vlcerationibus* ſanioſis, viam ſternere poſſint in *renibus*, quemadmodum alteræ illæ in *pulmonibus*. Quamuis autem facile præuideam, quod non defuturi ſint, qui, quicquid etiam de habitu *nephritidis* ad *ſuppurationem* aut *vlcerationem renum* conſentiant, non tamen eadem facilitate perſpecturi ſint, quanam ratione ex *vlcerationibus* talibus *calculos* velut efformare integrum eſſe posſit: ſpero tamen hic etiam ab ipſis omnia æqua, ſi modo vere ſinceram ante omnia agnouerint *calculi hiſtoriam*, quam proinde omni modo neceſſe eſt primo loco conſtituere.

Calculi hiſtoria.

§. II. *Calculus renum*, vt ipſius tanquam propriam omnino hiſtoriam texam, eſt ante omnia conſiderandus tam ſecundum *materiam* ſuam, quam ſecundum *formam*: vtrumque tamen non tam exquiſite ſcholaſtico ſenſu, quam crasſiore veluti, quo in ſenſus incurrit, habitu. Tali intuitu eſt *calculus renalis ordinarius* minime vere & ſimpliciter *lapideæ terreæ* indolis; vnde quidem in menſtruis *ſalinis*, quæ alias ſimplicia *terrea* concreta cito ſoluunt, non ſolum non *totus*, ſed etiam *languide* communiter ſolutioni obſequitur. Secundo vero eſt hoc inter omnes *calculoſos* notisſimum, quod *vſitati calculi renales*, ſi recenter emisſi probe conſiderentur, poſtquam per aliquot horas in libero aëre iacuerunt, quaſi ad ſimplicem adſpectum menſura *decreſcere* obſeruentur, & veluti *exſiccatione* ipſa *contabuiſſe*. Neque tamen etiam hoc ſolum, ſed concurrit adhuc alterum non ignotum ſpecimen maioris *exſiccationis*, dum vtique recens excreti *calculi* tales facilius franguntur, & magis *friabiles* ſunt, quam poſt diutius tempus ipſa deſiccatione *denſati*. Præterea tertio, quando calculi tales vruntur, nigreſcunt non ſolum modo, & fundunt tam *humiditatis*, quam *pinguedinis* empyreumaticæ & *ſalis volatilis* notabile quiddam: ſed amittunt etiam eo ipſo non parum de ſuo *pondere* priſtino, contra ſinceriorum *lapideorum* genium.

Eius materia.

§. III. *Formam*, nempe externam, quod attinet, eſt in illa conſideranda partim vſitata *magnitudo*, partim *firmitas* atque denſitas, partim *color*: partim denique peculiaris, ſpeciei tamen magis communis, quam ſimpliciter indiuiduis magis propria, *figuræ* ratio. *Magnitudinem* quod attinet, *vſitatam* vti vocaui, vix quenquam propemodum latet, quod vſitatisſimo more calculi renum non nimium *magni* prodeant, ad *piſi* qualiscunque menſuram, imo etiam longe com-

Forma externa ſecundum magnitudinem.

communius, minores, ad ſeminis *cannabis*, *milii*, imo *arenæ* & *ſabuli* proportionem Qui vero maiores, ad nuclei pruni arborei, Herbſt-Schlehen, pruno - mali perſici, Marellen und Abricoſen, adſcendunt, illi & minus vſitati ſint, ſed vere rariores; & minus etiam propemodum frequentis exacerbationis exhibeant circa *conamina* veluti excuſſoria. Inuſitatæ vero omnino ſunt magnitudines veluti monſtroſæ tales, quales hic illic apud obſeruatores occurrunt, cum concurrente etiam paſſim adhuc magis inſolita configuratione externi ambitus vniuerſi.

§. IV. *Firmitatem* quod attinet, eſt illa vſitata admodum fragilis atque *friabilis*, inprimis antequam ſiccior euadat. Minus vſitata vero occurrit vtique partim in multo maioribus ſolito, vltra *pruni* maioris aut *perſici* minoris (Marellen) nuclei menſuram, conſiſtentia vero cætera viſibili vſitata; partim autem vere rariſſimo euentu in vniuerſa prorſus inſolita conſtitutione, duritie atque pondere penitus ſingulari, & textura quaſi ſincerius *ſilicea*, cuiusmodi tamen, quamlibet in *graminiuoris* animantibus repertam, in *humano* corpore genitam, in renibus inprimis nondum ſpectaui. *Color* calculi renalis quaſi perpetuus eſt fuluus, ex obſoleta flauedine palleſcente quaſi leuiter ruffeſcens. Secundum firmitatem & colorem.

§. V. Peculiaris conformatio vero conſiſtit communiſſime in *aſperitate* tam externi ambitus, & veluti cruſtæ ſui; quam per totam ſui conſiſtentiam, qua velut e *granis* ſubtilibus ſibi mutuo cohærentibus communiſſime conſtare apparet: ſicut etiam paſſim ſub ipſa conſiſtentia *granulorum* talium ſingularium, & nihil dum cohærentium, ſic ſatis ſæpe prodit *ſabuli* nomine. Aliquando tamen conſpiciuntur circa hanc ipſam ſuperficiem mediocrium calculorum etiam magis *faſtigiata* aliqua veluti granula, quæ *cryſtallorum ſalinarum* indolem innuant. Ratione peculiaris figuræ.

§. VI. Iam ſi huic *hiſtoriæ* calculi ipſius vlterius ad latus ponatur etiam hiſtoria *prouentus* calculi huiusmodi, innoteſcet ex illa *primo*, quod calculus communiſſime ſequatur *dolores nephriticos*, *inflammatorios*, & ad minimum a ſuſpicione *ſuppurationis*, aut *vlcerationis*, non alienos. Et hoc maxime, quando cum *impetu* inuadunt atque ſæuiunt hi dolores. Quando vero etiam hoc non faciunt, & tamen tandem *calculus* ſequitur, incumbunt ad minimum tanto diuturniore atque conſtantiore moleſtia, antequam tandem ipſius calculi pro- Prouentus calculi.

prouentus ſeſe exſerat: *ſuſpicione* etiam in hoc caſu iniuſta, nec etiam vulgo inuſitata, *vlceroſæ* affectionis in rene. Adhuc magis autem & nota eſt & euidens renum in calculoſis demortuis *vlceroſo-ſanioſa* conſtitutio reperta, tanta ſæpe numero, vt etiam præcipua pars de mole renis abſumta appareat, reſiduum autem *cuniculis* peruium, interim etiam vndiquaque *flaccidum* deprehendatur.

Manatio ſaniei vlceroſo-ichoroſæ vlteriorem prouentum calculi inhibuit.

§. VII. Quibus rebus vltimo loco adiicere licet trigam obſeruationum, quomodo calculoſa ſubiecta, manante poſthac ſincerius atque copioſius *ſanie vlceroſo-ichoroſa*, ab iſtis temporibus, quibus talis *manatio* cœpit, ab vlteriore prouentu calculi immunes vixerunt.

Vir ſexaginta annis appropinquans, cum etiam alias calculi quædam indicia ſenſiſſet, corripiebatur grauioribus inſultibus nephriticis, adeo, vt licet iuſta eſſet ſuſpicio, quod impatientia & anxietas partem etiam habeant in grauiſſimis illis quiritationibus & anguſtiis, quas patiens præ ſe ferebat, tamen etiam ſubſequens actualis etiam excretio aſperioris ſemel iterumque calculi, quamuis vel paruum piſum non ſuperantis, faciebat etiam fidem, non inanes eſſe patientis quiritationes atque planctus; cum etiam textura corporis laxior & ſanguine floridior attendentibus confirmare poſſet, quod in tali habitu exquiſitior ſit patientis ſenſus, & omnia, vt irritationibus ſenſibilius, ita affuſionibus atque congeſtionibus inflammatoriis paratiora. Habebat vxorem non multo iuniorem, neque textura ſeu habitu corporis æque ac animi ab ipſo diuerſam: quin etiam gemini huiusmodi pathematis experimento ſociam. Vtebantur partim proprio auſu e vulgatis & vſitatis in hoc genere conſiliis, remediis partim euporiſtis & domeſticis, partim artificioſis, vſitatæ praxeos medicæ commendationibus, terebinthinatis, ſuccinatis, cum ſalinis volatilibus æque atque fixis. Vxor aliquanto moroſior viro, rarius & parcius; & habebat etiam minus male, quod tamen an a priori factum ſit, an magis a poſteriori, & proprie propterea, quia minus obſequebatur ad frequentem & largum vſum talium medicamentorum admittendum, diuinent qui poſſunt.

Cum autem hoc ipſo tempore mihi quoque Matrona nobilis obtigiſſet, nephriticis calculoſis inſultibus opem expetens, cui ex vſu ſimpliciorum quorundam pharmacorum, ſabuli æque atque calculi prouentus, quibus alias admodum adſueta erat, in ſatis notabile tempus iam emanſerat, eaque hoc factum, vti fere ſolent, paſſim memoraret: obtigit hinc, vt etiam Medicus duorum illorum coniugum me de ratione huius feminæ tam morbi quam medicationis amice compellaret. Ego nihil diſſimulabam, ceſſaſſe quidem iam plus annuo ſpatio omnia ſabuli nedum calculi indicia in dicta nobili femina; ſed non ſanatam propterea

a me

a me reputari, cum aliud hactenus ſucceſſerit, quod mihi non magis placeat quam ipſe calculus: quamuis ipſa patiens diſſentiret, parui faciens hoc, vt interpretabatur, incommodum præ formidabilibus calculi tragœdiis, quibus alias ſubinde exagitari ſueuerat. Medicus ſicuti Pathologiæ meæ circa totam ſcenam calculi animum ita ſtatim ſubmittere non poterat (quod poſtea tecit, eum hanc ipſe experientiam obſeruaret) non diſſimulabat aſſenſum ſuum circa meæ patientis opinionem; & abunde vtique fore reputans, ſi patiens ipſius, vir vtique, in quo cardo ſatis diffuſæ adminiſtrationis publicæ, conſiliis & ordinationibus inſtruendæ (Cancellarius erat) non ſolum eriperetur doloribus illis, quos per paroxyſmos (ſi non ſimpliciter impatienter, moraliter, tamen phyſice) ægerrime ferebat: ſed etiam meliore orthoſtadia officio ſuo fungi poſſet, nempe exemplo vtique dictæ illius nobilis feminæ, longe meliori ſtatu futura omnia interpretabatur. Cum itaque methodum æque atque medicamenta a me vſurpata commemoraſſem, licet cum parentheſibus meæ circa has res conſiderationis, non quidem exquiſite ſcio, num laudatus ille Medicus etiam hanc methodum & medicamenta ſimpliciter ſecutus ſit; illud autem ſatis ſcio, ſecutum eſſe in vtroque horum coniugum eundum effectum, qualis in mea patiente. Conſiſtebat autem hic in eo, quod patientibus his ſabuli quidem atque calculi prouentus in ſolidum ceſſaret; interim experirentur valde frequentem, & feminæ quidem, vix non continuum (quantitate ſolum differente) prouentum tenaciſſimæ mucoſitatis cum vrina, rarius propemodum ſimplicis atque nudæ, ſæpius longe cruentæ; quin ſatis ſæpe etiam multo ſanguine imbutæ. Erat huius etiam mucilaginis alias quidem minus, ita tamen vt fere nycthemeri ſpatio mediam ad minimum vnciam æquaret, non raro vero vel vna emiſſione cum vrinæ forte ſex vnciis, plus vna vncia huius materiæ prodiret, inprimis ſi rheda vehendo, & itinera ita faciendo, præter modum dorſum atque lumbos concuſſiſſent. Obſeruabat tamen mea illa patiens, matrona ſi quæ alia & prudens ad diſcernendum, & eloquens ad exacte deſcribendum quæ ſentiret, quod, quanto minus materia hæc, ad occaſiones tamen proportionatas oblatas, procederet, tanto plus ſeſe exhiberet incommodorum in dorſo circa lumbos, & nominatim quidem ſiniſtrum. Interim, vti hæc cum nephritico-calculoſis comparari non merebantur, ita raro eousque affligebant patientem, vt impar eſſet, plus ad ſummum vno die, ad ambulandum, imo vel in publicum prodeundum. Quamlibet autem huius etiam eiusdem patientis æque, atque coniugum illorum, hæc etiam talis mala diſpoſitio ſenſim ſenſimque ingraueſceret; cum ante omnia, dictæ illius meæ patientis hectica lenis, qua iam plus duodecim annis, antequam mihi innoteſceret ipſa, eximie contabuerat, exacerbationibus interdum inſignibus, ſemel, aliquando bis per annum, exacerbaretur: vixerunt tamen in huiusmodi conſtitutionibus omnes tres, per aliquot adhuc annos; vir quidem plus quinque annis, coniux eius plus ſeptem annis: nobilis autem illa matrona plus decem annis. Habeo autem cauſſam legitimam, cur ſuſpicer, coniuges illos (ſine præiudicio tamen Horoſcopi, ſeu potius diuinæ voluntatis,) magis a cohibitione huius euacuationis acceleraſſe funeſtam efficaciam; cum vtique vxoris illius huiusmodi exitus adhuc præſens quaſi teſtis fuerim, ſicut hiſtoriam eius rei ſupra Part. II. Art. V. curatius exhibui (niſi quod ſphalma ſit typo-

typothetæ, loco 65, ponentis 55) Matrona vero, cui ego conſulueram, etiam iam pluribus annis poſt meum diſceſſum ſecuta tamen adhuc conſilium priſtinum, vſurpatis tempeſtiuis venæ ſectionibus, & euitatis multis & variis medicamentis, ita tolerabiliter etiam tamdiu adhuc ſuperſtes vixit.

Ex his autem exemplis conficio maxime illud, quod cum in his patientibus leuior *manatio vlceroſa* fuerit, quoad *ſabulum* & *calculi* naſcerentur, increbeſcens illa poſthac, ad largam penitus & multiplicem excretionem, huiusmodi ſpiſſioribus *concrementis* veluti per otium efformandis, non amplius par fuerit.

Calculi renalis fabrica ſeu natiuitas.

§. VIII. Vt autem omnino etiam propius accedam ad formandum conceptum de ipſa *fabrica* calculi renalis ab his initiis, iudico, quod baſis veluti ſit *exſudans* materia eiusmodi mucida ſeroſa, qualis in ſuperficialibus *vlcerationibus* corporis, vbi humiditas diuaporare poteſt, *eſcharam* ſeu cruſtam conſtituit. Huic materiæ e tenui vtique *vlcuſculo* exſudanti, & quicquid etiam eius defluat, tamen circa orificium veluti reliqui vlcuſculi limbum quendam mucidum affigenti, ſenſim reor ſubſtantiam *ſalino-limoſam*, qualis etiam ipſi vrinæ largius inexſiſtens vtique tales alterationes imprimere poteſt huic lenteſcenti mucilagini, imo cum illa magis magisque in *coagulum* mutuum coaleſcere. Hoc tale concrementum arbitror omnino poſſe ita excreſcere ſenſim ſenſimque, donec tandem qualicunque occaſione excuſſionis, aut detruſionis, aut auulſionis liberatum, etiam ipſius peluis atque vreteris ſtrictorio motu ad prouolutionem, ſeu potius propulſionem in veſicam deducatur.

Probabilior eſt hæc ſententia de geneſi calculi, quam altera de ſpiritu lapidifico.

§. IX. Confirmat me in hac ſententia conſiſtentia illa calculi, qualis in illo ſentitur, partim ex illa ſui dum adhuc humeſcit, *mollitie*, & maiore expanſione *turgida*; partim ab *ſoluentium acidorum*, qua talium, imparitate, ad illum ſubigendum: dum vtique notum eſt, quod *acida* mucoſitatem animalem magis denſent quam diſſoluant.

Specimen huius rei manifeſtum eſt, ſi magnus *lapis cancrinus* integer iniiciatur in *aquam fortem*, præcipue paulo debiliorem, ſoluit aqua fortis totam oculi cancri portionem *terream*; manet autem tota moles eius priſtina, niſi quod ſemipellucida ſit, integra, quæ ſi, effuſa ſolutione, edulcoretur, ſubtiliſſima veluti ſpongia comparet, e glutine quodam, ſed non indifferenter ſolubili coagmentata.

Illu-

Illuſtrat autem hanc indolem & *natiuitatem calculi renalis* etiam inſuper tam inæqualitas illa ſuperficiei, quam etiam exiguorum granulorum inſtar tam coalitus maior, quam ſeceſſio ſigillatim, ſabuli & arenariorum granorum inſtar. Et hanc ſane ſimplicem huiusmodi geneſin tamen immenſum quantum probabiliorem arbitror, quam productionem *ſpiritus Gorgonii*, & directa efficacia *petrifici*; reclamante primario tam languido vſitatiſſime (niſi peculiares *ſtimulationes* intercedant) ipſius calculi prouentu atque *regeneratione*: cui quomodo par prouentus huiusmodi *lapidifici* monſtri ita reſpondere poſſit, vt, iuxta terminos hypotheſeos, *languidus prouentus* talis materiæ *languide producat* calculum, diſpicient quorum intereſt.

§. X. Interim illud non ſolum non inficior, ſed omnino potius etiam ipſe reſpicio, quod etiam vere calculoſis familiaris eſſe poſſit, imo ſoleat, non tam æque continuus, ſed per occaſiones, inprimis ab aſſumtis, exſurgens *concurſus materiæ* talis peculiariter *ſalino-mucido-limoſæ*, aut *ſalino*-veluti *tartareæ*, quæ etiam ſubiectis, a vera *nephritide*, nedum *calculo*, liberrimis, interim *arthritico-iſchiadicis*, ſiue vulgo etiam dictis *rheumaticis* affectibus expoſitis, quin aliquando a peculiarium *aſſumtorum* occaſione, non ita raro euenit.

Materia ſalino-mucida aut ſalino-tartarea, vere calculoſis familiaris, non raro etiam in affectibus arthritico-iſchiadicis & rheumaticis euenit.

Habeo huius rei exempla, & ſpecialiſſime & exquiſitiſſime nota & perſpecta. Hominum, inquam, ab omni *nephritide* ſincere alienorum, *iſchiadicis* vero *arthriticis*, *rheumaticis* inſultibus tentari ſolitorum, quibus per illos paroxyſmos veluti (non ſolum orthoſtadiam & obambulationem, ſed ne itinera quidem, non impedientes) vſitatiſſime quidem in vrina, limpida emiſſa, poſt *refrigerationem* & diuturniorem moram cryſtalluli tales *rhomboidei* ſubnaſcentes, etiam ipſum ambitum vitrorum largiter inficiunt, bonam vero etiam eiusdem materiæ partem ad fundum demittunt: quæ etiam ſubſtantia, vti mediocris, *grana milii* dimidiata æquat, ita ſæpe etiam minimarum arenularum inſtar, ſed inprimis tanto magis numeroſiſſimis granulis, ſeſe ſiſtit; aliquando tamen etiam *longitudine* granum hordei æquantes, *latitudinem* vero eiusdem dimidiam non excedentes cryſtallos efformat. Aliquibus tamen, aut his ipſis reliquis talibus, aliquando etiam talis materia in limpida emiſſa vrina ſuccreſcit, quæ tantundem ad latera vaſorum, præcipue tamen *ſtanneorum*, quam ad fundum ſpiſſam magis magisque coaleſcentem eiusmodi conſiſtentiam efformat, vt *liquido-mucido-limoſo-arenoſa* compareat, granorum nempe exiliſſimorum, reliquo huic ſpiſſamento abundantiſſime inſitorum, tam viſui quam tactui obuia præſentia: qualia interim *lapidoſa* non æque eſſe, ſed potius *ſalina*, monſtrat vtique ipſa *conſiſtentia* vrinæ, ſub emiſſione limpida, & hoc ipſo SALINAM *diſſolutionem* huiusmodi materiæ, æque ac poſtea ſalinam eiusdem *concretionem* ita confirmans.

Energiæ petrificæ irritæ ſunt.

§. XI. Certe quicquid tandem de *petrificis* illis energiis non ſolum confuſo, ſed verius nullo conceptu in medium proiicitur, eſt tam in ſe irritum & ineptum, quam diſſonum a vera *hiſtoria* tam ſpontaneæ languidæ *concretionis*, quam per occaſiones largioris & *citatioris* aliquando *productionis*, & denique huic etiam communis variæ & facilis *irritationis*. Alterius autem vtique & iuſtioris multo conſiderationis eſſet tam geneſis quam indoles peculiarium *mucoſitatum*, earumque maior aut minor *ſolubilitas*, tum in ſe, tum quando cum *terreo-ſalinis* quibusdam aliis concreuerunt.

Iuſtioris conſiderationis eſt concretio mucoſitatum quarundam, earumque maior aut minor ſolubilitas.

Quamlibet autem ad præſens hoc negotium de renali calculo etiam hæc conſideratio forte non tantundem pertineret, quantum ad veſicæ calculum, placet tamen illam vtique attigiſſe. Vbi nempe non ſolum iam ante allegatum experimentum circa lapidem cancrinum in conſiderationem venire meretur, ſed etiam alterum illud, quando calx viua cum albumine ouorum, tanto magis autem cum mucido-caſeoſo coagulo lactis, etiam in inexſpectatam duritiem coaleſcit, vti pariter gypſum toſtum cum glutine in marmoream firmitudinem: ſed licet maxime omnium ante oculos conſpicuum, ita minimum omnium ad animum reuocatum phænomenon quotidianum, productionis corticis ouorum. Sicut enim hæc productio pauciſſimarum horarum ſpatio peragitur: ita meretur vtique attendi, quod materia illa limoſa, quæ proprie terreſtrem quaſi conſiſtentiam huic cortici largitur, non ſolum ex & per ſe ad omnem indurationem inepta ſit, ſed etiam non ſolum interuentus, ſed copioſus omnino alterius, nempe glutinoſæ materiæ, maxime diluceſcit ex vſtulatione, & inde naſcente copioſa nigredine non ſolum, ſed effumante etiam ſubſtantia olida empyreumatica. Vbi interim tam de corticibus his, quam eminentiſſime de conchyliis, obſeruanda vtique venit ſpecialiſſima illa indoles, quod vſtione in conſiſtentiam vere calcis viuæ æmulam faceſſant, quæ etiam iterum cum proportionatis mucaginibus indureſcat, &c. Ceterum hæc ipſa etiam vt vniuerſim ad *calculi* ætiologiam, inprimis *renalis*, nihil directæ illuſtrationis ſpecialioris afferre tanto magis ex eo in propatulo eſt, quod *ouipara* talia animalia, licet materia illa pro corticibus formandis maximam partem in illorum *renali* ſubſtantia colligatur, & e maſſa humorum ſecernatur, tamen nunquam *calculo renum* laborent: quamuis profecto hic *Gorgonii* illi effectus maiore iure in ſuſpicionem venire deberent, poſtquam vtique tanta quantitas concrementi duri in ſingula oua tam breui temporis mora ſuccreſcens propius videretur inferre veriorem talem efficaciam velut ἀπὸ μηχανῆς erumpentem, quæ ita, nempe iuxta Gorgonis Meduſæ fabulam & Helmontianas irradiationes, nudo conſpectu petrificæ eſſent.

Quod calculus renalis vlcerationem re-

§. XII. Vltimo loco audeo ſententiæ huius meæ, quod *calculus renalis* proprie *vlceroſo-eſcharoticum mucum* pro fundamento ha-

habeat; adeoque vlcerationem ipſam licet exiguam renum, (vbi breuiter monere placet illos, qui de vera indole ſubiecti inflammationum realem aliquem conceptum fouent, quod ſubſtantia renum ſpiſſiſſime *glandulosa*, inprimis in denſiſſima ſui portione *centrali* verſus peluim, ſint corpus quam maxime *exſangue*) huius, inquam, ſententiæ teſtem citare commendationem *empiricam* practicam, antiquiſſimam partim, partim ad minimum ita a longo tempore inter Septentrionales noſtros famoſam, vt quamdiu etiam Septentrionalium noſtrorum empirias, typographia fauente, publico commendare licuit, vnanimi conſenſu hoc celebrent, nempe, quod multa, quæ cæteroquin non ſolum eximie, ſed etiam velut vnice, *ſolutæ vnitatis* vitiis prodeſſe laudantur, *traumatica* vulgo dicta, eorum non ſolum multa, ſed propemodum etiam hoc ipſo nomine laudabiliora pleraque *calculo* etiam prodeſſe laudentur: (iterum dico *calculo*; non æque vero ſimplicius forte *nephritidi*, tanquam *inflammationi*: cum vtique hæc ipſa *traumatica*, quæ ita paſſim a Botanographis *calculo* dicantur, in *traumaticæ* efficaciæ ordine, minime *inflammationibus* ſatisfaciant, verum ſimpliciter actualibus *vnitatis ſolutionibus*.)

[Margin: ... pro fundamento habeat, teſtantur remedia traumatica.]

§. XIII. Imo vero non dubito aliquid his rebus adiicere etiam de mea obſeruatione. Non ſine cauſſa monere ſoleo, vt ratio habeatur non tam in genere vago motu oberrantium traditionum de *ſpecificis* effectibus, qualibuscunque etiam demum certorum remediorum; quod etiam iam *Ettmüllerus* ex vſus practici peritia notiſſima commendauit: ſed habeo rationes, quamobrem & alia *Paracelſi* chirurgica prudenter paſſim conſideranda commendem; & ſpecialiſſime illud, quod habet im Spital-Büchel, vbi ſimplicia quædam nominibus commemorat, quæ illi ſcopo ſeruiant, quem alibi aliquoties maximopere vrget, vt *partem vlceratam ab intimis* ſui atque corporis veluti penetralibus *extrorſum purgent*; imo non ſolum *expurgent*, ſed ita funditus *perpurgent*, vt inde *ſponte* naturæ in integrum reſtituantur, iuſta & ſolidiſſima conſolidatione. Nemo credet, niſi decenter expertus. Ego eadem experientia teſte vti poſſum, per illa exempla, quorum paulo ante hiſtorias dedi: quandoquidem etiam ibi præcipuum locum habuerant huiusmodi vlcerationum *cathartica*, *expurgationem* inquam *per ipſum vlcus* perficientia. Effectus ſane ipſe, qualem memoraui, a nemine viuentium aliter explicabitur, niſi quod *fluxio* fuerit *vlceroſa*, *ipſo medicamento fortius incitata*: (quamlibet

[Margin: Traditiones de ſpecificis, item Paracelſi aſſertum de purgatione vlcerum ab intra, prudenter conſiderandæ ſunt.]

prouentu *calculoſi concrementi*, e ſegniore fluxione ſenſim coaleſcere ſoliti, poſthac ſublato.)

Virga aurea Geſneri ab auctoribus tanquam panacæa calculi laudatur.

§. XIV. Poſſem videri ineptire velle, ſi e ſatyra, tanquam licentioſa fabula, argumenta probationum allegare ſuſciperem. Loquor de *Euphormione Barclaii*, in quo *virga aurea* (*Geſnero*) dicta tanquam panacæa *calculi* prodigis laudibus effertur. Si vero Medicos laudauero non poſtremi nominis, qui audacis huius aſſertionis comicæ auctores haberi mereantur, nihil cauſſæ video, quin valeat auctoritas. Sunt autem tales *Arnoldus Villanouanus*, *Ioh. Præuotius*, *Alexius Pedemontanus*, circa vſum ad *calculum*: ſicut ad vſum pro *vulneribus* imo *vlceribus*, etiam *antiquis*, *cacoëtheis*, *fiſtuloſis* generalius, præter eundem *Arnoldum* etiam *Foreſtus* & e proximis *Grülingius*. Loca ipſa indicante *Pancouio*.

Calculi veſicæ diuerſitas a renali.

§. XV. Hæc quidem tantiſper ſufficere poterunt de *renum calculo*: diſpiciendum eſt de *veſicario*. Notabilis eſt huius *diuerſitas* a renali, non ſolum in vna pluribus, ſed reuera etiam *præcipuis* circumſtantiis. Sunt autem tales circumſtantiæ, quibus *veſicæ* calculus a *renali* plurimum differt, *primo ætas* ſubiectorum, quibus maxime familiarius obtingit. *Secundo* diuerſitas *numeri*; dum *veſicæ* calculi pauci, ſed communiſſime *vnicus*, patienti obtingunt, cum *renum* plures fere deinceps pullulent. *Tertio* decidunt vſitato more *renum* calculi non ſolum ſingulatim breuiore tempore, ſed tanto magis mutuis ſucceſſibus; *veſicæ* calculus vnus idemque non ſolum per longum tempus, ſed ſæpe numero per totam vitam obhæret.

Differunt etiam magnitudine, conſiſtentia & exitu ſ. eliſione.

§. XVI. *Renum* calculi vſitatius non aſſequuntur eximiam magnitudinem, ſed fere ſub moderata admodum, veluti decerpti, exitum affectant; *veſicæ* calculus augeſcit ordinarie, quam diu obhæreſcit, non ſolum tanquam familiariter in maiorem, ſed etiam paſſim in ingentem molem, *oui* non ſolum *columbini*, aut *dimidii gallinacei*, ſed etiam *integri*, imo *anatini*. *Conſiſtentia* etiam & tota *textura* diſcrepat. Siquidem *renalis* eſt, qualem deſcripſi ſuperius; *veſicalis* autem equidem nec ipſe communiter aut multo *durior* renali, aut multo *ponderoſior*: interim tamen tenerioris, æqualioris, & proinde *glabræ* atque *læuis* ſtructuræ, ſubinde etiam tanquam poliendo *læuigatæ*. Tandem cum *renum* calculi per vices etiam vel *granulorum ſabuloſorum* paruitate familiariter recedant & exitum affectent, non conſpirant neque in hac indole *veſicæ* calculi, longe familiarius ad quietem com-

compoſiti, quoad non ſolum eximia, ſed fere penitus ſpecialiſſima *commotio* obtingat.

Placet huius etiam rei ſpecimen allegare, vt alias obſeruatu digniſſimum, ita plerarumque etiam veſicæ calculi exquiſitiorum circumſtantiarum compos. Adoleſcens Illuſtr. ſtirpis, parentibus ſatus vtrisque nephriticis inſigniter calculoſis, habuerat etiam fratrem primogenitum, qui ſeptem annorum cum ſignis calculi veſicæ mortuus, cum aperiretur, lapidem in veſica exhibuit, tanquam exacte dimidium ouum gallinaceum non magis æquantem, quam repræſentantem (nempe ſecundum latitudinem diſſectum.) Hic autem de quo loquor vsque ad ſextum decimum annum eximia indicia calculi non æque exhibuit, ſed ita ſatis ſanus apparuit. Cum autem in hac ætate, vt erat reliquo corpore in omnem dimenſionem non æque infirmo, ad equitationem artificioſe exercendam admoueretur, cœpit manifeſtiora incommoda circa regionem pectinis & perinæi perſentiſcere, eoque ipſo veſicæ calculi ſuſpicionem incurrere. Non habebat interea vsquam ita male, vt pro ægro eſſe poſſet; Illuſtr. interim Dominus Parens ſolicitus vtique de filio iuſto hærede futuro, ſi viueret, cum quacunque fortuna ſermo ad aures perueniret de bubulco quodam in illis ditionibus famoſo vromante, qui ex vrina exquiſite diſpicere noſſet pleraque, non morborum ſolum, ſed integrorum hominum; ioco-ſerio tentamine experiri conſtituit, quid ille diuinaturus eſſet. Mittitur vrina per hominem ſilentii fidei ſatis compotem; qua ſimpliciter conſpecta, patientem cupediis adſuetum prædicit, es ſeye ein Patient, der Special-Bißgen gewohnt ſey. Cæterum commemorat non ſolum exacte, quid patiens queratur, quod ſentiat; ſed calculo etiam veſicæ laborare edicit. Limpidam autem fuiſſe illam vrinam, quæ ipſi transmiſſa fuerat, fidem faciebant & qui miſerat, & qui tulerat: ſicut etiam vtriusque & inprimis veſicæ calculi participes non ſolum alias, ſed ſæpe ſane etiam ſub paroxyſmis, inprimis renalibus, ſanam, ſi tenuitatem qualemcunque eximas, vrinam ſæpe emittunt. Satis fuerat hic acquieuiſſe; ſed ne curioſitas temeritati elaberetur, interponit ſua artificia bubulcus, minime ſolus vrinæ theoreticus, ſed plane curationum practicus. Nihil tamen amplius, quam ſcribit duabus ſchedulis vna quaque quatuor aquas deſtillatas, ſed ſingula diuerſas, vernaculo idiomate, & alias vſitatas, & quæ nihil vel in ſpecie ad hanc rem poſſe, vel in genere turbare, ne dum nocere poſſe, iudicari poſſent. Hoc ipſo forte intuitu decernitur tentamen: wenn es ja nichts helffe, ſo könte doch ſo etwas auch nichts ſchaden. Simulatque vero Illuſtris patiens hauſtum de illis aquis aſſumſiſſet, cooritur ſenſim ſenſimque, ſed minime languido ſucceſſu, conatus quaſi ſtrangureticus; inualeſcit magis magisque, præualeſcit ad dolores atque cruciatus patientis intolerabiles, ſed &, quæ ſumma erat infortunii, inceſſabiles. Eliditur ita fruſtum, quod amygdalam longam exquiſite talem non ſolum longitudine, ſed tota reliqua figura exprimeret, pollice operario longius; læue tamen & bene molle, vnde etiam cum patiens illud erecto ſitu, & ſtans innixus famulis, eliſiſſet, in pauimentum conclauis gypſo fuſo formatum, prolabendo in aliquot fruſta diſſiliit. Non ceſſabant interim ſpaſmi veſicæ & inſul-

tibus conuulſiuis, & doloribus ita enormibus violenti, vt patiens, de vita deſperantibus omnibus, etiam a miniſtro eccleſiæ euangelico-Lutherano vltima benedictione iam munitus, propinquæ morti ab omnibus deſtinaretur. Sedata tamen iterum eſt huius impetus violentia, ſed tamen admodum languide, niſi quod prima illa enormis vehementia non eadem reuerteretur, ſed magis magisque ſeneſceret. Cum autem poſt 8. circiter ſeptimanas ſtabili euphoriæ aſſertus videretur, & iam brumali anni tempore aëre, poſt tantam delaſſationem, minus caute vteretur, muſſitante iterum malo, vti fere fieri ſolet, officioſa vtique commendatione nominatus eſt operator quidam lithotomus, qui ſectioni calculi dexterrime par eſſe laudabatur. Vocatus, & in rem præſentem ductus, inſtituit vſitatas explorationes. His tanquam ſigno dato euocatæ rurſus immanes illæ ſpaſtico-conuulſiuæ commotiones, intra paucos dies vitæ finem impoſuerunt. Aperta defuncti veſica exhibuit calculum ab anatis ouo non multum abeuntem, niſi quod non æque per totum ambitum rotundus, ſed compreſſus appareret.

Obſeruatio de elidendi conamine, alias de calculo veſicæ inaudito.

§. XVII. Sicut autem hoc ipſum exemplum equidem notatu quam digniſſimum videtur, ita eſt tamen in eo præcipuum notabile incoërcibile illud, & in *veſicæ calculo* vero (non ſimpliciter *renali* aſperiore, recenter in veſicam depulſo, & quidem per ipſam *ſtimulationem* medicamentoſam,) vix auditum *elidendi* conamen peruicaciſſimum; cum alias etiam ſat magni imo eximii huiusmodi calculi citra ſummam æque moleſtiam, nedum intolerabilem talem vehementiam, paſſim diutiſſime patientibus inhæreant, & ab illis tolerentur.

Ita cis paucos annos duo talia noui exempla virorum, quorum alter quinquagenario maior, alter ſexagenarius aut proxime, a longis inde annis calculi veſicæ certi quidem, ſed etiam ſic ſatis ſecuri erant, dum paucas ipſis effatu admodum dignas moleſtias obieciſſet: quantumlibet a multo corporis motu minime alienis, & ad itinera multa atque longa ita adſuetis, vt inprimis ſenior horum in regiones maxime diſſitas excurreret, e Germania in Angliam, ex hoc in Moſcouiam, iterum per mediterraneum Conſtantinopolim, inde rurſus in Belgium. Nacti tamen in eodem Belgio operatores habiles, etiam tali ætate ſectionem experiri non dubitantes, felicem euentum ſortiti ſunt. Erat autem ſenioris huius calculus mediocri ouo gallinaceo nihilo minor. Nec induxerat ipſos æque, inprimis hunc, tanquam peculiariter forte vrgens neceſſitas; ſed nuda laus dexteritatis operatorum, vnde ad ſubeundam operationem animi præſentia peculiari procedebant, quæ in hoc ipſo ſeniore tanta certe erat, vt animi ad hanc rem applicatio, deliberatio & operatio, omnia inquam hæc ſimul in continua ſerie facta, horæ ſpatium non excederent.

§. XVIII.

§. XVIII. Præter dicta autem eſt omnino adhuc notabilis illa huius calculi circumſtanſtia, quod ſemel quidem ſuccreſcens familiariter *vnus* maneat, *magnitudine* ſolum augeſcens; æquabili interim fere atque læui ſuperficie, & communiſſime ad qualemcunque rotunditatem *oualem* accedente ambitu. Si tamen vnus talis excernatur, aut ſectione extrahatur, ſolet ſubinde alter ſuccreſcere.

Veſicæ calculus numero vnus manet, magnitudine ſolum augeſcit.

Præter alia huius generis vulgo non ignota meretur memoriam illud apud *Tulpium* exemplum *fabri ferrarii*; qui cum ſibi calculum e veſica ſemel, propria manu & cultro, quo panem ſuum edere conſueuerat, vt Germani loquuntur, exſecuiſſet, expertus tamen eſt nouum ſuccedentem. Exſecuit iterum eadem ratione; ſuccreuit tertio ille etiam tertio; exſcindere pertinax, victus tandem eſt in opere, & ſuccubuit.

§. XIX. Vltimo autem loco venit vtique notanda illa intima conſtitutio, qua fere ſemper *veſicæ calculus*, tanquam in *meditullio* ſui, non ſolum *veſtigium* diuerſæ ſubſtantiæ a reliqua eius conſiſtentia exhibet; ſed etiam, inprimis in iis, quibus non æque a prima inde infantia inhæſit, ſed iam adoleſcentibus ſuccreuit, tanquam ordinaria propemodum indicia *renalis calculi*, quantumcunque etiam tandem exigui, ibi offert: vt inde non magis ſuſpicio forte aliqua, quam iuſtum potius indicium ſit, quod tota reliqua moles huic tanquam primo ſeminio *ſuperaccreuerit*.

Calculi veſicæ intima textura ſeu conſtitutio.

Exemplum huius etiam rei ante annos aliquot inuenire contigit hic locorum in viro aliquot ſupra ſexaginta annorum. Fuerat ille a multis iam annis renum calculo obnoxius, & habuerat ab illo ſatis ſæpe graues inſultus & moleſtias. Hoc tempore neſcio quid vſurpauerat; inueniebam autem illum iam in ſeptimum diem plena vrinæ ſuppreſſione laborantem, conatibus interim aliquibus, imo etiam doloribus eximiis, maxime omnium autem anguſtia præcordiorum ſpaſtica & anxia tanquam per inſultus, ſeu veluti paroxyſmos quosdam, ita male habentem, vt ſumme infirmus a viribus abſumtis eſſet. Concurrebat autem, vti ſolet, febris lenta quidem & propemodum continens, ſed ſatis æſtuoſa. Nondum erat catheter admotus, ſed interna ſolum vſurpata. Vrgebam itaque huius applicationem: fiebat, ſed ſine fructu vllo, dum ne gutta quidem obſequeretur. Patiens euaneſcentibus in horas viribus moriebatur die ſequente. Aperta veſica, illa quidem ſine omni vrinario humore inueniebatur, ſed plus decem (exquiſiti numeri oblitus ſum, non præſens ſectioni) calculos exhibebat, auellanarum varia magnitudine. Quos renales fuiſſe, & figura reliqua & textura teſtabatur: interim erant tamen etiam qualicunque cruſta magis læui ſinguli propemodum obducti.

Accretio huius calculi quomodo peragatur.

§. XX. Ceterum peragitur vtique *accretio* illa veluti viſibiliter per totum ſemper *ambitum*, ita, vt calculus inde ceu per *foliatos* quosdam cortices ſucceſſiue ſuperinductos, *cæparum* ſimilitudine, efformari videatur. Notabili tamen vtique illa circumſtantia, quod hoc *accrementum* non ita ſimpliciter continuis ſucceſſibus iugiter procedat; ſed veris diſtinctis etiam *ſpiſſitudinis* cruſtarum harum differentiis monſtret, quod reuera *diſtinctis temporibus*, veluti per certas *periodos* temporum, ſingulæ tales cruſtæ ita prognatæ ſint. Quod etiam ita fieri nulla difficultate agnoſci poteſt ex eo, quod vtique prouentus ille *tartareo - limoſæ* materiæ, quæ huic calculo veram præcipuam *ſubſtantiam* præbet, nunquam vno continuo æquali prouentu e ſanguine in vrina compareat; non ſolum apud alios *arthritico - iſchiadicos*, ſed etiam omnino apud veros quoque genere *calculi* laborantes. Vnde nempe facile comprehendi poteſt, qui ita fiat, vt accretio huiusmodi non ſimpliciter velut inſenſibili *continua appoſitione* ſucceſſiue appareat: ſed tanquam euidentius diſcretis, copioſis veluti productionibus, efformata compareat.

Infantum diſpoſitio ad veſicæ calculum in hæreditaria diſpoſitione fundata eſt.

§. XXI. Sicut autem antea notauimus de hoc *veſicæ* calculo, quod ille peculiariter, præ *renali*, etiam *teneriori* ætati familiaris obſeruetur: ita ſupereſt circa hoc phænomenon adhuc tanquam pro *colophone* monere, quod talis *infantum* diſpoſitio ad hunc *veſicæ* calculum primario obſeruetur fundari in *hæreditaria diſpoſitione;* non quidem directe *veſicæ* calculo pariter obnoxiorum parentum; ſed *renali* nephritidi atque calculo addictorum. Vt ita vere *renalis* calculus atque ſabulum etiam in talis ætatis ſubiectis vera *baſis* & veluti *ſeminium* euadat, cui *accrementum* illud ſecundum ſuperficiem deinde ſuperinducatur; aut certe ad minimum ab aliis occaſionibus grauiſſimarum irritationum *renum* in *teneris* corporibus, vt a *cibis* enormiter ſalſis huiusmodi *vlceroſo - ſabuloſa* intemperies, renibus inducta, *baſin* ſuccedentibus inpoſterum talibus accrementis *veſicalis* calculi ſubminiſtret.

Cauſſalis nexus & efficiendi modus.

§. XXII. Has circumſtantias veluti nudas *hiſtoricas* cum ita ob oculos poſuerim, non exiſtimo neceſſarium eſſe, vt longiorem ſeriem *reſpectuum*, *nexuum*, & *efficiendi modorum* cauſſalium quaſi denuo hinc eliciam: cum vtique veluti propria ſponte hæc ex ſe mutuo ita fluant, vt 1.) a *redundantia* ſanguinis inſolentiore ad *renes*; 2) non ſolum ſtaſis *inflammatoria* exoriatur; ſed ex hac etiam 3) aliquando tandem *apoſtema*, vlceroſæ ſanioſæ *manationi* poſthac obnoxium: for-

formetur hinc denique 4) ex hoc *vlceroſo-glutinoſa* materia, & transeuntis per hæc loca *vrinæ*, per vices externarum occaſionum *ſalino-limoſa* coagulaſcente ſubſtantia, materia huiusmodi tanquam *limi*, *glutine* ſubacti: textura interim per ſuperficiem *inæquali*, & veluti rugoſa; ab illius lentoris circa vlcuſculum obhærentis vtique ſucceſſiua ita protruſione ex ipſo foraminulo, e quo ſcaturit. Neque vero multum diſpar eſt ratio *veſicæ* calculi; niſi quod in *veſica* etiam perpetuo præſto ſit ſpiſſa admodum eiusmodi *mucoſitas*, quæ totam internam ſuperficiem veſicæ, velut ordinarie & directe ſecundum naturam, ita oblinit, vt acrimonia vrinæ hanc violare non valeat. Ceterum, vbi ſemel huiusmodi aliena *concrementa* non ſolum, ſed etiam in renibus ipſa *ſolutio continuitatis*, ſenſibilitati vtique adhuc maiori occaſionem ſubminiſtrans, præſto eſt, ibi in numerato vtique eſſe poteſt energia harum rerum *irritatoria*, per quam etiam frequentioribus tam *affuſionibus*, quales plus materiæ offerant, quam ipſis tandem *excuſſoriis* ſpaſticis moliminibus occaſio præbeatur.

§. XXIII. Supereſt vt pauca dicam de habitu conſtitutionis calculoſæ ad reſtitutionem ſeu *curationem*. Offert ſe hic diuerſa vtique conſideratio, *calculi* ipſius ſemel formati, & *mineræ* vt loquuntur, ſeu veluti ſcaturiginis eiusdem, vnde repullulet. Calculum ſemel formatum *renalem* commouet aliquando etiam ipſa natura; aliquando tamen etiam adiuuant aduentitiæ occaſiones *externæ*: *concuſſio* lumborum equitatione aut vectura ſuccuſſatoria, ſaliendo, in lumbos *cadendo*. **Curatio calculi.**

Qua de re, lapſu inquam in lumbos, cúm mentio incidat, venit ſimul in mentem exemplum aliquod, quod tam geneſeos calculi, vt illa hic a me delineata, tum aliarum non quotidianarum circa hoc negotium circumſtantiarum, notatu digna ſpecimina exhibet. Vir quadraginta aut amplius annorum incidit in calculum renalem, quo non ſolum grauiter conflictatur per quatuor annos, ſed contabeſcit etiam enormiter. Venit aliquando ad me vxor eius vrinam apportans, nihil aliud, vt fere ſolent, quam viri illam eſſe, profeſſa. Erat vrina a ſana conſtitutione nihil de reliquo aliena, niſi quod paullo pallidior eſſet, & ita tenuior, vt ſub limpiditate vtique reliqua, dubium eſſet, verane conſiſtentiæ totius eſſet illa tenuitas, an coloris magis vitium, aut reciproce.

Vti ſemper deteſtatus ſum fallacias & ſimulationes, & hoc nomine etiam promiſcuas vromantias, vt ſine huiusmodi deceptionibus non abſoluendas: ita huic etiam fœminæ hoc vnum dicebam, ex hac vrina nihil me effatu dignum diiu-

dicare poſſe; ſi vero ille, a quo hæc ſit, patiens vere incommode habeat, neque forſan a nudo aliquo metu inducti ſint, vt iudicium ex vrina de patientis valetudine petant, non poſſe fieri, quin vel malignior eſſet morbus, ſi illum cito & grauiter affecerit, vel, ſi hoc non ſit, languide chronicus & aſſiduus veluti exſiſtat. In talibus enim poſterioribus familiariter euenire, v. gr. veris phthiſicis affectibus, vt vrinæ mirifice varient, iam totæ ſanis ſimiles, iam viſibiliter mutatæ & alterationi obnoxiæ prodeant. Apprehendebat fœmina ingenue ſermonem, & recte quidem atque ordine me dixiſſe aſſentiebatur. dicens: Es iſt gantz recht, der Herr D. hat recht; ja wol iſt es eine langwierige Kranckheit, und es iſt wahr, ſein Urin veråndert ſich vielmal, wird manchmal ſo trůbe, wie Thon darunter gerůhret wåre. Edicebam ipſi, ex hac præſente vrina nihil me diſpicere poſſe; aut itaque dicendum eſſe, quid patiens ſentiat, aut afferendam eſſe vrinam, quæ ad ſenſum a tali, qualis ſit præſens, ſana temperie diſcrepare videatur.

Fœmina non vtique imprudens ediſſerere potius malebat, conflictari virum cum calculi cruciatibus; non nunc quidem æque acerbis, ſed cum & raras ferant, & breues inducias, deliberaſſe maritum de audienda mea ſententia, inductum occaſione petendi mei conſilii, quam memorabat &c. Faciebam, quod ſoleo in hoc caſu, diſſuadebam, ſæpe & multis medicamentis vti; iubebam autem iterum me conuenire tunc, cum inſultus aliquis cooriretur. Fiebat hoc poſt dies non ita multos. Erat autem initium Martii menſis; dabam duos pulueres ſalinos nitroſos cinnabarinos. Altero mane reuertitur fœmina, laudat mitigationem, concepiſſe hinc maritum ſpem melioris, etiam vltra ſucceſſus, rogare vero, vt ipſum inuiſendo occaſionem darem, vt pluribus mecum communicare poſſit, quæ in rem eius fore exiſtimem. Promitto, viſito. Sed profecto cum adſpexi ægrum, perdidi fiduciam. Non enim pallidus erat, aut extenuatus, ſed verum viuum funus, Ambulans, ſed ad parietem. Exquiro ab eo quamdiu cum hoc malo conflictetur, quartum eſſe annum ait. Quæro de præg_reſſa valetudine; ille cum exclamatione, ſed gemebunda, ſaniſſimum ſe ſemper fuiſſe, floridiſſimum, ſtarck und fett, wie Milch und Blut, habe wie eine Roſe geblůhet, habe ihm nie kein Finger wehe gethan. Ego temporis & rei compendium facturus, meas vias inſiſto; interrogo de commotionibus ſenſibilibus, aut euacuationibus ſanguinis, ſpontaneis, aut arbitrariis: negat: de hæreditaria diſpoſitione, negat: de abuſu rerum non naturalium, nihil reminiſcitur: de hæmorrhoidibus, nihil. Continuabat medicamentum; habebat ſe ita, vt verſus inſtans paſcha, cum etiam tempeſtas non inamœna eſſet, cupido inceſſeret in publicum prodire tentandi, ſi feſto tempore forte templum viſitare, auram autem prius ferre adſueſcere poſſet. Prodit in templum breuiori precum publicarum mora, fert commode. Erat per illos dies moris, ciuilem armorum inſpectionem inſtituere, & conſuetos ordines, quod appellant, exercere, vt in armis ſuis decurrant. Erat patiens turmarum ciuicarum, vt hodie loquuntur, locum tenens Centurionis, ſeu legatus: auebat exercitiis his ad minimum præſto eſſe, & credebat ſuffecturas ſibi ad hoc eſſe vires. Fungebatur hoc officio vno mane; & quod animus eſſet alacris, commode hoc ſibi eueniſſe adſeuerabat. Idem repetit altero mane. Videbatur inde ſibi fatigatus, & temperandum

eſſe amplius reputabar. Altero iterum mane mittit ad me vitrum vrinarium, multo, & ſane fœdo liquamine pene plenum, cum indicio, peſſime ſibi fuiſſe hac nocte. Materia erat ad adſpectum fæci ſimilis craſſiori: Vitrum autem erat tectum charta duplici, quin etiam filo obligatum. Cum offerretur e xire e domo parato, ſeponere iubebam. Circa veſperam repetunt vitrum, ſimulque quæſtionem patientis nomine proponunt, poſſitne fieri, vt, quod quis ediſſet, per vrinam iterum eiiceret? negabam ego fieri hoc poſſe, niſi methodis vix credendis, adeoque mire raris. Allegant cauſſam interrogandi, quod patiens, cum pridie aliquid petroſelini in iuſculo aſſumſerit, huius diei horis pomeridianis in emiſſa vrina conſpicatum ſe eſſe eius portiunculam arbitretur. Altero mane rogat me patiens, vt viſitem ſe, & colloquendi faciam copiam: noctem ſe exegiſſe miſerrimam. Cum conueniſſem, vnica erat illa quæſtio, quam heri, per nuncios mouerat; poſſit ne per vrinam exire, quod ore aſſumtum fuerit. Loquebatur autem cum ſumma fiducia, & ſerio, quantum fieri poſſet, geſtu. Ego ſubridendo negabam poſſe, niſi modis ita raris, vt vix fides eſſe poſſit, euenturos. Aſſeuerat ipſe non poſſe ſe, quæ ſibi hac nocte euenerint, aliter interpretari. Familiam ſuam heſterno prandio braſſicam criſpam, braun Kraut, eſitaſſe; ſano ſibi præ aliis gratiſſimum ſemper hunc cibum, nunc etiam appetitum illexiſſe, vt tria forte cochlearia plena abſumſerit. Obtigiſſe vero ſibi hac nocte cruciatus ingentes per vrethram, vrgente vrina, ſed obſtructo canali, quoad cum ſummo niſu eliſiſſet ſpiſſam materiam, quam demum ſubſecuta ſit vrina: iſtam vero fuiſſe luculenter braſſicam illam, vt aſſumta fuerit, non concoctam. Cupiebam inſpicere, ſed effuſa erat e matula. His ipſis autem momentis recrudeſcit mingendi conatus cum impetu; arripit cum excuſatione vitrum, & cum quiritatione multa, me tamen præſente, elidit iterum cum vrina non plane pauca propemodum cochleare plenum braſſicæ, ne bene quidem commaſticatæ. Non diſſimulo quod res eſt, eram admiratione perculſus, & profecto inuadebat mentem cogitatio plane ſingularis: monente memoria, quod ſocrus huius viri, quæ ante paucos annos mortua erat, paucioribus ante mortem annis e grauiſſima inquiſitione magicorum veneficiorum, quod antiqui aiunt, ambuſta euaſerit. Quia tamen certe nec temere credere, nec temere ſuſpicari de alio, ſiue inſtitutione, ſiue indole, didici. redibam in meam viam, repetebam priſtinas meas quæſtiones, vnde huiusmodi tam inſolito euentui cauſſæ ſuppetere potuerint? monebam itaque, excuteret memoriam ſuam, quo impetu, aut quibus ſucceſſibus, ex illa pulcherrima ſanitate, quam mihi laudauerit proximis ſeptimanis, in hanc valetudinem tranſierit, certe peſſimam & penitus inſolitam. Orditur hinc nouam hiſtoriæ ſuæ ægritudinis telam. Repetit: fuiſſe ſe ita florida ſanitate præditum, vt non putet, poſſe homini viuo melius eſſe; colore, habitu, alacritate, robore, tolerantia, omnibus ſummis. Nominabat autem nuptias, domum, ſcalas ſpirales lapideas, tempus & locum, mihi quoque exquiſite nota: his nuptiis ſe adfuiſſe. Poſt copulationis ceremonias, cum conuiuio inchoando conſidere poſceret tempus, coortos clamores, & ſonitus publicos incendii in vrbe indices. Sui, vt cuſtodiarum vrbanarum legati, officium, imo ſacramentum poſtulare, vt in eiusmodi caſibus præſto ſit, & cuſtodiarum atque auxiliorum ordines inſtruat. Ita quidem ſe curſu e triclinio per ſcalas properantem, errore gradus grauiſſime retrorſum lapſum, quo

fuerit illa tempeſtate corporis pondere, alliſiſſe lapidei gradus acutiori termino ſiniſtrum lumbum tanta vi atque impetu, vt adſportari ſe hinc domum ſuam neceſſe fuerit. Immanibus hinc ſe doloribus per dies multos grauiſſime habitum. Balneatorem vero (& erat de reliquo homo non contemnendæ dexteritatis) vnguentis & emplaſtris ingentem illam contuſionem, concuſſionem, inflammationem (Quetſchung, Schöllerung und Entzündung, recitabat ſatis diſtincte) expugnauiſſe. Ab illo autem proprio tempore & incepiſſe, & continuaſſe hucusque conſtitutionem ſuam calculoſam. Ita euaneſcebant omnes difficultatum vmbræ. Contuſione enim illa grauiſſima profunde affectum corpus non ſolum renis eiusdem lateris inflammationes ſimul induxiſſe facile comprehendi poteſt; verum etiam vſitato non minus, quam continuato emplaſtri catagmatici effectu compulſum ſtatim magis totum illum humorum ad contuſionem affluxum ita ab exterioribus ad interiora, & ibi tanto plus efficaciæ exhibuiſſe. Imo vero, quod præcipuum hic eſt, coaluiſſe tandem renem firmius cum ipſo inteſtino recto, aut coli certe parte, vbi in rectum deflectens renem hunc præterit, eique incubat. Eueniſſe autem ſub his rebus reni vlcerationem; quæ per initia adhuc leuior productum hoc, de quo loquimur, nempe calculum, pepererit; quorum per hos quatuor annos largo prouentu affectus fuerat. Conſumſiſſe interim magis magisque & intimius hanc corruptelam ipſum renem, imo exediſſe: vnde vſitata huius indolis atque gradus vlcerationibus & conſumtionibus viſcerum hectica febris cum tabe corporis; donec tandem cuniculus vlceris etiam ad ipſum non ſolum inteſtinum, ſed cauitatem omnino eius penetrauerit, & ita illud perfecit, quod commemoraui.

Breuiter percenſere placet ſucceſſum & exitum huius conſtitutionis. Iniungo ſtatim vt patiens ab omni cibo ſolidiore abſtineat, ſolis iuſculis & pultaceis recte paratis, amygdalatis etiam atque pinearum additamento mollitis, (erat enim patiens in re ſatis lauta) vteretur: inprimis cum corporis ipſius vires & ſanguinis penu, per tabem illam ſummam æque atque calorem hecticum indiſenentem irrequietum, afflictiſſime eſſet. Ita quidem vlterior huiusmodi denſæ ſubſtantiæ emiſſio per vrethram non potuiſſet amplius inſignem moleſtiam creare: ſed cecidit ſponte aliter nego ium. Siquidem ipſo die proxime ſubſequente, vrina quidem tota emanſit, ſine vllo ſiue ſenſu eius mittendæ, ſiue inſtinctu; occupauit autem eius locum primo deiectio frequentior liquida, mox conatus deiiciendi, paulo poſt ſtimulus a ſenſibili acredine, quæ intra 24. horas etiam orificii inteſtini & ambitum eius excoriauit. Nempe vrina iam tota per patentiorem hunc locum liberius prodeunte.

Erat autem etiam circa hanc rem adhuc peculiariter notabile phænomenon, quod ipſe patiens etiam quereretur de ſenſibili quadam irruptione, ac ſi ſiphone aliquid impelleretur in inteſtinum rectum, quo ita facto confeſtim cogebatur deiicere nihil niſi liquidam hanc vrinariam ſubſtantiam. Quod ego non potui aliter accipere, niſi quod reuera ex ipſa veſica, etiam e ſano rene oppoſito in hanc depoſita vrina; heteroclito tali motu ex ipſa veſica per vreterem ſiniſtrum, longa illa vlceroſæ materiæ transmiſſione ipſum quoque ad hunc motum diſpoſitum circa illam

illam ſui inſertionem in veſicam, alias contra tales retroceſſiones mirifice præmunitam, rurſus ad renem, & per hunc ad inteſtinum rectum, regurgitet.

Ita quidem cum in quartum vsque diem nulla gutta vrinæ per vrethram prodiret, interim ſtimulus ille inteſtini recti augeſceret potius quam decreſceret, parum contra efficacibus iniectionibus oleoſis, emollientibus, lenientibus, euaneſcentibus interim tanquam in horas omnibus viribus, ſumſit patiens cuſpide cultelli confectiones de hyacintho bis forte, quantum illa capiebat. Claudebatur hinc aluus: mox autem cooriebantur patienti anguſtiæ præcordiorum & anxietates immanes, cum dolore colico non torminoſo, ſed ita, cum inflatione etiam viſibili, tenſiuo, vt disruptum ſibi iri inteſtina clamitans, alui reuocationem ſummis clamoribus efflagitaret. Admoto iterum clyſtere oleaginoſo, rediit quidem eadem ipſa excretio: ſed ruentibus prorſus viribus, poſtero die exſpirauit.)

§. XXIV. Dixi equidem ante de *exacerbatione* magis ſolum per *lapſum in lumbos*, calculoſis eueniente; interim hæc etiam *geneſis* tota calculi, ſeu potius veræ *conſtitutionis calculoſæ*, vti quidem me in conceptu meo de calculo firmiſſime confirmauit: ita, quamuis huc non proprie pertinere videatur, poſſum tamen eadem occaſione merito breuiter notare, quod hic maxime patiens exemplum mihi fuerit, quæ ſit differentia inter *ſpiritum nitri dulcem*, & *nitrum ſimplex*, & quanta ſit iſtius vehementia *diuretica*, præ huius efficacia omnium ſtimulationum potius *mitigatoria*.

Differentia inter ſpiritum nitri dulcem & nitrum ſimplex.

§. XXV. Hæc quidem pro *calculi renalis* vſitati & *ordinarii* ætiologia, & cauſſalitatis etiam ordinariæ, documentis habeo atque affero. *Extraordinariorum* extraordinarias eſſe rationes, inuſitatas, vti ſimplici rationi conſonum eſt: ita profecto cauendum, ne, contra omnem rationem, talium rerum phænomena alieniſſimo argumento imo documento adhibeantur *communium* calculi rationum; & vere *generalibus*, *ſpecialiſſimis* ſiue exemplis ſiue argumentis atque declarationibus, præiudicium afferatur. Interim vti huiusmodi aduerſa plane ratio, rerum *ſpecialiſſimarum* phænomena & conſequenter etiam ætiologias confundendi cum *generalibus*, admittenda minime eſt: ita tanto magis etiam longe *rariſſimarum* rerum phænomena cum *familiaribus* in eandem tribum collocare certe ἄτοπον eſt.

Specialiſſima & extraordinaria phœnomena cum generalibus non ſunt confundenda.

Si *hiſtorias* rariorum commemorare ſufficeret, habeo ſane etiam ego, quod proferam. Fœmina triginta forte annorum cum in puerperii purgamentis verſaretur, grauiſſimis variis accidentibus peſſime habuit, quibus oppoſita conſilia & auxilia medica non ſolum eo tempore nihil proficiebant, ſed ſubſequentibus etiam multis menſibus, imo anno vno vel altero parum promouebant, quin peſſime ſemper haberet mulier, quoad denique abſtinere potius a multiplici hucusque medicamentorum vſu animum obſtinaret. Conſpicuum maxime malæ ipſius diſpoſitionis ſpecimen erat tumor abdominis enormis, non autem ſphærice rotundus, aut deorſum propendens, ſaccatus, ſed antrorſum prominens tanquam ingentis panis ſimilitudine, larga ſpithama antrorſum protuberans in latitudinem ab vmbilico extrorſum, vix autem eximiam ſpithamam altus; interim totum vtique abdomen ſub tali forma ita comprehendens. Tumebant autem ſimul etiam pedes, crura, femora; anguſtiæ & anxietates frequentes, & leuiſſimis occaſionibus commouendæ: aluus autem plane refractaria, poſt multos communiter dies ſemel obſequens. Concurſabant cum his rebus nephritica quædam incommoda. Viuebat ita duodecim annos; cum autem ad prodeundum in publicum omnibus modis impar, neque magis propemodum ad agendum quidquam domi idonea, facultates ſuas ita ſucceſſiue abſumeret, euadebat hinc vehementer moroſa & intolerans. Mane quodam aduocat familiares, iisque indicat, quod vrina impetu non cohibendo ſibi eruperit in ipſo lecto, & aliquid ſimul calculorum. Hos collectos ad me afferebant; erant plus 60, abſolutiſſime eiusdem figuræ, qualis eſt Piſolithus dictus: maximi æquabant mediocre piſum vulgare, minimi minimum. Intempeſtiua mea modeſtia amiſſi hi ſunt; cum enim crederem aſſeruaturos eſſe, vt rem certe inuſitatam, nec ante homines hos nouiſſem: nolebam illos ab ipſis petere, ſed reddebam ſorori vtique patientis. Cum tamen altero mane rediret, & plures non obſeruatum eſſe excretos audirem, partem heſternorum memoriæ cauſſa poſcens, abieciſſe audio. Quod cum ægre ferrem, tanto magis cum etiam ipſa heſterna die vel alterum tantum, quantum ad me attulerat, audirem, dum patientem e lecto madido detrahunt, e ſtragulis in pauimentum deuolutum ſub pedibus protritum eſſe: promittit diligentiam viſitandi, ſi quid forte ſuccedentibus vrinæ miſſionibus excluſum in matula reperi poſſet. Adfert etiam paulo poſt non minimam portionem, ſed ſolum minimorum, quorum maximus ſemen ſaluiæ aut raphani maioris vix æquaret: nihil præterea glabros, ſed, licet vtique aſperi non eſſent, tamen longe diſtantes ab illa læuitate, quæ in heſternis illis maioribus plane potiſſima fuerat, ita vt vere imitarentur notas illas vulgo pro immaturis habitas margaritas; nec ſatisfaciebant etiam figuræ ἀκριβεία, quæ, cum in maioribus pulcherrime ſphærica fuiſſet, in his, etiam ad minimos vsque, papaueris ſemini proximos, rotunda quidem eſſet magis, quam vllius alterius habitus, interim magis tamen inæqualis, quam exquiſite rotunda: quos hodieque aſſeruo. Notari autem inſuper illud merebatur, quod cum vtique ſæpe alias calculos a ſe reiectos memoraret ægra mulier, his tamen geminos vnquam a ſe obſeruatos negabat.

§. XXVI. Talia, inquam, licet vtique aliquando occurrant, agnoſcet tamen facile quilibet, quod re vera *raro* contingant; adeo quidem, vt ſi omnino alicui rei ita *ſpecialiſſimæ* petrificos etiam tales *ſpecificos* fabros Archæos præficere conſonum videretur, tamen illos ad generales etiam vniuerſas illas calculoſas productiones diducere, merito inconueniens videri poſſit. De talium autem ita prorſus *extraordinariarum* productionum ætiologiis fateor, non placet etiam hoc loco in communi pathologia ῥηθορεύειν; ſed *extraordinariarum* rerum etiam conſiderationes potius extraordinariis opportunitatibus reſeruare.

Aetiologia harum productionum extraordinariarum non eſt huius loci.

§. XXVII. Interea tamen etiam pro ipſorum *renalium* calculorum natiuitate ex *vlceroſo - ichoroſa* mucoſitate veluti generaliſſime confirmanda puto facere poſſe non plane diſpar phænomenon, etiam in *pectoris vlceribus*, imo vero diſpoſitionibus diuturnis vlceroſis, non ita raro ſeſe exſerens: de quo ſupra, vbi de *phthiſi* iam aliqua memorauimus. Quod nempe etiam in illis veri aliquando *calculi* generali ſoleant: minores quidem communiter, & *cannabis* granum non ſuperantes; aliquando tandem etiam maiores, ſicut ad dimidii *piſi*, quin integri minoris magnitudinem omnino conſpexi.

Ex pectoris vlceribus etiam calculi ſeu tophi generantur.

§. XXVIII. Vbi certe duæ opiniones, meo quidem arbitrio, non poſſunt niſi pro friuolis haberi. Vna de *ente* ſimpliciter *lapidifico*. [Pudet mentionem iniicere monſtroſarum phantaſiarum, certe interim non ſolum audiendarum aliquando, ſed etiam quam maxime a talibus, qui per huiusmodi ſpeculationes proprie a vulgo hominum diſtingui volunt. Certe enim tale quid exiſtimatum eſſe recordor de ægroto *ſabuloſo - calculoſo*, qui tum ſub artificiis illis, (quæ tunc quidem peculiaria haberi contendebant, cum vulgaria eſſent, intemperantius ſolum, quam vulgo vſurpata;) excretiones ſabuloſo-calculoſas frequentiores experiebatur; cum tandem etiam vehementia pathemata *colico - hypochondriaca*, imo vero *hæmorrhoidea*, concurſarent: decretum eſt ab artifice, omnes in abdomine *meatus*, & ipſam maxime *cauitatem inteſtinorum*, *cruſtis tophaceis* obſideri. Quæ tamen mox euanuerunt, cum ſolum conſilio obtemperaſſet æger, artificis iſtius & methodum & medicamenta rude donandi.]

Duæ friuolæ opiniones: 1. de ente lapidifico.

§. XXIX.

2. de exſiccatione muci per exhalationem.

§. XXIX. *Secundo*, eſt etiam inanis hoc loco illa ſpeculatio, ac ſi talis veluti tophacea conſtitutio in huiusmodi caſibus ſimpliciter oriretur a muci huius *exſiccatione* per exhalationem. Sicut enim talis effectus longiſſime abeſt a proportione verorum euentuum; ſiquidem ſi hac ratione negotium procederet, neceſſe vtique eſſet, ſequi ita magis magisque auctiores, adeoque paſſim etiam ingentes huius generis concretiones. Cum autem hoc nequaquam ita ſeſe offerat aut gerat, manifeſtum vtique eſt, inanem eſſe de hoc negotio conceptum.

Pulmonum vitia & concretiones tophaceæ in ouibus, ex maſticatione fœni limoſa illuuie obruti.

§. XXX. Mihi cum peculiaris quædam circumſtantia e brutorum animalium indole conſiderationem mereri circa hoc negotium videatur, placet ſane illam ampliori contemplationi commendare. Quando riui atque fluuii qualescunque ita per valles decurrunt, vt imbrium inprimis æſtiuis torrentibus, per montes cito in vallem, & hinc adeo in ipſum riuum confluentibus, inflentur, ita exundant, vt prata non magis aquæ inundatione, quam illa *limi* turbidi illuuie obruant: ſi hoc adulto iam gramine fiat, nec alter mitior aliquanto imber hunc *limum* iterum abluat, prius, quam gramen demetatur; notum eſt, euenire hinc *ouillo* generi ex eiusmodi *fœni* maſticatione familiariter pulmonum vitia, non ſolum *phthiſica*, ſed inprimis talia *tophaceorum* concrementorum in pulmonibus feracia. Iam licet *ouillum* genus propter eximiam totius ſuæ temperiei ſiccitatem ad concipiendas huiusmodi *indurationes* omnino videatur magis idoneum: nemo tamen vtique eſt, quin agnoſcere poſſit, quod par etiam ratio, ſecundum proportionem, eſſe debeat illorum ſubiectorum, quæ, oborta iam alicunde huiusmodi *lenta* collectione in ipſis pulmonibus, tales occaſiones incurrunt, quæ materiam, cum illo muco *indureſcere* aptam, iisdem obiiciant: inprimis per *externas* cauſſas, vt *puluerem terreum* vehementer commotum, *halitu* in pulmones attractum, huiusmodi indolis, vt *indurationi* tali cum muco plurimum aptus ſit.

Traditionem de noxio effectu puluerulentorum, vt calcis viuæ, lapidum &c. refutant fabri murarii & mercenarii.

§. XXXI. Interim tamen neque hic etiam indulgendum eſſe ſentio fictionibus. Vbi nempe neminem fugit, qualis opinio, imo propemodum traditio, paſſim audiatur de puluerulentis commotionibus *calcis viuæ*, quin etiam ſimpliciter *lapidum*, ſiue ſub ſcalpro exercitorum, ſiue etiam ſub deiectione ædificiorum huiusmodi diſſipationem ſubeuntium. Vbi tamen certe pro tali conceptu admittendo neceſſarium vtique foret ad minimum illud primo loco conſtituere, quod

pecu-

peculiaris iam *prædiſpoſitio* huiusmodi in pulmonibus ſubeſſe deberet, vt talia effectum huiusmodi aſſequerentur. Cum vtique notiſſimum ſit, & ante oculos omnium, quod illi homines, qui vtique inter has res quotidie verſantur, *murarii fabri*, & qui his operas addicunt mercenarii, nec æque *in genere* vitiis pulmonum, inprimis ſub *proportionibus* huiusmodi progreſſionum, quales hic omnino ſupponendæ venirent, obnoxii ſint: neque *ſpecialiſſimæ* tali coagulationi lapideſcenti, de qua hic eſt ſermo. Niſi forte ita rem decernere verius videatur, quod talibus demum tale periculum proxime impendeat, qui iam *vlceroſa* tali corruptela aliunde actu obſeſſi exſiſtant. Quin hoc etiam ipſum non æque ſimpliciter promiſcuo effectu. Ceterum monui vtique iam proprio loco, quæ ſit differentia inter *excitandam* ſimpliciter phthiſin, & *exacerbandam* eandem. Sed hæc vt per occaſionem ſufficere poſſunt.

§. XXXII. Supereſt aliqua addere de *euentu* calculi vtriusque. Certe ſi in vlla re ſolidi *iudicii* medici merito deſiderandi occurrit ſpecimen, eſt illud in hoc ipſo negotio *ſucceſſus* & *euentus* calculorum. Primo apud noſtrates Germanos vti popularia plane ſunt, vt etiam iam ſupra notaui, *præſagia* illa *calculi* quidem falſa paſſim, dum nempe *nephritidem* illis affingunt, qui reuera eius nihil patiuntur: *pro calculo* vero adhuc magis falſa, dum totos catalogos *remediorum*, maxime euporiſtorum, ad illum expugnandum recenſent. Euentus calculi vtriusque. Falſa calculi præſagia.

§. XXXIII. Deinde, eſt hæc profecto nihilo minor obſtinatio, etiam paſſim apud Medicos, quod magnum apparatum *remediorum* aduerſus calculum, & inprimis quidem ad illum *frangendum*, commemorent: dum interim non ſolum numeroſa, ſed profecto vniuerſa experientia *vere* calculoſorum traditiones has in ſolidum damnat, & ſubleſtæ fidei notam illis inurit certiſſimam. Vbi nempe, quicquid deinde horum in vſum trahi, & imitando pollicitationum talium periculum facere ſuſcipias, vel in ſolidum *falſa* ſint omnia, vel manifeſtiſſimum *fucum* ita faciant, vt in caſibus quidem dubiis de inſignis alicuius calculi latentis præſentia *turbulentiorem vrinam* excutiant; interim vbi verior eſt calculi præſentia, talis omnino, quæ etiam poſthac actuali reiectione ſeſe adhuc exſerat, ibi nihil eſt certius atque notius, quam quod talia ita deprædicata talibus temporibus aut nihil prorſus, ſolidiſſime vero *nihil in calculum* talem perficiant; aut ſolitas illas reliquas ſibi vſitatas *commotiones* tunc etiam excitando, intempeſtiuas Incerta remedia aduerſus calculum, inprimis ad illum frangendum, quæ ſub expulſorio conniſu vehementiam dolorum augent.

turbas dent, inprimis augendo vehementiam *expulſorii connisſus.* Dum interim ſub reliqua calculi eo tempore præſentis magnitudine atque figura vix rariſſime fiat, quin in *peius* potius ita coniiciantur ſymptomata: Quandoquidem *commotionem* calculi dolorificam, nempe vehementem, quoquo modo adhuc magis *incitare* fere inconſultum eſt; vnice vero conueniens & vtiliſſimum, *placare* potius atque *mitigare.*

Promiſcuæ commendationes remediorum ad calculum innituntur ſpeculationibus.

§. XXXIV. Apex vero & ſpei vanæ & polliciatationis falſæ verſatur vtique in *promiſcuis* pollicitationibus atque commendationibus variorum *remediorum* ad calculum *percurandum.* Si leuiter aduertere animum placuerit, diluceſcet facile, quod pleræque, aut certe neque paucæ neque poſtremæ, laudationes, commendationes atque pollicitationes huiusmodi ſimpliciter innitantur *ſpeculationibus* inanibus; 1.) de *indole* calculorum non tam *lapidea*, quam *terrea*, adeoque 2.) neceſſaria in hanc energia *ſoluentium;* vbi 3. apud alios *tartari ſpiritus*, ex *ſymbolismo*, ad concretiones *tartareas* diſſoluendas audacter laudatur; alibi *ſpiritus nitri*, quia *nitrum* lapides in pollinem reducere videatur; alibi *ſilices* adduntur, & iterum e *ſymbolismis*, *magnetismis* &c. longi ſermonis materia quæritur; alibi ex *vrina* parandi ſpiritus & ſalia; alibi ex ipſis *calculis*, imo alibi ipſi *calculi*; & quæ percurrere longum eſt.

Calculoſi interim in peius ruunt.

Interim res a *ſpeculatione* alieniſſima, in ipſo nempe omnino facto fundata, eſt hæc, quod *calculoſi*, poſt varias neque mediocres communiter expenſas, acerbiſſimos *dolores*, & graues ſubinde de tota vita *periclitationes*, non tam *maneant* calculo obſeſſi, ſed ruant indies *in peius.*

Latere quidem poteſt vnum aut alterum experimentum; ſecundum falſas autem traditiones neque theoria inſtrui, neque praxis adornari poteſt.

§. XXXV. Sub qualibus conſtitutionibus licet minime negare penitus & abſolute velim, poſſe fieri, vt alicubi adhuc lateat vnum aut alterum *experimentum*, dignum conſideratu circa efficaciam, tam forte *concrementa* ipſa talia iam formata aliquando iterum reſoluendi, quam *ſcaturiginem* eorum abſtergendi, aut forſitan prorſus obſtruendi, (inprimis ex ipſa conſideratione indolis præcipue *vlceroſæ:)* cum tamen interim *vſitatæ* illæ traditiones non ſolum ipſo facto manifeſto *falſæ* ſint, ſed etiam fictitiis huiusmodi traditionibus atque ſpeculationibus partim ſimpliciter innitantur, partim fomitem iis ſimpliciter ſubiiciant; non video profecto, quamobrem amplius non ſolum palliari, ſed potius ornari debeat, ſummo profecto damno, non ſolum *theoriæ* ſincerius inſtruendæ, ſed etiam omnino *praxeos* ita adornandæ, aut

certe

certe moderandæ, vti potius veris circumſtantiis tam *prægreſſarum* atque *coniunctarum* cauſſarum, quam *concurrentium* quorumlibet phænomenων indoli atque proportionibus conuenire videtur.

§. XXXVI. Vnde quidem notandus omni modo venit hic *euentus* calculi, quod non ſolum, quicunque iam *coaluit*, *vſitatis* artificiis re vera fruſtra ſperetur reſolutum iri: ſed etiam vlterior *prouentus* ſiue *accrementi* maioris, ſiue *numeri* nouorum fruſtulorum ordinarie & grauiter vexet & exerceat patientem; & quod præcipuum eſt, ita pertinaciſſime etiam patientes, quos ſemel inuaſit, *teneat* obſeſſos, vt ad mortem vsque illos non amplius omittat.

His artificiis calculus neque reſoluitur, neque patientes liberantur.

§. XXXVII. Vbi ſimul conſideranda vtique venit circumſtantia *occaſionum* etiam, quibus calculorum *commotiones* familiariter exacerbari conſueuerunt: quales non ſolum eædem exſiſtunt, quæ etiam *ſanguinearum* commotionum perturbationes edere ſoleant, inprimis in *fœminino* ſexu; ſed etiam *ſpaſticos* (αἱμοῤῥόους tamen inprimis,) affectus tales pari *exagitatione* adficere quotidie ſentiantur.

Occaſiones, quibus calculorum commotiones exacerbantur.

§. XXXVIII. Vnde quidem etiam omnino maximæ conſiderationis in hoc genere eſt illa conſtitutio, qua, vti *nephriticis ſimplicibus*, nondum *calculoſis*, ita tanto magis etiam iam *actu* talibus *commotiones* etiam e CONSVETVDINIS occaſione obtingunt certiſſimæ: adeo, vt ſi etiam tandem aliquando innoteſceret artificium, *calculum* ipſum iterum ſubigendi, vix tamen ſine imprudentia ſperare licuerit, etiam huius *recurſus* ſublationem plenam *ab illo eodem* artificio ſperandam fore; ne dum, vt hoc vel *ſimul & ſemel* præſtiturum eſſet, & vt *calculum*, ita etiam nouos *inſultus* non tam *ab ipſo* quam *ad ipſum*, velut in plenam obliuionem adducturum.

Commotiones etiam e conſuetudinis occaſione obtingunt.

§. XXXIX. Dum ex aduerſo & verarum circumſtantiarum obſeruatio, & iuſta exinde deducta æſtimatio longe plenius exhaurit & veritatem, & rationes Φαινομένων: & *artificioſæ* etiam adminiſtrationi viam veluti planam ſternit, vt inde medicationes vere ſecundum *indicationes* inſtrui poſſint: in quo nempe totus cardo veræ *pathologiæ medicæ clinicæ* vnice verſatur.

Circumſtantiarum obſeruatio & iuſta æſtimatio phœnomenorum veritatem & rationes explicat.

MEMBRVM VII.
DE
HAEMORRHAGIIS A NVDA VI EXTERNA.

§. I.

Specialiſſimæ diuerſitates hæmorrhagiarum.

QVAntumuis generalis ratio huius generis hæmorrhagiarum etiam iam *ſpeciali* loco a me tractata ſit, & habitus illarum pro eius loci conditione, quantum illi conuenire videbatur, commemoratus: reſtat tamen, vt hoc *ſpecialiſſimo* loco illa adhuc exſequar, quæ re vera ſpecialiſſimas eius *diuerſitates* complectantur. Sunt autem talium ſanguinis *profuſionum quatuor* inprimis, conſideratu omnino dignæ, *diuerſitates*; quamuis ſub *duplici* ſimpliciore genere ſtantes, nempe LOCI ſeu viæ, & MOTVS ſeu impulſus. *Loca* quod attinet, ſunt hæc vel ſimpliciter *meatus ſpongioſarum* partium; vel *vaſa*; & quidem *venoſa*, aut *arterioſa*. *Motum* quod attinet, occurrit ille ſingularis; partim a *turgefactione*, per ingurgitationem *vini*, aut *curſum* & ſimilia corporis exagitatoria exercitia; aut per *animi pathemata*, *iracundiam* vehementem, *venereas* libidines. (Sicut interdum, inprimis in *meatuum* magis, quam inſignium *vaſorum* violatione, etiam ingens *terror* profuſionem tantiſper minuit; communiter tamen poſtliminio deinde reuertendo inducias illas male compenſat.)

Hæmorrhagiæ, quæ per vulnera partium poroſarum aut inciſione vaſorum erumpunt.

§. II. E partibus *poroſis* quæ procedunt hæmorrhagiæ, per harum vulnera, ſunt quidem ſæpe ſatis prodigæ; inprimis in talibus ſubiectis, quorum tota ſtructura corporis laxe *ſpongioſa* exſiſtit: non tamen æquat communiter illas profuſiones, quæ ex ipſis *vaſis* inciſis erumpunt. Eſt tamen interim etiam *vaſorum* ipſorum in hoc genere diſpar efficacia; dum non ſolum facile cogitari poteſt, quod etiam ipſæ minores vaſorum *ramificationes* diuerſum quid inferant a *capacioribus*: ſed omnino etiam *venoſorum ramorum* valde diſpar hic ſit ratio ab *arterioſis*. Dico vero *ramorum* potius quam *truncorum*; cum non ſolum quilibet differentiam hanc quaſi propria ſponte comprehendat, ſed etiam capacium *truncorum* vulnera vix in quæſtionem veniant nimiæ & *funeſtæ* profuſionis, vtpote omnibus ſenſibus ſatis manifeſtæ.

§. III.

§. III. Quod autem adhuc vlteriorem quandam diuerſitatis rationem attinet, in ipſa etiam læſionum harum propria & ſpecialiſſima indole, præbet mihi occaſionem obſeruatio iam aliquot omnino vicibus obſeruata inprimis circa *arteriarum* vulnera. Vbi ſicuti ſatis notum eſt, & ſtatim ſana ratio, etiam quaſi parum exaſciata, illud intelligit, quod arteria ſimpliciter *inciſa* ſeu *conuulnerata* inſigniter, v. gr. *dimidia ſui capacitate*, aut amplius, inciſa, longe minus cohiberi poſſit ab effuſione ſanguinis, quam ſimpliciter plane *reſecta*; dum *arteriæ*, etiam vix vllo poſitu molliorum partium cuiuscunque membri, ad tantam *remiſſionem tenſionis*, quæ ipſis familiariter ineſt, deduci vere poſſint, quin ſemper adhuc eximia illa ſui *tenſione* vulnuſculi inflicti perpetuum quendam *hiatum* efforment, per quem interim vtique ſub actuali, & certe tam *impetuoſo* actu *pulſus* ſanguis plane peculiari impetu extrudatur; (tanto vtique, vt etiam ingentes *muſculos*, non obſtante robuſtiſſimo illorum ordinario tono, a ſe mutuo depellat, & nexus ipſos fibrillarum, quo hi tantisper colligantur, temere disrumpat:) ita eſt adhuc longe deterioris, & re vera ſimpliciter deſperatæ conditionis illa infauſta tractatio, quando per ſummam negligentiam quantumcunque conſideratæ penſitationis, ſeu æſtimationis, *arteriarum* vulnera a Chirurgis ad ſimplicem experientiam a nudo auditu, ſine omni ratiocinatione obſtinatis, pro cohibendo ſanguinis profluuio *cauterio actuali* inuruntur.

Arteriarum vulnera peſſime cauterio actuali inuruntur.

Non eſt ita dudum, quod huius rei ſpecimen notaui omnino digniſſimum, quod memoretur. Erat vulneratus iuuenis robuſtus atque floridus, inſtrumento acie ſimul inſigni inſtructo, quamlibet punctim inflictum eſſet vulnus. Ita inciſa erat ex parte arteria. Vulneris reliqui nulla erat adeo æque ſumma difficultas: hæmorrhagiæ vero maxima. Adſciſcebat inde Chirurgus, qui primus vocatus fuerat, alterum adhuc: cum autem etiam per 4, 5, dies non poſſent cohibere impetum ſanguinis, quin non ſolum, quoties religaretur vulnus, impetuoſa fieret profuſio, ſed etiam, quoties ſtrictura tam remediorum, quam vinculorum langueſcebat, ſponte quaſi ingens proruptio rediret, adſciti ſunt adhuc duo Chirurgi. Proponebat horum vnus *vſtionem* vaſis; adhibebatur: obturabat eſchara denſati ſanguinis profluuii libertatem. Sed non diu. Simulac eliſa eſſet eſchara, procedebat effuſio priſtina penitus vehementia. *Vritur* adhuc ſemel; ſed eodem euentu, & tanto maiore interim reliquo etiam ægri periculo, dum vtique in loco etiam tendinoſo (erat enim non longe a ſura) vſtio ipſa, nec ſine præſenti periculo profundius fieri conſulto poterat, neque leuis *aduſtio* ſangui-

guinem impetuoſius prorumpentem ſatis inſpiſſare valeret. Interim, vt de *doloris* noxa nihil dicatur, quotidianis illis & largis admodum profuſionibus amittebat patiens vniuerſas vires. Petebatur adhuc, ſed ſimpliciter per indirectum, meum etiam conſilium: iubebam quantocyus *diſcindi penitus* arteriam, *præligatam* ſi fieri poſſit; ſin minus etiam ita liberam, adhibita ſolum in propinquo decente compreſſoria deligatione. Quid actum ſit vltra, non comperi; ſed hoc non tum ſolum, ſed longe prius fuiſſe agendum, nemo intelligens dubitabit.)

Quod vſtio arteriarum cœptum irritum & rationi contrarium ſit oſtenditur.

§. IV. Arteriarum enim *vſtionem* cœptum eſſe ab omni bona ſpe in ſolidum alieniſſimum, & toti ſanæ rationi contrarium, ex eo facile agnoſci poteſt, quod ſimpliciter *vulneratæ* arteriæ cum difficillime coaleſcant, imo nunquam, niſi inſignis *compreſſio* vulneri immediate adhiberi poſſit; id quod vulnera *molliorum* partium coniuncta circa *ſphaceli* periculum non permittunt: *vlceratæ* vero *arteriæ* non coaleſcere poſſint, dum nullum *vlcus* curatur, niſi *labia* eius iterum ad crudum *ſubcruentum* ſtatum reuertantur; quod in huiusmodi conſtitutione ne quidem fieri poteſt, dum vtique neque ſub *compreſſionibus* hic neceſſariis illi ſcopo locus relinquitur, neque ſine his violenta illa eruptio ſanguinis interim coërceri poteſt. Ita ſi iam plane aliquid de ipſa ſubſtantia arteriæ, *vſtione* corruptum, etiam abſcedere demum deberet; quis inde eſſet reditus ad talem hiatum, denuo ſuccreſcente quacunque portione explendum? cum etiam ſimpliciſſima recens *diſſectio*, non niſi *languide* & difficulter, ſaltem nudo & immediato coalitu potiatur.

Arteriæ violatæ aut laceratæ diſſectio.

§. V. E quo certe tanquam luculenter diſpaleſcit, quod ſemel ita *ambuſtione* violata, aut a *ſclopetario* forte globulo *lacerata* arteria nullum certius remedium *ſalutare* reliquum faciat, præter ſolam plenam *diſſectionem*. Vbi interim in vulneribus *arterioſis*, etiam *recentibus*, omnibus aliis rebus palmam præripere poteſt *ſpiritus vini optimus*, ad *ſiſtendum* ſanguinem applicitus: dummodo ſatis dextre adhiberi poſſit.

Spiritus vini ad ſiſtendum ſanguinem.

Nemini graue erit, ſi, poſtquam de hac materia ipſa ſuppetit occaſio, vnum adhuc exemplum commemorem vulneris arteriæ peculiari ſucceſſu, imo potius euentu, curati. Adoleſcentulus ſcholaſticus cum ſcalpello improuide vteretur, ita, vt hoc ipſi de manu excideret, adhuc magis improuida feſtinatione deprehendere idem etiam adhuc cadens auſus, cum acumen huius ſurſum manubrium deorſum ſpectaret; adegit ſibi hoc ita circa internam partem flexuræ

manus,

manus, carpum vocant, ita fortuito modo atque directione cuſpidis, vt illa ab inferiore portione ſurſum verſus, vbi maiuſcula arteria, quæ vulgo tactu explorari ſolet, ſita eſt, ſub cute tamen ſolum progrediendo, apice ſuo vulneraret allegatum hanc arteriam. Naſcebatur [hinc] profuſio certe & ita veluti ſeorſim atque generatim vehemens, & ſucceſſu inprimis pertinaciſſima, ita vt totis ſex diebus, vti tales ſolent, non ſolum, quoties religaretur interdum vulnus, præſentisſima profuſio præſto eſſet, ſed etiam ſponte remittente ſenſim vigore deligationis hæmorrhagia ita etiam ſponte quaſi ſub iſta prorumperet. Faciebat, qui ad hanc difficultatem vocatus erat tonſor, quicquid poterat, ſed nullo ſucceſſu; patiens perdebat vires, ſine vlla alia corporis afflictione. Accurrit tandem alius tonſor, iam annoſior altero, & qui bellicis expeditionibus ante annos aliquot adhibitus intemperante ſua viuendi ratione effecerat, vt chirurgi quidem caſtrenſis officium ipſi adimeretur, & in ordinem cogeretur, militis ſimpliciter ſtipendium facere ita adactus. Hic colliquabat emplaſtrum quoddam a Norimbergenſe vulgo dicto non multum diuerſum, niſi quod petroleo, balſamo peruuiano, & mumia odoratiore locupletatum diceretur, (certo t. t. Medico, & poſthac hæredibus eius veluti proprium) hoc infundebat in cuniculum illum vulnerarium, compreſſa interim fortius arteria, exterſum, & exiguo ſtylo leuiter diſtentum, & ſuperimponebat extrinſecus miculas aliquot Vsneæ cranii. Effectus certe erat, vt non ſolum in præſens commodam deligationem ferret vulnus, ſine vlteriore eruptione: ſed etiam hac opera vna vere in ſolidum ceſſaret omnis vlterior recurſus ſimilis inſultus. Siquidem poſt quartum diem educta iterum hac velut exquiſita emplaſtica, omnis turunda impetus ſanguinis in ſolidum ſubſederat, arteria coaluerat, nullum ſequebatur aneuriſmatis veſtigium, vulnus etiam reliquum obſequebatur promte iuſtæ conſolidationi. Suſpicabatur alter chirurgus, neſcio quorum carminum & incantamentorum interuentum; ego vero non hoc ſolum non crediderim, ſed ne illud quidem, quod ſingularis hic concurrerit efficacia ipſius etiam ſolum vsneæ: imo ne quidem vllius adeo ſpecialiſſimæ efficaciæ emplaſtri iſtius, præter generaliorem vulnerariam aut balſamicam qualemcunque. Certe enim de nulla vsquam alia re vlla hic ſubeſt difficultas, dum modo eruptio actualis tantisper obturari poſſit ſine peculiari impedimento orificii ſeu labiorum vulnuſculi in ipſa arteria, ſiquidem hoc conceſſis his conditionibus facile certe ſponte iterum coaleſcit. Efficacia vero vsneæ, quatenus ſimpliciter hæmorrhagiæ cohibitoria, profecto hic plane fuiſſet ridicula, propterea maxime; quod vti ne ſimpliciſſimus quidem homo crediderit, quod vsnea vniuerſum progreſſum ſanguinis in arteria inhibeat, hoc autem manente nulla abſolute alia ſuperſit conſideratio, niſi ſolius vulneris arteriæ primo obturandi, deinde conglutinandi, ſeu occludendi; ita certe, quod ad tales effectus quidquam ſpecialiſſime contulerit vsnea, nemo profecto crediderit, niſi ſimpliciter ad omnem credulitatem natus atque factus fuerit &c.

§. VI.

Hæmorrhagiæ motus impetu excedentes non ſtatim ſupprimendæ ſunt.

§. VI. Vti vero etiam manationis ex ipſis *poroſis* partibus nihil difficilem arbitror eſſe conceptum ſeu theoriam; ita prorſus in procliui poſita eſt ratio effuſionis ex ipſis *vaſis* patulis. Vnde potius verba adhuc aliquot facere expedierit de altera illa circumſtantia hæmorrhagiæ, ipſo *motus impetu* præcipue excedentis. Vbi ſcilicet etiam iam dudum *Paracelſus* in hoc monito multus fuit, vt in vulneribus, ſub *crapula*, ſub *actibus venereis*, ſub magna corporis *commotione*, ante omnia vero ſub *enormi iracundia* incuſſis, ſanguis non *ſupprimatur* præcipiti impetu, ſed potius permittatur fluere largius. (Vbi quidem derìdiculo eſt aliquibus, quod rudi illo tum ſibi vſitato, tum ab illis adhuc incultis etiam temporibus non alieno eloquio, formula vtatur obſcura, in negotio exquiſitam potius determinationem poſtulante dicens, **man ſolle es lauffen laſſen, bis auf ſeine ſtatt**: quod ſi intelligatur, **bis es ſelber ſtille ſtehe**, eſſet vtique abſurdum.) Sicut autem non tam reſpiciendum eſt, quid dixerit, quam quid voluerit, potuerit, imo ſecundum rei veritatem *debuerit* dicere: pluris vtique merito haberi debet monitum ipſum in genere, quam circumſtantia in exacta ſpecie, quam adeo potius propria prudentia temperare conuenerit.

Hæ hæmorrhagiæ per violentiam, iracundiam, venerem & motum corporis concitatæ ad exceſſus procliues ſunt.

§. VII. Sufficit itaque præſente loco illud ad minimum commendauiſſe, quod vtique hæc res vere ita ſeſe habeat, his inquam concurrentibus circumſtantiis hæmorrhagiæ per occaſiones externæ violentiæ concitatæ admodum procliues ſint ad exceſſus. Imo ſunt harum rerum aliquæ etiam ipſæ per ſe idoneæ ad *concitandas* hæmorrhagias, & quidem vehementes; ſiquidem non ſolum *iracundia* repentina ingens ſubinde ſanguinis *eruptiones* prouocat, & brutâ *venereorum* actuum intemperantia plus ſemel loco ſpermatis ſincerum denique ſanguinem erupiſſe ſatis conſtat. Eſt in hoc genere præterea ſatis quoque nota efficacia immoderati *motus corporis*.

Exemplum huius rei memini eueniſſe in fœmina, quæ iuuentute, victus ratione & moribus intemperantior, florido interim corporis habitu inſtructa, prægnans & partui proxima, cum nuptialibus turbis intereſſet, & vero indulgeret his intemperiebus, poſt mediam noctem choreis dedita, vino etiam præterea æſtuans, in tantum exagitauit corpus atque ſanguinem, vt inde male habere incipiens, cum domum deducta eſſet, partus laboribus correpta, poſtquam infantem vtique edidiſſet, tantum profluuium vterinum incurrit, cum lipothymiis,

vt,

vt, dum obſtetrix & aſſiſtentes fœminæ repentina conſternatione illi ſubuenire ſtuderent, interim infantis modo nati vmbilicalis funiculus non obligaretur; vnde priusquam puerpera ad ſe reuocaretur, infans vitam amiſerat: ipſa vero etiam fœmina incoërcibili fluxu in præſentiſſimum diſcrimen vitæ adducebatur.

§. VIII. Hæc ipſa res vti *hiſtorice* ſumma vtique conſideratione digna eſt; ita quod *ætiologiam* eius attinet, neque alia tam prolixa opus eſſe reputo, neque tamen plane nulla. Verſatur autem illa inprimis partim in *abundantia* plethorica, *remotius*; partim *coniſu* illo *commotæ* naturæ ad excutienda *moleſta*, *propius*; inprimis, quando ſemel *libera* ſuppetit *via*. Vnde quidem hæc ipſa inprimis circumſtantia veræ *plethoricæ* conſtitutionis debet hic omnino in conſiderationem venire, vt decente iudicio diſpicere ſit integrum, vbinam hi caſus ita vere exſiſtant, quibus huiusmodi conſideratio æque atque tractatio vere conueniat. Aetiologia huius rei.

§. IX. Venit tamen his rebus adhuc ſubiicienda illa peculiaris profuſio, quæ, licet non ab *externa vi* eueniat, tamen ſubinde menſuram tolerabilem valde *excedere* apparet: imo vero facit hoc re ipſa ſatis ſæpe, ſi *artificialis* vis, nempe ſecundum aliquas etiam regulas exercita, viam impetui ſternit. Sermo eſt mihi de hæmorrhagiis *criticis;* quæ quidem, vti *ſponte* aliquando erumpentes, ſi *febris* reliqua tota fuerit *vehemens*, nihil *modici* ſeruant: ita ſi ipſis per qualemcunque *vim* via quaſi pandatur, v. gr. per *V. Sem ſub lingua*, euenit non raro, vt venæ ita inciſæ deinde ingentem quantitatem ſanguinis profundant, & difficulter admodum cohiberi poſſint: imo vero, ſi iuſto maturius, nempe priusquam *largam* ad minimum quantitatem emiſerunt, talium temporum fluxiones iterum compeſcantur, vel amittunt *omnem* efficaciam *ſalutarem*, vel ad minimum *potiſſimam* eius partem; adeo, vt patientes tales, ſi omnino vtique vitam auferant è morbo, tamen diuturnis *languoribus*, *faſtidiis*, *inquietudinibus*, *lentis & hecticis febribus*, *rheumatiſmis* ita dictis, aut *apoſtaſibus* ad certa ſolum membra, obſideantur: aut denique titubante iugiter valetudine, & magis magisque in adhuc peiora, aut pertinaciora ſchemata morborum ruente, metum illum veris damnis compenſari ſentiant. Hæmorrhagiæ criticæ per venæ ſectionem incongruam aut non ſatis largam incitatæ.

Modica eruptio aut emiſſio in his circumſtantiis parum ſatisfacit.

§. X. Vnde certe in his etiam ipſis rebus decente circumſpectione opus eſſe quilibet intelligere poterit. Imo commendo merito illud circa hæmorrhagias *propius ad exitum connitentes*, & acrem talem *contentionem* præ ſe ferentes, vt animaduertatur, quam parum communiter, ſi huc vsque proceſſerit negotium, tunc ſatisfaciat *moderata* quæcunque, nedum *modica* huiusmodi eruptio aut *emiſſio*; quin potius vel plane *exacerbet* conniſum vniuerſum, vel ad minimum nullum omnino operæ pretium faciat: ea ſola de cauſſa, quod eo tempore *incitata* ad huiusmodi effectum Natura, & quod diu muſſitando veluti parturiuit, tandem abſoluere pertinax, neque ipſa iam ita quidquam *exiguum* perpetrare, nec etiam *apparatus* illos congeſtorios, quibus ſanguis totius reliqui corporis tonicam *ſtricturam* ad vnum talem locum compellitur, ita poſtliminio *ſimul & ſemel* iterum omittere ac diſſoluere ſoleat. Quod interim, quamdiu non fit, mechanicæ vtique neceſſitatis eſt, quicquid ad hasce partes ita *comprimendo adigitur* & ita detinetur, data via maximam partem effluere debere.

Hæmorrhagiarum criticarum tres conditiones ſeu conſectaria.

§. XI. In quo quidem genere ſummopere dignas notatu eſſe exiſtimo illas, duas *ante* mortem, & *vnam poſt mortem*, conditiones illorum affectuum, qui *criticas* etiam tales, aut proxime, eruptiones in aliquibus indiuiduis aſſequuntur, nempe acutarum febrium; dum videlicet non ſolum circa hæc tempora, frequentiſſimis omnino exemplis, *inflationem arteriarum temporalium*, *dolorum capitis exacerbationem*, *perturbationes* eius *vertiginoſas*, *cogitationum confuſiones*, *ſtupores*, *phrenitides* inferunt: ſed etiam, ſi *contentio* hæc ſit valde fortis, & in *mortem* vsque pertinax, patientes tales, vti vulgus loquitur, *ab infimis* partibus corporis emoriendi initium faciant, id eſt, tanta vtique ſit huius *reſtrictionis* verſus caput, (tanquam locum hæmorrhagiarum talium) & impetuoſa violentia, & pertinax contentio, vt inde *inferiores* corporis partes non ſolum *frigidæ*, & veluti *tabidæ*, ſenſibus ſe offerant, ſed etiam magis magisque *ſtupidæ* & ſenſus expertes euadant. *Tertium*, quod *poſt mortem* ipſam vſu venire dixi, eſt in eiusmodi etiam emortuis hac ratione cadaueribus ordinarie ſuccedens iam illo ipſo adhuc die, iam proxime ſubſequente, ingens *eruptio ſanguinis* ex ipſis *naribus*, & quoniam per infundibulum eo diffluit, ex ipſo etiam *ore* ita defunctorum. Nulla vsquam alia quam vnica hac commemorata cauſſa, quod nempe ita etiam adhuc *ante mortem* iam facta *congeſtio* copioſa ſanguinis verſus caput, dum ipſa etiam mors patien-

tientem in eiusmodi ſtatu occupat, & *rigor emortualis* ipſe partes inferiores vti *ſtrictas* inuenit, ita etiam vlterius intendit & exacuit *conſtrictionem*: non eſt inde mirum, ſi etiam ipſæ vtique proportiones reliquæ totius huiusmodi conſtrictionis, poſtquam corpus iam ipſa directione affectum inuaſerunt, pergant vtique ita verſus caput impellere & vrgere, quoad denique actualis eruptio ibi ſequatur. Sed de his rebus plura atque peculiaria propriis etiam locis, vbi de contentionum æque ac intentionum febrilium efficacia pluribus agendi erit occaſio.

§. XII. Cæterum venit vtique, neque vero etiam vltimo plane loco, hic notanda etiam illa *ſucceſſio*, qua paſſim hæmorrhagiis, *vno* aliquo *impetu* violento erumpentibus, non ſolum *eſcharæ* veſtigia legunt, quæ præmatura aut rudiore atque minus prouida ſui *remotione* non ſolum fluxum ipſum reuocant, ſed inprimis etiam hoc ipſo pertinaciorem *inclinationem* ad proſequendas eiusmodi eruptiones, adeoque paſſim etiam *adſuetudinem* qualemcunque ita poſt ſeſe trahunt, vt niſi tandem huic *peritiſſime* occurratur, certa alia plura pathemata his poſtea ſuccedant: quæ vulgo ſimpliciter *debilitationi* partis adſignata, indolis iam *ſtagnatoriæ*, iam *ſpaſticæ*, vtrinque longe ſimplicius quadrant *apparatibus* illis *congeſtoriis* & velut *expreſſoriis*, quales in ſinceris etiam atque directis aliis hæmorrhagiis *adſuefactis* vſitatæ ſunt, quam vt diuerſo, nedum nouo, more aut modo vere diuerſam etiam *cauſſarum* rationem hinc inferre deberent.

Euentus hæmorrhagiarum a vi externa ſuſcitatarum.

§. XIII. Neque vero vllo modo negligendam exiſtimo circumſtantiam illam, quam iam ſupra de hæmorrhagiis *violentis* in genere conſideratis commendaui; nempe, quod etiam tales, inprimis in corpore cætera ſatis *vegeto* atque ſano, per *vim* concitatæ, certiſſime omnium in *plethoricis* conſtitutionibus, poſthac vel aliis etiam, vel inprimis *anniuerſariis* viciſſitudinibus, admodum familiariter poſt ſe trahere ſoleant, nouas eiusmodi *commotiones*, iam magis *particulares*, circa ipſa *loca* atque *partes* præcedente tempore violatas; iam etiam circa ipſam totam corporis *œconomiam*: tum *eminus* veluti longinquis *apparatibus*, ſiue, vti vulgo loquuntur, *languoribus*, ſiue actualibus etiam *febrium* euentibus.

Inprimis obſeruandi ſunt commotionum recurſus anniuerſarii.

§. XIV. Quam quidem rem ſpecialiſſimis obſeruationibus mihi affatim cognitam propterea tanto magis commendo omnium, quibus placet, atque ſuppetit ſolertia, attentiori obſeruationi. Curio-

Heteroclitæ eruptiones menſium inſolitis regioni-

bus a prægreſſis eiusmodi hæmorrhagiis.

rioſiori vero conſiderationi relinquo penſitandas illas etiam prægreſſas aut coniunctas cauſſas, quæ occaſionem dare agnoſci poſſint, vti ſpecialiſſimis, ita vere etiam rariſſimis, *heteroclitis* plane eiusmodi *eruptionibus*, quales paſſim apud ſcriptores memoratas inuenire contingit, præſertim de *muliebris* ſexus *menſtruis* excretionibus; quando nempe illæ, locis etiam alieniſſimis, non ſolum a tali ſpeciali, ſed omni etiam in genere ſanguinis euacuatione erumpunt. Vbi nempe extra omne dubium peculiarem penitus lucem, quod aiunt, præferent tres hæ circumſtantiæ bene examinatæ: I.) qualem *aditum* ad talem *regionem* patiens huiusmodi etiam iam olim experta ſit ab hæmorrhagica aliqua *generaliore* inclinatione, v. gr. ad caput; vnde poſtea fluxionis menſtruæ eruptio e *media gena*, e *cantho oculi*, ex *aure* &c. 2.) Qualem occaſionem dederint vel plane friuolam immodeſta *ſcalptione*, aut fortuita *ſectione*, aut *contuſione* cum concerpta cute: aut tenuiſſimis quibusdam *varicoideis* tuberculis, (de quorum cenſu tum vulgo dicti *vari* exſiſtunt, tum inprimis quibus & *color* eſt ſaturatior, & *conſiſtentia* mollior, & *ardor* pruriginoſus maior; & hinc etiam ſi ſcalpello immoderatius concerpantur, ingens mox ad proportionem tam reliquæ molis, quam vſitatæ etiam indolis reliquæ, profuſio, aut fluxus certe eximius ſanguinis inde ſequatur: vnde Germani noſtri Blutfinnen appellare audiuntur.) 3.) Tertio, & quod intuitu *ſpecificæ* circumſtantiæ palmarium eſt, quomodo *ſpecialiſſimam* huiusmodi fluxuum *occaſionem* præbuerint pariter omnino *ſpecialiſſima* perpetratione talium rerum *circa ipſum maxime vſitatum tempus menſtruum*; inprimis autem, vbi via etiam *ordinaria*, vel *intercluſa* penitus, vel admodum *impeditiore*, *conatus* tamen ipſe vtrique ſibi ſatis conſtat. In his enim *tribus* circumſtantiis, concurrente tamen præcipue conſpicua *ſenſibilitate* patientium, reperietur paſſim clauis veluti, pro recludendis apparentibus eiusmodi difficultatibus *inſolitarum* harum eruptionum.

MEM-

MEMBRVM VIII.
DE SVPPRESSIONE SANGVINIS FLVXVVM.

§. I.

QVantumlibet iam in prægreſſa parte mentionem aliquam non ſolum fecerim, ſed etiam pleraque certe, ſi non omnia, notauerim, quæ ad hoc propoſitum pertinere videntur: cum tamen hæc res in recepta pathologia vllum locum conſideratu vere dignum adeo non inueniat, vt potius communiſſime ſimpliciter ex *oppoſita* quaſi conſideratione peti videatur *ætiologia* variarum morbidarum conſecutionum; minime a meo ſcopo alienum ducere ita poſſum, vt hanc rem iterum, tanquam denuo commendem, & verum eius nexum cum noſtra non ſolum tractatione, ſed omnino etiam rerum ſolida veritate decenter exſequar.

Quia plerumque ex oppoſita conſideratione ætiologia variarum morbidarum conſecutionum petitur, verus earum nexus denuo commendatur.

§. II. Si ſanguis in corpore *plethorico*, *indole actiua* aut *intenta* & *ſollicita*, *ætate* inprimis adhuc *agiliore* atque *floridiore*, aut eiusmodi veluti *gradibus* præcipuis ætatum, *commotiones* turgefactorias inſignes & inprimis *repentinas* incurrat; vel etiam incommodo vitæ genere liber ſanguinis *abundantis circuitus* multum impediatur; aut plane *hæreditario* inſtinctu, & veluti commendatiſſima memoria, indoles ad hanc intentionem feratur: cooriri inde non tam ſolum *ſpeciales* veluti eruptiones, ſed etiam *generales* prorſus, & latum ambitum complectentes ad eiusmodi finem *apparatus*, vti huc vsque prolixe innui, ita omnibus animum huc decenter aduertentibus facile appariturum eſſe confido. Hi *conatus* quando temere inhibentur, aut *apparatus propiores* ad eosdem circa *peculiaria* loca, & inprimis quidem *exterioris* ambitus corporis, reprimuntur: ſubnaſcuntur inde ordinarie variæ aliæ ægritudines, de quibus huc vsque maximam partem egimus.

Ex abundantia & commotione ſanguinis varii apparatus & conatus erumpendi oriuntur: his autem ſuppreſſis variæ ægritudines ſubnaſcuntur.

§. III. Sicut autem in *pathologia* vulgata etiam horum hucusque ad has tribus reuocatorum affectuum longe aliæ texuntur paſſim ætiologiæ; quas tamen, niſi plane gratuita credulitate, re vera nemo pro illis ſcopis, quibus vulgo deſtinantur, recipere potuerit, ſi ſolum

Si genius horum morborum cum hæmorrhagicis circumſtantiis coincidens,

recte conſideratur, vulgaris ætiologia recipi non poteſt.

ſolum conſiderauerit *genium* illorum, ſimpliciter coincidentem cum HAEMORRHAGICIS tam ſenſui quam rationi perſpicuis circumſtantiis, inprimis *apparatuum* ad tales *exitus*, etiam dictante ſane ratione velut a priori, requiſitorum; nempe 1) *ſpaſticæ*, 2) alibi *depulſoriæ*, alibi *congeſtoriæ* 3) *inſultoriæ*, imo *deſultoriæ*, *alternantis*, & varie *transcurrentis*, indolis: ita, cum huc vsque aliqua iam ex parte ad proprium cenſum reuocauerim complures huiusmodi affectus; ſupereſt vt vnum adhuc præſente loco adiiciam, & ex illo inprimis animaduertenda quædam oſtendam, quæ a communi ſcholæ medicæ acceptione vere multum diſtant; imo potius ab iſta in transuerſum rapta, adeoque ab omni vſu ſolido medico-pathologico auerſa, non niſi hac vna via in ordinem ſui verum reduci poſſunt.

ARTICVLVS I.
DE
HYDROPE.

§. I.

Hiſtorica veritas frequentiæ morborum attendenda commendatur.

QVod toties iam monui, imo profecto ſummo iure, quin ipſa potius neceſſitate ſolida monendum habui, vt HISTORICA veritas FREQVENTIAE morborum ante omnia attendatur, & deinde etiam prudenter æſtimetur: illud omnino etiam exquiſite valet de eo affectu, quem ſuis cauſſis verioribus aſſignandum præ manibus habeo, nempe HYDROPE.

Valde rarorum morborum euentus negliguntur, & ſpecialibus & rariſſimis rebus generales & quotidianæ cauſſæ affinguntur.

§. II. Non iam vacat, neque vero profecto placet etiam vllo modo notare, nedum ex merito perſtringere, inſaniam illam, qua homines fatali infortunio ad artem ſaluandorum mortalium immiſſi, vti cœco impetu ad exercendos *temerariis experimentis* ægros ruunt; ita etiam ad *rationes* morborum explicandas conuolantes, non ſolum omnia reliqua negligentiſſime tractant, ſed inprimis etiam in ipſo, quod aiunt, limine grauiſſime offendentes, circumſtantiam hanc VALDE RARI morborum euentus in ſolidum negligendo, ſtatim in Charybdin illam incidunt, vt rebus plane *ſpecialibus generales* prorſus, & *rariſſimis quotidianas* plane cauſſas affingant.

§. III.

§. III. De præſente certe etiam affectu eſt hoc maximopere notandum, quod ille omnino quolibet intuitu adeo inter *minus frequentes*, imo vero *rariores*, numerandus veniat, vt nec *ætatibus*, neque *ſexui*, neque *cauſſis* conſpicuis, neque tandem *indiuiduis* aliter, quam re vera RARIVS obtingat: vbicunque vero etiam ſeſe ſiſtit, ibi adhuc multo *rarius* contingat, vt aliæ *generaliores*, aut multis *communiores* cauſſæ ſubeſſe ſentiantur, quam *certæ* magis; & quidem vti plane *peculiares*, ita tum hoc tum quolibet alio reſpectu vere *rariores*. Hydrops rarior eſt affectus.

§. IV. Cum autem morbum hunc hoc præcipue *loco* in ſcenam producere ſuſceperim, placet eius rei rationem ante omnia reddere. Eſt hoc non ſolum hodierna experientia conſtanter verum, ſed etiam a ſuperiorum ſeculorum Medicis eadem ratione animaduerſum, & ad nos transmiſſum, quod tales inprimis patientes, qui *enormibus hæmorrhagiis* correpti fuerint, poſt has incidant in HYDROPEM. Ne tamen plus dixiſſe videar, quam velim, & res ipſa ferat, dico, quod conſtans experientia hoc ita confirmet, inprimis *Medicis*; apud illos, inquam, patientes, qui *Medicorum* inprimis *ope* vtentes his ita materiam & occaſionem obſeruandi obtulerunt. Minime vero vsquam fruſtra adiicio hanc conditionem & hoc monitum; ſed propterea maxime notanter, & quod ita omnino velim obſeruari, quod *euentus* hic nequaquam *ſimpliciter* & *vniuerſaliter* ſeſe ita ſiſtat, ſed potius re vera contrario modo ſe habeat. Dum *innumeræ contingunt huiusmodi profuſiones*, v. gr. in *bellicis* aut *hoſtilibus* quibuscunque inuaſionibus atque vulnerationibus; in *fœminarum puerperiis* æque ac aliis *diuturnis* atque *copioſis vterinis* hæmorrhagiis; in *viris* e longo *hæmorrhoidum continuo quaſi fluxu*: quarum tamen nulli ſuccedat *hydrops*; minime omnium autem *aſcites*. Cum ex aduerſo, quibuscunque ſanguinem ita enormiter profundentibus INTERNA maxime *artificia* adhibentur, ad *ſupprimendos* hos fluxus, per remedia dicta *adſtringentia*, illis adeo *familiariter* & veluti certo eueniat hæc ſucceſſio *hydropica*, vt, niſi pauciſſimis, euentum talem effugere vix contingat. Ex enormium hæmorrhagiarum ſuppreſſione hydropis euentus potius deducendus eſt, quam ex profuſionibus ipſis.

§. V. Neque vero hoc ſolum, ſed vbi etiam præcipua aliqua *commotio ſanguinis localis* ſuſcipitur, *patulos* inprimis meatus *internorum* organorum poſtulans; ibi obiectæ tales repentinæ atque potentes *ſtricturæ* internorum in *viſceribus meatuum* non raro trahunt poſt ſeſe hunc eundem euentum, vt ab illis *hydropica* tumeſcentia corporis ſubſequatur. Quod ipſum quamlibet re vera neminem fallat Euacuationes ſanguiniuſitatæ quando per adſtringentia obſtruuntur, hydropem poſt ſe trahunt.

aut

aut fugiat, qui animum ad hanc rem decenter aduertere cordi habuerit; ita non eſt tamen etiam hæc velut vna atque ſola via, aut vnum ſolum experimentum atque documentum harum rerum, vt inquam *hydropici tumores* non niſi *adſtringentium* vſum internum ſequerentur: ſed eſt vtique adhuc *duplex*, etiam vndecunque natarum *obſtructionum* pertinacium euacuationis vſitatæ ſanguineæ, ſpecies huius ipſius euentus ita compos, vt de *vnius* quidem efficacia etiam ipſum omnino vulgus ſatis luculentam habeat notitiam: alterius autem certitudo, quamuis forte multis Medicorum non ad animum admiſſa ſit, tamen vel leuiter aduertentes animum non poſſit fallere.

Cuius duæ ſpecies ſunt, fluxus nempe menſtrui ſuppreſſio & hæmorrhoidum.

§ VI. Prioris illius generis eſt ipſum fluxus *menſtrui* ſuppreſſi negotium. Non quidem *promiſcue*, in cuiusuis generis ſubiectis; ſed in talibus omnino, quibus ſub conſtitutione *plethorica*, & alias vſitata ſatis promta, imo vero *larga* fluxus eruptione, *ſuppreſſio* a quacunque tandem cauſſa ſimul & ſemel obtigit; non ceſſante interim *impulſu* interno ad huiusmodi exitum conſtanter adhuc pertendente: tanto magis autem, ſi adhuc inſuper etiam *ſtimulus* plane quidam addatur per domeſtica fœminis vſitatiſſima artificia, cum qualicunque *impetu* expulſionem incitantia. *Alterum* horum eſt vtique in vulgari praxi in hunc propemodum diem minime condigne ad animum reuocatum *hæmorrhoidalium* tam *exituum*, quam *motuum* ſeu *moliminum* frequentia; & harum rerum intempeſtiuas, imo temerarias *ſuppreſſiones* inſequens *hydropicorum* talium tumorum ſucceſſio.

Id quod per experientiam confirmatur, his tertia ſpecies additur, nempe febrilium exagitationum ſuppreſſio.

§. VII. Quem enim in praxi vere frequente conſtitutum, imo vel animum ſolum ad ea aduertentem, quæ ab aliis hinc inde fiunt, poteſt effugere euentus ille, profecto magis locuplete, quam quidem optandum eſſet, experientia indies confirmatus, quod non ſolum *hæmorrhoidum* fluxui largiori iam *adſuetis* viris, ex huius repentina *cohibitione*: ſed etiam *podagræ* obnoxiis, ab huius imprudente cohibitione, & *motuum* retropulſione, vſitatiſſimo ſucceſſu eueniat HYDROPS. Adeo certe, vt teſte multiplici non ſolum, ſed etiam vere conſtante & perpetua experientia, minime dubitem aſſeuerare, quod ordinarie veluti ſimpliciter *vſitatæ indolis* hydrops (pauciſſimis longe *extraordinariis* exemplis, re vera plane præter ſolitum aliter ſe habentibus) originem ſuam debeat vel *ſpontaneis*, aut *fortuitis* ad minimum, vel *artificialibus* intempeſtiuis, *repentinis* inprimis, quin etiam *pertinacibus*, *ſuppreſſionibus* hæmorrhagiarum: præcipue vero *menſtrua-*

ſtrualium aut lochialium in fœminis; hæmorrhoidalium autem in viris: aut denique febrilium exagitationum ipſis vsque viſcerum meatibus per intempeſtiuas, imo quouis modo inconuenientes adſtrictiones cito & potenter ſtipatis.

§. VIII. Antequam autem progreſſum faciam ad propius inſpiciendam indolem & intimiorem rationem fiendi & agendi, quatenus ipſa, de qua ſermo mihi potiſſimus fuit, ſuppreſſio hæmorrhagiarum ad huiusmodi effectum concurrat: erit ex vſu, diuerſitatem etiam veram & realem hydropicorum tumorum indicare; vt cuique claſſi, quod conuenit atque iuſtum eſt, tribui poſſit & aſſignari. Eſt nempe hydrops alius vniuerſalior, alius particularis. Vniuerſalior iterum alius in totum ambitum corporis ſe diffundens, anaſarca vulgo dictus: alter inferiorem corporis regionem exteriorem, ſimul tamen etiam interiora abdominis occupans, aſcites vſitato nomine dictus.

Differentia tumorum hydropicorum.

§. IX. Minime vero anxie metuo, ne quis mihi vitio vertat, quod tympanitem hic veluti ſilentio prætereams; qui totius ſcholæ medicæ conſenſu & re vera, quod aiunt, vno ore inter hydropes memorari conſueuit. Quamuis enim ego certe alieniſſimus ſim a vocabulorum captatione, adeoque rigide exigenda acceptione hydropis; ne adſpectus & contactus aquoſus cum adſpectu & contactu ſtatulento temere confundatur: eſt tamen profecto rerum etiam ipſarum ingens penitus differentia; tam a priori cauſſarum & materialis conſtitutionis veræ, quam a poſteriori medicæ tractutionis intuitu. Vnde certe res, tot & plane præcipuis inprimis modis differentes, iisdem nominibus notare, vix poteſt quin confuſionem qualemcunque, imo etiam facile nequaquam leuem introducat.

Cur tympanites hic non numeretur inter hydropes.

§. X. Interim de hac ipſa etiam diuerſitate notanda eſt omnino iterum circumſtantia illa, quam non vtique ſine prægnantibus cauſſis toties ſoleo laudare, & denuo non ſolum commendare, ſed re vera potius inculcare, & quouis modo vrgere. Nempe reſpectus ille frequentioris aut rarioris prouentus; quo intuitu quamlibet in reliqua ſui propria ſatis notabili infrequentia, tamen longe vtique frequentior adhuc eſt aſcites hydrops, quam anaſarca. Ex aduerſo vero, noua etiam vlteriore differentia, redit longe facilius in viam & obſequitur medicationi ipſe anaſarca dictus hydrops, quam verus aſcites.

Aſcites longe frequentior eſt quam anaſarca; ſed hæc curatu facilior quam ille.

Differentia inter aſcitem & anaſarcam.

§. XI. Vltima vero differentia inter *aſcitem* atque *anaſarcam* hydropem, vera etiam atque realis, & omni prorſus conſideratione digna, eſt vtique illa, quod etiam *anaſarca* non tam ab iisdem CAVSSIS cooriri obſeruetur, a quibus *aſcites*; ſiquidem neque ab eiusmodi *ſuppreſſionibus* ſanguinearum euacuationum, nec a *febrium* repentinis oppreſſionibus, a quibus vtrisque *aſcites* ſatis familiariter inducitur, pariter etiam *anaſarca* cooriri obſeruatur.

Quale temperamentum hydropi idoneum.

§. XII. Præterea vero in *hiſtoria* qualiumcunque concurrentium *cauſſarum* non eſt vtique negligenda peculiaris *prædiſpoſitio* illa, quæ in *textura* corporis & qualicunque *temperie* humorum fundata, *temperamenti* totius (ſeu *complexionis*, aliorum appellatione) nomine venire ſolet. Vbi nempe ita dicta complexio *phlegmatico-ſanguinea* prærogatiuam quandam habere intelligitur, ad facilius recepṭandam horum generum vlteriorem malam diſpoſitionem.

Cui ætati & ſexui familiarior.

§. XIII. Deinde non eſt etiam tali euentui pariter idonea quælibet AETAS; quandoquidem *infantilis* atque *puerilis* ab *hydrope aſcite genuino* quaſi penitus exemta videtur: *anaſarcodi* (licet hoc ipſum etiam omnino raro) intumeſcentiæ aliquando propior; quale quid ab *vlceroſis*, *ſcabioſis* impuritatibus *cohibitis*, ſolum extrinſecus, aliquot exemplis obſeruaui. Imo, ſunt inter reliqua exempla re vera etiam oppido rara *adoleſcentis* ætatis *hydropica* phænomena. Familiarius autem eueniunt hydropes tales *adultiori* ætati, *iuuenili* & *conſiſtenti*: *fœminini* præcipue ſexus; & ab his per *internas* occaſiones cumprimis obtingentibus initiis atque cauſſis. In *virili* vero ſexu euenit longe familiarius hæc talis conſtitutio *conſiſtente* demum ætate atque *ſeneſcente*.

Cauſſa propior & occaſionalis.

§. XIV. Vtriusque vero ſexus tum *ſenioribus*, tum aliquando etiam *iuuenibus* obtingit quidem etiam a *propiore* cauſſa non plane diſpari, nempe ea, quam antea nominaui, *viſcerum obſtipatione*: *occaſionali* vero remotiore cauſſa magis *ſingulari*, *ſpirituum ardentium* nimia ingurgitatione. (Quamuis in hoc etiam genere re ipſa tanta ſit huius talis *ſinceri* effectus infrequentia, vt, cum familiariſſimus paſſim ſit certe intemperans abuſus horum potuum, tamen euentus *hydropici* tumoris ſecundum hanc *proportionem* re vera adhuc ſit ſumme *infrequens*. De qua tamen re proximo loco plura.)

Suppreſſiones hæmorrhagiarum ad hydro-

§. XV. Quod iam attinet ad edendas harum rerum *cauſſas*, earumque *reſpectus* atque *nexus*, ſecundum meam conſiderationem ſtatuo ego, quod *ſuppreſſiones hæmorrhagiarum* ad hunc euentum pertingant

tingant *triplici* inprimis ratione. *Primo*, ſub certa præſertim *ſpecie*; *ſecundo*, *efficacia* ſimplici *corporali*, *poſitiue*; *tertio*, occaſione *morali*, & hinc ſecuto effectu *priuatiuo*. *Hæmorrhagiæ* ipſæ, quæ inprimis *poſitiua* ratione huc faciant, ſunt non quælibet promiſcue; ſed tales inprimis, & quaſi *ſpecifice*, quæ plurimum conſpirationis habent cum *vena portæ*; nempe *menſtruæ* fœmininæ, & *hæmorrhoidales* maſculinæ; quin etiam *vomitus cruenti*. Per *indirectum* autem ſolum etiam *generaliores*, *narium* & *pectoris*. per inconuenientem vſum *internum adſtringentium*. *Modus* ille *poſitiuæ* efficaciæ conſiſtit inprimis in pertinaci *congeſtione* ad viſcera *venæ portæ* conterminis; quæ hinc *oppletione* peculiari ſenſim *obſtipata* effectum illum ita edunt, a quo deinde *reſtitationes* & *infarctus hydropici* initia ſua deſumunt. *Alter* autem modus, cui quidem in noſtra commemoratione *tertium* locum dedimus, *moralis* efficaciæ, *occaſionalis*, verſatur in eo, quod hæmorrhagiæ in cauſſa eſſe ſoleant, vt *medicatio* neceſſaria reputetur *adſtrictoria*. In qua ſi exceſſus committatur, inprimis poſt euacuationem valde *copioſam* iam factam, conniuentes ab huiusmodi inanitione meatus viſcerum hac ratione ita intime & pertinaciſſime *conſtipentur*, vt inde effectus illi malæ *depurationis* humorum originem trahant, a qua *ſtagnationes* huiusmodi ſenſim cooriri ſoleant.

pis euentum triplici modo pertingunt.

§. XVI. Interim, ſicut vtique *prima* illa conditio hæmorrhagiarum, inprimis circa *venam portæ* occupatarum, vtique præcipua eſt in hoc genere: ita eſt omnino illi, in hæmorrhagicarum quidem cauſſarum ordine ſecunda & proxima, cæterum autem etiam magis diffuſa atque latius patente energia, *prior* adhuc atque *potior* modo *tertio* loco memorata illa efficacia, per inconuenientes *adſtrictiones* malo huic occaſionem præbendi. Quandoquidem hic error non ſolum in hæmorrhagiis temere ita *cohibendis* damna hæc infert; ſed etiam contra *febriles* commotiones in vſum temere tractus.

Inter has conditiones tertia ratione efficaciæ ſuæ prior & potior eſt.

§. XVII. Placet omnino iuſtam hoc ipſo loco mentionem facere traditionis cuiusdam *pathologicæ*, quam poſteritati commendat *Martinus Liſterus* in Exerc. Pract. cap. de *Hydrope*. Vbi primo *hiſtorice* notat, quod ab aliquot annorum decadibus obſeruata ſit longe maior frequentia *hydropis* in *Anglia*, quam Patrum & Maiorum tempore.

Liſteri obſeruatio de frequentia hydropis in Anglia.

Sicut autem Auctor in hoc negotio minime falſus eſt; ſubnixus inprimis pulcherrimo inſtituto Londini vſitatorum indicum funebrium, quibus non ſolum quot homines deceſſerint, ſed e quibus etiam morbis, publice declara-

 tur:

tur: ſed venit etiam merito iungenda huic obſeruationi altera illa omnino ſororia, quod non ſolum longe adhuc plures, quam hydrope, ſed etiam plures, quam vllo alio morbi genere, imo longe plures moriantur tabe *phthiſica* atque *hectica* in eadem *Londinenſi* vrbe.

Cauſſam huius rei putat eſſe abuſum ſpirituum ardentium.

§. XVIII. Huius rei ætiologiam ſubiicit Auctor, ſua ſententia eſſe abuſum, enormem a pari propemodum, vt ſupponit, tempore, *ſpirituum ardentium*. Cum autem non modo par, ſed & certiſſime imo notorie longe maior ſit *ſpirituum ardentium* abuſus, non hic illic forte, ſed apud nationes totas, *Anglica* certe nihilo minores, imo potius longe numeroſiores hominum multitudine, *Polonos* atque *Ruſſos*; neque tamen ibi horum morborum par ad proportionem occurrat prouentus, qualem Auctor ſua illa hypotheſi tanquam *directe* & *ſimpliciter* aut certe *eminenter* ab hac cauſſa præ aliis deducere ſatagit: neceſſe eſt proinde falli ipſum in hac ſua ſententia, & aliam potius quærendam eſſe cauſſam inſolentis huiusmodi euentus.

Corticis chinæ abuſus potius in cauſſa eſt.

§. XIX. Neque vero difficile erit hanc inuenire, quisquis experientiam diligenter attenderit. *Efficaciam* puto ad huiusmodi res æque atque *abuſum* familiariſſimum *per Angliam corticis Ieſuitici*, ſeu *Chin-chinæ*. Qui vt in noſtris etiam regionibus, & vbique ſine dubio gentium, *intempeſtiuo* & *intemperante* ſui vſu in feruidiore adhuc commotione febrili, hoc idem ita præſtat. (Neque vero ille ſolum, ſed omnes omnino etiam ſpecies medicamentoſæ, quæ cum inſigni *adſtrictione* febribus æque certo atque *cortex Ieſuiticus* obicem ponunt, vt *martialia* varia, *alumen*, imo *quercus cortices*, *quinquefolium* &c.) Ita in *Anglia* quoque harum earundem rerum fabrum exſiſtere & architectum hunc corticem tanto minus dubium eſt, cum notiſſimum vtique ſit, quod nemo intemperantius illo abuti audiatur, quam ipſi *Angli*: ſicut etiam publicæ illorum commendationes eiusdem hoc palam profitentur.

Huius corticis efficacia & euentus.

§. XX. Sicut autem hoc ipſum etiam medicamentum præcipuam ſuam efficaciam omnino poſitam habet in *adſtrictione*: ita accedit inſuper eiusdem tam *prodiga* vſitata aſſumtio, quæ non ſolum tanto certius, ſed omnino tanto fortius effectum hunc perpetrat; quod vel ex illa pertinaci *alui adſtrictione*, quæ hoc remedium etiam in longum ſubinde tempus proſequitur, colligere & agnoſcere licet. Succedunt etiam mitiores adhuc *ſtipationis* huiusmodi in *viſceribus* aliæ *hypochondriacæ*, inprimis tamen *hypochondriaco-hepaticæ* turbæ. Vt patientes tales tum alias *anguſtias* & *anxietates* experiantur per

hypo-

hypochondria; tum inprimis a *cibis* aſſumtis, in dextro hypochondrio *ardores*, *dolores* & *preſſiones*, *anguſtias* anxias, *phlogoſes*, & *rubores* faciei, *vertigines* &c.

§. XXI. Sicut autem a tali medicamento, *plethoricis* ſubiectis nihil adhuc imminuto *impetu* commotionis febrilis, & inprimis *ingruentibus* iam *paroxyſmis* exhibito, & hi affectus, & ipſe ſucceſſus *hydropicorum* tumorum ſequitur: ita contingit ſimile quiddam etiam ab aliorum purius *adſtringentium* repente copioſo aut continuato vſu, in hæmorrhagiis e locis altius *internis* v. g. *vterinis*, quin etiam *pectoralibus*, maxime vero *hæmorrhoidalibus*; certiſſime vero omnium, ſi tales fluxus ab *actiuo* aliquo motus *conniſu* ex mio foueantur, & *in* ipſis *mediis* huiusmodi *contentionibus* ita cito reprimantur. Aliorum adſtringentium vſus ſimilem effectum edit.

§. XXII. Sicut autem ita *ſuppreſſio* hæmorrhagiarum non tam *ſimpliciter* & *directe* hydropicas inflationes arceſſere videri poteſt; ſed per *viarum* potius & *meatuum* in viſceribus, & nominatim quidem in *hepate*, *obſtipationem*: ita euenit tamen etiam tale quiddam contrario quoque modo per *infarctum* & *obſtipationem oppletiuam*; ſi in corpore *plethorico*, *euacuatoriis* huiusmodi contentionibus iam *adſuefacto*, & ad vegetiores inde horum generum *conniſus* promto, euacuationes tales inpoſterum etiam aliunde, ante omnia tamen *cito* & *impetuoſe*, cohibeantur. Hydrops ex illa ſuppreſſione non ſolum per constrictionem viarum & meatuum arceſſitur, ſed etiam per oppletionem.

§. XXIII. Quæ res tum aliquando tacite & ſucceſſiue, tanquam vere ſponte aliqua, ita procedit & ſubnaſcitur; partim impetu magis aliquo nouo ſuperueniente velut *excitatur*: quando videlicet huiusmodi homines inſuper potibus *ſpirituoſis* ſeſe ingurgitare non dubitant; aut *iracundiæ* vehementis repentinis exagitationibus percelluntur; aut in tali iam conſtitutione repentino abuſu *martialium* aut *ſalium volatilium*, quod aiunt, e Charybdi in Scyllam incidunt. Illud, inquam, eſt omnino & vndiquaque certiſſimum, quod *adſtringentium* intemperans talis, *menſura atque tempore*, abuſus, aut vndecunque tandem prognata promta *ſuppreſſio hæmorrhoidalium* inprimis & *menſtrualium*, cum conſpirante reliqua *diſpoſitione*, ſanguineæ euacuationis *contendentis* ſucceſſuum, præcipua ſit cauſſa plerorumque hydropicorum tumorum velut *vſitatiſſima*. Cauſſæ aduentitiæ, quibus oppletio hæc ſubnaſcatur.

§. XXIV. Quod autem attinet ad ipſum harum rerum *agendi* aut *fiendi* modum, vocanda eſt hic in ſubſidium *hiſtoria phænomenon*, quæ in his, qui hydrope denique intereunt, etiam poſt mortem adhuc ſeſe offert; præmiſſa tamen illa etiam adhuc viuis quam Phænomena, quæ in hydropicis tum adhuc viuis, tum mortuis obſeruantur.

 maxi-

maxime infeſta circumſtantia, quod inprimis *vrina* ipſis parciſſime procedit, & per initia inſuper adhuc valde *tenuis* & aquoſa, ſucceſſu vero temporis demum *ruborem* & *craſſitiem* induens. Illa vero, quæ poſt mortem adhuc inueniuntur, ſunt vitia *hepatis*, & *glandularum*, *pancreatis* atque *meſaraicarum*, duplici & ad adſpectum omnino vtique differente alteratione; dum aliorum quidem *hepar* totum *condenſatum* & velut *exſiccatum* conſpicitur, *durum* & *aridum*; aliorum autem hepar enormiter *expanſum*, non *inflatione* forte aliqua, aut diſtenſione ſimpliciter *mollicula* & velut aquea, ſed mutata reapſe tota ſua vſitata *textura*; dum inuiſibiles ſ. n. eiusdem glandulæ in tali hydropica conſtitutione non ſolum ita expanduntur, vt etiam *lentium* variæ magnitudinis menſuram aſſequantur, ſed inſuper etiam *fibroſis* ſtaminibus non ſolum immenſo numero ſed etiam ingente (ad ordinariam inuiſibilem illarum conſtitutionem ſ. n. comparando) texturæ *firmitate* conſpicuis, inter ſe etiam ita ſatis laxe connexæ teſtentur tota hac conſtitutione abunde de mutata etiam inſigniter tota conformatione ſua: auctis nempe re vera, in totam etiam ſoliditatem ſui, *ſtructuræ* inſolitis incrementis, quorum nouam *deſtructionem*, adeoque verum reditum ad priſtinam conſtitutionem, nemo hinc temere exſpectare ſuſceperit.

Hepatis conſtitutio.

Glandularum conſtitutio itemque viſcerum.

§. XXV. *Glandulæ* vero meſaraicæ velut ordinarie in his caſibus eximiæ vtique ſunt *duritiei*, licet non paris vbilibet etiam in magnitudine eximii incrementi: quod tamen non raro vna concurrere tum alii obſeruatores notant, tum *Scultetus* in *Obſſ. Armamentario* annexis. Et huiusmodi ſolet etiam eſſe familiariter conſtitutio viſcerum horum in illis inprimis, qui a *copioſo* valde potu, qualitercunque generoſo ſimul, in huiusmodi affectum prolabuntur. Cum e diuerſo illis, qui a ſimpliciter *ardentium ſpirituum* abuſu hoc malum incurrunt, *aridum* potius fit & extenuatum hepar. Sicut etiam illis, qui poſt immodicas *adſtrictiones* in talem affectum deuoluti fuerunt: niſi quidem adſcita mox, per *becticam* febrem concurſantem, *potus* intemperantiore menſura diuerſum euenerit.

Hæc violatio ſtructuræ hepatis & glandularum meſaraicarum fundamentum eſt pertinaciæ hydropis aſcitis.

§. XXVI. Hæc autem inprimis violatio ipſius *conformationis* hepatis per *ſtructuram* etiam eius *ſolidam*, æque atque *glandularum meſaraicarum*, vti immutabilis in poſterum & *incorrigibilis* omnino habenda videtur: ita eſt ſine dubio genuinum fundamentum incoërcibilis illius *pertinaciæ*, qua *adultum* hydropis *aſcitis* malum laborat; dum vtique mutatam adeo eximie ipſam plane *ſtructuram* ad

frugem

frugem reuocare merito iudicatur difficillimum, imo mihi ſine omni diſſimulatione *impoſſibile* videtur.

Cum enim mihi vtique obtigerit, experimenta huiusmodi partim ipſe inſtituere, partim pluribus exemplis alibi perpetrata cognoſcere; quibus *viſibilia* hydropis *ſymptòmata* non ſolum *penitus*, ſed inſuper etiam *promte* prorſus, & breui tempore, paucorum dierum ambitu, & inſuper, quod conſideratione tanto maiore dignum eſt, etiam citra effatu dignas *euacuationes* materiæ, quæ tamen præcipue collectione multa moleſta eſſe videtur, auferuntur vtique; interim dum non ſimul ipſe quoque *fons* & origo mali circa viſcera ipſa vna tolli poteſt: eſt proinde tota curatio non niſi ſimpliciter *palliatiua*, & vere, etiam ſano ſenſu loquendo, *ſuperficialis*; interim in eo probabiliſſime deficiens, quod ita ipſis vtique organis in *ſtructura* ſua temeratis neque hæc medicina opem ferre valeat, nec etiam vlla alia huc vsque ſuppetat ſpes, vt ipſas omnino *conformationes* eximie mutatas, & in *ſolida* ſtructura auctas, iterum *deſtruere* liceat nudo pharmaceutico vſu.

§. XXVII. Quemadmodum autem hæ ſunt præcipue *fundamentales cauſſæ* ad producendum hydropem; nempe vel *oppletiua* magis magisque, vel *conſtrictiua hepatis* & meſaraicarum *glandularum* obſtipatio: ita eſt tamen vtique etiam intimior & exquiſitior modus fiendi & agendi in eo particulariter poſitus, quod per hanc *obſtipationem* glandularum hepaticarum reuera impediatur princeps *officium* hepatis, conſiſtens in copioſa *ſeparatione* genuinæ *lymphæ*, non tam ſolum a *ſanguine*, quam ipſo præcipue *ſero excrementitio*. (Cuius, eadem opera, etiam *bilioſa*, *oleaginoſa*, *acrior* pars ibidem interim in cyſtidem *felleam* ſeponitur, adeoque iam *vappidum* magis dehinc ſerum in venæ cauæ ramos cum ſanguine transmittitur.) Hæ *ſecretiones* quando ita, violato hoc ipſo organo eximio, deficiunt, adeoque *lympha* maxima ſui parte a *ſero ſalino-bilioſo* nunquam ſegregatur, ſed in perpetuo huiusmodi commercio atque conſortio hæret: fit ita, vt a *ſalſo* ſero, imo *bilioſo-ſalſo*, lubrica illa tenera *gelatina* lymphalis in ſpiſſitudinem *mucilaginoſam* quaſi *ſaponiformem* deducta, ſerum ipſum ita reciproce *inſpiſſet*, vt nullus locus relinquatur etiam tenuioribus ſeroſis portionibus *excrementitiis*, paſſim per conſueta ſua emunctoria *dimittendis* & *excernendis*. Dum videlicet vtique etiam hæc ipſa *inſpiſſatio* lymphæ cum ſero fluidiores huius portiones ita implicat atque præpedit, quo minus ſecedere & excedere, nempe ad tranſitus & exitus ſuos ſatis alte *penetrare*, valeant. Vnde nempe etiam vtique remedia, talem ſpiſſitudinem humorum, quod aiunt, *fundentia*, euacuationem quidem horum promouent, interim *fontem*, e quo hæc intemperies pullulat, non exhauriendo aut obſtruendo

Modus fiendi & agendi.

do morbum ipſum non *curant*, ſed *productum* ſolum morboſum, quantum poſſunt, ſubtrahunt.

Sic hydropis geneſis ex ſuppreſſis hæmorrhagiis ſatis dilucide deriuatur.

§. XXVIII. Puto poſſe ita diluceſcere, quamobrem *hydropis* geneſin non ſolum *hæmorrhagiis*, ſed inprimis *ſuppreſſionibus* illarum adiunxerim. Et maxime omnium quidem per *artem*, *adſtringendo* cito introductis: & adſtrictione quidem præcipue *vias* ipſas ad decentem tranſitum ita ineptas efficiente, *ſtabili* prorſus, atque *pertinaci* effectu; dum *oppletio* ſimplicior, ſi ipſi tempeſtiue ſuccurritur, adhuc aliquanto facilius iterum diſſoluitur, quam *ſtrictura* illa actiua, fac le in ſtabilitatem *obrigeſcens*.

Remedia vanis traditionibus ſuperſtructa non ſunt adhibenda.

§. XXIX. Vbi tamen interim facile eſt conceptu, quanta hic opus ſit prudentia, ne vel *intentiones*, vel inprimis *medicationes* per vanas traditiones confundantur. Sane enim ſi remedium arripiatur, quod ſub inani opinione effectus in *humores*, potius *ſtringentem* qualemcunque effectum in ipſas *ſolidas* partes perpetrare valeat, a quacunque tandem cauſſa, ſiue ab infarctu, ſiue iam ab ipſa *ſtrictura* pendeat ipſum incommodum, nocebit vtique quolibet intuitu inconditum tale atque præpoſterum artificium: neque vero leuiter, ſed grauiſſime certe nocebit.

Monitum de prudenti æſtimatione ſucceſſuum hæmorrhagiarum.

§. XXX. Ipſa vero hac vera prorſus & reali deductione & *hiſtorica* indicatione ſuppedito iuſtum monitum, vt tanto peritius æſtimentur *ſucceſſus hæmorrhagiarum* & *opportunitates cohibendi*, ne hic aliquid temere audendo offenſio grauis oriatur. Qui vero has res, tam vti reuera *fiunt*, quam vti *cauſſis* ſuis allegatis ſimplici quodam & euidente nexu reſpondent, decenter perpenderit, ille facile deprehendet, quod non ſolum aliis operoſis ſpeculationibus, per quas immediata aliqua in *humores* redundans peruerſio adornetur, minime ſit opus, ſed quod omnino huiusmodi præfigurationes ab ipſa veritate factorum ita in diuerſum abeant, vt cum illis ne quidem conciliari poſſint: minime omnium autem in illa plane præcipua, tum ſingularum harum, tum *ſociarum* rerum, veluti conditione, certe vero circumſtantia peculiari, quod non ſolum ita ſingulariter inter ſe mutuo *conſpirent*, & a ſe inuicem maxime, niſi quidem penitus vnice, *pendeant*; ſed etiam, *ſingulæ* atque *ſociæ*, ita vt omnino faciunt, RARO eueniant. Quibus vniuerſis circumſtantiis commenta illa vſitata non modo non reſpondent, ſed etiam in multis contraria penitus, quam res ipſa ferat, inferunt: quo ipſo etiam hinc inde contrariis effectibus re vera plus nocent, quam vt quicquam conferant.

ARTI-

ARTICVLVS II. DE CACHEXIA.

§. I.

CVm de hydrope ſermonem habuerim, & eo præterea ordine ſeu loco, vbi mores *ſcholæ medicæ* vſitati nomen eius recipi non probauerint: potero tanto magis videri ὕστερον πρότερον committere velle, ſi poſt *hydropem* CACHEXIAM collocem, tanquam plerorumque conſenſu *initia* veluti hydropis, & prima huius rudimenta complectentem affectum. Cum autem intentio mea omnino ferat, non quæ vulgi rumore differuntur, ſed quæ re ipſa vere exſiſtunt, vt in rerum naturæ ordine ſeſe offerunt & commendant; & vti reuera in *praxi*, non ſolum circumſpecta ſed omnino ſolum ad veritatem factorum attenta, ſeſe ſiſtunt, ita ſumere & æſtimare: nihil dubito proinde hanc rem etiam præſentem hac ipſa, qua cœpi ſerie proſequi, & *cachexiam* non ſolum diuerſo loco, ſed etiam alio veluti commemorare. Ita tamen, vt ipſi quoque locum vtique tribuam inter *euacuationum ſanguinis vitia;* propterea, quod etiam hic affectus, ſed etiam non abſolute & ſimpliciter, tamen omnino præcipue, communiſſime, & omnium facillime, imo ita veluti vere ordinarie, ortum ſuum omnino debeat euacuationum illarum debitarum defectibus. Cachexia poſt hydropem non ſine ratione collocatur.

§. II. Imo placuit tanto magis diuerſo ab hydrope loco, quin *poſteriore*, *cachexiam* tractare; vt ita ſimul auferam modo dictum illud præiudicium, quaſi *hydrops* eſſet veluti ſimpliciter *fructus*, imo veluti ſupremus gradus *cachexiæ*. Cum enim numeroſis vtique vicibus hydrops non ſolum cooriatur ſine *prægreſſis*, imo etiam ſine *coniunctis*, veræ *cachexiæ* phænomenis; & ex aduerſo *cachexia* quoque perſæpe citra *conſecutionem* hydropis, eximia tamen vtique & maxime conſpicua, corpus obſideat; præterea etiam *curationis* ratio minime ita ſimpliciter coincidat: placuit vtique ad minimum auferendi ipſius præiudicii gratia hunc ordinem ita ſeruare, & proprium locum tanquam ſeparatum huic tribuere. Hydrops ſine prægreſſa cachexia multis vicibus oritur, & hæc ſæpe citra conſecutionem illius.

§. III. Vbi nec illud me mouet, quod vtique etiam aliquando e *cachexia* fiat actualis progreſſus in hydropem. Cum enim hoc non Licet aliquando cachexia in hydropem

tranſeat, hoc tamen neque perpetuo neque ita ſæpe fit.

non modo non *perpetuo*, ſed ne quidem ita *ſæpe* fiat, vt inde ſimplex eiusmodi nexus colligi deberet; ex aduerſo vero, vt iam ante dictum, hydrops non ſolum cooriatur, ſed communiter etiam grauiſſimus, ſine proportionata *cachexia vniuerſaliore*; (quod quidem ante omnia in *maſculino* ſexu præcipue ita euenit:) inſiſto proinde merito propoſito, vt diſtinctis locis hæc agitem.

Cachexiæ deſcriptio, frequentia, ſexus, ætas.

§. IV. *Cachexia* vt ipſo nomine *deprauationem habitus* corporis indicat, ita notat etiam talem habitus corporis ab ordinaria ſua conſtitutione alienationem, qua hic e *florida* non ſolum in *pallidam*, ſed etiam e *firma* & *ſubrigida* in *fluxam*, *laxam*, *pendulam*, & tandem indecenter *turgidam* deformationem transmigrat. Euenit hic quidem affectus *non* ita admodum *infrequenter*; certe tamen vere raro in *virili* ſexu, illud autem in *fœminino*. *Aetate* præterea minime promiſcue quacunque, ſed *adoleſcente* cumprimis, aut prima *iuuenili*.

Eius ſigna.

§. V. Difficultas in cognoſcendo hoc affectu nulla penitus ſubeſt, cum ſigna eius, vt in *externo habitu* hærentia, ſtatim in oculos incurrant. Non deſunt tamen etiam *interna* coniuncta pathemata, interioris vtique etiam indolis eiusdem teſtimonium aliquod exhibere idonea: *anguſtiæ* inprimis in *hypochondriis*, imo *præcordiis*, & inde naſcens difficultas aliqua *ſpirandi* anhela, grauiter increbeſcens a *motu* corporis, inprimis autem *inferioris* regionis, *pedum*, *coxarum*, *abdominis*, in *aſcenſu* altiorum locorum. Senſus *duritiei*, *grauitatis*, *preſſionis*; *conſtrictoriæ detentionis* ſub hypochondrio *dextro* aut *ſiniſtro* aliquando, aut ſupra *vmbilicum* introrſum. *Abdomen* neque pariter ſemper, neque ſimpliciter conſtanter, neque adeo ſingulari vehementia & magnitudine *inflatum*, *durum*; aliquando tamen *inæqualitatibus* tactu ſentiendis intus obſeſſum. *Appetitus* interim *iners* aut *vagus*; poſt cibos incommoda *tenſiua*, *grauatiua*, *flatulenta*; *concoctio* infida, *alui* iam lubricitas, iam ſegnities. Totius *corporis*, & hinc fere etiam *animi*, *ſenſuumque* omnium *languor*, *torpor*, *inertia*, *faſtidium*, *ſomnolentia*. Actualis *tumor* œdematoſus non quidem per eſſentiam, vt aiunt, nempe *inſeparabilis* comes, interim nec etiam valde alienus ab hoc affectu; minime tamen alibi, quam in artubus.

Duratio eius & exitus.

§. VI. *Duratio* interdum reuera longa & plane *contumax*, ad alterum aut tertium annum: *exitus* tandem iterum *ſalutaris* ad integram ſanitatem: & hoc quidem minime raro, ſed vere *frequentius*;

niſi

niſi intempeſtiua & aliena *artificia*, aut malum patientis regimen aliquid damni inferat aduentitii. Sin autem peius exeat, *hydrops* ab obſtinato malo, aut *hectica*, aut *catarrhus* dictus *ſuffocatiuus*, a retropulſo.

§. VII. *Hiſtoria cauſſarum* notiſſimarum inprimis ſiſtit ante omnia *euacuationum muliebrium defectus*, tum *ſpontaneos*, aut certe nullam euidentem *externam* occaſionem directe ſecutos, tum vi quaſi quadam *extrinſecus* a lata introductos. Inter quas tamen res veluti primatum ducunt, *menſibus* per *malam diætam* & alienarum rerum *ingurgitationem* inductæ *emanſiones*: *rarius* autem certe ab aliis potentioribus *repentinis* cohibitionibus profectæ huiusmodi oppreſſiones. Ita etiam rarum profecto eſt, *fœminam* videre *cachecticam*, quæ hunc affectum illibato menſium ſucceſſu toleret; neque hoc certe alio vllo modo, niſi vel leuiore gradu affectus: vel cum valde inſignibus *diætæ* vitiis, inprimis in *cibo & potu*, & *frigore* ac *humiditate* ambientis aëris, & vitæ genere & *habitatione*. Id quod vnice veluti valet in *virili* ſexu; *iuniorum*, inquam, quorumcunque tandem. Nam *ſeniorum* quidem alia ita vtique eſt ratio, dum illis *cachexia* vel a *diſpoſitione* proxima atque tacitis *moliminibus* (minime tamen ita ſimpliciter obſcuris) *hæmorrhoidalibus* aliquando euenit: tanto magis autem & exquiſitius ab actualis huiusmodi *adſuetudinis* omiſſione, aut certe inſolitis *ataxiis*. Cauſſæ.

§. VIII. Merito vero traho ad hunc inprimis locum, & in viam quaſi reuoco traditionem illam, in limine præcedentis articuli allegatam, de *hydropis* ſucceſſu poſt profuſas *hæmorrhagias*. Cum enim maximo iure, & plane ſecundum nudam veritatem indicauerim, quod hæc res ipſo facto ſeſe ita minime habeat; quin verius a *ſuppreſſionibus repentinis* huiusmodi effectus demum conſequatur: ita, quantumlibet etiam ipſa *impeditior* euacuatio ſanguinis, præter debitum ordinem, *cachexiæ* quoque portam velut aperiat; eſt tamen ſimul notandum, quod ipſa etiam huiusmodi *amiſſio* inſolentior ſanguinis ad deprauationem habitus talem ſubinde non parum conferat. Sicut enim ſic affectis *pallor* eximius, & *refrigeratio* habitus per ambitum corporis ſatis familiaris eſt, imo veluti inſeparabilis comes; ita ſuccedit vtique facillime etiam reparandi ſanguinis aliqua *intemperies*, vt ille *aquoſior* non ſolum exeat, ſed etiam vniuerſa ſubordinatio *ſecretionum* & *excretionum*, e menſura totius maſſæ eximie alterata, non ſufficienter Amiſſio ſanguinis inſolentior non parum confert ad habitum cachecticum.

 ita

ita ſuccedens, *humido-mucidum* eiusmodi prædominium poſt ſeſe trahat.

Illa vero intemperies potius a minus exquiſita commixtione ſanguinis ſub diuturno largiori fluxu ortum trahit.

§. IX. Interim quantumcunque etiam hæc res conceptui accommodetur, vt plauſibilis euadat, eſt tamen omni modo circa illam etiam ſeruanda ipſa *hiſtorica* veritas; quæ omnino confirmat, quod etiam ipſæ profuſiones ingentes ſanguinis repentinæ tam *facile*, aut *frequenter*, & velut *vſitate*, *cachexiam* nequaquam poſt ſe trahant, quam *diuturnæ continuationes largi* huiusmodi profluuii. Adeo, vt longe veriſimilius euadat, quod huiusmodi *intemperies* maſſæ ſanguineæ potius ortum ſuum ſumat ab ipſa *diuturna*, *ſub* copioſiore *fluxu* & qualicunque noua reparatione, minus exquiſita commixtione: quam ab eiusmodi *ſimul & ſemel* veluti factam qualemcunque læſionem *organicam* inſequente poſt hac praua operatione *priuata* ad ſanguificandum.

Differentia duplicis aſſertionis, vnde intemperies hæc oriatur, nec non de hepatis vſu.

§. X. Quandoquidem vtique non parua diuerſitas in hoc genere intercedit inter receptam iam inde ab antiquitate opinionem, quaſi, in *hydrope* præſertim ipſo, poſt prægreſſas eximias *hæmorrhagias* ſuccedente, poſitiua κάκωσις ſeu *deprauatio producendi ſanguinis* contingat, vt ille hinc malæ *qualitatis* particeps euadat. Et inter illam aſſertionem, quod ſolum per defectum ſufficientis *ſecretionis* & *excretionis* potius huiusmodi *intemperies* vere *excrementitia* in humoribus *coacervetur*: ita ſubeſt ſimul etiam notabilis vtique diſparitas inter ſuppoſitum illum per priorem opinionem *vſum* hepatis *ſanguificatorium*; & verum eiusdem vſum, ſimplicius magis *ſecretorium*: (*lymphæ* inprimis; vt e copioſis illis atque capacibus vaſis *lymphaticis*, humorem hunc ab ipſo ad *meſenterium* vehentibus, in ſenſum incurrit.)

Fundatur illa aſſertio in deprauatione hepatis hydropicorum.

§. XI. Sicut autem, qui ita rem contemplationi offerunt, vtique præcipuam ſuam conſiderationem fundant ſuper illa vſitata obſeruatione, quod ipſum *hepar* in *hydropicis*, mortuis inprimis, deprehendatur euidentiſſime deprauatum; neque hoc quidem male: ita habet tanto magis vtique locum modo dicta hæc diſcretio *ſuppoſititii* magis, & contra *veri* vſus huius viſceris: & conſequenter damnorum etiam, inde peculiari ordine redundantium.

Vtrum vitium humorum an vero organorum pro cauſſa horum malorum ſupponi debeat.

§. XII. Præbet autem vtique etiam ipſa hæc præſens tractatio occaſionem de illa dubitatione, an *hepatis* atque *glandularum meſaraicarum* labefactationes pro *cauſſa* huiusmodi adfectuum ſupponi vere mereantur: an vero potius veriſimilius haberi poſſit, quod *alibi ſubnata* illa mala humorum temperies, inuerſo ordine, ipſa hæc viſcera

demum

demum ita violet? Vbi nempe dubium nullum eſt, quin etiam *aliunde* in ipſos humores velut immediate magis introducta *intemperies* huiusmodi *mucido-viſcoſa* poſſit etiam hanc in ipſa viſcera *colatoria* efficaciam obſtipatoriam inferre, atque ita illa *vſui* ſuo deſtinato tanto magis inepta reddendo, intemperiei huic magis *fouendæ* apta reddere.

§. XIII. Non eſt, inquam, dubium, *poſſe* hoc ita fieri, imo ne quidem *ſolere* etiam aliquando ita contingere: quod autem *ſæpe* hoc ita fiat, tam iuſta eſt dubitatio, vt potius omnino *contrarium* non verum magis ſit, quam notum. Adeo quidem, vt etiam exempla minime rara ſint, vbi tum ab aliis morbis, *ſerum* notorie ſpiſſum atque mucidum reddentibus, tamen huiusmodi *cachexia*, nedum *hydrops*, non ſequatur: ſed omnino etiam veræ *ædematoſæ* ſt ſi formandæ apta huiusmodi *dyscraſia* in aliqua parte corporis v. g. *pedibus*, per cauſſas *externas*, *frigus humidum* diutius toleratum, diuturnam præter morem imo tolerantiam perpetuo *ſtandi* neceſſitatem, ſuſcitata, ſæpenumero diu ibi toleretur, per *annos* continuos, & omnino etiam *plures*, & tamen hunc effectum in ipſa *interna organa* non edat.

Poſſe & ſolere aliquando vitium humorum in culpa eſſe, non eſt dubium, interim tamen raris exemplis.

§. XIV. Interim eſt hoc vtique ex aduerſo vt omnino nimio certius, ita ad hanc dubitationem eximendam tanto aptius, quod *artificiales* eiusmodi *repentinæ ſtricturæ*, per remedia potenter *conſtringentia viſceribus* ita manifeſto inducendæ, vt etiam ipſas *ſecretiones* mucidas ad *aluum* ordinarie deponendas non ſolum præſente ſed etiam peruicaci energia remorentur, huius effectus vlterioris etiam in ipſum vsque *hepar*, nedum *glandulas*, euidenter magis compotes, effectum, hunc *cachectico ædematoſo-hydropicum* & *certiſſime* & *citiſſime* edant, & *penitiſſime* organa hæc principalia ita temerando, *pertinaciſſime* imo *inſolubiliter* etiam obfirment atque foueant. Adeo vt, veritatem experientiæ decenter reſpiciendo, ſatis vtique ex illa comprehendi poſſit, quod equidem *hydropica* contumax *obſtipatio hepatis aliquando* ſubnaſci poſſit etiam ex illa humoribus *aliunde* conciliata intemperie, *ſecretionem* lymphæ & ſeri, & huius etiam liberam ſufficientem excretionem impediente: ſed hoc etiam ita *raris* exemplis contingat, vt multi omnino eiusmodi caſus occurrant, vbi talis intemperies, tum *genere* tum ipſa *ſpecie* huic effectui par, reuera præſto ſit; & tamen hic talis effectus vlterior vel plane non ſequatur, vel ita *tarde* ad minimum & languide, vt inde generales quascunque tales *potentias* ſimpliciter ad

Artificiales repentinæ ſtricturæ in hepar & glandulas effectum cachectico-hydropicum edunt.

perpetuam ſpecialem talium euentuum efficaciam transferre importunum certe ſit.

Ex ante dictis ita colligendum eſt, quod cachexia ab hydrope diuerſa ſit.

§. XV. Eſt autem huius rei verum plane documentum in ipſa vtique *cachexia;* vtpote quam non vtique ſine cauſſa notaui, eſſe ab *hydrope* hoc ipſo maxime intuitu ita *diuerſam*, vt illa quidem & totum corpus velut æqualiter occupans, & per totos etiam annos *perſiſtens*, imo in verum etiam *infimarum* partium, pedum atque tibiarum, *œdema* paſſim ſe extendens, tamen verum *hydropem* non producat: (niſi quidem vel per *martialium* minus conuenientem vſum, ſiue per fortiorum cito *pellentium* parem intempeſtiuum & immoderatum abuſum, demum peruertatur totum negotium, & quod *ſponte* factum non fuiſſet, *arte* inauſpicata ita vere producatur.)

Et licet tam cachexia quam hydrops ab interceptione euacuationum ſanguinearum initium ſumat, fit tamen diuerſo modo.

§. XVI. Vnde quidem, licet ipſi etiam *cachexiæ* impeditus exitus conſuetarum atque adeo debitarum *euacuationum* ſanguinis pariter *initia* æque atque *fomitem* præbeat, ſicut ipſi etiam hydropi: fit hoc tamen minimo pari *reſpectu*, ſeu potius *actu* & *modo* atque *ordine* agendi, verum ita diuerſo, vt *cachexiis* quidem leuiores & omnino leniores huiusmodi regurgitationes reſtagnatoriæ atque *oppletoriæ* (per *venam portæ* ad hepar inprimis redundantes) originem præbeant; *hydropi* vero non niſi & *impetu*, & toto effectu *ſtabili* eminentes, ad *obſtipationem* vsque plenam, aut proxime, efficaces tales horum viſcerum occupationes demum ſufficiant.

Glandularum meſaraicarum induratarum color nigricans quid indicet.

§. XVII. Vbi non poſſum, quin illud peculiariter adnotem, quod mihi in illis exemplis, quæ per autopſiam conſequi contigit, *glandularum* meſaraicarum vehementer induratarum *color* inſuper occurrerit ſemper vehementer *nigricans*, & *ſanguini grumoſo ſiccescenti* plane geminus. E qua certe conſtitutione tanquam ad oculum diluceſcit non tam *ſeroſo mucidi* cuiuscunque infarctus, quam *ſanguinei* potius, ſenſim per hæc loca intercepti, præcipuam eſſe culpam. Cum alias vtique totus *color* glandularum ſ. n. ab exquiſito *rubore* quam maxime alienus exſiſtat.

Alia adhuc diuerſitas cachexiæ & hydropis.

§. XVIII. Neque vero hæc ſolum ſubeſt inter cauſſas & ortum hydropis atque cachexiæ *diuerſitas*, ſed omnino inſuper etiam illa, quod cachexia reuera a *fluxibus* ſanguinis *nimiis*, inprimis autem nimis *diuturnis*, ortum paſſim ducat; cum hoc ipſum *hydrops verus*, niſi quidem *externæ* aliæ cauſſæ potentiores, & inprimis cohibitionis *adſtrictoriæ* minus perita atque dextra adminiſtratio, concurrunt, ab hac

hac tali cauſſa vix vnquam vere obſeruetur. Dico *verus* hydrops; inductus ad hoc monitum in primis a iuſtiſſima illa ſuſpicione, imo morali certitudine, quod ex vſitato præiudicio, quod hos *vtrosque* affectus velut indiſſolubili nexu inter ſe mutuo *iungit*, etiam ipſa illa vſitata obſeruatio de *hydrope* ab his *iisdem cauſſis*, a quibus *cachexia*, cooriente prognata ſit.

§. XIX. Quod interim cum non ſolum in ipſo facto vero & exquiſite obſeruato, adeoque vera æſtimatione *frequentiæ*, & conſequenter idonearum atque certarum cauſſarum hydropis, nequaquam ita ſimpliciter ſeſe habeat; imo præterea etiam implicationes deinde iniiciat, non ſolum IN praxi, ſed etiam DE praxi; quamobrem nempe in *vero* hydrope tam difficillima imo potius, diſerte eloquendo, *nulla* ſit ſpes curationis: (quæ res per confuſionem *cachexiæ* cum *hydrope* vero paſſim parit hiſtoriolas, iam hoc iam illo experimento *curati* hydropis, cum *cachexia* ſolum inſolentior fuerit, imo ſæpe etiam ſimplicior) arbitror propterea eſſe omnino maximum operæ pretium, imo vero iuſtiſſimum, vt potius ſimplici rerum, *vti reuera ſunt*, commemorationi atque contemplationi inſiſtendo, & *hiſtoria* medica atque *ætiologia*, & ipſa practica tam *prognoſis* quam *therapia* recte hinc inſtitui poſſit, & rerum in fiendi & efficiendi modo ita differentium conueniens ratio haberi potius, quam vt has res inter ſe permiſcendo aut permutando, omnino confuſio hinc reſultet.

Obſeruanda omnino eſt hæc diuerſitas etiam propterea, quia hydropis difficillima imo vere nulla eſt ſpes curationis, cachexiæ vero aliqua.

§. XX. Sicut autem hæc ita ſe habere experientia ipſa vtique paſſim manifeſto demonſtrat, ita eſt tamen omnino ſimul adhuc attendendum ad circumſtantiam illam peculiarem, quod ipſi etiam *cachexiæ* ante omnia plurimum faueat, imo vero contribuat, *habitus corporis* in talibus indiuiduis reuera valde *laxus* atque *ſpongioſus*, & *maſſæ ſanguineæ* temperies, abundantiore *lympha atque ſero inſtructa*, qualem vulgo *phlegmaticam* aut *phlegmatico-ſanguineam* appellant. Talis enim vt ordinarie fouendo copioſiori prouentui ſubſtantiæ talis inſeruit, quæ poſthac copioſiore ſui infarctu incommoda illa *oppletionis* ſpiſſioris tum in *viſceribus*, tum in ipſo *emunctorii* ſeroſi præcipui *cutis* habitu, & formare & fouere maxime poteſt: (vnde etiam & *cachectici* & *hydropici* ad *ſudandum* inepti communiter ſunt, & *vrinam* etiam pauciorem aut pauciſſimam dimittunt) ita eo ipſo, ſi iam ſemel transcolatio, ſecretio & excretio ſufficiens intercepta eſt, fit ex ipſo ſubſtantia hæc etiam quantitate ita in talibus veluti luxurians, tanto

Cachexiæ fauet habitus corporis ſpongioſus & temperies phlegmatico-ſanguinea.

magis

magis ad formandos huiusmodi vlteriores *muceſcentiæ*, & in ipſis partibus moræ, adeoque harum *turgeſcentiæ*, euentus.

Anaſarca a ſcabie repulſa.

§. XXI. Cum ſuperius mentionem iniecerim *anaſarcodis* effectus, a *ſcabie* quoque improuide cohibita, non abs re erit de hoc ipſo paulo exactius commemorare, quæ ipſis circumſtantiis facti ſeſe exſerunt. Nempe in *tenerioris ætatis*, a quatuor ad decem annorum, ſubiectis aliquot exemplis hoc obſeruare contigit, quod ex vnguentis ſulphuratis, debilioribus tamen a ſulphure, ſed eo largius etiam vſurpatis, & valde præſertim pinguibus, ſeruato prætera in patientibus regimine notabiliter calido, (imo in adoleſcente iam forte 16. annorum etiam cum internis medicamentis coacto ſudorifero) euenerit *œdematoſa totius* corporis inflatio, reuera *anaſarcodes*; cum *reſpirationis* etiam, *appetitus*, *quietis*, *virium* languentium, intimioribus vitiis. Sicuti in iuuene 24. annorum, robuſto de reliquo, *ſcabioſo* facto, & multa æque atque importuna humida ſcabie obſeſſo, in conclaui præterea epigæo, & ad hybernum frigus non ſatis calefacto, habitante, ex huiusmodi vnguenti circa talos applicatione pedum atque crurum *œdema* ingens atque præceps præſto fuit. Sicut autem hæc talis conſtitutio non magis veriſimiliter, quam euidenter veluti, circa externum potius habitum ſolum & per ipſam cutim nata atque defixa reputari poterat: ita abſtinendo etiam a talibus medicamentis, quæ ad cachexiam veram a penitioribus cauſſis pertinere videntur, ſola vtique talium adminiſtratione, quæ ſcabioſam impuritatem citra commotionem humorum extrorſum propellere intelliguntur, citra ingentes difficultates & temporis etiam ipſius diſpendia, hæ reſtagnationes iterum remiſerunt.

ARTICVLVS III.
DE
OEDEMATE.

§. I.

Oedema quo modo tam ab hydrope quam cachexia differat.

QVemadmodum *œdema* tam ab *hydrope* quam *cachexia* differt; dum hydropis quidem vulgo potius conſecutio quædam eſt, aut ſane *ſymptoma* potius quam ſimpliciter ipſe morbus; *cachexiæ* vero non tam pro-

proprie ſupremus gradus, quam potius noua quædam ſpecies deprauati habitus: ita habet etiam *reſpectus cauſſales* vtique differentes, tam ratione productionis, quam inhæſionis. Eſt nempe *œdema*, recepto vocabuli vſu, *tumor* partis cuiusdam cum inſigni plerumque infarctu, *pallidus*, *frigidulus* aut promte *frigeſcens*, *indolens*, tactui non ſolum in genere *mollis*, ſed in ſpecie quoque fortiori preſſioni ita cedens, vt *ſcrobiculum* formet & aliquantisper ſeruet; *extremos* in primis *artus* & communiſſime *pedes* occupans: *pertinax* communiter & refractarius, facile præterea *augeſcens* & latius ſe diffundens.

§. II. Quamlibet autem etiam *hydropis*, imo & *cachexiæ*, *materialis* cauſſa ad productionem *œdematis* adeo eximie vtique quadret, vt ab *hydrope* velut inſeparabile exſiſtat; *cachexiæ* vero auctiori etiam paſſim veſtigia legat; imo vero cito & copioſe ſeſe diffundens *œdema* etiam *ſimplex*, *particulare* per ſui initia, ad *hydropem* ipſum introducendum demum faciat atque valeat: non eſt tamen etiam hinc concludendum, quaſi propior &, vt aiunt, *formalis* ſit paritas cauſſarum aut conſtitutionum, ſed *materialis* ſolum, remotior, *generalis*. Nempe ſubeſt vtique etiam in œdematis formatione *ſeroſo-lymphalis* humiditatis *ſpiſſitudo* huiusmodi, quæ liberum eius progreſſum remoratur; ſed ſubnata ſimplicius in ipſa potius parte, & ibidem plus minus augeſcens, in primis per temporis ſucceſſus: a cauſſis præterea ſimplicius fere *externis*; dum & *cachexia* & *hydrops* ab intimioribus cauſſis non ſolum initia ſua ſumunt, ſed etiam *ſedem præcipuæ* cauſſæ circa *viſcera* formant, non ſolum ſummæ dignitatis, ſed etiam grauiſſimarum conſecutionum, maximi periculi, & ſummæ pertinaciæ energia.

Licet cauſſa materialis eadem ſit cum hydrope & cachexia, in cauſſa formali tamen differunt.

§. III. Præcipuæ cauſſæ ad inducendum tale œdema *ſimplex particulare* ſunt 1) penitiores & inprimis diuturniores *perfrigerationes* artuum, in primis *pedum*, & quidem inprimis *cum humiditate* coniunctæ; a frigore nempe *actuali*, hos effectus in partes ita inferente: 2) *diſcuſſiones* e tumoribus etiam calidis diffuſis (*phlegmone* veteribus dicta, imo *eryſipelate* non nimium feruido) *ſanguineæ* ſubtilis portionis, remanente interim *ſeroſo-lymphali*, neque deferente infarctum. Habeo eius rei exempla, quod etiam a nimis diuturna tenſoria preſſione femorum, intercepto ita decente libero refluxu humorum ex inferioribus partibus crurum, originem duxerit *œdema* pedum; ab *equitatione* diuturna præter modum, imo continua, inprimis ſuper equo lati admodum dorſi, adeoque nimia diuaricatione crurum con-

Cauſſæ œdematis particularis.

currente. Interim, ſi res recte perpendatur, non eſt neque ſola hæc conditio tantæ efficaciæ ſimpliciter & directe, ſed re vera potius per concurrentes inprimis ante dictas illas duas conditiones: niſi quidem generalis *prædiſpoſitio* peculiari plane energia concurrat; nempe *habitus corporis* eminenter *phlegmaticus*.

Exempla vtriusque generis cauſſarum.

§. IV. Sicut autem primi generis exempla paſſim exhibent fœminæ in lauandis linteamentis, aut in profluente eluriandis, nimis diu immerſis aquæ cruribus commorantes: ita habeo etiam exempla alterius illius conſtitutionis, vbi in eiusmodi *phlegmonode* tumore recente adhibitus *ſpir. vini camphoratus optimus* velocem *ruboris* diſcuſſionem equidem perpetrauit, *tumorem* vero reliquum reliquit ſimpliciter *œdematoſum*, & ſub hac conſiſtentia certe *refractarium*.

Vulneribus etiam œdemata ſuperueniunt.

§. V. Sane vero non vanum hic eſſe videas *Paracelſum*, quod *vulneribus* etiam *œdemata*, ſiue, vt ille loquitur, *vndimiam* ſuperuenire adſerit, ſi vulnus *refrigeratione* nimia (*artificiali*, *potentiali*) inconuenientius tractetur. Quod ipſum certe, ſi maxime non mox & velut immediate ita obtingat, fit tamen aliquando *poſt* vulneris curationem, aut ad minimum tardius adhuc *ſub* illa. (Vbi tamen abſtrahendum vtique eſt ab illis tumoribus *inflammatorio ſuppuraſcentibus*, qui ex intercepto ſufficiente commeatu libero aliquando in vicinia ipſa vulneris, aliquando in partibus ſaltem propinquis contingunt: niſi quod aliquando etiam hi ipſi, ſi ad *ſuppurationem* non pertingant, veram talem *œdematoſam* conſiſtentiam ſubeant.) In genere vero non æque euenit, vt circum ipſum *vulnus œdematoſus* tumor cooriatur: longe magis autem e qualibuscunque phlegmονώδεσι collectionibus, etiam vulnerum *occaſione* coortis, œdema efformetur, & inprimis *ſuccedat*.

Congeſtio phlegmonodes & œdematodes ex apoſtaſi febrili.

§. VI. Peculiaris autem plane eſt in hoc genere *congeſtio* illa *phlegmonodes* & *œdematodes*, quæ *febrili apoſtaſi* aliquando ad vtrumque pedem, aliquando ad *alterutrum* diffunditur; aliquando breui quodam impetu circa ipſos dies *criticos*, aliquando *tardius*, & languidioribus quidem, non tamen æque adeo nimium, *ſucceſſibus*. Quæ tamen *œdemata phlegmonodea*, ſicut *contumaciſſima* communiter fiunt: ita habent etiam familiariter *fomitem* re vera profundiorem, & vere *hydropicæ* indoli longe propiorem, quam vero *ſimpliciori* ſtatario œdemati geminam.

Vt

Vt alias non rariſſima ſunt huius cenſus exempla, ita placet duo talia memorare. Vir [illegible]o. aut proxime, annorum cum febre acuta correptus eſſet, non ſolum e graui terrore & ſummis animi anguſtiis, ſed etiam a prægreſſa ante ſeptimanas 3. aut 4. febre intermittente quidem, ſed valde tamen æſtuoſa, in habitu toto ſanguineo, ſub tertium paroxyſmum cohibita; cum valde vtique *inquietus* eſſet, tum generalis ſuæ ſanguineæ indolis, ad ægrotandum impatientioris, atque trepidioris, tum præſentiorum animi pathematum culpa: interim *languebat* tamen plus fere, quam vt exquiſite *debilis* haberi meruiſſet, imo procedebant ita omnia ea cum moderatione & tolerabili ordine, vt *periculum* funeſtioris exitus nullum compareret. Erat interim *aluus* verſus & ad ipſum *ſeptimum* diem pigra, imo clauſa; qua re inductus patiens ſumebat ipſo *ſeptimo* medicamentum *laxans*: leniter quidem ſolum, ſiquidem non plus tribus vicibus aluum mouebat; interim incurrebat intra duas circiter horas *inflationem* totius alterius cruris omnino ſpectabilem, & quæ in diametrorum ratione facile alterum tantum, quam ſ. n. deberet, pedem inflabat, in poſterum etiam irreparabilem.

Quamuis autem etiam huiusmodi *inflationes*, ita *cito* acutis febribus accidentes, a ſimplici œdemate differant, *rubore* perpetuo, & *calore*, tum continuo, tum exacerbationes ſubeunte: interim eſt tamen etiam hoc certum atque notum, quod tum ita per ſe omnino *œdematoſam* illam digitorum impreſſiones admittentem *mollitiem* paſſim mox poſt prima ſui initia exhibeant; tum ſine difficultate peculiari, inprimis autem per nudas valde ſubtiles *discuſſiones*, depulſis *ſanguineis* portionibus, etiam ita ſincera *œdematis* facie compareant.

Fœmina 30 annorum cum in puerperio per repetitas iræ, terroris, anxietatis, occaſiones (quantumcunque etiam his rebus alias ita ſatis adſueta) exagitata eſſet, ſexta iam ſeptimana per eximiam huius generis exacerbationem incurrit in *febrem eryſipelatodem* admodum acutam & vehementem, a qua tamen poſt ſeptimum diem ad ſe ita reuertebatur, vt vniuerſus febris impetus in ſolidum euaneſcens patienti ſpem vtique faceret non ſolum, ſed &, vti fere fit, ſecuritatem perſuaderet etiam immaturam. Cum pomeridianis horis amicæ quædam (vt erat honoratioris conditionis) illam viſitarent, ſuſcepit illa *octauo* morbi die veſtita, ſecundum hodiernos mores, cubiculari apparatu venturas amicas lecto inſidens accipere: quod etiam non ſolum ita egit, ſed & diuturniore mora, duarum propemodum horarum, ſuper lecto [illegible]l iore ſponda ad antiquiorem morem inſtructo, breuioris ipſa ſtaturæ, ſedendo, acutiori parti ſpondæ incumbentibus ita poplitibus, & quæ per hos decurrunt maioribus vaſis, cum, digreſſis amicis ſedendo, loquendo & audiendo fatigata ſibi videretur, & ſupra lectum quietis cauſſa conſcendere vellet, inuenit interea ſiniſtrum crus enormiter prorſus tumefactum. Vnde vehementer conſternata curriculo vocari iubet Medicum alium, abſente per illum diem peregre ordinario ſuo. Abſtinebat hic quidem prudenter ab omnibus *retropulſionis* forte incitandæ idoneis; & *camphoram* ſolam extrinſecus ſuadendo, *ruborem*

quidem ita diſcutiebat, remanente interim atque perſiſtente *œdematoſo* tumore, ſub capacitate ſemel concepta; qui tamen *tumor* cœptis poſtridie, & per plures dies continuatis remediis idoneis *internis*, vt in re recenti, iterum feliciter diſſolutus eſt, intra 14. dierum ſpatium: niſi quod per impatientiam ægræ, cum illa præſentibus adhuc circa *talos* eiusdem veſtigiis ambulare totos propemodum dies pertinacis, hoc in loco non ſolum diutius hæſit, ſed etiam plus ſemel maiore ambitu occupato, altioris denuo diffuſionis metum iuſtum iniecit, &c.

Ex vſu ſpiritus C. C. in febribus acutis œdemata pedum.

§. VII. Peculiari vero obſeruatione hoc deprehendi, cum Practicus quidam *ſpiritu C. C.* non ſolum promiſcue, ſed etiam vnice vteretur in *febribus acutis*, quod inde adeo familiariter euenerint *œdemata pedum*; vt etiam Practicus ille ipſe, conſilio ex ipſa re arrepto, patientibus talibus perſuadere laborauerit, die Kranckheit ziehet zu den Füſſen hinaus: quod nempe optime ita fieri interpretabatur, dum a nobilioribus partibus depulſa ita malignitas ad ignobiliores, in his acquieſcat &c. Cæterum ſunt vtique huius generis *œdematoſi* tumores, qui magis ab *interna* cauſſa aut occaſione ortum ita ducunt, multis vtique modis deteriores ipſis œdematibus, quæ manifeſtius ab *externis* cauſſis ſubnata, bona fide *priuata* ſunt, & vni parti veluti domeſtica.

Aetiologia œdematis.

§. VIII. ÆTIOLOGIAM autem œdematis quod attinet, verſatur illa vtrique in *humorum* atque *partium reciprocis* vitiis; illorum nempe *ſpiſſeſcentia* mucida introducta, harum autem *tono* relaxato. Sicut autem *humorum* illud vitium propemodum magis immediate a cauſſarum directarum energia procedit, nempe *refrigeratione* iam actuali, iam, vt vocant, potentiali; diſſipata nempe, quæ *mucido-ſeroſos* humores maxime *fluxiles* & *caloris vitalis* participes reddit, *ſanguinea* portione: ita euenit ſolidis partibus continentibus *eneruatio* velut illa atque *relaxatio*, *fouendo* tumori præcipuum locum præbens, ab ipſa *emollitione* inſiſtentium ita *aquoſo-mucidorum* humorum; defectu vero ſufficientis commeatus *ſanguinei*, qui & *calorem* vitalem, & *deſiccationem fibrarum* proportionatam, & ipſum robur *tonicum*, *ſenſui* caloris plurimum inſiſtens, largiri debebat.

Oedematoſi frigus in parte affecta non perſentiſcunt.

§. IX. Quantumlibet enim in corpore alias ſano *frigoris* ſenſus maiorem adhuc *ſtricturam* excitet *tonicam*, quam moderati caloris perceptio: cum tamen in conſtitutione *flaccida* atque *molli* per *humectationem* nimiam fibris inducta *ſenſus* grauiſſime eneruetur; fit ita, vt etiam *tumido* valde œdemate affecti *frigus*, quod alii tangentes in illorum

rum tumoribus deprehendunt, & ipſi manibus palpare poſſunt, tamen in parte affecta directe minime perſentiſcant.

Therapeutica œdematis conſideratio.

§. X. Sicut autem huiusmodi conſtitutio, iuxta communem loquendi atque concipiendi modum, vtique conceptui non ſolum ad intelligendum, ſed etiam ad *conſultandum*, & *remediorum* ſeriem & indolem aduerſus has res inſtruendam, nullam difficultatem obiicere videtur: ita eſt tamen omnino notatu vtique digniſſimum, quod in ipſa deinde praxi minime par ſit promtitudo *effectus*, quam fuit *veriſimilitudo* intellectus circa rerum harum agendi & fiendi ſeriem & *actiuitatem*.

Peculiare his tumoribus œdematoſis eſt, vt repente ſtationem ſuam deſerant, & ad interiora redundent.

§. XI. Imo, ſupereſt etiam adhuc alia penitus peculiaris harum rerum conditio, quæ, vt in ipſa praxi plane ſpecialiſſimam exigit animaduerſionem; ita poſtulat inſuper etiam iuſtiſſimam conſiderationem atque theoreticam *æſtimationem*. Verſatur autem hæc in eo, quod œdematoſi hi tumores, & omnino quidem valde capaces & inſignes, a diſcuſſione ſui, vt inquam hanc partem, quam occupauerunt, imo tantisper obſeſſam tenent, plane liberaliter deſerant, & emittant, minime alieni ſint; adeo, vt tumores huiusmodi etiam *repente* ſtationem ſuam deſerant, vt membrum ita adfectum totum *ſubſideat*: interim autem redundatio eiusmodi ad ipſa *intima viſcera* ita hinc ſequatur, vt non ſolum inde graues *anguſtiæ*, & familiariter etiam ipſæ *inflationes* ſuccedant *abdominis*, aut ad minimum *hypochondriorum* & *præcordiorum*; ſed etiam non æque ita raro, obrutis *impetu* & *quantitate* hic *viſceribus*, verus demum *hydrops* hinc cooriatur.

Hic vſitata ætiologia & huic ſuperſtructa therapia non ſufficit.

§. XII. Quæ quidem res aliam re vera quam tumultuariam vſitatam *ætiologiam* poſtulat; ſiquidem hic certe non ita amplius argui poteſt tam ſimplex vitium *conſiſtentiæ* humorum, & ab illo ita directe dependens *ineptitudo* ad diſcedendum, eoque deferendum locum, quem tumore ita occupauit: quandoquidem vtique *mobilem* ſeſe eſſe, non ſolum ipſo *diſceſſu*, ſed ſpecialiſſime *promtiſſimo* penitus illo & expeditiſſimo, abunde comprobat. Et ſicuti quidem ipſæ *partes* ipſa huiusmodi medicatione eousque *roborari* poſſunt, vt etiam velut *impetu* quodam *ſubſiſtentem* ibi humorem depellere valeant: cur non poſſent in hac ipſa etiam *firmitate* continuato auxilio ita ſuffulciri, vt ipſarum quidem culpa ſemel ita diſſipatus tumor nequaquam repullulare valeret?

Fundamentum curæ fundatum in prudenti æſtimatione horum affectuum, ſpeciatim autem energiæ cauſalis.

§. XIII. Verum enim vero vti quidem certe in harum rerum prudentiſſima æſtimatione ſolidum fundamentum totius curationis huiusmodi affectuum fundatur; ita tamen, vt omnino vtique peritiſſime æſtimetur *veritas ſincera practica & experimentalis*, quales medicamentorum ſpecies non per quaslibet vulgatas *opiniones*, *traditiones* atque friuolas *transſcriptiones* cum mendacibus nouis encomiis, citra omnem propriam, nedum ſolidam, experientiam, *reſolutioni*, *discusſioni*, *alterationi*, *correctioni*, *euacuationi* huiusmodi rerum vere pares ſint, adeoque illis ipſorum effectibus non magis *fidere*, quam etiam exoptato *potiri* liceat: ita dilucescit tamen etiam ex hoc ipſo, quam ſobria opus ſit æſtimatione totius energiæ *cauſſalis* harum rerum; ne nimium ſimpliciter & craſſo modo illas accipiendo, contra manifeſtam experientiæ ipſius veritatem offenſio committatur.

Vbi directio humorum ad ſpecialiores partes inprimis conſiderari debet.

§. XIV. Sane vero quid in hoc etiam negotio valeat directio ipſa humorum ad ſpecialiores partes; & quidem vti recte veteres, ſano ſenſu, interpretantur, ignobiliores: non male æſtimant illi, non patientes ſolum ſed etiam Medici, *falſitatis* triuialium traditionum de *materiæ medicæ* hic *energia* conſcii, qui in huiusmodi caſibus *ad interiora compulſorum tumorum* præ irrita ſpe promtæ *percurationis* tam *euacuatoriæ* quam *alteratoriæ* præſentioris ſubinde potius optant, vt ſolum ab *intimioribus* ad priſtinam ſuam *externam* ſedem reuocari collectio illa atque reſtagnatio poſſit.

Non ſolúm in habituali œdemate pertinax congeſtio, ſed etiam apoſtaſis poſt febres penſitanda eſt.

§. XV. Eſt itaque ad minimum in diuturno & iam *habituali* œdemate bene conſiderandum, quid conueniat in huiusmodi conſtitutione tribuere ipſi etiam pertinaci *congeſtioni* atque *contentioni* circa hæc loca, ita non ſolum ſemel ſed etiam *diu* obſeſſa. Maxime omnium autem ſenſibiliſſimi ſunt in hoc genere œdematodes illi tumores, qui per *apoſtaſin poſt febres* efformati, & inprimis *vnius* tantum lateris membrum, v. gr. *crus alterutrum*, aggreſſi, non mox per ipſa initia idoneis remediis iterum obſequuta ſunt, ſed ſemel ita firmam ſedem occuparunt. Hos enim, inprimis per *externa* remedia, poſthac demum diſſipare tam alienum certe eſt & malæ fidei, vt etiam *ſponte* ſua, *tacite* quaſi, & nullis æque conſpicuis e cauſſis diſparendo, periculum creent ita certum, vt ſerius ocyus alium inde morbum exſpectare neceſſe habeant patientes, imo potius experiri.

§. XVI.

§. XVI. Interim quicquid etiam *ſpecificæ* differentiæ neceſſario hic agnoſcendum veniat, intuitu præſertim diuerſæ *partis*, *nobilioris intimioris* aut *ignobilioris exterioris*; & *modi* etiam afficiendi in parte d reliquo vna eademque: eſt tamen vtique generica aliqua talis harum rerum conuenientia, ita, vt inprimis *diſpoſitio* ad denuo obhæreſcendum maneat, neque ita ſimul & ſemel, facta alicubi *diſcuſſione*, euaneſcat, ſeu vniuerſa tollatur; inprimis quando ab *externis* partibus, *craſſioris* vtique & *capacioris* texturæ, redundatio ita fit ad *interiora tenerioris* vtique imo tenuiſſimæ *capacitatis* viſcera. Vbi nempe etiam illud, quod e *capacioribus* meatibus adhuc *ſecedendi* copiam, & pro hac re ſufficientem *attenuationem* admiſit, tamen circa *tenerrima* illa organa non parem perrumpendi facilitatem nactum illic quidem denuo ita obhærendo, pro quantitate, qua ita concurſat, variante, etiam varias magis magisque difficiles atque ſonticas vlteriores læſiones formet & inducat.

Diſpoſitio ad denuo obhæreſcendum in his affectibus manet; hinc redundatio ab exterioribus ad interiora vlteriores læſiones format.

§. XVII. Et hæc quidem ſufficere hactenus poſſunt pro horum affectuum partim vera *hiſtoria*, quomodo *ſanguinis euacuationum*, ſub *certis reſpectibus vtilium*, imo *neceſſariarum*, (vt in *fœminis*) inconuenientes *ſuppreſſiones*, & *inprimis* quidem *artificiales*, minus dextre ſuſceptas, ſubſequi ſoleant: partim pro diuerſis eorundem *cauſſalibus reſpectibus*, tam ad productionem ſui, quam diuerſitatem inſuper mutuam. Quæ quidem huic potius loco inſerta eſſe, quam ad *congeſtionum* claſſem reſeruata, nemo vitio verterit, qui conſiderare voluerit, quod ad *medicum vſum* ſine dubio propius trahi & applicari poſſit notitia talis veri *ortus* cauſſalis harum rerum, pro euitandis ita facilius *offenſionibus* talibus, alias in ipſa praxi facile committendis: tum etiam agnouerit, quod *primariæ*, tam in *hydrope* quam *œdemate*, efficaciæ ſit potius *aliunde* inducta *obſtipatio* viarum, & *ſuccedens* demum *denſatio* humorum; quam ſincerior *congeſtio*, quæ magis ſecundariis, rarioribus & propemodum leuioribus, nempe mitioribus horum generum exemplis ſatisfacit.

Cur horum affectuum conſideratio huic loco potius inſerta ſit.

MEM-

MEMBRVM IX.
DE
INCONGRVIS HAEMORRHAGIIS.

§. I.

Diſtinctio inter morbos congruos & incongruos.

MOuent me certe exempla conſideratu & animi aduerſione prudente digniſſima ad formandam hanc *diſtinctionem*, & commendandam eius ſolertem obſeruationem & æſtimationem. *Congruos* morbos a Medicis diligentiori clinicæ praxis obſeruationi addictis notari tales, qui *habitui* corporis, ſeu *temperamento* vulgo dicto, *ſexui*, ante omnia vero *ætati*, aut ab *externis* cauſſis, affectibus iam forte *prægreſſis*, aut rerum *non-naturalium* diuerſis vſibus, quadrant, notum eſt inter peritiores.

Morbi ætatum, & inter hos hæmorrhagiæ, frequentiſſime aberrant.

§. II. Sicut autem ex his omnium pene frequentiſſimi ſunt illi, qui *ætatis* rationi non ſatis reſpondent; ita cum etiam ipſam totam *hæmorrhagiarum* hiſtoriam atque pertractationem iure meritoque ſecundum ſeriem hanc *ætatum* inſtruxerim; ſoleat autem etiam hæc res, de qua loquor, ita ſecundum hanc ipſam circumſtantiam peculiariter difficili ſucceſſu & euentu variare: placet propterea tanto magis, ſecundum hunc maxime reſpectum, etiam huius *anomaliæ hiſtoriam* ſiſtere, quæ propemodum ſecum, quod aiunt, fert *cauſſarum* euidentiorem enarrationem.

Exempla anomaliæ hæmorrhagiarum.

§. III. Nempe, ſolent *iunioribus* aliquando obtingere eiusmodi *euacuationes ſanguinis*, quæ *vſitate ſenioribus* demum debebantur; & reciproce *annoſioribus* illiusmodi euacuationes, quales *iunioribus* potius *vſitatæ* eſſe debebant. Ita obſeruatur aliquando exemplum eruptionis ſanguinis per *genitalia infantum fœminini* ſexus, ſemel iterumque, etiam cum *menſtrua* periodo, mihi oblatum. *Puerili* ætati euenit aliquando *deiectio ſincera* ſanguinea, nequaquam vlla veriſimilitudine pro *ſymptomatica* declaranda; tanto magis autem *adoleſcentibus*, aut *incunte iuuentute* conſpicuis. Ex aduerſo *annoſioribus*, viris, & iam *ſeneſcentibus* eueniunt *hæmorrhagiæ narium*, rarius *hæmoptyſes* ſinceriores. *Fœminis* iam *annoſis* fluxus ſanguinis ex *vtero*; ſeruantes aliquando *menſtruam* periodum, aut affectantes ad minimum; aliquando etiam ſimplicius citra ordinem erumpentes.

§. IV.

§. IV. Ex his, quantum mihi adhuc experiri datum eſt, exemplis de *infantibus* fœmellis paucioribus, de *pueris* autem paulo pluribus, obſeruaui non adſecutos eſſe *ætatem*, ſed mature deſiiſſe vivere, ante omnia *infantes* tales. Quia vero etiam *adoleſcentes* a pubertate ad 20 - - 24. annorum ambitum, etiam per *hæreditarias* diſpoſitiones, *veris hæmorrhoidalibus euacuationibus* adfecti occurrerunt, illis partim nihil *temperans*, ne dum *ordinatum* eueniſſe animaduerti: partim autem maturius *iſchiadicos*, *podagricos*, imo vlteriores deteriores euentus, ex harum etiam rerum *intemperantibus* progreſſibus, ſucceſſiſſe. Imo, ſicuti plures ita affectos obſeruaui, ſimpliciter *turbulentam* & impetuoſam *podagricam* conſtitutionem (vbi tamen etiam inconditis *medicationibus* partem ſuam detrahere non laboro) ad ætatem etiam effatu dignam perduxiſſe: ita commemini tamen etiam omnino ſatis memoriter plurium talium, qui a talibus nitiis ætatem ſuam vltra 40, aut ad ſummum 50, minime produxerunt, omnes autem tales communiſſime cum adflicta perpetuo reliqua valetudine & imbecillitate ad negotia quælibet multiplici,

Subiecta harum anomaliarum raro ætatem adſequuntur.

§. V. Qui præter ætatis rationem iam *annoſiores ſuperiorum* partium, narium inprimis, *hæmorrhagias* experiuntur, ſi hunc morem ex *adſuetudine* ita ſeruauerint, vt per *iuuenilem* etiam ætatem frequentiore huius euacuationis vſu conſpicui fuerint: illis quidem neque tam frequentes æque, nec inprimis tam *vehementes* euenire ſolent vlteriores perturbationes. Interim, vti vix etiam vnquam conſpicuis admodum *incommodis* carent: ita tanto magis, quicunque *præter* continuatam hanc *adſuetudinem*, ante omnia vero per occaſionem aliarum *magis conuenientium* hæmorrhagicarum euacuationum *deficientium*, ad narium hæmorrhagias procedunt iam *annoſiores*, illis aliquoties obſeruaui *immoderatiſſimas* eueniſſe huiusmodi hæmorrhagias, vti mox exquiſitius memorabo.

Hæmorrhagiæ narium in annoſioribus.

§. VI. *Vetulis* quæ reuertuntur *vterinæ* euacuationes, ſolent fere etiam apud ipſum vulgus infames eſſe, compertæ huiusmodi *breuitatis* veluti ſolennioris *vitæ* nomine, ab illo tempore ſucceſſuræ. Et communiter certe raro fallit præſagium, niſi *dexterrimis* medicationibus æque atque remediis vere *mature* & admodum *tranquille* obtemperauerint: alias vtique per triuiales *adſtrictorias* methodos tanto fere citius, & aliis deinde reſpectibus præſentioribus, huiusmodi maturioris exitus metam adſequentes.

Vterinæ euacuationes in vetulis.

Morbi incongrui plurium & grauiorum incommodorum feraces ſunt.

§. VII. Breuiter, vt omnes alii adfectus, ita omnino etiam ipſæ *hæmorrhagiæ*, quanto magis *incongrui* notam merentur, eo *plurium* atque *grauiorum* incommodorum feraces exſiſtunt; partim in ipſa *quantitate intemperanter* ſe gerendo; partim *qualitate* inſolentiores fere *effectus* producendo, quam in ſua periodo vſitata ſoleant: niſi quod vtique *generalem* rationem ſeruent communiter eandem, eiusdem inquam *generis ſuperioris* effectus, aut eiusdem *ſpeciei ſubalternæ* affectus ita producant.

Cauſſæ.

§. VIII. *Cauſſas* harum rerum quod attinet, in *iuniore* quidem ætate, & inprimis valde *teneriore*, certisſima eſt efficacia & communisſimus etiam hinc effectus *hæreditariæ* diſpoſitionis. Imo, licet per vſitatas hodie etiam in medicina, vbi tamen minime omnium quadrant, *hypotheticas* tales ætiologias etiam ſupponi poſſet, quod *aduentitia* quædam, v. gr. *medicamentoſæ* efficaciæ concreta interuenientia, *poſſint* etiam ita, præter *ætatis* rationem, intempeſtiuas huiusmodi veluti *ſpecificas* excretiones prouocare: cum tamen etiam fundamentum rerum gerendarum ſit maxime lubricum, nempe vere *ſpecifica* operatio *emmenagogorum*, vulgo celebrium; non *ſolet* proinde ipſa re vere deprehendi talis euentus, qui *poſſe* contingere videri potuiſſet.

Myrrhatorum vſus in iuniore ætate quid efficiat.

§. IX. Vnde quidem a *myrrhatis*, per *infantiam* & *pueritiam* vſurpatis, huius *ætatis* ſubiectis eruptiones ex vtero euenifſe, ego certe nunquam ne audire quidem vsquam memini, nedum vt videre licuiſſet; licet vſus *myrrhatorum* in his ætatibus non modo multiplicis, ſed propemodum etiam immoderati hinc inde, abunde habeam exemplorum. Idem omnino valet etiam de *hæmorrhoidali* excretione, quam ab ipſis etiam *myrrhatis* non adeo facile concitari, niſi quidem in *diſpoſitis* iam *iuuenibus*, aut excesſiua ſimul quantitate vtendi, ab eadem experientia liquet.

Habeo etiam huius rei exemplum memoratu non indignum, vbi iuuenis 23. forte annorum, cum de Medico illorum temporum Chymiatricæ coryphæo narratum eſſet, quaſi hic ſolitus ſit, ſcapta ſemel per annum larga doſi, nempe 180, vel circiter, guttis *Elix. P. P.* magnum prophylacticum ita experiri, ſeu iuxta terminum iocantis iuuentutis, **wider die Kranckheiten ſich feſte zu machen**: vt erat ſciola indole iuuenis, imitando vtique experiri hoc arcanum in animum induxit. Vt autem erat temperamento, quod vocant ſanguineo-phlegmatico, per ipſam tamen ætatem ita adhuc floridiore, incidit hinc non ſolum in reliquam, inſignem, & anxiam, per hypochondria & præcordia in-

primis,

primis, ſed & per totum reliquum corpus, contendentem & æſtuantem ſanguinis turgefactionem; ſed & omnino mox ſuccedentem altero die ipſo hæmorrhoidum largam emicationem, tumidam tamen ſolum, cœcarum, cum ingentibus & pertinacibus doloribus; quod incommodum etiam per reliquam ſuam vitam iteratis vicibus expertus eſt, quali occaſione totum hoc ipſum ex ore eius proprio ita audiui. Sicut etiam per occaſionem hoc vtique addere licuerit, quod a frequente huius *Elixiris* vſu, tanto magis in ipſis adultis *annoſioribus*, velut aditus certus detur, ſeu potius introductio plenior obtingat hæmorrhoidali fluxui.

§. X. Cæterum, quorumlibet talium *intempeſtiuorum* fluxuum ſucceſſus eſt velut ordinarie & indubie *anomalus* & fere *indomitus*; alienior vtique a *moderatione* & *ordine* omni conueniente, & non magis pronus quam *præceps* ad intemperiem. Ex aduerſo vero *annoſioribus* eueniunt paſſim *incongrui* tales fluxus, tum ipſa eruptione, tum etiam impeditiore huius ſucceſſu, ad alia, ſæpe ſontica incommoda ferente, pluribus modis *intemperantiores* & *anomali*. Intempeſtiui fluxus immoderati ſunt.

Ita intra temporis ſpatium ſatis modicum, & vnum quidem his diebus habui harum rerum exemplar, vbi viri duo 50. annum prætergreſſi, floridæ, bene coloratæ conſtitutionis, de reliquo ad omnem ſenſum ſatis ſani, vitæ genere parum mobili potiti, ſpirituoſis potibus indulgentes, conſpirante etiam temporis atque tempeſtatis ſymbolo, (vt inprimis proximo adhuc exemplo familiariſſimi erant, & re vera velut epidemici affectus tales congeſtorii circa caput, tumorem faucium anginodem, parotidum tumores, vehementes grauedines, formantes. Corripiebatur horum vterque immodica prorſus narium hæmorrhagia; ad multas horas continuante, & omnino intolerabilem profuſionem perpetrante. Laborauerat alter horum iam ab aliquot annis reſpirandi inſigni anguſtia, & breuitate anhelitus; hypochondriacis autem anguſtiis, tanquam per inſultus, præcipue poſt animi pathemata, ita vrgentibus, vt non ſolum de interceptione anhelitus ex his maxime locis eo tempore quam maxime conquereretur, ſed etiam tanta animi anguſtia atque triſtitia irrationali afficeretur, vt a lacrymis ipſis nequaquam moderari ſibi poſſet. Poſt hæc autem tempora impetrato fluxu ſanguinis hæmorrhoidali, & vſurpatis etiam tempeſtiuis V. S. bus, ab aſthmate quidem illo per aliquot menſes a profuſa illa hæmorrhagia veluti perfecte liber fuit: hypochondriaco-melancholicarum autem illarum anguſtiarum quoque ingens leuamen & raros inſultus adſecutus eſt; quoad poſt aliquot annos moralibus etiam faſtidiis & ſollicitudine grauiter perturbatus, potui autem ſpirituum ardentium decentem modum nequaquam adhibens, hecticam inde tabidam vitæ cataſtrophen incurrit, cum etiam acribus reſinoſo-oleaginoſis aromaticis, elixirium, ſtomachicorum, vitæ, cardiacorum vanis titulis deceptus languoribus ſuis ſolatium reperire infeliciter tentauiſſet.

Alter autem nuperrimi huiuſmodi exempli patiens tam profuſam huiuſmodi euacuationem expertus, vt cum ab octaua matutina ad 6tam veſpertinam

propemodum ſine vllis induciis ita nares fluxiſſent, & vſurpato remedio ſympatheticn in lipothymiam incidiſſet, erat a multis annis euacuationi hæmorrhoidali frequentiori adſuetus; quæ vero cum a tribus forte annis proximis ipſum deſtituiſſet, ſecuta hinc eſt præſens memorata ita enormis e naribus profuſio.

Poteſt huc etiam reuocari exemplum iam ſupra allegatum viri, qui hæmorrhoidalibus euacuationibus adſuetus, cum hæ minuerentur, ipſe vero ſpirituoſioribus potibus indulgere adſueſceret, incurrit inde in vehementes vertigines, quæ V. S. bus iterum in ordinem redierunt. Ita etiam legi meretur exemplum Salmuthi in Obſſ., qui ex hæmorrhoidum diuturna emanſione in immanem cephalalgiam lapſus, his per euphorbium in pilulis reuocatis ab hac liberatus eſt &c.

Cohibitiones aut neglectæ ventilationes in his affectibus quid faciant.

§. XI. His autem talibus ſi quæcunque præſentiores, inprimis nudæ & directæ *cohibitiones* temere adhibeantur; aut contra etiam *negligenter* aut *imprudenter* hæc talia æſtimando, *ventilationum* magis congruarum nulla decens ratio habeatur: quid vtrisque talibus modis tandem ſuccedere ſoleat, moneo POSTEROS, vt ſolerte *practica* obſeruatione animaduertere meminerint. Placet autem huic tractationi adhuc vnam animaduerſionem ſubiicere, cuius ipſius etiam vſum pari ratione commendo.

ARTICVLVS I.

De EMISSIONIBVS SANGVINIS NON SPONTANEIS INCONGRVIS.

§. I.

Sanguinis profuſiones naturales quomodo vni præ altero incommodæ ſint.

QVemadmodum, vt vulgo aiunt, verbera non dantur ad *menſuram*, tanto minus autem fere vnquam ad *tempus* accipienti ſatis commodum; ita naſcentes vtique ex huiusmodi conſtitutione *profuſiones ſanguinis* nihilo magis vtique etiam ipſæ æſtimari poſſunt *a priori*, ſecundum hanc circumſtantiam, quanto magis aut minus patientibus *intolerabiles* & ſumme *noxiæ* exſiſtant: interim vbi vtique etiam euenerunt, minime profecto inanis eſt conſideratio, quanto plus illæ vni præ altero, vno etiam *tempore* præ altero, non tam ſolum *præſentis* periculi, quam inprimis *ſuccedentis* grauioris & inprimis multiplicis *incommodi* poſt ſeſe trahant.

§. II.

§. II. Tanto magis autem meretur ſummam omnino conſiderationem illa *arbitrariarum*, quas vocant, *artificialium* ſanguinis eductionum minus conueniens adminiſtratio, cuius interuentu non ſolum patienti non ita, vti poterat & debebat, conſulitur, ſed plane plus incommodorum imo periculorum obiicitur. Eſt autem *incongrua* talis ſanguinis partim *amiſſio* partim *emiſſio* inprimis ſuperſtructa TEMPORI, & LOCO, e quo emiſſio adornatur.

Artificiales ſanguinis euacuationes incongruæ ex temporis, loci, & quantitatis ratione.

§. III. Temporis intuitu venit merito in conſiderationem primo *ætas* valde tenera, in qua, *puerili* imo *prima adoleſcente*, licet ipſa *natura* ſponte ſua paſſim euacuationes inſtituat per *narium* hæmorrhagias; neque tamen eſt tanti, nec etiam ſatis ſecurum propter conſequentias, arbitrio artis huiusmodi emiſſiones in his ætatibus libere, nedum liberaliter, inſtituere. *Tanti*, inquam, non eſt per artem hoc ſuſcipere, cum reuera non ſolum damna, quæ a molientibus, ſed non bene ſuccedentibus in hac *ætate* hæmorrhagiis vere exſpectari merentur, minora reuera ſint, quam vt ſimplicem talem veluti vicariam compenſationem exigant: ſed etiam re vera facilius nuda magis *methodo diæta*, aut aliorum ſubſidiorum artificialium, ſatis ſuppleri poſſint.

Prima incongrua ſanguinis miſſio intuitu temporis.

§. IV. Quomodo vero etiam talis methodus plane minus *ſecura* eſſe poſſit, eſt vtique ita intelligendum, quod *natura* quidem, quicquid cum quantocunque labore perpetrat, illud adhuc tamen minus *generaliter* in *conſuetudinem* trahat, quam eiusmodi res, quæ ipſi quidem quadantenus fere quaſi exquiſite ad *intentiones* ſuas quadrant & ſatisfaciunt; ſimul vero ſine omni labore, ita penitus liberaliſſime, & longe *facillime* ſuccedunt. Quæ profecto res etiam in his generibus *artificioſorum* ſubſidiorum ſummæ conſiderationis eſt, ne temere expeditiſſimis ſubſidiis vndique *occurrendo* ipſi naturæ etiam circa res *vitales* eueniat, quod circa *moralia* negotia paſſim agnoſcitur, quam prauas conſequentias poſt ſe trahat; vt nempe imprudente prorſus *indulgentia* & ſenſibiliſſima naturæ, & in poſterum impatientiſſima atque omnino peruicaciſſima ita reddatur indoles: imo non ſolum *tandem* poſt longiorem vſum, ſed multo familiarius potius ſatis *mature* imo *præmature*, harum etiam rerum *faſtidioſus* neglectus ſuccedat; aut certiſſime inſolentiſſime procax & tumultuaria turbulentia, & longe maior ſolito e ſimplici propria *adſuetudine* in has res poſthac *connitendi* proteruia æque atque vehementia, ſi ſemel ita adſuefa-

Cur ſecurum non ſit, naturam in hac ſua methodo imitari.

ſuefacta liberalis eiusmodi otioſa *ſubleuatio* in poſterum non ſatis officioſe, & velut ad veram indulgentiam *tempeſtiue*, continuetur.

Incommoda aliis methodis expugnari poſſunt; ventilationibus autem natura facile adſueſcit aut eas faſtidit.

§. V. Illud certiſſimum eſt, quod in his ætatibus *incommoda*, imo pericula, quæ ſanguinis *ventilationibus* vel præoccupari poſſent vel auferri, nequaquam talia atque tanta exſiſtant, quin etiam aliis methodis ſatis efficaciter expugnari poſſint. Aut, quæ etiam hoc non faciunt, illa neque huiusmodi ſubſidio ſatis obſequantur: omni modo vero ita & promtiſſime & firmiſſime introducatur præmatura *adſuetudo*, quæ poſthac iam *inſoleſcat* paris officii adfectatione; iam *contemtim* ad eiusdem ſufficientem efficaciam proſequendam ſeſe gerat.

Altera incongrua ſanguinis emiſſio, quæ in ipſis affectibus ſeu inſultibus inſtituitur.

§. VI. Proxima huic haberi meretur, par omnino in genere, illa quoque emiſſionum ſanguinis minus tempeſtiua talis adminiſtratio, quando in eiusmodi adfectibus, qui etiam de reliquo verius non poſtremum concurſum *quantitatis* ſanguinis abundantis, imo vel ad exitum omnino inclinantis naturæ, ſub ſe complectuntur; interim præſente certa conſtitutione magis iam *effectum* eiusmodi tanquam cauſſarum inuoluunt, quam ſingularem adhuc veluti perpetuam atque continuam *cauſſandi energiam*, cui ſimpliciter ita *ſubtrahendo* ſuccurrere, *neceſſarium* videri poſſit; imo vel ſolum vera & conſtanti experientia notabiliter *vtile* ſentiatur.

Quatuor argumentis refellitur hæc methodus.

§. VII. *Primo* enim non niſi rariſſime diſſoluit iterum atque *ſuſtollit* ipſum *affectum*; quod tamen fere maxime propterea communiter ita rarius facit, quia re vera rarius, in noſtris præſertim regionibus & climatibus, affectus, quos iſta excitant ſeu poſt ſe trahunt, vere & ingenue *ſimplices* exſiſtunt. *Secundo*, quia communiter etiam vſitatæ noſtræ miſſiones ſanguinis vſitata parca *quantitate* emiſſionis non ſatisfaciunt etiam tali effectui; ſi vel maxime ſub decente larga quantitate hoc forte poſſent. Interim *tertio*, cum communiter confuſa ſint *ſigna* non ſolum, ſed ipſa rei veritate, vt ante dictum, etiam *indoles* horum effectuum re vera rariſſime ſincera ſit; quæ vero non talis eſt, illi etiam *euacuationes* ſanguinis, maxime omnium autem quantitate non exquiſite *ſufficientes* & *congruentes* tanquam ad amuſſim quadrent: perit non ſolum omnis quæſita bona efficacia, ſed ingruit perquam familiariter potius mala. Id, quod de V. S. in *febribus* prudenter æſtimandum venit. *Quarto* vero, & quod profecto in his rebus digniſſimum eſt notatu, ſi quam maxime *exacerbatæ* ita

natu-

naturæ, & ad ſua conſilia, expugnandæ per impetum moleſtiæ pertinaci, ſemel tali ratione ſatisfit; arripit illa hinc familiariſſime hanc indulgentiam ita in deteriorem partem, vt alia vice, etiam propter leviores occaſiones, pari proteruia cooriatur ad ſimiles tales impetus. Neque præterea illos aliis poſt hac methodis ſibi facile eripi patiatur, niſi *ſolo* hoc eodem directo obſequio. Qua tamen methodo reuera coniiciuntur, aut manu ad minimum deducuntur ad huiusmodi, imo plurium congenerum affectuum, & promtiores & magis magisque ferociores & pertinaciores *recurſus*: quales longe præſentius & ſecurius præcauentur, ſi *extra inſultuum* tempus, *placidis* rebus, naturæ occurritur, & illud tunc maxime *præoccupando* ſubducitur, quod illa, *quando concitatur*, intemperantiore impetu exagitatura foret.

§. VIII. *Tertia incongrua* miſſionis ſanguinis adminiſtratio complectitur *ſpecialiſſimorum* temporum inauſpicatam occupationem; aliquando quidem per incogitantiam, forte fortuna ſola aberrantem, ſæpius autem fere per imperitiam harum rerum, & ex eadem radice contemtum ignotarum: dum nulla ratio habetur *ſuperiorum* aut *inferiorum* corporis regionum, aut veræ vtilitatis, adeoque ipſius omnino *directionis* huiusmodi euacuationum. Quod nempe v. gr. *ſub eruptione menſium*, aut ſub *hæmorrhoidum* fluxu bene *ordinato*, & plus minus *ſtato*, temere *larga* euacuatio *in ſuperioribus* corporis regionibus adminiſtratur. Inprimis autem ſi de reliquo *ſpontaneus* ſucceſſus huiusmodi euacuationum *largo* fluxu procedere adſueuit; aut ſub ſatis exquiſita *periodi* obſeruatione exitus ipſe impeditior & laborioſior obtingit: vnde patefacta alibi non ſolum expeditiſſima, ſed omnino ad largum & breuiſſimum exitum porta, facile in poſterum ad eandem viam reſpectat imo incumbit, memor & indulgentiæ auida natura. Sane vero turbas ita & heteroclitas auerſiones inductas paſſim legere eſt de *menſium negotio*: *hæmorrhoidali* vero, delicatiſſimo communiter, *ordini* quid præiudicii offerre valeant hæc talia, illi demum animaduertere poterunt, qui ad ipſum vniuerſum negotium hæmorrhoidale in praxi clinica animum pariter dirigere meminerint.

Tertia incongrua miſſio ſanguinis, quæ ſub ipſis euacuationibus naturalibus inſtituitur.

§. IX. *Quarta* vero ataxia in hoc genere introducitur per ſimplicem neglectum *ſupernæ* aut *infernæ* regionis corporis, inprimis ſecundum ætatum gradus in genere, *ſexum* autem fœmininum in ſpecie. Ita enim, quibus ipſa natura ad hæc *loca* vergit, illis longe maiore

Quarta incongrua emiſſio, quæ in diſcriminatim in ſuperioribus aut

inferioribus regionibus administratur.

iore cum *euphoria* vniuerſaliore adhibentur ventilationes tales in *inferioribus* corporis regionibus, modo *temporis* opportunitas iuſta ſimul obſeruetur. Tanto magis autem habet hoc locum in vtramque partem, *iuuandi* & *nocendi*, quando iam *ſponte* & inprimis præter rem, ita ad *ſuperiora* graſſatur *congeſtio* ſanguinis, exitum non inueniens, nec etiam illis locis per allegatas circumſtantias ſatis *conueniens* & reſpondens.

Specimen huius rei, quod etiam iam alibi exhibui, producere hoc loco, tanquam omnino conueniente, non piget. Fœmina 25. annis maior, laborabat cum inordinato progreſſu menſium multiplicibus grauiſſimis cephalalgiis, quin harum propemodum continua vehementia. Cum tandem obſecuta eſſet, omiſſa inutili hæmophobia, conſilio ſanguinem mittendi e pedibus, obtinuit inde, aliis etiam conuenientibus ſubſidiis, & inprimis tempeſtiuo vſu pediluuiorum coniuncto, huius mali non ſolum inducias frequentiores, ſed etiam mitigationem maxime conſpicuam. Decurrebant ita tres amplius anni, quibus conſuetis illis vernis & autumnalibus in pede vtens, ſic ſatis recte habebat, nec impetum illum antiqua vehementia vsquam experiebatur. Cum autem autumno quodam denuo incommodius aliquando a menſibus æque atque quadantenus etiam ita e capite habere cœpiſſet, tanto magis ad præſidium V.Sis vſitatum confugere cogitans, cum tonſor ſumme etiam hæmophobæ pedem bis fruſtra tentaſſet, interim patiens pertinax vtique eſſet ad abſoluendam potius ſub metu ventilationem, quam alia vice denuo ſimilem ſubeundum, perſuaderi ſibi ita ſinit a tonſore, eſſe ſimpliciter vnum idemque in brachio aut pede ſectionem inſtituere, niſi quod operatio in brachio fallere non poſſit, in pede vero vix non poſſit. Cum ita obſequeretur denique, & inciſa vtique hic in brachio tandem ſatis dextrê vena, emiſiſſet 4. vncias circiter ſanguinis, poſt tres circiter horas corripitur impetu cephalalgiæ, non ſolum ita immani, ſed eodem etiam ita pertinaci, qualis non ſolum per totam vitam percepti conſcia non eſſet, ſed a quo etiam cum ingente inflatione vaſorum circa caput oculi ita extra orbitam protruderentur, vt non tantum tota veluti ſpecie ſeu vultu alia videretur, ſed etiam dilatatis per illam ad anteriora protuberantiam pupillis, ſummum detrimentum viſus, & re vera iam penitus ἀμαυρώσεως quid incurreret, a quo etiam cum balneatores prius conſuluiſſet, qui ipſi pari ſtoliditate catarractam incuitabilem minabantur, tardius quæſito Medico conſilio vix 3. ſeptimanarum decurſu iterum liberata eſt.

Ita etiam iam alibi propoſui illud exemplum palindromes talis, in brachio celebrata V. Se, prouocatæ ad caput, in fœmina, quæ a menſium vitioſo motu per multos menſes toties quoties ad caput fiente & copioſa & pertinaci congeſtione, cum medicatione menſes in ordinem ſuum reſtituente, iam plus anno ab huiusmodi incommodis libera vixiſſet, bis etiam V. Se in pede vſa; poſtquam iterum hanc anniuerſario more ſuſcipere volens, gemina tonſoris imperitia fruſtra tentatæ eſſent pedis venæ, & ſimpliciter ita eidem etiam perſuaſioni tonſo-

tonſoris de abſoluta paritate miſſionis e brachio vel pede auſcultanti, e brachio facta eſſet miſſio, poſt illam meridiem ſtatim iterum inſigniter inflata eſt facies & totum caput, licet ſine doloribus priſtinis, aut ipſo præcedente menſuræ excesſu: ſicut etiam præſentiſſima medicatione ſtatim oppoſita vires non adeptum malum per noctem iterum diſcuſſum eſt.

§. X. Quamuis autem vtique non deſint, etiam ſecundum ipſam hypotheſin, velut ad hanc ipſam *intentionem* directo conſilio propoſitæ miſſiones ſanguinis, *in ſuperioribus* inſtituendæ, eo ipſo proprie ſcopo, vt ita euacuationes circa *inferiora* minus moderate procedentes, tanquam per modum quendam *reuulſionis*, ad ſuperiora reuocentur: tamen cum non ſolum iuxta ea, quæ, ex veritate, præcedente articulo dicta ſunt, *recurſus moliminum* etiam huiusmodi euacuatoriorum *ad ſuperiora temperantiam* minus ſeruet, ſed etiam ipſa aliarum incommodarum *conſecutionum* longe & *incommodior* & paſſim *periculoſior* ſit indoles, *in aliena ætate*, circa *ſuperiora* hæc loca; vt nihil dicam de inauſpicata *infernorum* eiusmodi decubituum hæmorrhagicorum etiam periculoſa *interpellatione*, propter *futurum* tempus, vtpote quam rem ſola circumſpectiſſima praxis perita docere valet; deprehendetur hinc, decente animi aduerſione, in practicis huiusmodi rerum abuſibus certiſſima talis ataxia, vt nec *inferno* illi adfectui vsquam ſatisfactum eſſe ſentiatur, aut ille potius ad vtilem *abolitionem* plenariam, quam nudem forte temporariam dilationem aut *diſſimulationem* traductus inde ſentiatur, aut ante dicto illo *ætatibus incongruo* tranſitu ſeu *palindrome* ad *ſuperiora* nihil niſi *importunior* & paſſim *periculoſior* conſtitutio ita cooriatur; *hypochondriacis*, *pectoralibus*, *catarrhalibus*, *ſuffocatiuis*, *vertiginoſis*, *apoplectecis*, *paralyticis*, varii generis *arthriticis*, *anomalis* etiam ipſis, multiplicem portam aperiens.

Etiam illa intentio, per V. S. in ſuperioribus reuulſoriam immoderatas euacuationes circa inferiora interpellare velle, minus ſecura eſt.

§. XI. Vltimum in hoc genere incongruarum miſſionum ſanguinis ſpecimen atque ſpeciem exhibet circumſtantia *quantitatis* minus conuenientis. Vbi partim *defectu* erratur, qui iterum vel in quantitate *emiſſionis*, vel in libertate *eruptionis* offendit: partim *exceſſu*, ſeu *nimium* vna vice, ſeu nimis *ſæpe* emittatur: partim denique erratur circumſtantia minus opportuni *temporis*; ſiue minus *commodo*, ſiue prorſus *alieno* negotium hoc ſuſcipiatur.

Quinta incongrua ſanguinis miſſio ratione quantitatis.

§. XII. Initium enumerandi feci a *defectu*; eo præſertim intuitu, quod ex hoc capite communiter error committatur in illo propoſito, quando *curatiue*, vt aiunt, V. S. proponitur. Cum pro tali

Defectus. V. S. curatiue inſtituta.

tali ſcopo, niſi quidem ſenſibiliſſima ſint ſubiecta, & tamen ad tranquillitatem ſimul maxime propenſa, *parca* miſſio tali tempore ſimpliciter fruſtranea ſit: imo non ſolum *fruſtranea*, ſed etiam ad maiores *commotiones*, quas vulgo *turgefactiones* appellant, prouocandas demum inſeruiens.

Defectus in libertate eruptionis.

§. XIII. Deinde vero peccatur hic defectu *emiſſionis* ſimpliciter, quando minus, quam prodeſſe poſſit, *effluere* permittitur. Quantitate *eruptionis* vero committitur defectus, quando nimis exili punctura fluxus ipſe *languidiſſime* ſuccedit; cum ex aduerſo, quæcunque ſubiecta ad *alterationem* V. Se ſubeundam exquiſita ſenſibilitate quam maxime diſpoſita ſunt, ad ſenſum veluti etiam hac ipſa circumſtantia *alacris* atque *repentinæ copioſæ* eruptionis notabiliter magis afficiantur.

Exceſſus.

§. XIV. Interim neque rarus eſt in his ipſis rebus etiam *exceſſus* 1.) *generalius*, quando ſimpliciter ita, quod alicubi balneatores aut tonſores proprio auſu facere amant, plus quam expediat emittitur: aut 2.) *ſpecialioris* illius circumſtantiæ *magnitudinis*, *roboris*, *abundantiæ* plethoricæ per indiuidua nulla ratio habetur, ſed omnibus atque ſingulis ad eandem normam, & veluti modiolum, emiſſio *paris* quantitatis ſimpliciter adaptatur.

Opportunitatis ſpecialioris neglectus.

§. XV. Patientium autem æque ſpontanea in hoc genere, atque friuolorum conſultatorum culpa erratur ſæpe numero in eo, vt promiſcue temere *repetendo* miſſiones plus vno reſpectu error admittatur. Siquidem huc omnino pertinet allegatus etiam ille *opportunitatis* ſpecialioris neglectus, pro miſſione non ſolum vtili poſitiue, ſed maxime non periculoſa priuatiue adornanda; id quod quam maxime valet de V. Stus *media æſtate*, feruida *tempeſtate*, quin imo vel promiſcue ad *phaſes lunæ* nullo prorſus habito reſpectu, in quibuslibet patientibus pariter, ſuſceptis.

Scarificationis vſus magis aut minus congruus.

§. XVI. Dicendum adhuc venit verbum etiam de SCARIFICATIONE, eiusque vſu magis aut minus *congruo*. *Scarificatio* vt in genere corporibus non admodum *ſpongioſis* non congruit; nec etiam tam ſimpliciter *euacuationi*, quam *deriuationi* ſatisfacit, & inprimis in *contentioſioribus* atque *pertinacibus congeſtionibus* circa *caput*, *hæmorrhagico rheumaticis*: ita *incongruum* certe eſt, quicquid alieno ab his rebus ordine ſuſcipitur & agitatur. Deinde, quamlibet re vera *euacuatio* per *ſcarificationem* vix efficaciter inſtituatur, niſi *repe-*

titis

titis vicibus; tamen vulgatiſſima illa prodiga *ſingulis menſibus* eductio, *indifferenter* ad vrgentium moleſtiarum aut pathematum conſuetorum quæcunque tempora aut directiones, incongrua certe eſt: longe prudentius nempe magis *ordinanda* ad anni temporum, tempeſtatum, externarum occaſionum exacerbantium variantes *proportiones*.

§. XVII. Præcipuum autem, quod circa hanc rem incongrue euenit per has incongruas *methodos*, eſt notiſſima illa atque decantata penitus per hos abuſus introducta *adſuefactio*, cuius certiſſimus effectus eſt ille *duplex*; *primo*, vt quanto intemperantius emiſſio hæc admittitur, tanto maturius *parum*, imo *nihil* amplius ſatisfaciat illis ſcopis, quibus per initia vtilitatem aliquam attuliſſe viſa fuerat: *ſecundo*, ſi nihil æque ſenſibilis commodi vel adiumenti adferat, tamen propterea illam iterum penitus omittere, &, quod aiunt, rude donare, ſumme *incongruum* ſit, & omni omnino ſtudio cauendum; ſiquidem illud hic certiſſimum eſt, quod, ſi maxime tales ita *adſuefactæ* ſcarificationes etiam nihil *prodeſſe* poſſent, tamen temere penitus omiſſæ *certa damna* poſt ſe trahant. Eius adſuefactio.

§. XVIII. Neque vero minus incongrua eſt etiam illa *adminiſtratio* ſcarificationum, vti ſupra de V. S. monitum fuit, nulli reſpectui inclinationum hæmorrhagicarum ſecundum *gradus ætatum* adaptata; dum videlicet *annoſioribus* non minus quam *iunioribus* quibusque plures cucurbitulæ circa *ſuperiores* partes affiguntur, quam circa *inferiores*; *quo facto* iterum *arthriticis rheumatibus*, eorumque anomalo motui, via ita ſternitur, & vix non certis damnis introducendis aut fouendis vere ita indulgetur. Eius incongrua adminiſtratio ſine reſpectu hæmorrhagiarum ſecundum ætates.

§. XIX. Supereſt, vt aliquid etiam dicamus de re in medica praxi re vera non parui momenti atque poteſtatis, nempe *incongrua* OMISSIONE ſemel *adſuetarum* euacuationum talium *artificialium*. Agitur hic aliter quam congruit pluribus modis. *Primo* etiam illo intuitu, quando *adſuefactæ* frequentiore vſu, dum forte non ad inconditam exſpectationem minus peritorum *omnia ſolæ* perficiunt, imo peruerſis *artificiis*, quod illæ prodeſſe debebant, iterum deſtruitur, propterea ſimpliciter iterum *omittendæ* cenſentur; cum frequentisſime, vtut ita nihil proſint, certius noceat *omiſſio*. Omiſſio euacuationum adſuetarum.

§. XX. *Deinde* valet hic ſtolida profecto communisſime illa locutio, tam de *annoſioribus* promiſcue, quam ſpeciatim de *iunioribus* etiam, *phthiſicis*, aut a ſanguinis turbatis liberis progreſſibus Anilis perſuaſio de omittendis ventilationibus.

 quo-

quoquo modo *tabidis* apparentibus, non ſolum *vetulis*, ſed etiam aliis paſſim in ore verſans: *præſtare, vt tales potius ſanguinem ſibi in corpus ſuum aliunde coemerent, quam vt illum ita temere prodigerent:* Sie ſolten ſich lieber das Blut in den Leib kauffen. &c. Sicut enim hæc certe locutio, quamdiu patiens tolerabiliter edit atque bibit, de *quantitate* ſanguinis intelligendo ſimpliciter anilis eſt; *qualitati* autem neque hoc conſilium ſatisfacere poteſt, neque *quantitatis* aliqua iuſta ventilatio vsquam plus detrahit, quam potius ſuccurrit atque ſubſeruit. Ita obiicit longe certius vere poſitiua non ſolum qualiumcunque commodorum detrimenta, ſed certiorum maiorum aut plurium incommodorum fomenta imo incitamenta, vbicunque iam *diutius adſuetis* temerarius huiusmodi *neglectus* perſuadetur. Intelligit hoc propemodum ipſum etiam vulgus in negotio *ſcarificationis*, dum illius friuolum neglectum etiam apud ipſos *annoſiores* paſſim antiquis incommodis portam aperire ſatis compertum habet; niſi demum a ſciolis experientiæ expertibus vana auctoritate in transuerſum agatur.

Dextre inſtitutæ ventilationes ſanguinis quem effectum & vſum habeant.

§. XXI. Illud autem circa hoc vniuerſum negotium certiſſimum vtique eſt, quod dextre inſtitutæ ſanguinis *ventilationes* in *conuenientibus ſubiectis* talem vtique præſtare poſſint effectum, vt non ſolum plurimum detrahant liberis progresſibus, effectibus & euentibus proportionatorum variorum affectuum; ſed etiam meliori *efficaciæ* conuenientium *remediorum* præcipuam portam aperiant: adeo, vt hac via patientibus non ſolum vt in genere melius conſulatur, vt illi hac ratione a multis irritis expenſis in medicamenta & conſilia aliena liberentur; ſed etiam honeſti Medici non magis exiſtimationi quam ipſi conſcientiæ hac ratione ſuccurratur, vt, quod ſine his ſubſidiis ad votum adſequi non liceret, horum perito atque prudente vſu ita obtineatur, vti *Conditoris voluntati*, *artis poteſtati*, *Medici conſcientiæ*, & *patientium voto* competit. Omnes autem *ſpecialiores* circa adminiſtrationes incongruas ἀταξίας tanquam viritim ad cenſum citare, non eſt vtique noſtri propoſiti, neque tam *theoriæ* occurrit, quam circumſpectæ *praxi* indies obuerſatur. Vnde ſolum prudentem animi aduerſionem ſolertibus ingeniis commendamus.

SECTIO

SECTIO II.

DE CONGESTORIIS SPECIALISSIMIS ADFECTIBVS.

§. I.

EGimus ſuperius conueniente loco inter *ſpecialiora* de proxima circumſtantia *apparatus ad hæmorrhagiam* reſpectantis, *congeſtione* ſanguinis circa illa loca, quæ *emiſſioni* magis idonea ſentiuntur; e quibus quanto minus expedite procedit totus *exitus*, *contentio* interim ad illum perficiendum vtique eſt peruicax, incumbat ita & coaceruetur quaſi tota moles *reſtagnationis* circa ſic adfectas partes: adeo, vt ita varia hinc incommoda originem ſuam trahant, & quidem tam *diffuſionis* altioris atque largioris *reſtagnationis*, quam paſſim denique plenæ *ſtaſeos*, & ita ſubnaſcentium *corruptionum*. Stagnationes ſanguinis ex congeſtione, inde ſtaſes & corruptiones.

§. II. Sicut autem, quando ſanguis ita circa *partem* aliquam imo *regionem* totam *ſtagnatione contenta* diu atque fortiter detinetur, (vt de ſpecialiſſimis admiſſionibus & emiſſionibus nihil dum preſſius vrgeamus,) certe ipſa omnino *detentionis* æque auctioris *mora* atque *preſſionis* energia, ſecundum proportiones humorum ad vias, etiam humores alios de tota maſſa altiorem quendam *ſeceſſum* & *inſinuationem peculiarem* perpetrare poſſe, adeoque non ſola ſimpliciter *ſanguinea* ſchemata producere, vti planæ rationi, ita etiam populari experientiæ, recte ſolum intellectæ, palam eſt. Vnde quidem etiam, cum *effectus ſanguinearum congeſtionum* qua talium, exceptis adhuc ſimplicioribus *doloribus*, familiarius fere *inflammationes* ipſas gignere, contentione ſui, ſoleant: producit e diuerſo qualiscunque altior *ſeceſſio partis* ſolum alicuius de maſſa ſanguinea, prouti plus aut minus de *tenui ſanguine* participant & in conſortio ſui retinent, *phlegmonodes*, *eryſipelatodes*, *rheumaticos*, & ſimplicioris acceptionis denique *mucido-ſeroſos catarrhales* aut *lymphatico-ſaliuales* effectus & adfectus. Sub detentione & ſtagnatione ſanguinis alii humores ſe inſinuant, vnde phlegmonodei, eriſypelatodei, rheumatiei & catarrhales affectus.

Ordo tractationis huius materiæ.

§. III. Vnde quidem ſecundum hanc ſeriem etiam *methodum tractationis* meæ proſequi ſuſcipiam, vt *primo* quidem loco de affectibus, qui a *reſtagnatione* & *diſtenſiuo* ſolum infarctu ſimpliciore pendent, ſermonem habeam; *deinde* de actualium tandem in his infarctibus oborientium *ſtaſium* phænomenis loquar; *tandem* autem de *corruptionum*, quæ hinc prognaſcuntur, diuerſis ſpeciebus agere abſoluam. Sequendo autem inſuper etiam illum ordinem ſpecialiorem, vt *primo* quidem loco de huiusmodi ſucceſſibus, ab ipſo maxime *ſanguine* prædominante pendentibus, dicam; *ſecundo* loco de illis, qui a *ſanguineo-lymphatico-ſeroſa* ſubſtantia pendent; *tertio* vero demum loco de iis, qui ſimpliciori *exſangui*, *lymphatico-ſaliuali-ſeroſæ* materiæ huiusmodi detentionibus originem ſuam debent.

Genius horum affectuum inſultorius per periodicas inuaſiones.

§. IV. Priusquam autem has res ita ſecundum ſpecies perſequar, erit adhuc verbum dicendum de illarum generaliore conſtitutione, conſideratione longe digniſſima, & verum fundamentum pathologiæ ipſarum quam maxime complectens, nempe *genium* illarum *inſultorium*, qua per *inuaſionum periodos*, frequentius quidem veluti fortuitas magis, non ita raro tamen etiam omnino *ſtatas*, tragœdiæ ſuæ ſcenam aperiunt.

Fictiones veterum de acrimonia, coagulatione, obſtructione viarum congeſtiones non recte explicant.

§. V. Eſt nempe hæc vtique circumſtantia illud, quod inania illa phaſmata atque ſomnia triuialium gerrarum tam de hæmorrhagiis, quam de his etiam illarum adfinibus adfectibus, in iuſtiſſimam vtique confuſionem dat: dum pars quidem illarum *acrimoniæ*, velut *erodenti* vaſorum exitus; pars *fermentationi* turgefacienti humores; pars *coagulationi* humorum; pars *obſtructioni* viarum, tum illinc, tum aliunde, hos effectus & euentus, (& inprimis hoc vltimum contra omnem *hydraulicam* generalem, & ſtructuræ atque *vſus vaſorum* ſpecialem rationem atque proportionem) adſignant.

Nec recentiorum cauſſæ paſſiuæ, materiæ omnia tribuentes.

§. VI. Vltimis tandem his tempeſtatibus ſuperuenerunt adhuc illi, qui, licet tandem adhuc diſcant, tamen ingratiſſimi in præceptores, tanto magis autem in veritatem ipſam & vnicum eius conditorem, nunquam potiuntur, nec etiam ea cura eſt, ipſa veritate, ſed nebulis potius gaudentes res etiam rectas in confuſionem agere geſtiunt, ſed certe in confuſionem dantur. Hi, toties in ſenſus ingeſtam phænomenωn etiam plebi abunde notorum veritatem, quomodo in peculiaribus huiusmodi *inſultoriis*, aut plane tandem per *ſtatas* dimenſiones repetentibus, partim *eruptionibus*, partim *congeſtionibus*, aliæ qui-

quidem partes, totæ inquam late patentes *regiones* corporis, *conſtrictiones* viſibiles ſubeundo, oculis vtique ſic ingerant non ſolum ſimplicem neceſſitatem *diuertendi* ad alia loca, ipſis humoribus, ſed etiam per illa vel *erumpendi*, vel ad minimum *reſtagnandi*: trahunc hæc, quantum in ipſis eſt, ad cenſum *obſtructionum*; exquiſite ſcilicet ſecundum vſitatam hypotheſin, nempe, cum obſtructio inter hos, vt aliquid ſimpliciter *mechanicum*, perpetuo denotet *paſſiuum* quiddam, & inprimis a vitio *materiæ* ſimpliciter, ſiue in *humoribus*, ſiue in *partibus* dependens; intelligi proinde velint etiam totum negotium ita ſimpliciter a *materia* non ſolum, ſed *a vitiis* eius *corporalibus* proficiſci.

§. VII. At ego quidem hæc omnia ad *illum* reiicio, qui talis ordinis & talis veritatis fons eſt: pro meo vero virili inſiſto veræ veritati, quæ circa hæc negotia tria potiſſimum ſiſtit, imo in illis veluti conſiſtit, nempe I. quod *congeſtiones* etiam tales variorum generum & frequentiſſime, & exactiſſime, iam *comitentur*, iam *inſequantur*, imo eundem locum occupando non magis æmulentur, quam tantisper quaſi ſuppleant *adfectus euacuatorios hæmorrhagicos*.

Congeſtionum vera indoles in tribus momentis ſiſtitur.

II. Quod maximopere ſequantur occaſiones *ſenſibilitatis corporis* & *animi vagis* inſultibus: interim autem etiam *ſtatas* periodos ſæpenumero forment atque ſeruent, tum dictis illis συζυγίαις cum *hæmorrhagicis* motibus, etiam *ſtatis*, tum *adſuetudinibus*, ad leuiſſimas occaſiones promte conſurgendi.

III. Quod tales *congeſtiones* paſſim etiam eandem penitus cum *hæmorrhagiarum* negotio *indolem* atque *methodum* in eo præcipue ſequantur, vt etiam ſecundum illos ſucceſſus vicarios, tam *motuum* quam *locorum*, *palindromes* eiusmodi exerceant, vt iam directe ad partem *eruptionibus* alias expoſitam, iam ad *oppoſitas*, aut ſane e longinquo ſolum *conſpirantes*, ita incumbant. Ita enim non ſolum ad *caput*, *pectus*, *hypochondria*, *inteſtina*, *renes*, *vterum* interne: ſed etiam ad *ceruicem*, *ſcapulas* & *humeros*, *thoracem* anteriorem, *dorſum*, *lumbos*, *os ſacrum*, *coxas*, *femora*, *genua*, *crura*, *pedes*, exterius, fiunt huiusmodi *congeſtorii* affectus, iam cum hæmorrhagicis manifeſtioribus apparatibus. Tanto magis autem, quando hæmorrhagiæ *conſuetæ* alias *ſupprimuntur*, & tamen *incitationes* ad easdem non emanent; vbi tunc quidem omnium certiſſime huiusmodi *congeſtorii* effe-

ctus

ctus ſubſequuntur, & variis talibus affectibus ſe produnt. Progredior itaque ad rem ipſam.

MEMBRVM I.
DE
DOLORIBVS CONGESTORIIS.

§. I.

Cur dolores poſt congeſtiones collocentur.

IN parte *ſpeciali* collocaui dolores *vltimo* loco inter effectus generaliores congeſtionum; eo maxime reſpectu, quod non æque ſolum quaſi ſimpliciter a *congeſtionibus* ortum ſuum ducant, ſed etiam valde frequenter ab ipſis *motibus* & *contentionibus ſpaſticis* non magis foueantur, quam concitentur; certiſſime vero omnium, ſi maxime *congeſtio* in culpa ſit, tamen hæc ipſa *contentio* etiam quam plurimum contribuat, imo *formaliter* certe potiſſimam partem totius effectus conferat.

Differentia dolorum.

§. II. Interim dum *medicæ* conſiderationi illud inprimis fauet atque ſatisfacit, quod *indicationibus* ad recte ſubueniendum viam ſternit; re vera vero *differentia* certa & indubia intercedit inter illos *dolores* qui *plus* a *congeſtione* pendent, & illos, qui magis, imo vel *vnice*, a *contentionibus ſpaſticis*: placet proinde præſente loco *ſpecialiſſimæ* tractationis ſuum cuique tribuere, & vbi plurimum poſſunt *congeſtiones*, illos affectus præmittere.

§. III. In quo quidem inſtituto naturæ ipſius ordinem ſine dubio ſequi inueniar; vtpote cuius mos vſitatiſſimus eſt, *congeſtionibus* huiusmodi vere ſimplicibus dolores reportare.

ARTICVLVS I.
DE
CEPHALALGIA SANGVINEA.

§. I.

Cephalalgiæ ſubiecta.

DOlor capitis ſimpliciſſimus, & ſucceſſu etiam ſimpliciſſimo euentum *ſalutarem* iterum aſſequens, eſt vtique ille, qui, *ſanis* de reli-

reliquo, imo omnino *floridis*, habitu & colore, quin etiam *ſanguinis copia*, teſtante vaſorum perpetua plenitudine, inſtructis, vigore quin etiam *ætatis* & *indolis* conſpicuis, paſſim obtingere obſeruatur.

§. II. Exſerit ſe hic dolor aliquando quidem circa *totum* caput; communiſſime vero maxime in ipſo *ſyncipite*: in *fronte*, inquam, & per *tempora*, ſurſum ad *bregmata*. Imo vero, multo magis adhuc familiaribus exemplis, ita preſſe ad *radicem naſi*, vt etiam patientes ita affecti iuxta intimarum narium *ardorem*, & in oſſe ethmoideo eximiæ *preſſionis* ſenſum accuſent: ſimul autem fere in intimis oculorum *bulbis* & *prementem* grauiter, & appulſus incurſu veluti *compungentem* talem dolorem commemorent.

Hiſtoria eius, quibus in locis ſe exſerat præcipue.

§. III. Cum hac conſtitutione iungitur velut ordinarie *calor* etiam, tactui manifeſtus, circa frontem atque tempora: *color* etiam faciei communiter *rubet* affatim; niſi quidem iam *ſpaſticum* quid immodicum dolorem partim conſtituat atque foueat, partim magis magisque ſectetur: quo caſu etiam *pallor*, aut *male diſtributus* eiusmodi rubor, locum habet. Imo comitatur in tali dolore, ſi habitus corporis in patiente eſt *ſpongioſior*, etiam ruborem illum ſatis familiariter manifeſta quædam faciei *turgeſcentia* & *inflatio*: quæ, ſi quidem in ipſa *facie* non vndique pariter conſpicua exiſtit, tamen certo occupat *vaſa temporum*, & fere pariter *iugularia*. Quin etiam *oculi*, ſi non ſemper ſimul exquiſite *rubent*, aut ad minimum aliqua per ipſo *vaſcula* notabili inflatione diſtenduntur: efficiuntur tamen ſimul illa moleſtia, vt *viſui* libero non ſatis ſufficiant, ſed *lumine* liberiore offendantur, eiusque tolerandi impotes ſint.

Calor, color, turgeſcentia & inflatio faciei atque vaſorum temporum.

§. IV. Decedunt iterum hi dolores, *duobus* modis: vel enim *remittunt* iterum ſucceſſiue; vel erumpunt in *euacuationes* aliquas. *Ceſſatio* illa euenit iterum vel ſatis *mature* atque promte; vel *languide* & admodum tarde, poſt diuturnas demum *contentiones*. Promtius fere *iunioribus*, tum inprimis *virili* ſexui; tardius *annoſioribus*, & maxime *fœminis*, tardiſſime omnium, *adſuetis* iam magis, & quibus per veros impetuoſos *inſultus* cooritur, quos vtique vix vnquam *cito* iterum deſerit. Bene vero potius etiam certa tempora ita *inſiſtendi* atque durandi ſeruans, horum demum veluti *periodis* abſolutis iterum decedit.

Remiſſio horum dolorum duobus modis euenit, vel ceſſatione.

§. V. Cum *euacuationibus* aliquibus fit, quando ante omnia ſinceras depletiones *ſanguinis* format. Huiusmodi ſunt hæmorrhagiæ,

Vel euacuationibus hæmorrhagicis.

giæ, inprimis in admodum *iunioribus* ſerius ocyus cooriendo, effectum hunc ita *deplendi*, eoque ipſo *diſtenſiui* infarctus ſenſum diſſoluendi, abſoluentes.

Inter quotidiana huius generis exempla occurrit vnum in iuuene 20. annorum, qui, cum non æque quotidiani potus vini compos, quando deinde illo potiebatur, non æque ſeu temperare ſibi, ſeu re vera etiam ferre poterat vel leuiorem abundantiam. Adſuefactus præterea erat iam a tribus vel amplius annis non quidem ita plane frequenti, interim tamen per bimeſtre aut ſæpius ſuſcipiendæ ſcarificationi. Hic dum præſertim etiam hanc euacuationem negligeret, habitu interim ſanguineo-phlegmatico inſtructus, corripiebatur, inprimis circa æquinoctia, ſenſibilioribus cephalalgiis eiusmodi, familiariter minime leuibus; inprimis autem circa illa tempora grauioribus. Cum autem etiam in teneriore adoleſcentia, per agiliorem vitæ rationem, & frequentiores vini potandi occaſiones, hæmorrhagiis narium crebrioribus adſueuiſſet; quæ tamen tunc etiam non æquali ſucceſſu potitæ, ophthalmicas paſſiones comites inuexerant, quibus maxime ille ſcarificationis vſus oppoſitus erat; eueniebant ipſi etiam hac ætate, ſed longe rariores huiusmodi eruptiones. Bis autem commemini, poſt triduanos huiusmodi admodum anxios & contendentes dolores, verno & autumnali æquinoctio ſecutam tandem ſanguinis per nares eruptionem, vere in inſtanti ita ſuſtuliſſe dolorem, vt ille non aliter, ac ſi diſparuiſſet, deſiuerit.

Aliis obtingit eruptio grauedinoſa & catarrhalis.

§. VI. Aliis autem obtingit quidem etiam *eruptio*, iam *grauedinoſa* e naribus, iam *lippitudo* ex oculis: in grauiſſimis & vere *inflammatoriis* huiusmodi cauſſis tandem etiam eruptio *puris*, iam e *naribus*, iam ex *auribus*. Quæ tamen vtraque res, cum propemodum magis ad *catarrhorum* & *inflammationum* claſſes propius pertineat, directam eius mentionem præſente loco tanto minus neceſſarium videtur peragere, quanto ſimplicius *fiendi* ratio etiam illorum, quatenus *dolores* primo loco formant, non ſolum cum his noſtris *ſanguineis* ſimpliciter conſpirat; ſed etiam *cauſſæ primæ* intuitu vnam eandem illam habet, nempe *ſanguinis* vtique ad hæc loca *congeſtionem*.

Cauſſæ horum dolorum; defectus euacuationum ſanguinearum in fœminis.

§. VII. Sicut autem ita manifeſte etiam paſſim huiusmodi *eruptiones* cum maxime ſalutari effectu ad *ſoluendos*, *minuendos*, *præoccupandos* huiusmodi dolores ſeſe ſiſtunt: ita non minus etiam, pariter ſolum *hiſtorice*, notanda venit ipſa illa *cauſſandi* ſeries, quæ etiam ad ſenſum euidenter poteſtatem ſuam ad hoc negotium inſtruendum exſerit. Ita nempe ne in vulgus quidem ignotum eſt, quomodo *ſanguinearum* alibi *conſuetarum* atque *debitarum* euacuationum *defectus* huiusmodi *dolores in capite* poſt ſe trahere ſoleat; Exemplo inprimis *fœmini-*

minini ſexus, e *menſium* ſucceſſu vel penitus *ſuppreſſo*, vel nequaquam ad *proportionem* plenitudinis conſpicuæ reſpondente.

§. VIII. In *virili* autem etiam ſexu neque *iuniorum* exempla frequentiſſima ignota ſunt, quæ a *conſuetis* alias hæmorrhagiis, & quamdiu ita ſuccedebant, nullam *dolorum* moleſtiam ſerentibus, ſi illæ in poſterum *emaneant*, cauſſæ vero priſtinæ *commotionis* minime ceſſent, huiusmodi conſecutiones *dolorum* poſt ſe trahere, etiam vulgo ipſi notum atque teſtatum peſſime fecerunt. Et tanto euidentius etiam hanc ſuam *euacuatoriam* rationem ad ipſa hæc conſectaria *dolorum* in eo exhibent, quod hi quoque *dolores* tanquam ſimpliciter, certe eminenter, *tunc* maxime, & poſt tales etiam prægreſſas *cauſſas* ſeſe exſerunt, quando alias ipſæ illæ *conſuetæ eruptiones* euenire obſeruatæ erant. — In virili ſexu tam iuniorum

§. IX. Nec vero etiam *annoſiorum* paſſim exempla deſunt attendentibus, qui, vt aliis horum generum adfectibus circa caput, *vertigine*, *ſtupore & inertia* internorum ſenſuum, *externorum* etiam *viſus* & *auditus* debilitationibus, *olfactus* atque *guſtus* vitiis, per tales occaſiones, quibus alias illæ ipſorum ſanguineæ euacuationes inſiſtebant, poſtquam tandem diu emanſerunt, varie exercentur: ſed inprimis etiam ipſis his, de quibus nobis hic ſermo eſt, ſenſibilibus *doloribus*. — Quam annoſiorum exemplis.

Facit certe huc exemplum propriæ experientiæ in ſuo corpore, adductum a *Salmutho*, qui ex hæmorrhoidali fluxu, diu deficiente, immanem talem dolorem expertus eſt, euacuatione ſanguinea, per euphorbium ipſum, reuocata, ſtatim iterum euaneſcentem.

§. X. Sicut autem *fœminarum* quidem dolores huiusmodi, ſecundum circumſtantias tales *euacuationum* tergiuerſantium prægreſſas & coniunctas; tanto magis autem per phænomena illa manifeſta *ruboris*, *caloris*, *inflationis* faciei, imo *capitis* totius, viſibilis, aut ad minimum vtique *vaſorum* circa tempora, imo & *collum*, quin in *oculis*, & impatientia oculorum ad liberum *lumen*, quin denique *pulſatili* illo ſenſu, arteriarum ſeu cordis ipſius reliquæ pulſationi ſynchrono: & præterea *euacuationum* illarum in debitam libertatem reuocatione atque *reſtitutione*: quin ſimplicioris *auocationis* ab ipſo capite, per meraa *pediluuia*, ſucceſſu: ſicut, inquam, tales dolores, e talibus *hiſtoricis* conſtitutionibus atque ſucceſſibus vtique aditum patefaciunt ſatis planum atque ſimplicem, ad percipiendum huiusmodi rerum etiam *ætiologicos* nexus: ita diluceſcunt illi tanto euidentius ex eo, quod in omnibus — Omnes tales dolores cum omnibus ſuis circumſtantiis nexum ætiologicum patefaciunt.

bus talibus etiam *virilis* ſexus exemplis omnes cauſſæ tam *antecedentes* & *occaſionales*, quam *coniunctæ*, hanc, & *congeſtionem* ad caput, & *reſtagnationes* circa caput, & *diſtenſiones* viarum atque partium, & *tenſiuum* atque *preſſorium* ſenſum, & effectus cum *contentione* in his locis ita coaceruati ſanguinis, affatim loquantur.

Therapeutica conſideratio. §. XI. Quæ vera *ſcientia*, & de rationibus harum conſtitutionum *intellectus* ſincerus, præfert vtique ipſi *medicæ* intentioni lucem non exiguam, dum veram ſimplicem *cauſſalem* rationem ita oſtendit, cui hæc pathemata vere inſiſtant. Vt illis ita per harum verarum *cauſſarum* peritiſſimam *mitigationem*, *diuerſionem*, *imminutionem*, & *ſubtractionem*, præcipue vero ad vera ſua propria loca & extus *reuocationem*, vere recte atque directe conſulant: & longinquiora etiam talia *præſeruatoria*, diætæ, circa *cibum*, *potum*, *motum*, & decentes *excretiones*, media atque conſilia, pro vera præoccupatione, rectiſſime inuenire & inſtruere intelligant: eoque ipſo irritas illas *correctiones* nudas iam *acrimoniæ* ſimplicis humorum, nempe ita *vellicantis*, *irritantis*, *pungentis*; iam, per aliam phantaſiam, & quidem *contrariam*, *craſſitiei* humorum, obſtructiones atque ſtaſes tales his locis incutiendo, dolores tales formantis; iam ſpecificæ *ſcorbuticæ* intemperiei, vt horum effectuum tanquam ἀπὸ μηχανῆς architecti; tum etiam nudas atque ſimplices, vnice perpetuo *diſcutiendi*, magis magisque irritas tentationes; quin denique inconuenientiſſimas nudas perpetuas *ſopitiones* & *narcoſes*, prudentiſſime euitare diſcant: vana videlicet, & proinde etiam ipſo effectu inania non ſolum omnia; ſed ſæpe numero etiam, quod non in vanum dico, grauius *peruertendo* non huic ſolum negotio, ſed vniuerſæ etiam *ſanitati*, plus minus directe inſeruientia.

ARTICVLVS II.

De

CEPHALÆA.

§. I.

Cephalææ differentia a ce- *CEphalæam* communi acceptione interpretantur *medicæ ſcholæ* de dolore capitis *pertinaciſſimo*, & veluti *continuo*. Qui ſi *vere* *con-*

continuus eſt, diſcerni quam maxime debet ab illo, qui ſolum per facillimas *concitationes* iterum iterumque reuocandus, ſenſim vtique *continuitatis* non ſpeciem ſolum præ ſe fert, ſed ipſa omnino *adſuetudine* ſenſim etiam *continuitati* proxime accedit. phalalgia continua.

§. II. Talis poſterioris generis dolor ſicuti vix non ſimpliciter illius eſt indolis, quam præcedente Artic. deſcripſimus; in *conſuetudinem* ſolum plenam, *frequentia* cumprimis *cauſſarum* non euitata, magis magisque deductus: ita ex aduerſo dolores tales ita *continui*, qui citra etiam pariter euidentes *ſanguineos* concurſus eueniunt, ſicuti, quando vere a cauſſa non plane *ſpecialiſſime ſpecifica* fouentur, (de qua ſtatim) *rheumaticæ* maxime indolis eo ipſo exiſtunt; *adſuetudine* vero pari magis magisque in talem *continuitatem* pergunt. Ita cum *rheumaticarum* etiam *congeſtionum* non ſolum *genericum* inſtrumentum, ſed perfrequenter etiam verior *prima* atque *fundamentalis cauſſa* ſit ipſe *ſanguis*: non alio proinde loco proprie conſtitui debet talis, niſi hoc loco, de quo modo habitus eſt ſermo, nempe *ſanguineorum* dolorum; ſi nempe verus *generalior* ortus illius recte conſideretur.

Vtriusque cauſſa generalior ſunt motus ſanguinis congeſtorii, in cephalæa tamen dolores rheumaticæ ſunt indolis.

§. III. Quæ vero *fixo* quaſi, imo tanquam *infixo* in vnum locum dolore patientem indeſinenter adfligit, citra *ſanguinearum congeſtionum* atque *contentionum euidentia* indicia; & inprimis quidem et iam *proportionata*, ita, vt tam vehementi effectui etiam ſatisfacere poſſint: illa talis pendet communiſſime a conſtitutione in his locis *vlceroſa*, aut actu iam *vlcerata*; eaque vel adhuc *ſimpliciore*, ab initiis tamen, vel *ſcabioſo impetiginoſis*, aut circa *parotidas vlceroſis*; aut per *externas* violentias, vehementes *contuſiones*, *vulnerationes*, *vlcerationes*, non commode tractatas, relictis; aut denique a ſinceris *ſpecificis*, *venereis*, *oſſa* ipſa *carie* afficientibus & exedentibus huiusmodi ſubcutaneis vlcerationibus; aut maligne *pſoricis leproſis* inquinamentis: (completa vero *lepra* ſtupida eſt.)

Cephalææ cauſſæ ſpecialiſſime ſpecificæ.

Equidem plura huiusmodi exempla vtique obſeruaui, quibus pertinaciſſimæ tales cephalalgiæ, quæ nunquam penitus ceſſabant, leuibus autem occaſionibus magis, grauioribus autem etiam quam maxime exacerbabantur, variis opinionibus, & ſecundum illas conſiliis fruſtra varie tentatæ, obſeruatis ſanguinearum congeſtionum moliminibus, & his applicitis methodis atque remediis, ad illorum alterationes applicatis, euidentiſſime non ſolum alterabantur atque diuertebantur, ſed etiam ſalutariter mutabantur atque deſtruebantur.

Placet *tria* horum ſpeciminis loco ſiſtere. Nobilis matrona paucos annos ſupra triginta habens, bonæ ſtaturæ atque habitus corporis ſatis floridi, in familia æque atque re familiari ampliore conſtituta, adeoque in quantocunque etiam animi moderamine, vidua præterea, neque primos motus in abſoluta poteſtate habens, neque, vt maxime fit, cohibitorum ſeu ſuppreſſorum pathematum noxas propterea effugere compos; de reliquo vero in diæta, lauta ſatis, omnino vero plena conſtituta: patiebatur iam ab aliquot annis adeo frequentia capitis pathemata, quantumlibet cum aliis etiam, vt mox dicemus, conſpirationibus, vt vix vnquam ſine omni ſatis moleſto harum rerum ſenſu viueret. Erant autem pathemata hæc talia: adfectum erat caput dolore grauatiuo atque premente, aut exquiſitius tendente, ſimul autem ita etiam compunctorio, vt tanquam ordinarie quidem mitiores eſſent lancinationes, quando vero vel caput alacrius, vel totum corpus promtius moueret, cito & grauiter increbeſcentes hæ lancinationes non perfunctorie percellerent: tanto magis autem intendebantur hæc, quando ab animi pathematibus, (minimum autem iræ, ſed pluſculum ſollicitudini patebat,) vel a muliebrium purgationum commotionibus, vel ab aſſumtorum qualicunque difficultate, vel a tempeſtatum mutationibus, (vt nihil dicam de medicamentis, eorumque ſi non vſu, certe ſuaſu perpetuo,) humores, aut commotiones præter ſolitum agitabantur. Calebat ſimul per exacerbationes huiusmodi caput, pulſabant fortius tempora, adfligebantur interdum oculi & aures, iam grauabantur, iam fremebant. Cum his concurrebant palpitationes cordis, promtæ, frequentes, neque parcæ; ardor autem peculiariter moleſtiſſimus per ſpinam dorſi, & ad patientis quidem ſenſum internus ſub his locis. Anguſtiæ tam præcordiorum, quam hypochondriorum frequentes, anxiæ non ita raro, ad animi etiam irrationalem mœſtitiam. Aluus inordinata, menſes ſatis quidem iuſto ordine, nec etiam parca quantitate fluentes, ſed tamen ad eruptionem vsque tanquam laborioſiorem negotium faceſſentes, dum horum omnium incommodorum tanquam ordinaria exacerbatio per illos dies maxime ſe exſereret. Erat vſa medicamentis, ante omnia antiſcorbuticis, martialibus, ſanguinem reſoluere deſtinatis, cephalicis etiam, volatilibus, imo etiam nephriticis propter ardores & ipſos etiam dolores in dorſo, interpoſitis vinis medicatis, & aliis formulis purgantibus: ſed non perſiſtebant ſolum omnia, verum inſoleſcebant etiam magis magisque; acceſſerat a proximo tempore vertigo, & ingens inſuper ventriculi flatulentia, anguſtias temporarias hypochondriorum & præcordiorum exaſperans. In tali conſtitutione expoſcebat meam ſententiam. Suadebam ante omnia abſtinentiam a priſtini moris methodo atque medicamentis, loco horum autem ante omnia tempeſtiuam ſanguinis miſſionem e pede, ſecundum æquinoctia repetendam. Dabam medicamentum, quod menſibus ſubueniret, vt libere potius quam liberaliter fluerent: maximopere vero in ſubordinatione ad hæc talia alterum, quod commotionibus excretoriis intempeſtiuis placidiſſime temperandis, & omnibus, vt vulgo loquuntur, turgeſcentiis ſanguinis moderandis ſatisfaceret. Inculcaui autem fideliter, ne temere & promiſcue etiam his rebus vteretur, prædicto etiam confidenter, quod, ſi circumſpecte ſaltem hæc adhiberet, certo non opus habitura ſit frequentibus medicamentis. Omnino autem commendaui ſimul dextrum vſum pediluuiorum. Horum remediorum & huius

metho-

methodi ope effectum omnino eſt, vt iam poſt nouem annos Nobil. Matrona ante duos forte, ex quo hoc ſcribo, menſes adhuc, quod etiam hucusque ſæpius fecerat, iuxta decentes pro diuina bonitate gratias, quæ & obtuliſſet & felici ſucceſſu beaſſet hoc conſilium, etiam mihi humaniter gratias ageret: ſubleuata ſimul a ſtipendio non contemnendo, quod pro medicamentis, & conſiliis ante hac quotannis pendendum fuerat, cum diſpendio euphoriæ, ne dicam ſanitatis.

Fœmina altera pariter 34. annorum, habitu corporis tenero, ſtatura modica, cholerico ſanguinei temperamenti, quæ per adoleſcentiam ſuam narium hæmorrhagiis prorſus intemperantibus laborauerat, maritata vero, & puerperia experta per plures annos ab his libera vixerat, cum a 6. forte annis non amplius peperiſſet, interim, vt in re familiari ampla, & multis etiam pecuniarum verſuris tractandis, animi motibus multum atque varie expoſita, incidit in cephalalgias exquiſitiſſimas, ſenſim ſenſimque non ſolum acerbiores atque diuturniores, ſed etiam magis magisque crebriores, & inſultibus ad leues occaſiones ferocientes, cum illo etiam ſpeciali ſymptomate, vt in ſumma nucha, vbi ſubtiles ſunt muſculi, caput ſecundum ceruicem regentes, acerrimum ſpaſmum experiretur. Superuenit tandem ita conſtitutis rebus Medicus, qui dato circa ſolſtitium autumnale, dum hic affectus ita muſſitaret, colocynthiaco medicamento, præter opinionem obtinuit, vt hæc quidem cephalalgia ſimul & ſemel euaneſceret, interim autem, tanquam cuneus quidam ipſiſſimo oſſi ſacro impingeretur: qui poſthac iſchiadicis doloribus exquiſitiſſimis latius excurrens, grauia incommoda his in locis produxit &c.

Tertium exemplar eſt fœminæ 25. annorum, quæ per tres ad minimum annos vix non perpetuis cephalalgiis eximiis, & rariſſime inſigniter miteſcentibus, cum menſium etiam inordinato, ſemel etiam a temeraria medicatione prodigo, fluxu, cum nudo adſpectu ſanguine non æque abundare appareret, motus ſolum contentione anomala inprimis adflicta, ventilatione per V. S. in pede, tempeſtiuis abductionibus a capite, temperationibus ebullitionum vulgo dictarum, menſium autem συμμετρίᾳ diligenter adiuta, liberata etiam hæc eſt ab hoc pertinaci dolore.

Certiſſimum, inquam, hoc eſt, quod hæc etiam *pertinax* dolorum cephalicorum non tam æque vera peculiaris *ſpecies*, quam ſucceſſiue inſoleſcens *frequentia* atque *contumacia* eximie ad minimum *foueatur* atque ſuſtentetur ab illis *ſanguinis congeſtoriis* per hæc loca *contentionibus*.

§. IV. Interim venit hic non immerito vtique æſtimanda etiam *rheumatica*, aut *catarrhalis* dolorum talium cauſſa, aut certe culpa. Cum enim proprio loco ſatis deduxerimus, quod ipſæ, *rheumatici* dicti affectus, *congeſtiones* atque *contentiones*, *primario* ſanguinem verius, quam aliam quamcunque ſubſtantiam pro *fundamento* habeant:

Cephalæa rheumatica cum motibus ſanguinis congeſtoriis ſtipata.

quod

quod profecto tanto magis confirmant tum generalis motus humorum ad quascunque huiusmodi partes non niſi ſub tota maſſa ſanguinea; tum inhabilitas materiæ talis, ſi ſpecifica eſſet, ad hic præcipue ſecedendum, æque atque partium talium inhabilitas, ad peculiarem materiam ſpecifice ſecernendam e reliqua maſſa veluti notoria: vnde, cum non ſolum quicquid rheumatiſmo in partes impelli cenſetur, ſanguinis vtique impulſu eo perferatur, ſed etiam ſub illa qualicunque reſtagnatione, quando vtique vera comparet, plus minus euidens eſt, licet dilutioris, ſanguinis tamen, concurſus: id quod e colore, calore, contuſoriis ſenſationibus, præcipue vero e veræ experientiæ teſtimonio, de conſpiratione rheumatum etiam cum debitis excretionibus ſanguineis, poſitiua nocendo, aut priuatiua præoccupando aut tollendo, ratum facere poteſt:

non difficile proinde eſt hinc colligere, quod etiam, ſi *rheumaticæ* apparentes *congeſtiones* aliquæ ad caput oboriantur, reſpiciendum ſit ad ipſum habitum *ſanguinis* in talibus ſubiectis: quomodo, inquam, ille etiam vel *occaſionem* præbeat primariam, *propter* quam, tanquam hæmorrhagico ſcopo, ſanguis commoueatur ad hunc locum; ſub cuius tali *reſtagnatione* deinde *ſeceſſio* eiusmodi altior contingat: aut etiam ſpecialiſſime iam, ad certam etiam veluti particulam adacta illa reſtagnatione *ſanguinea*, vbi exitum directe moliatur, exundat ortes dehinc, tanquam ſtrictiſſimo loco coorientes, *rheumatodes*, tanquam ſimpliciter *accidentali* ratione rheumaticam conſtitutionem ita mentiantur.

Cephalalgia continuæ muliebri ſexui non ignota. Eius ſigna.

§. V. *Prioris* certe generis dolor non parum notus eſt *muliebri* ſexui, & accedit ſatis multis exemplis, imo propria intimiore rei indole, magis magisque ad *continuam* quaſi *cephalææ* adſignatam adfligendi pertinaciam. Sumit autem propemodum initia ab eiusmodi *coaceruatione*, qua patientibus talibus tanta circa totum caput *reſtagnatio* euenit, vt inde maxime viſibilis *inflatio*, prorſus inſolita, contingat, iam cum *rubore* eximio, iam ſine eodem. *Dolore* interim omnino *exquiſito*, imo prorſus præter modum & vſitatum morem *enormi*; *pungente* & *vibratili*, & qualis etiam alias *cephalalgiæ* ſolet eſſe ſenſus, *gradu* ſolum excellens. Interim ſimul *duplici* diuerſo, & altero quidem vere *ſpecialiſſimo* ſymptomate illo conſpicuus, quod apud alios quidem *ardorem* inſignem comitem habeat; apud alios autem *frigus*, etiam communiter *excellens*: & hoc vltimum quidem, inprimis in ipſo maxime *vertice*, nempe per totum ambitum *bregmatum* dictorum. Appellant vulgo hanc conſtitutionem *eryſipelaceam*, & inprimis quidem

dem *poſteriorem;* aut ſi vel maxime *frigus* abſit, tamen etiam *rubor* deſit, *eryſipelas album*, die weiſſe Roſe.

§. VI. Quamuis autem in hac conſtitutione ita *rheumatica* tanta *congeſtionis* intenſio minime perpetuo adſit, quæ *inflationem* talem formare valeat: eſt tamen huic generi perquam familiaris, imo vero magis magisque etiam omnino certa, tanta *dolorum* in genere *pertinacia*, vt, niſi quam maxime dextre atque conuenientiſſime illis conſulatur, nequaquam *diu*, imo familiariter ne quidem vnquam *plene*, ceſſent.

Dolores in hac congeſtione rheumatica admodum pertinaces ſunt.

Varia huius rei habui exempla, inprimis autem cum frigore illo coniuncta, e quibus duo allegare ſufficiet. Fœmina honeſta 36. annorum, robuſti pro ſuo ſexu habitus, interim minime viribus etiam tali adſpectui paribus, ſed vt in otio, & lautis quam maxime diætæ rebus, in officio aulico, & præcipuo fauore dominæ ſuæ victitans, iraſcendi etiam occaſionibus, & indignandi per auctoritatis ſuæ adfectatæ ſæpius irritos ſucceſſus expoſita, ſanguineo-phlegmaticæ indolis, ſed per adſcitos mores turbatæ, plethorica omnino euidenter: cum tandem mœror, & commodi otii atque quietis repentinæ quædam mutationes obiectæ eſſent, incurrit huiusmodi cephalalgias, quæ magis magisque quidem & quantitate & duratione augeſcentes, non ita tarde ad talem continuitatis affectationem progrediebantur, vt vix vnquam ſine omni, non moleſto ſolum, ſed prorſus eximie tali ſenſu exſiſterent; ad minimum ſi corpus temere fortius commoueret, imo caput ſolum verſaret aut quateret, aut ad terram prona cito ſuſtolleret; vbi nempe etiam cum repentina vertigine dolor intendebatur. Menſes interim ſuccedebant non infeliciter; nec erat etiam alia inſignis querela, præter hypochondriacas, ſeu potius præcordiorum, inſignes anguſtias poſt paſtum, inprimis aliquanto largiorem aut ciborum duriorum. Quando vero exacerbatis commotionibus vehementius concitabatur etiam hic ipſe dolor, tunc vtique eximium gradum occupans, grauiſſime exercebat patientem, inprimis ſymptomate illo moleſtiſſimo frigoris circum totum verticem valde exquiſiti: cum faciei interim viſibili turgeſcentia inſolita. Liberata eſt V. Se. in pede, pediluuiis, nitratis, alui ſucceſſu ſeruato, & externo vſu camphoræ.

Altera fœmina Nobil. 30. annos prætergreſſa, quæ vero ab intermittentibus febribus, 4tana, plus duobus annis, niſi coactas aliquandiu inducias non dante, & 3tianis pariter rebellibus exagitata, frequentiore autem vſu chin-chinæ, non in has tantum ἀταξίας, ſed menſium etiam coniecta, incurrit hanc ſpecialiſſimam perturbationem, vt menſes quidem periodum ſeruarent exquiſitam; interim non duraret fluxus illorum, niſi pauciſſimas tantum horas: poſt quas ſenſibiliſſimus adſcenſus feruidiſſimi cuiusdam tractus, ſed tenuis, (patiens exprimebat, es ſeye nicht anders, als wann ein glüender Drath in die Höhe durchgezogen würde,) per ſpinam dorſi & ceruicem ad caput pertendens ſentiebatur: & hoc quidem exiguo temporis tractu. Cum hoc ipſo inuadebant tempora dolores acutiſſimi, tan-

quam ſi claui infixi eſſent; qui cito etiam totum caput occupantes, & inprimis ſenſum illum frigoris exquiſitiſſimi inferentes, inflatione faciei non ſolum, ſed æqualiter totius capitis admodum inſigni, quæ cum rubore etiam, ſed leui tamen coniuncta, durabat ita propemodum ſine vllo remiſſionis æque, ac inprimis intermiſſionis, indicio, ad 4tum vsque diem, quo ſic ſatis promte diminuens præter languorum & debilitatem qualemcunque ab appetitus, & inprimis omnis quietis per hos dies, defectu, redibat de reliquo ſenſim ad pleniorem euphoriam: leuiſſimis tamen quibuslibet ſenſibiliter iterum intendendus. Non tamen niſi vertentibus tribus ſeptimanis, ab eadem ſcena menſium recurrentium denuo iterum prorumpens. Hæc autem harum rerum facies continuabat ita plus decem totis menſibus. Depulſa vero eſt contentioſæ commotionis atque congeſtionis mitigatione per nitri decentem vſum, menſium reſtitutionem, & V. Sem. in pede, ſubiunctis tempeſtiuis pediluuiis: adeo certe, vt cum etiam febrilia noua incommoda, ſubſequente proximo vere circa paſchatos tempus, inordinato typo atque more, tertianariam tamen menſuram affectante, recurrerent; qui etiam poſt hac varia rheumatico-arthritica incommoda varie patientem exercerent, quin denique poſt quinque demum annos, acerrima hemicrania, inter animi pathemata grauiſſima, inprimis autem aſſidui ſummi mœroris corriperetur, quæ etiam per ſex forte ſequentes annos ſæpius reuertens, & alias miſerrime exercuit patientem, & viſu quoque penitus priuauit: tamen hic talis motus, & talis etiam modus cephalalgicus, æque, atque ſymptoma etiam illud frigoris per ſummam capitis, nunquam amplius recurrerunt. Fuerat autem per tractationem illam alieniſſimam febrium prægreſſarum menſibus inprimis inducta ἀταξία, circa egeſſum fundamentum vtique totius huius ſuccedentis peruerſi motus congeſtorii ad caput; ſicut etiam ſpecialiſſimo altero phænomeno ſeſe exhibuit, altero ſtatim menſe ab eo, quo impetus ille ita ad caput aſſurgendi expugnatus fuerat. De quo proprio loco plura dicemus: vtroque interim modo conſpirationem vehementiſſimorum etiam talium dolorum, cum ſanguineis ad qualemcunque eruptionem contentionibus euidenter conſpicuam notantes.

Cur fœminæ hanc conſtitutionem eryſipelaceam appellent.

§. VII. Eſt, inquam, hæc talis conſtitutio diuerſis ſolum gradibus inter *fœminas* minime ignota, quæ illam *eryſipelatodem*, vt ante dictum, reputare ſolet. Permotæ procul dubio illa maxime obſeruatione, quod minime profecto rariſſimis exemplis ex hac conſtitutione *male tractata* etiam *vitam amitti* experiantur, & *acuto* quidem progreſſu, paucorum dierum: quod *eryſipelati* alias male cedenti ita euenire meminerunt.

In cephalæis a ſeroſa cauſſa pendere apparentibus congeſtio ſangui-

§. VIII. Iterum autem moneo, vt etiam in eiusmodi *cephalæis*, quæ externo adſpectu tanquam euidentius etiam a *catarrhali* potius *ſeroſa* cauſſa pendere apparent, nunquam tamen negligatur intuitus *congeſtionum* eiusmodi ad hæc loca, *vt propter ſanguineam* cauſ-

cauſſam atque deſtinationem fientium: licet deinde, pro peculiari habitu *temperamenti*, vtique altior *diffuſio* magis *phlegmatodes* compareat, quam vlla alia.

nea non negligenda eſt.

§. IX. Commendo interim, quibus rem altius conſiderare ſedet animo, vt ad talium etiam *cephalæarum*, qualiacunque *exacerbationis* temporariæ ſigna exhibentium, indolem referant illa, quæ dixi de *rheumatiſmi* natura. Vbi ſimul nequaquam negandum venit, quod etiam per *feroſas* aliquando excretiones, *exitum facilem & frequentem* adeptas, eiusmodi *contentiones congeſtoriæ* in poſterum repullulent: non tamen hoc etiam, vt ad nudam *feroſam* excretionem, qua talem, vere ſimpliciter; ſed omnino potius, vt *vniuerſaliore*, aut præcipua ad minimum, *ſanguinis* euacuatione, aut *ventilatione*, ſub his *contentionibus* comprehenſa: cui, ſi non in totum ſatisfiat, at in tantum ſuccedere, aliquid ſolaminis adferat.

Cæphalææ, quæ per feroſas excretiones exitum adeptæ ſunt, pertinacioris indolis obſeruantur.

§. X. Alia vero res eſt de *vlceroſo-ichoroſis* congeſtionibus, ſiue a *vi externa*, ſiue a qualicunque demum *intemperie* humorum, aut *motus* eorum, originem ſuam traxerint. Interim in his etiam talibus non ſolum *occaſionaliter* ad minimum, ſed paſſim etiam magis *directe* (vnde illi euentus demum, vt per accidens, ſuccedant) primum fundamentum præbere *ſanguinis* ad hæc loca *congeſtiones* atque *contentiones*, oſtendet facile circumſpectior obſeruatio practica clinica.

Vlceroſo-ichoroſæ congeſtiones etiam a ſanguinis contentionibus oriuntur.

Vt nihil hoc loco dicam de antè allegati poſterioris exempli Matrona, quæ ſub illis hemicraniis, quæ priſtinæ congeſtoriæ menſtruæ acerrimæ cephalalgiæ poſt aliquot annos veſtigia inſiſtebant, copioſam eruptionem, & quaſi perpetuam manationem ex illius oculi cantho experiebatur; quæ tandem etiam, ſub reuertentibus huiusmodi paroxyſmis, acerrima euadebat, vt non ſolum oculum grauiſſime roderet, ſed etiam oculo ſubiectam cutem circa os Zygomatis arroderet: poſſum aliud ſimile exemplum ſiſtere, certe minime obſcurum. Honeſta fœmina & genere & matrimonio, rebus ſatis commodis atque lautis adſueta, fœcunda, ſed & felix in geſtando atque pariendo, ita vt hæ res reliquæ plenæ ſanitati & floridi ſanguinis abundantiæ nihil quicquam detraherent, quæ ex manifeſtiſſimis ſignis luculenter comparebat: cum a pluribus iam annis ſcarificatione interdum vſa eſſet, aliquando etiam V. Se., ſed nec ordine aliquo, neque tempore obſeruato, cum circa has res etiam tandem neglectui pleniori indulgeret, interim occaſiones variorum animi pathematum frequentius incurreret, quin etiam acrium calidorum elixirium gratuito abuſui auſcultaret, incurrit inde in congeſtorios eiusmodi dolores occipitis, inprimis autem dextri, a ſumma ſutura lambdoidea, ad infimum pro-

proceſſus maſtoidei, vt non ſolum per tres aut quatuor dies acerbiſſimos in his locis ſenſus toleraret, ſed etiam poſt aliquot recurſus huius inſultus paroxyſmus primo quidem in tumorem ſenſibilem, tandem etiam actualem vlceroſam eruptionem ſuper proceſſum maſtoideum ſemel atque iterum terminaretur, cum adeo ſenſibili etiam pertinacia, vt iam non tantum pluribus diebus perſiſteret dolor, ſed etiam remiſſo præcipuo impetu, tamen etiam poſtea vix non continuam muſſitationem exhiberet, & perpetuo inſolita ſenſibilitate caput obſideret. Infeſtauit huiusmodi conſtitutio patientem magis magisque intolerandis veluti doloribus. Cum autem denique me quoque in conſilium aduocanti ordinarum vſum V. Sis in pede, tum etiam tempeſtiuæ interdum ſcarificationis commendauiſſem, laxationibus autem tempeſtiuis, aliis vero commotionem ſanguinis temperantibus ſuccurriſſem, & præter hæc omnia pediluuiorum conuenientem vſum commendaſſem, liberata eſt ab huius adfectus inſultibus effatu vsquam dignis. Cum autem tertio poſt anno (neque quidem, quod mihi notum ſit, intra huius temporis ambitum, medicamentis frequentioribus opus habuerit) vterum iterum gerens, & inquietudine multa, quin denique animi perturbatione per mortem mariti perculſa, incurrit vehementiſſimos dolores arthritico-iſchiadicos per dorſum ad coxendices ſæuientes. Suppeditabantur contra hos ab vno & altero Medicorum, qui marito eius præſto fuerant, remedia vſitata, genus neruoſum roborantia, balſamica dicta, antiſcorbutica, anodyna. Cum per multos dies nihil ſubleuaretur, tandem in animum inducit ſeponere aliquandiu medicamenta; cum etiam hoc quatuor diebus nihil profuiſſet, petitur iterum meum conſilium. Cum ſerio prohibuiſſem quorumlibet acrium, *calidorum* & *volatilium*, hoc tempore, vſum, dedi ante omnia *temperans* remedium ad commotiones ſanguinis, vt omnino etiam calore ſenſibili non deſtituebatur: poſt duas huius doſes per diem ſumtas egregie placidam noctem expertæ, cum aluus hucusque ſiccior magis quam humida fuiſſet, lenem laxationem inſtitui mane, cui tamen meridie circa prandii, & veſperi ad cœnæ tempus temperans illud, nempe utrosum, iterum ſubiungo; in noctem vero diapnoicum addo: ſublatis ſenſibilibus doloribus tranſigit illam noctem penitus tranquillam, ſomno quoque, licet adhuc ad ſtrepitus ſenſibili, potita. Nihil ſupererat præter tenſionis ſenſum, cui muſſitationes rariores etiam micationum quarumcunque concurſabant. Repetitis autem, leni & quadantenus peculiari laxatione, temperantibus illis per diem, diſcutiente vero illo, quod etiam lenes ſudores eliciebat, in noctem, datis, pauciſſimis æque diebus, atque liberalibus prorſus progreſſibus obtinuit ita plenam atque conſtantem, inprimis autem cum fida alacritate coniunctam, huius etiam doloris liberationem. Cui cum proximis poſt diebus etiam ſanguinis miſſionem, (vt erat paulo ſupra medium tempus geſtationis,) iunxiſſet, non ſolum placidiſſime penitus abſoluit hanc periodum, & partu etiam felici potita eſt: ſed cum etiam tunc lochiorum exquiſite haberetur ratio, & poſt puerperium quoque per æquinoctia, moderatæ ventilationi ſanguinis operam dediſſet, freta eſt hucusque, fauente Deo, ſanitate florida prorſus, neque priſtinis in capite, neque hactenus vllis in dorſo, lumbis aut coxis inſultibus amplius tacta.

§. XI

§. XI. *Caluariæ* vero *cariei* grauiſſima ſunt damna, & neceſſario *pertinaciſſima*, imo *inſanabilia*: priusquam nempe ipſa hæc cauſſa originaria auferatur. Cum autem hæc res proprie ad *cephalalgiæ* claſſem non pertineat, non damus illi etiam hic prolixum locum. Sufficiet nobis illud ſolum, quod hic propius conuenit, dixiſſe, nempe *differentiam* inprimis huius doloris a reliquis indicaſſe: quæ in eo conſiſtit, quod hi dolores non tam neque *calentes*, ſed magis *ſalſo ardore rodentes*; neque tam *tendentes*, ſed tanquam incumbentis *ponderis* ſenſu *prementes*; non tam *lancinantes*, quam acriter *morſicantes*, imo, vt eloquuntur ſpecialiſſime, *terebrantes*, inde ſentiantur; *pulſatilis* etiam dolor his non tam acutum *lancinatorium* ſenſum conciliet, quam re vera craſſam, & cum lata percuſſione grauiter imprimentem quandam *concuſſionem* ſenſui incutiat: vnde tales percusſiones etiam ſub eiusmodi comparationibus exprimunt, es ſeye nicht anders, als wann ihnen ein Hammer auf den Kopff ſchlüge.

Dolorum ex carie caluariæ differentia ab aliis doloribus.

§. XII. Præcipua vero huius ſpecialiſſimi doloris circumſtantia, & ſignum prorſus *pathognomonicum*, eſt *duplex* illud: *primo*, quod ſic adfecti reuera *continuos* experiantur ſuos illos dolores, nec vnquam vere, & in ſolidum penitus deſinentes: *ſecundo*, quod hi, conſtanter & æqualiter fere, *nocturno* tempore eximie exacerbentur; & tanto magis fere, quanto magis corpus ita per quietem incaleſcit, inprimis in *plumaceis* lectis, vnde etiam vulgata locutio ortum duxit, dieſe Schmertzen können die Federn nicht leiden.

Præcipuum ſignum pathognomonicum horum dolorum.

§. XIII. Antequam autem ab hoc negotio penitus diſcedam, mentionem adhuc facere conuenit de rariore quidem, ſed non tamen abſolute rariſſimo, dolore capitis vehemente, vere *conuulſiuo-ſpaſtico*. Qui quamlibet frequentius *hemicranicus* potius ſit, quam *totum* caput occupet: cum tamen hoc etiam non ita rariſſime faciat, merebitur vtique etiam ſub hoc ſchemate commemorationem. Siſtam autem illam ipſo exemplo.

Dolor capitis vehemens vere ſpaſtico-conuulſiuus.

Fœmina, tenerrima certe corpore animoque, alacris tamen & admodum promtæ indolis, cum aliquando per mediam æſtatem, turbido tamen iam cœlo, excurſionem in rheda ſuſcepiſſet, & in editum ſatis, per aliquot circum milliarium planitiem, montem pedibus maximam partem, quia rhedæ aditus minus patebat, aſcendiſſet, adeoque a motu inſigniter concaluiſſet, incidit hic non ſolum in valde ventoſam aëris intemperiem, ſed cum etiam tempeſtas, quæ iam diu ante oculos fuerat, non ſolum magis magisque, ſed prorſus impetu repentino, erumpens, & vehementiſſimum ventum, & frigidiſſimum cum im-

bre non ſolum, ſed multa quoque & inuſitatæ magnitudinis grandine extuliſſet, illa vero, perdito illo hodierno veſtitus more, totum propemodum caput nudum gerens, ne ab aquæ quidem pluuiæ largiore adſperſione libera manſiſſet, imo in eadem adhuc tempeſtate, qualiter cunque deferueſcente, aere tamen interim & importuno & humido inprimis atque frigido, domum reueheretur in rheda patente: ſenſit ſtatim grauationem & mox dolorem capitis, non exiguum, nondum tamen enormem. Cum autem ipſa illa veſpera, reuertente graui vi tempeſtate, ingens fulgur ita in conſpectum eius emicuiſſet, dum per apertam feneſtram proſpiceret, vt etiam non dubitaret paoximas ædium partes inde violatas eſſe, & grauiſſime inde conſternaretur, auctus hinc eſt admodum dolor. Sequente die cum grauiſſima animi exacerbatione commota eſſet, e qua certe tota acerrime tremebat, & vix tardius ad ſe reuerteretur, cum incremento doloris ingente, incidit in actualem conuulſionem epilepticam. Augeſcebat autem dolor in horas; adhibebantur medicamenta, ſed irrito ſucceſſu, augeſcebant potius re vera dolores, ad intolerandum prorſus exceſſum. Cum autem etiam per vertiginoſas capitis perturbationes, imo forte etiam per veros actuales prægreſſos diætæ errores, nauſea etiam, & vomendi conatus incidiſſent, inductus hinc eſt Medicus ad vſurpandum vomitorium. Horruerat autem talis aſſumtionem, & deprecata erat patiens ſummopere. Dabatur tamen inſciæ vtique, ſed cum tamen effectum ſuum ederet, ſubſequente hinc ipſius ſumma cum indignatione. Intendebantur autem dolores capitis illi immanes hinc eousque, vt omnino vtique vix mentis compos patiens ne momentum quidem quietum exigeret; interim oculi inſolito penitus more extra orbitam expellerentur. Eo ipſo vero incidebat proxima ſtatim veſpera in plenam ἀμαύρωσιν, a dilatatione pupillarum prorſus enormi: cum continuitate interim doloris illius, vt illa quidem geſtibus æque atque verbis exprimebat, inenarrabilis. Quamuis autem hic temperantibus mitigatus, ſenſim etiam, quatuor forte dierum decurſu, ita ſucceſſiue infractus, imo ſubactus ſit, vt ſenſim euaneſceret, & inſultus etiam, ſub qualium forma repullulabat, omitteret, quoad octo dierum exitu prorſus ſublatus appareret: imo etiam continuatis remediis in ſolidum ceſſaret: perſtitit tamen cœcitas plenaria &c.

Poſſent certe exempla, huic non multum concedentia, multa allegari, de quibus valeat illa vulgo vſitata locutio; es wolle ihnen die Augen aus dem Kopff reiſſen, es habe ihnen den Kopff gantz zu ſchanden geriſſen; comitantibus etiam manifeſtioribus *ſpaſtico-conuulſiuis* motibus: ſed cum talium conſideratio potius ad ipſorum ſpaſmorum cenſus iure meritoque referenda ſit, non placet iisdem præſente loco diutius immorari. Vnde potius progreſſum facio vlteriorem ad *catarrhales* congeſtionum effectus.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De DOLORIBVS CAPITIS CATARRHALIBVS.

§. I.

EGImus iam ſuperius de *fluxionibus catarrhalibus* per nares, *phlegmatorrhagia* minus quotidiani exempli; cuius autem familiariſſimum exemplar, & propemodum quotidianum, eſt vtique ita dicta *coryza* Græcis, & fere vſitatiſſimo etiam ſecundum hunc ſenſum nomine Latinis, *grauedo*. Coryza & grauedo.

§. II. Interim cum illa circumſtantia, cui nomen *grauedinis* quam maxime quadrat, non omni abſolute huiusmodi *fluxui* communis, ſed certa potius conditio ſit, quæ non tam æque hunc *fluxum*, quam *impeditum* eius ſucceſſum ſtipet; maiore certe iure hinc tribueretur *grauedinis* appellatio etiam illi peculiari circumſtantiæ, cui proprie reſpondet, quam vt ita promiſcue toti *fluxui* in genere dicetur. Germani appellant, den Stock-Schnuppen; *cunctantem* eiusmodi, & progreſſu deſtitutam, *vrgentem* tamen vtique & *incumbentem* talem, re vera hoc ſenſu potius, quam a *fluxu* ipſo, dicendam *gravedinem*. Grauedinis nomen cui proprie reſpondeat.

§. III. Quando nempe circa infimam *frontem*, circa os *ethmoides*, *tenſio* quædam ſenſibilis, imo veræ *preſſionis* incommodum percipitur; quod ſimul *oculis* fere ipſis varia moleſtias faceſſens, & ad *tempora* quoque ſe diffundens, eminenter quidem præcipue dictam talem *preſſionem* format, vt hinc patientes etiam illa loquendi formula vti ſueuerint: es drücke ihnen in der Stirn nicht anders, als ob ein Stein darinnen läge; können kaum die Augen dafür aufthun, und ins Licht ſehen, drucke ſie in denen Augen wie Sand &c. Eius ſigna.

§. IV. Hic *dolor* augeſcit paſſim eousque, vt etiam non ſolum peculiarem *fremebundum* ſenſum, ſed etiam *compungentem*, tam in *fronte*, quam per *tempora*, inde percipiant: imo etiam ita *vibratiuum* motum accuſent, qui a nudis *compunctionibus* diuerſis ſentiatur: vnde locutiones illæ: es ſumme ihnen im Kopff, dohne ihnen Quas partes capitis hic dolor occupet.

der Kopff, reiſſe ſie im Kopff, fahre ihnen durch die Schläffe &c. Quibus rebus etiam *inertia* peculiaris *ſenſuum internorum* ad vſum *cogitabundum* coniungitur; *faſtidium* potius peculiare, & plus minus *ſomnolentum* quendam *ſtuporem* præ ſe ferens. Occupat autem interdum huiusmodi varia moleſta ſenſatio etiam *ſummitatem* quaſi capitis; extendendo ſe quoque ad *occiput*, & inprimis ad ipſos vſque proceſſus *maſtoideos*.

Eius ſymptomata in malo leuiore.

§. V. In quibus caſibus familiariter etiam *vertigo* concurſare ſolet; ſequens tamen demum magis quascunque agitationes capitis, & comitata etiam transcurſibus eiusmodi *lancinatoriis*. In *leuiore* huiusmodi malo expedit hæc talia dolorum incommoda erumpens tandem *fluxus narium*, etiam *catarrhalis* ſolum, nempe veræ *coryzæ*. Sin autem diutius perſtet, infert etiam familiariter non ſolum *auditui* incommoda quædam; verum etiam *appetitui* familiariſſime mox detrahit: imo obtundit etiam *guſtum* æque ac *olfactum*, haud multo minus, quam ipſa etiam fluens *coryza* facere conſueuit.

In malo graviore.

§. VI. Si vero non tam ſimplicior *ſeroſa* eſt, quæ ita cooritur *congeſtio*, & cum illa concurrentium *dolorum* indoles, fiunt illi non ſolum *acutiores*, *acriores*, *ardentiores*; inprimis tamen etiam cum eiusmodi ſingulari *tenſionis* atque *grauitatis prementis*, imo *frementis* ſenſu, & *ſemiſtupida* & qualitercunque *ſomnolenta* turbulentia: ſed etiam cum valde familiari, eximie quoque ſenſilis, imo pro quantitate, ſeu potius *qualitate* acrimoniæ illius rheumaticæ, *acrioris febris* concurſu. Imo vero incumbit ſæpe numero huiusmodi *congeſtio* etiam magis iam ad *aures internas*, iam ad *externas*; familiarius autem vtrumque hoc, ſi illud parturiat, de quo hic proprie ſermo eſt, nempe *dolorem* eximium: *otalgiam* dico, cum aut ſine *parotidum* dura inflatione.

Otalgia ſæpe cum ſtaſi inflammatoria coniuncta eſt.

§. VII. Licet autem hic dolor communiſſime fere pertinacia ſua peculiari actuali *inflammatoriæ* ſtaſi, ex illa congeſtione formatæ, innitatur, adeoque non ſit ſtrictiore acceptione præſentis loci: tamen, cum etiam aliquando ſatis iam acris, iterum tempeſtiuam *discuſſionem* admittat, inprimis autem vix aliis ſubiectis eueniat, quam talibus, quæ peculiariter ad *catarrhalem*, ſeu potius *rheumaticam* diſpoſitionem ipſa *corporis habitudine* peculiariter apta comparent, tribuimus illi propterea non immerito locum etiam in ipſo hoc cenſu.

§. VIII,

§. VIII. Enim vero non poſſum hic ſilentio inuoluere circumſtantiam illam, huic adfectui, *otalgiæ* inquam rheumaticæ, pariter peculiari ratione competentem, quod ſatis certe ſit *infrequens*: adeo quidem, vt facile aliquot *mille* numerentur, non ſolum *ſanguinea* magis, ſed omnino etiam huiusmodi *catarrhali* ſeu rheumatica *cephalalgia* adfecti, priusquam *vnus* inter illos occurrat, vera *otalgia* laborans; numeroſa vero *millia inſultuum cephalalgicorum* erga vnum inſultum *otalgicum* verum. Vbi nempe certe diſtinguenda eſt *accidentalis* magis ſubminiſtrata occaſio huiusmodi *dolori*, contradiſtinguenda *ſpontaneo* decubitui, ne dum *habituali* tali ad hæc loca inclinationi. Licet enim etiam *otalgia*, quando plus ſemel hanc ſemitam inſtitit, poſthac non raro eandem *repetat*, & huius rei quaſi *habitum* ſuſcipiat: eſt tamen omnino certum etiam hoc ipſum, de quo loquor, quod nempe talis conſtitutio ita habitualis quam maxime ſit *infrequens*.

Otalgia catarrhalis ſ. rheumatica infrequens, cephalalgia vero frequentior eſt.

§. IX. Interim, quod etiam hæc, vbicunque occurrit, plus debeat *ſeroſo ſaliuali*, quam vlli alteri conſtitutioni, confirmat omnino etiam ipſa in *parotidem* ſeſe inſinuandi efficacia: quam quidem non tam ſimpliciter *ſanguineum* quidquam, quam *ſaliuali* indoli adhuc magis congener maxime ſubire poſſe certiſſimum eſt. Cum autem etiam in hoc adfectu, æque atque *odontalgia*, aut certe non multo minus, *ſpaſticum* quid complicari ſoleat, quod præcipuam illorum vehementiam abſoluat; imo vero etiam *otalgiæ* inualeſcenti perpetui comites adſiſtant *inflammationes*; quin imo maximam partem difficultatis earundem conſtituant & abſoluant: erit proinde ille *reſpectus*, ſecundum quem tantas difficultates deinde fouent, etiam ſeorſim ad illa loca ita referendus, vt ex illarum circumſtantiarum indole tandem iudicium inſtituatur.

Otalgiæ hiſtorica ratio & explicatio.

§. X. Idem ſentiendum eſt etiam de *aliarum partium* doloribus, a *congeſtione* ſanguinis quocunque intuitu pendentibus. Cum enim hi quoque præcipuam propemodum ſui partem debeant *ſpaſticis* ſtricturis, quibus ita ad eiusmodi loca *compelluntur*, in illis detinentur, imo variis *impulſibus* ita agitantur, vt inde variationes illarum vibratiuæ hinc reſultent; quod nempe de variis ita dictis *rheumatico-arthriticis* doloribus, inprimis cum viſibili aliqua partis *inflatione* non ſimpliciter *œdematoſa* factis, & varium ſenſum dolorum paſſim formantibus, omnino valet; interim autem etiam de ipſis *circa caput* conge-

Dolorum aliarum partium, a congeſtione ſanguinis pendentiæ, explicatio.

congeſtoriis huiusmodi *doloribus* non ſolum certum eſt, quod ibi ſanguinis inprimis talis redundantia ſeu *ſtagnatio* præcipuum fomitem conſtituat, ſed etiam re ipſa propius ad *euacuatoriam* ventilationem tendat: quo intuitu etiam præſente loco conuenientiſſime tractanda fuit.

MEMBRVM II.

DE RHEVMATISMIS SPECIALIORA.

§. I.

Cauſſarum rheumatiſmi diſtinctio.

QVamuis vix quidquam ſupereſſe cenſeam, quod non in *ſpeciali* parte ſatis declarauerim, quicquid ad *rheumatiſmum* ſpectat: non erit tamen ſimpliciter ſuperfluum, tanquam ſpicilegio aliquo inſtituto, breuiter adhuc ſemel hanc rem percurrere. Diſtinguenda nempe vtique eſt *cauſſa*, vt vulgo loquuntur ſcholæ medicæ, *occaſionalis* & *antecedens* a qualitercunque *inſtrumentali*, & ipſa maxime *continente* dicta. In ſubſtrata materia diſtinguenda eſt *cauſſa*, *quamobrem* congeſtio rheumatica ſuſcipitur, imo etiam *actus* & *effectus* ipſe congeſtionis talis, a *modo* atque *motu*, cuius ope illa perpetratur. Hoc intuitu æſtimari debent variæ etiam huiusmodi *rheumaticæ* congeſtiones, *vnde* maxime ortum ſuum ducant; inprimis vt in *talia* loca, talibus *temporibus*, talibus *ſucceſſibus*, ita irrumpant; & qualem tunc vere *propriam*, & ab actualibus *inflammationibus diſtinctam*, indolem exhibeant.

Eius ſubiecta, & cauſſæ.

§. II. Eſt hoc intuitu ante omnia ſciendum, quod ad *rheumatiſmum* promtius ſubeundum nemo magis *aptus* ſentiatur, & plane *procliuis*, quam ita dicti habitus *phlegmatico-ſanguinei*, inprimis ſubtilius *exagitati*, homines. Interim autem porro ad *actum* ipſum huiusmodi *rheumaticæ congeſtionis* facit vtique propinquius iam *abundantia plethorica*, etiam huiusmodi ſanguinis. Tanto magis autem *exagitationes* actuales immoderatæ, vel magis *corporales*, ex aëris conſtitutione, aſſumtis, motu corporis, aut quiete, multum excedentibus; vel etiam *intentionales*, ex *animi pathematibus*: imo ipſarum

rum etiam partium corporis exteriorum prædiſpoſitiones huiusmodi *accidentales*, a *vi externa* quacunque prægreſſa, *vulneribus*, *vlcerationibus* manantibus, *contuſionibus* grauibus, *ambuſtionibus*, *congelationibus* &c. Tanto plus autem poteſt hic ſemel introducta qualiscunque *conſuetudo*; vtpote quæ prædictas omnes *occaſiones*, & fundamenti quaſi loco ipſam inprimis *plethoram* per quam facile inſequitur: ſicut etiam in hac claſſe *hæreditaria* diſpoſitio non poſtremæ eſt efficaciæ.

§. III. Quemadmodum autem iam ſuperiore parte ſecunda innuimus diuerſitatem illam *rheumaticorum* & *arthriticorum* affectuum, quæ in mutuis veluti *ſubordinationibus* conſiſtit; dum *rheumatiſmus* quidem verus cum ſenſibili *appulſu* materiæ contingit, adeoque actualem *reſtagnationem* in parte format; *arthritici* autem adfectus fere magis in *ſpaſtica* per ipſam partem *contentione* conſiſtunt, qua *congeſtiones* illæ non tam ſimpliciter & directe *renitendo* quaſi repellantur, quam etiam qualiscunque intentio ad aliquam *excretionem* per illorum locorum confinia inſtrui videatur: (& hoc quidem longe certius atque ſincerius pro *ſanguineis* potius ſinceris, quam ex hypotheſi, quomodocunque *alteratis*, & tali ſenſu ſtrictiore *rheumaticis* euacuationibus:) ita valet vtique circa hoc negotium, equidem vt *ſpecialiſſimum*, allegata vtique diſcretio; interim *generalis* harum rerum communionis, circa verum ſui *fontem*, ſolida etiam comprehenſio, cuius intuitu nempe *conſpiratio* illa cum *ſanguineo-hæmorrhagicis* occaſionibus omni modo attendatur; exceptis tamen illis *occaſionibus*, quæ per *externam* violentiam introductæ fuerunt.

Rheumatiſmi differentia ab arthritide.

§. IV. Differunt autem *rheumatiſmi* etiam tales maxime omnium *ſanguinis* inprimis *temperie*, qui ita in partes impellitur, & altius intra illas diffunditur; prouti vel magis vel minus *tenuiter ſeroſæ* ſubſtantiæ *interagitatus*, *acriorem* ita in parte, in qua ſtagnat, *calorem* efformat; aut ipſe quidem per ſe *ſpiſſior*, ſinceriorem magis de ſe dimittit *ſeroſam* portionem ad illam ſtagnationem intra penitiſſimas poroſarum partium anguſtias: quæ nempe proprie eſt illa conſtitutio, quam veteres *bilioſam* appellare conſueuerunt; maxime *importuna*, & *ſtaſibus mali* omnino *moris* formandis idonea, ſi ſerum quidem ſit *viſcoſius*, ſanguis autem *tenuius* ipſi intertextus ita alicubi in *arctum* impellatur.

Rheumatiſmorum differentia.

Rheumatiſmi ex tenuiore ſanguine, ſero viſcoſo intertexto, immoderatius ſe gerunt.

§. V. Hæc inquam conſtitutio quanto magis *rheumaticis* huiusmodi dictis ſtagnationibus contingit, auget quam maxime omnia illarum incommoda; vt tam ipſo propemodum *infarctus impetu*, quam etiam *calore*, *colore* rubicundo, *ardore* acri, & hinc etiam *ſpaſticis contentionibus*, immoderatius ſe gerant. Vnde etiam loco ſolius *exæſtuationis* a ſimpliciore *ſtagnatione*, quæ *rheumatiſmo* alias propria eſt, veræ ita potius *inflammationes*, *phlegmones* inquam & *eryſipelata*, cooriuntur, aut certe harum veræ indoli quam proxima ita obtingit conſtitutio.

Damnum, quod ex imprudente therapia eorum oriatur.

§. VI. Hæc quando per *externa* calidiora, ſanguinis ſubſtantiam *exagitantia*, aut *refrigerantia*, lympham atque ſerum *denſantia*, aut multa *humectatione viarum* tonum grauius relaxantia & eneruantia, imprudentius tractantur: aut per *interna*, ſanguini aut ſero ita perperam afficiendis idonea, vel etiam *partium ſtricturas tonicas* intempeſtiuas ſuſcitare compotum remediorum præpoſtero vſu, aut prorſus inconueniente abuſu, tractantur: leuiſſimum tunc inde omnium damnum eſt notorium illud, & omni mundo perſpicuum, quod patientes ſub talibus medicationibus non ſolum *nihilo melius* habeant, quam alii, qui *plane nullis* remediis in pari conſtitutione vtentes, tam naturæ, quam malo ipſi ſuum, quod aiunt, curſum relinquunt; ſed etiam, ſi abuſus committatur, manifeſta hinc *modi* atque *temporis*, decurſus & euentus, mirum quantum *plura*, *maiora*, *deteriora* ſymptomata reportentur, quam apud illos occurrunt, qui non ſolum talibus vſi non ſunt, ſed etiam ab omni auxiliorum vſu in ſolidum abſtinuerunt.

Vera therapia eorum.

§. VII. Cum ex aduerſo etiam ipſa vere *iuuantia*, in oppoſitione ad iſta *nocentia*, de veriore harum rerum indole, (cui per *rationem* bene ponderatam applicata fuerunt,) teſtatum faciant, quod *præſeruatoria imminutio ſanguinis*, *curatoria auerſio* affluxus, (citra vllas tamen *turbulentas* concitationes inſtituta) *contemperatio* feruidioris cuiuscunque *tenuitatis* ipſius ſanguinis, *acrimoniæ*, tum *adventitiæ* tum *productitiæ*, poſt parem *temperationem* modeſta euacuatio *diuretica*, cum blanda *tranſpirationis* promotione, & tenuiſſimorum *reſoluentium externo* vſu, energiam hic exſerant etiam ad ſenſum efficacem.

V. Sis & ſcarificationis ne-

§. VIII. Quemadmodum etiam vulgo notum eſt, quod non ſolum V. Sis., ſed præſentiſſime omnium *ſcarificationis* alias adſuetæ, teme-

temerarii NEGLECTVS vere *rheumatica* ſymptomata vſitatisſime producant. *Fœmininus* autem ſexus, niſi quidem ſimpliciter fictionibus indulgere magis placeat, re vera per *ſanguinearum* euacuationum ſibi debitarum vitioſos ſucceſſus *rheumatibus* magis obnoxius viuat: ſicut de *hæmorrhoidali* etiam *adſuetudine* illis, qui harum rerum ſolertes ſunt, ſatis manifeſtum eſt, quod minus recte amplius ſuccedens nihil citius, quam eiusmodi *reſtagnationes* efformet, quales *rheumaticas* vulgo interpretantur; ante omnia *iſchiadicas*.

gleſtus, menſium & hæmorrhoidum vitioſi ſucceſſus rheumatiſmos producunt.

§. IX. Cæterum iterum iterumque commendo diſcretionem adhibendam inter *ſtagnationum* rheumaticarum *calores*, & *acres* magis, quam ſimpliciter *feruidos ardores*: & inter *inflammatoriarum ſtaſium* veros *æſtus*. Quæ nempe animaduerſio vnice vtique facit ad comprehendendam veram illam conſtitutionem differentem, qua *rheumatiſmi* quidem, in exterioribus robuſtioribus partibus, ſæpe per dies plures ſubſiſtendo, tamen nullam neque *maturationem* nec *abſceſſionem* formare neque *ſoleant*, nec etiam *debeant*. Quo nempe intuitu abſtinendum eo magis eſſe dilucescit ab omni eiusmodi cœpto, quod maturationi equidem fauere poſſit, interim eo ipſo a vera affectus indole potius longe abſit, quam vt illi conueniat, ne dum vſum aliquem præbeat.

Rheumaticarum ſtagnationum calores differunt ab inflammatoriarum ſtaſium æſtibus.

MEMBRVM III.
DE
INFLAMMATORIIS AFFECTIBVS.

§. I.

INflammationes, quæ veræ *ſtaſi*, & maxime quidem ſincerius *ſanguineæ*, aut certe *prædominio* ſanguinis, ſuperuenientes ſiue operoſiorem *diſcuſſionem* exigunt, ſiue in *corruptionem* talem abeunt, quæ ſimiliter perpetuo adhuc *vitali placido concurſu* opus habeat, requirunt certe attentiorem conſiderationem; qua nempe tum *ſucceſſus* atque *decurſus*, *tempus* inquam vniuerſum illarum recte innoteſcat, tum etiam *ſucceſſuum* & *euentuum* earundem maius aut minus *incommodum*, imo *periculum*, recte intelligi valeant.

Inflammationes requirunt attentiorem conſiderationem.

Staſis ſanguinea inflammationis ſubiectum materiale eſt.

§. II. Comprehendit nempe *inflammatio* vtique vere eminenter, & veluti ſimpliciter, ſub ſeſe *ſanguineas ſtaſes*; quicquid autem a ſinceriore *temperie* ſanguinea abit, illud vitiat etiam atque temerat *inflammationis* genium ſinceriorem, vt tam *decurſu* quam *exitu* diuerſum quiddam & heteroclitum ſubnaſcatur: nempe, ſicut e ſinceriore *ſanguinea* ſtaſi *pus* laudabile atque bonæ conſiſtentiæ; ita ex *intemperie* ſeroſiore, aut *lymphatico ſaliuali*, aut plane iam etiam *ſeri aduentitia* quæcunque dyscraſia, diuerſi & magis magisque peioris moris, *vlceroſa*, *colliquatiua* & *corroſiua* corruptio emergat. Imo vero e male cedentibus cuiusuis propemodum generis inflammationibus vel prorſus deleteria, funeſta corruptio *ſphaceloſa*, originem ſumat.

Inflammatio quas partes occupet.

§. III. Ita etiam *ſubiecti* intuitu, quod inuadunt, ſinceriores *ſanguineæ* quidem *inflammationes* eueniunt inprimis eiusmodi *partibus*, quæ copioſiori *aditui* ſanguinis patent; inprimis *pororum* ſui receptiuitate, tum etiam *vaſorum* eo peruenientium copia. Quæ vero partes *propria* quidem ſui diſpoſitione aditui non ſolum *copioſioris*, ſed etiam *tenuioris* atque diluti ſanguinis minus aptæ, bene vero tenuiorum *ſeroſo-lymphalium* humorum tranſitui commeatum præbere ſolitæ, *per accidentales* occaſiones, infarctu talis humoris aliquando afficiuntur: illæ non ſolum diſcuſſioni poſthac difficiliori ſubiacent, ſed ſubminiſtrant etiam materiam atque fomitem tam *vlcerationi* acrius *ſalſæ*, quam *manationi* poſthac vberiori, & difficiliori etiam *conſolidationi*; ſub his autem rebus, ſenſuum etiam maioribus moleſtiis, licet propria ſua ſponte, & citra immodeſtas *aduentitias* deprauationes, ſunt a corruptionibus actualibus grauiſſimis alieniores. Perluſtrabimus itaque ordine conueniente ſingulas huiusmodi ſpecies exquiſitius.

ARTICVLVS I.

De

INFLAMMATIONE APOSTEMATODE.

§. I.

Inflammationis apoſtema-

*A*Poſtematodes inflammatio, vere ſtrictiore ſenſu iuxta rei ipſius ſpecialiſſimam indolem ſumta, eſt maxime talis, quæ a *ſince-*

riore

riore ſanguinea ſtaſi intra *partes*, ſanguinis aditui familiari etiam alias expoſitas, cooritur; *coaceruatione* non enormi, nec etiam *contentione* nimium feroci. Talis format *infarctum*, & conſequenter *inflationem* in parte, quam occupauit, ſatis conſpicuam, *rubentem*, *duram* atque *tenſam*, *tactu* etiam externo præter ordinarium modum *calidam*, tanto magis autem *patienti* præter omnem verum etiam gradum maxime *ſenſibilem*, & exceſſiui *æſtus* ideam offerentem. Hæc ita facta alicubi *detentio*, ſi quidem *ſibi* ſimpliciter *relinquatur*, non poteſt aliter, quam in *corruptionem* exire, non ſolum *intimam*, ſed ante omnia *præſentiſſimam*, maxime vero etiam *ſimpliciſſimam*.

todes formalis explicatio.

§. II. Cum autem talis toti *naturæ animali* oppoſita vere exſiſtat, non patitur propterea vniuerſa *deſtinatio* œconomiæ vitalis hanc conſtitutionem, quin eidem omni cum vigore obſiſtat: *actionum* inquam *vitalium* vſitatarum, *ſecretoriarum* & *excretoriarum*, energiam contra impendat. Cum autem vt in *particulari* loco, qualem huius generis *ſtaſes* perpetuo occupare ſolent, vniuerſalis *commotio* locum non habeat; niſi quidem periculi magnitudo etiam ſubſidiorum fortiorem, quantum fieri poteſt, oppoſitionem ſuadere videatur: fit ita, ad minimum per *partem* ipſam immediate affectam, maior omnino *contentio* huiusmodi motus, quem deinde conſequuntur effectus illi vſitati, *tumor* durus, partis immediate obſeſſæ *rubor* inuſitatus, *calor* eximius, ante omnia vero *patienti* longe, quam re vera exſiſtit, ſenſibilior, imo pluribus modis velut intolerabilis, præcipue tamen etiam *lancinationis*, ſeu *compunctionis* ſenſum obiiciens.

Inflammationis huius modus fiendi.

§. III. Hæ circumſtantiæ quanto acrius exagitant patientem, excepto nimium *repentino enormi* impetu horum omnium; tanto certius venit hinc exſpectanda actualis *abſceſſio*. Hæc in *ſimplici* legitima inflammatione eſt omnino *ſuppuratoria*; tanto ſincerius, quanto melius conſtituta ſunt omnia: tam, inquam, ratione *materiæ*, inflammationem ipſam conſtituentis, ſincerius ſanguineæ; quam ratione *partium* adfectarum, *magnitudinis* ſtaſeos ipſius, quin etiam *regiminis motuum vitalium* moderati & æqualis, ſimul tamen decenter *aſſidui* & nihil *neglecti*. Quibus rebus tamen iungendus etiam omnino eſt liber *exitus*, ne recte etiam progreſſa moderatio corruptionis, nimio diutius denegato exitu, grauioribus corruptionibus demum exponatur.

Abſceſſio hæc ſuppuratoria eſt.

§. IV.

Temporis ratio, quo abſoluitur.

§. IV. Hæc eſt conſtitutio illa inflammationis *abſceſſoriæ*, & ante omnia quidem, vt vulgo loquuntur, quam maxime *laudabilis*, *ſuppuratoriæ*; quæ interim adhuc complectitur ſpecialiſſimam rationem *temporis*: cuius nimirum intuitu abſoluenda vtique venit intra ſpatium *quatuor*, aut ad ſummum *octo* dierum; niſi quidem partis valde *exſanguis* plane peculiaris conſtitutio & faciat maiorem *moram*, & ferat. Sed tamen cum perpetuo periculo alienioris, a benigne *ſuppuratoria* indole, corruptionis.

Effectus eius.

§. V. *Effectus* vltimus huiusmodi inflammatoriæ *abſceſſionis* eſt *ſanguinis* quidem ibi detenti, & vna ipſius *partis* continentis, ita intima *diſſolutio*, vt totus ille complexus, quem ſtaſis vniuerſa comprehenderat, in *liquamen* ſpiſſiuſculum album, nullo, aut certe paruo, & nihil putido *odore* conſpicuum, nec etiam in vlteriorem acrem *putidam corruptelam* amplius propenſum, ſed ad ſummum *ſalſæ* acrimoniæ efformandæ expoſitum.

Indoles & requiſita ſuppurationis inflammatoriæ.

§. VI. Præterea vero eſt *ſuppuratoriæ* conſtitutionis energia plane ſingularis, & quam optime merito notanda atque conſideranda, quod deperditio hæc, quæ ipſi *ſolidæ texturæ* partis ita euenit, promte iterum *reſarciatur*, niſi quidem ſpecialiſſima conſtitutio *glanduloſo-tubuloſa* ſingularem, inprimis *manationis* refractariæ, contumaciam obiiciat; aut plane in deterius procedens, *corruptionis* abſceſſoriæ indoles e ſimplici *ſuppuratione vlcerationem* fecerit. Complectitur autem *ſuppurationem* iuſtam & plane decenter ſuccedentem, per totum ſui *circuitum*, perpetua adhuc inflammatoria auctior *appulſio*; *circulum* proinde rubicundum efformans, & omnino paulo auctiore etiam ſenſu, tam reliquo generaliore, quam inprimis *caloris* exquiſiti, eminentem. Quando vero *rubor* hic, & quanto magis inprimis, deficit, eo minus minusque obſequitur etiam reſtitutio *conſolidatoria*; ſed manet potius *fluxio vlceroſa*, *coalitui* omni refractaria.

Apoſtema cur abſceſſus latinis audiat.

§. VII. Ita quidem inflammatio *abſceſſoria* vera & omnium ſimpliciſſima ſe habet; & tale eſt vero exquiſito atque ſtricto ſenſu *apoſtema*, & latinis, recte interpretando, dictus *abſceſſus*. Quod nimirum actu ipſo portio aliqua ita *abſcedat*, & tanto magis quidem tam maxime promte atque vegete, quam etiam *ſalubriter* ad nouam promtam *reparationem*, aut ſane ad minimum *conſolidationem*: dum *vlceroſi* abſceſſus non ſolum longe ſegnius procedunt, ſed etiam *dubio* magis atque vere *fluctuante*, in *anomalias* per initia proniore, ſucceſſu; maxi-

maxime omnium autem a primis, & vere æſtimando, *originariis* initiis *ſuppuratorio-inflammatoriis*. De qua re paulo poſt plus dicemus, poſtquam hic ſolum adhuc aliqua ſubiecerimus ad *apoſtematodem* claſſem propius pertinentia.

§. VIII. Nempe breuem perluſtrationem eiusmodi ſolenniorum euentuum, qui in diuerſis locis corporis, præter manifeſtas *externas* occaſiones ita efformari atque euenire ſolent. Sunt autem tales *ophthalmia*, *odontalgia*, *parotis* acuta, *angina* ſimpliciter inflammatoria, *vomica* pulmonum, apoſtemata *externa* ſpontanea *mammarum*, repentinæ & in floridis corporibus *nodoſæ* inflammationes. Vti rariores autem, ita etiam minus proſperi, & quam maxime *ambigui* euentus, *hepatis*, *pancreatis*, *glandularum inteſtinalium* apoſtemata: difficillima, *renum* atque *teſtium* inflammatio *ſuppuratoria*.

Euentus inflammationum apoſtematicarum.

§. IX. Sicut autem iuſtiſſima vtique diſtinctio valet inter *apoſtematodes*, & ipſum actuale *apoſtema*; illud, inquam, quod ad abſceſſionem ipſam *procliue* atque ſatis idoneum eſt, & actualem *effectum*; dum omnis vtique *inflammatio*, & quam maxime quidem etiam illa, quæ ad abſceſſionem *purulentam* ſatis idonea eſſet, per prima ſui initia ad *reſolutionem* iterum atque *diſcuſſionem* inclinat: ita valet hoc etiam apprime de his partium talium *certarum* affectibus inflammatoriis, quod nimirum illi quoque paſſim nec *debeant* maxime, nec *ſoleant* etiam ad effectum ipſum *abſceſſionis* ſuppuratoriæ peruenire; interim habeant vtique hanc diſpoſitionem, vt, niſi tempeſtiue atque decenter *reſolutionem* & *diſcuſſionem* omnino adſequantur, tamen ad illam ſubeundam *diſpoſitæ* penitus & omnino aptæ exſiſtant.

Differentia inter apoſtematodes & apoſtema.

§. X. Vnde non ſolum in *oculis* ὑπόπυον, ſed omnino etiam in *maxillis* non ita rariſſime per gingiuam *ſuppuratorii* tales dolores enaſcuntur; e quibus tandem pus manifeſto non tam erumpat fere ſponte, quam *inciſione* educendum veniat. *Angina* ſimplicius inflammatoria in corpore *plethorico* & *diæta* calidiore, cumprimis autem in iam *prædiſpoſitis*, per ſemel aut iterum factum ad hanc partem decubitum, quantum *apoſtematodis*, nempe ad actualem *ſuppurationem* propendentis habeat indolis, non poteſt *peritos clinicæ praxeos* latere. *Pulmonum vomica* ſicut etiam nusquam exhibet *indubia* alia ſui ſigna; ita neque aliunde fere, niſi ex ipſo *actu ſuppurationis* proprie deprehendi poteſt.

Hypopyum, gingiuæ ſuppurationes, angina, vomica pulmonum.

Viſcerum abdominis inflammationes difficillimæ curationis & reſtaurationis ſunt.

§. XI. Aliorum autem *viſcerum abdominis* ſicut *inflammationes* tales communiter acutiore impetu irrumpunt, ita dignoſcuntur etiam facilius atque luculentius: & nauatur merito quantacunque poteſt opera, vt *diſcuſſio* potius tempeſtiua impetretur, quam vt ad effectum *ſuppurationis* negotium penitus pertendat. Quantumlibet enim in aliis partibus corporis, vbi *euacuationi* immediatæ & nihil impeditæ *reparationi*, aut ad minimum *conſolidationi*, locus eſt, *ſuppuratio* non vtique ſit res adeo magni momenti: tamen, cum *viſcerum* ea ſit exquiſitiſſima indoles & textura, imo inſuper ille *perpetuus* & nunquam vsquam interrumpendus *vſus*, vt prioris intuitu *reſtauratio*, præſertim repente multum abſumentis corruptionis, vix etiam *poſſit* iterum fieri; minime omnium autem *ſoleat* ita perpetrari, quin potius talis ſtructuræ tam prima *conformatio* non niſi in vtero materno fieri agnoſcatur, quam qualiſcunque ſaltem *conſolidatio* quoque difficillima prorſus & languidiſſima obſeruetur; ſed etiam *vſus* interim organi talis difficulter omitti poſſit: quin etiam ipſe non intermittens *appulſus* humorum pro tali vſu, diſſoluta interim continuitate partis talis, tantopere difficillime afficiat, vt ab *affluxu* indeſinente etiam *effluxus* minime tolerandus ſequatur; nedum vt ſub illo locus eſſe poſſet *conſolidationi*, quam omnes *manationes* perpetuo impediunt & perturbant.

Abſceſſus glandulosarum partium ſponte non conſolidantur.

§. XII. Eſt certe eius rei ſpecimen ſatis luculentum in *glandulosarum* partium exteriorum vere profundioribus abſceſſibus; vtpote qui non ſolum *ſponte*, ſine *artis* ſubſidiis, vix vnquam iterum *conſolidantur*, ſed etiam, niſi dextra & perita prorſus medicatio adhibeatur, etiam *artis* ipſius conatus ſatis pertinaciter eludunt: nedum vt ita in intimioribus tam facilis, imo potius ſaltim *non difficillima* atque rariſſima, qualiſcunque conſolidationis conſecutio inde exſpectari mereretur.

Therapeutica conſideratio harum inflammationum.

§. XIII. Tota theoria harum talium inflammationum conſiſtit inprimis in animaduerſione ad veram rationem atque methodum *diſſolutionis* inflammationum *diſcuſſoriæ;* quæ nempe *ſucceſſiue* vtique, *modeſte* atque *ordinatis* ſucceſſibus, etiam quantumlibet feliciter vnice peragenda eſt. Quarum proinde rerum *proportio* ſicuti proportioni *quantitatis* ſtaſeos neceſſario reſpondere debet: ita vbi tamen hæc vel non ſatis dignoſci poteſt, vel etiam potenter regi atque gubernari non valet, ſed *naturæ* potius *motus* & *capacitas* viarum prudenter iudicanda venit; ibi habent ad minimum in genere perpetuum locum *intentiones*,

tiones, non niſi *modeſte* neceſſarias has ad diſcutiendum commotiones regendi.

§. XIV. Allego merito pro exemplo harum rerum *ophthalmiam*: *rubeſcit* hac notabiliter tunica adnata, ſeu, vti vulgus hominum loquitur, album oculorum, a viſibili *infarctu & diſtenſione* vaſorum; *calet*, imo *ardet* velut oculus, cum *compunctionis* etiam acri ſenſu. Interim durat hæc conſtitutio ſæpe numero ad aliquot etiam dies, priusquam in ordinem decentem redigatur. Manifeſto exemplo, quod etiam ipſa *diſcuſſio* inflammatoriarum ſtaſium non æque *feſtinationem* admittat, ſed *ſucceſſus* ſeruet, qui omnibus œconomiæ animalis actionibus ita perpetui ſunt, vt nec in rationis ipſius exercitio communiter fida atque ſecura habeatur feſtinatio, ſed potius experientiæ teſtimonium placidos ſucceſſus commendet.

Ophthalmiæ exemplum docet, quod diſcuſſio ſtaſium inflammatoriarum feſtinationem non admittat.

§. XV. Illud, quod in omnibus inflammationibus (ne ipſis quidem ab *externa* cauſſa equidem prouocatis, ſed ab *interna* ſuſtentatis, prorſus excipiendis,) ad *diſſolutionis* ſeu *diſcuſſionis* ſcopum quam maxime obſeruandum venit, eſt *contentio congeſtoria* ad & circa locum ita immediate affectum. Quæ certe, quicquid etiam de reliquo *coagulatio* ſpiſſeſcentis ſanguinis diffi ultatis obiiciat, quaſi ſimpliciter *mechanice*, ipſius reſolutionis promtitudini; eſt tamen hæc *contentio* adhuc maioris conſiderationis, vbicunque, quod quidem ſæpe fit, intenſius fouetur: nequidem, niſi illa demum *remittente*, vlla etiam diſſoluendæ ſtaſeos ſpes locum inuenit.

Contentio congeſtoria in diſcuſſionis ſcopo maioris conſiderationis eſt, quam coagulatio ſanguinis.

§. XVI. Hæc interim contumacia *contentionis* vt inprimis innititur, vel *generalius*, *plethoricæ* abundantiæ commotioni; vel *ſpecialius*, *excretoriæ* per certum locum qualicunque intentioni atque *deſtinationi*; imo vero etiam *ſenſus* ipſius importuniori paſſim *irritationi*: ita & format aliquando harum rerum *concurſus* ipſam *contentionis* contumaciam, & fouet etiam ipſam vtique *detentionem*, directo continenter ad partes ita obſeſſas *appulſu*.

Plethoræ concurſus huius contentionis contumaciam fouet.

§. XVII. Reſpexerunt huc omnino veteres in methodo illa, quam diſſoluendis inflammatoriis ſtaſibus quam maxime dicauerunt, *ſanguinis ventilatoria* per V. Sionem. Quæ quidem res vti recte intellecta, & vbi quam maxime conuenit adhibita, non ſolum egregium vſum habet; imo tantum, vt ſine illa re vera omnia quam plurimum difficilius ſuccedant: ita *poſtulat* tamen verius, quam admittit ſolum, etiam vere prudentem *æſtimationem* in eo, quod non ita ſimpliciter

Venæ ſectio quibus inflammationibus, & quando proſit.

citer & *promiſcue* quibuslibet inflammationibus, earumque gradibus, æque inſigniter proficuæ, nedum neceſſariæ exſiſtant V. S. Dum inprimis inconuenienſ illud conſectarium non raro poſt ſe trahere viſæ ſunt attentis practicis, vt *ſuppuratio* tanto certior dehinc potius, quam *discuſſio* exſpectanda veniat, ſi factam huiusmodi euacuationem non *promte* ſecuta ſit *discuſſio.*

In diſſoluendis inflammatoriis ſtaſibus natura certas temporum menſuras obſeruat.

§. XVIII. Sicut autem non negari poteſt, quod etiam in *diſſoluendis* penitus inflammatoriis ſtaſibus *natura* ſubinde etiam certas temporum *menſuras* obſeruare ſentiatur;

Siquidem minime rarum eſt, peripneumoniam exquiſite critico die æque, atque motu eceritico abſolui: tamen minime putandum hinc eſt, quod etiam ſimpliciter totius materiæ diſſolutio ita ſimul & ſemel tunc maxime vnice demum abſoluatur; ſiquidem ſigna coctionis in vrina per aliquot dies largiter procedentia contrarium ſatis ita innuunt: ſed quod tunc maxime contentio ad minimum circa ſtaſin hucusque occupata atque obſeruata, tum demum dimittatur, & excretio illa iuſta ſui directione ita inſtruatur, vt quicquid etiam adhuc forte reſiduum in humoribus hæret, de producto potius, quam ſimplici atque directa cauſſa morbi hac ratione penitus eliminetur.

Tamen nulla apparet veriſimilitudo, quod talis actus vnquam ſimpliciter *vnito impetu* ſimul & ſemel abſoluatur: ſed omnino potius magis *exitus* tandem *contentionis* congeſtoriæ ita fiat; quam ſimplex ſtaſis, & *ſtatarius infarctus*, illo breui temporis ambitu non tam ſolum *discutiatur*, quam, quod præcipuum eſt, & abſolute vtique prius neceſſarium, *reſoluatur*, tam paruo nempe illo temporis ſpatio, & vno velut impetu.

Discuſſio debet eſſe ſucceſſiua & aſſidua, non repentina, ne congeſtio augeatur.

§. XIX. Quæ quidem res ad medicam conſiderationem illum inprimis vſum habet, vt optime Medicus meminerit, quod *discuſſioni* quarumlibet inflammationum *ſucceſſiua* potius, & quantumcunque *aſſidua* discuſſio debeatur, quam vt vlla *repentina impulſio* dispulſionis cuiuscunque ſpem admittat; ſiue mox per *initia*, ſiue *longioribus interuallis* tale quid exſpectandum veniat, nedum *importuna arte* temere tentandum. Imo vero cauendum potius eſt omni modo, ne *incitatione* ipſa minus modeſta potius notatæ illi immoderatiori *congeſtioni* demum occaſio præbeatur.

Commendatur methodus præoccupato-

§. XX. Maximo vero vtique opere conſideranda circa has res venit vera *vtilitas præſeruatoria* illa, ſeu *præoccupatoria*, qua cauſſa *antecedens* dicta Medicis, quam nempe huiusmodi & congeſtiones & tan-

tandem ſtaſes *ſequi* amant, hac ratione præoccupetur. Si vere iam *facta* ſit ſtaſis, ante oculos vtique habenda eſt methodus proportionata *discuſſoria*, *aſſiduitati* potius, quam *impetui* ſuperſtruenda. ria & discuſſoria.

§. XXI. Quando vero etiam hæc fruſtra eſt ſpes, *maturationi* inuigilandum; cauendo, ne nimia *commotione* infarctus augeatur, aut huius commotionis circa partem *contentione* infarctus non ſolum pertinaciter foueatur, ſed etiam plane & *aditus* liber & *tranſitus*, vt vnum ſalutare remedium, opprimatur. Facta vero *maturatione*, dirigendus omnino eſt animus ad ipſam quoque tempeſtiuam *euacuationem*; eiusque, ſi ſponte perrumpere non poſſit, artificialem ſubleuationem. *Euacuati* abſceſſus deinde opus eſt vltra *mundificatione*, vtpote quæ per *artem* vtique promouetur: imo aliquando hac ope etiam maximopere indiget: quoad tandem denique etiam tam effluxu forte importuniore, quam affluxu per idem artificium repreſſo, *conſolidatio* placide ſuccedere poſſit. Quid circa maturationem obſeruandum. Euacuatio mundificatio & conſolidatio.

§. XXII. In his enim fundatur vtique *apoſtematodis inflammationis*, in plenum ſui effectum deductæ, conueniens plenaria medicatio atque reſtitutio: adeo, vt vbi harum rerum aliquid plurimum deficit, ibi non ſolum commodus effectus & *ſalutaris* euentus locum non inueniat; ſed etiam *periculum*, nunc minus nunc maius, hinc impendeat. Quo intuitu omnino illarum partium abſceſſionis, e quibus neque *ſpontanea* euacuatio facile ſuccedit, nec *arte* commode iuuari poſſit; neque *mundificatio*, & nimii effluxus aut affluxus *interceptio* locum habet, niſi plane ſingulari naturæ bonitate ſpontanea reſarciantur, non raro certe exemplo funeſti, aut certe incurabilis penitus euentus exſiſtunt. Cæterum conſiſtit vtique *præcautio* medica aduerſus occaſiones *repullulandi* forte, & ita qualemcunque *habitum* decubitus huiusmodi ſubeundi, in ante laudata cauſſarum ipſarum congeſtionis *præoccupatione*, cui proinde rei tempeſtiue danda eſt opera. Hac methodo neglecta periculum impendet.

ARTICVLVS II.

De GANGRÆNA.

§. I.

VTi de aliis variis affectuum generibus e ſcholæ medicæ communis dogmatibus verum ſimplicem conceptum paſſim quidem merito deſi- Vera & ſimplex gangrænæ acceptio ex

ſcholæ medicæ dogmatibus comprehendi non poteſt.

deſiderare, ex vſitatis autem præfigurationibus re ipſa elicere, nedum ſimplicius comprehendere, minime eſt integrum: ita valet hoc profecto etiam de vera ſimplici, & ſub nulla aliena acceptione dicta atque ſumta *gangræna.* Sicut autem alienas acceptiones ſiue delineare ſiue declinare, nonfert mea intentio, ſed potius res, vt in ſe vere ſunt, ita exhibere & elucidare: ita ſequar hanc methodum etiam in hoc ipſo affectu, eiusque rationibus deſcribendis.

Gangræna quid ſit.

§. II. *Gangræna*, Germanis der heiſſe Brand, dicitur, quando inflammatio aliqua inſignis in omnibus vſitatis ſui circumſtantiis ita præualeſcit, vt *tumore magno*, inprimis autem maximopere *duro*, *rubore* non ſolum ſaturatiſſimo, ſed ita ſpiſſo, vt obſcuritate peculiari ad *nigredinem* vergat, *ardore* etiam ingente, & veræ *adustionis* ſenſum imitante, cum *ſpaſticis* quoque circumiacentium partium doloribus, & fere *anxietate* peculiari patientis, pars adfecta ita difficillime habeat, vt inde ingens periculum, immo familiariter verus ſucceſſus ipſius *ſphaceli* ſequatur. Adeo etiam, vt ſæpe *gangræna* ita adfectam partem actu *ſepticis* intercipere neceſſarium ſit. Superuenit autem hæc conſtitutio ſtaſibus inflammatoriis, quæ vel cum magna *copia adfluxus*, & inprimis quidem *præcipitis*, factæ ſunt: vel etiam iuxta cum adfluxu admodum copioſo etiam irritationem ingentem ſecum trahunt.

Eius euentus.

§. III. *Euentus* gangrænæ tam ſuccedit breui, quam eſt omnino teterrimus, nempe certo in *ſphacelum* aut *vlcus*, per circuitum loquendo, *peſſimi moris*, ſecundum rei vero veritatem enunciando, *putrilaginoſum* ſeu *ſphaceloſum*.

Hiſtoria eius.

§. IV. Non placet huic rei prolixe immorari, ſed potius illam, vt in ſe eſt, rotunde eloqui. *Gangræna* eſt *inflammatio* vel per impeditiſſimam *ſtaſin*, vel per nimium *præcipitem impulſum* appulſus, a *ſalutari* efficacia debiti progreſſus, cui vniuerſus effectus, & deſtinatio tota *inflammationis*, quatenus *ſalutaris*, inniti debebat, aberrans. Ab his rebus fit, vt non ſolum *infarctus* maiore hac contentione *detineatur* potius, quam imminuatur aut *diſſoluatur*; ſed re vera potius tota *ſtaſis* ita actu *intendatur*: hac ipſa vero ita ſimplici libera & *irreſolubili* ſtaſi nihil niſi *corruptio* ſincera locum inueniat; intercepto nempe vnico *ſalutis* remedio, *diſpulſione* atque *depulſione* vel *totius* materiæ corruptibilis, vel *agiliſſimarum* ad corruptionem portionum: (ſicut eius rei totum ſucceſſum iam ſupra, ſub *inflammationis in genere* hiſto-

hiſtoria, latius deduxi.) Vt adeo, breuiter, *gangræna* nihil aliud ſit, quam *inflammatio* nimia *præcipitantia congeſtionis*, aut *contentionis*, aut nimia *labefactatione* partis, (vnde liberiori atque copioſiori infarctui locus præcipue pateat,) vel ſummo *impetu* & coaceruatione *ſtaſeos* ita fiens, vt equidem *motus* ille ad ſalutarem vel diſcuſſionem, vel ad minimum mitigationem ſuppuratoriam *tentetur*: ſed per allegatas circumſtantias immoderatas debitum *effectum* aſſequi non poſſit. Ita videlicet contingit huiusmodi inſolentior *commotio* inflammatoria, quæ deinde ipſum *ſalutarem* exitum non adſequatur, ſed potius *contrarium* effectum, noxium prorſus, ſortiatur.

§. V. Sicut enim *diſcuſſionem* nimium impetuoſus *appulſus* adeo non valet adſequi, vt potius re vera *infarctui augendo* ita par fiat hæc abundans & vere irrumpens in partem iam obſeſſam *congeſtio*, ad eoque omnino in locum *diſſolutionis conſtipatio* ſuccedat: ita eſt etiam hæc eadem res aliena a bono effectu *ſuppuratorii* ſcopi. Dum enim hic non tam per *appulſum*, quam continuum *tranſpulſum* ſanguinis proprie fieri debeat, nempe *expedite* vtique, ſed etiam *moderate* procedentem:

Congeſtio impetuoſa infarctum auget, & ſuppurationem impedit, immo euentum ſphaceli permittit.

Quo ſcil. actu particulæ e corruptione in ſanguine omni modo ſuboriente tanquam de momento in momentum auferantur, ne vel collecta vi adhuc grauius exacerbare poſſint ipſum corruptionis impetum, vel difficilius deinde e tota reliqua ſanguinis maſſa eliminentur, & illi ipſi etiam corruptelam machinentur: quibus omnibus rebus re vera, tanquam mechanica quadam methodo, per illam ſucceſſiuam huiusmodi ſubductionem conſulitur.

Hoc ipſo vero, quando ita vnicum ſubſidium interuertendæ *liberæ corruptionis* ſanguinis ita male procedit, ſequitur directa *phyſico-mechanica* neceſſitate huiusmodi directus euentus, cui impediendo cum dicata eſſet tota hæc *appulſio* inflammatoria, dum ita male *ſuccedit*, *pro non facta inde habenda*, permittit ita potius *euentum* illum, quem impedire debuerat: id eſt, ſequitur directe ipſe *ſphacelus*. Quem in vſum, pro meliore perceptione adhuc ſemel commendo theoriam totius *ſuppurationis*, e tractatione noſtra inflammationis *in genere* repetendam: ſicut etiam quæ ſtatim de *ſphacelo* dicentur, huic negotio elucidando inſeruire poterunt.

ARTI-

ARTICVLVS III.
De
SPHACELO.

§. I.

Sphaceli ſignificatio.

AN immerito conquerar de ſuperuacua *ſubtilitate* & ſcrupuloſis *præfigurationibus* variis medicis, poterit puto teſtatum maxime facere conſideratio ipſius *ſphaceli*. Cum enim nuſquam certe ſincerum aliquem de *ſphacelo* conceptum inueniam, præter inuolutos illos & propemodum tropicos loquendi modos, *ſiderationis*, aut *venenatæ malignitatis*, aut ſimplicis *mortificationis*; vnde etiam græcum *ſphaceli* nomen nullam vsquam ſimilitudinem *deriuationis* præ ſeſe fert, niſi quod σφακτὸς, vt præterito paſſiuo verbi σφάζω attributum vocabulum, ſimilitudinem qualemcunque offerre videri poſſet: interim obſcura puto tamen maneret ratio conuenientiæ, a σφακτὸς *mactatus*, & σφάζω, *macto*, *iugulo*, ad *ſphacelum*; (niſi quidem a *generali* ſignificatione verbi σφαζω, qua latinum *interficio* æquat, σφάκελος, ſimpliciter *interfectum*, *mortificatum*, *morticinum* denotare debeat) certe nulla penitus iniuria noto intricatas huiuſmodi loquendi formulas de re merito ſimpliciſſimo nomine appellanda, nempe ſimplici *putredinoſa* corruptione, parti alicui reliqui *viui* corporis ſuperueniente, quæ eſt illud ipſum, quod *ſphaceli* nomine indicatur.

Cur potius putrefactio quam mortificatio appellandus ſit ſphacelus.

§. II. Merito vero dico *putrefactio* potius, quam ſimplicius forte *mortificatio*; quo nempe nomine *medicas* etiam ſcholas, tanquam æquipollente, vti notum eſt, nempe νεκρώσεως. Cum enim *mortificatio* talis, iuxta verum ſenſum vſitatum philoſophicum, deſignet vitæ *priuationem*; *priuatio* vero ſimpliciter inferat *negationem redeundi ad habitum* priſtinum; ſolide & ſecundum facti veritatem autem hæc diſpoſitio *redeundi ad habitum* vitalem nulli vsquam parti corporis vere incumbat, niſi quando demum *putredine* correpta, imo *corrupta* iam eſt: præſtiterit certe, ſi quid ego recte video, rem totam ſimplici ſua vera *phyſica* ratione eloqui, quam circuitione ſuperflua vtendo magis confundere. Et hoc quidem tanto magis, cum non tam ſolum rei ipſius indoles *a priori* huic fundamento innitatur; quam etiam tota *medica directio* a poſteriori huic eidem ſuperſtrui debeat, ſi quidquam non ſolum vtiliter fieri, ſed etiam, quomodo vere fiat, intelligi debeat.

§. III.

§. III. Vnde quidem veram *ſphaceli* ætiologiam, vere ſimpliciſſimam, & nullis gratuitis *malignitatis* aut *venenoſitatis* vmbris affinem, & omnes reales circumſtantias totius affectus exhaurientem, loco ſpeciminis veræ pathologiæ ſiſtam; veram *hiſtoriam*, quomodo re vera fieri ſoleat, primo loco exhibendo. Fit itaque *ſphacelus* cum tali circumſtantiarum ſenſibilium apparatu, vt ante omnia *calor* & *color* in parte ad viſum & ſenſum externum, *ſenſatio* vero, ſeu *perceptio* cuiuscunque tactus patienti ipſi deficiendo, eximie ita mutetur. Vnde quidem *calor* vitalis in ita affecta parte plane disparet, & in *frigus* mutatur; *color liuidus*; imo *nigreſcens*, in parte immediate affecta, per ambitum autem eius *pallidus*, & a florida viuida temperie alienus. *Amittit* autem ſimul æger omnem *ſenſum* in affecta portione; adeo, vt etiam ſcalpello factam inciſionem minime percipiat. *Turgeſcit* autem ordinarie membrum, per viciniam ſeu ambitum portionis immediate affectæ, tumore pallido & frigido, *œdematoſo* vulgo dicto: ſi tamen poſt aliquot horarum ſpatium etiam ita tumore affecta pars ſcalpello feriatur, non percipitur ibi ſenſus, neque fluit etiam e vulnusculis *ſanguis*, ſed merus tantum *ichor cruentus*; apparente in vulnusculis manifeſto *nigro* denſato ſanguine, a fluxilitate debita alienato. Interim ruit portio immediate adfecta magis magisque præcipiti progreſſu, & minimi temporis ambitu atque ſucceſſu in *fœtidam putredinem* manifeſtiſſimam: adeo, vt non ſolum *mollis* plane, & quaſi *ſemifluxa* euadat, ſed omnino etiam olidiſſimum *fœtorem* putrilaginoſum ſtatim concipiat.

Sphaceli hiſtoria.

§. IV. Eſt autem quam maxime notabilis duplex circumſtantia, in hoc tali effectu eminenter ſeſe exſerens: 1) *progreſſus repentinus* huius corruptionis ex originaria parua portione, primo correpta, in circumambientes; 2) *deſtitutio ſenſus* atque *toni vitalis* circum circa partem ita immediate affectam, quæ non ſolum ſeſe ibi exſerit, antequam vera plenior actualis *corruptio* partibus his euenerit, ſed re vera tali adhuc tempore, atque harum partium conſtitutione, vt etiam ita amiſſi *ſenſus* atque *motus*, ſi curatio feliciter ſuccedat, iterum compotes euadant. Illa vero portio, quæ actu vero *ſphacelo* correpta eſt, non admittit vllam reſtitutionem, ſed eſt omnino *auferenda*, aut excidit a reliqua adhuc viua parte ipſa quaſi ſua ſponte: nempe *abſcedendo*, per legitimam *ſuppurationem* reuocatam, a viuis circa confiniis ſeparata.

Duplex notabilis circumſtantia huius affectus.

Eius ætiologia.

§. V. Quod autem porro *hiſtoriam* etiam *cauſſarum* attinet, quas huiusmodi *ſphaceloſa* conſtitutio ſequi ſolet, exhibet illa ante omnia *interceptionem* debiti *liberi commeatus ſanguinis* per partem affectam, ſeu potius detentionem huius, ſeu *incarcerationem* immobilem; qualem partim *coagulatio*, in ipſo loco inducta, partim *viarum tonus* grauiſſime læſus, partim *continuitas meatuum* laceratione violata, ſed *exitu* tamen non conceſſo, partim *irruptio* præceps & maxima *contentio affluxus*, partim ſimplex *interceptio*, v. gr. per fortes *ligaturas* aut *compreſſiones* violentas &c. introducunt. Vnde quidem partim a magno *frigore*, partim *aduſtione* coagulatus ſimpliciter ſanguis in poris partium hunc euentum incurrit; aliquando etiam, facta iam magna ſtaſi, per *refrigerantia immoderata* huic adhibita: partim *paralytica* aut *hemiplectica* deſtitutio *toni* partium *vitalis*, infarctum repentinum ab *affluxu* ſine debito *refluxu* introducens, huic effectui viam ſternit: aut grauiſſimæ *conquaſſationes* partium fibroſarum, quibus fibræ partim actu *lacerantur*, partim grauiſſime *extendendo*, ſed ſtatim facto influxus impetu, *reſtitutionem* tonicam non admittendo, *copioſæ ſtaſi* ita locum præbent: cuius rei notiſſimum exemplum eſt in *vibicibus*, a graui percuſſione prognatis &c. Aut quando *ſenſus* cum læſione aliqua, inflammationem ſimpliciorem inuitante, *acerrimus* concurrens *affluxus impetum* inſignem prouocat, ante omnia vero *repentinum*, & cuius irruptio *progreſſui* impar *incarcerationi*, & proximæ hinc *coagulationi*, anſam præbeat.

Interceptiones per ſtricturas & ligaturas fortiſſimas ſphacelum efficiunt.

§. VI. De ſimplicibus autem *interceptionibus* per ſtricturas fortiſſimas, præter nudam conſtrictionem qualemcumque, notari vtique ſimul meretur imperita *deligatio* grauiorum contuſionum, cum *fractura* oſſium, aut *hæmorrhagia* feroci: quibus caſibus *colligatio* fortior, & alicubi *compreſſio* per *aſſerculos* atque *ſplenia*, ſi minus modeſte inſtituatur, & (quod tamen fere ſimul opus eſt,) diutius ita relinquatur, ſi deinde iterum ſoluatur ligatura, exhibet paſſim *ſphaceli* ſuperuenientis effectum: quod vulgata loquendi formula *ſuffocationi* partis (ſeu *energiæ vitalis* in illa) imputant: erſtickte Schäden &c.

Ratio cauſſalis.

§. VII. Iam, vt harum rerum etiam *ratio* cauſſalis diluceſcat, non eſt locus peculiari prolixæ *theoriæ* ſpecialiori, cum abunde ſufficiat vera *generalis* ratio *vitalitatis* & *partium* ad illam *habitus*. Nempe, quod partes quidem omnes corporis, præcipue *molles*, longe autem ante omnes ipſe *ſanguis*, tota ſua conſtitutione propria ad *corru-*

ptionem putridam ſint quam maxime propenſæ; *conſeruentur* autem ſimpliciter per *indeſinentem progreſſum ſanguinis*, &, mediante hoc, fientes perpetuas *ſecretiones* & *excretiones*. Vbi nempe *ſanguis* perpetuo ſuo progreſſu & præterlapſu a *ſolidis* partibus omnes non recte cohærentes portiones *abſtergit* & aufert: has ipſas vero, & vndecunque alias conceptas *heterogeneitates*, ſub perpetuo ſui circuitu, paſſim per *colatoria* & *emunctoria* reiicit, adeoque & reliqui *corporis*, & ſuam *propriam* puritatem & integritatem ita perpetuo conſeruat. Hic actus *conſeruatorius* quandocunque in ſolidum *tollitur*, adeoque partes hæ ipſæ ſuæ *propriæ* intimæ *corruptibilitati* relinquuntur, cum huius hab litas omnino ſit *præſentiſſima*, ſimul autem reliquæ adhuc viuæ circumambientis partis *calor* effectum nudæ *putrefactionis* potentiſſimae promoueat: fit ita, per *concurſum* harum rerum vndique conſpirantium, vt effectus etiam ſimplex & planus, nempe actualis *putrefactio*, ita omnino promte ſequatur.

Ratio cur mox viuidus tonus deſeratur, & tam ſenſus quam motus deſtituatur, ante actualem corruptionem ſphaceloſam.

§. VIII. Altioris autem indaginis videri poteſt circumſtantia illa, quod mox tam late circum *deſeratur viuidus tonus*; adeoque tam *ſenſus* quam *motus* (ad progreſſum ſanguinis neceſſarius) ita deſtituatur, antequam re vera *actualis* aliqua *corruptio* vere *ſphaceloſa* adhuc facta ſit. Sicut autem *phyſicam* qualemcunque rationem hic ſperare irritum puto; cum indefinitæ illæ locutiones, quod *vapores putridi* in viciniam diffuſi *calorem* vitalem, ſeu potius *calidum* innatum, nempe *ſpiritus inſitos* vitales ſuffocent, certe nihil ſignificet: elocutiones autem recentiores quædam, quod corruptionis *ſphaceloſæ materialis* conſtitutio ſit *aciditas volatilis*, quæ ita in partes ambientes ſeſe expandendo, *coagulationem* illam ſanguinis, quæ ibi primo omnium conſpicua euadit, ita perpetret, alieniſſimæ & vere e diametro oppoſitæ ſint ſimpliciſſimæ veræ indoli *ſphaceli*, nempe abſolutæ liberæ *putredinis*. (Cum coagulationem ſanguinis, quando ille *progreſſum* ſuum & *agitationem* per partes ſpongioſas amittit, a *poſitiua* aliqua *materiali* cauſſa *ſuperueniente* arceſſere ridiculum certe ſit, ex ipſa ſanguinis ſimpliciter extra vaſa ſua educti non magis certiſſima, quam præſentiſſima *coagulatione*, vbicunque ille, vel intra vel extra corpus ita a motu ſuo impediatur, citra vllius *nouæ materiæ* ſuperuenientis, nedum *ſphaceloſæ* MATERIALIS corruptelæ, vel præſentiam vel energiam: intemperies autem illa *acido volatilis* non ſolum impertinenter ab hoc ſolo phænomeno comparentis *ſpiſſeſcentiæ* ſanguinis inferatur, ſed etiam

iam ab omni *chymica* potentia ad oppoſitum vsque alienum ſit, *acidi volatilis* IMMEDIATAM præcipitem transmutationem in *alcali volatile* ſupponere; quale tamen vtique per *putrefactionem* ſphaceloſam certiſſime produci notorium eſt.)

Effectus ſphaceli.

§. IX. Illud autem potius certum eſt & indubium, quod *actus* ſeu *effectus* ipſe corruptionis *putridæ* e diametro *oppoſitus* ſit negotio totius apparatus *vitalis*. Qui *apparatus* proprie in eo conſiſtit, quod perpetuis *ſucceſſibus* placidis ſucceſſiue distrahantur & eliminentur materiæ *corruptiuæ* inprimis & *corruptæ*. Quando iam huiusmodi corruptio *confertim* cooritur, & in illis ipſis partibus, quas inuaſit, *textura* ſimul ita ſit violata, vt *vitalibus* illis neceſſariis *progreſſibus* locus non amplius pateat; interim autem *corruptio* illa, præter *proprium* ſuum liberum progreſſum promtiſſimum, etiam eius ſit efficaciæ, vt omnino potenter *corripere*, & in parem *corruptionem* deducere poſſit præſentiſſime partes, quas proxime attingit, reliquas alias corporis: nemo certe negauerit, quin hæc talis conſtitutio vere *perplexa*, *incerta*, *dubia* atque *iuſti metus* plena reddere poſſit omnia *ordinaria conſilia*, vtpote non niſi *ſucceſſiuis*, *lentis* atque *placidis* agendi methodis ſuperſtructa, quæ vero ad præſentem *præcipitem* corrumpendi energiam non quadrant, aut vllo modo ſatisfaciunt.

Deſertio concurſus vitalis potius a fuga & deſperatione principii agentis, quam a materiali corruptiua efficacia deriuanda eſt.

§. X. Vnde certe minime abſurdum mihi videtur, quod hæc vera *deſertio* concurſus vitalis in his locis tam grauiter adfectis, vt illa quidem immediate nullam *ſaluationem* amplius admittant, *circumſtantibus* autem partibus omnino potens & copioſa paris corruptionis periclitatio hinc impendeat; quod inquam, hæc huiusmodi *deſtitutio* vere potius fiat a *ſcopi* totius deſperatione, adeoque etiam *mediorum* ad illum tendentium, vt irritorum, *neglectu*; imo vera *abhorreſcentia* ab illa iam in actum deducta *morticina* efficacia, vt ne quidem proxime ad *contactum* eius accedere, & actionem ſuam *motoriam vitalem*, tanquam certius irritam, adhibere ſatis fidat quodcunque tandem dicatur illud œconomiæ *motuum vitalium* REGENS Principium. Certe vero confirmare videtur quam maxime hanc conſiderationem obſeruatio illa, quod res valde *analepticæ*, vt nominatim *oleum cinnamomi*, ad retinendam quaſi aut reuocandam illam *vitalis* influxus energiam, longe plurimum conferant. Manifeſtiore indicio, quod vere potius *a priori* ipſius *actiuitatis* vitalis *energia* aduocanda & retinenda hic in

con-

conſiderationem ſimplicius venire debeat, quam vllus *materialis* cuiuscunque *corruptiuæ efficaciæ* ſimplex reſpectus.

§. XI. Huic rei ex aduerſo reſpondet, ſed ad confirmandam hanc theoriam etiam directe conſpirat, altera illa efficacia, ad producendum *ſphacelum* certiſſima & maxime ſpectabilis, *morſus* animalium *venenatorum*. Si enim hæc res ſecundum ſimplicem ſuam veram *ſuccedendi* methodum expendatur, comparebit certiſſime, quod cauſſa eius, *morſus* inquam *venenatus*, *qua talis*, ſit tale damnum, quod ſimpliciter & abſolute non poſſit ſubigi aut corrigi ab ipſa natura *ſine externa ope*: imo vero externa ope *ſimplici & abſoluta*; quæ ſola *totum* illud efficiat, quod requiritur, neque natura ad illud *directe* quidquam conferre poſſit.

Morſus animalium venenatorum ad producendum ſphacelum efficax eſt.

§. XII. Iam, quando hæc talis læſio, *cui ipſa natura mederi nullo modo poſſit*, contingit, proxima præſto eſt *deſtitutio* huiusmodi, (anxia quidem, *lipothymica*, *mortifera*, ſucceſſiue vniuerſos *actus vitales* obnubilans) *ſpecialiſſime* vero in parte immediate tacta & affecta *ſphacelum* velut *admittens*; omiſſis videlicet neceſſariis vitalibus *actibus*, adeoque cito præualeſcente *ſphacelo*, nempe nuda *putrefactione*, citra debitam ACTIONEM vitalem, ſibi nude relicta. [Quantumlibet quidem minime in totum in dubium vocare velim, quod etiam morſuum illorum ita dictorum venenoſorum *materialis* quædam energia, ad *fortius* incitandam corruptionem *putredinoſam*, tanquam *fermentali* quadam energia, operari poſſit: quicquid etiam argumentorum in contrarium comparere poſſit.]

Sphacelum ſtipant moralia anxietatis, incertitudinis, metus pathemata.

§. XIII. Vt autem tanto luculentius pateat vera *ſphaceli* indoles, per iuxta-poſitionem, imo potius oppoſitionem *ſuppurationis*, placet vtrarumque harum rerum tam *communes*, quam plane *diuerſas* circumſtantias æque atque habitudines declarare: imo vero vnicam *ſalutarem* ſphaceli occupationem, qua vna, *& non aliter*, etiam concurrentibus manualibus exſtirpationibus, iterum obrui veluti & vere *circumueniri* poſſit, commonſtrare. *Communem* habet ſphacelus cum ſalutari ſuppuratoria conſtitutione eandem *materiam*, *ſanguinem* nempe ſtagnantem in partibus ita dictis *ſanguiferis* maxime, nempe in poros patentiores, ſanguinem *ſincerum* magis receptantes. *Diuerſitas* autem in eo fundatur, ſi *quantitas* ſtaſeos, *impetus & contentio* appulſus ſit *enormis*, (nempe placidæ, *ſucceſſiuæ*, vſitatæ vitali dimotioni adeo impar, & minus reſpondens) vnde deinde *corruptio* inſuperabilis:

Sphaceli formalis explicatio per oppoſitionem ſuppurationis.

Circumſtantiæ communes.

lis: ex aduerſo autem, pro *ſuppuratoria* ſalutari diſſolutione, *moderata* & *appulſio* & *collectio* ſeu reſtagnatio. Communes habent ſphacelus & ſuppuratio easdem maxime *partes*; nempe *ſanguiferas* ante omnia prorſus, muſculoſas. Interim corripit vtique *ſphacelus* etiam ſenſim partes exſangues; non ſolum ſi in illas ſanguis, *præter ſolitum*, congeſtus & incarceratus corruptionem ibi incurrerit, ſed etiam ſi hæc *e vicinia* ad has ſeſe extenderit: dum interim *ſuppuratio* in partibus vere *exſanguibus* abſolute nullum locum habet.

Circumſtantiæ diuerſæ.

§. XIV. *Diuerſitas* autem præcipua, imo plenaria, *ſuppurationis* ad *ſphacelum* conſiſtit in eo, quod in hac perpetuus *aditus* atque ſubtilis *tranſitus* pateat motui ſanguineæ maſſæ reliquæ; vnde ita perpetuo abſtergendo & auferendo tenuiſſimas partes, non relictis, niſi craſſioribus, deſideratus hic ſalutaris effectus ita ſequatur: dum ex aduerſo in *ſphacelo* interceptus hic tranſitus, portionem coagulatam ſimpliciter *ſibi relinquendo*, nihil aliter ita efficit, niſi vt eius libera *corruptio* vere *ſibi* quoque ita *relicta* graſſetur non in hanc ſolum, ſed etiam contiguas quaslibet partes. Simulatque vero in confinio & *ambitu* partis, quæ *corruptioni* eripi non valet, *vitalis* vegetus *motus* re vera iterum ſuſcipitur, circumſcribitur ſtatim eo ipſo, imo *tollitur* vlterior progreſſus ſphaceli: euaneſcit, inquam, ſtatim *ſphacelus*, ſimulatque vera *ſuppuratio* locum inuenit. [Vnde quidem non ſolum in *anthracibus* peſtilentibus tantopere commendatur *ſuppuratoria* maturatio; ſed laudatur etiam merito, tum in his tum aliis *ſphaceloſis* initiis, actualis *cauteriſatio*, cum procuratione quanta poteſt *ſuppuratoria* ſubiungenda. Sicut etiam *potentialis καῦσις* eo præcipue intuitu laudatur, quod vere iam *emortuam* portionem non aggrediendo, *viuam* autem adhuc corrodendo omnino hac etiam ratione *ſeparationem* mortui a viuo perpetret: interim ſi etiam hæc ipſa *corroſiua* ſeparatio exitum ſperatum ſortiatur, non poteſt tamen huius vlterior reſtitutio recte cedere, niſi æqualis libera *ſuppuratio* decentem concurſum nanciſcatur.]

In ſphacelo nulla ſpecifica corruptio eſt, ſed ſimplex putrefactiua.

§. XV. Secundum hanc euolutionem non opus vtique eſt, ſphacelo, qua tali, vllam peculiarem, *innominatam*, & plane *ſpecificam* corruptionis rationem adſignare, cum vtique ſimplex eius *putrefactiua* energia ſimpliciter ſatisfacere poſſit, tam, inquam, *a priori*, ex abſolutiſſima propria, imo intima temperie *mixtionis* animalis, & eminentiſſime *ſanguinis*, vtpote quæ, niſi ſpecialiſſimo & plane dire-

cto

ẞo *conſeruatorio* actu vere *contrario*, impediatur, non poteſt quin velut impetu quodam in corruptelam illam labatur; quam *a poſteriori* & ipſo manifeſto effectu, dum corruptio *ſphaceloſa* ad omnem ſenſum eſt *putrida*, & nihil aliud.

§. XVI. Efficacia vero putredinis *fermentatiua*, ad veram energiam *vitalem* comparata, non poteſt vtique, quin illa ipſo effectu quidem difficulter *mutanda* aut *curanda* agnoſcatur: interim, quia etiam vniuerſo *vitalitatis* ſcopo & *intentioni* actus talis corruptionis e diametro aduerſatur, poteſt etiam facile concipi, quod tota hæc *intentio* non poſſit non *confundi*, ſi hæc *oppoſita* corruptio citius *præualeſcat*, quam *vſitatis proportionibus* motuum vitalium ſatis præoccupari poſſit. Effectus ſphaceli.

§. XVII. Vnde quidem mirum, ſecundum hanc conſiderationem, eſſe non poteſt, ſi etiam *adminiſtratio motus vitalis* in rebus ita conſtitutis re vera *tergiuerſando*, non ſatis *confidenter* ſed omnino *timide* imo *fugitiue*, magis *deſeratur* quam vt vegete *exerceretur*. Quæ interim *trepidatio*, imo trepida *deſtitutio*, ingens damnum vtique in eo incurrit, quod hac ratione, in locum operoſioris & omnino magis curioſi atque ſolliciti concurſus *ſuppuratorii* admiſſa, per *deſtitutum tonum* potius ampliore ſtagnatione corruptio illa *putredinoſa*, *fermentatiuæ* vtique prorſus energiæ, liberrime diffundatur; atque adeo geometrico, vt loquuntur, progreſſu ampliſſimo vlterioris ſalutaris effectus *vitalis*, qui auctiorem hanc corruptionis vehementiam adhuc cohibere poſſit, tanto minor vtique relinquatur ſpes, & conſequenter etiam nulla *tentandi intentio*, nedum neceſſaria alacritas & *contentio*. Ex præualeſcente corruptione trepidatio, fuga & deſertio naturæ.

§. XVIII. Illud eſt certe conſideratu digniſſimum, quod *ſpontanea*, potentibus artis ſubſidiis non ſuffulta, huiusmodi expugnatio ſphaceloſæ corruptionis ſit res longe *rariſſima*. Sphacelus rariſſime ſponte expugnatur.

Vnde tanto maiorem attentionem meretur exemplum illud, quod Bartholinus hiſt. Anat. cent. I. hiſt. 69. commemorat de paupere puella, cui, cum ſphacelus pedem corripuiſſet, circa medium eius tandem ſponte ſubſtiterit, diffluente & decidente portione corrupta, reliqua vero viua atque vegata conſeruata, ſine vllo artificiali adminiculo. Quod quidem, ſicuti e conſideratione conformationis atque *communicationis*, mutuæ inquam *cohæſionis vaſorum*, *tendinum* cum ſuis *muſculis* & ipſorum *muſculorum*, non poteſt non mirabile videri, imo vere pro miraculoſa ope diuinitus pauperi ægræ præſtita agnoſci; ita poteſt tamen ſimul etiam conceptus locum habere, quod peculiaris illa diuina benignitas veluti directe magis

magis affecerit ipſam naturam, mortiferam illam formidinem conſolando, placidam autem debitæ ſuæ alacritatis, & omnino diuinitus impreſſæ actiuitatis, energiam potenter excitando; quam vlla alia magis ſimpliciter poſitiua præſtatione. Siquidem certe energia illa, admiranda quidem, ſed tamen ſecundum methodum phyſicam merito recte conſideranda, ad hunc etiam effectum merito prudentiſſime comparatur, quando nempe e friuola excitatione pathetica, natura adhuc tota ſibi conſtans, & nullis adhuc aliis, nedum alienis, motibus in diuerſum acta, actiuitatem talem vitalem, non ſolum conſeruatiuam, ſed ſua ſponte factæ iam ſtructuræ denuo reſolutoriam, & inuſitatæ penitus efformatoriam, non ſolum exercet, ſed etiam cum incredibili quaſi prorſus promtitudine: id quod in grauibus deformationibus ab imaginatione matris, manifeſtum eſt, vbi etiam iam formata debita partium ſtructura, intra breuiſſimum quoque tempus, non ſolum iterum tota reſoluitur, (nulla corruptiua forte colliquatione, ſed omnino ſtrictiſſimi ſenſus deſtructione) ſed etiam noua, non ſolum inuſitata, ſed etiam a tota ſpeciei idea paſſim aliena huiusmodi alia ſtructura exercetur. Quod vniuerſum ſicut longe plus certe eſt, quam ſimplex vegetus concurſus vitalis, ſolum intrepide continuandus; & tamen hic etiam a nuda friuola impreſſione aliena, tam alacriter ſuſcipitur & exercetur: ita puto certe adhuc potentiorem diuinam excitationem, ad impigre, ſtudioſe, ante omnia vero intrepide proſequendum actiuitatis ſibi commiſſæ officium, tanto potentius hic valiturum eſſe, adeoque ſalutarem effectum vitalis ſuæ energiæ ita præſtiturum.

Duplex ſphaceli infrequentia,

§. XIX. Merito vero addenda adhuc venit obſeruatio illa realis, & nequaquam temere parui pendenda, de duplici *infrequentia* ſphaceli; nempe primo *generali*, in regno animali vniuerſo, deinde *ſpeciali*, in *homine* etiam ſeorſim. Primum quod attinet, venit ita notanda ſumma *infrequentia* ſphaceli inter animalia *bruta*: ſed & immenſum quantum adhuc maior, *progreſſus* eiusdem, tanta, quanta in homine ordinarie euenit, præualendi *vehementia*. Ita enim in brutis certe, quam minimum promta inueniuntur *ſphaceli* exempla in genere: imo vero adhuc inſuper rariora *progreſſus* eiusdem ita inſoleſcentis ſpecimina.

1) inter bruta,

Quamuis enim in *equis* occurrat illa peculiaris ſatis promta corruptio, quæ a compreſſione aut contuſione quaſi mortificante veram talem corruptionem ſuſcipit, quæ neque ſuppuratoria, nec alio modo ſanioſa, ſed propius ſimpliciter putida, etiam ita tota exſcindenda venit, aut ambientis portionis maturatione tandem ſponte excidit: quod etiam veterinarii propterea Brandfleck, ſo ausfallen muß, appellant: eſt tamen velut inauditi exempli, quod talis portio, omnino ita non ſolum mortificata, ſed etiam actu putens, cito latius ſerpat, & ſimilem corruptelam ita diffundat, vt in humano corpore perpetuum eſt. In aliis autem animantibus eſt omnino eiusdem huius generis corruptio adhuc longe rarior, & minus vſitata, ſphaceli inquam veri euentus, niſi læſiones violentæ ſummæ prorſus eueniant.

In-

Iterum in ipſa etiam *humana* ſpecie eſt vtique ſphaceli prouentus modo *rarus*: rectiſſime & ſummo merito dico, eſt *rarus*, *per Dei gratiam*; intelligo etiam illam *duplicem* pariter, quam maxime certam, ſiue manifeſtam: *immanentem*, quæ totos nos gerit, ſeruat, & vere circumquaque complectitur; innumera illa grauiſſima pericula, quibus expoſiti viuimus ad mortiferos effectus, auertendo: altera *emanans*, indita nempe ſeu impreſſa humanæ œconomiæ indoli, *actiuitate* illa & *actiua curatione*, qua *ingruentibus* etiam, imo *innidulantibus* huiusmodi corruptionis cauſſis, tamen *placida ordinata methodo*, *actiua*, *vitali*, ita occurritur, vt hæc vitalis *actio energiam contrariam* lethalem præoccupet, & antequam vere *in actum* deducatur, iterum euertat & eradicet. Quæ certe inſtitutio talis *indoli* huic non aliunde, quam ab ipſius ſacratiſſimi *Conditoris* ſapientia atque potentia inſita ita eſt atque indita: nec aliunde, quam ab illa *diffidente*, & ad omnia plura, imo aliena reſpectante & euagante *trepidatione* labefactationem incurrit & exercet. Ne tamen ſuper hac re nimium diffundam conſiderationem longe extra medicum ſcopum, acquieſco in huc vsque dictis.

2) in hominibus.

ARTICVLVS IV.

DE VLCERE.

§. I.

Vlceris nomen quo ſenſu accipiatur.

VLceris nomen generaliter quidem vſurpari obſeruatur ab antiquis pro qualibet corruptione, *humoribus & partibus* inter ſe *communi*. Interim vſurpatur etiam vere *ſtrictiore* & iuſtiſſima quidem illa acceptione pro corruptione, humoribus & partibus communi ſeu ſocia, *ſuppurationi* contradiſtincta, & omnibus illius indoli connexis affectibus.

Alieniſſima loquendi formula: vbi pus, ibi vlcus.

§. II. Vnde quidem hoc ſenſu alieniſſima eſt illa propemodum vulgata loquendi formula, *vbi pus, ibi vlcus;* cum potius, vbicunque pus occurrit, ibi nihil minus, quam vlcus, ſed vnica ſuppuratoria ſtricte dicta *abſceſſio* locum habeat. Sicut enim *apoſtematis* vocabulum

bulum, (ſegregato ſolum decenter ab *apoſtemate*, etiam *apoſtaſeos* actu generaliore) nusquam indifferenter pro nuda quoque ἕλκωσι vſurpari obſeruatur: ita, contra, deprehenditur omnino ſæpius ἕλκωσις omnino *generaliter* magis & indifferenter pro conſtitutione tam *abſceſſoria*, *ſuppuratoria*, quam *ſanioſa*, *ichoroſa*, *ſeroſa*, *acri*, *ſalſa* adhiberi.

Vlcus differt a ſuppuratione.

§. III. Vt autem tales corruptelæ, quæ neque *materiam* veram, neque *formam ſuppurationis* aſſequuntur, vero etiam ſuo nomine gaudeant, poteſt non ſolum de illis *vlceris* vocabulum ſub tali contradiſtinctione vſurpari: ſed ſolet etiam hoc maxime ſenſu adhibitum ab ipſa inde antiquitate obſeruari, ſi veræ circumſtantiæ rerum, de quibus tales appellationes loquuntur, recte perpendantur. Nempe *ſtrictiore* huiusmodi ſenſu ſumtum *vlcus* eſt partis, a *ſanguinis* ſincerioris commercio alienæ, corruptio talis, qua & *humor* in illo loco, & *partis* ſolidæ ſubſtantia colliqueſcunt, & in *corruptionem* fatiſcunt.

Quid ſit vlcus.

Quæ partes generatim vlcerationi ſubiectæ ſint.

§. IV. Hæc autem talis conſtitutio vti directe non poteſt euenire eiusmodi partibus, quæ cum multo *ſanguinis* aditu conſpirare & commercium habere ſolent: ita obtingit potius *exſanguibus* partibus, ſed tamen *ſeroſo-lymphalis* humoris commercio libero maxime dicatis; aut *per accidens* ita diſpoſitis, vt ſanguini ſinceriori *receptus* penitior in illas, *quatenus*, & *vbi* vlceratæ ſunt, hoc tempore non æque pateat. Sunt itaque vlcerationi ante omnia ſubiectæ partes *cutaneæ* & *membranaceæ*, *tendinoſæ* atque *ligamentoſæ*, tandem *glanduloſæ*. *Per accidens* autem transeunt in *vlceroſam* conſtitutionem etiam *ſuppuratorii* abſceſſus, perperam cedentes; & ipſa *vulnera*, a viuida *conſolidationis* ſucceſſione, & *ſuppurationis* interceſſione, temere depulſa. Vnde quidem facile eſt coniicere, quales maxime partes, tanquam *in ſpecie*, inuadere ſoleant vlceroſæ conſtitutiones; vbi partim in *capite*, per huius partes ſuperficiales, *achores*; in teneris infantibus *cruſta lactea*, vlceroſæ excoriationes *retro aures*; in variis ætatibus, *ſcabies*; *intertrigines* variæ; vlcerationes e *ſcalptione*, ab *alliſione* v. gr. *tibiarum*; ab *eroſione*, aut *vſtione*, vel *fonticulorum* exemplo; &c.

Speciatim.

Sanguinis acceſſus ſimplicem vlceris conſtitutionem mutat.

§. V. Sicut autem ita *ſimplex* vlceratio omnino contingit in partibus *ſeroſo-lymphalis* humoris fercibus: ita mutat quadantenus *ſimplicem* talem conſtitutionem *colluſio* & interceſſio qualiscunque ſanguinis. Vbi quidem *tenuiſſimum* ſanguinis commercium, *flaueſcente* ſolum tenerrima atque modica admixtione, *acres* & *vrentes* efficit *ſeroſæ*

cor-

corruptionis effectus: *auctior*, *ſubruffa æſtuoſas* & *ardentes*, imo etiam vulgo dictas *colliquatiuas* & *erodentes* corruptelas: adhuc copioſior atque *ſpiſſior* etiam *putridas*, *acrius* dolentes, aut *ſtupidas* revera, cito grauiter dehiscentes corruptiones. Et talia quidem per conſtitutiones vere ſimpliciores, citra *ſpecifici* alicuius *fermenti* concurſum; quale alias re vera etiam plane *peculiares* corruptelas poſt ſe trahit, vt in *lue venerea*, *lepra*, & *phagedænicis* quibusdam ſpecialiſſimis corruptionibus.

§. VI. Propius iam ad *formalem* rationem vlcerationis facit *materiæ* ipſius *ſeroſo-lymphalis* temperies; quæ eo magis ſimpliciter *ſalſæ* indoli eſt proxima, quanto plus ſtricte dictæ *ſeroſæ* ſubſtantiæ complectitur: *acrior* iam quanto plus *lymphalis* materiæ comprehendit: *acrius fermenteſcens*, quanto plus *ſaliualis* materiæ admittit: magis magisque *acerrime*, quo plus de *ſanguinis* miſcela participat, qui *ſalſam* corruptelam potentiſſime *exacuit*. Quæ materia vlcerationi faveat.

§. VII. Proxime poſt hunc materiæ ipſius habitum disponit vlcerationis *formalem* rationem, imo ſimul etiam *diuerſitatem*, ipſa conſtitutio partis; quandoquidem pars magis *tubuloſa* & valde *poroſa manationem* vlcerum præcipue poſt ſe trahit. Qualis ita iuſto poroſior conſtitutio cum alibi *inſita* ſit, alibi *aduentitia*; inprimis autem de hac poſteriore mereatur omnino aliquid notari: faciemus hoc præſente, vt maxime conueniente, loco. Simplicior nempe eſt vtique illa vlceratio *manans*, quæ directe in partem *glanduloſam*, *ſpongioſo tubuloſam* illata, poſtquam hanc arroſit, apertis ita multorum *meatuum*, imo *tubulorum* orificiis, aperit ita exitum copioſius allabenti humori, qui alias per talem partem ſtate moueri debeat. Vlceris differentiæ ex conſtitutione partis.

Vidi, & mecum certe tunc temporis multi homines, aliquod huius rei exemplar ante aliquot annos in viro, qui iam tunc ſexagenarius a pluribus retro annis habebat in ſiniſtra gena leue vlcuſculum, ſed perpetuo manans apertum. Attigerat hoc, imo adfecerat, nempe arroſerat, *ductum ſalivalem Stenonianum*; vnde neque poterat facile ſiſti, neque debebat etiam: quandoquidem hoc quomodocunque cohibito, ſtatim inflabatur parotis. Sicut etiam aliæ vlcerationes, v. gr. *ſtrumarum*, per initia propemodum ad incoërcibilem *manationem*, vti ſucceſſu ad valde acres corruptiones, tanquam directe tendunt.

§. VIII. Altera vero illa vlceris e *purulento abſceſſu* ſubnaſcentis vera theoria meretur omni modo animi aduerſionem. *Abſceſſus* ſtricte dictus, legitime *ſuppuratorius*, cum inſeparabilem habeat *ſtaſin ſanguineam* & *affluxum*, aditum atque *tranſitum* ſanguinis au- Abſceſſus in vlceris indolem conuerſus.

ctiorem; & conſequenter effectus, huius maxime poſterioris, velut inſeparabiles *tumorem*, *ruborem*, proportionatam *duritiem*, & *calorem* ſenſibilem, cum partis adfectæ ſuperficie, poſtquam *pus* obhæreſcens abſterſum eſt, tanquam *ſubcruenta* recentis vulnerationis more, floride rubente: ita quando *affluxus* ille floridi ſanguinis *viuidus*, qui tempeſtiuam *conſolidationem* vnice promouet, ceſſat, *progreſſus* tamen per poros partis manet liber, partis, inquam, ita maxime conformatæ, ita denſæ ſtructuræ, vt ordinarie nihil aliud, quam *ſerum*, & cum eo dilutam *lympham* receptare & transmittere poſſit; ſequitur ita, dum *continuitas* partis violata eſt, & quamdiu talis manet, libera *effuſio* ſeroſo-lymphalis humiditatis, &, prout maior vel minor per ipſa labia vlceris, antequam libere profluat, obiicitur mora, euenit ita maior maiorque *corruptio*, primo *muceſcens*, dehinc autem *ſalſuginoſa*.

Inconueniens abſceſſus tractatio.

§. IX. In partibus autem, quæ alias etiam largiori aditui *ſanguinis* patentes, non ſolum laudabilem *ſuppurationem* formauerant, ſed etiam *conſolidationi* ſatis aptæ ſunt, ſi hæc vel per neglectam *mundificationem*, vel per inconuenientem tractationem per *vnguinoſa* impediatur, & *ſalſuginoſa* concepta intemperie fibræ partis, per ſuperficiem hiatus per abſceſſionem formati, *arroſæ*, tanquam ambeſis *laciniis* ita perſtent, vt neque hæ *ad viuum* adſumtæ, legitimæ nouæ ſtructuræ locum concedant, neque manentibus his quidquam de integro recte ſubnaſci poſſit, ſeu denuo *conformari*: deſeritur ita ſenſim *viuidus influxus* ad conſolidationem alacrem vſitatus, ſimpliciter *ſanguineo-rubellus*, & manet ſolus velut ordinarius *leniſſimus* aditus; vnde non ſolum in ambitu pars tota *pallet*, ſed exitu etiam non niſi ſimpliciter *ſeroſo-ſanioſo* moleſtiam patienti & artifici talem vtrique atque tantam obiicit, vt niſi illa ſolide correcta conſolidatio nulla exſpectari poſſit.

Eiusmodi degeneres abſceſſus in obfirmata vlcera tranſeunt.

§. X. Vnde videlicet eſt, quod neglecti per patientes, aut imperite tractati *abſceſſus* in *vlceris* indolem conuerſi, *ſuperficie pallida*, *liuido* quaſi nitore decolore, pruriginoſo *ardore* moleſti, *ſaniem* decolorem tenuem exhibente, (quales etiam vulgus Chirurgorum verwahrloſte, unreine, angelauffene Schaden arguit) tandem penitus in longam durationem ita ſeneſcendo velut inueteraſcant, & in obfirmata vlcera, Chirurgis alte Schaden, tranſeunt.

§. XI.

§. XI. De qualibus omnibus ſi quis eſt Chirurgorum qui neſciat, quod, niſi *ablata* tali ita male conſtituta *ſuperficie*, nunquam ad *conſolidationem* reduci poſſint: adeoque ante omnia *ſuperficiem* hanc ſufficiente *abſterſione* (pro re nata tolerabiliter *ſeptica*,) ad vivum mundificando reſtituat. vt *crudam ſubcruentam* illam faciem denuo exhibeat: daß der Schade wieder einen friſchen Grund bekömmet, niſi, inquam, hoc ita perficiat, non irriti ſolum ſunt omnes alii labores, ſed paſſim etiam & familiariter damno vario expoſiti.

Quo modo tractandi & in viam reducendi ſint.

Maxime omnium autem, quando, pro more in Medicina æque atque Chirurgia hodie vſitatiſſimo, ad inanes ſpeculationes de aliis ſpecificis cauſſis ita refractariæ vlcerationis, & neceſſitate ſpecificorum remediorum dilabentes, mercurialia, nondum mundificato, aut non æqualiter mundo vlcere balſamica, calidiora, aut præter rem, partis indolem aut tolerantiam, acriora ſeptica, & profundiorem nouam eroſionem, ſine virorum etiam deinde balſamicorum neceſſariam & tempeſtiuam ſubordinationem, artificia ſua præpoſtere exercent, nec adeo ſiue ſuum ſcopum attingunt, vere etiam imaginarium: neque rei, ita vti decebat, conſulunt aut ſatisfaciunt.

§. XII. Cæterum eſt vtique conſideratu digniſſima plane peculiaris illa *ſucceſſiua deprauatio* vleroſæ huiusmodi conſtitutionis, quando illa diutius durans, inprimis autem adhuc inſuper qualicunque ſive *affluxus*, ſiue *effluxus* largiore ſucceſſu potita, in poſterum *confluxui* huic ad talem locum ita magis magisque exponitur, vt poſthac non ſolum quicquid propemodum in vniuerſo corpore *commotionem* ſubit, ad locum ita affectum veluti peculiariter *dirigatur* atque compellatur; ſed etiam, quando maxime iam occluſa iterum eſt talis exitus libertas, *conſolidato* decenter vlcere, tamen *inclinatio* talis, ad hunc maxime locum etiam in poſterum *compellendi* quomodocunque *peccantes*, adeoque *exonerationi* deſtinatos humores, ita incumbat, vt non ſolum inde variæ moleſtæ *congeſtiones*, *ſtagnationes*, *inflationes*, *rheumatiſmi* vulgo dicti, hinc formentur, ſed etiam actu pars iam antea paſſa denuo vsque ad ipſam actualem *perruptionem*, nempe nouam *vlcerationem*, aut heteroclitæ *abſceſſionis* apparatum, deducatur.

Vlceris ſucceſſiua deprauatio quando fiat.

§. XIII. Vnde quidem etiam, vti mox in prima ſimpliciore *vlcerationis* tractatione, nimio *affluxui*, tanto magis autem *heteroclito*, prudenter reſiſtere neceſſitas poſtulat: cauendo tamen dexterrime, ne etiam legitimus *viuidus aditus* ſanguinis boni atque *floridi*, ad *conſolidationem* ſimpliciter neceſſarius, penitus excludatur, cum nullum

Affluxui nimio reſiſtendum eſt.

nullum vnquam *vlcus* iterum conſolidetur, niſi *viuidum* hunc influxum impetrauerit, *colore* etiam *viuace* facile noſcendum.

Vlceris mundificatio.

§. XIV. Ita poſtulat ex vlterius neceſſitas, vt *interna ſuperficies* vlceris etiam omnino ita *munda* atque *ſubcruenta* & *viuida* exiſtat, vt non ſolum a qualiscunque *ſaniei* immunditie, ſed & inprimis ab illa *ſolidæ* ipſius ſubſtantiæ (*fibrillarum*, inquam, in lacinias ſubtiles inæquales eroſarum) reliquiis fortiore *abſterſione*, ſeu proportionata etiam, non violenta promiſcue, *ſepſi*, liberata, atque ita iuſto nouo accremento plena libertas pateat.

Remedia balſamica.

§. XV. Tunc demum locus eſt verus veris remediis *balſamicis*: quamuis quidem illa *neceſſitatis* abſolutæ minime exſiſtant, ſed facile Natura ſibi ipſi conſulat, modo his, de quibus loquor, duobus ſcopis decenter ſatisfactum ſit. Alias habent vtique pro hoc ſcopo vſum, quando pars eſt *carnoſa*, *myrrhata*; quando magis *exſanguis*, *reſinoſo-oleaginoſa* acriora: ſeruando tamen etiam hic prudentem modum, ne temere inflammatorii *affluxus* nimii & *ardores* inuitentur.

Mundificatio debet eſſe æqualis.

§. XVI. Plurimum autem refert, vt hæc ante dicta mundificatio ſuperficiei internæ fiat *æqualiter*; ſiquidem, vbi ex aliqua parte mundificatum eſt vlcus, ex alia vero adhuc *immundum*, & ad recipiendam nouam accretionem inidoneum; adhibitis tunc *balſamicis*, ſequitur in parte illa mundificata *prematura* & *immatura* etiam, *mollis* atque *laxa* textura noua, non immerito inde vulgo *luxurians* dicta; in carnoſis partibus *ſpongioſa*; in *exſanguibus fungoſa*.

Tonica partis roboratio.

§. XVII. Quando vero iam hæc omnia ita ſatis recte ſucceſſiſſe viſa ſunt, eſt vtique adhuc neceſſaria velut *obfirmatio* huiusmodi, vt pars *robur* ſuum debitum recuperet, & *affluxui* decenter reſiſtere valeat; inprimis autem hoc in vlcerationibus iam *diuturnioribus*, eoque ipſo *affluxum* veluti adſuefactum retinentibus.

Superficies vlceris male texta, decolor pallida, liuida, nigreſcens conſolidationem impedit.

§. XVIII. Iterum autem moneo, quod maximopere obſeruanda veniat notata illa conſtitutio *ſuperficiei* male textæ; ſiue conſiſtat in nominata illa *lacera* velut arroſione, ſiue (quod in *ſanguinearum* partium vlceratione fieri ſolet) repulſa viuidiore ſanguinis affuſione, nihil niſi immatura quædam, tanquam telæ aranearum textura ſuperficialis inſtituta, perpetuam adhuc *transſudationem* humiditatis ſeroſæ admittens, in culpa ſit: ſiquidem, niſi ablata iterum tota hac

ſuper-

ſuperficie, neque *mundificationi* ſatisfactum vsquam erit, neque conſequenter vlla *conſolidatio* locum inueniet.

Exemplar harum rerum certiſſimum elucefcit in vlceribus illis ſuperficialibus, quæ in anteriore parte tibiæ, e contuſione grauiore coorta; ſi vel alias cacochymum, imo vel ſolum plethoricum ſit corpus, aut incommodis vnguentis, aut emplaſtris indulgeatur: ſiquidem paſſim huiusmodi vlcera ita inſoleſcunt, vt etiam in annos plures durent. Fouet hæc etiam per ambitum complectens ſpongioſior mollis atque laxa conſtitutio cutis, cum infarctu valde diluti, adeoque colorem ſolum pallidum roſeum formantis ſanguinis: vnde tota hæc portio turgidula, nitida, ſed mollis, valde prurigioſa, & leuiſſima ſcalptione cuticulam amittens, obſeruatur; ſuperficies vlceris ſemper decolor, pallida, liuida, aliquando etiam nigreſcens: a conſolidatione vera atque firma ſimpliciter alienum. Tali interim, ſi leuiſſima ſepſi auferatur deprauata illa ſuperficies, & nutrimentum illud acris vlceroſæ corruptionis, ſanguineo-ſeroſa circumambiens ſtagnatio latior ſubtrahatur; vel ſponte ſuccedit poſtliminio conſolidatio, vel obſequitur certe balſamicis etiam leniſſimis. Sicuti profecto commemoratio hæc talium in hoc affectu indicationum prolixior eſt propemodum, quam ipſe medicationis apparatus, paucis profecto, modo debitis & conuenientibus mediis abſoluendus.

§. XIX. Vnico verbo placet adhuc mentionem iniicere effectus in vlceroſa conſtitutione *conſolidatorii*, exemplo *fonticulorum* in brachio, e debita ſua ſede in parte *exſangui*, per minus dextram obligationem, ſenſim ſuper *carnoſam* partem musculi translatorum, adeoque rubicundam ſuperficiem ita ſenſim adeptorum, cum *dolore*, imo etiam frequentiore *cruentatione*. Quales, ſicuti non ſolum inutile atque moleſtiſſimum, ſed etiam propemodum impoſſibile eſt, *apertos* adhuc ſeruare, & coalitum illorum impedire: ita pendet hæc coaleſcendi pertinacia ſimpliciter a conditione *loci cruenti*, dum quamdiu in *exſangui* parte hærebat, nullus ſit metus, ne nimium promte conſolidationem adſequatur. Progredimur autem vlterius, tam *apoſtematis*, quam *vlcerationis anomalias* quasdam tanquam ſpecimen dictorum tradendo.

Fonticuli e debita ſede in parte exſangui in carnoſam translati promte coaleſcunt.

ARTICVLVS V.
DE FVRVNCVLO ET CARBVNCVLO.

§. I.

FVrunculus, Germanis ein Blutſchwären, Blutenßen, eſt *nodus inflammatorius*, plurimum *doloris*, & inprimis *ardoris*, præ ſe ferens,

Furunculus quid ſit.

ferens, valde *rubens*, imo familiariter ad *purpuream* vſque obſcuritatem, difficulter *ſuppurationem* ſubiens: quando vero etiam hanc concipit, ſi *paruus* ſit, & mature *aperiatur*; *foraminulum* exhibens *acu mediocri*, raro maius, e quo *puris* non niſi vna aut altera *gutta* expreſſioni obſequitur; ſin autem hæc fortior adhibeatur, *cruentus* mox *ichor* ſequitur. Quando vero maioris ambitus eſt furunculus, & iam *emplaſticis*, iam *vnguinoſis* minus conuenientibus perperam tractatur, atque *tarde ad apertionem* peruenit; tunc abſcedit ſenſim totus ille complexus, & excidit, relicto poſt ſe inſigni foramine ſeu hiatu: format autem velut ordinarie *pus* valde *ſpiſſum*, aut *inæquale*, alibi ſpiſſum, alibi fluidum quidem, ſed ſimul diſcolor, *ichoroſum*.

Dolor vehementiſſimus cum furunculo coniunctus.

§. II. Concurrit cum omni *furunculo* maior, quam pro mole ſua, in comparatione ad alias inflammationes, inprimis autem in *maiore* furunculo, etiam maxime inſolens *vehementia doloris*; non ſolum reliqui ordinarii *inflammatorii*, *pungitiuo æſtuoſi*, ſed eximie *vrentis*, ſimul autem *ſpaſtico-vibratici*, per totum etiam reliquum membri ambitum excurrentis: non ſolum ingentem *inquietudinem* & *agrypniam*, imo etiam *anxietatem* veram ægro inferentis: verum etiam actuales *febriles* calores *vniuerſaliores* ſecum trahentis.

Furunculus in ſphacelum præceps.

§. III. Eſt autem *furunculus*, ſi minus proſpere ſuccedit eiusdem *ſuppuratio*, in *ſphacelum* admodum præceps: imo hoc ipſo etiam ad *fœtidam* qualiscunque ſuppurationis deprauationem pronior. Quando iam etiam rupta eſt furunculi *ſuppuratio*, manet ambitus circa ipſam non ſolum longe *latius*, quam in aliis etiam capacibus ſuppurationibus ſolet, valde *durus*, ſed etiam *dolens* adhuc & *ardens*, præter ſimplicium morem. Vbi iterum iterumque valet obſeruatio illa, imo vero *cautela*, ne *intempeſtiuis* & præter neceſſitatem *diuturnis maturatiuis*, *emplaſticis* & *vnguinoſis* artificiis *ſuppuratio latius*, quam par ſit, extendatur: ſed potius ſimplicioribus *emollientibus*, & quantum fieri poteſt, etiam *diſcutientibus* inſiſtatur.

Furunculus eſt ſtaſis ſanguinis, quæ per inflammatorios motus iterum diſcuti debet.

§. IV. Eſt autem *furunculus* nihil aliud, niſi *ſtaſis* ſanguinis, non tam intra *poros* muſculoſæ partis latius diffuſa, quam ſimplicius *in tubulo* aliquo *ſanguifero* detenta. Cum autem ſanguis actu in *ſtaſin* deuolutus (niſi quidem locus ſuperficialis *tranſpirationem* liberrimam tenuium partium concedens, reliquarum *ſcirrhoſam* indurationem poſt ſe trahat) abſoluta neceſſitate in putredinem ſeu ſphacelum ruat; niſi per *appulſum* & *transpulſum inflammatorium* libertas illa

illa *putrefactionis* alteretur, per *amotionem* tenerrimarum ſecedentium actiuiorum portionum; interim talis *tranſitus* per portionem intra *tubulum* aliquem incluſam fieri minime poſſit, & conſequenter periculum *putredinis* ſeu ſphaceli hac ratione ſit velut ineuitabile; ad hoc autem omni vtique modo auertendum, tam anxiis *conaminibus*, quam agiliſſimis *contentionibus* natura indefeſſa conniti laboret: naſcuntur hinc ante omnia intenſiones illæ *motuum* inflammatoriorum adeo inſignes, & multis modis *anxiæ*, ſed & *vigilantiſſimæ*, late circa *exiguam* portionem vere affectam extenſæ, vera actuali *ſtaſi* nequaquam ſubnixæ, nec etiam inde ſimpliciter ad *ſuppurationem* actualem reſpicientes aut pertinentes, & hinc re vera, ſi portiunculæ illius vera *ſtaſi* affectæ iuſta *ſuppuratio*, & *matura* apertio atque euacuatio ad votum ſucceſſerit, omnino iterum *diſcuſſionem*, citra illam in pus aut qualemcunque aliam corruptionem, omnino ſubeuntes.

§. V. Hæc talis conſtitutio quando quantitate *ſtaſeos* maiore, aut *impetu* præcipiti atque *pertinaci* contingit; aut plane ſpecialiſſima quædam valde *fermenteſcens putredinoſa* energia concurrit, præter ſimplicem generalem indolem ſanguinis ſinceri ad *nudam* putrefactionem: naſcitur inde, generali quidem conſtitutione, verus *furunculus*; ſpeciali vero maxime *periculoſus*, *ſphaceloſi* euentus habilitate. Qui propterea, auctis omnibus illis (etiam ſub leuiore tali conſtitutione *anxiis*) vehementiſſimis commotionibus inflammatoriis, non ſolum vniuerſi *doloris*, & inprimis vehementis *æſtus*, ſummum exceſſum ita format; ſed etiam *coloris* ſupremum in hoc genere gradum adſciſcit, e *rubro purpureo nigricantem*: *anthracis* inde ſeu *carbonis* nomen, vſitatius *carbunculi* accepit; tum, quod ita *vrat*, & primo veluti rubore *excandeſcat*; tum denique etiam *nigreſcat*, & velut *aduſtam* relinquat partem, deſinens vtique in *ſphacelum*. Furunculus maioris ſtaſeos & ambitus, vehementiſſimis commotionibus inflammatoriis coniunctus, anthracis, carbonis ſeu carbunculi nomen habet.

§. VI. Eſt enim, vt vtique totam rem breuiſſimis complectar, *inflammatio*, per ſumme *neceſſariam* ſed tamen *difficillimam* commotionem, pro impetranda *ſuppuratione* & *occupando* ſphacelo, *intenſiſſima*; & hoc ipſo omni modo *gangrænodes*: ſi vero totum tentamen re vera ſit irritum, actu in *ſphacelum* deſinens. Diſtinguunt *carbunculum*, hoc intuitu, in *benignum* & *peſtilentem*. Intelligendo tamen etiam hanc *benignitatem* ſolum ſimpliciter, vt in comparatione ad ſumme *malignum*, nempe *peſtilentem*: alias enim *vere beni*- Carbunculi definitio & differentia.

gnum genus eſt ipſe *furunculus*; *malignum* anthrax *citra peſtem*; *peſſimum cum peſte.*

Carbunculus peſtilens, & ſine peſte.

§. VII. Enimuero etiam ipſe carbunculus *peſtilens*, niſi *actuali vſtione* afficiatur, aut *exſcindatur*, ſed lenioribus magis remediis tractetur, in meditullio quidem ſui *putreſcit*, per ambitum autem ad *maturationem* peruenit, adeoque *ſuppuratione* circum circa facta, excidit eius veluti *meditullium*, ſi *ſalutariter* exire debeat. Neque vero etiam non ſimpliciter cum *peſte* coniunctus, ſed tamen vehemente præter modum *ardore* affectus, tranſit vnquam totus in *laudabile* pus: quin *meditullio* ſui *putrilaginem* ſpiret, & potius *colore* & *ſubſtantia* tota corruptus, quam *fluidum pus* repræſentans, excidat. Imo vero eſt omnino huiusmodi carbunculus tam notorii *periculi*, vt inde natum ſit illud plebis dicterium, quod *carbunculus* (ſine *peſte*) *ſi in parte corporis oriatur, vbi æger illum conſpicere* poſſit, *mortem minetur.* Nempe totum negotium fundatur in *ſphaceloſæ* corruptionis euentu; quæ ſi a *peſtilente* contagio etiam grauiſſime *fermenteſcentem* energiam concepit, graſſatur hinc tanto violentius ad huiusmodi *funeſtum* vniverſaliorem effectum in totum corpus.

Phœnomenon puſtulæ illius conſpicuæ & in corruptionem profundam abeuntis periculum non aufert.

§. VIII. Neque vero me quidem hic turbat phænomenon, quod de *peſtilentibus* carbunculis narrant, quod nempe ſubinde videantur initium ſumere a *puſtula* quadam, *ſuperficiem* ipſam partis occupante; cui deinde *corruptio*, & præceps & profunda, mox ſuccedat. Sicut enim huiusmodi conſtitutio *omni* carbunculo ſimpliciter & abſolute nequaquam contingit; dum *peſtilentes* potius etiam *latentes* adhuc, aut *retrocedentes*, quam maxime periculoſi, imo funeſti multoties memorantur: ita confirmant tamen plerique harum rerum ſcriptores, qui hiſtoriam ſolertius exſequi laborant, quod non ſolum patientes tales, etiam antequam ſæpe numero carbunculus *extrorſum* conſpicuus fiat, immanibus plane *doloribus*, *ardentibus* atque *ſpaſticis*, per illa membra grauiſſime adficiantur: ſed inprimis etiam ipſi *carbunculi*, vtut huiusmodi *puſtulam*, tanquam *apicem* quendam, formare videantur, tamen introrſum in profunditatem partis, veluti *pyramidali* more in duram amplam *baſin* dilatari ſentiantur; ſatis luculento indicio, quod verior *ſedes* mali *intimior* ſit, nec ab illa *externa* puſtula, tanquam ſimpliciter *introrſum* iterum operando, dependeat.

§. IX.

§. IX. Quid, quod potius talem *furunculi* & *carbunculi* diverſitatem conſtituere æquum videatur, vt *furunculus* ſimplicius circa *ſuperficiem* corporis ſedem ſuam habeat; *carbunculus* autem profundius introrſum hærens, eoque ipſo *capaciorem* vaſis *ramum*, & ſimul etiam aliquanto firmioris iam *texturæ*, comprehendens, omnia ita difficiliora habeat atque faciat. Certe enim *furunculus* ſimplex & legitimus protuberat notabiliter *extrorſum*; quod *carbunculus* non pariter facit, ſed tanto magis *introrſum* indureſcere, & *corruptione* ſuccedente, etiam quantumcunque *felici*, inſigniter *dehiſcere*, & aliquid *excidendo* amittere ſolet. Carbunculi & furunculi differentia.

§. X. Cæterum hæc allegata conſtitutio videtur non ſolum reliquam indolem horum effectuum exhaurire; ſed etiam tanto magis viam ſternere ad veriorem *tractationem* eorum therapevticam, aut luculentiorem agnitionem, *quatenus*, & *quamobrem* curatio *difficilis* aut prorſus *irrita* euadat. Sicut etiam ex his reſpectibus vniuerſis *differentia* horum affectuum a ſimplici *apoſtemate*, & vltimo *ſphacelo*, ex his manifeſto diluceſcit; & quidem ſecundum veram *mechanico-organicam* rationem & operationem *progreſſus ſanguinis* vitalis *conſeruatorii*, veras autem & nihil vsquam fictas circumſtantias *materiales* ſingulorum horum affectuum. Vſus huius differentiæ.

ARTICVLVS VI.

De

CANCRO.

§. I.

QVam parum commodi ad ſolidam theoriam *phyſiologicam* adferunt remotiſſimi conceptus *generaliſſimi* phyſici, ſiue antiqui, de *elementis* & *elementaribus temperamentis*; ſiue *neoterici*, de *figuris* corpuſculorum & *potentiis* ſalinis: tam multum ex aduerſo ſeruiunt meliori intellectui *propiores* conditiones *materiarum*, & *locorum* œconomiæ humanæ debitorum, & horum vtrorumque mutui *habitus* ad ſimpliciores etiam, ſed graues quoque imo penitiſſimas *corruptiones*. Sic enim *ſanguinem putredini*, *ſerum* & *lympham ſalſedini*, *ſaliuam fermenteſcenti* agilitati & ſubtili *acrimoniæ*, *lac acceſcenti*, *bilem* cauſti- Notitia de conditionibus materiarum & locorum œconomiæ humanæ, eorumque mutuo habitu ad corruptiones, multum inſeruit theoriæ ſolidæ.

cauſticæ penetranti *corruptelæ* obnoxia eſſe, ſi *vitali ſecretione* & *excretione* deſtituantur, non difficulter obſeruari poteſt. Præterea vero facile mente comprehendi poteſt, quibus in *locis* præcipue huiusmodi *humores* plus loci atque iuris habeant. Si poſthac inde comparatio inſtituatur harum conſtitutionum cum ſuis *effectibus*, vt certis *affectibus*: poteſt inde & ſimplicior atque verior, & hinc etiam euidentior *ratio* facile concipi, qua vniuerſæ huiusmodi res ita exſiſtant & ſuccedant.

Cancri ſpecies & differentiæ.

§. II. Eſt huius rei, vt in hactenus tractatis exemplis *corruptionis* humorum intra *partes* certas, ita etiam in vera nihil coacta, nedum *ficta* penſitatione *cancri*, manifeſtum ſpecimen. *Cancri* nomine maxime proprie & eminenter notatur *mammarum* affectus, qui primo quidem in *concluſo*, & adhuc citra actualem *corruptionem* ſummam, patientes grauiſſime afficit; tandem autem etiam in manifeſtam *continuitatis* violationem erumpens, peſſimo longe *vlceris* genere graſſatur, & miſerrime habet patientes. Applicatur hinc etiam hoc ipſum nomen ad alias conſimiles *vlceroſas* conſtitutiones, quæ in præcipuo, vti vulgo loquuntur, *tertio* cum *cancro* illo eminente conſpirare videntur, nempe, quod *exedendo* graſſentur, & magis magisque circum ſe depaſcant. Proxima quidem poſt *mammas canceroſa* talis diſpoſitio eſt illa, quæ ſtrumis vlceratis euenit; proxima ab hac, quæ *labio* vlcerato obtingit; tandem, quæ *vterum* fœmininum occupat; tum quæ alias *glanduloſas* partes; vltima, quæ *fungoſis* excreſcentiis ſuperuenit.

Cancri ſignificatio.

§. III. *Cancri* nomen vt apud ipſos *Græcos* inuenit, ita apud *Latinos* etiam retinuit ab externa *ſimilitudine*; ſed μετὰ πολλῆς φαντασίας ſumenda, neque tamen in cancro *omni* & ſimpliciter ita reperienda. vt etiam quantælibet phantaſiæ ſatisfacere poſſit. Nimirum *vaſa* in circuitu *vlceris* cancroſi, magno infarctu ſanguinis *inflata*, æquiparant hi nomenclatores *brachiis* & *pedibus* cancri; quales tamen cum non ſolum *omni* cancro nequaqam ita ſtatim eueniant, nec etiam tam quomodocunque ordinato ſitu cum *cancrinis* conueniant, ſed potius varie tortuoſo proceſſu conſpicua ſint, longe magis *polypi* (ſeu mauis *polypodis*) nomine venire poterat talis conſtitutio. Sed in verbis ſimus faciles.

Carcinoma quid ſit.

§. IV. Maiorem autem forte conſiderationem mereri poſſet appellatio *carcinomatis*, tanquam *cancro* ſimpliciter ſumto quadantenus

tenus contradiſtincti nominis: nempe innuens etiam cancroſam magis, ſeu cancro *proximam* & *ſimillimam* conſtitutionem, quam ſimpliciter & abſolute ipſum *cancrum*. Siquidem non Latini ſolum practici ſcriptores vlcus *cancroſum* a *cancro* ſimpliciter non immerito diſtinguunt; ſed etiam Germani vocabulo vſitato, ein Krebs-Schaden, non tam ſimpliciter ipſum *cancrum*, quam conſtitutionem cancro plurimum *ſimilem* indicare ſolent.

Cancer mammarum.

§. V. Vt ante omnia hiſtorice vera indoles *cancri* innoteſcat, ſumimus merito pro ſpecimine exquiſito ipſum *mammarum* cancrum. Oritur autem hic vel alia aliqua ἐπιγενέσεως ratione, vel ſimpliciore & veluti directa magis *natiuitate*. Illud fit ante omnia a vitiis *lactis*; tum etiam a *contuſionibus*, *compreſſionibus* acutis, *compunctionibus* ſubtiliſſimis mammarum: hoc etiam ſimpliciter tacite, a *menſtruae* euacuationis vitiis. In aliis partibus, inprimis tamen *glanduloſo-tendinoſis* aut *cutaneis*, ex inſigni *contuſione* ſugillationibus in *ſcirrhum* induratis affectis; ſimiliter iam a vi externa, inprimis violentis compreſſoriis vellicationibus, kneipen, zwicken, klemmen, acutis *contuſionibus*, ſubtilibus *puncturis*, *affluxum* ſanguinolentum poſt ſe trahentibus, qui in *ſcirrhoſam* duritiem ſicceſcat. Quin etiam a *ſubtili*, ſed copioſa tamen *varicoſa* vaſculorum, ſenſim *ſcirrhoſa*, conſtitutione, vndecunque *coorta*.

Eius hiſtoria.

§. VI. In *mammis* autem etiam ipſis eſt vtique planiſſima ad *cancroſam* vlcerationem & certiſſima via, *ſanguineo-ſcirrhoſa varicoſa* illa criſpatura, ſanguine turgentium illorum vaſculorum, quæ ordinarie flexuoſo *pampiniformi* ſitu per *glanduloſa* corpora diſtribuuntur; ſi nempe *primo* infarctu nimio diſtendantur, *deinde* plane impeditiſſimus per illa progreſſus ſuboriatur, & *tertio* tandem, plena ſtaſi facta *corruptio* ſubſequatur.

Conceptus de obſtructione horum locorum ſimplici refellitur.

§. VII. Vbi videlicet prudente vtique theoria indiget illa conſtitutio, quando vaſa talia ita magis magisque ſufferciuntur, atque ſenſim largius *diſtenduntur*. Quod nempe phænomenon merito allegari debet aduerſus ἀμηχάνους illos conceptus & loquendi formulas, quaſi talia loca ſimpliciter *obſtructa* eſſent. Cum omnino hæc ipſa maxime, magis magisque per totam etiam ſui *longitudinem* procedentis, maioris ampliationis circumſtantia omni modo contrarium doceat, nempe, quod vtique, licet *impeditus*, *progreſſus* tamen omnino ita fiat; vbi vero, quandocunque tandem, vere in plenam *ſta-*

ſin deuoluitur, tunc non ſolum corruptio ineuitabilis, & quidem ab eo tempore omnino præſentiſſima, ſuccedat, ſed etiam vt in talibus conſtitutionibus etiam *ſpecialiſſime* talis: nempe e ſanguine *grumoſo* magis, quam ſimpliciter *coagulato*, agilioribus ſui particulis ſenſim depauperato, non ſolum æque cum *ſeroſa*, ſed maxime cum *chyloſa*, *lactea*, ad *aceſcendum* prona materia, talis ſpecialiſſima indoles corruptionis.

Hiſtoria ſucceſſus cancroſæ vlcerationis.

§. VIII. Cuius *ætiologiam* priusquam proxime & velut immediate aggrediar, præmitto adhuc ſpecialiorem hiſtoriam ſucceſſus ipſius *vlcerationis* cancroſæ. Fit nempe ita ſæpenumero, inprimis in illa *cancroſa* diſpoſitione, quæ non magis *immediate* veluti ab actuali *vlceratione* ſtatim initium ſumit, vt collectio talis *varicoſo-ſcirrhoſa*, *nodi* duri & *inæqualis* inſtar, in *mamma* hæreat per inſigne temporis ſpatium, ad plures vsque annos: & quidem non ita rariſſime etiam citra *omne* eximium, neque raro quidem etiam citra vllum *ſenſibile* incrementum; aliquando tamen etiam *cum* inſigni tali, adeo vt nodus eiusmodi vel ad *pugni* magnitudinem perueniat, citra ſummam ſui energiam.

Habeo huius rei exemplum viuum in matrona generoſa, iam 45. annorum, aut circiter; quæ cum virgo adhuc 18. forte annorum cum ſodalibus captatorios aliquos luſus exerceret, curſu minus prouido aduerſus oſtii acutiorem oram impingens, & mamma quidem ſiniſtra proprie, fortiter offendens, dolorem quidem inde ſtatim inſignem: cum autem hic ſucceſſiue iterum euaneſceret, duritiem nihilo minus aliqualem, & omnino ſenſibilitatem maiorem, quam in reliquo circa ambitum, ibi retinuit. Maritata, duorum liberorum mater facta, nihil nec ſub geſtatione, nec in puerperio vlterioris incommodi ſenſit; præter incrementum tactui diſtincte magis occurrens, & leues interdum, ſed tamen ſubtiliter acutas compunctiones veluti vibratiles, aut ſubtilem, ſed penetrantem ardorem, tranſitorium tamen etiam ipſum. Increuit tamen ita tacitis augmentis, plurium annorum ſucceſſu, ad molem magis magisque conſpicuam, donec oui mediocris magnitudinem, anno ætatis forte 36. aut 37. æquaret; quo tempore maritus defunctus varias occaſiones ſollicitudinis, & variarum animi commotionum ipſi relinquens. A quo tempore ab octo circiter abhinc annis ſucceſſiue ita increuit hic tumor, vt, quantum introrſum occupat, & extrorſum ſimul protuberat, mediocris pugni magnitudinem omnino excedat; vaſorum mirabiliter flexuoſis anfractibus partim viſui, partim tactui obuiis; vtique poſtquam numeroſa vaſa calamorum ſtramineorum, aliqua etiam mediocrium ſcriptoriorum capacitatem adæquant. Quamlibet autem, inprimis inter menſtruas ataxias, & hyſterico-torminoſa pathemata proximis annis non ſolum coorta,

ſed

ſed etiam inſoleſcentia, hæc mammæ conſtitutio non ſolum ſenſibilis facta ſit, ſed etiam ſæpe ſatis acutos, neque breues quidem, aut tranſitorios ſenſus conceperit: ſunt tamen omnia adhuc eousque tolerabilia, vt exquiſitas ingentes moleſtias, nedum cruciatus, nusquam adhuc incurrerit: poſtquam adhuc obtemperauit ſeriis monitis, vt ab omni auſu qualiumcunque oblatorum artificiorum externorum æque, ac internarum quarumlibet exagitationum humorum, ſub peruerſis illis modernis prætextibus ſubigendæ & inuertendæ acrimoniæ humorum, ſollicite ſibi caueat.

§. IX. Sub tali conſtitutione *inflationis* atque *collectionis* eiusmodi, inter *anfractus* vaſorum, *nodum* duriuſculum portionis ita affectæ, repræſentante, cooritur aliquando *dolor*; non quidem æque ſolum *leuis* atque *moderatus*, ſed *acutiſſimus*, & multis modis ægram exquiſitiſſime excrucians, *vrentis* ardoris, *punctionis* ſubtiliſſimæ atque penetrantiſſimæ, imo quaſi *ſectilis* acuminis ſenſum offerens, cum tanta ſæuitia, vt non ſolum hac ipſa voce illam maxime accuſent: **es wüte und tobe darinnen**, ſed et am ingente *animi* inquietudine, *anguſtia*, imo *anxietate*, vel ad ipſam vsque *lipothymiam*, inde percellantur. Equidem ſunt omnino varii huiusmodi ſenſationis *gradus*; & occurrit frequentius *minor* potius aliquis, quam maior. Interim eſt tamen etiam illud manifeſtum, quod ſæpe numero *paruæ molis* huiusmodi ſcirrhus *ingentes* cruciatus adferat; dum alibi longe *maior* nihil ſimile præſtat, ſed ſatis quietum ſe gerit.

Inflatio & collectio hæc nodoſa acutiſſimis ſæpe doloribus & anxietatibus ſtipata eſt.

§. X. Quid, quod etiam ſatis ſæpe feroces eiusmodi *dolentes* nodi nihilo minus per multos adhuc menſes, imo annum vnum & alterum, etiam citra inſigne *incrementum*, ne dum plenam *eruptionem* ſeu *corruptionem*, perſiſtant. Quales quidem ſcirrhos *ſanguineos* ita dolentes mox *cancros occultos* ſalutant. Et ſunt omnino in *proxima potentia*, in cancroſam *corruptionem* erumpendi, & nihil aliud: neque tamen interim meretur dolor ille, quem concitant, pro vera *actuali* ſolutione continui ſalutari; cum talis nequaquam ſine actuali *corroſiua* corruptione materiæ, hæc autem fine *manifeſta* potius, quam quoquo modo *occulta*, vere vlcerata etiam *eruptione* non poſſit conſiſtere.

Scirrhus hic ſanguineus cancer occultus nominatur.

§. XI. Vbi nempe reſpicienda vtique venit modo dicta hæc circumſtantia, etiam diutius, imo per *longum* omnino *tempus* manentis adhuc, ſine alia ſenſibili in deterius mutatione, ipſo tali occulto cancro: quod tali ratione fieri minime valeret, ſi *actualis* vlceratio ſubeſſet.

Diu & per longum tempus ſine mutatione & vlceratione perſiſtere poteſt.

eſſet. Cui rei tanto maiorem adhuc lucem fœneratur illud, quod illi dolores *occulti* adhuc cancri etiam ſæpe numero per ſatis longum tempus eximie iterum *quieſcant;* quo i ab *actuali* vlcere, & inprimis concluſa & nullum exitum adepta *ſanie* nemo exſpectauerit. Quando vero iam denique *corruptio* vere præualeſcit, tunc erumpit certo incoërcibili impetu, aut graſſatur tam *dolore* intolerabili, quam reliqua diffuſione ampliore etiam intus in concluſo, donec *perrumpat* aut *emittatur:* quod quidem in tali conſtitutione neceſſarium prorſus eſt.

Corruptio cancroſa qualis ſit.

§. XII. *Corruptio* ipſa ratione conſiſtentiæ ſuæ eſt, vt optime monent veteres, neque ſimpliciter *corroſiua*, nec etiam ſimpliciter *putredinoſa;* ſed de *vtroque* participans. Nequaquam autem neque *purulenta*, nec etiam lenius & ſimplicius *vlceroſa;* ſed omnino valde *acris*, manifeſtius *acido-ſalina*, vt inſtrumenta *metallica* corrodat: imo etiam *odorem* de ſe ſpargat velut *acetoſum;* non quidem *perpetuum*, ſed per vices tamen omni modo ſenſibilem: ſimul autem etiam *putredinoſum;* ita tamen, vt hic etiam *fœtor* minime *æqualiter* perpetuus ſit, ſed omni modo per diuerſa tempora, & inprimis, quoties acrius *graſſatur* malum, conſpicuus.

Succeſſus diuerſi huius corruptionis.

§. XIII. Siquidem omnino *ſucceſſus* ſuos diuerſos habet, magis *per accidens* differentes: vt alio quidem tempore mitius graſſentur & *dolores*, & *corruptio* exedens; alio vero & ille grauius agat, & hæc latius depaſcat. Quanto magis autem *depaſcit*, tanto maior eſt *fœtor*. Quando minus quidem depaſcit, ſed tamen acerrime *cruciat*, præualet tunc acris *corroſiua* energia: quando hæc *mitior* eſt, (ſed tamen non nimium talis, & quaſi fatua,) tunc ſunt, vt in tali afflicto ſtatu, omnia mitiſſima; ſi vero nulla prorſus acrimonia effatu digna oriatur, *præualet* mox *putrefactio*.

Duplex venenum in cancro ſtatuitur.

§. XIV. Vnde quidem rectiſſime rem interpretatur *Heurnius*, agnoſcens non ſolum in cancro duplex tale, vt ille imo tota ſchola medica loquitur, *venenum;* vnum *putrefaciens*, alterum *corrodens*. Nec alteri quidem ſine alterius præiudicio potentius *detrahi* poſſe conqueritur, quin, ſi *corroſio* ſupprimatur, *putredo* præualeſcat: ſin autem *putredini*, vſitatis illo tempore remediis, potentius occurratur, *corroſio* inſoleſcat.

Quomodo hæc venenata indoles, in primis

§. XV. Eſt autem omni modo accuſatio hæc *corroſionis* intelligenda non tam de *abſumtione graſſante* ſubſtantiæ ſolidæ, quam potius præcipue de *acerrimo ſenſu*, *roſione* magis quam *eroſione*. Ita

vero,

vero, ſi vera indoles corruptionis *ſeroſæ*, *ſanguineæ*, & ex vtrisque *concurrentibus cruentæ*, etiam ita ſimpliciter ſatis perſpecta ſit; ſimul autem ad *extraordinarias* exacerbationes etiam extraordinariarum *incidentium* cauſſarum ratio conuenienter habeatur: non erit opus ad illam *innominatam* indolem confugere, quæ *corroſionem*, ne dum quæ *putrefactionem* ſiue faciat, ſiue ſubeat. corrodens, intelligenda ſit.

§. XVI. Si enim *ſanguinis* quidem indoles ad *putreſcendum* præceps ſine vllo etiam alio *ſtimulo* poſitiuo, ſed ſimplici *priuatiua* perpetui eius progreſſus interceptione, attendatur; & harum rerum præſentia in *cancroſa* vaſorum *varicoſa criſpa* inflatione, & in illa *coacervationis*, & denique *ſtaſeos* non tam *energia*, quam ipſe effectus tanquam manibus palpetur: non erit puto neceſſarium, vsquam *aliunde* arceſſere quodcunque *materiale activum* principium; & inprimis quidem, vti loquuntur de *veneno* ſcholæ medicæ, *tota ſubſtantia*, adeoque, iuxta philoſophos, *toto genere* corpori humano contrarium: ſed inuenietur *materia* hæc corpori, imo ſubſtantiæ humanæ quam maxime *intrinſeca*, imo vero *intima*. Sanguinis indoles ad putreſcendum præceps eſt ſatis apta & intrinſeca cancri materia.

§. XVII. Ita etiam de *acrimonia ſalſuginoſa* vlceroſa facile poterit agnoſci, quod illa e ſeroſis ſtaſibus, citra vllum interuentum *nouæ* cuiusquam rei, rectis greſſibus procedat. De *acrimonia* vero *ſalino-vlceroſa*, & ad talem producendam præſentiſſima efficacia ſubtilis admixtionis *ſanguinis*, licet minime ignorem, quod nulla in hunc diem ſit ſufficiens conſideratio: audeo tamen de circumſpectioribus, & *ſimplicitati* potius rerum, quam (profecto nimio adhuc ſimpliciori) *fictioni* ſpeculationum animum ſubmittere paratis, meliora ſperare, ad agnoſcendum, quod *bilis* veterum, qualem ad *vlceroſas* energias allegant, nihil ſit aliud, niſi ſimplex *miſcela* pauciſſimi *ſanguinis*, cum *ſalſuginoſo* ſero & *gelatinoſa lympha* conſpirantis; *tenuiter* inquam *commixti*, in partibus alias magis *exſanguibus*, ad *ſtaſin* correpti, & denique in *corruptionem* prorſus deuoluti. Acrimonia ſalſuginoſa, & ſalino-vlceroſa ex miſcela ſanguinis cum ſero & lympha.

§. XVIII. Tanto magis autem facile agnoſcent quoquo modo attentiores tam *prouentum*, quam *genium crudioris* adhuc *chyli*, ſeu *lactis*; ad *mammas fœmininas* tam ordinarie deſtinati, quam ſub auctioribus cauſſis *affluendi*, etiam *extra reliquum ordinem*, tanto promtius confluentis. Prouentus & genius crudioris chyli ſ. lactis.

§. XIX. Iam ſi hæ res inter ſe debite comparentur, non video, quid eximiæ difficultatis ſubeſſe poſſit, ad conceptum planum atque Ex his facile concipi poteſt quo modo ſan-

guis ſtagnans in corruptionem deuoluatur.

que ſimplicem, quod, quando ſanguis a *ſtagnatorio* illo *ſegniore* ſui motu ſenſim etiam aliquid *vappidi* concipiens, tandem in *ſtaſin* veram plenam deuoluatur, tunc denique etiam actualem *corruptionem* incurrat: & illam quidem, e ſua propria indole, non aliam, quam ſimpliciter *putreſcentem*.

Corruptionis cancroſæ theoria.

§. XX. Cum autem hæc talis corruptio in huiusmodi loco non ſolum non poſſit contingere, ſalua illa ſubſtantia, quæ alias etiam *ordinarie*, & magna quidem quantitate, per hæc loca mouetur, *lymphatico-ſeroſæ*, imo vero *chyloſæ lacteæ* indolis; cum *lac* etiam *cruditates* adhuc *alimentares*, *aceſcentes*, *fermenteſcentes*, ſecum vehat: imo vero non ſimplici forte ſui *affluxu* huic tali corruptelæ ſuperueniat aut accedat; ſed potius etiam ſui *ſtagnatione*, & inde nata viarum & meatuum *dilatatione*, imo tandem copioſo *infarctu*, & tunc demum vltimo *corruptione*, partim *antecedat* aliquando, partim *comes* incedat, partim *ſuperueniat* atque ſuccedat illi *ſanguineæ* ſtagnationi, dilatationi, infarctui, corruptioni: hæc vero talis ſubſtantiæ ſubnaſcens corruptela *ſalina* ſit, a *chyloſa* ſeu *lactea* ſubſtantia etiam *aceſcens*, a *caſeoſa* æque atque ſimpliciore quoque *ſeroſa* excrementitia materia ad *acrem vrinoſam* intemperiem procliuis; ante omnia vero tanquam magis directe & ſimpliciter *ſalſæ* indoli proxima: naſcitur vtique inde, recte atque ordine, corruptela talis *putrefactionis muriaticæ* veluti, aut *acetariæ*, nempe non ſecundum eandem ſubſtantiam, vt *eadem* materia & *aceſcat*, aut *ſalſeſcat*, & deinde in *putredinem* quoque progrediatur; ſed re vera materiæ & tota ſubſtantia *differentes*, & *loco* etiam atque receptaculis ſuis *diſtinctæ*, tanquam *ſeorſum*, vnaquæque nempe ſuam *propriam* corruptionis ſuæ indolem ſequantur: *ſanguis* inquam *putredine* ſimpliciore afficiatur; *ſeroſo lactea* vero ſubſtantia ſibi quoque propriam *ſalinam* acrimoniam incurrat; & hoc quam maxime in illis ſuis adhuc *ſeparatis* receptaculis: quicquid autem *tenuius* de his, & *inter hæc* effluens, ante *propriam* pleniorem corruptionem, & ita *confluendo* confuſum, *mixtam* ita & veluti *communem* corruptionem incurrit, illud fit vtique ab hac miſcela nimio *acrius*, quam neutrum *ſeorſim*, ſolum, ſibi relictum, futurum fuiſſet.

Locorum genius quid ad cancroſam vlcerationem conferat.

§. XXI. Iam vero ſi his *materiæ* ipſius conditionibus vlterius ad latus ponatur *locorum* etiam genius; quomodo inquam *tubuloſo ſpongioſa* textura vniuerſa mammarum, quando ſemel late *eroſa*, numeroſiſſimis *foraminulis* peruia facta, *effluendi* ita modum plane nullum

ſer-

ſeruare poteſt, ad minimum autem finem nullum aſſequi: naſcitur inde *manatio* illa perpetua; quæ, ſi vel maxime *materia* non eſſet *proprii* ita mali moris, nihilo minus *conſolidationem* omnem impediendo, non poſſet, niſi *peruicaciſſimam* ita talem continuationem vlceroſi huius ſtatus fouere. Tanto magis autem ſuſtentat atque fouet omnino hanc pertinaciam tam *aditus* quam *effluxus* ipſe *infarctus* materiæ, poſtquam ſemel concepit *corruptionem*, non ſatis amplius *mobilis*: *viarum* autem etiam iam præcedanea *diſtenſio*, imo eiusdem plena *obfirmatio*.

Quandoquidem ante oculos vtique eſt in hoc malo æque atque aliis diuturnis congeſtionibus & inde natis diſtenſionibus, quod v. gr. ſanguifera vaſa, quæ in his locis ſ. n. ne viſui quidem occurrunt, in his caſibus non ſolum maximopere ad adſpectum ampliata, ſed etiam pro ampliationis huius proportione, ſenſim tota ſui textura mirifice aucta, firma, & tali denſitate inſtructa reddantur, (vero actu ſtruendi, ſeu conformandi) vt quorumlibet aliorum eiusdem indolis, venoſæ quam plurimum, proportionem denſitatis ad capacitatem ſecundum naturam hæc æquent, imo ſuperent, aduentitia illa denſatione, iuxta proportionem capacitatis adſciticiæ p. n.

§. XXII. Cæterum cur hæc corruptio, quantumlibet actu aliquid *putrefactionis* concipiat, tamen ita præcipitem progreſſum, vti *ſphacelus*, ſeu ſimplex *putrefactio*, non adſequatur; ante omnia vero *influxus* motuum tonicorum *vitalium*, qui in ſphaceloſa *ſimplici* libera corruptione a parte affecta quaſi *abhorret* atque *refugit*, eamque neceſſaria illa ope, qua per *ſuppurationis* conſtantem ſucceſſum ſphaceli *progreſſus* certo inhiberi poſſet, ita deſtitutam liberæ corruptioni relinquit; quod inquam hic *influxus* in *cancroſa* corruptela nequaquam pari ratione partem ita deſtituat, ſed potius variis *congeſtoriis* & fortibus *ſpaſticis* motibus, circa ita obſeſſam partem, ſollicite influere, ſeu *actiuum* ſeſe exhibere perſeueret: totum hoc, inquam, pendet maxime ab illo, per ipſam materialem hanc conſtitutionem *ſegniore* progreſſu *ſinceræ* putrefactionis; dum illa ita per *ſeroſæ*, valde *ſalſæ*, maxime vero ipſius *lacteæ*, etiam *aceſcentis*, corruptelæ, & *copioſiorem* quidem concurſum actu impeditur, vt tam libere ſuccedere, & conſequenter etiam tam ſimplicius *ſulphurea* ſanguinis temperie, in *putredinis* actiuitate, omnino valde *fermentatiua* futura, per hanc ſalſedinis, & inprimis quidem *aceſcentis* interceſſionem progredi non poſſit; quin non ſolum in actiuitate ipſa fiat multo *ſegnior*, ſed etiam omnino ipſius ma-

Cancer cur aliis apparatibus formetur quam ſphacelus.

 teriæ

teriæ indole, ſeu potius *temperie* tota atque conſiſtentia, ad illam tantam energiam lentior, inertior, grauior, adeoque omnibus modis ineptior.

Cancri effectus per ſpaſticos dolorificos & anxios motus.

§. XXIII. Eſt enim vtique luculentiſſime conſpicua ingens illa actiuitas, quæ in hoc affectu *ſpaſticis* motibus longe lateque extenſis, inprimis autem circa partem ipſam affectam & per viciniam eius paſſim ſeſe exſerit; *doloribus*, non *prementibus* ſolum, *tendentibus*, *contendentibus*, ſed inprimis *micantibus* illis, *vellicantibus*, *frementibus*, *palpitatoriis*: quibus etiam internæ *ſtricturæ*, & ab his *anguſtiæ*, imo vero *anxietates* ipſius *animi*, largo prouentu iunguntur. Neque hoc forte ſolum ſecundum inauſpicatas illas craſſas ſubtilitates, per *materiarum* directam tali effectui ſimpliciter proportionatam *acrimoniam*, aut *infarctum*, *incubitum*, *diſtenſionem* tubulorum, imo ipſarum penitus *fibrarum* inflationem, quæ *ſpaſmum* formet; cum paſſim *acres* huiusmodi commotiones non exſpectent aut ſequantur *quantitatem*, aut veram ſimplicem *qualitatem* huiusmodi *materialis* conſtitutionis: ſed in cancro adhuc *occulto*, nequaquam actu adhuc *corrupto*, nedum plenam ſuam *ſpecificam* malignitatem adepto, imo minima etiam mole *auellanæ* aut *fabæ* conſpicuo, nihilo ſecius hæ tales *actiuæ ſpaſticæ* contentiones & *patheticæ* intentiones, *anxietates*, & ſummæ *inquietudines*, immenſum quantum plus negotii faceſſant, quam apud alios eiusdem claſſis patientes non ſolum pares, ſed etiam vel centuplo *maiores* eiusdem generis *humores*, *infarctus*, *diſtenſiones*, nequaquam faceſſunt, imo vero nec ipſæ quoque plenæ, ad abſolutam ſuam veram ἀκμὴν deductæ *corruptelæ* ipſius iam formaliter, vt loquuntur, *exulcerati* cancri nequaquam poſt ſe trahant.

Spaſtici illi dolores & patheticæ anxietates non a materia ipſa acri deducuntur, ſed ab energia animi pathematum.

§. XXIV. Cui rei omnem veriſimilitudinem porro penitus detrahit illud, quod omnes horum generum, & inprimis ipſius *occulti* cancri, *ſpaſtici* eiusmodi & *vibratiles dolores* nequaquam *perpetui* ſint, ſed ſub inde etiam longiſſimis interuallis iterum *quieſcant*; neque *mole* tumoris, nec vlla alia circumſtantia ſuadente conceptum talem, ac ſi ſub *dolore* fiente aut vigente vel *diſtenſionis* illius proportionatum *augmentum* in culpa fuiſſet, vel plane *corruptela* actualis, iterum dico ad hanc *proportionem*, ingraueſcens talis temporariæ *irritationis* auctor ſimpliciter exſiſteret: quorum tandem vtrumuis iterum *recedendo*, etiam effectum illum *ſpaſticum* ita *remittat*. Vnde etiam tanto præſentior hic eſt energia *animi pathematum*, ſi non *maior*, (quamuis

nis hoc certum ſit in *occulto* cancro) certe *par*, cum *aſſumtis* minus congruis, ad *ſalſam acrem fermentationem* ſubeundam, imo *putredinem* iuuandam, idoneis.

§. XXV. Et hæc quidem valent omnino ita de *cancro*, *in ſe* & ſecundum ſuam *propriam* indolem conſiderato: vbi interim quilibet facile hariolabitur, quod reliqua *accidentalis* corruptio *cacochymica* generalior in vno indiuiduo præ altero vtique plurimum hic valeat, & re vera peculiares prorſus *exacerbationes*, maiores non ſolum, ſed etiam reipſa *proprias* potius, quam cancro ſimpliciter qua tali *communes*, formare poſſit, aut certe *informare* atque introducere. Reliqua corruptio cacochymica indiuidualis quid in cancro efficiat.

§. XXVI. Cæterum, cum magis de *propriis*, vere *ſibi conſtantis cancri* conditionibus atque moribus eſt ſermo, ibi quadrant vtique in illum hæc ſingula, quæ huc vsque dicta fuerunt. De hac vera atque *ſimplici* genealogia ipſius *cancri* ſi verum ſolidum conceptum ſemel aſſequamur, parum poterit morari altera illa velut *alluſio* nominum, appellatione *carcinomatum* ſeu *cancroſorum* vlcerum: dum facile hinc erit colligere, quodnam vlcus vere hoc nomen mereatur; aut magis ab accidentali deprauatione ſuſtentatum, ſi illa corrigatur, facile etiam in ordinem redire poſſit. Carcinomata ſeu vlcera cancroſa.

§. XXVII. Cum enim dubium nullum ſit, & nimio plus etiam teſtatum faciat experientia, quod vtique etiam deprauationibus malæ *tractationis* vlcera alias *ſimpliciora*, circa *glandoſo-ſpongioſas* corporis partes, in *deteriorem* eiusmodi corruptelam omnino deuolui poſſint, quæ a vere *cancroſo* genio non multum abludat; nempe vere *vlceroſo-putrilaginoſæ* conſiſtentiæ effectus exhibeat conſpicuos: intercedit tamen inſignis vtique differentia inter hos tales affectus & effectus, qui ex ipſa *intima* diſpoſitione partis tam *ortum* ſuum habent, quam *ſucceſſum* ſeruant; imo, quod non poſtremum eſt ipſius *veri cancri*, etiam *eſſentiale* tanquam proprium ex hac ipſa *intima* conditione partis, vix vlla ante *coërcendam*, ſi ſemel veluti radices egerit, hanc deprauationem in poſterum ſeruent, & quaſi proſequantur. Differentia inter verum cancrum & vlcera cancroſa.

§. XXVIII. Cum autem in ipſo cancro *primaria* propemodum efficacia tam *incoërcibilis* euentus ſit læſio ipſius *conformationis* viarum duplex; vna *a priori*, *varicoſa* inflatio atque diſtenſio ſanguiferorum vaſorum; altera *a poſteriori*, *tubuloſo-ſpongioſarum* glandularum mammariarum deprauatio, per eroſionem difficillime iterum conſolidandam, ob perpetuum largum *affluxum & effluxum* humiditatis, Difficultates, cur cancer vix vlla arte coërceri poſſit.

tis, (niſi dexterrima arte occupetur); præterea vero etiam ipſa intemperies *materialis* huiusmodi dyscraſiæ *cancroſæ* ſumme ſit *refractaria* vſitatis artificiis; imo vero minime negare in me ſuſcipiam, quod etiam hæc ipſa corruptela e parte *ſanguinea* ſui, omni modo *putredinoſo-fermentatiua*, e *ſalſugine* vero ſeroſo-chyloſa, peculiarem vtique & vere *ſpecificam* temperiem aſſequens, ſit non ſolum *fermenteſcens*, ſed etiam ſpecifico quodam ſingulari more atque modo *fermentans*: innititur certe omnibus his atque ſingulis ingentibus *difficultatibus* difficultas etiam illa omnino vere rationabilis, hoc malum *ſolide ſanandi*, non ſolum per *pharmaciam*, ſed re vera etiam per immediatam *chirurgiam*.

Difficultates quæ pharmaciæ obſtant.

§. XXIX. Sicut enim *pharmaciam* grauiſſime premunt certo reſpectu neceſſariæ, interim vſitatis methodis & remediis propemodum ſimpliciter *contrariæ* intentiones; *materias* coagulatas *euacuandi*, eliquandi, & extergendi; *affluxum* nimium *reprimendi*; *corruptionem* præſentem *infringendi*; futuram eius actiuitatem euertendi; *conſolidationem*, non ſolum in genere alacrem atque vegetam, ſed etiam in ſpecie *regularem*, & iuſtæ *conformationis*, *inſtaurandi* ſeu reuocandi; ne dum adhuc reſiduæ malæ conformationis *reliquias* tempeſtiue æque atque perfecte & penitus exſtirpandi; imo vero omnium potentiſſime hos ſcopos inuicem *perturbent* quorumlibet talium reliquorum conaminum tardiſſimi *ſucceſſus*, in ordine ad valde agilem *energiam corruptionis* vigentis: non eſt, inquam, proinde mirum, quod machinationes illæ, ad hunc finem reſpectantes, adeo difficillime ad bonum ſucceſſum, ne dum plenum optatum effectum perducantur.

Difficultates quæ chirurgiam premunt

§. XXX. Quod autem *chirurgicam* plenariam *exſtirpationem* attinet, reddit certe etiam hanc ipſam (ſi vel maxime operatio reliqua ad amuſſim feliciter ſuccedat) tamen difficillimam *duplex* periculum, ipſius experientiæ teſtimonio luculento admodum familiare, & modo non

Prima.

ſolenne. Nempe *primo materiæ* ipſius genius vere *fermentatiuus*; cuius ſi quidquam adhuc in parte integra manente reſiduum reſtet, nihil actum eſt reliqua tota operoſa *reſectione*; dum hoc relictum ita verum *fermentum* reliquam eiusdem generis corruptelam non ſolum certo iterum propaget, ſed etiam nominatim per partes pectoris ſimpliciter potius *carnoſas muſculoſas*, iam ſimplicius atque ſincerius *putreſcentem* ſeu ſphaceloſam: vnde etiam in hanc charybdin proiecti patientes de hinc minimo communiter temporis ſpatio penitus intereunt.

§. XXXI.

§. XXXI. *Secundo* venit hic omnino in conſiderationem, vtut *erronea* penitus, interim tamen *adſueſcens*, *pertinacia* illa, ad certam partem *congerendi*, imo cum ſumma *contentione* conſtringendi humores. Vnde *exſtirpata* etiam vna mamma non ita raro etiam in altera oriuntur pares *ſtaſes*; & quidem citius etiam communiter *inualeſcentes*, & in actualem *corruptionem* non magis ruentes, quam vere *tendentes*. Sicut etiam hinc fere in genere rariſſima audiuntur exempla patientium talium, quæ poſt *exſtirpatam* vnam mammam multos adhuc annos ſuperuixerint: ſicut *in ſpecie* ſine *alterius* mammæ pari correptione. Secunda.

§. XXXII. Sane vero, ſecundum has conſiderationes rationales, ne ipſa quidem *exſectio* ſcirrhoſi *noduli*, adhuc quantumcunque veluti *ſuperficialis*, exhaurit hic ita vniuerſum negotium, vt quoquo modo omne *periculum* in ſolidum ſublatum eſſe inde ſperare ſit integrum, ne dum *confidere*. Cum enim verum veluti *ſeminium*, aut magis appoſite loquendo, vera *radix* aliqua de huiusmodi inquinamento quam maxime ſubſiſtat in *ſanguiferorum* tubulorum huiusmodi diſtenſione & infarctu, *ſtagnatione*; imo non improbabiliter ſenſim etiam alicuius portionis tali *ſtaſi*, ſeu detentione, (vt illa quidem non totam capacitatem vaſis ſimpliciter obturet, interim tamen *arctiorem* progreſſum ad minimum concedat:) poteſt ita omnino fieri, vt etiam profundius *introrſum* hac ratione affecti ramuli aliqui ampliores *fomitem* adhuc retineant eiusdem conſtitutionis; vt exciſa etiam portione, quæ per vlteriorem *diſſeminationem* ramulorum huiusmodi numeroſiſſimorum ad *extremas* partes & *latiorem* ambitum membri totius efformata fuerat, tamen remanentes *intimiores* illæ non ſolum totius mali ſublationem hinc non ferant ſeu permittant, ſed etiam, facta ſemel tali *apertione*, *corruptio* vlceroſa tanto certius inde ſuccedens, periculum eo vsque *occultum*, & magis adhuc circa *ſuperiora*, & ipſam quaſi *ſuperficiem* hærens, velut immediate in *intima* partis deducat, & multis modis incommodum vniuerſum veluti præcipitet, ſeu ad minimum acceleret. Exſectio ſeu exſtirpatio cancri non exhaurit vniuerſum negotium.

§. XXXIII. Ex hac rerum ipſarum, vti re vera ſunt, conſideratione confido diluceſcere poſſe longe ſimplicius ſchema affectuum & ſymptomatum, quæ *cancri* negotium *abſoluunt*, & ex parte etiam *ſtipant* atque *comitantur*; quam e multis ſpeculationibus, varias alias abſolute *ſpecificas* rationes tali conſtitutioni aſſignantibus. Et hoc quidem Hæc eſt vera theoria & therapeutica conſideratio cancri.

dem ſaluis abſolute omnibus eius *difficultatibus* in ordine ad *curationem*; imo ex hac potius ita euoluta eius indole in verum manifeſtum atque diſtinctum realem conceptum cadentibus, ſine *occultis* illis *malignitatis* aut *venenoſitatis* machinis vere ἀμηχάνοις.

ARTICVLVS VII.

De

SCIRRHO.

§. I.

Scirrhi definitio & differentia.

INduratus tumor, qui ab *humoribus* magis magisque *ſpiſſeſcentibus* & tandem, dilabentibus aut exhalantibus *tenuiſſimis* aqueis portionibus, ſicceſcentibus ſuam originem trahit *ſcirrhi* nomine, in latinæ etiam ſcholæ pomœria ſuſcepto, vulgo notatur. Huius eſt certe digna conſideratu ita diuerſa conditio, vt alii quidem *ſcirrhi* magis ſimpliciter veluti *ſeroſo-gelatinoſæ* ſint indolis, alii autem magis *ſanguineæ*. Ita tamen, vt vtique illa *ſanguinea* ſubſtantia *ſeroſo-mucidæ*, aut *ſeroſo-lymphali*, *gelatinoſæ* ſubſtantiæ plurimum debeat, eiusque multum contineat: & huius ipſius maxime interuentu a reliqua promtitudine ad *corruptionem* ſimpliciter *putridam*, ſanguini ſinceriori adeo vſitatam, ſegnior reddatur, & ab illa actu diſtineatur.

Eius cauſſæ.

§. II. Sicut autem omni modo hæc talis *materialis* conſtitutio *ſcirrhi* indolem propemodum abſoluit: ita quod *antecedentes* ad illum cauſſas attinet, ſunt hæ ipſi communes cum aliis tumoribus, & inprimis *glandulosis*, & *varicoſis*, aut *varoſis*. Quando videlicet largius alicubi coaceruatæ tales materiæ, vsque ad plenam liberi progreſſus amiſſionem, eo modo tandem *conſtipantur*, vt *tenerioribus* fluidis diſſipatis ſolæ *ſpiſſiores* relinquantur; cum humiditas, nominatim vero *aquoſa*, omnino *præſentia* ſua, ſeu concurſu largo, impellat *corruptionem*, *defectu* vero ſui eundem *remoretur*: fit ita, vt reliqua humorum in tali tumore concluſorum corruptibilitas, hac ipſa ratione non ita in actum deducta, veluti quieſcat, donec iterum irrumpente copioſiore humiditate, tandem in actum adhuc deducta, varios graues effectus ita adſequatur.

§. III.

§. III. Non autem ita intellectum volo, aut vllo modo ipſe ita capio, quaſi in tali ſemel ita facta *ſtaſi* omnis aditus & *communicatio* cum reliquis humoribus in ſolidum intercepta ſit: ſed potius agnoſco quam maxime, quod etiam ita incluſo re vera *grumoſo* ſanguine tamen ſubtiliſſimi *ſeroſi* humoris perpetuo adhuc tranſitui via ſufficiens pateat; cuius interim in ipſo omnino *motu* conſtituti & ſemper *recentis acrimonia ſalina* impediat continue liberum ſimplicem effectum *corruptionis* eiusmodi, quali alias talis ſubſtantia *ſibi* ſimpliciter *relicta* omni modo obnoxia eſſet, *putridæ*. In tali ſtaſi tamen humor ſeroſus ſubtilis adhuc tranſitum inuenit.

§. IV. Confirmat autem huius conſiderationis veritatem ille inprimis euentus, quod, quando huiusmodi *ſcirrhis* poſtliminio largior *humiditas* ſuperinducitur, *corruptio* illa ſine mora in actum deducatur: & quidem in ſcirrhis *ſanguinea* ſtaſi nixis ſimpliciter quaſi *peſſimi moris*, *cancroſæ* velut indolis; certe inter *acrem vlceroſam* & *putridam ſphaceloſam* intemperiem velut ambigentis. Largior humiditas affluens corruptionem inducit.

§. V. Quo nimirum intuitu non ſolum iam pridem *Hippocrates* conſulit, *cancros occultos*, qui nempe ſunt ſimpliciter tales in *glandoſis* locis *ſcirrhi ſanguinei*, *intactos* potius relinquere: ſed vno etiam ore Practici Chirurgici omnes nominatim vetant vſum ad tales *emollientium*. Quorum interim propemodum ita inſeparabilis ſit nexus cum *maturantibus*, vt vel nullum *maturans* vulgo notum ſit, quod huius quidem energiæ vere compos, non ſimul euidenter etiam *emolliens* exſiſtat: fit certe inde, vt etiam quantumcunque bona opinio & intentio, ſtaſes tales ad laudabilem *ſuppurationem* perducendi, (quamuis re vera ex ipſius materiæ *ſitu* & *habitu* tota irrita exſiſtat) exitum ſortiatur a ſpe atque votis vndique alieniſſimum; omnino vero veræ omnium circumſtantiarum indoli ſimpliciter conſonum. Hinc cancer occultus ſeu ſcirrhus ſanguineus intactus relinquendus eſt.

§. VI. Sicut autem ita *ſcirrhoſa* conſtitutio tanquam medio modo ſe habet inter *inflammationem ſalutarem* aut *vlcerationem* quoque moderatam, & ſimplicem ſibi relictam *ſphaceloſam* corruptionem: ita habet tamen perpetuam *diſpoſitionem* ad ſubeundam adhuc vnam horum generum corruptionem. In quo omnino differt a ſimpliciore *inflammatoria* ſtaſi, dum talis facilius adhuc *diſcuſſionem* conſequitur felicem: qualis ex aduerſo in *ſcirrhoſa* vera diſpoſitione vel plane nulla exſpectari poteſt, vel certe non niſi difficillima, & ſumme ancipitis euentus; & quidem præcipue, quanto plus *ſcirrhus* talis de *ſanguinea* concreta atque ſicceſcente ſubſtantia participauerit. Vnde etiam in Scirrhi differentia a ſtaſi inflammatoria eiusque tractatio medica.

quoquo modo tractandis huiusmodi *ſcirrhis* præcipuus omnino reſpectus haberi debet *ſanguinis* vna comprehenſi, aut liberius concurſantis. Quanto maior autem etiam in huiusmodi conſtitutionibus concurſus *ſalivalis* humiditatis ſubeſt, eo maior etiam fit *acrimonia*, tanquam ſimplicius *vlceroſa*.

Nodi venerei & arthritici, ganglia, huc non pertinent.

§. VII. De *nodis* enim & *gummatibus venereis*, vtpote *ſpecificæ* magis conſiſtentiæ atque corruptelæ ſubiectis, hoc præſente loco prolixius verba facere etiam ἄτοπον eſſet. Quid, quod nec *athriticorum nodi*, inprimis cito ſæpe-numero coorientes, tam æque ſimpliciter & directe ad hunc cenſum pertineant. Minime omnium autem tales, qui ſæpe magis ipſarum *fibrarum tendinoſarum criſpatione* nituntur, quam vllo *humorum* infarctu: *gangliorum* more.

Scirrhi & cancri occulti infrequentia.

§. VIII. Illud, quod etiam de *ſcirrhis*, & conſequenter ipſo quoque *cancro occulto*, nequaquam negligendum veniat, eſt omnino illud, quod vterque affectus ſit ſatis INFREQVENS ſeu *rarus*: ducentes nempe communiter originem magis ab *externo* quodam neglectu atque mala adminiſtratione debitarum tempeſtiuarum *reſolutionum* atque *diſcuſſionum*, quam vlla alia, inprimis autem *ſpontanea*, cooriendi ratione.

Cauſſæ occaſionales ſcirrhorum.

§. IX. Sicut etiam occaſio congeſtionis ipſius huiusmodi communiſſime omnium ortum trahit a *violento* quodam coaceruandi impetu, prouocato per vehementes *contuſiones*, ſenſibiles *vellicationes*, (zwicken und kneipen) aut vndecunque natorum huiusmodi *tumorum* ita peruerſas *medicationes*, vt potenter & cito quidem, diſcuſſis *tenerrimis* portionibus, ſolæ *ſpiſſiores* remaneant; vel etiam potenter *inſpiſſatis* craſſioribus tenuiores tanquam ſponte ab illis dilabantur. Quale quid etiam per nudam patientium negligentiam, & temerariam præmaturam *perſrigerationem* huiusmodi tumoribus *lymphatico-ſanguineis* haud rariſſime conciliatur: *coagulaſcente* videlicet per *frigoris* energiam ita *gelatinoſa* incarcerata ſubſtantia, & *exhalante ſenſim* per tranſpirationem ſubtiliſſima *ſeroſa* humiditate.

Scirrhorum ſpecialior indoles.

§. X. Sicut omnino *ſpecialior* indoles *ſcirrhorum* maxime variat ſecundum partium, in quibus ſubnaſcuntur, peculiarem habitum ad receptandos ordinarie, aut extra ordinem & per nudam vim admiſſos *humores*, vel *ſeroſo-glutinoſos*, vel ſpiſſius *cruentos*; atque promtitudinem maiorem aut minorem ad pertinaciorem *ſubſiſtentiam*, aut promtiorem iterum *dimiſſionem*.

MEM-

MEMBRVM IV.

DE

AFFECTIBVS SPASTICIS.

SPaſticos affectus dum nomino, complector ſub hac appellatione tum *craſſiore ſenſu* & euidentius tales, qui nempe motuum *irregularium* varia ſchemata præ ſe ferunt; tum *ſubtilius* tales, qui ſola prudente *æſtimatione* diiudicari poſſunt. *Prioris* generis ſunt ſimpliciter dicti *ſpaſmi*, & *conuulſiui* motus varii: *poſterioris* generis *dolores* varii, *tractorii* & *vibratiles*, *catarrhalium*, *rheumatum*, *arthritidis* quoque variis nominibus vulgo notati. Sicut autem e *prioribus* illis pleraque, ſcitu vere neceſſaria, iam tractaui in ipſa parte *ſpeciali*: ita hoc loco *ſpecialiſſimam* eorundem conſiderationem exſequar omnino paucis, quantum fieri poterit, *peculiarium* circumſtantiarum iisdem ſolennium contemplationibus; paulo prolixius deinde perſecuturus *dolorum ſpaſticorum* præcipuas ſpecies, earumque ſingulares circumſtantias.

ARTICVLVS I.

De

SPASMO SIMPLICI, CYNICO, ET ASTHMATE SPASTICO.

§. I.

SPASMVS *ſimplex*, vulgaris acceptionis, eſt eiusmodi tractorius atque fortiter *tenſiuus* motus, quo partes *muſculoſæ* breui ſucceſſu, & præſentanea vehementia, in certum aliquem ſitum ita corripiuntur, vt illum per notabile temporis ſpatium ita conſeruent, ſenſim ſenſimque demum remiſſa hac *tenſione rigida*, ad liberam ſui *flexilitatem* redeuntes. Spasmus ſimplex quid ſit.

§. II. Occupat hic *ſpaſmus* interdum ſolum vnum aliquem muſculum, citra peculiarem vlteriorem exquiſitiorem ſenſum: interdum Quas partes corripiat & occupet.

dum autem occupat etiam plurium tenuiorum, inprimis autem inter ſe *conſpirantium*, muſculorum veluti *ſyſtema*, vt conſuetam ſuam *ſociam* operam vna tantisper veluti amittant, & ſolam illam *rigidam tenſionem* ingreſſi membrum, in quod agunt, non ſolum inſolito more *inflectant* & incuruent, ſed etiam omnino ſatis exquiſitum *doloris* ſenſum incurrant, ac ſi plane *rupturæ* cuiusdam periculum præ manibus eſſet. Corripit talis *ſpaſmus* aliquando *manum*, interdum *femur*, aut *tibiam*, imo *pedem*, & inprimis *digitos pedis*.

Eius ſubiecta. §. III. Eſt autem huiusmodi *ſpaſmus* præcipue familiaris habitu corporis *ſpongioſiore* & conſtitutione *plethorica* inſtructis; adeo, vt tales etiam veluti per leues *occaſiones* ſpaſmo tali corripiantur. Præterea vero obtingit etiam *gracilioribus* quidem, ſed non tamen certius aut promtius, quam ſi tales quoque non ſolum *plethorici* exſiſtant, ſed etiam *euacuationibus* ſanguinis per *hæmorrhagias* aut *venæ ſectiones* alioquin *adſueuerint*, ſed harum ſucceſſum aut vſum amiſerint aut omiſerint.

Eius cauſſæ. §. IV. Cæterum ita omnino diſpoſitos *frequentioribus* æque, ac etiam *acerbioribus* ſpaſmorum exacerbationibus exponunt, partim quæ ſanguinem ipſum *exagitant*, partim quæ *motus* tanquam magis directe incitant: vt *vini* inprimis minus vſitatæ ingurgitationes, *aromaticorum & medicamentoſorum calidiorum* aut *volatilium* intempeſtiuæ & intemperantes aſſumtiones; imo etiam immoderati *præcipites fortes motus* corporis. *Poſterioris* autem ordinis ſunt vtique animi *pathemata*, & *venerearum* rerum intemperantia. Quantumlibet interdum etiam re ipſa peruerſe inflexus atque flexus *ſitus* partis, aut *contentio* præter vires & partis capacitatem, ad incitandum ita *ſpaſmum* aliquid conferat. Quod inprimis *manibus* euenit, quando illis aliquid vel nimio fortius tenere, vel maius quam illæ recte capiant, ſimul tamen fortius, complecti tentes.

Prognoſis. §. V. *Frequentiores* admodum ſpaſmi, inprimis in *ætate* reliqua conſpirante, præludia exhibent *arthritico-rheumaticorum* vulgo dictorum adfectuum. Cæterum in *iuniore* reliqua ætate, aliud quodcunque grauius *periculum* non portendunt: vere autem, quanto *frequentiores* hi tali ætati occurrunt, tanto certioribus *arthritico-ſpaſticis* affectibus expoſita viuunt illa ſubiecta, *creſcentibus* annis, & increbeſcentibus occaſionibus. Cæterum a *ſpaſmis* veris *ſimplicioribus* ad *conuulſiuos* ſtrictiore ſenſu affectus re vera nulla eſt vsquam ſpecialior conſpi-

ſpiratio aut connexio; niſi quod alias *minus conſueti ſpaſmi*, ſi actu iam in morbo aliquo magis *ſontico* ſeſe exſerant, tunc demum non iniuſtum metum gliſcentium etiam veriorum *conuulſionum* iniiciant.

§. VI. *Spaſmus* vero vulgo dictus *cynicus*, quod os hominis ad modum *rictus canis a curſu anhelantis* dehiſcere, ſeu circa angulos *hiare* aut pertinaciſſime *claudi*, cogat, eſt vtique non ſolum *conuulſioni* actuali propinquior, & in illam denique deſinendo *funeſti* exitus, ſed etiam vel ſua magis directa indole *lethiferi* effectus compos. Spaſmus cynicus.

§. VII. Cæterum eſt etiam huius affectus circumſtantia notatu vtique quam maxime digniſſima, quod ſumme INFREQVENS, ſeu quolibet ſenſu *rariſſime* eueniens deprehendatur. Vnde quidem non ſolum de qualibuscunque eius abſolute *propriis & directis* cauſſis cum maxima prudentia atque diſcretione iudicare æquum eſt: ſed omnino etiam de eiusdem *accidentalibus* quoque occaſionibus nihil valde *commune* & quotidianum ſtatuere, ne ita ſtatim, quod aiunt, in limine ipſo facta offenſione, vniuerſus deinde progreſſus talis *ætiologiæ* in irritum recidat. Summe infrequens eſt.

§. VIII. Vnde quidem magis omnino dehortandi cauſſa, ne pro huius affectus *ætiologia* miſeræ illæ & nullo ſui merito vexatiſſimæ *acrimoniæ*, neruos ſtimulantes, aut *obſtructiones* eosdem inflectentes & obtorquentes, rem & artem ludibrio exponant; quam vt ipſe aliquid ita ſpeciale pro hac theoria adferendum vel habeam, vel cenſeam: placuit huius affectus hoc ipſo loco mentionem iniicere. Quandoquidem cum ille re vera magis pure *ſymptomaticus* appareat; aut certe neque habeat æque manifeſtas *directas* cauſſas, nec, illas directæ *medicationi* obſecuturas, vlla ſpes adfulgeret: non videtur mihi quidem propterea adhuc inſigne operæ pretium in hoc ſcrutinio multum argutari; vnde potius luculentiorem talium dubiarum (ſed non *verbalem* ſolum, aut ſimpliciter *hypotheticam*, aut plane *ficticiam*,) rerum *ætiologiam*, ſiue *phyſicam* ſiue *medicam*, facile aliorum ſolertiæ relinquo. Eius ætiologia.

§. IX. Interim vti *ſimplicioris ſpaſtici* cuiusdam huiusmodi affectus, qui a neglectu vſitatarum *ſanguinis* euacuationum originem duxerat, etiam alibi iam mentionem feci: ita nequaquam ἄτοπον erit, eundem etiam præſente, tanquam proprio loco allegare. Spaſmi ſimplicioris exemplum, a neglectu euacuationum ſanguinis.

Vir 45. annorum, habitus corporis cholerico-melancholici, literatus, & rerum ſuarum alias curioſe ſatagens, gentis etiam quadam indole ad promtum animi impetum diſpoſitus, Hungarus; præterea officiis primo ſcholaſticis, deinde ec-

cleſiaſticis Inſpectoriis admotus, & varii certe zeli occaſionibus minime deſtitutus, corripiebatur aliquando circa æquinoctii verni appropinquationem tali repentino vehemente affectu, vt, cum functioni ſuæ publicæ iam accingendus prodire deberet, matutinis horis repente corriperetur ſcapularum compreſſione adeo vehemente, anxia & arcta, vt vix dimidiam reſpirandi libertatem retineret: ſimul autem dolores in ſcapulis experiretur vibratiles, ardentes, vrentes, ita anxios, vt trium dierum atque noctium ſpatio in ſummis corporis & animi anguſtiis verſaretur. Adhibebantur quidem varia medicamenta, tam interna quam topica externa; ſed ſine alio ſucceſſu, niſi vt ſcapulæ quidem pruriginoſis & ardentibus puſtulis occuparentur: ſymptomata vero propria totius huius affectus ipſo demum tertio die circumacto miteſcerent. Redibat quidem non ita difficulter ad ſeſe ipſe patiens; ſed non excidebat ex animo ingens illa anguſtia, & ab ipſis etiam Medicis maximi certe habita, ſuffocationis plenariæ periclitatio. Cum autem tribus ab eo tempore menſibus ipſe totus idem affectus denuo recrudeſceret, imo propemodum adhuc maiorem impetum præ ſeſe ferret, perculſus eo grauius patiens conquiſiuit vtique vndique conſilia medica, ſicut, in honorifico vtique officio conſtitutus, a 20. circiter Medicis non poſtremi ordinis ſententias æque atque conſilia collegerat. Conſentiebant ad vnum omnes, quod adfectus ortum ſuum debeat ſalibus ſcorbuticis; aduerſus quæ præſcribebant martialia, antiſcorbutica, anticatarrhalia, & antirheumatica, quæ ſanguinem torpidum agiliorem redderent, & ſtaſibus talibus, quales hic agnoſcebant, minus idoneum efficerent. Plerique omnes etiam commendauerant acidulas; quas non niſi vnus & alter præterierat: vnus autem etiam poſitiue diſſuaſerat. Petebat patiens, ferente peculiari occaſione, etiam meum conſilium; & cum opportunitas ratione temporis eſſet aliquanto breuior, pro meliore mei, etiam in anteceſſum, informatione, mittebat tum totius caſus hiſtoriam ampliſſime deſcriptam, tum etiam illas Medicorum ſententias præſcriptas. Veniebat aliquot poſt horis etiam ipſe, & repetebat hiſtoriam ſuam nihilo arctioribus, quam ſcripto iam propoſita fuerat, circumſtantiarum ambagibus. Ante omnia remouebat ſermone æque atque ſcripto omnem ſuſpicionem mali hypochondriaci. Commemorabat autem omnino, fuiſſe ſe huic per plures annos obnoxium; ſicut etiam totam eius hiſtoriam omnino graphice prorſus commemorare ſciebat; interim liberum ſe penitus ab illo duodecimum iam annum prædicabat; extollens nominatim, tanquam effectum ad hoc negotium ſpecificum, & ſibi veluti adſenſum perceptum, 'Ορθοςαδίας voluntariæ, ſeu ſtandi potius, quam ſedendi ſtudii. Prædixeram iam alteri, collegæ patientis, ſummam meæ circa hanc rem coniecturæ, ſimulatque tranſmiſſa illa documenta perlegiſſem: ſed negabat ille aliquid ſimile ſibi a Domino patiente auditum eſſe, nec proinde diſſimulabat dubitationem ſuam, an huic cauſſæ in hoc negotio aliquid imputari mereatur. Præſenti propterea etiam ipſi poſtea patienti, priusquam ita hanc meam ſententiam diſerte eloquerer, proponebam quæſtiones aliquot, concernentes primo quidem malum hypochondriacum; deinde vero etiam ſcorbuti, verius, & magis proprie dicti, vera ſigna complectentes. Agnoſcebat ſtatim illa mali hypochondriaci opprobria, & notiſſima ſibi vtique antehac fuiſſe, ſed iam a tot annis ſubiugata eſſe aſſeuerabat. Scorbutica vero illa ne nouerat quidem. Imo vero non habebat de

reliquo, de quo conquereretur, præter hoc accidens, eiusque iuſtum omnino metum. Ediſſerebam itaque ſimpliciter mentem meam; quod arbitrer, addictum illum alias fuiſſe vel venæ ſectioni, vel vero ſimilius ſcarificationi; neglexiſſe autem propiore tempore, vnde ipſi iam hæc contentio & congeſtio eoorta ſit. Cum tacitus aliquandiu me adſpexiſſet, diccbat: ſolte das etwas dazu thun können? Omni modo vero per plures annos vſum ſe eſſe ſcarificationibus, menſtruis etiam periodis ita magna frequentia repetitis: a paucis autem propioribus annis deſtitiſſe ab harum euacuationum vſu, quod a Medico eximio intellexerit, viam hac ſterni tabi, cui vero ſe iam ipſa tota diſpoſitione corporis ſui, nempe gracili illa & ſicciore, expoſitum reputet. Eximebam hunc metum, imo monebam, quod potius plenus neglectus euacuationis tam diu adſuetæ huiusmodi effectus poſt ſe trahere poſſit: attribuebam autem vtique hunc ipſum præſentem affectum eminentiſſimæ contentioni illi ſpaſticæ, qua circa hos exitus ſanguis ita detineatur, natura hunc exitum omnino potenter & contumaciter ita affectante. Vnde quidem diſſuadebam vſum antiſcorbuticorum, inutili, imo nimia exagitatione ſanguinis etiam nocendi compotum; neque minus martialium, inutilibus ſtricturis particulares eiusmodi translationes non tam diſſoluere, quam incitare aptorum. Ante omnia vero damnabam vſum acidularum, vt huic affectui inutilium, ita toti huius temperamenti ſyſtemati aduerſarum. Solam autem ſuadebam ſcarificationis vſitatæ reaſſumtionem. Cum etiam Dominus patiens rogaret, vt ipſi quæ modo ſermone protuleram, ſcripto pro memoria comprehenſa ſubminiſtrarem, ſatisfaciebam deſiderio eius, & exprimebam claris verbis, quod ab acidularum inutili non ſolum, ſed etiam periculoſo penitus vſu, vel hecticam, aut phthiſicam tabem, vel hydropicam intemperiem, vel etiam vtrumque ſimul, metuere haberet. Ille vero non irrationali vtique argumento pluralitatis votorum, & exiſtimationis nominum, inhærens, reuertebatur proximo anno ad acidulas Egranas (a quibus etiam tum venerat redux, cum mihi hæc omnia ita proponeret, ſed & ſenſerat iam ibi turbas, & retinebat adhuc inſignem atoniam,) ſed corripiebatur etiam mox ibi tumore hydropico, quo etiam intra 6. ſeptimanarum ſpatium mortuus eſt.

Ita etiam alius vir iam ſenior, aliquot ſupra 60. annorum, qui a multis retro annis ſcarificatione frequentiſſima iugiter vſus, cum eiusdem proſecutionem ab vno vel altero anno quidem neglexiſſet, interim & de reliquo florido faciei colore conſpicuus, & ſpirituoſorum etiam potuum vſui, non tamen quotidiano, ſed quando occaſio ferebat, plurimum indulgens, ſtatura quoque reliqua corporis robuſta inſtructus, vitæ vero genere otioſiore, muſicæ vtique ciuili atque mercenariæ vacans, præterea vero etiam animi commotionibus frequentioribus per domeſticas rationes a propioribus temporibus expoſitus, incidebat tandem non ſolum in ſimilem, qualem modo allegaui, ſed omnino potius multo importuniorem huiusmodi affectum. Corripiebatur videlicet, ſimul & ſemel, tanta reſpirationis anguſtia, a rigida contentione thoracis, præcipue vero in poſteriore parte circa ſcapulas, etiam acerrimum ſenſum, veluti ruptorium imminentem effectum exprimentis, vt inde nihil reſtaret, niſi breuiſſimis periodis ſpiritum trahendi libertas; cum longiorem eius hauſtum non ſolum exquiſitiſſimi ſenſus exacerbatio per ſcapulas,

pulas, ſed etiam veluti cunei ibi infixi firmiſſimus reniſus ſimpliciter inhiberet, cum ſanguinis miſſionem ſimpliciter detrectaret, pharmacorum ope vix quatuor dierum decurſu ſubleuari potuit: remanente etiam inſuper ſummo virium detrimento. Imo vero, cum etiam ad ſe magis reuerſus, tamen & venæ ſectionem & ſcarificationem pertinaciſſime a pernaretur, (auſcultans neſcio quorum hominum interpretationibus, quod affectus ille inſultus quidam apoplecticus fuerit, ein Schlagfluß, qui ſi paulo altius ad nucham vſque incidiſſet, ſimul & ſemel ipſum exſtincturus fuerit: oriri vero quam maxime a ſpirituum inſufficiente influxu, qui ſanguinis miſſione adhuc magis ſubtrahantur &c.) recurrente adhuc ſemel, licet debiliore eiusmodi inſultu, & vel nulla, quod ego ſciam, vel quacunque tandem alia, medicatione vſus, incidit in ſucceſſiuam hecticam tabem, qua etiam tertio circiter menſe deceſſit.

Spaſtici affectus circa thoracem, reſpirationem intercipientes, vnde veram originem ſuam habeant.

§. X. Sane vero dixi etiam iam ſupra ſententiam meam de certis illis quibusdam affectibus circa *thoracem*, *reſpirationem* cito & ita ſimul & ſemel *intercipientibus*, vt etiam omnis energia reliquorum corporis *motuum* vna auferatur, & intereat: vbi præcipue *apoplexiæ* vulgo ſimpliciter creditæ ſæpe merito dubiam adhuc rationem vna notare auſim, dum inprimis *genarum* color augeſcens, & *vaſorum* circa tempora *inflatio*, non obſcuram ſimilitudinem effectuum, etiam ab *arbitraria ſpiritus detentione* conſequentium, exprimentes, non adeo iniuſtam faciunt ſuſpicionem, quod in hoc etiam caſu nihil aliud, niſi huiusmodi nuda atque ſimplex *præcordiorum motus coarctatio* primarium mali fomitem conſtituat; quemadmodum *ſuffocatiui catarrhi* ortum etiam non parum debere autumo *paralytodi* harum partium, ad ſufficientem energiam reſpirandi, defectui.

Aſthma ſpaſticum ſeu conuulſiuum.

§. XI. Cæterum & modo dicta ſane eximia ſpecimina *ſpaſtici* affectus, & leuiora etiam huius cenſus, quæ communiter *aſthmatis conuulſiui* nomine notari ſolent, debent etiam communiſſime ortum ſuum, humorum ad ſatis liberum progreſſum *vniuerſaliorem impeditioni*, *generalius*; aut ad *certa* talia *loca inclinationi*, *ſpecialius*: aut, tanquam ad actualem *expulſionem*, *directioni*, imo *contentioni*, *ſpecialiſſime*.

Eius ſubiecta.

§. XII. Vnde quidem *primi* illius ordinis tales affectus familiares ſunt, ſeu communes etiam, omnis quaſi generis inſigniter *plethoricis*, aut inſigni plethoræ *commotione* adfectis; *medii* ordinis, inprimis ſimul in *iuuenili* periodo conſtitutis; *vltimæ* vero ſpeciei, ſimpliciter *euacuationi* eiusmodi iam exquiſitius *adſuetis*.

§. XIII.

§. XIII. Eſt tamen interim etiam exquiſitius tale *ſpaſticum aſthma* omnino nequaquam ita *quotidianum* & valde frequens, ſed vere ſic ſatis rarum & *infrequens*: inprimis, quod etiam citra *externas* inſignes occaſiones inſultus ſuos ſuſcipiat; & praeterea non tam *tranſitorios* illos, & vt veri ſimplicioris *ſpaſmi* motus, cito iterum remittat.

Rarum & infrequens eſt.

§. XIV. Caeterum nullum quidem tale indignum eſt ſolertiore animi aduerſione, quanto magis *impetuoſum* atque *diuturnum* fuerit. Quandoquidem immediate vtique teſtatur de valde *vegeto* tali *naturae*, & ſane nec *intrepido* penitus ad *motus* promtius adminiſtrandos *ſtudio* ac *intentione*: qualis quidem vel non ſine *praegnantibus cauſſis* ſuſcipitur, vel ſi fiat, *inſolens* talis, *trepida* atque *anxia* naturae tam *vehementia*, quam *pertinacia* neque facile, vbi coorta eſt, iterum diſſoluitur, neque, ne per proximas occaſiones recrudeſcat, ſatis commode occupatur.

Affectus illi ſpaſtici impetuoſi & diuturni animi aduerſionem merentur.

§. XV. Ante omnia vero merito valde ſuſpecta ſunt huiusmodi *ſpaſtica reſpirationis* vitia, quando morbis *acutis* ſuperueniant. Sicut enim ibi omnes inſigniter *ſpaſtici*, nedum actu *conuulſiui*, motuum errores ſemper peioris ſunt ominis: ita habent etiam huius generis *inſultus*, quo conſiderationem ad ſe trahant, & omnem ſecuritatem excutiant.

Aſthmatici inſultus in acutis ſuſpecti ſunt.

§. XVI. Vnde certe nihil ruſticum aut confuſum ferunt loca aliquot *Hippocratis*, vbi de *rigoribus*, *febrem*, cui ſuperueniant, *ſoluentibus*, mentionem facit. Sed peritiſſime vtique ibi diſcernendum venit tum, quid ipſe *Hippocrates ſolutionis* talis nomine intellectum voluerit, & an illud verius ad *febrem*, an vero *paroxyſmum* ſolum referendum videatur; tum etiam, quid ipſis *factis* in veritate practica conſonum ſit & reſpondeat: quidque ſimplicius *tonico-ſpaſmodici ſalutaris* ita alicubi euenire vere obſeruetur; quidue contra *conuulſiuum* ſub *ferocioribus* huiusmodi *contentionibus* ſubſit, a quo deteriores illae conſecutiones. Sicuti manifeſto aliquando *ſolutionem* ſimpliciter, aliquando *ſalutarem nominatim* & ſpecialiter, aliquando *nouae exacerbationis* praeſagia, aliquando denique propinquiores *funeſtos* exitus illis aſſignare obſeruatur. Quae res omnino vtique decentibus diſtinctionibus indigent, vere in hac diuerſitate reperiundis: dum

Loca Hippocratis de rigoribus, febrem ſoluentibus, quomodo intelligenda ſint.

 ſpaſmi

ſpaſmi ſimplicius ſemper adhuc *benigniorem*, quam *conuulſiones*, & *cauſſam* & *efficaciam* præ ſe ferunt; *conuulſionibus* interim perpetuo *violentius*, & inde etiam fere quouis intuitu *grauius* quiddam inferentibus.

ARTICVLVS II.

DE

EPILEPSIA.

§. I.

Variæ opiniones de morbo epilepſiæ.

SI quisquam eſt affectus, qui varie propemodum exercet ingenia Theoreticorum, eſt certe hic ipſe, EPILEPSIA. A præſentis noſtri inſtituti (ſimpliciſſimis *poſitionibus res ipſas* potius vti ſunt, non autem *opiniones*, vti *videntur* aut *reputantur*, recenſendi) ſcopo vtique alienum eſt, in *opiniones* antiquorum paganorum inſpicere; quando illi *caſum epilepticum* ita religionibus ſuis immiſcuerunt, vt eius euentu illos turbari, imo illum tanquam præſens aliquod ſignum rerum ſuarum Diis ſuis non probatarum interpretati ſint: ac ſi innuerent, talem affectum tanquam immediate a Diuinitate aliqua præſentanea mortalibus ita incuti. Vnde etiam otio idoneo potientibus relinquimus, quo vsque nomen morbi *attoniti* huic affectui, aut etiam *apoplexiæ*, commune aut proprium fuerit. Eodem loco relinquimus etiam tum generalem magis illam locutionem ſacræ N. T. paginæ, quando de fœmina (quæ alibi diſertis verbis *hæmorrhagia*, aut *hæmorrhoo* affectu laboraſſe memoratur) alibi dicit, quod *ſpiritum morbi* habuerit: tum vero ſpecialiorem illam expreſſionem de *puero*, aliquando in *aquas*, aliquando in *ignem* cadente, *maligni ſpiritus* vi: quem *epilepſia* exagitatum fuiſſe videri poſſet.

Oritur vel ex cauſſa ſpirituali, vel materiali, vel animi pathematibus eminentibus.

§. II. Interim eſt vtique merito conſideranda illa, etiam per tralatitiam communicationem aut impreſſionem per omnes propemodum gentes diſſita, affectus huius tanquam ſpecialiſſima *perhorreſcentia*: quæ veterum illam morbi huius pro *ſacro* agnitionem non magis probare, quam re ipſa ſequi videntur. Enim vero ſubeſſe in hoc talia quædam phænomena, quæ ortum etiam eius aliquando veluti vere *ſpiritualem* innuere poſſint, nemo plane negauerit, cui exempla nota fue-

fuerint; ortus eius aliquando per *ſuperſtitiones*, *faſcinum*, & nefarias *magicas* artes excuſſi, ſeu excitati; imo per nefandas *imprecationes* veluti euocati: quarum vtrarumque rerum exempla vulgo notiora ſunt, quam vt prolixam aſſertionem poſtulent. Interim cooriri etiam hoc genus affectus *certo ordine & reſpectu* a cauſſis ſimplicibus *materialibus*, & ad corporis *œconomiam* omnino pertinentibus, nihilo minus manifeſtum eſt, imo veluti notorium: ita tamen vt etiam in hoc genere non quidem ſimpliciter *aduentitii*, ſed omnino vtique *domeſtici*, & a domeſticis prorſus cauſſis producti, *motuum* errores huius mali veri ſint architecti; nempe *animi pathemata* a præfigurationibus ſumme *anxiis* atque *terrificis*.

§. III. Quemadmodum autem hæc ita ſatis vera ſunt, & vere ſeſe his modis gerunt & habent: ita eſt tamen etiam illud nihilo minus euidens, quod hoc ipſum malum etiam corporeis quibusdam vitiis, *corporearum* inquam rerum *motui* non debite ſuccedenti, paſſim ſuperueniat & accidat. Vnde quidem alicubi a *menſium* negotio non bene ſuccedente; alibi a *vermibus* in inteſtinis hærentibus; aliquando etiam a rebus toto genere præter naturam, ſiue *conformationis*, ſiue vndecunque factæ *illationis* & *incuſſionis* culpa, affectus hic ortum ſuum ducit & initia: niſi quod longe vtique familiariſſima ſit illa eius conſtitutio, vt *animi pathemata* præcipuam vtique energiam in primo *prouocandis*, aut magis magisque *exacerbandis* his commotionibus heteroclitis omnino ſibi vindicent. Quandoquidem re vera rariores omnino ſunt caſus, vbi *epilepſia* eueniat, niſi ab his maxime pathematibus, *terrore*, inprimis *anxio* magis, & ad *euadendum* aut *eluctandum* parato; *iracundia*, cum ingente perturbatione vehementiſſima; & denique diuturna *mœſtitia*, ſimul *trepida* atque *anxia*; aut denique *hæreditaria* ipſa diſpoſitione. Eius cauſſæ.

§. IV. Antequam autem ad *cauſſarum* hiſtoriam progrediamur, proferenda eſt primo loco ipſa totius affectus *hiſtoria*. Conſiſtit hæc in eo, quod patiens hoc malo laborans corripiatur plus minus *repentinis motibus conuulſiuis*, & quidem non tam ſolum qualibuscunque, ſed ad ingentem ſæpe vsque *vehementiam*; adeo, vt vnum etiam adhuc exemplum propiorum temporum in A N. C. præſto ſit, tantæ huius mali violentiæ, in ſubiecto puerilis ætatis, vt etiam *oſſa artuum magna*, vt in tali corporis menſura & proportione, confregerit: frequenter autem etiam quantumcunque non ita plane inuſi- Epilepſiæ hiſtoria.

tato impetu, eo vsque tamen ferociat, vt etiam violenta *cohibitione* contra oppoſita, mediocribus conatibus cohibendi nihil agatur.

Interdum nudo adſpectui imponit, & corpus rigidum tenet ſine agitationibus.

§. V. Interim ſunt vtique etiam huius eiusdem generis affectus tam exigui ſæpenumero impetus, vt nullam inſignem *vim* motuum præ ſeſe ferant; niſi quod re vera in hoc genere aliquando imponant nudo adſpectui; dum *reciprocas* quidem *agitationes* non perpetrando, quietius aliquid fouere apparent: ſin autem manus in quaſecunque auxilium admoueantur, deprehenditur, quod *contentio* præſto ſit contumaciſſima æque atque *fortiſſima*, *rigidum* ſeruans corpus potius, *motu* omnino *forti*, nequaquam autem *quiete* vlla *flaccida.*

Peculiaris huic morbo eſt pollicum in pugnum impreſſio.

§. VI. Peculiariter autem ſolenne quaſi & vere *proprium epilepſiæ* habetur, vt patientes ſub eius paroxyſmo, manibus in *pugnum* collectis, *pollices* in hanc fortiter inprimant; neque fere eripi ſibi illinc eosdem ſinant, præ magna vi contentionis: aut ſi *pollices* ita impreſſi, magna vtique vi adhibita, iterum ipſis extendantur, fere etiam ſimul vniuerſus paroxyſmus veluti diſtrahatur: (quamuis ſi hoc ſtatim per ipſa eius *initia* ſuſcipiatur, hunc effectum non æque aſſequatur.)

Oculos habent apertos epileptici.

§. VII. Dum autem ita *cadunt*, aut ſub quocunque tandem ſitu conuulſionum impetu *exagitantur*, habent quidem *oculos apertos*, (quo proprie differunt a *lipothymicis*, ſicuti *rigoribus* ad minimum fortibus, niſi actualibus *reciprocationibus* conuulſiuis, ab *apoplecticis*:) interim nullum habent reliquum *ſenſum* vllum, neque *recordationem* vllam eius, quod hoc tempore ipſis accidit.

Quæ corporis partes præcipue exagitentur.

§. VIII. Afficiunt autem hi conuulſiui motus vehementes inprimis *artus*; ſimul vero etiam ita redundant in ipſum *pectus*, & motum eius *reſpiratorium*, vt non aliter *contendendo* fiat, quam alias ſub *voluntariis laborioſis* virium contentionibus ſolenne eſt. Illa propemodum diuerſitas obſeruatur, quod admodum *iunioribus* veluti ſolennibus *caput* vehementer exagitent hæ conuulſiones; *oculos* & agitent variæ, & diſtorqueant; *maxillas* ad ſtridorem dentium vehementem corripiant: *linguæ* autem indecentes motus, quibus illa inprimis *antrorſum* longe exporrigatur, obtingunt ab hoc morbo non ſolum *minori*, ſed omnino etiam iam *adultæ* ætati, adeo, vt inauſpicato aliquando concurſu horum *linguæ*, & ſimul *maxillarum* heteroclitorum motuum, lingua a dentibus grauiter lædatur. Sicut etiam vehementior

tior illa *oculorum diſtorſio* non valde raro *durabilem* poſthæc *ſtrabiſmum* poſt ſe trahit. Imo valde *ſæpe* facta, & *caput* inprimis admodum grauiter afficiens *epileptica* vehementia *ſtupefacit* paſſim energiam ſenſuum, vt vulgo vocant, *internorum*, ſeu potius ipſius *rationis* promtitudinem. Sicut aliquando in teneris iam annis valde violenta *paralytodes* impotentias vni aut alteri membro incutit, poſthac durabiles.

§. IX. Vltimus propemodum actus aut potius *effectus epilepticarum* conuulſionum paroxyſmi eſt *ſpumæ* e glandulis ſalivalibus largior expreſſio, & ita *ante os* etiam effluxus. Finito paroxyſmo ad ſe reuertentes patientes nullius rei memores ſunt; niſi quod a grauiſſima exagitatione contractarum forte *læſionum* adhuc *dolores* perſentiſcant: licet vnde illæ ipſis euenerint, non recordentur: ordinarie vero vtique *laſſitudinis* proportionatum ſenſum ſeruant, non aliter, quam ab alio quocunque *laborioſo* motuum genere. Spuma ante os. Dolores & laſſitudo poſt paroxyſmum.

§. X. Peculiare eſt, quod *epilepſia* ſubinde ſequatur mutationes inſigniores *lunæ*, inprimis *nouilunia* & *plenilunia*. Quale quid etiam circa *quadras* eius, a peculiari occaſione accidentalium exacerbationum, tali maxime tempore factarum, in pares *periodicas* reuerſiones, denuo recrudeſcentes, aliquando obſeruare licet, vt eius rei exemplum ſuperius iam allegaui, ſub generali mentione conuulſionum. Epilepſia ſequitur phaſes lunæ.

§. XI. Quod iam *ætiologiam* epilepſiæ attinet, licet illa re vera nunquam ſperanda ſit luculentior, & vere plenior; ante omnia vero, qualis *medico* ſcopo vllatenus quadrare poſſit, ne dum ſatisfacere: ſi tamen habitus illarum cauſſarum conſideretur, a quibus *valde ſæpe* originem trahit, imo etiam ipſe propemodum habitus illorum *motuum*, quos ipſa proprie agitat; non minor certe ex horum comparatione elucescit probabilitas, quod hi *motus ideam* aliquam ſeu qualemcunque impreſſionem, tanquam *iracundam* aut tanquam *anxie trepida* intentione ſubnixam, pro fundamento habeant; quam ex illis opinionibus quoquo modo agnoſci poteſt, quæ *cauſſis* harum rerum *vellicationi* materiarum peculiarium in neruos incurrentium, & *ſpirituum animalium* impetui, citra vllam *directionem* ad quemcunque tamen *finem* ſeu effectum, ſed ſimplicem ſolum *euentum* tanquam fortuitum, tribuere ſatis habent & haberi volunt. Eius ætiologia.

Effectus anxiarum perturbationum motus vitalis materiæ attribui non poteſt, ſed æſtimatorio motui.

§. XII. Certe enim ſicuti effectus ille, in genere quidem valde familiariter obuius, in ſpecialiſſima vero etiam ἀκριβείᾳ non ita abſolute rariſſimus, *anxiarum* vel *iræ* perturbationum motus *vitalis*, paſſim ſeniorum ab *auerſione*, vel a *matre impreſſa*, vel a propria tumme *anxia* impreſſione inducta, nulla vna veriſimilitudine attribui poteſt *materiarum* cuicunque peculiari diſpoſitioni in ipſo corpore patientis: dum non ſolum manifeſta ibi eſt tota prima vera ratio cooriendi a nuda *falſa fictione* & ſimpliciſſima *erronea æſtimatione*, quæ ſola faber eſt & architectus tam *metus* horridi, quam *faſtidii* & *auerſionis*; ſed etiam omnino vtique *primarii* non ſolum, ſed &, ſi res exquiſite æſtimetur, *vniuerſi* illi tales effectus, qui hic vt affectus, paſſim etiam vehementes, ſeſe ſiſtunt, non tam directe *materias* qualeſcunque occupant aut concernunt, ſed ſimpliciter potius *motus*.

Exemplo nauſeæ.

§. XIII. Neque quidem tam ſolum vnice *vitales*, quam etiam *mixtos*, imo manifeſto etiam ipſos *rationales*: (dum vtique ab his initiis natæ *auerſiones nauſeoſæ* patientibus talibus paſſim etiam ad ſolam *mentionem* prolixiorem, adeoque vere *ſpeculabundam* & ſub ſola imaginatione condemnantem *nauſeam* conciliant.) Et tamen interim ad harum etiam grauiſſimarum auerſionum (iterum dico, ſimpliciter *æſtimationi falſæ* innitentium) ipſos paroxyſmos prouocandos vtique quidem etiam paſſim vera atque realis corporalis præſentia inſeruit, præcipue vero potenter concurrit. Quantumlibet etiam neque *ſenſus* craſſior manifeſtus, neque, vbi etiam ſenſus præſto eſt, vllus alius verior, quam ſimpliciter *æſtimatorius* præcipuus actus, aut illis ad minimum vnice & ſimpliciter quadrans talis effectus, comparet & præſto eſt,

Auerſionis felis.

§. XIV. E quo itaque exemplo vtique ita parallelo maximo iure ſubſumo etiam ad *epilepticos* conuulſiuos motus: quod, licet etiam in illis ipſis ſenſus exquiſitus nullus occurrat, tamen nihilo ſecius etiam huiusmodi tanquam *æſtimatorio-motorius* effectus inde ſequi poſſit. Nempe non aliter, quam a fele, non quia præſens eſt, neque quia felis eſt, neque quia quicquam de eius corpore, a ſolidis oſſibus vsque ad effluuia & halitus inſenſiles, ita materialiter moleſtum eſt; neque propterea etiam vllas ipſi corpori, directe, & in materia eius, alterationes aut corruptiones imprimit: ſed manifeſtiſſime primo *motus* non tam *inducit*, quam ſolum *prouocat*; & *ſpecialiſſime* quidem *motus*, non tam alii *materiali* corporis conſtitutioni aut *alterationi* vel

yſita-

vſitatos, vel proportionatos; bene vero *æſtimatoriis animi auerſionibus*, etiam per ſimplicem *moralem* fictionem alias coorientibus, & vſitatos, & *finali* æque atque *organico* ad talem finalem habitu vere conſpicuos, eique omnino *proportionatos* atque reſpondentes.

§. XV. Quas res quisquis inter ſe decenter contulerit, ſimulque alteram illam ſimilitudinem comparauerit, qua & *epileptici* motus (ſiue confeſſa magis *pathetica* impreſſione, ſiue *hæreditaria*, ſiue propria; aut vere ad *excuſſionem* quaſi pertinentibus materialibus cauſſis, fientes) propemodum tantundem *infrequentes* ſunt, quam alteri tales tumultus, a magnis *auerſionibus* ortum ducentes: poterit certe tanto facilius credere, quod huiusmodi *parium* circumſtantiarum reliquarum etiam *pares genericæ rationes* merito agnoſci poſſint. *Incitamenta* dico, non *materiarum* aut *partium*, ad exercendos tales motus, quales inſitos & proprios habere confuſisſime fingitur, tam contra *habitus organici* totam indolem in genere, quam inſuper pariter gratis fictorum *ſpirituum* ſcenam vniuerſem in ſpecie: ſed incitamenta *motuum*, non tam ſimpliciter IN *partes* inducendorum, aut IN partibus agitandorum, ſed vere PER partes exercendorum, & non aliter, quam alias etiam ad manifeſtos certos *fines* ſolent, inſtruendorum.

Hæ æſtimatoriæ animi auerſiones ſunt incitamenta motuum per partes exercendorum.

§. XVI. Vbi adhuc ſemel commendo ante iam tactam illam obſeruationem, quod *motus epileptici* eminentiores, nempe *vehementiores*, etiam *inſcio* patiente, ſimpliciter ſint tales, quales alias ad ipſos veros effectus ſcopi *iracundi*, & cum magna *indignatione pugnabundi* eſſe vsquam poſſunt aut ſolent; *errabunda*, & ad feſtinatam quandam actionem velut impatienter reſpectans *oculorum vibratio*; aut *fixus* atque *truculentus* obtutus; aut *toruus* atque *tortus* adſpectus; *ſtridor dentium*; *linguæ volutatio*, tanquam ad loquendum tendens; *contentio artuum* fortisſima, tanquam ad manifeſtos niſus etiam *anhela*, & collecto per vices ſpiritu, vere *contentioſa*; imo ſæpe numero illa ipſa ratione *clamoſa*, qualis in vere iracundis maximis contentionibus iam inter agendum, imo inter patiendum extrudi ſolet.

Motus & actiones epilepticorum ſcopum iracundum & magna indignatione pugnabundum, indicant.

§. XVII. Sicut etiam in aliis totus paroxysmus, ab *ingurgitatione* inſatiabili, inprimis *ſicci panis*, prægreſſa primo ortus, in vomitum tandem deſinendo ſoluitur: apud alios, poſt diuturniores etiam contentiones, vltimo fiente *membri virilis* erectione, & nondum conſtante ſibi vsquam mentis recordatione, *ſpermatis* eiaculatione fini-

In aliis ad certum euacuationis finem motus inſtruitur.

finitur. Nempe vndique & vndique vel manifeſtioribus tandem *eliſionibus*, in quas tota illa vehementis motuum *deſinit*: vel ad minimum ad inſignem vsque *fatigationem* continuatis motuum tentaminibus; quæ ſi maxime nullum effectum adſequantur, tamen ipſa *delaſſatione* veluti ſuadente tandem iterum omittantur.

Exempla epilepticarum conuulſionum, in variolis, vermibus, dentitione difficili &c.

§. XVIII. Quemadmodum autem horum variorum generum ſpecimina itidem varia paſſim etiam obſeruationi occurrunt: ita placet hoc etiam loco præcipue commendare exempla illa, primo in vulgus quoque nota. *epilepticarum* conuulſionum, variis rebus *excernendis*, ſed excretioni non obſequentibus, ſuperuenientium; inprimis *variolarum* & *vermium*, neque minus *dentitionis*, nec ita rariſſime *obſtructionis*, & inde *cardiogmi* infantum, des Hertzgeſpanns. Sicuti apud *teneriores* adhuc infantes notiſſimum eſt, minime ita rariſſime, etiam ipſi omnino *tuſſi* vehementius impeditæ, & cum magna materiæ *tenacitate* coniunctæ, tandem ad vehementiores tuſſiendi paroxyſmos etiam *conuulſionis* paroxyſmum accedere. Tanto magis autem poterit harum rerum meliori conceptui inſeruire illa hiſtoria, quam certe notatu longe digniſſimam nobis ſiſtit *Guil. Fabric. Hildanus Cent. 1. Obſ. IV.*

Vbi nempe puella decem annorum, cum ipſi globulus vitreus piſi minoris inſtar in aurem intruſus, & irritis conaminibus chirurgorum non ſolum altius inſinuatus, ſed tam inſtrumentis quam medicamentis variæ irritationes atque dolores inductæ eſſent: incurrit inde primo capitis, deinde etiam artuum totius eius lateris, iam ſtupores, iam dolores acutiores: inprimis tamen cœlo humido & pluuio, humido & frigido, imo vero verno & autumnali tempore. Cum hæc ita per 4. 5. annos durarent, accedentibus demum etiam conuulſionum paroxyſmis, perculſa mater, conſulit denuo Medicos. Cum autem auris, imo etiam capitis dolores iam aliquamdiu plane requieſcentes, ſuſpicionem qualiscunque nexus inter hæc noua vehementia ſymptomata, & primæuam illam occaſionem, nemini propemodum amplius ſuſpectam redderent: fruſtra adhibitis ad hæc omnia, & inprimis ipſas conuulſiones, conſiliis omnibus & auxiliis: ſuperueniens tandem denique Auctor, & percepta prolixius hiſtoria illa rei inſolitæ in vnam aurem inſinuatæ, & inde ſucceſſiue ſubſecutorum huiusmodi variorum adfectuum in eodem latere primo caput, deinde etiam plures & remotiores partes varie adficientium & magis magisque demum ingraueſcentium, felici vtique inſtinctu applicuit animum, ad agnoſcendum huius rei fomitem ipſum maxime illud alienum, meatui auris tam per ſe moleſtum, quam variis irritationibus tanto intolerabilius redditum; vnde ad hoc maxime tanquam fundamentum

ſubru-

ſubruendum, & ipſam radicem excidendam, præcipuam ſuam intentionem dirigens, cum hac denique per inſtrumenta ingenioſe excogitata feliciter potitus eſſet, dedit poſtea manus etiam alter ille inſolentior adfectus, nempe epilepticus. Vbi quidem, cum hodie nec ipſi amplius plebi ignota ſit vanitas vſitatorum illorum quotidianorum antepilepticorum, longe certe ſimplicius probabile ſit, quod epileptia illa magis ſponte ceſſauerit, ſublata ita cauſſa illa ipſa, propter quam proprie variæ illæ motuum contentiones ſusceptæ erant, & ſæpius denuo exacerbatæ: (cui geminum quiddam notiſſimum eſt in ſymptomatibus calculi, eorumque paroxyſmis,) quam vt vlla veriſimilitudo occurrat, quod hæc conuulſionum actiuitas vere potius medicamentis, aut vlla alia arte methodica ablata ſit.

§. XIX. Inſeruit autem hæc conſideratio etiam illi maxime vſui, vt omnino vtique Medicus animum aduertere meminerit eiusmodi cauſſis, quæ quidem in ordine ad ipſum actum conuulſiuorum motuum non ſunt niſi antecedentes, aut plane procatarcticæ dicendæ; interim ita verum fundamentum huic præbent, vt omnino vtique, niſi hæ exſtitiſſent, actus ille nunquam in effectum deductus eſſet. Imo vero, quantumlibet etiam hoc omni modo ſit verum, quod motus tales quam oblique ad veras illas eiusmodi cauſſas ipſorum procatarcticas proxime quadrant; ſed vnice vt in qualecunque ſubſidium, imo vero, vt Helmontius ſana acceptione non prorſus vane interpretatur, vel per modum ipſum indignationis huiusmodi impetuoſa contentione exercentur; & hoc ipſo etiam ſublata tendem tali cauſſa non propterea eo ipſo vna ſimul & ſemel tolluntur, (vt nempe alius forte aliquis directus effectus, ſublata ſua cauſſa:) non eſt tamen vllum dubium, quin & per primam illam directam ſui occaſionalem cauſſam huiusmodi affectus fortius foueantur, eamque tam poſitiue, quam priuatiue certius ſequantur, quam ſi ſine eius reſpectu habito tractandi ſuſcipiantur.

Vſus huius conſiderationis medicus, quod epilepſia interdum per primam cauſſam occaſionalem foueatur.

Non male certe huc quadrat biga obſeruationum, quas circa hoc negotium obſeruare mihi contigit. Puella 9. annorum laborabat iam a quinque annis frequentioribus magis magisque, & omnino ſæpe recurſantibus paroxyſmis epilepticis; requirebatur a me, vt ſuppeditarem aliquot doſes ſpecifici mihi vſitati antepileptici. Transmiſſo hoc cum inſtructione, quomodo illud vſurpare conveniat, renunciatur per literas, quod nihil adhuc ſolidi leuaminis præſtiterint. Quamuis autem vna allegaretur, quod ſingularis circumſtantia circa vſum ipſarum tempeſtiuum maxime neceſſaria non tam exacte obſeruari potuerit, ſuſpicabar tamen ſtatim, quod alius ſubſit quaſi continentis cuiusdam cauſſæ peculiaris concurſus. Mittebam ita quidem denuo aliquot doſes, ſed perſcripta ſimul hac

mea ſuſpicione: reſpondebant ad hanc proximis diebus, quod nihil tale hariolari poſſint. Poſtquam autem continuationi per plures vices porro inſtitiſſent, licet ſub aliquali ſolum tam vehementiæ, quam inprimis frequentiæ, (non vt alias hoc medicamentum ſolet, etiam penitiſſima) remiſſione obſeruauit ceu ex accidenti mater, quod puellæ collum intumeſcere incipiat. Quæ res ipſi in mentem reuocauit, quod ipſa puella tenera adhuc ſua ætate 3. 4 annorum, inflationem colli conceperit: quæ quidem per artificia quædam externa iterum diſcuſſa, ab illo autem tempore mox epilepticorum paroxyſmorum initia ſubſecuta ſint. Vnde etiam mox ſpem iterum concepit, quod affectus hic ita optatum finem iterum aſſecuturus ſit, quando illa prægreſſa occaſionalis cauſſa iterum proprium ſuum tramitem ingrediatur.

Puer autem ſex annorum nunciabatur circa ſextam veſpertinam horam iam plus duabus ſeptimanis quotidie corripi paroxyſmo tali epileptico, vt ante omnia ſenſum quendam innominati doloris in abdomine percipiat; a quo ipſi mox male ſit, & ſtatim turbato capite, niſi ſponte deſideat, cadendum ſit præ vertigine: vtrouis autem modo pereunte omni recordatione, experiatur vtique conuulſiuos, inprimis autem anxie anhelos quosdam contentioſos motus, a qua conſtitutione ante horæ quadrantem vix ad ſe redeat. Statim vtique in mentem veniebat, quod probabiliter lumbrici ſubſint, idque diſerte matri indicabam: reſpondebat autem illa tanquam cum fiducia, lumbricos non ſubeſſe. Cum autem de reliquo pueri corporis & valetudinis habitu interrogans audirem, quod ille quidem quaſi perpetuo malo, nempe pallido colore conſpicuus, ſimulque ſubtumido faciei adſpectu ſit, confirmatus eo magis in ipſa ſuſpicione monebam mulierem, quod illa vtique rebus ita conſtitutis ſecura eſſe non poſſit, quin vermes non ſolum ſubſint, ſed proprie hoc negotium puero faceſſant. Edebat illa ita argumentum ſuum præcipuum, imo, vt illa interpretabatur, potius documentum, quod vermes ſub hac re nequaquam ſubſint; cum enim tertia prægreſſa ſeptimana nundinæ celebratæ fuiſſent, emerat a circumforaneo probatiſſimum eius remedium, & propinauerat puero, a quo vti nullam vermium expulſionem obſeruauerat, ita nullos ſubeſſe pro certo habebat. Quamuis autem denuo monerem, veroſimillimum potius eſſe, quod intempeſtiuis illis artificiis commoti ſolum, ſed non emoti vermes, has turbas cieant; tanto magis, cum hic talis adfectus proprie ab illo demum tempore coortus ſit: illa tamen ſui propoſiti pertinax inſiſtebat ſoli petitioni plane nominatim remedii illius antepileptici, cuius efficacia proprie ipſi maximopere commendata ſit. Dabam aliquot doſes, ſed cum diſerto præſagio, dubitare me, quod aliquid inſigniter effecturum ſit remedium, niſi cauſſa præcipua ſublata, quam vermes eſſe non deſiſtebam ſuſpicari. Cum puero ſecundum præſcriptum dediſſet vnam doſin, ipſo tempore gliſcentis veſpertini paroxyſmi, ſupprimebatur huius eruptio: ſequente die repetebat ex præſcripto ſimilem exhibitionem, ſed ſequebatur paroxyſmus vehementior atque longior, quam ad eum diem vnquam eruperat. Cum [illegible] conſilium petenti anthelminticum dediſſem, emanſit. P[illegible]nam reuerſa, petebat conſilium pro filia 16. annorum [illegible] correpta. Cum [illegible] autem

autem de puero nullam mentionem faceret, interroganti quomodo tandem negotium ceſſerit, velut admirabunda & incerta, an nondum rei euentum mihi denunciauerit, fuiſſe vtique vermes declarabat, & adunata inuicem vtraque vola, tantum paruorum vermium, aſcaridum, reiectum eſſe, ſtatim autem ab illa exoneratione paroxyſmum emanſiſſe, nec amplius perceptum eſſe, memorabat.

Imo vero nemini puto graue erit adhuc vnam non disparem valde huius rei hiſtoriam legere, epilepſiæ inquam, equidem ſublatæ, ſed ſecuti grauioris alius pathematis. Adoleſcens ex honeſtiſſima familia, liberis tamen aliquanto fœcundiore, deſtinabatur mercaturæ addiſcendæ; eoque nomine mittebatur in celebre quoddam emporium, vbi tamen morum vrbanior, quam ciuilior ratio loquacitatem non ſolum, ſed & maxime dicacitatem familiariſſimam reddit. Ita adoleſcens hic, paulo tardioris etiam, & ſerii magis, quam volatici ingenii, in domo paterna ingenue & liberaliter educatus atque habitus, cum inter dicaces plebeios famulos inſtitorios alieniſſimam vitæ rationem inueniret, imo vt inter tales vſu venit, etiam ita magis magisque exagitaretur, vt loco domeſticæ conſuetæ commoditatis, & ſomni breuitatem atque perturbationem, & labores ſibi minus decoros viſos ſubeundos experiretur, tacito hinc animi dolore atque indignatione, quin acriore ſubinde iracundia commotus, incidit in epilepſiam. Adhibentur a Medicis varia, ſed in caſſum: reuocatur a parentibus domum, ſiſtit ſe ludimagiſter quidam e, neſcio quo, pago, pollicitus certam curationem per arcanum quoddam, quod in adoleſcentia ſua Auſtriacæ cuidam Illuſtri matronæ, medica talia ſecreta deſcribere conductus, in futuros vſus memoria complexus ſit &c. auſcultant parentes; & ferebatur tinctura lunæ præcipuas partes habuiſſe; quid multa, decreſcit ſenſim epilepſia, imo deſinit poſt tertii forte menſis periodum. Manebat tamen patiens languidus, torpidus, imo ſepiſtupidus. Poſt tempus duorum forte menſium increbeſcente magis magisque ſtupore, ſed cum vertiginoſa quadam capitis perturbatione coniuncto, incurrit mentis alienationem, quæ magnis greſſibus in maniacam vehementiam procedebat. Nec obſequebatur vtique amplius remediis, quin, ægre re vera ſimul, & hectica quadam tabe fatiſcens patiens, poſt tres forte alios menſes moriretur.

Sane vero plurium omnino memini ſimilium exemplorum, vbi vel optima remedia irrita fuerunt, non obſeruata decenter *cauſſa continenti* quaſi *materiali*, hunc effectum *fouente*: vel *mutato* etiam hoc affectu, alii, re vera tam *pertinacia*, quam reliqua *indole* aut periculoſis *progreſſibus*, nihilo leuiores mali adfectus ſucceſſerunt.

Duplex circumſtantia circa inuaſionem paroxysmi.

§. XX. Cæterum eſt vtique notatu digna illa *duplex* circumſtantia; *primo*, quod alii huiusmodi patientes *præſentiant* paululum, quando paroxyſmus inuadere machinatur; alios autem *inopinato* ſimul & ſemel corripiat totus impetus; vt etiam ad ſe reuerſi nihil, niſi a poſt facto colligendo, factum eſſe recordentur. *Secundo*, alios grauibus

bus *motuum contentionibus* paroxyſmus exerceat; dum ex aduerſo iterum aliis ſegniores huiusmodi commotiones eueniunt, & ſimplicius magis *tetanῶδες*, nempe *in rectum* tendentes, daß ſie wie ein Stück Holtz ſtarren.

Efficacia pulveris ſpecifici antepileptici.

§. XXI. Faciunt hæ circumſtantiæ inprimis ad feliciorem *applicationem* certioris remedii mihi vſitati; quandoquidem & ita *impendente* paroxyſmo maxime datum, & aduerſus ſumme maxime *conuulſiuam* atque *contentioſam* epilepſiam præclaram efficaciam exſerit: peculiari, ſed omnino luculento ſpecimine, quod fruſtra energia huiusmodi remediorum collocetur in quacunque efficacia *in materias* aliquas; cum in hoc remedio & *quantitas* ſumme exigua, *ſubſtantiæ* re vera *minime cito diſſolubilis*, effectum tamen ita præſentiſſimum edat, vt hoc ipſo iam momento *impendentem erupturum* paroxyſmum *retineat*, ne erumpat: ſi vero, quantumcunque etiam auctiore doſi, extra hæc ita *opportuna* veluti *momenta* exhibeatur, amittat re vera omnem hanc efficaciam, neque quidquam prorſus ad totam hanc rem pertinuiſſe vllo modo videatur. Cum, ex aduerſo exquiſite *tempeſtiue* ita dati etiam pauca grana ſufficiant, ad prorſus etiam *exſtirpandum* malum; adeo, vt cum hoc antea *ſingulis* etiam *diebus* aliquoties patientem exercuerit, poſthac etiam penitus ceſſet, neque vnquam reuertatur, ſi tales *occaſiones* recte euitari poſſint, quæ ad *reſuſcitandam* diſpoſitionis huius habilitatem tanto magis pares ſint, cum etiam, *fortiore* ſui concurſus impetu, ipſam talem *epilepticam* tragœdiam, vel in eousque ſana corporis œconomia, de integro concitare valeant.

Vis adſuetudinis in epilepſia.

§. XXII. Omnino vero conſideranda vtique eſt etiam in ipſa epilepſia vis *adſuetudinis*: cui certe non parum debere veriſimile eſt ipſam hanc, ita *adſueſcendo*, in poſterum continuandi *contumaciam*, vt v. gr. quos iam *adultos* inuadit, illos vix amplius deſerere tanquam pro certo habeatur; ſicut ex aduerſo, quibus *iunioribus* ab *infantia* aut *prima pueritia* affectus hic negotium faceſſere cœpit, circa tempus inprimis *pubertatis* facilius iterum deſueſcere iam inde ab antiquitate traditum eſt; vtpote vbi totius etiam *animi* tales *alterationes*, & *priſtinarum adſuetudinum* ſpontaneæ *omiſſiones* & *faſtidia* in conſiderationem venire merentur.

Intentio excuſſoria in moti-

§. XXIII. Sicut autem *cauſſalem* rationem *epilepſiæ* merito collocandam reputamus in *generali* quadam *intentione excuſſoria*, *motibus*

tibus transpreſſoriis, *congeſtoriis*, & ad *expreſſionem* quaſi collineantibus, tentanda; vnde etiam tam ad ipſam primam totius huius mali *excitationem*, quam inprimis ad paroxyſmi *reuocationem* & grauiorem *exacerbationem*, intentiones *patheticæ animi* tam multum poſſunt: ita inſeruiunt vtique his euentibus omnino *materiales* etiam huiusmodi cauſſæ, quæ hunc *reſpectum* pro *formali* ſui *ratione* habent, vt *emotionem* e corpore *reſpiciant*. Vnde *dentitio* difficilius procedens, *variolarum* eruptio, *menſtrum* negotium, *vermes*, *ſperma*, ſine exitu *commotum*, *epilepticis* conuulſionibus paſſim fomitem præbent: nulla certe ita ſimpliciter *materiali* actiuitate, *ſtimulatione* aut *impulſu*; bene vero ita illo *finali* reſpectu, quatenus *mouendo propelli*, imo *expelli* debent. Quod quidem omni modo debitam conſiderationem meretur.

bus hiſce rebus ſpicienda eſt,

Vti certe nec ita rariſſima ſunt exempla *epilepſiæ*, *in ſpermatis excretionem deſinentis*: ita memini exempli, quod in iuuene 26. annorum obuenit, quamuis etiam iam ante aliquot annos altera ad minimum affectus parte laborauiſſe memoratus ſit. Corripiebatur nempe, velut ex improuiſo, *delirio* magis maniacde, quam melancholico, certe neque triſti, aut multum cogitabundo, neque valde timido, ſed potius, præter reliquam ſuam conſuetudinem, cum valde modeſtæ & in loquendo moderatæ eſſet indolis, ſatis audaci, loquaci, clamoſo, imo minitabundo & euadendi cupido: qua propter etiam vinculis coërcendus erat, cum cuſtodiam perpetuam adponere paupertas eius non permitteret. Cum autem hæc ſcena per menſem forte duraſſet, & tam reliquis voluntariis tentaminibus per vim eluctandi, quam animi furioſa indignatione, cum harum rerum nihil procederet, varie exagitaretur, erupit *epilepſia*, fortibus non ſolum, ſed omnino etiam diuturnis paroxyſmis, vel ad horam integram durantibus. Increbuerunt etiam hi tales, adeo, vt bis, ter, imo quater per nycthimerum conuelleretur. Tandem acceſſit etiam hic euentus, vt ſub magna vehementia paroxyſmi *membrum virile* tenderetur, imo magis magisque rigide intentum tandem eiaculationem ſpermatis exſequeretur. Quo ipſo facto non ſolum mox miteſcebat paroxyſmus, ſed eueniebant ab eo tempore etiam magis magisque *rariores* inſultus, & omnino *mitiores*, niſi quibus *excretio* talis iterabatur, qui & longiores erant & importuniores. Imminuta vero poſthac magis magisque ſunt omnia pathemata mentis & corporis, licet omnino vtique tardis progreſſibus, donec poſt *quartum* demum *menſem* iterum ad ſe plenius reuerteretur, *ſexto* tamen, aut quod excurrit, a primo *delirandi* initio &c.

§. XXIV. Alias autem nequaquam certe in hoc genere penitus & ſimpliciter etiam contemni debet energia *impreſſionis per faſcinum*, aut quæcunque tandem *veneficia*. Qua de re vti paſſim audiun-

Energia impreſſionis per faſcinum & veneficia.

diuntur exempla, quomodo patientes aliqui tales ex *eſu* oblatorum ſibi a ſuſpectis hominibus qualiumcunque eduliorum aut cupediarum, aliqui etiam *repente* poſt aſſumtionem, alii vero tardioribus progreſſibus, in huiusmodi grauiſſimum adfectum inciderint: aut *puellæ*, ſuppreſſis poſthac *menſibus*, coortis autem variis oppido *inſolitis* atque *grauiſſimis* aliis pathematibus, tandem non ſolum *conuulſiones*, ſed etiam inſolita peculiari vehementia inſigniores euenerint. Placet harum rerum exemplum aliquod commemorare.

Aulici cuiusdam tubicinis filius, decem annos egreſſus, mittitur cœnæ tempore, vt e proxima ædibus patriis cella ſenatoria cereuiſiam accerſat. Dum ille per porticum paulo obſcuriorem tranſit, occurrit vetula puero incognita, quæ ipſum alloquitur, an non tubicinis illius ſit filius? affirmanti offert ſchedulam quandam, ad matrem eius pertinere dicens, quam ipſa iam voluerit deferre, ſed commodum obuio tradere velle, matri exhibendam. Deſcendit puer in cellam, accipit cereuiſiam, deportat domum: indicat ſimul matri nuncium de ſchedula, eamque de veſtis receſſu expromere geſtiens non inuenit; dum autem intentius quærit, corripitur vehemente paroxyſmo epileptico, nunquam ante hac ipſi cognito, nedum familiari. Expaueſcunt quidem parentes, & familiares, ſed non venit vlli in mentem, quod aliud tale quiddam ſuſpectum ſubeſſe poſſit. Corripitur interim puer, per tres proximos annos, frequentibus atque vehementibus paroxyſmis epilepticis, ex improuiſo coorientibus, & grauiter illum exagitantibus. Accuſatur ſub hoc tempus vetula de infima plebe veneficarum ſuperſtitionum, cum ſubſecutis grauibus damnis, qualia etiam minitata erat incutere: adhibitis ſcrutiniis decentibus, & examine, confiteтur rea talia facta, quorum nomine ad ſupplicium condemnatur. Cum exſecutio huius in effectum deducenda eſſet, in ipſo loco ſupplicii profitetur adhuc, ſponte ſua, vetula, quod ante tot annos tali puero, illorum parentum filio, nempe huic, de quo loquimur, veneficium tale obtulerit, a dæmone ſibi concreditum, ſub euanidæ ſchedulæ ſpecie, vnde illi *epilepſia* euenerit. Liberatus etiam iterum eſt patiens, ſed non ita mox poſt huius ſupplicium.

Ita etiam alia huius commatis exempla non ignota ſunt, vbi ex oblatis ſchedis, epiſtolam externa facie mentientibus, ſed vacuis repertis, cum inſpiciendi gratia aperirentur, ſtatim epilepſia vehemente correpti ſunt, quibus oblatum erat illud faſcinum.

Habeo etiam *imprecationis* exemplum; vicini e ſiniſtre intellecto ioco in rixas atque iurgia aſperrima exardeſcebant; vbi, vti proprie filiarum pubeſcentium occaſione natum erat iurgium, pater alterius partis, venaticæ atque ſyluestri aſperiori vitæ rationi addictus, increpans inhumanius filiam aduerſæ partis, imprecatur ſimul impuro ore & animi impia contentione epileptica pathemata; more horum locorum genti ita familiari, vt ne liberis ſuis hæc imprecari verean-

tur,

tur. Corripitur autem re ipſa puella mox vehemente penitus, & ad plures horas porrecta epilepſia, vt etiam vitæ periculum timeretur. Quamuis autem in illo puero ſenſim elangueſceret malum, non tamen ſedatum eſt ante alterum, imo vere tertium, ab eo tempore, annum, quin & ſæpe, & per initia inprimis grauiſſime, patientem exerceret. Vixit autem poſtea per annos adhuc bene multos, etiam eidem arti buccinatoriæ addictus, quæ præſertim per initia diſcendi caput vehementer exagitat, ſine vlteriore incommodo.

§. XXV. Sicut autem totum negotium *faſcini* & *incantamentorum* intricatiſſimum vtique eſt, eo vsque non poteſt de eius energia quidquam veriſimile concipi: niſi quod generaliſſima quaſi quædam proportio locum habere videatur inter *intentiones fortiſſimas mentales*, & qualescunque *ideales impreſſiones*, & *motus*: vt i tamen via *communicationis in diſtans*, aut per qualecunque *ſymbolum corporeum*, conceptum vtique transcendat.

Faſcini & incantamentorum negotium intricatum eſt.

§. XXVI. Si tamen etiam alteram illam conuulſionum epilepticarum plane ſingularem circumſtantiam attendimus, quomodo *lunæ phaſium* præcipuas mutationes ſæpenumero etiam prorſus *exquiſite* ſequantur; vti certum hoc & notum adeo eſt, vt in dubium vocari a nemine facile poſſit: ita eſt tamen ſimul nihilo vsquam euidentior vlla eius rei ratio *theoretica* vere atque ſcientifica. Sicut enim certe hoc intuitu re vera otioſa penitus eſt locutio illa, *lunam* eſſe *humorum dominam*, eandem eſſe *cerebri præſidem*, (& conſequenter *generis neruoſi*, *ſpirituum animalium* &c.) ita ſi quam maxime his dicteriis acquieſcere vellemus, eſt tamen vtique ante oculos, quod parem dehinc difficultatem denuo obiiciat circumſtantia illa peculiaris *phaſium* lunæ; cur inquam hanc talem *energiam* ita proprie demum exſerat circa hæc veluti *puncta locorum*, & ſecundum ea *temporum*. Vbi, ſi etiam iterum diceretur, (nempe a nuda ſimplici *experientia*) quod hæc res ita *inſita* ſit huic ſideri; intercedit denuo noua realis diuerſitas imo difficultas, quod omnino etiam hæ ipſæ ſecundum has *phaſes* veluti *ſolennes* exacerbationes epilepticæ adeo non ſimpliciter ad has *ſolas phaſes* adſtrictæ ſint, vt paſſim etiam alios dies his phaſibus ſolum propius *accedentes* ſeruent, non minore *exactitudine*, quam ipſas illas phaſes *ſtricte* determinatas. Sane vero manebit hæc res, quo loco iam dudum eſt, imperſcrutabilis circa *modum fiendi*: interim cauendnm tamen etiam perpetuo erit ab illa adhuc longe craſſiore, vtique circa rem *rationi* proprie expoſitam, hallucinatione, quaſi propter-

Explicatio, cur lunæ phaſibus reſpondeat epilepſia.

propterea, quia ſatis percipi non poteſt, quomodo vtique ſit aut fiat, propterea etiam *eſſe* & *exſiſtere* non habenda venit.

συζυγία voluntatis patheticæ cum motuum epilepticorum indole.

§. XXVII. Quicquid autem circa hanc etiam rem *conceptui* vsquam adhuc adfulgere poteſt lucis, eſt vtique ſimpliciter comprehenſum ſub *συζυγεία voluntatis pathethicæ* (non *ſpeculatiuæ*, *rationalis*, ſed ſecundum *ideam*, ipſam quoque *non* ſimpliciter *rationalem*, *iucundi* aut *aduerſi*, ad ſuſcipiendas *motuum* contentiones conuolantis) cum ipſa *motuum indole* & habitu tam *eſſentialis conuenientiæ* quam *cauſſalis energiæ*.

Motuum vitalium perturbationes ab anxio & vano terrore a fede.

§. XXVIII. Sane vero felicius has res expediendi *occaſionem* habebit, imo *methodum* maxime procliuem, quisquis expediuerit illam *agendi* atque *fiendi* rationem, quæ ſubeſt in *anxiis* illis *perturbationibus motuum* omnino modo *vitalium*, quæ cooriuntur in homine, cuius *mater* eo tempore, quo illum geſtauit in vtero, VANVM *terrorem* aut *anxium metum* concipit a *fele*: vnde ille quidem, ſi poſthac per totam ſuam vitam in conclaui moretur, vbi felis deliteſcat, non aliis, quam omnino paribus illis *perturbationibus vitalium motuum* adficitur, quales MOTVVM VITALIVM PERTVRBATIONES VANVM, ſi recte æſtimatur, ſed tamen SVMMVM & fortiſſimum ANIMI PATHEMA *timoris ſumme anxii* alias conſequi ſolent: imo vero ad conſpectum propius felem non tam æque ſimpliciter dictis hiſce motuum *perturbationibus* percellatur, ſed omni modo vero etiam ANIMI PATHEMATE TALI exagitetur, *metu* inquam vehemente, *abſurdo* a tali animali grauiſſime concutiatur. Vt de aliis huiusmodi *abſurdarum auerſionum*, aut *deſideriorum*, *theoriis* quidem irritis vtique, & omnimode inanibus, nihil dicam; quæ tamen, quantum ad ipſum *factum* attinet, non ſolum *veræ*, ſed etiam omnibus hominibus familiariter *notæ* ſunt, eoque ipſo ad congenerum difficultatum *theoreticarum veram explanationem*, maximi vtique ſunt momenti & vere paris habitudinis. Quod proinde merito bene notandum venit.

Conuulſiones aliquando fiunt propter excuſſionem aliquam ſublectis quibusdam familiariores ſunt.

§. XXIX. CONVVLSIONES autem, quæ aliis iam vrgentibus adfectibus vlterius *accedunt*, poſſunt certe adhuc tanto melius huic ortui vindicari, quomodo inquam maxime *finalibus* eiusmodi reſpectibus PROPTER aliquam *excuſſionem*, debito ſuo progreſſui minus auſcultantem, tanquam per *indignabundum* aut *anxie pauidum* quendam *niſum* & *contentionem* cooriantur. Vbi tanto plus lucis vniuerſo huic negotio affundit, merito ſolertius, quam fere vsquam fieri ſolet, obſeruan-

uanda illa circumſtantia, quod ad *conuulſiones in genere* proniores maxime ſint atque *promtiores* illi per indiuidua, qui *iracundiæ præcipiti & acri*, & *pauidis angoribus animi* præcipue indulgent: cuius contrarium ſeſe ſiſtit in illis, qui *liberiore*, *ſedatiore* aut *firmiore* ſunt animi indole & morum habitu.

§. XXX. Vbi quidem etiam facile in omnes ſenſus veluti incurrit inanitas traditionum illarum, de *materia* morbida *acri*, *qua tali*, quæ in *genus neruoſum* irruendo idque *ſtimulando* has turbas excitet: cum huiusmodi craſſum commentum non ſolum ab omni reſpectu ad *tempus* alieniſſimum ſit, (niſi quod eius auctores atque fautores ſuæ opinioni in eo melius conſulere videntur, quod peculiares illas *rationes temporis*, quibus maxime *conuulſiones* exoriri obſeruantur, circa *indicatorias* aut *criticas* male procedentes *periodos* potius attendere, imo vel admittere, ſuperſedent) ſed inprimis etiam minime omnium quadret alteri illi iuſtiſſimæ conſiderationis circumſtantiæ manifeſtiſſimæ, quod nempe *conuulſionum accidens* re vera, iuſta *proportionis* æſtimatione inſtituta, ſit mirifice INFREQVENS. Cuius rei ne vlla longius petita exempla allegem, cito teſtem atque documentum tot *millenarios* infantum plebeiorum atque ruſticorum, *variolis & morbillis* rectiſſime perfungentium, non ſolum ſine vllis *conuulſionibus*, ſed etiam cum reliquarum ſecretoriarum & excretoriarum *commotionum moderamine* plane mitiſſimo: vbi *vrbani* infantes per intempeſtiuas *artificiales* perturbationes demum in illas *indignabundas* aut *anxie pauidas* ataxias coniecti, horum ita pathematum exempla fiunt. Neque vero minorem cohortem *millenariorum* percenſere integrum fuerit *febrium* omnis generis, tam *ſalutariter* exeuntium, quam *funeſte* quidem decedentium, interim tamen non niſi velut in ipſo demum *articulo mortis conuulſiones* exſerentium.

Commentum craſſum de acrimonia materiæ in genus neruoſum irruente.

Conuulſionum infrequentia.

§. XXXI. Vbi certe longe alterius conſiderationis eſt obiectum hæc ipſa circumſtantia, quod omnium affectuum, cum *actiuioribus motuum vitalium commotionibus* coniunctorum, quando infelicius ad ipſam mortem exeunt, vltimus finis *conuulſiones* comites habere ſoleat: & tamen aliquando etiam ita *exiguas*, præcipue vero *breues*, vt, ſicuti nulla harum circumſtantiarum, ita minime omnium hæ poſtremæ vsquam conciliari poſſint cum iſtis phantaſiis *acrimoniæ*, *in genus neruoſum* irruentis, aut vndecunque tandem arceſſendæ *ſtimulationis*, ceu tali maxime *tempore demum* in ipſam œconomiam *ſyſtematis neruoſi*, aut

Actiuiores motuum commotiones, infelicius exeuntes, conuulſiones comites habent.

Contra poſt fortiores motus, excuſſionem tentantes tandem natura deficit.

aut qualiumcunque motuum, mechanice potius, quam ſub deſtinatione ad qualemcunque finem fientium. Cui rei ex aduerſo egregie ſatisfacit ſimplicior illa conſideratio, quod etiam deſperatis reliquis ordinatioribus tentaminibus quibuscunque natura hunc tanquam *vltimum conatum*, per fortiores *motus excuſſionem* qualemcunque tentandi, velut *vltimas* ſuas *vires* experiri aggreſſa, irrito etiam hoc qualicunque auſu, tandem omnem *agendi* conatum merito deſerat, quando ſimpliciter irritum & nullius efficaciæ amplius compotem eundem experitur.

Diſtinctiones conuulſionum inanes.

§. XXXII. Cæterum propemodum fruſtra ſunt ſimplices illæ hiſtoricæ diſtinctiones *emproſthotoni*, *opiſthotoni*, *tetani*; nempe de *regione*, *verſus* quam illæ tractiones corpus inclinant, loquentes: ſed re vera ſine omni *vſu*, ſiue ad *cauſſarum* diſcretionem, ſiue vlteriorum *effectuum* qualemcunque meliorem perceptionem. Vtique cum ne quidem illud adhuc ſatis certum aut indubium exſiſtat, quod *conuulſiones*, quanto *ferociores* ſunt atque violentiores, eo etiam abſolute *periculoſiores* ſint: quod certe, quomodo ambiguum ſit, notari meretur. Omnino enim ſatis notum eſt, quod tam aliqui *moriantur*, qui quam *leuiſſimas* conuulſiones exſeruerunt; quam alii non moriantur, qui quam *grauiſſimis* exerciti fuerunt.

Conuulſiones fortiores num periculoſiores ſint.

Contemplacio medica, quæ conuulſiones deteriores ſint.

§. XXXIII. Vnde longe magis ad medicam contemplationem tam *pathologicam*, quam *prognoſticam* atque *therapeuticam* faciunt illæ conſiderationes, quod 1) *deteriores* ſint conuulſiones, quæ *declinationi* potius debito tempore ſuperueniunt, quam ipſi adhuc *incremento*; 2) omni modo deteriores, quæ iam *adoleſcenti*, ne dum *adultæ* ætati eueniunt in morbis aliis *acutis*, quam quæ in aliam quamcunque *teneriorem*, imo inprimis plane *tenerrimam*, cadunt. 3) Deteriores vtique, quæ *adultioribus fortiores* eueniunt; non item, quæ *tenerrimæ* ætati (nempe re vera contra generalis veri ſimilitudinis rationem, ac ſi ætas atque textura *tenera* tanto magis *impar* iudicanda ſit tolerandis eiusmodi violentiis; cum potius contra ſe res habeat.) 4) *Minoris periculi*, quæ ad *epilepticas* conuulſiones *extra acutos morbos procliuibus* eueniunt etiam in talibus, quam quæ penitus alias *ignotæ* erumpunt.

Omnia ſymptomata, & ſic etiam conuulſiones ſymptomaticæ certius curantur ſub-

§. XXXIV. Sed profecto in hunc vsque diem *ſterilior* eſt vniuerſa harum rerum *theoria*, quam vt illi adhuc prolixius immorari æquum cenſeam. Illud autem certiſſimum, quod & conuulſiones *ſymptomaticæ*, & omnia prorſus alia *ſymptomata*, quamdiu re vera *ſymptomata* ſunt, minime *certius*, *promtius* & *ſolidius* percurentur, quam

quam adfectu ipſo *primario* partim in genere ad feliciorem progreſſum deducto, partim *in ſpecie* ſecundum *illam* maxime ſui *circumſtantiam* in meliorem ſucceſſum deducto, ſecundum quam ipſi *conuulſiones* magis proprie ſuperuenerunt; quæ nullæ ſunt certiores, quam vel nimium *præcipites* incitationes motuum *excretoriorum*, vel nimium *deficientes* atque *impediti* ſucceſſus & exitus illorum, interim quantumcunque vtique *molientium*. Vbi tamen re vera *prior* cauſſandi ratio fere familiarior eſt, & certiſſime inprimis ad conuulſiones ipſis *incrementis* accedentes; *poſterior* contra illis inprimis, quæ *tardius* cooriuntur. Ex omnibus autem his æque atque ſingulis reſpectibus fruſtra vtique fuerit vel *propiorem* theoriam elicere, vel *vtiliorem*, quam huc vsque adumbraui. lato adfectu primario.

ARTICVLVS III.
De
DOLORIBVS SPASTICIS, ARTHRITICO-PODAGRICIS.

§. I.

CVm iam ſupra *generaliora* de his rebus abunde propoſuiſſe confidam, ſubiungam præſente loco ipſa præcipue *ſpecialiora*. Arthritis quid ſit. ARTHRITIS dicitur *generaliter dolor*, *artus* aut *articulos* grauius atque *pertinacius* affligens, in quacunque tandem corporis *regione* exſiſtat. *Specialius* autem vſurpatur de articulorum *ſuperioris* maxime corporis affectu, *dolores* exquiſitos (iuxta vulgatiſſimam acceptionem) & *contumaciores* exhibente.

§. II. Secundum veritatem autem rei minime nudi valde *exquiſiti* dolores abſoluunt penitus *arthritidem*; ſed ſunt omnino etiam *arthritica*, ad minimum vera *initia* potius, quam *præludia*, quæ *ſtupidiore* aut *obtuſiore* ad minimum ſenſu patientes exercent, & magis magisque vehementiores *exacerbationes* ſucceſſiue poſt ſeſe trahunt. Eius vera indoles & hiſtoria. Interim, cum vtique hæc *arthritica*, aut *arthritodea*, non ſolum alias magno numero paſſim familiariora exſiſtant, ſed etiam tanto magis *rudiori* tandem *arthritidi* vix non ſemper præludant; eo ipſo vero maximopere ad veram *hiſtoriam* vniuerſam, & tam *cauſſarum* quam

 effe-

effectuum nexum declarandum omnino pertineant: eſt certe tanto minus negligenda, vt propemodum vulgo fit, vera illorum *hiſtoria.*

Arthritidis ſpecies.

§. III. Tanto minus autem admittenda *confuſio*, quæ ſub perſona exquiſitioris *diſtinctionis* paſſim in ſcenam producitur: nempe ad ſtabiliendas operoſas illas *differentias* inter *rheumatiſmum* & *arthritidem*, vt res maxime *diuerſas*, cum *ſubordinatæ* potius ſint. Cæterum *chiragra*, *gonagra*, *podagra*, ſicut vtique nihil aliud ſunt, niſi *arthritis* in *certas* corporis *regiones* incumbens: ita habent tamen, quo veri vnici naturæ *fundamenti* ignaros non parum diſtrahant eo, quod *arthridis* ſtrictiore accepione non niſi *iunioribus* magis familiaris ſit; aut ad minimum certe *podagra* non niſi iam *annoſioribus*, minus autem *iunioribus*, vt *arthritis*.

Eius ſubiecta.

§. IV. Sicut autem iam ſuperius generaliore loco memoratum eſt, quod tam *rheumatici*, quam *arthritico-podagrici* affectus quam maxime cadant in ſubiecta *ſpongioſioris* atque *ſucculentioris* habitus corporis; & præterea conſtitutionis non ſolum reliquæ *plethoricæ*, ſed in ſpecie *commotæ*; (vnde familiaris illa traditio, quod *podagræ* maxime obnoxii ſint, *vino*, *iræ*, *veneri* valde indulgentes; &, quia maxime talia *paupertas* minus ſuadet, aut fouet, *abundantia* vero vtrumque facit, *diuites*): ita facit ad propiorem harum rerum conſiderationem vtique tam *locorum*, quam *temporum* illa diuerſitas, qua re vera *differunt*; ſicuti reliquis velut *eſſentialibus* magis conditionibus ſimplicius vnum idemque ſunt.

Quas partes corporis præcipue occupet.

§. V. Seruiet huic rei melius commonſtrandæ præcipue vera *hiſtoria.* De *habitu* generaliore, *ſpongioſiore*, *ſucculentiore*, *plethorico*, & inprimis *commoto*, iam diximus. *Hæreditaria* quoque diſpoſitio quid in talibus poſſit quid etiam *adſcititiæ* & *adſuefactæ commotiones*, tam *turgefactoriæ* atque *translatoriæ*, quam *euacuatoriæ*, indicauimus tum ibidem, tum ſub *iſchiadis* deſcriptione. Addimus itaque hic, quod *arthritis* ſtrictiore acceptione ſumta, magis eueniat iuuenibus, ab anno XX. ad XL. Occupet autem partes potius corporis *ſuperiores*; nempe ſecundum communem opinionem *ſcapulas*, *axillas*, *humeros*, *brachia.* Quibus autem ego accenſeo *dimidium caput*, *nucham & ceruicem*, inprimis *dimidiam*, *dorſum medium* ſeu poſteriorem partem *thoracis*, *anterioris* thoracis alterutrum *latus*; *hemicrania*, *pleuritide ſpuria* vulgo dicta, & *rheumaticis* illis, iuxta vulgus,

gus, *ceruicis* affectibus: neque minus *dorſalibus* atque *lumbaribus* pathematibus, paſſim *nephritidi* adſignari ſolitis.)

§. VI. Detrahit autem laruam fere etiam ipſa ſchola medica, quando *dolores*, quantumlibet *genua*, *pedem*, *digitos pedum*, *manus*, *coxas* pariter acriter exagitantes, ſed ſimul etiam *ſuperiores* corporis partes modo nominatas exercentes, *arthritidis vagæ* nomine notat. Reliquas ſuas conditiones atque circumſtantias quia cum *podagra* fere communes habet etiam *ſuperiorum* partium *arthritis*, memorabo primum huius hiſtoriam. Arthritis vaga.

§. VII. Exſerit ſe hæc pariter quam maxime in ſubiectis habitus corporis *ſpongioſioris*; *ſanguinei*, *ſanguineo-cholerici*, imo etiam de *phlegmatico* participantis. *Plethoricæ* vero conſtitutionis; ſub commotionibus, ſiue ſimpliciter e reliquo *otio* cito corpus exagitantibus, ſiue *vino*, aut *animi pathematum* intemperantia, *excretorias* intentiones excitantibus. *Aetate* regulariter non alia, quam *virili*; aut iam plane *prouectiore*: maxime autem a prægreſſa reliqua iuuentute *alacriore*, & omnino *vegeta* atque bene *ſana*; niſi quod forte *ſanguinis excretoriæ* aliquæ vel *commotiones*, aut plane *eruptiones*, vel ad minimum tales *congeſtiones*, & ad easdem tendentes *ſpaſticæ contentiones*, forte perceptæ fuerint. Faciunt tamen vtique eodem etiam *arbitrariæ* ventilationes ſanguinis, præſertim *non immerito* ſuſceptæ, ſed omnino *plethoricæ* conſtitutioni præſenti ita ſatis recte adhibitæ: ſi tales in poſterum temere negligantur, *plenitudine* tamen *ſanitatis* reliqua interim continuante: *incitamentis* autem ante nominatis *patheticis* perennantibus, ne dum augeſcentibus. Eius ſubiecta.

§. VIII. Sicut autem *modus*, *motus* atque *locus* adficiendi variat; dum aliis magis a ſuperioribus *deorſum*, a *coxa*, inquam, *capite oſſis femoris*, imo *longitudine* femoris, ad *genu*, & deorſum ad ipſum *pedem* progreditur; aliis ab *infimo pede* orditur; iam ab ipſo *pollice* maiore, iam ab vltimo eius *articulo*, quem a denſiore atque firmiore textura, nodo veluti cuidam ſimili, Germani den Ballen appellant: afficit tamen vtique in omnibus *portionem* aliquam, ad *artum* hunc, qui ſub vno complexu, a ſummo femore ad apices digitorum vsque, *pedis* nomine notari ſolet. Locus afficiendi variat.

§. IX. Ita etiam *motus* ipſius adfectus eſt vtique perpetuo *moleſta ſenſatio*, ſiue *dolor* qualiscunque; apud alios tamen *acrior*, *vibratilis*; & *acute vellicatorius*, imo aliquando acutiſſime *interlancinans*: Motus huius affectus.

nans: tantus etiam aliquando, vt omnem *quietem* excutiat non ſolum, ſed etiam *eiulatus* imo *clamores* patientibus exprimat. Apud alios tamen, & inprimis nominatim *phlegmaticæ* magis conſtitutionis patientes, eſt prorſus *obtuſus*, & alia quidem effatu digna querimonia non æque notabilis; niſi quod *ſtuporem*, *grauitatem*, & *impotentiam* inſiſtendi; aut ſi hoc fiat, ſubtiliorem acutum ſenſum, tanquam *aciculæ*, aut ad minimum *ſetæ acutæ* plantas penetrarent, exprimens. Quanto *acrior* autem eſt ſenſus exquiſitioris, & nomine hoc digni *doloris*, eo minor communiter comparet alteratio vlla *externa*, ſiue *coloris*, ſiue *magnitudinis*, ſiue etiam ſenſibilis *caloris*. (Vbi recordor vidiſſe tales patientes, qui *genu* exquiſitiſſime dolens, intimo illo & ſubtiliſſimo ſenſu, extrinſecus etiam pugno percutere non vererentur, ſine vllo præiudicio interni illius ſenſus.)

Præludia paroxysmi podagrici.

§. X. Interim omnino maximopere notabis eſt illa circumſtantia, quam peculiariter, nempe in proprio maxime corpore, obſeruauit *Sydenham;* veriſſimam apud eos, qui paulo *amplioribus vaſis* ſanguiferis inſtructi ſunt: quod nempe prima veluti *præludia*, aut ad ſummum *initia podagriei* paroxyſmi *vaſorum* horum, per *tibiam*, conſpicuam *inflationem* oculis offerant. Cui omnino iungenda venit eodem tempore admodum ſenſibilis *grauatio* aliqualis, verius autem *tenſio* per ipſum femur deorſum: cum *adſpectu* etiam omnino muſculoſarum partium magis *compreſſo*, ſeu veluti denſato; *colore* etiam *pallidiore* & *calore* ad ſenſum *remiſſiore*.

Tumor in aliis œdematodes, in aliis eryſipelatodes,

§. XI. Qui valde *laxi* ſunt habitus, *phlegmatico-ſanguinei*, his, ſub *ſtupidis* illis magis & ſimplicius *grauatiuis* ſenſationibus, obtingit *inflatio* maior & vere *tumida* totius etiam *artus* ita affecti; non raro etiam vere *œdematodes*. Quibus autem media eſt huius *ſpongioſæ* conſtitutionis menſura, illis ſolet euenire huiusmodi *tumor*, quando iam ſenſibilioris *doloris* impetus non nihil *remittit*: imo ſolet potius ipſa hac *tumoris* eruptione *dolor* maxime *imminui*, imo remittere. Talis *poſterioris* generis *tumor* eſt familiarius *ſubruffus*, imo aliquando adeo ruber, vt *eryſipelaceum* affectum æmulari videatur. Vnde etiam nata eſt quibusdam, præter priſtinas opiniones, ſententia, quod *podagra* & *arthritis* ſint *inflammatorii* adfectus: confuſione non ſolum *arthriticorum* affectuum *ſpaſticorum* cum *rheumaticis* adhuc congeſtoriis, ſed etiam *calorum ſtagnatoriorum*, cum *æſtu ſtaſibus* ſuper inducendo vere *inflammatorio*, ſub *rheumatis* deſcriptione latius diſcreto.

§. XII.

§. XII. Cæterum *podagricis* etiam recrudeſcentibus inſultibus coniungi circumſtantias quasdam, quas vulgo pro *febrilibus* ſymptomatibus habent; imo vero *turbatæ* &, vt aiunt, *retropulſæ podagræ* vere *febrilia* talia incommoda *superuenire*, nemo quidem mirabitur, cu perſpecta fuerit indoles *apparatuum* febrilium *inſtrumentalium* vniuerſa, *ſpaſticis* ſtricturis *directiones* motuum *ſecretoriorum* & *excretoriorum* inſtruendo, vtique *mechanica* illa conſectaria *perfrigerationis* & *incaleſcentiæ* varie alternantis poſt ſe trahentium.

Febriles motus podagricis inſultibus ſuperuenientes,

§. XIII. Vnde quidem, ſi perite vere diſtinguantur *commotiones antecedentes* & *conſequentes*, directæ & indirectæ; facile vtique erit perſpicere, quicquid ſine his conſiderationibus non poteſt non diffi ile apparere. Omnino nempe facile imo veluti familiariter ſub illis *ſtricturis* inæqualibus *tonicis*, quibus in integris ita veluti *artubus* etiam diutius *tenentur* tales quædam *tractiones*, ſimul vero etiam omnino ſubtiliſſimæ quædam *vibratiuæ* tonicæ *motitationes* vigent, non poteſt fieri, quin huiusmodi *alternationes* vigent, non poteſt fieri, quin huiusmodi *alternationes* vagæ atque variæ motuum etiam *internorum*, & conſequenter *caloris*, ſubſequantur. Quibus rebus tanto plus fauet *altera* illa circumſtantia *inquietudinis* ſummæ, & conſequenter etiam *impatientiæ*, quæ huiusmodi affectus perpetuo acerbiores reddit, ipſa vtique anxie *palpitatoria* cordis atque ſanguinis agitatione. Vt adeo, niſi *conſecutiue*, vllam *intimiorem* participationem *febrilium* motuum in *podagræ* negotio ſupponere aut agnoſcere re vera irritum ſit. Minime omnium autem vtique negligenda eſt illa *podagræ* veluti *proprietas*, quod ab eius circa *exteriorem* ſui ſedem factis perturbationibus ingentes ataxiæ ſuſcitari ſoleant circa *interiora*.

ex diſtinctione commotionum antecedentium & conſequentium diiudicandi.

§. XIV. Non nego, quod huius rei etiam alibi a practicis fiat mentio, ne dum vt mihi hic aliquid imputare velim, niſi quod ſpecialiſſimarum hiſtoriarum conſcii ſatis vtique ſciant, quicquid ſciunt. Interim certiſſime longe familiarior eſt huius rei ſolidior obſeruatio inter reliquos homines, extra medicorum pomœria viuentes, quam in ipſis penetralibus huius ſynagogæ. Id quod profecto etiam tanquam ad oculum probare licet per alteram animaduerſionem, adhuc multis paraſangis a Medicorum conſideratione vſitata remotiorem, interim inter reliquos mortales veluti communiſſimam; nempe quod, qui *admodum iuniores* podagræ obnoxii fiunt, minus diu *ſuperuiuant*, aut certe *ſenium* fere nunquam attingant.

Podagra iunioribus ſuperueniens ſenectutem non promittit.

§. XV.

Nexus cauſſalis, cur præcoces podagrici non ſolum aliis affectibus expoſiti ſint, ſed etiam iisdem ad mortem deducantur, a practicis nondum annotatus eſt.

§. XV. Illud autem certe non erubeſco manifeſto profiteri, neſcire me, quisnam Practicorum ſcriptorum annotauerit, nedum vt rem conſideratu in his negotiis maxime dignam, imo penitiori nexui *cauſſali* ſeu oſtenſioni *conſpirationis* atque *connexionis* pathologicæ idoneam, monſtrauerit illam circumſtantiam, quibusnam maxime *modis*, *effectibus* aut *euentibus* tales veluti præcoces podagrici non ſolum magis deinde *expoſiti* viuant, ſed etiam ita penitus iisdem *obnoxii* ſint, vt illis omnino ad *mortem* deducantur. Iterum dico, e claſſicis doctoribus, quorum aucteritas vel poſſit ſolum adſpirare ad auſcultationem impetrandam, ne dum aſſenſum ipſum aſſecuta ſit, neminem mihi notum eſſe, qui hanc rem vel decenter ad animum reuocaſſe videri poſſit, (excepta vna circumſtantia, ſynchroniſmum intelligentibus facili) nedum vt illam *condigne* exſecutus ſit, & ad veram ſui *connexionem* adhibuerit.

Podagrici iuniores expoſiti ſunt pathematibus hypochondriacis & retroceſſionibus ad interiora.

§. XVI. Eſt autem hæc, quod hi, qui *iuniores* admodum podagram incurrunt, ante omnia (1) expoſiti ſint euidentiori eius *conſpirationi* cum pathematibus *hypochondriacis* admodum vehementibus: (2) etiam promti hinc obſeruentur ad *retroceſſionem* illam ab artubus ad *interiora*: (3) aut ad minimum magna *vehementia* non ſolum *ſpaſtica*, ſed plane *conuulſiua* circa corpus externum facilius exagitentur. (4) Vbi inprimis *introrſum* factæ illæ regurgitationes communius quidem *inflammationes* viſcerum: (5) paulo rarius, in peculiaribus magis diſpoſitionibus *phlegmatis* prædominantis, *hydropicos* adfectus: (6) vtrinque vero tanquam generice *obſtipationes* viſcerum: generaliſſime vero vt a *congeſtionibus* ad interiora vel *repentinis*, vel *pertinacibus*, vel vtroque, ſatis manifeſto præ ſeſe ferunt.

Multi etiam podagrici variis iſchiadicis, hæmorrhoidalibus, nephriticis & calculoſis pathematibus obnoxii ſunt.

§. XVII. His hactenus adhuc *hiſtoricis* conditionibus podagræ ſi iungamus hiſtorias aliquot minus quotidianas, poterit ex illis probabiliter etiam aliqua lux affulgere, ad faciliorem *ætiologiam* huius affectus. Eſt nempe etiam in vulgus non adeo ignotum, tanto magis autem prudente animaduerſione tanto vberius deprehendendum, quod multi *podagrici* vel fuerint, quin adhuc ſint obnoxii variis *hypochondriacis*, *lumbaribus*, *iſchiadicis*; vel plane manifeſtis & veluti confeſſis *hæmorrhoidalibus*, *nephriticis*, *calculoſis* pathematibus.

Hæmorrhoidales conatus ſuppreſſi vergunt ad iſchi-

§. XVIII. Paulo minus autem vulgo, & ipſorum etiam adeo Medicorum, perſpectum eſt, quod manifeſtiores *hæmorrhoidales conatus*, aut plane iam qualitercunque adſuefacti *exitus*, ſi poſthac

ſup-

ſupprimantur, ſanitate interim reliqua ſatis *vegeta* manente, (neque alias vere *συζυγοις eruptionibus*, aut ad minimum *congeſtionibus*, & alicubi *obſtipationibus* ſuccedentibus) per quam familiariter vergant ad *iſchiadicas*, *gonagricas* atque *podagricas* paſſiones.

adicas & podagricas paſſiones.

§. XIX. Tanto minus autem huius rei ſpecimen duplex, *hiſtorice* memorandum, e triuio ſcholæ medicæ dogmaticæ, ſeu potius didacticæ, petitum eſt, quod adhuc afferam, cum nihil ad illud conſpirans vsquam ab ipſius Magiſtris Claſſicis ſtabilitum meminerim. Vnum erit illud, quod a *Mouffeto Theatr. Inſect. lib. II. c. 41.* memoratur, quod *podagra ſublata* ſit per eductionem ſanguinis *menſtruam* e locis *hæmorrhoidalibus*, per applicationem *hirudinum*. (Cui obſeruationi commodiſſime iungi poſſunt plures allegationes, quas partim e variis auctoribus, inprimis autem e *Zacuto Luſitano*, allegaui, partim propriis obſeruationibus in eadem ſpecie auctius illuſtraui diſp. *de ſanguiſugis*.

Podagra ſublata per applicationem hirudinum.

§. XX. Alterum, quanquam in ſolidum vtique proprium mihi, nempe ſimpliciter vtique domeſticum eſt, tanto minus quidem ſcamnis ſcholæ medicæ debeo: interim omnino tanto maioris facio, dum proprie ipſum illud fuit, cuius conſideratione magis ſollicita totius vulgaris *pathologiæ* ornatus diſplicere mihi cœpit, *ſimplicioris* autem longe naturæ proceſſus, totus ordo atque conſpiratio, magis magisque mihi diluxit. Eſt vero illud ipſum, quod iam ſuperius, vbi de *iſchiadica paſſione* commemoraui: in quo nempe illud inprimis in rem præſentem memorabile eſt, quod *adſuefactio hæmorrhoidalis fluxus ſucceſſiue introducta* non ſolum *iſchiadicas* paſſiones, ſed veram omnino *podagram* cum gonagrico, *chiragricis* interſceniis vſitatis ita in ſolidum aboleuerit, vt non ſolum huius mali nulla vsquam ſucceſſio repullulauerit, ſed (quod profecto circa hoc negotium ſolertiam quantulacunque etiam vsquam eſſe poſſit, non poſſit non prouocare) etiam *ab omnibus aliis incommodis*, vsque ad ipſam propinquitatem LXXIX. ætatis anni, ſincere ſanus vixerit priſtinus ille patiens; niſi quod obrigeſcentiam quandam poplitum incurrerit LXXV. circiter anno, poſtquam a V. S. ad illud tempus per æquinoctia regulariter vſurpata, ſiniſtra chirurgia deterritus, poſtac abſtinuiſſet.)

Hæmorrhoides adſuefactæ podagram ſoluunt.

§. XXI. Hæc quidem obſeruatio, cum omnino viam mihi ſtrauiſſet ad aliter intuendum *podagræ*, *iſchiadicorum*, imo *arthriticorum* affectuum, & *hæmorrhoidalium inclinationum*, *propenſionum*, *co-*

Podagræ reciproca conſpiratio cum hæmorrhoidali-

bus & arthriticis conatibus.

natuum ſcenas: inueni vtique per hos 24. annos, imo certe amplius, curioſe inquirendo in *reciprocas conſpirationes arthritico podagrico-hæmorrhoorum* affectuum, non ſolum tantum *numerum*, ſed quod præcipuum eſt, tantam *conſtantiam* & vniuerſalem quaſi veritatem harum rerum, vt hinc merito occaſionem ſumſerim, longe diuerſum de his rebus conceptum formandi, quem *naturæ* conſentaneum eſſe *a priori & poſteriori* abunde expertus ſum. Vnde adhuc ſemel animum ad *hiſtoricam* etiam veritatem *conſpirationis* huiusmodi *hæmorrhoidalium*, *iſchiadicorum*, *nephriticorum*, *ſanguinei mictus* & *podagricorum* conſenſuum, & *reciprocarum* colluſionum aut *concurſuum*, omnino aduertere cohortor.

Reciprocatio arthritico-podagricorum pathematum cum hypochondriacis affectibus.

§. XXII. Neque tamen hoc ſolum, ſed ſupereſt vtique circumſtantia adhuc ad *hiſtoriam* ipſam pertinens, nullatenus poſtrema *dignitate* æque atque *ordine*; niſi quod hunc familiarius ita potius inuertat aut turbet, vt nulla habita ratione prioris aut poſterioris, vel quolibet tempore, ceu promiſcue, minus auſpicato ſucceſſu ſeſe exſerat. Eſt hæc Reciprocatio *arthritico-podagricorum* pathematum cum *hypochondriacis*, impetuoſis quantumcunque, affectibus: nempe, non ſimpliciter *ſpaſtico-tenſiuis*, ſed omnino grauiter *congeſtoriis* ſanguinis; & hoc ipſo *viſcerum inflammatoriis*, non magis *periculoſis*, quam ſubinde etiam *funeſtis*.

Ratio & nexus cauſſalis cur iuniores podagrici non ad ſenectutem perueniant.

§. XXIII. Ita enim eſt vtique ſummopere notandum illud, quod iam paulo ſuperius commendaui, quod *iuniores* præcipue, minus *tempeſtiua* tali ad ſuam ætatem *podagra* correpti, famoſam illam e vulgi obſeruatione *vitæ* ſuæ *breuitatem* atque *ſeneſcendi* rariorem ſpem præcipue in hac circumſtantia effectiue experiantur, vt eiusmodi *regurgitationibus ad interiora*, & inde coortis *febribus inflammatoriis*, vitæ iacturam incurrant. Quandoquidem qui a *podagra retrocedente* non tam ſimpliciter intereunt æque, quam etiam ſolum ægrotant, *iuniores* quidem, certiſſime vel *internis inflammatoriis*, vel manifeſtius *conuulſiuis* adfectibus ita laborant: ſicuti *ſeniores lenioribus hecticis* atque *atrophicis* huiusmodi pathematibus tandem abſumuntur.

Podagræ ſuccedentis, ſeu ſibi relictæ, & retropulſæ conſectaria.

§. XXIV. Vtrique vero etiam experiuntur *languidiora*, *hectico-aſcitica* pathemata, quando *retropulſio* illa minus *impetuoſe*, ſed *languide* potius facta eſt. Quale quid paſſim obſeruare licet ab hodiernis illis artificiis, interne & externe *ſtupefacientibus*, *repellentibus*, *martialibus* etiam atque *ſalibus volatilibus*. Vbi iterum iterumque moneo

POSTEROS, vt animum huc aduertant, quomodo *podagrici* quidem *ſibi relicti*, & patientius incommoda ſua tolerantes, familiariter ad ætatem perueniant omnino *prouectiorem*, & reliquo corpore *interne* ſatis *ſanæ* conſtitutionis compotes ſeſe oſtendant: quicunque vero artificiis, a *ventilationibus ſanguinis* alienis, tractati, a podagra *ſubleuati* aut *liberati* videntur, tum var iis aliis & inprimis *internis* talibus pathematibus longe grauius exerceantur; tum ſummam totius *vitæ breuem* experti; nominatis præcipue illis e *viſcerum abdominis malis* conſectariis & affectibus intereant. Vbi ſanior POSTERITAS diſpiciet, quid debeatur illis *artificibus*, qui hiſce rebus operam ſuam locant; & quid interſit inter *ſalutares naturæ*, & illam *perite* obſeruantis *artis* intentiones: aut ad ſummum *tolerabiliora incommoda*; aut *veram* etiam *artem* atque METHODVM, *naturæ intentionibus* reſpondentem; & contra illis quidem *reſiſtentem*, interim nihil melius, aut quoquo modo conuenienti us præſtantem.

§. XXV. Supereſt, vt tam vſitatiorem, *generaliorem*, quam etiam *ſpecialiorem* quendam, per indiuidua, *exitum* paroxyſmorum podagricorum attingam. Poſteaquam tamen primum omnium præmonuerim, quod hi affectus, *arthritici* inquam in genere & ſpecie, per *paroxyſmos* quosdam clientes ſuos inuadant: nempe *vernis* inprimis, vel *autumnalibus* temporum atque tempeſtatum mutationibus; tum etiam aliis quibuslibet inſignibus huiusmodi varietatibus, inprimis *frigido-humidis*, tanquam nominatim corpori minus tolerandis. Quamuis etiam errores in *diæta*, maxime omnium autem *animi pathemata*, non poſtremum in hoc genere locum ſibi vindicent; primo quidem ad *exaſperandos* iam præſentes paroxyſmos, ſenſim vero etiam ad eosdem omnino *prouocandos*, extra reliquum ordinem ſibi ſincerius relictæ vitalis œconomiæ.

Paroxyſmi podagricorum certis temporum mutationibus &c. inuadentes.

§. XXVI. Quando vero iam hi paroxyſmi debitam illam ſuam *procedendi & progrediendi* rationem ita ſeruant, ludunt ante omnia hactenus dictam ſcenam, vt 1) *tenſiuas* illas atque *grauatiuas* inquietudines in *artubus* illis primitus, vel in toto corporis *habitu* exſerant; 2) ſenſim autem, (niſi ab impetu quodam *pathetico* incitetur paroxyſmus) magis magisque ſenſibiliorem foueant in parte magis immediata *dolorem*: 3) qui vagas illas ſenſationes *volaticæ refrigeſcentiæ & incaleſcentiæ* per habitum corporis, *appetitus* imminutiones, perpetuam *inquietudinem*, ne dum *ſomni* perturbationes, *phantaſias*, *angores*,

Modus & ratio eorum procedendi & progrediendi.

res, *pauores* ſub qualicunque ſomno, varie tædioſos *languores*, *ſiticuloſitatem*, ſed fere cum vſitatorum potuum *faſtidio*, imo in ſenſibilioribus ægris multimodam *impatientiam* ſecum inferunt.

Eorum exitus.

§. XXVII. Hæc quando ita per notabile tempus, ad minimum propemodum 14. dierum, aut 3. 4. ſeptimanarum, ita durauerunt, ſi non æque ſimpliciter paribus & exquiſite *continuis*, tamen nihil in ſolidum & vere *intermittentibus doloribus*) imminu tur ſenſim illorum ferocia: ſimul autem augeſcit in membro affecto viſibilis *ſpaſtica ſtrictura* ſeu *compreſſio* muſculorum eius membri; vnde quidem partim *adſpectus* ita affecti membri quaſi plane *tabidus* oculis ſeſe offert; partim autem *flexiles* membri portiones, *digiti*, *manuum* non ſolum in *chiragra*, ſed etiam *pedum* affectorum, ita obrigeſcunt, vt in eo ſitu, ceu alias ſimplici *ſpaſmo* adfectæ partes, firmiter detineantur, nec vsquam inflecti, aut ex illa ſua ſtatione dimoueri poſſint. Quin, per huius etiam rei adhuc initia, ſi extenſio tanquam per vim tentetur, (aut per incogitantiam, pes ita affectus contra ſpondam fulciendo, temere arbitrarie tendatur, aut prematur,) recrudeſcat ita, tanquam in momento, leuiter diſſimulatus dolor, & non ſolum per horam vnam aut alteram, ſed vel per diem denuo ferociat. Senſim ſenſimque vero poſt octo vel amplius dierum ſpatium remittens etiam hic *vigor* exquiſitus, reſtituit patienti *ſucceſſiue* vſum partium illarum modeſtum atque temperatum: manente tamen propemodum diuturna *imbecilliate* ſeu *minore robore*.

Podagra miteſcit quandoque poſt voluntariam, ſed moderatam & repetendam commotionem illius partis.

§. XXVIII. Neque vero prætereundum h. l. eſt illud, quod *Sydenham* commode monet, quod *voluntaria* motus illarum partium, quæ paroxyſmo tentari incipiunt, ſuſceptio equidem ab illis partibus ſæpe veluti *depellat*, aut *diſtineat* ad minimum paroxyſmum; interim communiter pathemata circa *interiora*, qualia *retrocedenti podagræ* accedere ſolent, poſt ſe trahat. Eſt hoc vtique, inquam, apprime notandum; interim non diſſimulo, quod multum hic ſitum eſſe putem in *moderamine* tam *ſuſcipiendi* huius modi motus, quam inprimis decenter *repetendi*: cum omni modo huius prudentis *regiminis* iuſta obſeruatio in *hypochrondriacis* tam *congeſtionibus*, quam *compreſſionibus ſpaſticis*, mirum quantum energiæ ſibi vindicet, ad *inutile* imo *intolerabile*, aut contra recte *vtile* atque maxime *poſtremum* reddendum hoc ſubſidium.

§. XXIX.

§. XXIX. Quadrat autem huic loco certe eximie peculiaris illa obſeruatio, in vno pluribus ſubiectis annotata, *Hildani*, quomodo hominibus, podagræ alioquin vehementi obnoxiis, per aliud infortunium obiecta *tortura mechanica* e cauſſis criminalibus, liberos illos in poſterum præſtiterit a podagræ carnificina: ſicut etiam ipſius huius auctoris experimentum, *brachii arthritodea* talia pathemata per voluntariam exercitationem brachii interpellandi, imo tantisper ſupprimendi atque diſſoluendi, pluribus exemplis ita ratum deprehendi, vt nihil ipſi decedat, niſi admodum *prouida adminiſtratio* in re præſenti, maxime vero *fundamentalium* ſubſidiorum reliquorum tempeſtiuæ *ſubordinationes*, inprimis *præſeruatoriæ*. Tortura podagram curauit. Brachii exercitatio arthritodea pathemata ſoluit.

§. XXX. Cæterum huius etiam eiusdem vtique obſeruationis, quomodo *podagrico-arthritici* affectus *regurgitationem* veluti quandam ad *interiora* præ ſeſe ferant, vſum exhibebunt mox ſubiungendæ noſtræ ætiologiæ. Conſiſtit autem vtique ipſa etiam hæc noſtra horum affectuum *pathologia* omnino in *connexione* illa, quæ vniuerſam reliquam noſtram *pathologiam* tanquam præcipuum *fundamentum* conſtituit, *motuum*, *conatuum*, *directionum* atque *deſtinationum*, *ſanguinis ventilationi* per ſinceram euacuationem dicatarum. Et hoc quidem in præſente affectuum genere, etiam in generali huiusmodi *hæmorrhagiarum* apparatu; deinde vero *in ſpecie* etiam in *ſpecialioribus*, ſecundum diuerſa *loca* atque *regiones* corporis, *inclinationibus* imo *directionibus* huius intentionis. Podagræ ætiologia.

§. XXXI. Nempe, in *arthriticis* quidem *ſtrictiore* acceptione, & quatenus *podagræ* contradiſtinguuntur, habet vtique locum inclinatio huiusmodi adhuc ad *ſuperiora*. Quo ipſo maxime intuitu minime dubito, etiam *hemicraniam* inter *arthritodes* dolores numerare: (*abſtrahendo merito* a traditione illa vulgatæ pathologiæ, quaſi, quod aiunt, iurato, quod *arthritis* tanquam abſoluta neceſſitate ſimpliciter in *articulationibus* ſedem ſuam habeat; cum illis, qui rem diligentius perpendunt, & diſcretorum ægrorum expreſſiones ſolertius examinare cordi habent, ſatis perſpectum ſit, quod maior vere ratio habenda eſſe compareat partium potius vt *tendinoſarum* atque *ligamentoſarum*, quam ſimpliciter vt quoquo modo *articulatarum*.) Arthritis ſtricte ſumta inclinat ad ſuperiora.

§. XXXII. Ante omnia vero maxime quidem notatam velim iam ſupra etiam, vbi de *rheumatiſmo* verba feci, commendatam veram illam συζυγίαν, *conſpirationem*, imo *ſubordinationem*, *rheumatiſmi* & Arthritidis & rheumatiſmi conſpiratio & ſubordinatio.

& *arthriticorum* dolorum; quæ, cum etiam omnino *a priori* paſſim compareat, vt nempe, qui primo veriora ſigna *rheumatiſmi* exhibuerunt, illi poſthac *arthritici* euadant: ſiſtit ſe etiam omni modo a poſteriori, ipſorum *humidiorum* ſeu *ſucculentiorum podagricorum* exemplo, vtpote qui ipſam ſuam podagram iam *incipiunt* cum artuum affectorum *inflatione* atque *tumore*, iam ſolutionem ipſius ſui paroxyſmi, deſinendo ita in huiusmodi *tumores*, aſſequuntur; quod inprimis *ſanguineo-cholericis* magis obtingit. *Tumores* inquam, omni modo cum *influxu* atque *ſuffarctu* humorum coniunctos, eoque ipſo ambitum etiam non minimum complectentes. Quamlibet autem hi poſtremi omnino vtique magis directe ipſorum proprie *articulorum* ambitum complecti ſoleant; dum *rheumatiſmis* locus magis aſſignatur circa *medios* artus, verius autem circa *muſculorum* carnoſam partem, ſeu vulgo dictos *ventres* eorundem: non abludit tamen ab illa etiam circumſtantia alter ille vniuerſalior *tumor*, qui totam ita partis capacitatem omnino æqualiter occupare ſolet; *phlegmatico-ſanguineis* vſitatior.

Tumores podagricorum.

Ratio huius ſubordinationis.

§. XXXIII. Conſiſtit autem hæc *ſubordinationis* ratio in illis maxime tribus circumſtantiis, 1) quod *rheumatiſmo* ſincero atque ſimplici, præſertim in ſubiectis *poroſioribus*, humores vegetius, & eo ipſo tam *ſincerius* quam *copioſius* ad partes impellantur; 2) qui in *moderatione* aut *ſæpius*, citra vllum impetratum *exitum*, facto ſenſim ita *delicatiore* congeſtionis actu ex regimine, moderatius quidem, ſed nihilo propterea minus *pertinacius* adminiſtrato, *pauciorem* non ſolum, ſed plane etiam *tenuiorem*, & eo ipſo *acriorem* ſeroſam humorum partem ita imprimit: vnde non ſolum ſenſibiliores *ardores*, *pruriginoſos* & *acutos*, ſed etiam vel ex hoc capite propiorem occaſionem ad *ſpaſticos* in ipſis partibus reniſus ita ſuppeditat. Vbi nempe *tertio ſpaſticæ* hæ ipſæ micationes atque vibrationes propius iam deinde *arthriticorum* talium dolorum ſcenam inſtruunt.

Arthritici adfectus ſunt veri motus ſpaſtici.

§. XXXIV. Sunt autem *arthritici* adfectus *materialiter*, vti ſcholæ loquuntur, omnino vtique veri SPASTICI motus; non tamen æque ſimpliciſſima ſtatim ſui ſcena totos muſculorum plexus complectentes atque exercentes, ſed per *fibras* magis ſolum ipſas ſingularius occupati: quarum interim & fortior inde fit tractio, quam ſi in omnes muſculi fibras diſtribuatur illa motionis energia; & ab eadem conſequentia etiam exquiſitior tractionis huiusmodi *ſenſatio*, nempe vtique *dolorifica*.

§. XXXV.

§. XXXV. Hæc talis itaque *ſpaſtica contentio* in ambitu, licet diffuſiore, *locorum hæmorrhagicorum*, vel etiam *arbitraria emisſione* affectorum (inprimis *ſcarificatione*) ſuſcepta, atque diu & pertinaciter continuata, conſtituit vtique tanquam *materialem* rationem podagræ generaliſſimam. Quod autem ſolum ita per *fibrillas* potius, quam totos muſculorum *complexus* fiat, (tergiuerſando magis, nec ad ſummam totius ſcopi tanquam *directius* procedere audendo) ſpecialius iam eſt: *ſpecialiſſimam* vero & vere *formalem*, quam vocant, in hoc genere rationem habet intenſio horum motuum ita *ſubtilium* atque *pertinacium*, vſque ad exquiſitum *dolorem*; vt inquam exquiſitus *dolor*, a *ſpaſtica ſubtili tractione* atque *vibratione* oriundus, ſit vtique *formaliter* in *externo habitu* corporis illud, quod alibi *arthritidem* in genere, alibi *chiragram*, *gonagram*, *podagram* appellant; *iſchiadem* etiam, contra illorum opinionem, qui illam pro ſimpliciter *rheumatico* affectu habendam, & *arthriticis* pathematibus *contradiſtinguendam* contendunt. Podagrici apparatus.

§. XXXVI. Imo etiam *hemicraniam* & *odontalgiam*, quam aliqui quidem magis veluti rhetorice *dentium podagram* iam pridem appellarunt: ego vero, ipſa ratione exquiſitiſſima duce atque magiſtra, minime per vllum tropum *arthritodi* familiæ adſcribendam puto, ſed omnino cum illo conuenire interpretor. Quamuis enim etiam multi tales dolores non propter *hæmorrhoam* deſtinationem, ſed re vera ipſorum *dentium* impeditiorem *emerſionem* coorientur; id quod inprimis de illo *tempore* valet, quando vltimi *molares*, *gemini*, aut *ſapientiæ* vulgo dicti, excludi debent. Eſt tamen velut eſſent alis paritas, duplici vtique illo reſpectu; 1) quod etiam ita totus affectus, etiam ad *dentium* expulſionem tendens, vtique ſit *ſpaſticus*; 2) deinde etiam ex confeſſo tales *dentium* dolores, qui cum *excluſione* illa nihil vſquam amplius commercii habeant, omnino non *exſiſtant* ſolum, ſed etiam *violenter* & plane *ferociter* ſeſe gerant. Hemicrania & odontalgia ad arthritidis familiam adſcribuntur.

§. XXXVII. Sicut autem non abſolute per omnia indiuidua ſimpliciter par eſſe vel ſolet, vel vllo intuitu debet, vehementia: adeo, vt etiam quorundam *podagricorum* pathema in ſolo magis *ſtupore* atque *obtuſo* ad ſummum ſenſu ſubſiſtat, non niſi immodeſtiore artis vſu inſoleſcens: ita non video certe vllam rationem, quam ob rem *arthritodeæ* affectuum tribui non liceat accenſere illos, qui vulgo magis *rheumatibus*, vſitato etiam nomine inter ipſam vſque plebem, adſignati, Ratio cur affectus, qui vulgo rheumatibus adſignantur, arthriticis accenſeantur.

cerui-

ceruicem, *ſcapulas* & *humeros*, *dorſum*, *lumbos* atque *coxas* occupantes, atque ſæpe ſic ſatis diu vexantes, neque tamen rheumaticæ indolis, vllo *tumore* aut *inflatione* proportionata, adeoque conſequenter *infarctus* alicuius probabilitate, exſerunt documentum: nec etiam vllam cuiuscunque *materiæ ſecretionem* & *excretionem* per illa loca, exhibendo, veræ *humoralis continentis* cauſſæ vllum indicium de ſe præbent.

Podagræ & arthritidis cauſſas in neruorum irritatione vulgo collocant, occaſiones vero humorales pro rheumatiſmo habent.

§. XXXVIII. Dico *continentis* cauſſæ. Cum vtique præiudicium hoc iam pridem præoccupatos circa hanc ipſam materiam teneat omnes pathologos; dum *podagræ* atque *arthritidis* cauſſas, ſimpliciter in neſcio qua *neruorum* ſubtiliore *irritatione* collocantes; quicquid vsquam etiam *occaſionem* ſolum largius *humoralem* ſequi videtur, minime *arthriticum*, ſed ſimplicius *rheumaticum* habendum interpretantur. Iam cum huiusmodi vulgo dicti *catarrhales* aut *rheumatici* affectus, circa artus externos, alibi *initium* quaſi ſumant ab *humoralibus* quibusdam euacuationibus neglectis; alibi per tales in ſubſidium ſuſceptas *mitigentur*, *præoccupentur*, imo ita *compenſentur*, vt his ſubſidiariis atque vicariis recte inſtitutis & continuatis illæ etiam tantisper plane ceſſent: præbuit ſane hæc res ſpeculationi illud offendiculum, vt propterea omnia talia non niſi *humoralibus* eiusmodi cauſſis, & earum ſimplici *materiali* efficaciæ adſcribendo, *rheumatiſmi* potius nudi, quam *ſpaſmi contendentis* atque *connitentis* efficaciam ſubeſſe augurarentur: & hoc ipſo veros *fontes horum* affectuum, vna cum vera *conſpiratione* cauſſali *rheumaticis* & *arthritidis* amitterent, imo perderent.

Quilibet ſenſus & motus ſecundum vulgarem pathologiam ab humoribus producuntur.

§. XXXIX. Nempe vnice e fundamento illo, quod totam illorum pathologiam, quia deſtituit, etiam, ſit venia verbo, proſtituit, quod quoslibet *ſenſus* atque *motus* magis ſimpliciter ab *humoribus* produci arbitrentur; quam quicquam horum, & inprimis ipſorum *molitationum* PROPTER *humores* fieri agnoſcant: vtique *tonici* motus, eiusque vtilitatis, imo *neceſſitatis* ad debitum progreſſum humorum; *efficaciæ* vero exquiſitiſſimæ ad ſpeciales *reſtrictiones*, & particulares *directiones* eorundem, nedum *genealogiæ ſpaſtici motus a tonico*; omnium nunquam harum rerum incurii, ne dicam in illas etiam ad oculum demonſtratas paſſim iniurii.

Arthritidis formalis explicatio.

§. XL. Eſt itaque *arthritis*, tam generice quam ſpecifice ſumto vocabulo, *ſpaſticus* huiusmodi affectus; vbi *propter* ſanguinis, ad ſolita veluti ſpiracula *excretoria*, (quamuis e longiore ambitu, de-

ſtina-

ſtinatam magis, quam definitam & exactam) directionem, per *preſſorios* vtique *tonicos* moderatos impulſus adminiſtrandam, dum exitus non obſequitur, magis magisque *tentaminis* potius indirecti, quam directe *ordinati* molimin:s inſtar, & aſſumuntur, & inſtruuntur, & pertinaciter diutius ita continuantur *ſpaſticæ* eiusmodi leues & *inſtabiles contentiones*: interim minus minusque ad ſimplicem illam ſiue *ſucceſſum*, ſiue *exitum* exquiſita *proportione* ita exercentur; ſed potius ſucceſſiua nuda *adſuetudine* poſthac, oblata occaſione denuo receptæ, omnis *conſuetudinis* more, & *promtius* repetuntur, & *obſtinatius* adminiſtrantur.

§. XLI. Eſt enim hæc omnino circumſtantia huius affectus minime poſtrema, ſed quam cum omnibus ſub eodem genere, nempe *motuum efferatorum*, ſtantibus in genere communem habet; quod in *conſuetudinem* promtius faceſſat, eoque ipſo deinde nullas amplius *proportiones* ſequatur, quæ *materiarum*, aut *ſcopi* ſimpliciter ad illas directi, proportionibus magis velut abſolute quadrarent. Quod vti non verum magis, quam certum eſt, ita poſtulat omnino obſeruari, quandoquidem ex inaduertentia huius rei, tales deinde irritæ opiniones paſſim vtique profluunt, quæ animum ad inanes energias *directas materialium* cauſſarum deflectendo, non ſolum veritatem amittere inducunt, ſed *poſitiuo falſo* conceptui addicunt & ſubiiciunt.

Arthritis prom e in conſuetudinem tranſit, & deinde nullas proportiones ſequitur.

§. XLII. Quod autem *ſpecialiores* conditiones æque *arthriticorum* affectuum, ac earum *rationes* concernit, ſunt vtique harum etiam veluti generaliores, (1) diuerſitas ſecundum *ætates*: (2) diuerſitas ſecundum *vehementiam* atque *pertinaciam*: (3) *infrequentia*. De prima dictum iam eſt; nempe quod illa arthritis *ſpecialioris* acceptionis, quæ, & quatenus, *podagræ*, *gonagræ* & *chiragræ*, tanquam ſtrictiore ſenſu dictis atque ſumtis, cum podagra maxime conſentientibus, *contradiſtinguitur*, ſit affectus *iuniori* potius ætati familiarior, quam *prouectiori*: (niſi quid huic etiam ætati ab *externis* maxime occaſionibus ſubnaſcatur, *ſcarificationis*, aut V. Sum in brachiis, *fonticulorum*, *veſicatoriorum* familiarius vſurpatorum, intempeſtiuo neglectu; inprimis in *fœminino* ſexu, vbi *hemicraniæ*, iam annoſioribus oblatæ, talium rerum vſum aliquando ſuadent, a quibus autem in poſterum imprudenter neglectis, paſſim eiusmodi incommoda incumbunt.) Rationem huius rei licuerit certe ſimpliciſſimam intueri in inclinatione illa euacuationum ſanguinis, in his maxime *ætatibus* ad ſuperna loca,

Arthritidis ſpecialiores conditiones.

Arthritis, quatenus podagræ contradiſtinguitur, qua occaſione prouectioribus obtingat.

caput & pectus, ordinarie tendente: ſicut ex aduerſo *podagricorum*, *annoſioribus* demum euenientium, huiusmodi affectuum ratio ex inclinatione ad *hæmorrhoidales* euacuationes propius pendente, minus difficulter agnoſci poteſt.

Eſt autem certe hoc nomine iterum laudandus iam ſupra commendatus ille locus apud *Hippocratem*, ſine dubio ab antiquioribus ad ipſum delatus, quem lib. de Affect. ſub *coxendicum doloris* adumbratione profert, dicens, quod hic dolor dependeat a decubitu ſeroſo-biliosi, iuxta hodiernam formulam, humoris in VENAM HAEMORRHOON, quæ per crus excurrat. Vbi, licet ego profecto alieniſſimus ſim ab affectatione quantacunque palæologias, ſeu antiquis ex vno forte aliquo verbo, penitiſſimam prolixiſſimarum rerum & cognitionem & plane profeſſionem adſcribendi, (ſiquidem perſuaſiſſimus ſum, plus ſubinde opprobrii in illos redundare, quod huiusmodi rebus non decentius poſthac vſi eſſent; ſed ipſo potius contrario poſthac rerum ſuarum inſtituto ordine atque dogmate, quod alicubi ita profeſſi fingendi eſſent, turpiter iterum deſtituiſſent, imo diffeſſi eſſent &c) non poſſum tamen, quin hanc conſiderationem exinde deſumam, quod omnino probabiliter ipſi illi veteres, aut ipſe *Hippocrates*, facti ipſius, manifeſtioris inquam *conſpirationis* talis αἱμοῤῥόος negotii cum illo dolore a coxis ad femur ſeſe diffundentis notitiam habuerint; licet vlteriorem negotii huius deductionem minus commode exſecutus eſſe videatur. Quod quidem propemodum ordinarium eſt, & certe tam ab ipſo, quam promacho eius *Galeno*, ad vniuerſam poſteritatem transmiſſum, vt rem ipſam quidem, tanquam hiſtorice, ſatis bene expromant: ſimulatque vero ad rationes reddendas conuertuntur, longe aliam faciem obuertere ſentiantur. Placuit autem omnino hoc velut iudicium ex antiquitate non plane negligere.

Arthritis iuniorum non tam pertinax eſt vti podagra.

§. XLIII. Eſt autem etiam ſecundi illius phænomeni, nempe diuerſæ *vehementiæ* atque *pertinaciæ* ratio, haud multo maiori difficultati implexum. Omnino tamen vtique ſciendum, quid de illa re ipſa *verum* ſit, & de quonam ſubiecto ſermonem habeamus. Nempe verſatur hoc in eo, quod *arthritis*, circa *ſuperiores* corporis partes occupata, in iunioribus ſubiectis neque tam *ſæpe*, neque fere tam *obſtinate*, tamque *diu* in ſingulos paroxyſmos, patientes exagitet, vti *podagra*: quamlibet vulgo quidem vere confeſſæ *arthritidis dolor* ipſe haud minus *acris* eſt, quam ipſius *podagræ*. Deinde vero etiam, quod *arthritici* dolores iuniorum vix vnquam eandem pertinaciam ſeruent, vti podagra, ad conſtanter veluti *adſueſcendum*, ſed facilius propemodum, augeſcente ætate, vel penitus iterum *ceſſent*, vel ad *pedes* deſcendant: dum vtique *podagra* ex aduerſo longe communius ita *inſoleſcit*, vt vix quisquam ab illa in ſolidum iterum liberetur, quin magis

magis magiſque firmiter potius *adſueſcat:* aut *artificiis* alienioribus ſuppreſſa communiſſime in grauiſſimas illas alias pertinaces adfectuum ſpecies prolapſi patientes, ad inſignem vlterioris ætatis extenſionem minime perueniant. Vbi etiam generalis illa *maior pertinacia* in ſemel formatis propoſitis conſiſtenti magis, nedum ſeneſcenti ætati præ iuuentute magis propria, nullo certe iure hic ſimpliciter negligi poteſt.

§. XLIV. Minime vero rara occurrunt exempla *arthriticorum* talium iuniorum, qui ab *hæmorrhoidum* poſthac ſuperuenientium adſuetudine ab his doloribus liberantur.

Arthritis iuniorum ſoluta per ſucceſſum hæmorrhoidum.

E multis aliis placet huius rei exemplar allegare. Generoſus quidam iuuenis, illo tempore forte 25. annorum, habitu corporis ſanguineo-phlegmatico inſtructus, cæterum inſolita ingente diligentia atque aſſiduitate iurium ſtudio vacans, incidit in arthriticos dolores acerrimos, & vti per duos forte annos aliquoties reuertentes, ita toties quoties grauiſſime vtique patientem exercentes. Viuebat his annis Lipſiæ, & vtebatur conſilio & auxilio practici laudatiſſimi illorum temporum: ſed perſeuerabat malum vix ante tertiam ſeptimanam miteſcere, quoties inuadebat; aliquando vero etiam diutius contumaciam ſuam exercere impetu etiam tanto, vt tangi patienti intolerandum eſſet, neque niſi cum ipſis lodicibus e lecto tantiſper dimouere liceret, dum ille denuo ſterneretur. Erat autem dolor per totam longitudinem dorſi, ab ipſis etiam ſcapulis, imo humeris atque brachiis, vna grauiſſime dolentibus, ad infimas vſque coxendices, vibrationibus acutiſſimis immaniter ſæuiens. Tandem erumpebat fluxus hæmorrhoidalis ſanguinis. Ita liberabatur ab arthritide, vt plures poſthac annos ab hoc pathemate immunis viueret, interim hæmorrhoidum vix non ſimpliciter continuo fluxu, neque certe parco, affici iam totus adſuetus, quo tempore per ipſam occaſionem huiusmodi largæ excretionis ſanitatis ſuæ hanc conſtitutionem mihi ita prolixius commemorabat. Mutauerat autem eo ipſo tempore vitæ ſuæ rationem in eo, quod e Comitum quorundam officiis in Ducalem aulam euocatus, lautius, quam pro conſuetudine acceptus, vinoſiore etiam diæta vti non ſibi temperaret. Cum autem, neſcio vnde, eueniſſet, vt fluxus hic ſubſiſteret, correptus eſt citiſſime coxæ & femoris totius, imo cruris ad pedem vſque, primo ſtupidiore, pedetentim etiam ſenſibiliore affectione. Conſuluit hunc in finem Medicum, alias etiam ſibi atque familiæ ſuæ vſitatum, prædio vtique ſuo vicina in vrbe degentem. Quid actum ſit, equidem curioſius exquirere non placuit; factum autem hoc eſſe memorabat vtique ipſe patiens, vt loco hæmorrhoidum, mictu ſanguineo largo corriperetur: qui ſedatus quidem iterum eſt, ſed patiens incurrit tumores pedum ad ipſum vſque abdomen. Commodum autem euenit, vt negotia Principis ſui in Curia imperiali procurare neceſſe haberet; vnde Viennam profectus, partim medicationibus, partim Hungarici vini ſubſidio, quamuis aliquot demum menſium ſucceſſu, hæmorrhoidum fluxus beneficium iterum aſſecutus, ex hac parte commodius iterum habuit. Mortuus autem eſt poſtea e febre epidemica petechizante.

Vt autem etiam ſpecimen occaſionum, a quibus hæ tales cauſſæ *antecedentes* in actum deduci ſolent, exhibeam, addo alteram hiſtoriam.

Tam ætate, quam corporis habitu ante dicto illi arthritico geminus iuuenis generoſus, cum in comitatu Principis ſui epulis intereſſet, quibus hic a ciuitatis ſuæ Magiſtratu peculiari quadam ſolennitate accipiebatur, non inter epulas ſolum, ſed etiam poſt illas, per totam vsque noctem, vino, cum numeroſiore ſociorum nobilium cœtu, indulgere ſuſcipiebat. Senatorii vero illi promicondi iocum, prout erat, intelligentes, cum per ipſas epulas vinum miniſtraſſent puriſſimum, huic compotoriæ aſſiduitati conſulebant indigena ſuo vino, non debili quidem illo, aut acido; interim caput vtique acriter feriente διὰ τὸ λαβεῖν γύψον, vt ait Athenæus de *Zacynthio* & *Leucadio* vino, kalckichter Wein. Cum corpus, ſanguinem atque caput immodice oneraſſet noſter, ſobrie certe domi, ſi non parce, viuere doctus, & ad ſummum mane continuato potu, demum ſomno vacare vellet, ſuper lectum prolapſus, & veſtimentis etiam negligenter apertis ſub ſomno perfrigeratus, poſt tres circiter horas a ruſtico, quem famuli loco ſecum habebat, ſeruo tumultuoſe excitatur, cum vtique Principem excurſioni ſeſe præparare audiuiſſet, quem comitari nobiles conueniebat, eius autem rei præcedente veſpera nulla mentio facta fuerat. Perturbatus ita nobilis nuncio hoc, & ſomno vinoque adhuc nimium quam grauis, proripit ſe tamen ad ſatisfaciendum etiam huic ſuo officio: cum autem ante omnia ocreæ pedibus inducendæ eſſent, quas nouas e firmo illo indurati corii genere, etiam arctiores iuſto, habebat, vt alias ab ipſo corporis habitu ordinario, ita nunc etiam vino, turgidus, & exæſtuatione a ſomno, cum pedem in ocream plus quam dimidiam fortius intruſiſſet, corripitur ipſo illo momento dolore cruris ita acutiſſimo intolerabili, vt tangi amplius ocream, ferre minime poſſet. Dum autem conſultant, an vtique nullum eſſet ſubſidium, citra ſimplicem conſciſſionem in fruſta, illam a pede ſeparandi, & huic fini ſutorem demum vocant, aſſurgit interim doloris huius vehementia per totam longitudinem tibiæ atque femoris ad coxendicem: imo diffundit ſe hinc, ſubtracta etiam per conſciſſionem plenariam ocrea, in totum corpus; obſidet autem & exagitat patientem in tertiam vsque ſeptimanam, priusquam eousque ad ſe reuerteretur, vt ſenſim ſenſimque ſinceriusliberatus, auram iterum ferre adſueſceret, quo domum in prædia ſua ſe conferre liceret. Hic tamen auſcultans in poſterum tempeſtiuæ V. Sis. conſilio, nullo amplius inſultu tentatus eſt.

Podagræ pertinacia præ arthritide.

§. XLV. Ita quidem abſoluitur omnino etiam hæc diuerſitas *pertinaciæ conſtantis podagræ* præ *arthritide* ſtrictius; nempe eo, quod in ipſis arthriticis, vt *iunioribus*, in quibus etiam ipſæ actuales ſanguineæ excretiones *vnum eundemque locum* conſtanter & immutabiliter ſeruare non ſoleant, ſed a ſuperioribus ſenſim profundius deorſum deuolui: nec etiam ipſa *indolis* in genere eadem ſit pertinacia in iunioribus, quanta in ſenioribus. Pariter, vti iuuenilis etiam indoles

leuio-

leuiores occaſiones ſuſcipiendi ipſos motus tales promtius arripiens, tanto iuſtius etiam poſthac minus tenacem eorundem ſeſe gerit, quam annoſior: nempe ſicuti non niſi *conſultius* laborem quemcunque decernens, ita etiam *conſtantius* deinde eidem ad optatum exitum perducendo incumbens.

§. XLVI. Maxime vero conſideratu digna vtique eſt tertia illa ſupra a nobis notata ratio INFREQVENTIAE. Nempe, cum certiſſimum vtique ſit, quod tam *arthritis*, quam ipſa maxime *podagra*, affectus ſint oppido ſatis rari; vſitatæ vero illæ *cauſſæ*, quæ pro horum affectuum tanquam *fundamentis* allegantur, ita certe ſint comparatæ, vt non ſolum in homines quam plurimos cadant, qui tamen *podagrici* non fiunt, neque ſincere *arthritici* quoque ſolum; nec etiam apud ipſos illos, qui his affectibus obnoxii fiunt, æque conſtanter deprehendatur *proportionatus* eiusmodi exceſſus præ aliis, etiam nullam plane noxam inde ſent entibus: meretur certe tanto magis expendi, quid e diſpari conſideratione rationis affulgere poſſit, pro hoc offendiculo tam manifeſto decenter vtique remouendo.

Arthritidis & podagræ infrequentia.

§. XLVII. Huic fini nullum aptius puto eſſe remedium, vti videlicet nullum etiam verius, niſi illud, vt animus aduertatur ad veram illam *genealogiam*, adeoque mutuam etiam *conſpirationem*, aut quaſi *dependentiam*, diuerſorum affectuum eidem fundamento inſiſtentium. Sicut enim vulgo ſatis verum eſt illud philoſophicum, quod *vnius rei plures poſſint eſſe fines*; ita accipitur etiam omni iure, ſatis omnino recte atque commode, etiam de *exitu* atque *euentu* vario vnius eiusdemque rei.

Hæc infrequentia ex genealogia diuerſorum affectuum eiusdem fundamenti aptius diiudicatur.

§. XLVIII. Secundum hunc reſpectum ſi *infrequentia* illa etiam ipſius *arthritidis* atque *podagræ* ita prudenter atque perite expenditur, vt notetur, quam variis *modis*, *motibus* atque *locis*, nullo *imaginario* ſed quotidianæ experientiæ quam maxime reſpondente progreſſu, ab iisdem illis *materialibus* & *occaſionalibus* cauſſis, *ſpecie* quidem differentes ſed *genere* vtique conuenientes, præterea autem, quod palmarium eſt, etiam inter ſe *conſpirantes*, &, datis iuſtis occaſionibus, vere *tranſitiui*, tales affectus ſubnaſcantur, qui *ſimul ſumti* ab illa *ſingulorum infrequentia* multo longius iam, imo longiſſime, abeant: poteſt certe res vniuerſa cum ipſa veritate longe propius conciliari, & veritas *ætiologica* euidentius eluceſcere.

Multi quidem affectus inter ſe conſpirantes ſubnaſcuntur ab iisdem cauſſis materialibus, qui ſimul ſumti ſinguli infrequentes ſunt.

Arthritidis & podagræ συζυγία cum excretionibus ſanguineis.

§. XLIX. Ita enim certe ſi res conſideretur, vt abſolute decet, non difficile erit intelligere, quomodo non tam multi quidem *arthritide* proprie, aut *podagra*, afficiantur; bene autem interim συζύγοις illis affectibus, ad *excretiones ſanguineas* pertinentibus atque reſpicientibus. Ita enim demum magis vera deprehendetur partim illa *experientia*, quod *generalioribus* eiusmodi *cauſſis* ſubiacentes, earumque vſu conſpicui, ſi non ſimpliciter & abſolute VNVM aliquem SOLVM EVNDEM effectum & affectum, tamen *e pluribus* vnum re vera experiantur atque tolerent: tum etiam, qualis deinde ſit *conuenientia* inter tales; imo non ſolum conuenientia, ſed vera etiam *conſpiratio*, imo vero vera atque realis *permutatio*, atque *tranſitus* omnino *mutuus*, vnius in alterum *reciprocus*.

Duplex ſpecimen huius rei: 1) podagræ & arthritidis retroceſſio; 2) affectuum ſpaſticorum internorum expulſio in partes exteriores.

§. L. Cuius quidem rei vix vllum vel poſtulari poſſet ſpecimen luculentius, nempe *ſimplicius*, quam *duplex* illud, non dicam notius, certiſſime tamen non minus ignotum ipſi quoque plebi, quam Medicorum choro. Nempe *primo podagræ* & *arthritidis* facilis retroceſſio ab *exterioribus ad intima* corporis, nominatim autem *venæ portæ* ambitum: *ſecundo*, affectuum circa intimiora occupatorum *tonico ſpaſticorum conſenſualis* eiusmodi velut *eliſio* aut expulſio in *ambitum* corporis; de quo nempe vulgus hominum certe non raro ſecundum ipſam veritatem quiritatur, die Kranckheit ſeye ihnen in die Glieder geſchlagen, ja in die Glieder getrieben: *apoſtaſibus* nempe iam *ſegnioribus*, ſuccedentibus inde *rheumaticis*, tandem autem obſtinatioribus *arthriticis* doloribus; aliquando autem etiam præſentiſſimis non tam *ſpaſticis*, quam *conuulſiuis* acerrimis contentionibus.

Arthritidis & podagræ hæreditariæ & conſuetudinalis conſpiratio cum euacuationibus ſanguinis.

§. LI. Supereſt vt verbum adiiciam de illa conſideratione partim *hæreditariæ* impreſſionis; partim *adſcititiæ* CONSVETVDINIS; partim *inordinati* & inconſiderati reliqui *regiminis*, tam circa *arthriticorum*, quam in ſpecie *podagricorum* pathematum *conſpirationem* cum *euacuationibus* tam *hæmorrhoidalibus* ſpontaneis, quam *artificialibus* eiusmodi ventilationibus. Nempe, quod exquiſitior harum rerum conſideratio non magis laudanda ſit, quam penitus inculcanda, quaſi generatim admonent inprimis exempla etiam talium, qui cum peritiores eſſe poſſent, prudentiores autem certe eſſe deberent, neutrum cordi habentes, etiam optimarum rerum vſum non ſolum amittunt, ſed etiam peruertunt.

§. LII.

§. LII. Si detur patiens, qui *hæmorrhoides fluentes* habeat, & quidem iuſtis imo plane regularibus progreſſibus, & tamen *podagræ* etiam obnoxius ſit; ſequitur, quod *hæmorrhoides* non ſint *abſolutum* remedium *podagræ*. Certe. Et ego parum, quam alius quisquam, diſſentio, qui non ſolum multa huius rei exempla ſcio, & inter illa etiam notiſſimum mihi & aliis, ſi animum aduertere cordi eſſet, in Illuſtri viro, qui quamlibet a triginta & quod excurrit annis hæmorrhoidalibus euacuationibus, minime *parcis*, aut quod effatu dignum ſit *impeditioribus*, *adſuetus*, tamen propterea non *abſolute liber* eſt ab omnibus *podagricis* inſultibus. Niſi quod etiam notum ſatis ſit *duplex* circa hoc exemplum phænomenon; *primo*, quod incommoda illa podagrica quam maxime ſenſerit, quando ſolitus ille *liber* progreſſus huius non recte procederet; *ſecundo*, quod etiam tota indoles huius *podagræ* tum in genere multo *lenior* ſit, tum in ſpecie *habitui* Viri inſuper conueniens, totus *indolentior*, ſed *ſtupidus* ſolum magis, *fremebundus*, ad ſummum *grauatiuus*, (cum illo ſenſu, qualis obtingere ſolet in illo affectu quem Germani noſtri Einſchlaffen eines Gliedes appellant) ſed & ſimul regulari huius indolis more cum *intumeſcentia* coniunctus, neque mediocri quidem, ſed omnino *notabili*: vnde etiam propemodum impoſuit curioſioribus, vt pro tam ſimplici re minime agnoſcentes, ſed neſcio quid ſpeculantes, (cum etiam *vnum* ſolum pedem, licet non ſemper *eundem*, nec etiam ſimpliciter *vnum*, ſed ſolum *ſenſibilius*, neque *ſemel* tantum, ſed iam *toties* affecerit) medicationes etiam ſuſceperint, quas podagræ non quiuis certe alius dicaret; ſed in caſſum.

Exemplum viri illuſtris podagrici & ſimul hæmorrhoidarii.

§. LIII. Ita etiam notiſſimum eſt exemplum *typographi*, non ita pridem demortui, qui cum (ab hæreditate) ita *podagricus* eſſet, vt etiam per annos multos nunquam veram plenam *intermiſſionem* perſentiſceret: tamen non ſolum *hæmorrhoidum* etiam fluxum ſenſit, ſed etiam a pari tempore, a quo podagræ obnoxius fieri cœpit, & *vtraque* hæc incommoda ita *iugiter* vel per triginta annos tolerauit.

Aliud exemplum typographi podagrici & hæmorrhoidarii.

§. LIV. Vbi vero etiam ego nunquam oblitus ſum, quoties prolixiorem ſermonem de his rebus inſtituere tulit occaſio, ſedulo hoc monere, quod *podagricis etiam hæmorrhoidum concurſus non inſoliti* ſint. Nempe ingente omnino pretio dignum eſſet, ſi emi poſ-

Podagricis hæmorrhoidum concurſus non eſt inſolitus.

ſet,

ſet, tum alias ſanam rationem in poteſtate habere, tum maxime circa negotium *modi & methodi operandi* remediorum. Profecto enim non *medicum* eſt, ſed *ruſticum*, vel ſimpliciter *nulla* credere remedia; vel ſola talia, quæ tanquam penicilius aut ſpongia lineam, ita illa morbum *ſimplici tractu extergant & exſtinguant*. Sed maiore profecto opus eſt *prudentia*, *peritia*, *dexteritate*, & ingenua etiam *ſollicitudine* atque *ſolertia*, tam ad *intelligendum*, quam *inueniendum* & *inſtruendum* tales res, quæ *ordine*, *tempore*, *proportione*, *ſucceſſibus*, *reſpectibus*, quantæ quantæ ſunt, nitantur. Ita enim vnice & diſcitur, & ſolide etiam docetur, quid iuuet atque proſit; quid *non iuuet*, & *nihil proſit*, vtique mirifice facilius eſt & ſcitu & dictu: ſufficiunt enim duæ illæ circumſtantiæ, vt neque agatur recte & ordine, neque intelligatur: imo vnum, ne quidquam recte fiat.

Ex mutuis harum rerum reſpectibus & recte inſtitutis conſiderationibus agnoſci tandem poterit, quo modo & quando hæmorhoidum fluxus podagræ proficuus ſit.

§. LV. Cæterum in applicatione harum rerum operoſius occupari, & identidem inculcare, quid vel ſub *prudente moderamine vtile*, vel ſub *confuſo neglectu irritum*: quid *hæmorrhoidum* fluxus podagræ *ſuperueniens*, non *efferæ*, non iam toti *adſuetæ*, non varie *perturbatæ*, *Medicos* nondum expertæ, *opium* nondum aſpernanti &c. conducat: aut contra, *podagra hæmorrhoidibus* ſimiliter ſub, imo vel ab eiusmodi machaoniis artificiis *accedens*: *hæreditaria*: peſſimis corporis & animi *intemperantiis* furioſa &c.: quid, inquam, *boni* aut *mali* talia partim ferant, partim vehant; hæc, inquam, talia iterum iterumque inculcare, non ſolum tempus atque locus non patitur, ſed certe nec ipſe etiam animus. Dixi quantum ſatis eſt, ad harum rerum *mutuos veros reſpectus* ſatis luculenter exhibendos. Illis, qui exercitatam habent ſanæ rationis promtitudinem, non erit difficile, præſertim ſi cætera huius *pathologiæ* huc vsque dicta ſatis perceperint, comparando imo vero certe intelligendo, recte elicere verum huius rei habitum. Tunc demum promtum erit agnoſcere non ſolum quid e recte ita inſtitutis rerum harum verarum conſiderationibus veriori atque luculentiori conceptui quadrare poſſit, circa *ſimplicem* harum rerum indolem; ſed etiam, quid de eiusmodi *anomaliis* apparentibus, ſed a vera prorſus intima indole, vt varie *complicata*, vt varie *perturbata*, vt diutius *adſueſacta*, manifeſtius dependentibus iudicandum ſit aut ſuſpicandum: quod tamen vtique adhibita

ta diligentiore contemplatione minime difficulter cum ipſarum rerum veritate tanquam ad amuſſim conciliari dehinc poſſit.

§. LVI. Dicendum adhuc eſt aliquid de peculiaribus quibusdam, ſed tamen *accidentalibus*, & proinde non ſolum *indiuidualibus* tantum, ſed omnino etiam *rarioribus* huiusmodi obſeruatu circumſtantiis, & tanquam *accidentibus* podagræ. Sunt horum maxime duo: *nodi tophacei* circa articulos, & *contracturæ* membrorum. *Nodos* illos ſi debita cum attentione inſpicere contingat, oriuntur quidem circum *iuncturas*, ſed & emicant ſæpenumero ita *repente*, & *reſoluuntur* etiam ita *promte*, vt ſimpliciter ab *influxu* quorumcunque tandem humorum prognati minime videri poſſint; ſed longe veriſimilius vel a ſimplici *tendinoſo-ligamentoſarum* partium *denſatione* atque *criſpatura*, aut ad ſummum his ipſis deinde ſuperueniente vlterius huiusmodi detentione ſpiſſeſcentium *glutinoſarum* lymphæ partium, quales circa *ligamentoſa* loca etiam vulnerata, & *doloribus* ſimul aut *irritationibus* affecta, euenire & profluere notum eſt, ſub vulgato nomine *ſynouiæ*. Podagræ accidentia & rariores circumſtantiæ. Nodi tophacei vnde.

§. LVII. Vbi vtique iterum, qui compotes ſunt conſiderandi atque diſtinguendi, habebunt, quod conſiderent in disquirenda veluti *dependentia* mutua, an videlicet, quod quidam κατὰ πόδα volunt, totus ita affectus, *tota* inquam *podagra*, *gonagra*, *chiragra*, imo *arthritis*, hinc *a ſynouia* pendere videri debeant; quia *aliquibus*, & *aliquando* tandem, talia ita euenire ſolent, quæ (etiam *fortaſſis* & *opinabiliter*) huic humori qualcunque iure imputari poſſe videantur: an vero potius illud quam maxime probabilius ſit, quod vere *accidentali* nuda quadam *ſuperueniendi* ratione obtingat. Num tota podagra a ſynouia pendeat.

§. LVIII. Eſt enim vtique illud de hac etiam re plane memoriter tenendum, quod cum ipſa podagra ſatis *infrequens* ſit affectus, hæc eius conſtitutio, tam valde *nodoſa* in genere, quam ad *tophaceam* vsque duritiem inſoleſcens in ſpecie, ſit vtique etiam in hac raritate adhuc rarum quiddam, quod vix *decimo* cuique podagrico eveniat; vix autem certe *vigeſimo* cuiquam prius, quam ſtricturæ acres *ſpaſticæ* contradictoriæ præceſſerint imo vel diutius *perſtiterint*, quibus demum *ſuperueniat* illa nodoſitas; & quidem re vera familiariter etiam longe magis *exigua*, quam vt *proportionem* habere poſſit ad ita ſuppoſitam rationem *directam* agendi aut fiendi. Conſtitutio nodoſa vix decimo cuique podagrico euenit, neque prius quam poſt ſtricturas ſpaſticas contradictorias.

In tumoribus podagricis nodoſitates non obſeruantur, quæ autem poſt acres dolores, in ſpecie vero poſt animi pathematum concurſum & membrorum agitationem eueniunt.

§. LIX. Ne dum quid deinde dici poſſet de illorum podagricorum phænomenis, qui cum *latam* & æqualem *diffuſionem tumidam* incurrunt, & quidem eſſentialiter vtique totis ſuis paroxyſmis, tamen huiusmodi *nodoſitates* vel nunquam incurrunt. Proniores autem ad illas ſunt illi vtique, qui *acres* dolores perſentſcunt; ita tamen, vt omnino etiam ipſorum talium non ſolum *pauciores*, atque ita vere rarius, hæc ipſa quoque incommoda experiantur, ſed inprimis etiam qualiscunque illa ipſorum eiusmodi correptio *nodoſa* neque ad hanc circumſtantiam *vehementiæ dolorum* vllam veriſimilem rationem habeat, ſed omnino etiam his tanquam ſimpliciter *per accidens* magis eueniat: maximopere tamen 1.) per *animi pathematum, iracundiæ* aut *erroris*, inſignem concurſum; 2.) per membrorum intempeſtiuam *fortiorem* ad vſum aliquem aut *niſum* applicationem.

Dolor poſt ſynouiæ fluxum non ſequitur, contra fluxus ſynouiæ poſt acres dolores obſeruatur.

§. LX. Præterea vero iuuabit neceſſario ſolidiorem conſiderationem illius circumſtantiæ conſideratio, quæ in *ſynouiæ* fluxu maxime ſeſe prodit; dum videlicet *dolor* ſynouiæ fluxum nequaquam tam vllo modo *ſequi* obſeruatur: quam plane contra, *ſynouiæ* veræ fluxus *acres* partium talium *dolores* inſequuntur. Imo ne quidem perpetuo & abſolute *omnes* atque *ſemper*.

Nodus repente enatus per ſpir. vin. camph. iterum diſcuſſus.

§. LXI. Ceterum quod factum ipſum attinet, vidi repente & vix *quadrantis horæ* ſpatio enatum huiusmodi *nodum*, non in *iunctura*, neque tam *iuxta* ipſam, ſed ſimpliciter in ipſo *medio olecrano*, *nucis iuglandis dimidiæ* mediocris magnitudine & propemodum figura; qui tamen *ſpiritus vini camphorati* optimi ſæpius repetito litu intra *ſex* forte *horarum* ſpatium totus iterum euanuit: ſicut etiam tum in fiendo, tum iam factus, imo quam diu etiam durabat, propemodum ſine omni *ſenſu* fuerat.

Nodi per multos dies durati iterum euaneſcentes.

§. LXII. Notum vero etiam alias eſſe poteſt attendentibus, quod *nodi* tales etiam ſæpenumero ad bene *multos dies* durantes, tamen ſenſim iterum ſponte ſubſideant & *euaneſcant*; quod de *tophaceæ* materiæ ad tantam *duritiem* ſpiſſæ coaceruatæ indole nemo facile conceperit. Sicut etiam vix quisquam *nodos* tales *cito*, ſine *artificiis* adhibitis, *ſponte ruptos* materiam talem *mox* ſuppeditare obſeruabit: ſed vel per *annos*, etiam vix leuibus *augmentis* & *ſatis*, extra reliquos podagricos *paroxyſmos*, *quietos* ſeſe gerere deprehendi poteſt, &c. E quibus videlicet omnibus circumſtantiis nequaquam veriſimile

le fiat, quod vel *materia*, vel plane *efformatio* huius *nodoſitatis directam* aliquam eſſentialem *energiam* circa podagram poſſideat.

§. LXIII. CONTRACTVRARVM autem *arthritico-podagricarum* genius poſtulat non minorem diſcretionem a *directa* ſui *conſpiratione* cum ſtricta *podagrica* indole. Equidem familiariſſimum eſt cuiuscunque tandem *texturæ*, in ſpecie tamen *gracilioris* paulo *choleriodis*, patientibus, vt non ſolum ſub ipſis ſuis *doloribus* variam experiantur impotentiam partes *flectendi*, obſtante nempe vero aliquo rigore; ſed inprimis efficacem ſentiant hanc tam *tractionem*, quam eiusdem *rigorem*, ſub *finem* exquiſitiorum dolorum; vbi ſæpenumero certe etiam ad complures dies ita perſiſtit, priusquam ſenſim iterum libertatem aliquam adſciſcat. Sunt etiam præterea podagrici, inprimis quando *frequentius* inſultibus ſuis exagitantur, ad *promtas* tales, ſed etiam *tranſitorias*, partium præcipue affectarum & cum illis coniugatarum ſpaſticas tenſiones *ſubrigidas* ſatis proni. Interim veriores *contracturas*, *ſtabiles* & *exquiſitas*, nulli *podagricorum*, quantum ego adhuc vel viderim vel perquirendo perceperim, incurrunt, qui a perpetuo promtioribus grauibus *animi pathematibus*, *diæta* intemperantius *vinoſa*, aut nimia etiam *deſidia*, aut inconditis *artificiis*, & inprimis *alienius medicatorum balneorum* abuſu, alieniores manent.

Arthridico-podagricarum contractura-rum conſideratio.

§. LXIV. Cæterum quando *contracturarum* complicatio cum *tophaceis*, imo vel ſimplicioribus adhuc ſtabilibus tamen *nodis* conſpirat; tunc minus vtique impedita eſſe poteſt eius *ætiologia*: quando nempe etiam manifeſta ante oculos ſunt indicia vel ſimplicioris *abbreuiationis* tendinum a *criſpatione* fibrarum; vel *infarctus* ſimul cuiuscunque materiæ, *abbreuiationem* huiusmodi etiam *ſufficientis*.

Contracturarum complicatio cum nodis tophaceis.

Quod autem etiam ipſa *contractura* ſatis ſæpe nudis eiusmodi ſpaſticis tendinoſarum partium *rigidis* tenſionibus innitatur, viſum mihi eſt confirmare exemplum *ſenis* cuiusdam, a pluribus annis ferociſſima podagra diuexati, &, ſub vitæ quoque ratione minus prouida aut temperante, tandem *contracturis* correpti. Quas cum iam per aliquot annos toleraſſet, per vſum *ſpiritus formicarum* inprimis eo vsque iterum ab illis liberatus eſt, vt vtique circa parietes atque ſcamna connitendo atque fulciendo, *ſeptuagenario* maior, per *quatuor*, & quod excedit, annos moderatam motus poteſtatem iterum conſecutus ſit.

God. Kirchii remedium in podagra.

§. LXV. Placet autem, pro concluſione huius tractationis & confirmatione huc vsque dictorum, adhuc memorare traditionem quandam, quam celeberrimus ille Aſtronomus Societatis Regiæ Boruſſicæ, *Godofridus Kirch*, calendariis ad annum 1691. 92. 93. conſignatis, repetitis vicibus, nempe vt ad publicam notitiam perueniret, ſuffixit, tanquam expertæ fidei conſilium, quod vir aliquis optimus in ſuo corpore probatum expertus aliis ita affectis communicare hac ratione voluerit. Conſiſtit autem in eo, vt patiens talis iubeatur in ipſa *hora nouilunii ſcarificationem* pedis inſtituere; & quantum in *aqua calida*, *ſine cucurbitularum ſuctione*, ſed lignei tamen quaſi cultelli *preſſione* concurrente, obſequatur, ſanguinis emittere. A quo remedio cum autor huius diuulgationis egregium leuamen ſeſe expertum eſſe publice aſſeueret; neque res ipſa a reliqua hiſtoria mihi notæ huiusmodi conſtitutionis abludat: iudicaui allegationem eius hoc ipſo loco non incommodam neque a priori neque a poſteriori futuram. Sed puto ſufficere hæc poſſe etiam de his *ſpaſticis doloribus*; quapropter ad *defectus motuum* adhuc ſpecialius contemplandos facio progreſſum.

MEMBRVM V.

DE

DEFECTIBVS MOTVVM.

§. I.

In motuum ætiologia attendendi ſunt reſpectus quos habent ad organicos ſeu finales vſus & rationes.

NOn ero etiam in hac materia prolixior, ſed ſequar omnino perpetuam illam meam ſententiam, quod de MOTIBVS in corpore fientibus præter ſolos illos RESPECTVS, quos habent ad *organicos* ſeu *finales vſus* atque *rationes*, omnis de illis reliqua *ætiologia inanis* ſit: & quicquid de *ſpirituum inordinato motu* vulgo memoratur, non ſolum *in genere* ab omni *conceptu* alienum exſiſtat, ſed inſuper etiam in eo ſteriliſſimum, quod cum mirifica *raritate* eueniendi æque atque

cum

cum omnium reliquarum circumſtantiarum, quando maxime eueniunt tales effectus, *ratione* atque *proportione* abſolute nihil conſentiat.

§. II. Eſſet quidem longe latior campus hanc maxime rem κατ' ἀντίθεσιν confirmandi, quam abſonæ ſint illæ vſitatæ næniæ a vero habitu talium adfectuum, quando vtique eueniunt: ſed abſit, vt huiusmodi tricis extricandis tempus, imo vel ipſam chartam prodigam. Sufficiet certe illud inprimis notare, quod etiam propemodum maxime neceſſarium apparet; eſt autem ante omnia ſumma illa præcipuorum *defectiuorum* motuum INFREQVENTIA: dum re vera mirifice *rara* eſt *vera* PARALYSIS & vix e *decem mille* hominibus, imo verius *centies mille*, vni eueniens.

Infrequentia motuum defectiuorum.

§. III. Præterea fere nusquam ſequatur eminentes adeoque tanto magis veriores *cauſſas* tales, quæcunque alias *obſtructioni* illi *neruorum* & intercipiendo *influxui ſpirituum* non debebant magis, quam re vera etiam ſolent a ſpeculatoribus adſignari. Quotusquisque enim *paralyticus* incurrit mali ſui *initia* vere ab *eximio hiberno frigore?* cum interim omnes reliqui homines vtique *tot* vitæ ſuæ *hyemes* non ſolum ſub variis, ſed omnino mirifice maioribus tam *gradibus*, quam *alternationibus* ſumme incommodis *frigoris* ſalui exigunt. Cum qua ſimilitudine ſi etiam conferantur omnes atque ſingulæ reliquæ imputationes, quæ huiusmodi patientibus ſemel ita infelicibus imponuntur. nemo certe ruſticus aut de plebe poſtrema tam ſtupidus fuerit, quin facile dignoſcat, longe aliud quid ſubeſſe debere, quamobrem *talibus* tantopere, nempe plane vtique *ſummopere* nocere debuerint *talia*, quæ toti *innumero* reliquo cœtui hominum nihil quidquam, nedum ita ſummum damnum intuliſſe arguantur.

Paralyſis longe aliis innititur cauſſis, quam quæ vulgo ipſi adſignantur.

§. IV. Et habet ſane hic locum lepida illa conſideratio *Gideonis Harvæi*, qua (in *The Conclave of aſſociated Medicins*) *pathologiam* Practicorum *vſitatam proceſſui inquiſitorio criminali* comparat; vbi quæcunque tandem prægreſſæ cauſſæ (tot *millenaris* aliorum hominum *innoxiæ*) ab ægro tali ipſo, quando ſemel male habere cœpit, pro ſummis *criminibus* agnoſcendæ, & quod iisdem grauiſſimam morborum *pœnam* imo ipſam *mortem* promeritus confitendum ſit.

Haruæi ſatyrica conſideratio pathologiæ vſitatæ.

Applicatio ad peruerſam explicationem paralyſeos.

§. V. Quadrat autem profecto hæc res exquiſitiſſime in tales affectus, quales ſunt ipſi *paralytodes*, imo *paralyſis*, ita longe rariſſimos, vt e *tot millibus* hominum aliquando *vni* eueniant. Certe enim quando iam talis audit, quod hæc, illa, iſta *cauſſa* in culpa fuerit, quam ob rem in hoc infortunium inciderit; ſi reminiſcatur, quam *familiares* omnium earundem rerum ſint vſus imo vero *abuſus* omnibus reliquis hominibus, idque tanquam in ſui *defenſionem* Medico tanquam vaticinando *αἰτιολογουμένῳ* obiicit pro ſui exculpatione, quod his rebus tam grauem culpam in ſe admiſiſſe, & tanquam pœnam promeruiſſe ſibi non videatur: cogitur mox longe maiorem ſpecialiſſimam accuſationem audire, quod ipſe vtique ſpecialiſſime ita malus ſit, iam *intemperantia* varia, iam *mollitie*, *pigritie* atque *deſidia*, iam ſingulari *abſoluta debilitate torpore*, & totius ſuæ *indolis inertia* merito in hæc damna inciderit. Et licet vtique nihil horum omnium ita grauiter impingi poſſit patienti, quin fere perpetuam habeat exceptionem *inæqualitatis iuris*; dum videlicet *innumera* paſſim exempla inueniat, in quibus omnia atque ſingula, quæ ipſi ita *grauiſſime* imputantur, notorie in longe proteruiore *abuſu* habeantur; imo vbi paſſim etiam illæ ſibi imputatæ vndecunque tandem contractæ *imbecillitates* atque *debilitates virium* quarumlibet etiam manifeſtiſſimæ ſint, & tamen nullus *huiusmodi effectus* peſſimus ſequatur: quando tamen ſemel vtique damnum ipſum incurrerunt, piget propemodum ipſos circa *ætiologiarum* impeditiores *difficultates* prolixe argutari atque diſceptare.

Paralyſeos generalior conſideratio & conſpiratio cum affectibus ſpaſticis.

§. VI. Interim quando *συζυγία*, mutuus inquam *habitus* & mutui *reſpectus* adfectuum *motoriorum*, communiſſime quidem magis *exceſſu* peccantium, *ſpaſticis* iam *congeſtionibus* humorum, vulgo dictis *rheumaticis*; iam *agitationibus fibrarum*, *doloribus arthriticis*; iam *tenſionibus* conſtantioribus, verum *torporem*, *grauitatem*, motus liberi *impotentiam*, *ſtuporem*, præ ſe ferentibus; & quomodo hæc quidem huiusmodi incommoda etiam in *contracturas*, *rigores* conſtantes, *ſtupores* perennes, *atrophias*, & *ariduras*, imo aliquando etiam veram *paralyſin* procedant; & ſic etiam vti ſunt, *paralyſeos* indoli propius accedant, &c. conſiderantur: poteſt ita certe ex huiusmodi conſiderationibus, iam non ſolum ipſi veritati ſimilior conceptus inde formari *ætiologicus*, ſed habetur etiam inde tanto propior

aditus

aditus ad *reſpectiuas* conſiderationes *therapeuticas*, inprimis *præſeruatorias*; cum vtique *curatoriæ* in rerum veritate immenſum quantum difficiliores imo *ſteriliores* obſeruentur.

Memini profecto memori plane mente exempli huiusmodi, quod tan quam manifeſtis ſucceſſibus a neglectu talis præſeruatoriæ exonerationis emergebat. Vir phlegmatico-ſanguineus, 46. forte annorum, vino non quidem ad exquiſitam ebrioſitatem ſed certe tamen licentius indulgens, & ebrietatis primis ludis, alacritatem ſenſuum obfuſcantibus, familiarius obnoxius, cum iam a quatuor vel amplius annis de grauitatis atque torporis ſenſibilis veluti paroxyſmis quibusdam per æquinoctia & ſolſtitia muſſitantibus, eumque in finem, quamlibet ipſe quereretur, Medici tamen amico conſilio auſcultaret, V Se ſubleuationem aliquam quærendi, (a qua etiam toties quoties commode leuabatur prorſus ad ſenſum;) cum tandem circa æquinoctium autumnale, prægreſſa æſtate feruidiore, reliqua illa ſua viuendi ratione liberius vſus, tanquam inſolentius ſe exſerentem ſentiret grauitatem illam, & tamen tam monitis quam propriæ recordationi ſecurius, aut verius negligentius, defectum ſatis commodi temporis & qualiscunque otii opponeret, adeoque V. Sem. diu extraheret, euenit, vt aliquando in media platea inter ambulandum pes ſiniſter ipſi ita deficeret, vt vix a caſu ſe ſuſtentaret, omnino vero languide prorſus & famulo comitanti ex parte innixus domicilium ſuum attingeret: vbi ſedenti, magis magisque augeſcebat pedis torpor. Conſternatus grauiſſime, & ad alia potius vulgo dilaudata pharmaceutica auxilia reſpectans, diſtulit V. Sem: quam cum tamen alius Medicus etiam accitus ipſe quoque laudaret, adminiſtrata illa eſt in pede ſano; (ſicut etiam alias iam in brachio, iam in pede emiſerat ſanguinem). Sequebatur autem nocte illa etiam brachii eiusdem lateris ægri, & longe quidem verior, nempe penitior paralyſis, cum ipſius etiam linguæ balbutiente impotentia. Et hæc quidem remanebant ita firmiter; dum pedis impotentia adeo tolerabilis eſſet, vt baculo in poſterum vtens, ſatis commode ambularet, famulo non niſi animi maioris ſecuritatis ergo ſolum præſente, non autem vsquam ducente, ne dum fulciente: niſi quod per vices aliquanto maior ſentiretur ipſa talis impotentia, quæ tamen iterum etiam ad tolerantiam dictam miteſcebat. Tolerabat huiusmodi conſtitutionem per tres propemodum anni quadrantes; quibus demum prætergreſſis, cum inprimis memoriæ, & magis magisque ipſius iudicii acies valde hebeſcens, etiam minus idoneum redderet ad prodeundum in publicum, deſide ita porro tota vitæ ratione, increbeſcente vero torpore, tandem perpetuo decumbens, incidebat vltimo in lentam quandam febrem, quæ illum ſenſim conſumendo e viuis eximebat.

§. VII. Placet vnicam adhuc in hoc genere obſeruationem allegare, occaſione modo nominatæ illius debilitationis *linguæ & memoriæ a paralyſi*. Quotquot mihi adhuc contigit videre, qui *paralyti-*

Linguæ & memoriæ debilitatio a paralyſi

lyticam linguæ debilitationem incurrerant, experti illi ſunt omnes ſucceſſiuam *memoriæ* debilitationem; quoad vix ſui ipſorum ſatis amplius memores, tanquam *puerili* quadam inſipientia, mentis ipſius impotes magis magisque deficerent. E quibus quidem qui *iuniores* erant, etiam diu ſuperſtites, vitam tamen trahebant miſeram: quos autem *annoſiores* corripuerat talis affectio, illis deficiebat maturius tota *vitalis* energia, vt intra annum forte, recrudeſcente fortiore *paralyſi* aut potius *paraplexia*, morerentur.

Ita iuuenis 30. annos prætergreſſus, cum *plethoricus* admodum, neque de cætero æque infirmæ valetudinis eſſet, *ſanguineo-melancholicæ* indolis, cum in otio & admodum vinoſa diæta diutius degeret, & rarius forte exquiſite ſobrius cubitum iret; euigilans aliquando mane, cum famulis aliqua imperaret, non intelligebatur: imo vix iterum interrogatus ſatis intelligi poterat. Tribuebant hi hoc ipſum crapulæ nondum ſolutæ; cum autem perennaret, & inſuper manifeſta alia ſpecimina mentis ſibi minus conſtantis emicarent, imo ad plures dies eadem conſtitutio perſiſteret, agnoſcebatur facile alia rerum facies. Adhibebantur multa atque varia, dum affectus pro melancholia hypochondriaca declarabatur: maxime poſtquam magis magisque ſtupidus, taciturnus, inquietus tamen interim & ſuſpirioſus euadebat patiens. Cum etiam meum conſilium peteretur, & vidiſſem ſemel iterumque patientem, affatim coloratum, & pro breuiore ſua ſtatura ſatis bono habitu conſpicuum, nihil etiam æque alieni ſiue dicentem ſiue agentem, niſi quod taciturnus, & niſi repetitis quæſtionibus excitaretur, inaduertens, mox etiam faſtidioſus, & multarum quæſtionum impatiens eſſet, ſimul autem inſignem illam loquelæ difficultatem & balbutiem exhiberet: prædixi ego non tam hypochondriacam hanc eſſe delirii ſpeciem, quam paralytodem memoriæ & iudicii defectum. Vnde etiam medicamentis, qualia etiam a peculiari experientia laudabantur, parum fidei adhibere poteram, quoniam melancholiam huiusmodi non eſſe ſatis certum habebam. Confirmauit autem etiam hanc meam ſententiam omni modo ipſe euentus; dum ille quidem cum balbutie illa ſua etiam inſipientiam eandem firmiter retinuit &c.

Iterum autem dico, & pro meo virili ingenue fateor, nihil circa hanc materiam effatu magis dignum dici poſſe, mihi pro certo penitus haberi.

Apoplexiæ differentia ſpecialior.

§. VIII. Quemadmodum autem hæc ita omnino ſe habent circa *paralyſin*, eiusque tam *infrequentiam* quam reliquas circumſtantias: ita parum hinc abit etiam ipſa APOPLEXIA; nempe repentina omnis *motus* ſumma *impeditio* aut prorſus *abolitio*, illic cum præſentiſſimo

tiſſimo & fere certiſſimo *periculo* ſubſecuturæ mortis, hic cum ipſo eiusdem *euentu*. Vſitatiſſima fere circumſtantia non plane ſimul & ſemel *mortiferæ apoplexiæ* eſt *duplex* illa: primo, *vaſorum circa tempora inflatio*, & *rubor* al qualis *genarum*; ſecundo, *ſtertor* e pectore ſeu *ſibilus* qualiscunque, tanquam ab *infarctu* aliquo, aut certe reſiſtente libero progreſſui *anhelitus*, *mucido* aliquo obſtaculo.

§. IX. Cæterum perit in paulo *fortiore* malo mox vniuerſa *mouendi* energia; in *leuiore* autem manet adhuc aliquando aliquamdiu *mediocris* mouendi potentia, quæ tamen etiam ipſa fere mature penitus euaneſcit. Apoplexia fortior energiam mouendi aufert.

Vir 46. annorum, lautioris, & inprimis a pluribus menſibus vinoſioris diætæ, inter iram & metum varie & ſæpe iactatus, habitus etiam corporis cholerico-melancholici, & ſanguinis miſſionibus adſuerus quidem, iisque ſatis iam frequenter vſus, ſed tamen nullo ordine, aut tempore opportuno; cum in perplexum negotium rationum adminiſtrationis ſuæ pecuniariæ reddendarum deuolutus eſſet, & magis magisque ſollicitudine æque atque domeſticis aliis turbis varie agitaretur, tandem, æſtiuo iam tempore, cum per ipſum prandium cum vxore ſua graui contentione coorta vehementer excanduiſſet, interim autem nihil quidem eſculenti aſſumſiſſet, bene vero dimidiam menſuram vini ſatis cito ebibiſſet, proripit inde ſe a menſa, & in hortum, plus trecentos paſſus ab vrbe diſtantem, tanta feſtinatione excurrit, vt etiam inde notabiliter exagitatum eſſe probabiliſſimum eſſet. Imo vero peius ipſi hinc fuiſſe, videbatur etiam illud confirmare, quod ante horti oſtium iterum ſe domum verſus conuertens non minore feſtinatione remenſus ſit hanc ipſam viam, quam antea in exeundo vſus fuerat. Cum autem hypocauſtum ſeu conclaue ſuum vſitatum, in quo vxorem reliquerat, intus peſſulo occluſum inueniret, fecit quidem peculiaribus quibusdam ſumme anxiis verborum atque geſtuum expreſſionibus ſuſpicionem, quod de vxoris aliquo magno periculo metueret; vnde etiam cum illa magnis eius obteſtationibus nihil auſcultaret, ille vero tanto magis arte aut vi aperiendum oſtium anxie contendens & efflagitans omnia ſummæ conſternationis indicia per horæ quadrantem exhibuiſſet, tandem aperiente muliere ipſa ingreditur quidem, ſed iam ſui parum compos: ſicut etiam poſt pauca vix intelligenda verba in ſellam magis lapſus quam reſidens mox articulatæ vocis vſum amiſit. Vocantur Medici vnus poſt alterum; præſcribit primus ſtatim vomitum, cui mox iungitur V. S. non parca: interim ante oculos ipſos eſt, quod ſiniſtri totius lateris impos omnino ſit patiens, ſicut etiam apertis prolixe oculis velle quidem contueri adhærebat, ſed & non poſſe ſatis euidens erat. Cum autem magis magisque etiam reliquo latere, cuius tam brachium quam pedem primo adhuc motitabat, flacceſcere notaretur, (quod intra horæ circiter ſpatium euidentiſſime fiebat;) ſupra lectum deportatus amiſſo voluntario motu reliqui corporis imo vniverſo,

verſo, maxillarum inprimis, tum etiam aliquas adhuc oculorum conuulſiones inſignes expertus, poſt tertiam horam exſpirauit. Extuberabant autem oculi, & apparebat tota facies inflata: circa veſperam autem erumpebat cum impetu e naribus & per infundibulum ex ore copioſus ſanguis; quod etiam continuabat per totum ſequentem diem, licet minus minusque, donec ſepeliretur.

Hemiplexiæ differentia ab apoplexia.

§. X. Quamuis autem *hemiplexia* omnino non iniuſte diſtinguatur ab *apoplexia*; dum aliquando in nudam affecti lateris ſtabilem *paralyſin* obfirmata, interim ipſius *vitæ periculum* ad aliquot menſes, imo vel *annum* aut alterum differt: fit tamen re vera etiam ſatis familiariter, vt vera *hemiplexia*, quæ nempe ita totum dimidium latus afficit, vt etiam *capitis* medietatem pariter ita debilitet, nequaquam in nudam *paralyſin* transeat, ſed longe certius in *apoplexiam* plenariam veluti ſe diffundat.

Apoplexiæ differentia generalior, eiusque applicatio.

§. XI. Conſtituitur vulgo differentia inter *ſanguineam* & *ſeroſam*, ſeu antiquorum *pituitoſam*, *apoplexiam*. Neque vero etiam contradicendo contendere vsquam in animo eſt; interim reſpicio ſolum ad illa, quæ iam ſupra de *catarrho ſuffocatiuo* & *ſpaſticis affectibus*, eorumque effectibus *congeſtoriis*, monui & annotaui. Sicut etiam illa, que de *rheumatiſmo* & indole *ſeroſæ ſeceſſionis* a ſanguineis *congeſtionibus* indicata ſunt, huc eodem omni modo pertinent. Illud certum eſt, quod præcipua phænomena *præcurrentia* apoplexiam ſint talia, quæ etiam aliis, imo omnino confeſſis *ſanguineis congeſtionibus* verſus caput ſimpliciter eodem modo familiares ſunt & omnino vſitatæ. Ita enim ante omnia veluti familiariſſima harum eſt vtique ipſa *vertigo*, etiam cum *aurium* paſſim *ſonitu*, aut ad minimum *ſuſurris* variis atque *murmuribus*: inprimis *repentinis*. Neque minus *oculorum ſplendores* tranſitorii, contra vero etiam *tenebrarum* intercedentium, & *repentinæ obfuſcationis* viſus frequentiores ſenſationes.

Apoplexia cui ætati propria.

§. XII. Habet autem vtique hoc adhuc longe magis peculiare *apoplexia*, etiam *vtraque*, quod minime promiſcue cuilibet, ſed certæ penitus AETATI ita vtique propria ſit, vt huius intuitu non immerito dici poſſit ab aliis *ætatibus* vere abeſſe, aut longius certe, imo longiſſime diſtare. Ita enim in ſolidum certe abeſt a *puerili* & *adoleſcente* ætate; imo, ſi rem recte eloqui placeat, re vera etiam ab ipſa *iuuentute*: ita, vt verior *ætas* huc inclinans non ſit, niſi vere iam *con-*

ſiſtens

ſiſtens ipſa *virilis*, & hinc ipſa iam *ſenio* appropinquans; quin actu *ſenilis*.

§. XIII. *Sanguinea* interim verior apoplexia non inuadit, niſi in *viridi*, vt loquuntur, atque *vegeta ſenecta* vtique conſtitutos, aut ipſos adhuc *viros*; nempe ad 45. ad 50, ætatis annum, magis quam vsquam *iuniores* vllos: nec vero etiam æque pariter quoslibet *ſeniores*. Interim nihilo magis etiam ita dicta *ſeroſa* apoplexia inuadit ſimpliciter cuiusuis generis patientes, quantumlibet etiam de reliquo & *ætate*, & *ſeroſa* diſpoſitione &, vt vulgo loquuntur, *catarrhali*, imo *catarrhoſa* ſeu *catarrhis obnoxia* conſpicuos. Niſi quidem ipſos veriores *ſuffocatiuos* catarrhos huc trahere vna placeat, quod tamen minus conuenire conſtanter exiſtimo: niſi quod pares vtique tandem euentus hinc pullulare iam alibi, & quidem, vbi proprie de *catarrho ſuffocatiuo*, monuerim; quantumcunque etiam *ſigna* ſint veluti implicata atque perplexa.

Subiecta apoplexiæ ſanguineæ; ſeroſæ.

Differentia apoplexiæ a catarrho ſuffocatiuo.

§. XIV. Præter hæc omnia vero eſt vtique ipſe etiam affectus hic *apoplexiæ* inſuper re vera ſatis RARVS; eo vsque, vt *vera* certe apoplexia minime *milleſimus* quisque hominum emoriatur; dum interim multi cuiuslibet, imo omnino etiam *prouectioris* ætatis *ſenes*, longe familiarius *febrilibus*, iam *inflammatoriis viſcerum* abdominis, iam *hecticis* & *atrophicis*, iam *œdematoſis* affectibus exſtinguuntur. Imo etiam illi ipſi, qui varia huiusmodi pathemata experiuntur, qualia vulgo *apoplexiæ* præludere reputantur, emoriuntur quam frequentiſſime modo dictis illis longe diuerſis eiusmodi pathematibus; citra vllum veræ eiusmodi *properæ* exſtinctionis non ſolum euentum, ſed ipſam vsque ſimilitudinem: nempe potius *actiuioribus* illis *tonicis* commotionibus *febrilibus*, quam *defectibus* huiusmodi.

Apoplexiæ infrequentia.

§. XV. Quamuis autem etiam ex *hiſtoria antecedentium* cauſſarum aliqua ad aliqualem conceptum conſpirantia aut manuducentia agnoſci poſſint: ſunt tamen vtique adhuc ita ſatis velut obſcura, quam vt ad luculentiorem quamcunque collectionem minime ſatis idonea haberi poſſint. Sunt autem re ipſa 1.) *ſolitæ* alioquin *euacuationes ventilatoriæ*, ſiue *ſpontaneæ*, inprimis *hæmorrhoidales*, aut *ſpontaneorum ſudorum* recurrentium, aut *ſudorum pedum* ſeorſim largiorum, poſthac emanentium: 2.) aut *fortuitorum* quidem, aut *artificialium*, interim tamen corpus quoquo modo ventilantium, *fonticulorum*, *vlce-*

Eius cauſſæ.

rum manantium in cruribus aut pedibus, *V. Sis* aut *ſcarificationis*, aut *ſudorum* a *vitæ genere* antehac mobiliore per ſubſequentem neglectum ceſſationes. 3.) Nedum magis adhuc præcipites atque *repentinæ*, debitæ *conſpirationis* atque *tranſpirationis imminutiones*, per repentinam *frigoris* admiſſionem circa ſummum caput: 4.) aut penitus iam *congeſtarum* catarrhalium *ſtagnationum* per has eaſdem occaſiones citata, ad ***interiora*** capitis repreſſoria coaceruatio.

Apoplexia oritur etiam ab iracundia, anxietate & ebrietate.

§. XVI. Sicut autem iam ante in ipſa *hiſtoria* caſum talem indicauimus, vbi ab *iracundia* atque ſumma *anxietate* formidoloſa, *apoplecticus* talis euentus initium traxiſſe obſeruatus eſt: ita faciunt huc etiam aliæ *repentinæ* magis materiales, partim *ſanguinis* exagitationes, partim ad caput *congeſtiones* eiuſdem; cum ſuccedentibus præſertim huiusmodi *occaſionibus*, quæ liberum progreſſum ipſi denegent, ſed potius ad ***intimiora*** eundem conſtringant. Vnde quidem huiusmodi exempla inter reliqua *apoplexiæ* ſpecimina nequaquam poſtremum locum ſibi vindicant, vbi ab ***ebrietate*** enormi primo quidem ***aphonia***, mox etiam *apoplexia* ſubſecuta eſt.

Ita memini certe huiusmodi caſus, vbi vir literatus, cum officiis eiusmodi admotus eſſet, quæ ipſum ad conuerſationem aulicam inuitarent, eique ſe accommodare quam maxime geſtiret, cum ſemel aliquanto intemperantius reſpondere propinantibus auderet, & mox comitatum hoſpitum proſequi ſuſtineret, frigida admodum aura, in carpento etiam aperto, ipſe leuiter veſtitus, & inter 50. & 60. annos non amplius medius, obnubilante etiam ipſa aura libera, vt a vino ſolet, mentem penitius: cum a ſodali ſuo primum pro ebrio, mox autem, cum rigidior appareret, & ſtatim flaccidior, pro ſemiſopito reputaretur: dum hic manum admouet ad tenendum eundem, & modeſte excitandum, iam totus apoplecticus deprehenditur: ſicut etiam retro, vnde exierat, reuectus, ſine vllo ad ſe redeundi effectu poſt paruum tempus penitus exſtinctus eſt.

Imo vero ſunt etiam paſſim nota huiusmodi exempla, vbi tum ***immaniter ebrii*** etiam ſtatim *apoplectici* interierunt; tum *ebrioſi* ad enormem gradum tandem ***hemiplectici*** aut ***apoplectici*** mortui ſunt.

Apoplexiæ ætiologia.

§. XVII. Non placet neque circa hoc etiam negotium prolixis ſpeculationibus indulgere, aut vllo modo etiam iis ſolum fauere. Nihil enim certe etiam in hoc genere ſeſe offert, quod vllam bonam ſpem admittat melioris, veri atque realis *conceptus*. Illud, quod de hac materia conſideratu ſit proprie dignum, eſt maxime hoc, quod

Cauſſæ antecedentes & occaſionales.

antecedentes & ***occaſionales cauſſæ***, quæcunque ad ***apoplexiam*** quoquo modo

modo conſpirare comparent, ſint illi *communes* cum *catarrhalibus* fortioribus, *cardialgico-vertiginoſis*, *ſpaſtico-aſthmaticis*, *ſuffocatiuis* affectibus: & quidem inprimis in eodem genere quoque *ſubiectorum*, nempe *ſenili ætate*.

§. XVIII. Ad quas omnes atque ſingulas res quid conferant *congeſtoriæ contentiones*, ſiue, vt vulgo aiunt, *decubitus*, *defluxiones*, *regurgitationes*, *reſtagnationes*, & ad has ducentes *occaſiones* prægreſſarum *adſuetudinum*, iubeo omnino animum curatius aduertere. Quemadmodum etiam tanquam *a poſteriori* huc certe facit tum *ſeroſiorum apoplecticorum* tandem comparens *ſpuma ante os*; tum *ſanguineorum* poſt mortem adhuc citius atque certius ſubſequens *eruptio* ſanguinis e naribus & infundibulo: ſicut etiam ipſarum *iugularium* venarum in talibus *inflatio* peculiarem talem *reſtrictionem* verſus & circa ſuperiora indicare videtur, minime certe ſimpliciter tribuendam *refluxui* per venas ad cor, & *diſtributioni* liberæ in pulmones denegatæ, cum talis opinio mox turbetur a reciproca æſtimatione *prouentus* huiusmodi ſanguinis ex *arteriis* in *venas*, interim omnino *aduentus* huius in ipſas *arterias* vtique e *venis*: ſub qua *compenſatione* vtique *tanta* regurgitatio non haberet locum in *venis*, nedum nominatim maxime his *cephalicis*; cum vtique quod vno loco in *venas* per *arterias* infundendum eſt, altero loco e *venis* in *arterias* recipitur.

Contentiones congeſtoriæ & conſuetudo.

Spuma ante os.

Eruptio ſanguinis e naribus

venarum iugularium inflatio.

§. XIX. *Aetiologia* itaque, quæcunque tandem pro *apoplexia* veriorem aliquem conceptum, & cum ipſis rebus conſpirantem ſuppeditare poſſit, eſt, ita quidem eminus *generice*, & quod aiunt *materialiter*, regurgitatio ſeu *congeſtio* humorum ab aliis corporis regionibus verſus & circa *caput*; imo etiam aliquando *reſtagnatio* eiusdem in his locis ab *externis* occaſionibus, repentinæ *mutationis*, *frigoris* aut *caloris*, *inebriaminum*, *violentarum* concuſſionum &c.

Cauſſa generalis.

§. XX. *Formalem* autem magis *ſpecificam* atque *proximam* cauſſam pono vtique in eiusmodi præſentanea congeſtoriæ talis ad caput compulſionis quacunque *prouocatione*: ſiue *tacita* illa ſit, *meteorica*, imo ſecundum aliquos *aſtrologica*, *extrinſecus*; ſiue *intrinſecus*, tacitis periodis ad *excluſiones* aliquas humorales tendens, contraria vero via, ſed fere tanto *ferocius*, ad caput *directa*; ſiue *patheticis* repentinis & acribus *intentionibus* contentioſa, ſimul tamen propemodum cum proxime dictis *humoralibus complicata*. Quibus nempe ſingulis modis

Cauſſa formalis & ſpecifica.

dis atque methodis *generalior* illa diſpoſitio *antecedens* non ſolum *ſpecialiter*, ſed etiam *velociter*, imo aliquando *præcipitanter*, in effectum deducitur.

Diuturnæ muſſitationes antecedentes & minantes.

§. XXI. Quamlibet etiam re vera hæc ipſa res non ita raro ſatis *diuturnis* muſſitationibus primo veluti *minetur*, antequam tandem in effectum deducatur. Vnde quidem vtique illis, in quibus reliquæ etiam circumſtantiæ ad hunc exitum conſpirant, non nullo iure ſuſpectæ eſſe poſſunt illæ *repentinæ* inuaſiones *vertiginis*, inprimis acrioris, quæ *viſum* & *auditum* imo *internos* ſenſus *cito* turbent; *aurium repentini ſonitus* & acutiſſimi *tinnitus*, cum vertiginoſis talibus quantumlibet etiam citiſſime transeuntibus inſultibus. Quin etiam frequentiores *catarrhales* reſtagnationes, caput valide grauantes, & profunde *ſomnolentam impotentiam* magis, quam *inertiam* comitem ducentes. Sicut etiam *vertigines ſub ſomno* non leuiſſimæ ſunt conſiderationis. Omnia tamen hæc, quod merito iterum repeto, ita inter ſe *conſpirantia*, vt & illorum nihil *ſolum* ſit; & omnino AETATIS ratio inter reliqua vere primatum ducat.

Apoplexia ſemel coorta alia vice iterum conſurgit.

§. XXII. Cæterum minime vtique negligenda eſt illa etiam conſideratio, quæ tam ad *generaliorem apoplexiæ* cum aliis συζύγοις affectibus communem, quam ipſam magis *ſpecialem* atque *propriam* eius indolem proprius intelligendam non leuiſſimum vſum habere poteſt; nempe, quod *ſemel coorta*, etiamſi *leuior* fuerit, tamen communiſſime *denuo* iterum alia vice conſurgat, & communiter ita *repetendo* perficiat, in quo primo defecerat.

Cur curatu & præſeruatu difficilis ſit.

§. XXIII. Quod quidem illi præcipue vſui maxime inſeruit, vt inde agnoſcatur ratio, quamobrem tam *curatu*, quam fere *præſeruatu* tam difficilis ſit *vera apoplexia*: in qua nempe cum firmiore *intentione* & præſentiore *contentione congeſtiones* huiusmodi ſuſceptæ eſſe intelligi poſſunt; quæ ſemel ita conceptæ, inprimis in hac *ætate*, vix vnquam a ſua *pertinacia* in poſterum iterum deſiſtunt, aut conſtanter *auocari* poſſunt.

In deſtinationibus hæmorrhagicis iam inſtructis aut

§. XXIV. Quod nempe ego quidem pro præcipuo penitus fundamento habeo multorum affectuum, quæ ab *hæmorrhoicis* deſtinationibus dependent: quod nimirum, quando ſemel aut iterum magis *dire-*

directe ad huiusmodi effectum *quam proxime inſtructæ* ſunt, ne dum in ipſo *actu* exſiſtunt, illo tempore, tum in rem præſentem, ſeu, quod vocant, *curatiue*, nihil boni obtineatur: tum etiam *præſeruatiue*, iam multo impeditior ſit efficacia, quam ſi vere a *longiore* iam tempore, & antequam his conſiliis natura ſeſe intentius accingat, re vera *præoccupando*, in vſum tractæ fuiſſent. In effectum deductis difficilis eſt cura & præſeruatio.

§. XXV. Vnde certe iterum iterumque ſolertibus & humanioribus ingeniis commendo conſiderationem illam, vt ſibi caueant a crudis vtique illis craſſioris *automaticæ mechanicæ* vere *automaticis* commentis, ac ſi tales res nudis & vere ſimpliciſſimis *corporeo-materialibus* fluctuationibus, aut fortuitis *detentionibus* atque *incarcerationibus* innixæ, etiam ſimplicibus atque directis *machinis*, *vectibus*, & *impulſibus* ita *repellendæ*, atque vere ἀπὸ μηχανῆς *euertendæ eſſent*. Qualia nempe equidem in charta & in ſympoſiis ſatis creperum ſonum habent, ad rem ipſam autem collata nec *hiſtoriæ* ſeu experientiæ, nec *ætiologiæ* ſeu rationi vllo modo reſpondent, adeoque non ſolum *ſcientiam*, ſed omnino *conſcientiam* miſere deſtituunt. Interim hæc res tam prolixe, quam latum vtique ambitum complectitur, æſtimata alium certe vſum ſuppeditat Medico cordato *præſeruatoriarum ventilationum*, *diuerſionum*, *auocationum* in PRAXI; vti *connexionum* atque mutuarum *conſpirationum* & *conſecutionum* variorum affectuum cognatorum in THEORIA: quibus vtrisque tam *naturæ* veram *methodum* percipere, quam illi recte conuenientem artificioſam *ſubordinare* comprehendat. Quod quidem vnum eſt totius *theoriæ medicæ*, quatenus talis, quatenus inquam ad *vſum vere curatiuum* & *præſeruatiuum* reſpicit, *methodicum* atque *dogmaticum*, non ſimpliciter *empiricum* (minime profecto ipſum quoque contemnendum, ſed rariſſime inueniendum) fundamentum. Conſideratio therapeutica.

MEM-

MEMBRVM VI.

De

SOLIDARVM PARTIVM VITIIS.

§. I.

Solidas partes ars non reſtituit ſed natura.

SOLIDARVM partium læſiones prolixam theoriam *medicam*, & quæ artificioſæ efficaciæ ſubſeruiat, vix vllam admittunt. Cum enim *reſtitutionis* partium ſolidarum architectus ſola vtique ſit *natura*; neque certe vlla *ars* vel vnius *puncti*, ne dum *ſtaminis* aut *fibræ* in corpore *conſtruendæ* ſit compos: facile hinc eſt ſubſumere, quem vſum hæc *contemplatio* ipſi arti præſtare valeat.

Empiria quomodo efficaciam naturæ ſubleuet, aut impediat.

§. II. Iterum dico, ad *methodicum* quemcunque vere *artificialem* vſum. Dum ex aduerſo *empiriæ* artificium, vbicunque optatum ſuum effectum adſequitur, longe plus debet huic theoriæ veræ efficaciæ ipſius huius *actiui intrinſeci principii*, quod antiquitus ſub *naturæ* nomine laudatum eſt in œconomia corporis VIVENTIS, inprimis *humani*. (Quando, verbi gratia, *malas conformationes* temere *inchoatas* contractu *manus mortuæ* potenter non ſolum cohibet, ne vltra progrediantur; ſed ad *deſtruendum* iterum, *retexendum* inquam, atque *diſtrahendum* adigit, quod curioſe *contexere* aggreſſa erat: imo, quod in ipſo adhuc *materno vtero*, minus tamen operoſe aut alienius, aberrauerat, *tollere* iterum atque *amouere* inducit *ſanguinis lochialis* & *ſecundinarum* affrictu &c.) De reliquo vero poteſt quidem *impedire* iuſtam atque tranquillam *efformationem*, vel *diſtorquere* etiam atque male *inflectere*: re vera tamen etiam hoc non niſi *craſſiore* aliquo atque rudiore conatu, nequaquam autem *ſimpliciore* atque vere *tenuiore* aut *intimiore*.

Partium ſolidarum reſtitutio quibus fundamentis innitatur.

§. III. Vnde quidem ſufficiet mihi, pauca ſolum de hac materia proferre, quæ paulo magis directe ad meum ſcopum facere videntur. *Primum* erit illud, quod vtique Medicus rationem habere debeat *numeri* veri partium corpori debitarum; vt inde agnoſcere poſſit, non tam ſi quæ *deficiat*, quam ille certe *ſupplere* conuenienter nunquam poteſt,

poteſt, ſed ſi quæ fortaſſis *abundet*, quam *exſtirpare* ſit integrum, ſi inſignem *deformitatem*, ingens *impedimentum*, aut adhuc grauiora *incommoda* vel plane *pericula* minetur. *Secundo*, vt prudenter æſtimet eiusmodi concrementa in ſolidam texturam efformata, quæ *ſtruens* illud principium cum peculiari *cura* atque *ſolertia* effinxiſſe videtur: cuiusmodi vere ſunt *næui materni*, ad exemplar obiecti maioris inprimis prolixius elaborati.

1. Partium numerus.

2. Næui materni.

§. IV. In talibus enim *tria* maxime attentiori contemplationi atque obſeruationi ſeſe ſiſtunt: *primo* quod talia inſolita denuo efformata atque effiicta a natura efformante inſtruantur vbere admodum *nutrimento*, per *vaſa* magnitudine atque copia largiore eo diſtributa; *ſecundo* quod ſimiliter omnino largiter ditentur *motus vitalis tonici* inſtrumentis primoribus *neruis*, & robuſtis & multis: *tertio*, quod ipſa natura huius ſui *ſpecialiſſimi extraordinarii producti* ita pertinaciter amans atque tenax videatur, imo ſentiatur, vt huius ſimpliciter quaſi temerarias *læſiones* ita vtique ægerrime ferat, vt iam *deſtitutionibus motuum repentinis formidoloſis ſphacelo* velociter locum concedat; iam *conuulſionibus* ſummam ſui *trepidationem* & *anxia* penitus conamina prodat; *vtrinque* vero, tantæ *perturbationi* ſubiectam ſe exhibeat, vt non raro vel ipſa *mors* inde ſubſequatur.

Næuorum maternorum indoles tribus momentis indicatur.

§. V. E talibus enim indolis *ſolidarum* partium ad ſui *ſtructuram* atque *reſtitutionem reſpectibus* redundat vtique ad Pathologum Medicum, qui nempe *habitum* talium læſionum ad artificialem *methodum medendi* inprimis conſiderat, illa varia vtilitas, vt partim prudens moderamen præmittere & inſtruere meminerit, quando huiusmodi *malas conformationes* aggredi cogitat; partim æſtimare recordetur, vbi potius *præſentiſſima* quadam, quam *languida*, aut *contra*, medicandi ratione vti expediat; partim, quid ſucceſſiuis *intercipiendi* ac *impediendi* artificiis tentare integrum videatur, inprimis peritis *ligaturis*; partim denique, quid a *magneticis* atque *ſympatheticis* curandi methodis exſpectandum veniat.

Reſtitutionis partium ſolidarum medica conſideratio.

§. VI. *Tertio* loco habenda vtique eſt ratio *actiuitatis ſtructoriæ, reſtauratoriæ*, maioris in vno indiuiduo præ altero, de qua ſequentes circumſtantiæ valent. *Primo*, quod quidem vbilibet moderatus concurſus *ſanguinis*, ad conſolidationes mollium partium plurimum vtililatis adferat: interim *ſecundo*, iuſto *largior* eiusdem affluxus

3. Actiuitas ſtructoria & reſtauratoria in vno indiuiduo maior præ altero.

Ttt ttt facile

facile impedimento potius ſit quam vſui. (Vnde quantumcunque etiam *ſanis*, *ſanguineis* tamen ſubiectis, mirum quam familiare eſt, vt leuiſſimis *continui ſolutionibus*, *cultelli acie*, *acus punctura*, *feſtucæ* aut *ſpinæ* infixione contractis, non defungantur citra *inflammationes* atque *ſuppurationes*: quales gracilioribus, *melancholico-cholericis* paſſim omnino tacite & promtiſſime decedunt.) Tanto magis autem *tertio* etiam alius *cacochymicus* ſtatus, dum ſolutiones continui contaminat, *reparationis* promtitudinem multis modis remoretur. Quorſum etiam *quarto* aliæ conſpirantes energiæ vitalis *a priori debilitationes* non parum conferunt, vt ab ipſis *animi pathematibus*, inprimis anxii *deſiderii*, der Sehnſucht: (a qua etiam vniuerſi corporis incrementum ſæpenumero diu ſufflaminari ſolere notiſſimum eſt:) vel etiam in *viſceribus* alicubi latentis alicuius labis intuitu natura ad totius corporis in ſolidum ſtructuram ſegnior deprehenditur: daß ein Menſch nicht zunimmt, wann er ungeſund im Leibe, Lungen- Schwind- Darr-ſüchtig, angewachſen iſt.

4. Inæqualitas in parte reſtauranda.

§. VII. *Quartum* locum vindicat ſibi ſpecialior conſtitutio *partis* magis immediate affectæ; quando nempe non ſolum per ſe ſatis *vegeta*, ſed plane per peculiaria *analeptica* velut *exhilarata* ſtructoria illa *energia* interim in parte ipſa reſtauranda *inæqualis* huiusmodi diſpoſitio relinquitur, vt ex aliquo quidem latere remotis omnibus impedimentis, in altero talia adhuc relicta *æqualem* reſtaurationis progreſſum ita fruſtrentur. E quali nempe conſtitutione ingentes illæ inæqualitates pullulant, quæ in *carnoſis* partibus *carnem luxuriantem*, vulgo wild Fleiſch; in *membranoſis*, tenerioribus *glanduloſis*, *ligamentoſis fungoſas* excreſcentias; in *oſſibus* inæquales *callos* introducunt.

5. Grauidarum languidiores conſolidationes.

§. VIII. *Quinto* non negligenda eſt etiam illa ſpecialiſſima circumſtantia, qua *grauidis* fœminis obſeruatum eſt languidius ſuccedere conſolidationes operoſiores, v. gr. *oſſium fractorum*. *Sexto* ignorari vtique non debet illa peculiaris *temporis* ratio & menſura, intra quam certæ partes ſolidæ, inprimis autem *firmiores* atque denſiſſimæ, *fiſtuloſæ* oſſeæ tardius ad plenam ſui conſolidationem perducuntur: qua de re, etiam iam inde ab *Hippocrate*, ſatis diligenter præcipiunt chirurgicarum rerum Doctores.

6. Peculiaris temporis ratio & menſura conſolidationis.

7. Aetatis differentia in reſtituendo.

§. IX. Minime autem omnium *ſeptimo* negligi poteſt aut debet diuerſitas illa ſtructoriæ energiæ in ſubiectis ÆTATE cumprimis diffe-

differentibus; dum *iunioribus* vtique; & in quibus vniuerſi corporis *augendæ* ſtructuræ atque iſtæ conformationi adhuc valde intenta eſt natura, vitiorum ſolidis quoque partibus oblatorum mirum quantum *promtior*, *tranquillior*, & toto effectu *exquiſitior* eſt reſtauratio atque reparatio, quam in *ſenioribus*: talibus inquam, qui illa ſimplicis corporei *incrementi* tempora, L. annum, longius prætergreſſi ſunt: ſalua tamen omnino indiuiduali illa maiore *actiuitate* hominum, & reliqua *robuſta indole*, & omnino *florida* ſenectute pollentium; vtpote qui etiam in hac parte prærogatiuam huiusmodi *actiuitatis* tuentur; nequaquam tamen ſimpliciter & in *eodem* etiam *genere*, nempe ad iuuenes aut adoleſcentes, *robuſtæ* pariter, *viuidæ* atque *floridæ* indolis, ſed ſolum in *ſummo genere*, ad quoslibet *iuniores* ſimpliciter *qua tales*; ſiquidem in eadem claſſe reliquæ conuenientiæ veluti tribulis ſemper eiusdem tribus *iuuenes* promtiores vtique ſunt ad conſolidationes, quam contribules *ſenes*.

§. X. Cæterum habet vtique hic ſuas partes iam ante notata illa interceſſio *accidentalium* impedimentorum ad retardandam reſtitutionem ſtructoriam ſeu conſolidationem: aut contra, *remotio* quoque talium opportuna ad hanc promouendam. Quin imo non denego penitus arti etiam experimenta quædam, ipſam omnino *actiuitatem* ſtructoriam, tanquam per *analepſeos* quandam methodum, ad maiorem alacritatem excitandi. Interim ſi ipſa etiam vtique talia remedia laudem ſuam longe ſolidius ſibi vindicare ac tueri poſſent, quam re vera vulgo fit, vbi nimio plus debent credulitati quam luculentæ certitudini: nihil tamen ita etiam ſplendidioris lucis fœnenarentur ſolidæ *theoriæ*, ad *methodum* veram therapeuticam referendæ; ſed merito ſimpliciori conſiderationi *hiſtoricæ* potius quam *ætiologicæ* accenſeri deberent: vnde a noſtra tractatione merito alieniores iudicantur.

Accidentalium impedimentorum interceſſio.

Actiuitas ſtructoria per analeptica excitari poteſt.

§. XI. *Vltimo* loco pono illam conſiderationem, quæ e dictis per prudentem comparationem nulla difficultate elicitur: nempe *irreparabilium* læſionum in ſolidis partibus. Circa quales nempe prudenter vtique æſtimare conuenit, quid penitus *ablatum*, quid *tardando* aut alias quouis modo impediendo *temeratum*, & alienius *repoſitum*, ſi denuo auferatur, & impedimentis illis obex ponatur, de noua reſtitutione ſperare liceat.

8. Irreparabiles læſiones in quibusdam partibus ſolidis.

Cicatrices quædam iterum abſtergantur.

§. XII. Cæterum ad omnia *ſpecialiſſima*, inprimis circa *cicatrices* a denſiore, ſed magis confuſa ſtructura, vlterius excurrere vetat certe temporis habenda ratio. Placet autem leuiter attingere illud, quod in nupera diſſertatione de *motu locali* etiam commendaui, nempe quod variæ *cicatrices* non admodum profundæ in talibus partibus, quæ immediate *locali motu* & inprimis *attritorio* fortius exercentur; dictæ *cicatrices* ſenſim ſenſimque iterum penitus velut abſtergantur, noua de integro tacita *ſubſtitutione* in earum locum iuſtæ regularis texturæ ſuccedente. Id quod inprimis in *vulneribus*, *vlceribus*, *ambuſtionibus*, apici *pollicis* aut *volis manuum* incuſſis, quotidianæ obſeruationis eſt.

Reſpectus mutuus ſolidarum ad fluidas partes, & harum ad illas.

§. XIII. Neque vero etiam placet, aut vlla exigit ratio, denuo prolixius proſequi mutuum illum *reſpectum* atque habitum partium *ſolidarum* ad *fluidas*, & viceſſim; in ordine ad *detentionem* atque *corruptionem* reciprocam. Omnino autem dignam conſiderationе hanc rem iterum commendo: ſicuti eiusdem mentionem iam feci ſupra, vbi de *inflammatione*, *ſuppuratione*, *vlceratione*, *cancro*, dixi.

Circumſtantia circa partium mollitiem aut duritiem tonicam.

§. XIV. Vnum adhuc incidit commendandum circa *ſolidarum* partium vitia, vt ratio habeatur *toni mollium* ad *firmitatem*, aut *reſtitutionem* ſitus debiti duriorum. A quo nempe dependet *contractio* illa ſeu *abbreuiatio*, quando *oſſa* inſigniora e ſua ſede dimota ſunt; vnde porro *extenſionibus* illis opus eſt, ad oſſa talia in ſedem ſuam reſtituenda. Sicut etiam eadem hæc res ſubinde in culpa eſt, vt *denſatis* ita fibris tam *vaſa* interſperſa, quam ipſi inprimis *meatus* vſitatam ſuam liberam *capacitatem* atque *conſpirationem* ita amittendo tumoribus anſam præbeant.

MEM-

MEMBRVM VII.

DE DELIRIIS.

§. I.

QVanto longius a *corporali* habitu atque vſu res recedunt, eo inanior certe de illis eſt omnis *ſpeculatio* & impeditior *conceptus*. Luculentum eius rei teſtimonium offerunt nobis variæ *perturbationes mentis*; de quibus prolixe *argutari* quidem datur, *argumentari* autem, & *conceptum* ſolidum formare irritus ſimpliciter eſt conatus. Quicquid de illis dici poteſt, quod rerum veritati aliquanto propius conſentiat, eſt illud, quod DELIRIA alia ſint ſimplicius *pathetica*, alia *ſympathetica*: illa magis *directe* & quaſi ſimpliciter *mentem* afficiant; hæc *mediate* demum *vitali œconomiæ* eiusque primariis *deſtinationibus* & *intentionibus*, magnopere perturbatis, *accedentia* & ſuperuenientia. Deliriorum differentia.

§. II. Imo vero fit ſæpe numero *vtriusque* huius conſtitutionis verus *concurſus*, vt, inquam, *corporis* laborioſis perturbationibus & *periculis* propius impendentibus, & propter hanc rem *anxiæ* atque *ſollicitæ naturæ*, etiam *morales angores*, *timores*, *terrores* comites accedant: adeoque *vnita vi* vniuerſa perturbatio tanto vtique vehementior eueniat. Sicut etiam viciſſim magis *directæ* mentis perturbationes tales, ſi ſimul etiam *corporearum adminiſtrationum* impedimenta & intricationes ipſis adiiciantur, facile hinc etiam *fomitem*, aut peculiarem maiorem *increbeſcentiam*, incurrunt. Concurſus vtriusque generis deliriorum.

§. III. Sumunt autem huiusmodi *primi generis* deliria occaſionem ab ipſius *mentis* tam *abuſiuis* quam *patheticis* perturbationibus, v. gr. *memoriæ atque phantaſiæ* nimis *concitatione*, & plus quam ferre poſſit *exagitatione*. Vnde multa eiusmodi exempla ſuppetunt, vbi e nimium intenta *diſcendi*, *ſpeculandi*, imo *præfigurandi* ſeu *effingendi* aſſiduitate ſenſim deliria naſcuntur. Quorſum etiam plurimum contribuit, ſi nimia talis *ſpeculandi* atque *comprehendendi* per- Deliria pathetica vnde occaſionem ſumant.

tinacia vel ad neglectum vſque neceſſarii *ſomni* extendatur; vel ita *viuida* atque *importuna* ipſa euadat, vt neque ſub *ſomno* qualicunque quieſcens phantaſia *ſomniis* viuaciſſimis quietem omnem peſſundet & euertat.

Cauſſæ eorum patheticæ.

§. IV. *Patheticæ* vero deliriorum cauſſæ ſunt varia *animi pathemata*; proprie vero cum *phantaſiæ* fortibus impreſſionibus coniuncta. Inter quæ notiſſimum omnium eſt, quid paſſim efficiat non ſimpliciter *quilibet*, etiam *præſentiſſimus* & ſumme *anxius*, *terror*; ſed ille proprie, qui ab *impreſſione ſpectri* comparentis, & damnum aliquod machinantis, concitatur. Sicut etiam *perſonalis erotomania*, cum inanibus ſed perpetuis *phantaſiæ* atque *memoriæ* præfigurationibus, quas in hoc genere turbas *menti* aliquando obiiciat, exempla vtique paſſim teſtantur. Neque vero nimio plus ignota ſunt etiam exempla *ambitioſæ ſuperbiæ*, homines ita tandem a *mentis* ſanitate abalienantis, vt eſſe quod volunt firmiſſima ſibi poſthæc phantaſia perſuadere aut præfigurare non poſſint deſiſtere. Sicut autem, vt recte iam pridem notat Poeta, *ira furor breuis eſt*: ita mirum quantum vtique contribuit ad minimum *iracunda diſpoſitio* ad *fouenda*, inprimis autem ad *determinanda* veluti *deliria*, vt *furioſa*, *temeraria*, *violenta* hinc fiant, vndecunque alias primam ſui originem traxerint.

Deliriorum ſymptomaticorum claſſes. 1. Libidinoſa.

§. V. *Poſterioris* autem generis deliria reducuntur commode ad *tres claſſes*: *libidinoſæ*, *melancholicæ* & *febrilis* alienationis mentis. *Libidinoſa* illa, *generaliore* ſenſu, non æque ſimpliciter *perſonalis erotomania*, in fœminis *furoris vterini* nomine notari ſolita, trahere ſolet primum propemodum ſui ortum a *ſpermatis commotione*, ſub *libidinoſis* ſpeculationibus atque *deſideriis*, exitu tamen nullo potientibus.

Conſideratu dignum huius generis exemplar legere eſt in *Zodiaco Gallico Blegny*; vbi monialem quandam, quæ maniam paſſa, eique immortua ſit, poſt mortem apertam exhibuiſſe memorat alterutrum *teſticulorum*, ad pugni magnitudinem inflatum, multis *globulis pellucidis*, tanquam vuarum acinis, veluti totum conſitum; *ouis* nempe ita inflatis. Sicut etiam ſupra *epilepſiæ*, cuius paroxyſmi in *ſpermatis eiaculationem* deſinebant, cum *maniæde delirio* coniunctæ exemplum memoraui. Et occurrunt ſane eius rei, in monachorum atque monialium clauſtris non ita rariſſima ſpecimina.

2. Melancholico-hypochondrica deliria.

§. VI. *Melancholiæ* autem *veræ*, & nominatim atque ſpecialiſſime *hypochondriacæ*, paulo propior vero conceptui eſt *ætiologia*, quod *præfigurationes* illæ, in quibus mens ſub huiuſmodi affectu occupa-

cupata eſt, *generice* commodiſſime quadrent imo vero reſpondeant habitui *motuum vitalium*, & nominatim *ſanguinis progreſſuum*, quales in tali corpore tali tempore fiunt atque vigent. Cum enim in huiusmodi caſibus *ſanguis* vtique ſoleat eſſe *ſpiſſus*, & libero ſui motu minus obſequens, eoque ipſo partim minetur, partim forte iam ſubierit ingentia impedimenta *progreſſus* ſui, e quibus *impendent* ſtaſes; ſubſiſtentis autem omnino ſanguinis *funeſta* vtique ſint pericula: conſpirat cum his realibus, quamlibet maximam partem adhuc ſolum *impendentibus* œconomiæ corporeæ *periculis* ſatis exquiſite *idea* illa *mentis*. Vt, quemadmodum hic verum eſt *periculum* facilioris metuendæ plenariæ *detentionis* & *incarcerationis*; in genere vero maioris, quam tolerari poſſit ſine periculo probabili, *anguſtiæ meatuum* ad liberum ſanguinis progreſſum: ita *idea* talis rei, *anguſtiæ* inquam *anxiæ*, *impendentis* tanquam per inſidias *deprehenſionis*, imo deſtinatæ ſibi *incarcerationis*, etiam *menti* magis magisque imprimitur. Sicut autem veræ *ſtatariæ incarcerationes* ſanguinis omnino *funeſti* exitus euentum veluti certo præſagiunt: ita nequaquam diſpar ab hac conſtitutione eſt vera illa *mentis* in talibus præfiguratio ſimilis *ideæ*, etiam circa illam *meticuloſitatem moralem*, vt ita affecti non tam ſolum *incarcerationes* & eo tendentes *inſidias*, ſed omnino *capitales* deſtinationes perpetuo ſibi figurent.

§. VII. Prudenter autem vtique æſtimari in hoc genere meretur ante iam laudata illa *mutua conſpiratio moralium* cauſſarum atque *idearum* cum ipſis huiusmodi *phyſicis* proportionibus, earumque veluti ſenſu, certe vero tanquam apprehenſione vera ac reali. Vbi vtique, in quibuscunque tandem huiusmodi *anguſtia* vera corporea cum *anxietate* timoris ſeu *anguſtiæ* moralis vere complicatur, ibi habet etiam tanto faciliorem ſucceſſum harum ipſarum rerum tanto pronior atque certior euentus: imo tanto acrior etiam variæ *perturbationis* tumultus. Cui nempe maxime conditioni etiam illud innititur, quod non ita pauci paſſim occurrant, etiam notoriis *oppilationibus*, v. gr. ipſius *lienis*, adfecti, qui tamen *melancholiam exquiſitam*, & tanquam ad veram *proportionem*, nullam experiuntur: qui nempe in genere a ſpeculationibus *mentis* alieniores exſiſtunt. *Mutua conſpiratio moralium cauſſarum atque idearum cum phyſicis proportionibus.*

§. VIII. Interim illud tamen conſtans propemodum atque certum eſt, quod omnes tales, qui huiusmodi *ſpiſſitudine* ſanguinis, ad *Omnes ſpiſſitudine & ſtagnatione ſan-*

guinis affecti, ab eiusmodi anxiis præſigurationibus liberi non ſunt.

ad actualem *obſtipationem* prona, affecti ſunt, vtut non *conſtantem* atque *indeſinentem*, nec adeo æque fortem & importunam experiantur *melancholicam* mentis aberrationem, minime tamen liberi ſint a *frequentibus* quantumcunque tranſitoriis huiusmodi *perturbationibus*, *cogitabundis*, *tædioſis*, *triſtibus*, qualitercunque *anxiis*, & moraliter etiam *anguſtis ſuſpirioſis*, *plorabundis*, & de *vitæ* ſuæ breuiore ambitu atque propriore *termino* ſpeculantibus. Sicut etiam talibus omnes *ciuiles* implicationes, cuicunque curæ atque *ſollicitudini* fomitem præbentes, ad tanto citiorem *mœſtitiam* & anxiam *ſollicitudinem*, & omnium grauiorum ſucceſſuum *metum* longe præſentius inſeruiunt.

3. Deliria febrilia.

§. IX. Febriles mentis perturbationes cum in res œconomiæ corporeæ omnino *vere periclitantes* incidant, tanto minus iniuſtæ vtique haberi merentur, ſi *moralis* illarum proportio vt ita omnino *iuſta* agnoſcatur & æſtimetur. De *phyſica* enim cauſſandi & agendi ratione fateor, me tantumdem comprehendere, quam de *cygnorum nigredine*, *coruorum* autem *albedine*.

Pathologica eorum explicatio.

§. X. Cæterum vti quidem illa ita generalior ratio *errabundæ* huiusmodi *perturbationis mentis* in præſentiore *periculo vitæ* rationabili æquitate minime deſtituitur: ita habet adhuc *duas* familiares circumſtantias, quæ ab hac *rationabili* iuſtitia trepitandi nihilo magis abludunt. Eſt autem prima harum, quod *deliria* febribus quam maxime ſuperueniant, *periculoſis* vere iam admodum rebus. (Vbi iterum ſeorſim perpendenda venit peculiaris, per indiuidua promtior ad *indulgendum ſpeculationibus* diſpoſitio.) *Secundo*, quod communiter *duo* præcipua obiecta habeant, *præſenti* aut proxime *impendenti* ad minimum vere *conſtitutioni œconomiæ vitalis* exquiſite parallela: *primo depulſionem moleſtorum*, tanquam circumſiſtentium hoſtilium & metuendorum virorum vel ſpectrorum, aut actualem *euaſionem* e maximo *æſtu*, ſummis *anguſtiis*, iniuſtis *detentionibus*; *ſecundo*, quod quidem fere *morti* iam appropinquantium eſt phantaſma ſolennius, in *aliena domo*, *alieno conclaui*, *alieno lecto* ſeſe conſtitutos putantes, *ſuam* domum, ad *ſua* abire hinc cordi habeant, & toto animo quaſi contendant: quid aliud, quam quod ipſa re verum eſt, tacita quaſi conſcientia agnoſcentes, ita iam peruerſum eſſe ſuum corpus, vt merito pro *alieno*, ad retinendum, inhabitandum, vſurpandum *inidoneo*, non deſe-

Præcipua obiecta.

deſerendum magis quam fugiendum ſit, & ex illo euadendum. Imo probabiliter, deprauato iam ita hoc ſuo *domicilio*, vt placere amplius non poſſit, tanto ſincerius reminiſcatur alterius manſionis, ſuæ propriæ indoli veluti magis conſentaneæ, ad quam, tanquam verius ſibi ceu gentilem, ita reſpiciat.

§. XI. Iterum iterumque vero prudenter omnino æſtimandas cenſeo circumſtantias illas, omni modo faciles & familiares eiusmodi ingeniorum, quæ ad varias *imaginationes* ſeu *phantaſias*, ad intentas *impreſſiones* meticuloſas, ad *pauores conſcientiæ*, aut *formidinem mortis* præ aliis promta ſunt: quandoquidem talia ſingula, ne dum plura inter ſe conſpirantia, huiusmodi *perturbationes* eo facilius inuitare poſſunt, quando *vera* etiam aliqua *cauſſa trepitandi*, e *vero periculo* corporis œconomiæ oblato, imo inſiſtente, vna concurrit. Aeſtimanda hic præcipue eſt ingeniorum ad imaginationes & ſpeculationes promtior diſpoſitio.

§. XII. Sicut omnino etiam in *chronicis deliriis* ratio habenda venit ſenſim *adſueſcentis memoriæ* earundem, quantumcunque etiam in ſe *falſarum* rerum: vt nempe illas ſemel tam diu ipſa mente agitatas, & *phantaſiam* percurrendo veluti firmiter receptatas, etiam in poſterum e *memoria* exigere non liceat; adeoque e conſtanti talium rerum *memoria* conſtans *delirium* formetur. Deliriorum chronicorum explicatio.

§. XIII. Cæterum non abſurdam iudico illam animaduerſionem, quam *Valleriola* in ſuis obſeruationibus plus ſimplici vice profert, nempe, quod vix quisquam *abſolute* deliret, ſeu *ſimpliciter contraria rationi* in delirio cogitet aut agitet; verum vnice potius in vna *prima hypotheſi* falſum aliquid quaſi ſupponat, cui interim plures alias conſecutiones, ſiquidem etiam non plane acute atque argute, tamen ſubinde ſic ſatis commode ſubſumendo & ſubordinando, adiiciat: præterea vero in eo maxime erret atque peccet, quod fere in nulla re vna diu *perſiſtendo* prolixas vtique atque diuturnas *connexiones* qualescunque circa ſingulos non proſequatur: interim *varias* vtique res *ſeorſim* proſecutionibus minus diuturnis, quaſi fruſtillatim & tanquam ſingulis quibusdam *breuibus* & *volaticis* ſpeculationibus, ita ſatis adhuc veriſimiliter exſequatur. Deliria quidem abſolute rationi contraria non ſunt, ſed tamen falſæ hypotheſi ſuperſtructa.

§. XIV. Vnde quidem etiam ipſa *deliria*, vt in ordine ad *periclitationes œconomiæ vitalis eximias & periculoſas*, eidem fundamento vt propter finem ſuperſtructas vtique agnoſco: illas autem, quæ aliis pure *ſpeculatiuis phantaſiæ & memoriæ* abuſibus ſuperſtruuntur, Certis reſpectibus finalibus quandoque ſuperſtructa ſunt.

 quo-

auocatione potius ad *vitales* neceſſitudines ab illis otioſioribus *ſpeculationibus* circa res alienas, aliquando corrigi experientia teſtatur.

Deliriorum melancholicorum exacerbatio poſt ſanguinis expanſionem,

§. XV. Quemadmodum autem de *melancholicis* deliriis, eorumque *habitu* ad *ſanguinis* magis aut minus impeditum *motum*, antea diximus: ita minus difficilis hinc eſſe poteſt conceptus, quamobrem huiusmodi deliria *exacerbentur*, quando ſanguis in maius ſpatium cito aut valde *expanditur*; quod partim fit per *ſpirituoſorum* potuum ingurgitationes, partim *ſolis æſtum* toti atmoſphæræ diutius incumbentem; quo nomine præcipue infames ſunt *menſes æſtiui*, & *Sirio* ardente feruentes; vnde Germanorum formula menſes hos appellandi die ſchweren Monathe, welche dergleichen Zufälle dergeſtalt rege zu machen pflegen.

Maniacorum deliriorum peculiaris phyſica circumſtantia & tolerantia intenſi frigoris.

§. XVI. Ad *phyſicam* autem potius, ſed veram, *æſthiologiam*, quam *medico-pathologicam ætiologiam* referenda eſt ſingularis illa circumſtantia vehementer *maniacorum*, quando etiam *hyberna frigora* non ſolum parum *ſentiunt*, ſed & omnino actu inter illa corporis ſui eximium *calorem* retinent ſeu *conſeruant*: nempe, abalienato quidem a *tenero ſenſu*, eiusque *trepida* atque *molli æſtimatione*, animo, æqualiter autem æque atque acriter continuato *vegeto motu ſanguinis*, non ſolum ſine præiudicio *ſenſus* frigoris, ſed potius ſincerius & ſimplicius *aduerſus* hunc qualemcunque *ſenſum*. Cum vtique ipſorum *maniacorum* præcipua *intentio* maxime verſetur circa hoc obiectum generale, contra quælibet *aduerſa*, *audacia*, *vigore*, *impetu*, *vi* reſiſtere. Et cum *maniaci* præter hanc vegetiorem *pulſus* perennitatem etiam frequentioribus, & vix non continuis, *localis motus* contentionibus plurimum dediti eſſe obſeruentur, conſpirantibus ita in mutuum ſubſidium *vegeti progreſſus ſanguinis* vtrisque his motibus: mirum non eſt, ſi exquiſita tam *incaleſcentia* ſanguinis, quam libera eius *æqualis diſtributio* inde ſequatur.

Rabies canina & hydrophobia.

§. XVII. Impeditioris autem profecto ad conceptum efficaciæ eſt *contagium rabiei caninæ* & *hydrophobiæ*. Cui, *qua tali*, & vt *ſpecificæ inſaniæ*, nihilo plus lucis affundit illa circumſtantia, quod *cum febre* coniuncta ſit *acuta* atque *deleteria*. Ego huc vsque hanc rem ita conſidero; cum illi neque *natura* nec *ars* vlla vera METHODO conſulere valeat, ſed ſimpliciter *experimento* ars ſuccurrere didicerit: non eſſe propterea hanc rem *theoriæ* medicæ verum aliquod obiectum, ſed ſolidæ atque ſimplicis *empiriæ*.

MEM-

MEMBRVM VLTIMVM.
DE
VENENIS.

§. I.

QVam intricata ſit ſpeculatorum aliquorum inprimis recentiorum fluctuatio circa veram notationem nominis VENENI, notius eſſe puto, quam vt de eo prolixe loqui neceſſe ſit. Nos, relictis cuique ſuis opinionibus, *medico* ſenſu *pathologico*, quo nempe proprie appellatio *veneni* locum habet, intelligimus per illud tale *materiatum*, quod *vitalem* œconomiam ita *cito* & *grauiſſime*, *intime*, & citra proportionatam violentiam *in ſenſus incurrentem*, peruertendam imo euertendam aptum natum ſit, vt inde, niſi *feſtinatum* feratur auxilium, vix reparabile damnum, imo vero *mors* ipſa *præcipitibus* ſucceſſibus conſequatur. Venenum quid ſit ſenſu medico pathologico.

§. II. Hæc res quod ita ſe habeat, quod talia ſubiecta dentur, quæ huiusmodi efficaciam exſerant, notius eſt, quam vt circa probationem eius laborare cordi mihi eſſe debeat. Quæ, inquam, ita *ſumme* & *præſentiſſimam* & *penetrantiſſimam* huiusmodi *ſumme noxiam* efficaciam poſſideant; citra *proportionem* vel *quantitatis molis* ſuæ, vel ſenſibilis ſiue *qualitatis* propriæ, ſiue *effectus* directi *manifeſti* in ipſo corpore. Vtrum detur venenum.

§. III. Interim meretur tamen vtique hæc res veram diſcretionem, quod aliæ quidem tales *venenorum* ſpecies deleterium illum ſuum effectum abſoluant etiam ſimpliciter ſine vlla vere *ſenſibili materiali* directa noxia efficacia in corpus humanum: alia vero *coniunctam* omnino exſerant etiam hanc qualemcunque *corpoream læſionem*. Quamlibet *proportio* eius, quoad *in ſenſus incurrit*, cum tanta vehementia atque promtitudine penitiſſimæ *lethiferæ* energiæ minime ſatis conſpiret. *Prioris* illius generis ſunt eminenter *ictus* atque *morſus venenatorum* animalium, vere talium. *Vegetabilia* etiam venenata exquiſitiora, *napellus*, *hyoſciamus*, *ſolanum furioſum*, *cicuta vera*, *datura*, & quæ exotica toxica paſſim memorantur. Imo & *fungi* quidam Species venenorum & quo modo efficaciam ſuam lædentem exſerant.

dam deleterii. *Poſterioris* ordinis ſunt *mineralia* aliqua, ſupremo loco *cobaltum* & *arſenicum*, proximo *mercurius ſublimatus*, hinc *præcipitatus*, *cuprea*, inprimis *viride æris*, *vitrum antimonii*, impellucidum inprimis &c. Hæc enim partim cito *ſeptica* ſubtiliter *corroſiua* & *colliquatiua* energia in ventriculum; partim, vt inprimis *arſenicum* & *cobaltum*, ſingulari *putredinoſo-fermentatiua* efficacia in ſanguinem omnino multum operari obſeruantur: ſicut quidem etiam a peius venenatorum *animalium* læſionibus, poſt properam inprimis mortem, huiusmodi repentina *putreſcendi* vera *fermenteſcentia* paſſim obſeruatur.

Effectus remediorum empirico-ſpecificorum.

§. IV. Interim ſicuti huiusmodi qualescunque præcipue vero *corroſiuæ* illæ læſiones, quatenus *integritatem ventriculi* lædentes, tam præſentiſſimo mortifero euentui minime ſatisfaciunt: ita accedit adhuc argumentum, imo vero potius documentum huiusmodi rerum, vix non ſimpliciter *contrarium*, quod veram illorum efficaciam in tali *ſimplici atque directa corruptione* partium aut humorum minime fundatam eſſe vix non ſimpliciter conſpicuum reddat. Eſt hoc efficacia *empiricorum* quorundam remediorum ab eiusmodi v. gr. *corroſiua*, *colliquatiua*, ſecundum aliquos *coagulatiua*, imo vero *putredinoſo-fermentatiua* efficacia adeo in ſolidum aliena, vt nullam vsquam rerum tam *craſſo modo ad ſenſum* fientium vel ſuſpicionem admittant.

Animalium venenoſorum partes venena curant.

§. V. Loquor autem de effectibus illis *empirico-ſpecificis*, mediantibus quibus v. gr. cum homo a *vipera* acriter vulneratus citra *externum* auxilium certæ morti ſit obnoxius, aſſumto tempeſtiue fruſtulo de *corpore viperæ* ſub qualicunque formula, tam liber ſit ab illius morſus *vt venenati* euentibus, quam ſi illum ſimpliciter mus momordiſſet: a *cane* vere *rabido* demorſus, qui citra *externam* opem certo perditus eſt, ſi de *hepate* aut *corde* talis canis aliquid *mature* aſſumat, velut *euaneſcente* tota illa *vt rabioſi* morſus energia, nihil niſi *morſus* ſimplicis, vt *a ſano* quocunque cane, vlla ratio aut conſideratio remaneat: quale quid etiam de *ſcorpionis* ictu non ignotum eſt, per *oleum ſcorpionum* ad ictus *apis* innocentiam ſtatim reducendo.

§. VI.

§. VI. Quæ certe res cum nusquam vllam ſimilitudinem habeant cum qualicunque ſufflaminatione illorum nocendi *modorum*, quæ ſecundum dictas *ſenſibiles* circumſtantias in conſiderationem venire poſſent: eſt ſane inde ſatis manifeſtum, quod nulla dictarum eiusmodi agendi rationum *ſenſibilium* abſoluat veram vniuerſam horum & ſimilium *venenorum*, *qua talium*, tam *potentem*, inquam, & ſimpliciter *deleteriam* nocendi energiam. Vnde quidem, & cum nulla conſideratu digna & vero conceptui idonea *ætiologia* atque *theoria* veri *modi agendi* venenorum vllam bonam ſpem promittat, ſed vnice per *experimenta* illis occurrere neceſſe ſit: non indulgebo etiam ipſe inanibus conatibus *theoreticis*, circa hoc ipſum negotium temere prodigendis. De qua agendi ratione nulla theoria ſuppeditari poteſt.

§. VII. Quod autem res hæc omnino vtique ita ſeſe habeat, nulla, inquam, vna veriſimilis *cauſſa* vere *venenatæ tam cito* & *potenter* deleteriæ efficaciæ ſuppetat, placet in duobus exemplis quam maxime vulgo euidentius operari creditorum venenorum intueri, *arſenici* & *mercurii ſublimati*. De vtrisque dicitur, quod peſſimum illum *tam cito* mortiferum effectum edant *corroſione*. Cum autem etiam alia *ſalina corroſiua*, v. gr. *oleum vitrioli*, *ſpiritus nitri*, imo ipſum ita dictum *oleum ſalis*, nempe concentratior eius *ſpiritus*, pares præſentiſſimos effectus non edant; interim etiam in ipſo omnino, *mercurio ſublimato* vere *corroſiua* portio ſit longe *minima*: (dum *tria*, *quatuor grana* mercurii ſublimati mirificas turbas in corpore concitare, & inopinata damna producere valent, in quibus tamen longe minima ſit portio *acidi corroſiui*, vltra mercurii iam corroſi proportionem abundantis:) nulla alia hinc exire poteſt conſideratio, præter illam ſolam, quod *corroſiuitas* hæc *augeatur*, & tanto *peiorem* efficaciam adſequatur per *ſocietatem* metalli, nempe *argenti viui*. Quod nulla cauſſa venenatæ efficaciæ ſuppetat exemplis docetur.

§. VIII. Cum autem *argentum viuum* per ſe, etiam in larga, nedum tantilla quantitate, nihil vsquam turbidum in corpore aut vehemens efficiat; neque etiam concretio eius cum hoc *corroſiuo* acido, ſeu *ſocietas qua talis*, vllam etiam in hoc genere abſolute importunam efficaciam pariat, luculentiſſimo teſtimonio *mercurii dulcis*, ex hac ſocietate huius *corroſiui* acidi cum *argento viuo* omnino vtique con- Mercurius viuus neque per ſe neque in connubio cum ſublimato vllam abſolute importunam efficaciam parit.

conflati: nihil aliud vtique inde reſtat, præter *demonſtrationem* illam, vti vocant, hodiernæ curioſitatis, quod *mutatio texturæ* particularum hic ſit in culpa, vt *ſaturatum* penitus mercurio currente acidum *corroſiuum* ne leuiſſimam huius generis efficaciam exſerat, *ſemiſaturatum* autem tam potentiſſimæ ſit efficaciæ, & quidem *quatenus corroſiuum*; cum nihil vsquam imbutum argento viuo, adeoque *ſincerum*, tam ſæuum effectum non edat, adeoque ſolum ſimpliciter *quatenus mercurio* vnitum. Et tamen iterum neque hoc faciat ex *alterutrius* propria energia, nec ex *vtrorumque concurſu* ſimpliciter, (teſte *merc. dulci*) ſed vtique, adeoque vnice, ſub huiusmodi plane ſingularis *proportionis* coalitu. Vnde tota res ſimpliciter redit *in circulum*; *eſt quia eſt*, *fit quia fit*, hoc & non aliud *facit hoc*, *quia facit*: abrumpit autem certe miſere pro *demonſtrationis* dignitate: facit hoc, *quia textura particularum eſt mutata*, nempe *ita*, *vt talem effectum edere poſſit.* Punctum! Neque certe vsquam felicius cedit, quamuis primo intuitu appareat ſtrictior eſſe determinatio illa, quod huiusmodi peſſimos effectus poſt ſe trahat vel mercur. ſubl. vel arſenicum, quia ventriculum & inteſtina *corrodant.* Cum vtique ſimplex *ſolutio continuitatis* ventriculi, *qua talis*, etiam *præſentiſſime* facto *vulnere*, nec *in genere* ſimpliciter *lethalem*, nec *in ſpecie* tam cito & anxie *lethalem* effectum edat: exemplo *cultriuororum*, *ventriculi ſectione* curatorum. Nec etiam *eroſio*, *qua talis* & ſimpliciter, huiusmodi effectus edat; inprimis ita *ſpecialiter*, quod nempe proprie *veneficum* eſt, tam *promte & violenter deleterios*: exemplis, vno in obſeruationibus *Saltzmannii*, vbi Chirurgus poſt frequentem vſum mercurii vitæ diu prægreſſum demum mortuus, ventriculum exhibuit, inter viuidiorem attactum ſtatim lacerum factum: altero in *Act. Nat. Cur.*, vbi in furto faciendo occupatus, venabulo in ventriculum vulneratus, manente in poſterum per multos annos aperto *ſemiulceroſo foramine*, commode ſatis vixit. Vnde, ſi res non ſecundum illas hodiernas *demonſtrandi* methodos decidi debeat, ſed prudentius expendi, (citra nihilo minus ſolidæ vllius *ſimpliciter corporeæ* efficaciæ rationem inueniendam:) naſcetur inde ad minimum illa propior contemplatio, quod hæc etiam vere *corroſiua* concreta *lethiferos* illos effectus edant *non abſolute & ſimpliciter quatenus corroſiua*, ſed ad minimum *reſpectiue*, nempe quatenus tam *repente* & *præſentiſſime* corroſiua.

[Quan-

[Quantumlibet neque hanc ipſam etiam rationem abſolute ſufficere, cum etiam *vulnera* ventriculi ipſa tamen tales affectus ita plane pares non exhibeant, ſatis vtique agnoſcam.]

§. IX. Vnde, quomodocunque verſetur negotium, re vera omni modo *incomprehenſibilis* eſt vlla veroſimilis harum rerum *ratio;* nam de *frigidis* illis argumentis *texturæ corpuſculorum mutatæ*, ſine vllo poſſibili vlteriore progreſſu, *quæ*, *qualis*, *quanta* illa ſit *textura*, *in ſe*, *ad alias*, imo ad noſtrum *corpus*, comparata? multum allegare, vt in ſe ſterile eſt, ita ad vlteriorem applicationem *methodi medicæ* tam inutile, quam ſimpliciter tacuiſſe. Ratio harum rerum incomprehenſibilis eſt.

§. X. Vnde nempe iterum etiam hic merito decerno, quod *venenorum* etiam nulla ſit *vera*, ne *phyſica* quidem, ne dum *medica*, THEORIA; adeoque non tam vsquam ad METHODVM, quam ſimpliciter ad EMPIRIAM reſpiciat harum rerum *hiſtorica* nuda notitia. Vbi certe conſideratio iam pridem adfecit animum meum, quod in *remediis* aduerſus *venena* proprie ingens eluceſcat documentum ſummæ *benignitatis diuinæ*; & ſimul iuſtiſſima conſideratio vere medica circa *artificioſam* tractationem non ſolum venenorum, ſed omnino etiam aliorum morborum. Venenorum nulla eſt vera theoria.

§. XI. Cum enim *venena*, & quæcunque tandem eſt illorum efficacia, ita vtique extra *naturæ poteſtatem* omnem poſita ſint, vt ipſa nihil vsquam in illa poſſit, præter nudos *feſtinatos conatus* violentis motuum generibus illa in tota ſua ſubſtantia iterum *excutiendi*: largita tamen ſit diuina clementia varia ſimplicia *experimenta*, notitiam inquam tralatitiam eiusmodi remediorum, quæ citra *methodum* ſcientificam aliam præſentanee *venena* velut obruant. Cum ex aduerſo ad illos affectus, qui partim *naturæ* ſpontaneo regimine atque *methodo ſecretoria & excretoria* expugnari poſſunt, & hæc operatio veris *artis ſubſidiis* vere ſubleuari & iuuari poſſit: ad talia, inquam, morborum genera huiusmodi *ſimplicia empirica remedia* fortaſſe ne quidem *ſuppeditauerit*: certe pariter ad *notitiam* venire cordi habuiſſe minime videatur. Venena extra naturæ poteſtatem poſita ſunt.

§. XII.

Diſcretio hiſtoriæ nudæ & ætiologiæ, phyſicæ & pathologiæ medicæ, methodi & empiriæ.

§. XII. Vnde maxime etiam ex hac re, pro concluſione totius meæ tractationis MEDICO-PATHOLOGICAE, iterum iterumque commendo diſcretionem *hiſtoriæ* nudæ & *ætiologiæ; phyſicæ*, & veræ MEDICAE *pathologiæ:* poſterioris *directionem ad vſum* MEDICVM *rationaliter*, ſecundum veros mutuos rerum *reſpectus*, inſtruendum; & denique huius vſus rationalis, nempe METHODI, diuerſitatem a nuda EMPIRIA, ipſa tamen omnino vera, & realiter efficaci, ſed euidentibus *cauſſalibus reſpectibus* deſtituta, adeoque ad tractationem AETIOLOGICAM medicam non pertinente. DEVM autem ſerio imploro, velit etiam circa has res quam maxime cæcutientem adhuc intellectum humanum ita erudire, vt tam eorum, quæ RATIONALI METHODO ſubiacent, quam quæ ſimplici ſed VERA & CONSTANTI EXPERIENTIA, quantumlibet per rudiorem noſtram imaginationem non comprehendenda, conſeruationi ſanitatis humanæ re vera ſalutariter ſubuenire poſſunt, ad ſolertium & de ſalute proximi ſollicitorum proborum Medicinæ ſectatorum ſolidam cognitionem largiter peruenire ſinat, nosque omnes, etiam in hac parte, ad ſalutaris ſuæ veritatis aſſecutionem clementiſſime deducat. Illi ſit laus, honor & gloria ſempiterna, &c.

INDEX

INDEX.

A.

Abietes etiam ex aere nutrimentum aſſumunt 215
Abortus cauſſa hæmorrhagiæ vteri 816
- exceſſus lochiorum in ipſo 597
Abſceſſus: eorum maturatio, euacuatio & mundificatio 965
- eius ſuppuratio in inflammatione ſimplici 959
- inconueniens tractatio 980
- degeneres in obfirmata vlcera transeunt 980
- quomodo in viam reducendi 981
- glandulosarum partium ſponte non conſolidantur 962
- in vlceris indolem conuerſus 979
- mammarum, menſtruam euacuationem impedientes 757
Abundantia nutrimenti in fœminis geſtantibus & nutrientibus 296. 297
Abundantia ſanguinis 169. 483
- eius poſſibilitas 303. 304
- corpori moleſta & periculoſa 304. 305. 306
- exonerationi anſam dat 174
- varios apparatus & conatus erumpendi adfert; his ſuppreſſis variæ agritudines 893
- vnde & quem in finem generetur 302
Acetum: eius vſus 325. 326
- a lactuca a plebeiis ſine detrimento epotatur 822
- frigoris efficacia in illud 130
Acetoſitas citri 326
Aceſcens fermentatio aliena eſt ab humoribus 56
Aceſcentia contingit poſt ſeceſſionem fæcum 822
Acida: eorum ſpecies innumeras fermentatione produci 56
- num tantopere metuenda 325. 326. 328
- eorum energia valde remota eſt morborum cauſſa 452
- acidi liquores conſiderantur mechanice & organice 15. 16
- acidorum & abſorbentium mutuus habitus 432
- & alcalium mutuus habitus 432

Xxx xxx Aci-

Aciditas fermenti 336
humores coagulans 55
Achorum retropulſio conuulſionum cauſſa 678
Acrimonia corroſiua vulgo hæmorrhagiarum cauſſa iudicatur 517. 520. 521
vaſorum exitus erodens: hæ fictiones congeſtiones non explicant 934
materiæ in genus neruoſum irruens 1025
ſalſa in humoribus & partibus exſanguibus 460. 461
ſalſuginoſa & ſalino-vlceroſa ex miſcela ſanguinis cum ſero & lympha 993
catarrhalis num phthiſeos cauſſa ſit 771. 772
ſulphureo-ſalina ſtimulans 55
Actiones in corpore non fluunt ex mechanica neceſſitate 201. 202
incipiendi tempus num materiæ ſtimulo tribui poſſit 345
earum læſiones paſſiuæ ab actiuis motibus diſtinguendæ 470. 471. 475. 511
vitales & animales conſiderantur 202
- animalibus tempore & ordine priores ſunt 201
- ſecundum ætates 505
- in morbis plerumque pro ſymptomatibus noxiis accuſantur 39
- in morbidis conſtitutionibus non recte agnoſcuntur, deficiente vero conceptu de vita 39
earum cogitatio, phantaſia & memoria non ſemper adeſt 417
Actiua a paſſiuis ſeparari debent 470. 471. 475
cauſſa in menſium expulſione 296
directio energiæ motoriæ in virium omiſſione 689
intentio in malo hypochondriaco 788. vid. *intentio* & *agens*.
Actiuitas animæ ſ. naturæ, it. vitalis 62. 241. 437
in *pathologia* locum digniſſimum ſibi vindicat 443
in ſenſationibus eius intereſſe indicat 409. 410
eius methodus placida & tarda eſt 461
- imminutio 419. 420
- limites ſ. periodus 242. 506
in morbis materiæ mobilitatem reſpicit 504
eius diuerſæ inſtructioni potius quam conſuetudini tribuenda eſt tolerantia moleſtarum rerum 724
motuum 468
structoria & reſtauratoria in vno indiuiduo maior præ altero 1065
- per analeptica excitari poteſt 1067
conſeruatoria potentiam corruptionis cohibens 465
- diſtinguenda a paſſiuis actionum læſionibus 511
Actiuum in corpore quid 42
per ſemen transfunditur 277
vide *Agens* & *Principium vitale*.

Actus

Actus in corpore organico fruſtra ab
agente ſecluduntur 36
vitalis quid antiquitus denotauerit 77
- quid pro obiecto habeat ibid.
vitales & *animales* proportionem inter ſe habent 240
- cur deficiant 456
neceſſarii & vtiles num ſemper ſint ordinati 473
in morbis ab energia naturæ pendentes ſalutarem vſum habent 474.478
conſeruatiuus ſi deſinit, alter *corruptiuus* inualeſcit 485
progreſſum corruptionis *inhibitorii* arti ſubiacent 466
vid. *Motus.*
Adoleſcentes hæmorrhoidarii 921
Adſtrictiones mictus cruentus non fert 574
Adſtrictoriæ medicationes hæmoptyſin impediunt 552
Adſtringentia cachectico-hydropicum effectum edunt 895.898.901. 909
in phthiſi nocent 773
puerperis actu noxia ſunt 834-837 838
Adſuefactos mores anima in vitalibus ſequi ſolet 176
Adſuetudo motuum 161.419.452
ideam motuum vitalium ad actiones morales transferendi 497
hæmorrhagiæ narium 533.536.541 544
hæmorrhagiarum ſtatas periodos producit 517
hæmoptyſeos 551
febris tertianæ 709
appetitus 351
conuulſionum 682.684
eius vis in epilepſia 1020
apoplexiæ 1061
agendi ſecundum ſtatas periodos 345
certa hora euigilandi aut dormiendi 122.334. vid. *Conſuetudo,*
Aduentitiæ res corpus lædentes 718. 719
earum nocendi energia 721
- actiuitas & efficacia tanta non eſt, quanta ipſi vulgo tribuitur 721
Adultorum hæmorrhagiæ narium cuius vſus 742
Aegri: qui rarius & qui frequentius ægrotent 447
non tam multis morbis obnoxii ſunt 446
eorum mores animi in febribus obſeruandi 708
multorum ſpontanea reſtitutio 109. 110. 111. 163
Aegritudinum energia in corpore humano 448
Aegrotandi adſuetudo & inſuetudo 493
eius verior ratio 495
Aegrotationis ſubiecta 453
Aegyptiorum ſcarificatio narium 537. 539
furnorum calor 378
Aër 308
eius concurſus cum corpore 309
- - efficacia in corpus 313-315.719

- viciſſitudines magis corpori moleſtæ ſunt quam æqualis perceptio caloris aut frigoris 313
- συζυγίας cum naturæ motibus 214
- grauitati ſeu preſſioni num mutationes motuum adſcribendæ ſint 314
- preſſoria energia vniuerſalis eſt ibid.
- concurſus ad motum pulmonum qualis 313
- mutationes reſpirationum augent 312
inſpiratus in pulmones calidos preſſionem ſuam vegetius peragit ib.
eius diuturna detentio num quid ad hæmoptyſin conferat 547
num ingrediatur ſanguinem 226. 309
calidus hæmorrhagias narium feroces reddit 742
num ſpiritus ſuppeditare poſſit 313
per *aerem* vegetabilia nutrimentum obtinent 215
panſpermia aëreæ num mixtiones ſpecialiſſimæ adſcribendæ 216
Aeſtimatio non eſt ſine perceptione 729
quos motus efficiat exemplis declaratur 1014. 1024
eius energia in ſenſibilitatis negotio 732
- deſperabunda trepidatio 689
iucundi & aduerſi 404. 405
Aeſtus febrilis quo modo ab ardore inflammatorio differat 629
inflammatorius quo modo a calore rheumaticarum ſtagnationum differat 957
ſolis ad hæmorrhagias narium erroneas anſam dat 742
Aetas an ad res non-naturales referenda 308
ætatum gradus, diuerſitates & mutationes 242
eius habitus ad morbos 506
quid ad tempora morborum conferat 505
eius differentia in reſtituendo 1066
- diuerſa energia in hæmorrhagiis 526. 529
ætates ex adſpectu iudicari poſſunt 244
ætatum morbi 173
- a veteribus non obſeruati 165
ætates habent rationem quandam cauſſandi moralem 507
Aether per aërem attractus num ſanguinis calorem augeat 227
Aethiopum color ſpecialiſſimus vnde 290
Aetiologia morborum phyſica quid ſit 441
Affectiones corporum anima ſub ſchematibus comprehendit 21
Affluxui nimio in vlceribus reſiſtendum 981
Agendi intentio & promtitudo in conſuetudine 344. 345
Agens vitale, actiuum, in corpore 77 372. 374. 376. 379
debet habere organa 41
mixtiones diuerſas inſtruit 380

γνῶσιν habere debet proportionis organorum mechanicæ 218
quodnam in febribus 713. 714
incorporeum, motus adminiſtrans, num per ſubiecta corporea alterari poſſit 105
accuſatur in defectu motuum 456
cur ita fugiat & deficiat in reſiſtendo putredini 81 - 83
Agentia alia intermedia præter animam falſo ſupponuntur 205
numeroſiſſima in vegetabilibus 105
vid. *Actiuum*, *Anima*, *Principium vitale*.
Aggregati & mixti differentia 70. ſeq.
& indiuidui phyſici differentia 68. 69
homogenei & heterogenei differentia 69
Aggregatum ordinatum & inordinatum, organicum & mechanicum 69. 70
Aggregatio corporis viui ſpecialis 74
Agnos e maximis gregibus matres agnoſcunt 216
Ακυρολογία abeſſe debet a Medicina 127
Alacritas animi poſt periculum ſuperatum 709
Alcalica volatilitas colliquans humores 55
Alexipharmaca: eorum inconditus vſus 184
nocent in lochiorum oppreſſione 833
Aliena a medico ſtudio arcenda, cur 43. 45. 46. 47. 53
per tot ſecula viguerunt 46
in phyſica 49. ſqq.
Alimenta: generalis regula medica de illis 327
qualia eligenda 319
mixtionis animalis cuius indolis eſſe debeant 318
multiplicia non temere ingerenda 326
ſalſa vrinam ſalſam reddunt 264
eorum præparationes 354
optimum alimentum 319
vid. *Aſſumenda*.
Alkekengi baccæ in nephritide & calculo proterue adhibentur 858
Αλλοτρίωσις medica ſ. theoria medica otioſa quid ſit 45. 46. 58
perplexa, anceps, ſcanduloſa, a theoria medica excludenda 64
theoriæ phyſicæ a medica 153
in ἀνθρωπολογία phyſica euitanda 52
Alterantia remedia ſunt incerta, fictitia, fallacia & vana 108. 112 716
Alteratio ſ. correctio materiæ noxiæ tarda, intuta & incerta eſt 60. 107. 108
vid. *Correctio*.
Alui adſtrictio eſt cauſſa congeſtionis verſus caput 743
hypochondriacis familiaris 778
Alui depoſitio ſtatis & arbitrariis temporibus 363
Alui excrementa vnde colorem habeant 269
Alui fluxus num a debilitate deducendus 655
eius lubricitas in febribus petechizantibus obſeruata 357

Amygdalæ 321. 322
dulcium & amararum effectus in vrina 265
Analepſis num anomalias in ordinem redigere poſſit 116
Analeptica actiuitatem ſtructoriam excitare poſſunt 1067
vid. *Roborantia.*
Anaſarca 897. 898
a ſcabie repulſa 912
Anaſtomoſis venarum epigaſtricarum cum mammariis 281. 282
Anatomia Medico non abſolute neceſſaria 45. 55
ſcrupuloſa 50
recentior curioſa 53. 54
eius ἀλλοτρίωσις 160
Angina 961
Anglia: frequentiam hydropis Liſterus in ea obſeruauit 899
Ani arroſiones & excoriationes vnde 269
Anima, animalis natura 60
viuens factus eſt homo 87
viua & corporis vita quomodo differant 424
vna rationalis antiquorum ſed diuerſarum facultatum 206. 207
tres animæ antiquorum 206
eius indoles & exſiſtentiæ deſtinatio 25. 30
eſt principium agens, vitale, actiuum in corpore, rectrix vitalis 77. 218. 424
eius vita in quo conſiſtat 88
quomodo vitam præſtet 60
eius actiuitas vitalis 62
- energia ad corpus ſuum mouendum 35
- - negatur 124
& formandi & regendi corporis energia ei tribuitur 372. 373. 383. 394. ſeqq.
ipſi incumbit conſeruatio corporis 428
- conceditur directio voluntaria in corpus 123
exſiſtit in & cum corpore, eoque vtitur 20
indiget inſtrumentis 29. 202. 203
eius immediatum organon & officina eſt corpus 35. 42
habet notitiam organorum 38
- - mixtionis 214
in corpus & per corpus agit 118
eius libera actiuitas in organa tam ſenſuum quam præcipua vitalia 35
eius energia tam volendi quam motus dirigendi 350
eius actus ſunt motus 29
motus in corpore prouocat & dirigit 33
eius concurſus ad motum, & nexus cum motibus corporis 122. 417
eius energia in motus quo modo a ſpirituum patronis explicetur 208
quid ipſi tribuendum ſit ſub adminiſtratione actionum vitalium 117. 118
motus actiue adminiſtrat & exercet 427
dirigit motus ſecundum voluntatem 415
motus locales inſtruit 416

eius nexum cum corpore probat energia animæ matris in ſtructuram corporis infantis 37
motus in eius poteſtate non eſſe monſtro ſimile eſt 101
falſæ hypotheſes de animæ actionibus, earumque refutationes 119-121
animam curare velle obiicitur 119
impotentia eius in res corporeas quibus argumentis adferatur 125
circa corporeas affectiones occupata etiam mediis corporeis id peragit 24
materialitati eiusque adfectionibus addicta eſt 88
triplici intuitu ad res materiales tractandas deſtinata eſt 28
quo modo a rebus corporeis alterari poſſit 123. 124
in ſingulis ſuis actionibus verſatur circa affectiones corporum, & quidem finitas & craſſiores 20. ſeqq.
immaterialitas per eius præſentiam in corpore non imminuitur 378
voluntatem motibus exſequitur non indiſcriminatim, ſed cum conſulta intentione & deſiderio 524
intentio eius ad fugienda & vitanda quæ corpori nocent 315. 408. 409
num ſit principium agens in febribus 714
titubatio eius in morbis vnde 491. 492
errandi & perperam agendi habilis & idonea eſt 182. 183
mores adſuefactos ſequi ſolet 176
impedimenta ei obiici poſſunt 120
multitudine rerum obruitur 21
eius rationalitas corrupta, vaga & præceps in culpa eſt, vt progreſſus corruptionis fiat 83
ex quibus cauſſis conſonum ſit, energiam omittere 84
efficacia eius in corpus pathetico-phyſica vnde 42
in corpus agit per pathemata animi 118. 428
eius ideæ phantaſticæ pro inuſitata effiguratione corporis 373
eius energia in mœrore cum deſiderio in ſtructuram corporis 246
eius affectus deſiderii rerum & auerſionis ab illis 24
ſenſoria dirigit & ſenſationem peragit 396. 397
eius intentio & applicatio requiritur ad ſenſus 29. 30
organis ſenſoriis pro arbitrio vti poteſt 30
eius ſollicitudo & vigilantia, item tædium ab energia ſentiendi 397
ſenſui indulgere, eum negligere & ſubterfugere illi poteſt 408
eius actiuitas in ſenſationibus 409. 411
eius paſſio circa ſenſationem 401. 402
opus habet ſenſuum in negotio cogitationum 408
num habeat motuum vitalium conſcientiam, recordationem & memoriam 208. 209

de quibus rebus cogitare poſſit aut nequeat 21
eius habitus intelligendi & volendi citra ſubſidium cogitandi & comparandi 407
an ſimpliciter intelligendi fine exſiſtat 30. 34
ad λογικὸν ſuum actum intelligendi corpora aggregata requirit 22.29
conuenientibus organis deſtituta conceptus & ideas de rebus formare non poteſt 25
neque in actibus rationis ratiocinatur aut meminit, neque in actibus voluntatis cogitat 209
quo modo ſomnum capere poſſit, & quid circa illum præſtet 333. 334
opus habet tempore ſ. duratione 29
an ad menſuras temporis habilis ſit 122
abhorret ab infinito 21
an ſit diuiſibilis 374
a quo ſexu communicetur 376
quo modo poſſit cum ſpermate communicari 374
Animarum energia in ſpecificis mixtionibus 358
Animalia corpora num ab aliquo agente ſtruantur, an per ſe exſiſtant 367
bruta rarius ægrotant 447
non tam facile a putredine corripiuntur 81. 83
ſingulorum mixtiones diuerſæ & diuerſitas odoris vnde 216
iudicium & neceſſario etiam phantaſia ipſis denegatur 20
eorum voracitas & fames vnde 362
calida maiore conſumtione afficiuntur 319
quæ reſpirant, calidum ſanguinem habent 225
eorum ratio victus diuerſa 318
ſimplex alimentum 320
ſelectum ciborum ſeruant 324
carniuora, graniuora, graminiuora 322
in vſum alimoniæ ſeruientia ibid.
quædam partes eorum ſimiles hominum nutrire creduntur 369
maſculinorum carnes diuerſæ ſunt a carnibus fœmininis 274
venenatorum morſus & ictus 600. 973. 1075. 1076
congreſſus eorum diuerſæ ſpeciei num fœcundus ſit 371
Animata quæ dicantur 36
Animi alacritas & ſecuritas poſt periculum 709
auerſiones æſtimatoriæ quid valeant 1014. 1015
energia ſecundum ætates diſtincta eſt 245
habitus differentia ſecundum texturæ corporeæ diuerſitatem 233
intentio cum temperamentis conuenit 525
motuum idea ab idea corporeorum motuum prognaſcitur 99
mores ſequuntur temperamentum corporis 175. 329
morum conſpiratio cum humorum & viarum proportione 236
huius rei fundamentum 238

mores febricitantium ſunt obſeruandi 708
ſenſibilitas maior in fœminis 292. 293
motibus obnoxii frequentius ægrotant 447. 448
Animi pathemata 328. 428
verus conceptus de iiſdem 340. 341
motuum conſiderationem in abſtracto refutant 206
non ſine ratione, nec in tumultu fiunt 343
intentio ſub quolibet pathemate certa & ſpecifica 340
eorum moderatus vſus & abuſus 349
quinam iis præ aliis obnoxii ſint 339
liberam actiuitatem animæ in organa vitalia demonſtrant 35
eorum effectus conueniunt cum intentione voluntatis 341
ſubtiles quæſtiones circa hoc negotium 340
agunt in corpus 37. 42. 118
corpori maxima damna inferunt 507. 720
eorum repentina efficacia in motus vitales 60. 99. 101. 175. 201
motus ab illis concitati 661
timoris ſumme anxii quos motus concitet 1024
pulſus mutationem inferunt 232
ſecretiones & excretiones turbant 170
appetitum perturbant 350
ſola animi commotio plus nocet, quam ſexcenti ſapores Hippocratis 783
ſenſibilitatem inducunt 132
morborum cauſſæ ſunt 57. 451
cur tantas alterationes hæmorrhagiis concitent 523
eorum effectus in hæmorrhagiis diuerſus 540
menſes perturbant & vno impetu opprimunt 588. 824. 825
lochiorum vitia proferunt 833
eorum efficacia ad irritandum febrium inſultum 705 706
in nephritide malum exacerbant 855
paralyſes poſt illa 692
conuulſiones idiopathicas producunt 679
deliriorum patheticorum cauſſa 1070
eorum energia in cancro 996
eorum vis in motus vitales quem vſum habeat in pathologia 348
eorum conſuetudo ibid.
fœminarum 293
Animus humanus ſciendi auidus eſt 3
peculiari voluntatis ſtudio fertur ad intimiorem rerum conſtitutionem pernoſcendam 5. 6. 7.
Aniſi vſus 326
Anni centum viginti dies eius quo modo intelligendum 241
Annus quinquageſimus certos limites energiæ vitalis ponit 242. 245
centeſimum annum vix vnus e millibus attingit 242
Annui recurſus & conatus imminutionis ſanguinis vnde 602
Anomaliæ motuum vitalium non ſimpliciter ſunt tumultuariæ 99
hæmorrhagiarum 920

Antepileptici ſpecifici efficacia 1020
Anthrax 985
Antipathia 13
Anxiarum perturbationum effectus cui motui tribuendus 1024
Anxiæ præfigurationes ex ſanguinis ſpiſſitudine & ſtagnatione 1071. 1072
Anxietas apoplexiæ cauſſa 1060
idea anxietatis melancholicorum vnde 1071
Anxii motus vnde & cur inſtituantur 213
Aperientia quæ damna inducant in menſium negotium 829
Apoplexia 685
eius infrequentia 1059
frequentior paralyſi 696
eius differentia 1058
- - ſpecialior 1056
- - a ſpaſticis & ſuffocatiuis affectibus 697
- - a catarrho ſuffocatiuo 1059
quo modo a ſuffocatione cooriatur 668
eius ſubiecta 696. 698. 1059
cui ætati propria 1059
eius ætiologia 1060
- cauſſæ 697. 698. 1059. 1060
- cauſſa generalis, formalis & ſpecifica 1061
- prodromi 1062
- gradus 696
- euentus plerumque funeſtus 698. 699
cur curatu & præſeruatu difficilis ſit 1062
ſemel coorta alia vice iterum conſurgit 1062
lenior in paralyſin tranſit 686. 696
fortior energiam mouendi aufert 1057
num V. S. ſubueniat & ſal vitrioli 699
apoplectici euentus ex congeſtione ſanguinis verſus caput 545
Apoſtaſis poſt febres 918
eius differentia a rheumatiſmo 625
congeſtionem phlegmonodeam & œdematoſam format 914. 915
Apoſtema 631
eius differentia ab apoſtematode 961
cur abſceſſus audiat 960
Apoſtematodes inflammatio 958
Apparatus ſpaſtici, congeſtorii, hæmorrhagici ad effectum hæmorrhagicum collineantes 848
Appetitus 350
naturalis quid ſit 13. 364. 380
eſt actus principii vitalis 353
eſt vera voluntas 350. 353
minime cauſſis materialibus adſcribi poteſt 351
differt a fame 352
legitimus 328
phantaſticus ibid.
eius auerſio a carnibus 324
appetituum relationes ad corporis conſeruationem 35
Appoſitio quid ſit 364. 365
Aqua & panis homini ad nutritionem ſufficere poſſent 320
& pinguedo durabile conſortium non ſeruant 210

aquæ

aquæ puræ vſus 326
Araneæ tela quid ſibi velit 401
Arborum fructus 322
Archæus Helmontii 208
Ardoris ſenſus inſignis in capite hyſtericarum 944
inflammatorii differentia ab æſtu febrili 629
Argentum viuum 1077
Aridura poſt diſtorſiones & paralyſes 692
Arilli cynosbati in nephritide & calculo proterue adhibentur 858
Ariſtoteles non agnouit indiuiduum phyſicum 69
eius ſpeculatio de corporum diuiſibilitate in infinitum 67. 69
- conceptus de conſtructione corporis 365
Aromata noſtratia & exotica 326
Ars longa, vita breuis 102
medica methodo vera comprehendi poteſt 143
- eius incertitudo vnde 142
- eius ſcopus & obiectum 57. 58. 199
ſine energia interna nihil poteſt 468
naturæ ceſſantis vices ſupplere non poteſt 61
cum natura cooperari debet 717
num poſſit corruptionem impedire aut corrigere 466
parum aut nihil poteſt in mixtionem corporis 151
partes ſolidas non reſtituit, ſed natura 1064
artificiales ſanguinis euacuationes incongruæ 924. 925
- ſemel adſuetæ incongrue omittuntur 931
Arſenicum 1076. 1077
Arteriæ propriam habent ſyſtolen 229
num proprium habeant pulſum ibid.
læſio motum eius proprium refellit ibid.
plus miſcelæ humorum ferunt quam venæ 223
earum non interrupta continuitas in venas refutatur 230. 231
- vſtio irrita & rationi contraria 885. 886
- vulnera 885
violatæ diſſectio 886
aſperæ ramificationes cuius vſus 309. 310
aorta truncus reliquarum communis 230
Arthritis quid ſit 1027
eius vera indoles & hiſtoria ibid.
- infrequentia 1045
- differentia a rheumatiſmo 811. 955
- & rheumatiſmi conſpiratio & ſubordinatio 1037
- ſpecies & ſubiecta 1028
- formalis explicatio 1040
quas corporis partes occupet 1028
ſtricte dicta inclinat ad ſuperiora 1037
eius ſpecialiores conditiones 1041
quatenus podagræ contradiſtinguitur cui ætati obtingat 1041

Iuniorum cuius indolis 1042
eius συζυγία cum excretionibus ſanguineis 1046
promte in conſuetudinem tranſit 1041
eius retroceſſio 1046
reſuſcitatio ab iracundia 342
ſoluta per hæmorrhoides 1049
Arthritis vaga: eius ſubiecta, locus afficiendi, motus 1029
ad efferas hæmorrhagias narium inclinat 742. 744
Arthritici affectus ſunt veri motus ſpaſtici 1038
arthritico-podagricorum pathematum reciprocatio cum hypochondriacis affectibus 1034
arthritodes-iſchiadicæ contentiones cum nephriticis confunduntur 858
arthritico-iſchiadicis vrina cum materia ſalina mucida aut ſalino-tartarea non raro euenit 865
Aſcites 897. 899
eius pertinacia ex læſione hepatis, glandularum & reliquorum viſcerum 902
Aſellius de glandula meſenterii centrali 254
Aſſimilatio quid ſit 364. 367
Aſſumenda per os 308. 318
generalis regula medica de illis 327
non omnia vtilia ſunt ibid.
quæ corpus lædant 719
vid. *Alimenta.*
Aſſumta num materiali ſtimulatione in ventriculum agant 361
ad morbos anſam præbent 451
contenta in abdomine conuulſionum cauſſa 679
cum nauſea diu retinentur in ventriculo 435
molliora ſæpe diutius detinentur quam duriora 360. 361
quando & qua ratione in fluxu menſium noceant 821. 825
Aſthma ſpaſticum ſ. conuulſiuum 1003. 1008
aſthmatici inſultus in acutis ſuſpecti ſunt 1009
aſthmatica oppreſſio hæmorrhoidariis familiaris 756
Ἀσύςασις theoriæ & praxeos medicæ 153
Athleticus corporis habitus 450
Atramentum: frigoris efficacia in illud 130
Atrophiæ poſt diſtorſiones 692
Auctores alios exſcribentes: quid de his ſentiendum 158. 159
auctorum multorum allegatio vana eſt 185
Auena 321
Auerſio ab aliqua re animæ affectus eſt 24
felis 1014. 1024
cibi & potus 418
medicamentorum ibid.
motus exercendi ibid.
per imaginationem maternam impreſſa 732
moralis, eiusque pertinacia in paralyſi 694
Augmenti corporis periodus 506

Auri-

Auricula cordis ſyſtole gaudent 228
Aurium arrectio ad ſonum 397
Αυτοκρατία naturæ ſ. animæ 62. 173
ſpecialiſſimis motuum directionibus agit 131
'Αὐτόματον corpus humanum audit 27
automaticus motus in machinis ſtatuitur 17
automatica commenta automaticæ mechanicæ in therapia non ſunt accipienda 1063

B.

Baccæ alkekengi in nephritide & calculo proterue adhibentur 858
iuniperi: earum vſus 326
Balſamica remedia 982
calida in phthiſi reiiciuntur 773
Barometrici motus error vulgaris 314
Bartholinus vaſa lymphatica in meſenterio detexit 254
Bilis ſecretio 267
eius duplex ſubſtantia ſupponitur 268
num ſit balſamus corporis ibid.
inteſtina ſtimulat ad excretionem fœcum 269
excrementis colorem conciliat ibid.
ad fœtorem fæcum num quid contribuat 271
Sylvii figmentum de eius vſu 268
eius acida acredo 269
- - per mucoſitatem in inteſtinis temperatur 266
acerrimam fermentationem concitat 357
eius corruptio 460. 461
num immediate e cibis ad folliculum fellis aſſurgat 267
eius folliculus quales materias excernat 96
eius & ſucci pancreatici conflictus affectuum abdominalium cauſſa eſſe debet 840
animalium per clyſteres iniecta quid efficiat 269
bilioſæ deiectiones vnde ibid.
Blut ſoll man ſich in den Leib kaufen 932
Blut=Schwären, Bluteyſſen 983
Boum caſtratorum diuerſitas ab integris 275
Borellus num aſſeruerit, motu progreſſiuo ſanguinem incaleſcere 153
Braſſica muriatica 326
Breuitas vitæ humanæ artis medicæ progreſſum impedit 45
Bruta num ſint nudæ machinæ 26
eorum actiones: qualis ratio de iis dari poſſit 105
num ipſis deneganda energia, actiones vitales regendi 118
ſenſus & motus eorum automaticus 415
rarius ægrotant 447
hæmoptyſin non experiuntur 550
febres iis non ſunt frequentes 710
Burſerus 157
Butyrum pallidum & amarum vnde 280

 C. Ca-

C.

Cachexia 905. 906
eius ſigna, duratio, exitus 906
eius cauſſæ 907
- - vtrum in humorum an organorum vitio quærenda 908. 909
ab interceptione euacuationum ſanguinearum 910
eius aliqua ſpes curationis 911
obfirmata in hydropem tranſit 906
907
eius & hydropis diuerſitas 905-910
Cacochymica indiuidualis corruptio quid in cancro efficiat 997
Calculus renum & veſicæ 859
renalis: eius hiſtoria, materia, forma, figura & prouentus 860. 861
- eius fabrica ſeu geneſis 864. 866
- vlcerationem pro fundamento habet 866. 867
- prouenit per pellentia & diuretica 855. 858
- ſequitur dolores nephriticos, inflammatorios a ſuppuratione aut vlceratione non alienos 861
- eius vlterior prouentus inhibitus manatione ſaniei vlceroſo-ichoroſa 862-864
veſicæ: eius diuerſitas a renali 868
- numero vnus manet, magnitudine augeſcit 871
- eius cauſſæ 872. 873
- eius intima textura ſeu conſtitutio 871
- eius accretio quo modo peragatur 872
- eius eliſio 868
- - inaudita 870
vtriusque euentus 881
- pathologia de ſpiritu lapidifico 856
- commotio per remedia & alias occaſiones 881-883
eius curatio exemplis illuſtrata 873. ſeq.
traumatica tolerat 867
remedia ad frangendum incerta imo noxia 881. ſqq.
pellentia an non mictus cruenti cauſſa 846
fœminas rarius exercet 850. 851
eius reſuſcitatio ab ira 342
falſa eius præſagia 881
eius ſpecialiſſima & extraordinaria phœnomena 877. 878. 879
calculi ex pectoris vlceribus 879
calculoſis vrina cum materia ſalino-mucida aut ſalino-tartarea familiaris 865
Calor: eius geneſis 632
eius motus 423
- energia in animalibus 319
- συζυγία cum naturæ motibus 214
ſanguinis inſignis vnde 223
- per reſpirationem 311. 312
inflammatorius 636
diſſolutoriæ deſtructioni fauet 211
laxat tonum, & euocat humores 314
volucrium quid per incubatum conciliare poſſit 878

inna-

innatus 150
calidum, non calorem innatum veteres arguebant 224
calores rheumaticarum ſtagnationum differunt ab æſtu inflammatorio 957
Calx viua: eius noxius effectus in pulmonibus per fabros murarios refutatur 880. 881
cum albumine ouorum aut caſeoſo lactis coagulo qualem concretionem formet 866
Campanella 162
Cancer 987
eius ſignificatio 988
- materia 992
duplex venenum in illo ſtatuitur ibid.
eius ſpecies & differentiæ 988
- differentia ab vlcere cancroſo 997
cur aliis apparatibus formetur quam ſphacelus 995
eius effectus per ſpaſticos dolorificos motus 996
- exſtirpatio 999
cur nulla arte coërceri poſſit 997. 998.
mammarum 989
cancroſi vlceris hiſtoria 989. 990
occultus 991
- eius infrequentia 1002
- diu ſine vlceratione perſiſtere poteſt 991
- cur intactus relinquendus 1001
Canes cito & potenter concoquunt 357
bilioſa excrementa non deuorant 269
ſagaces ex odore heri veſtigia diſcernunt 75. 216. 263
rabidi: eorum hepar aut cor ſpecificum eſt contra morſum eorum 1076
Capitis dolores 951
a congeſtione hæmorrhagica 609. 612
vere ſpaſtico conuulſiui 949
vid. *Cephalalgia* & *Dolores*.
Carbo 983
Carbunculus 983. 985
eius differentia a furunculo 987
peſtilens & ſine peſte 986
peſtilentis puſtula num periculum auferat 986
Carcinoma quid ſit 988. 997
Caries caluariæ, & dolores illius 949
Caro animalium maſculinorum & fœmininorum quo modo differant 274
carnes fumo induratæ nephriticis nocent 849
- appetitus auerſio ab illis 324
- earum eſus homini conuenit 322. 323
Caſeus: eius auerſio ex hæreditaria impreſſione 656
macrior nephritidem exacerbat 849
Caſtrati: eorum diuerſitas a ſibi relictis 274. 275
Caſum inter cauſſas phyſicas antiqui numerarunt 7. 8. 9
Catarrhus 614
eius eruptio dolores cephalalgicos mitigat 938

acrimonia *catarrhalis* num phthiſeos cauſſa 771. 772
catarrhales capitis dolores 951 vid. *Dolores.*
catarrhales ſeceſſiones ſeniorum 751. 752
ſuffocatiuus: eius differentia ab apoplexia 1059
- a cachexia repulſa 907
Cauſſæ morborum generales & ſpeciales 450. 459. 481. 482. 509. 510. 511
earum appellationes 444
- tria ſumma genera 508. 509
internæ præ externis maximam prærogatiuam habent 726
generales & quotidianæ ſpecialibus & rariſſimis rebus affinguntur 894
materiales: duæ morborum 739
- his maxima efficacia adſcribitur 722. 723. 934
morales ſpaſmorum 670 671
febrium internæ & externæ 704
hæmorrhagiarum 516. 519. 526
hæmoptyſeos 549
motuum anomalorum 653
defectus menſium 87. ſqq.
dolorum 643
conuulſionum 676. 679
paralyſeos 692
apoplexiæ 697
exitus morborum ſalutaris 467
cauſſales reſpectus anxie conſiderati magis confundunt 164
Cautelæ practicæ 188
Cauterium actuale in vulneribus arteriarum peſſimum 885. 886
Cephalæa quo modo a cephalalgia continua differat 940. 941
eius cauſſæ 941
num a cauſſa tantum ſeroſa pendeat 946
per ſeroſam excretionem exitum adepta cuius indolis 947
rheumatica cum congeſtoriis motibus ſtipata 941. 943
- eius dolores admodum pertinaces ſunt 945
Cephalalgia: eius ſigna, ſubiecta & hiſtoria 936. 937. 944
eius cauſſæ 938
catarrhalis ſeu *rheumatica* non infrequens 953
continua 941
- eius ſigna & ſubiecta 944
- eius in ſexu muliebri ſymptoma duplex ibid.
Cerebrum 379
eius polypi 527
Cereuiſia 326. 327
frigoris efficacia in illam 130
Ceſſatio menſium, & morbidæ illam ſubſequentes ataxiæ 589. 831
China-chinæ; huius corticis abuſus hydropis cauſſa 900
Chirurgus poſt frequentem vſum mercurii vitæ mortuus 1078
Chloroſis virginum 268
Cholera morbus 357
Cholerica humorum temperies 234
Cholerici: eorum textura, ſanguis, pulſus, vaſa, negotium vitale 234. 235
eorum mores 237
- actionum vitalium & moralium proportio 239

quibus morbis expoſiti 500
eorum idea energiæ motricis in morbis 499
Cholodochi ductus ſtructura & inſertio in inteſtinum 264. 267
Chylus: eius prouentus 993
teſtatur de permutatione aſſumtorum in craſin animalem 285
cum ſanguine miſcetur 359
eius vltima diſtributio 363
per quos ductus in vaſa dilabatur 358. 359
in lympham diſſolutus eſt materia nutritionis 360
depuratus lac conſtituit 279
ad putredinem pronus 325
Chymia tota veræ theoriæ medicæ inutilis eſt 55
circa motum corporeum quid demonſtret 104
diuiſionem phyſicam in infinitum refellit 68
Cibus & potus 308. 318
generalis regula medica de illis 327
eorum genuina menſura 378
- auerſio 418
cibi quam diu in ventriculo retineantur 360
- eorum reſolutio per fermentationem 355
- eorum ſelectum animalia ſeruant 324
- inſoliti quid efficere poſſint 724
- concoctionem turbantes menſium defectus cauſſa 587. 588
Cicatrices quædam iterum abſterguntur 1068
Ciceronis impotentia in ſua laude 146
Cicuta 1075
Circulatio, *circulus*, *circuitus* ſanguinis 218. 221. 433. 434
aliorum opiniones de illa 177
actiue dirigitur 151
eius phyſica ratio 115
illam ſequitur ſecretio lymphæ & ſeri 247
libera & expedita 301
eam Medicus non habet in ſua poteſtate 115. 116
num vita haberi debeat 128
non ſimpliciter conſeruat corpus 94. 113. 115
Claui: eorum dolores 646
Coagulatio & fuſio humorum 432
- per aciditatem 55
congeſtiones non explicat 934
Cobaltum 1076
Coffée vid. *Potus calidus.*
Cogitandi actus ſub figuris ab anima humana exercetur 21. 22
Cogitatio ab Ariſtotele per deambulationem deſcripta 29
in actionibus non ſemper adeſſe debet 417
quid efficiat in pulſus mutatione 232
Cohabitatio cum menſtruata cur prohibita 297
Cohibitio corruptionis 465
Colatio quid ſit 95
Colatoriorum pori reſpondent materiis transcolandis 258
Colli turgeſcentia in fœminino ſexu 273

Colliquatio humorum per alcalicam volatilitatem 55
Collocatio & conſtructio partium quomodo differant 76
Color: eius diuerſitas ex differentia temperamentorum 291
- - in oculis ibid.
ſubfuſcus hominum ſicceioris habitus vnde 290
Coloſtrum 389. 393
Columba (Gerhardus) 157
Columbæ campeſtres: quid illas impellat ad victum in aruis quærendum 32. 405
quid eas in columbarium reducat 33
Combinationes corporum 68
Commiſſura ibid.
Commotiones morbidæ & morbo oppoſitæ 496
vide *Motus*, *Actus*, *Symptomata*.
anniuerſariarum commotionum recurſus 891
Complexio 233
in quo conſiſtat 177
Compoſitio 68
compoſitiones iterum dirimi poſſunt in ſua principia 68
compoſita corporum diſtincta ſunt a mortuis 68
Conceptum prius ſibi anima de aliqua re formare debet quam de illis cogitet 22
Conceptus verus: mas & fœmina ad illum requiruntur 370
concipiendi energia cur, & quando, deſinat 294
Concoctio: quantum temporis requirat 360
quietem poſcit 327
ei refractaria fermentantibus ſubiguntur 326
Concrementa ex reliquiis ſecundinarum hæmorrhagiæ vteri cauſſæ 816. 817
Configuratio, *conformatio corporis* 214. 364. 365
Congeſtio 604. 310
eius hiſtoria ſ. circumſtantiæ 606. 608
- ſubiecta 608
- materia primaria & ſecundaria 612
- inſtrumentalis ratio, effectus & euentus 607
- vera indoles 935
- intentio & ſpecialior conditio 609
- conſideratio quem vſum medicum habeat 610
per fictiones veterum de acrimonia, fermento &c. non explicatur 934
hæmorrhagica 612. 626. 627. 796
ſanguinea in cephalæa a cauſſa ſeroſa pendere apparens 946
- quo modo ſeroſæ partis receſſio ex ea contingere poſſit 766
verſus *caput* 612
circa *pectus* ibid.
- tuſſis cauſſa 763
rheumatica per vniuerſum corpus ſe diffundit 613
ſeroſa, catarrhalis 610. 613
vlceroſo-ichoroſa etiam a ſanguinis contentionibus oritur 947
periodicæ, ſtatæ & vagæ 611

impe-

impetuoſa, infarctum auget & ſuppurationem impedit 967
pertinax in œdemate habituali 918
eius recurſus per leues occaſiones 609. 855
contentio congeſtoria 769. 963
- quid poſſit in apoplexia 1061
congeſtorii ſpecialiſſimi adfectus 933
Congregatio electiua & arbitraria corpuſculorum 216
Congreſſus animalium diuerſæ ſpeciei num fœcundus 371
Conſcientiæ pauores in melancholia 1072. 1073
Conſeruatio corporis ſ. vitæ 60. 61. 77. 78. 79
opponitur corruptioni 28. 82. 465
eius neceſſitas 200. 429
quale ſubiectum & obiectum requirat 79. 80
eius cauſſa efficiens 168
- - inſtrumentalis 91. 92
eius ratio non eſt manifeſta 28
- organiſmus 218
per nudum actum mechanicum præſtatur 97
non abſoluitur ſolo motu ſanguinis 94
eius methodus in omnibus animalibus eadem eſt 61. 62
materiales plerumque eius cauſſæ ſupponuntur 92
eius actus in quibus circumſtantiis omittendus 84
Conſolidatio: eius mechanica methodus 639
eius peculiaris temporis ratio & menſura 1066
Conſolidantia in phthiſi reiiciuntur 773
Conſtructio corporis: varii conceptus de illa 365. 366
& collocatio partium quomodo differant 76
eſt extra poteſtatem Medici 425
Conſuetudo 123. 343. 344
eius vis maior eſt in homine quam in aliis animalibus 347
inter animi pathemata refertur 720
alterat motum 60
ipſi animo contingit 345
ipſorum animi pathematum 348
eius energia num materiæ tribuenda 724
† ægrotandi 448. 493. 733
- verior eius ratio in quo conſiſtat 495
- nulla læſio partium in illa indicari poteſt 494
eius memoria tenax 347
motus laborioſos leues efficit ibid.
ſtatus hæmorrhagiarum periodos turbat 514
eius efficacia in effrenis hæmorrhagiis 743. 744
hæmorrhagiæ narium 741
fluxus menſtrui largioris quid poſſit 586
naturæ in reparatione amiſſi 304
- circa motus omittendos & negligendos 346
- certis horis euigilandi ibid.
eius repentina deſuetudo 349

conſuetudinales affectus, qua methodo ipſis occurrendum 496
Contagii communicatio certarum febrium cauſſa 705
Contentio motuum in remotioribus locis 842
congeſtoria maioris conſiderationis eſt, quam ſanguinis coagulatio 963
hæmorrhagica prudentem æſtimationem poſtulat 847
Contractio ventriculi poſt aſſumta 361. 362
Contracturæ arthritico-podagricæ 648. 1051
per incantamenta 592. 827
Conualeſcentia ægrorum ſpontanea 163
Conuulſiones 673. 674
earum infrequentia 1025
- diſtinctiones inanes 1026
cur circa phaſes lunæ ſuſcitentur 683
earum differentia & prognoſis 680
- differentia ab epilepſia 675
- - a ſpasmis 670
in motu muſculorum reciproco conſtant 675
earum euentus 682
- cauſſæ 666 678. 679
a cauſſis moralibus producuntur 674. 676
idiopathicæ ex animi pathematibus 679
ſymptomaticæ 1026. 1027
in morbis acutis 680
chronicæ 682
earum adſuetudo & recurſus 682.
684
refractariæ 684
earum effectus non phyſice ſed moraliter adſpiciendi 679
quibus affectibus ſuperueniant 677
propter excuſſionem aliquam ſubiectis quibusdam familiares 1024
in variolis quid indicent 676. 1016
in vermibus, dentitione difficili 1016
ex menſium oppreſſione per faſcinum 827
ex iracundia ſuppreſſa 341
poſt virium deiectiones 685
comitantur motuum commotiones infelicius exeuntes 1025
circa vltimum funeſtum exitum coorientes 681. 682
fortiores num pericukoſiores 1026
earum tractatio medica 684
Cor 379
fortiſſimus muſculus eſt 227
vnde & a quo moueatur 228
ſyſtole proprius eius motus eſt 228
Corpora: variæ opiniones de illorum exſiſtentia 366. 367
eorum combinationes 68
eorum diuiſibilitas mathematica ſ. in infinitum 67
- magnitudo certa & vltima 67. 68
mixtorum & compoſitorum corporum diſtinctio 68
eorum affectiones anima ſub ſchematibus comprehendit 21

cor-

corporum cœleſtium finis num pateat 18
fœminina quomodo differant a maſculinis 274
Corpus humanum αὐτόματον audit 27
a mechanicis vt abſoluta machina conſideratur 13. 30
eius elementa phyſici veteres, recentiores ſtructuram eius tantum penſitarunt 51
phyſica eius contemplatio in theoriam medicam temere traducta 49. 52
læſiones eius ex hiſtoria phyſica non comprehenduntur 49. 50
ſtructura & textura partium Medico non abſolute neceſſaria 54. 55
eius ſcopus ſ. finis 202. 203
- œconomia quomodo intueri poteſt 155
an per ſe ſubſiſtere poſſit 27
eſt organicum & exſiſtit propter animam 35. 37. 42. 88. 118. 203
habet organicam rationem & organicis ſuis ſcopis congruit 27. 35
eius præſes 372. 374. 379
- & animæ nexus probatur 37. 38
- vita quid ſit 97. 151
- mixtio & vita inter ſe confunduntur 67
- vita & anima viua quo modo differant 424
viuum contradiſtinguitur *mixto* 39. 51. 65. 97. 424. 443
viui & *mixti* diuerſitas duodecim argumentis oſtenditur 70-73
viuum debet eſſe mixtum 97. 104
eius materialis habitus ad vitam 74. 112. 210
eius textura diuerſa 233
eius ſtructura 75. 214. 215
eius partes mechanicam habent proportionem 201
totum flexile eſſe debet 210
eius duratio 105. 428
- - per vitam laborioſam 246
eius augmentum 318. 506
- incrementi ceſſatio 242. 243. 245
- integritati per ſecretiones & excretiones nihil decedit 93
- habitus athleticus 450
- reſtitutio quas materias alimentoſas requirat 318
- diuerſitas ſecundum ſexum 292
- textura diuerſa ſecundum diuerſam humorum *temperiem* 234
habitus ſtrictioris cur numquam pingueſcant 368. 369
ſumme *corruptibile* eſt 28. 78. 79. 200. 429. 462
quod hoc corruptibile non corrumpatur paradoxon eſt 51. 150
hæc eius diſpoſitio ad corruptionem non condigne conſideratur 51. 461
eius mixtionis *conſeruatio* neceſſaria eſt 60. 61. 79
- in quo conſiſtit 301
- num a circulo ſanguinis dependeat 113. 115
corruptionem eius frigus non præſeruat 128. ſeq.

eius conſtitutio a morbis ſuſcipiendis aliena 463
- diſpoſitio ad morbos & mortem 455. 459. 460
- læſiones præoccupare & depellere artis medicæ eſt 57. 58
- debilitas num ſit cauſſa morborum & mortis 494. 495
eius periclitationes animam triſtem reddunt 42. 118
Corpuſculorum ſelectus, numerus & ſitus in mixtionibus 216. 217
eorum appoſitio quomodo fiat ibid.
corpuſcularis coagmentatio Democriti 9
Correctio materiarum noxiarum operoſa & dubia eſt 60-62. 107. 108
magis quam euacuatio plerumque reſpicitur 184
per illam motus turbantur 725
Corrigentia remedia incerta, fallacia & vana 108. 112
num cunctationem menſium expediant 829
Corroſiuæ efficaciæ vulgaris demonſtratio 1077. 1078
læſiones ex venenis 1076
Corruptio 509. 635
fit per motum inteſtinum 74. 86
putredinoſa ex mixtione corporis 28. 80. 200. 210. 211. 462
- - qualis hæc ſit 460. 461
- præcipitis eſt progreſſus 211
ex ſtaſi 933
cancroſa qualis ſit 992. 994
ſphaceloſa qualis 974
eius deductio in actum eſt contra naturam 462. 465
corruptibile illud, quod non corrumpatur a phyſicis non reſpicitur 51
illam impediens poteſtas 464. 465
eius γνῶσιν habet principium vitale 86
eius effectus & euentus præoccupatur, non autem corruptibilitas ipſa 79
inſitam Medicus non poteſt mutare, bene vero aduentitiam 106. 107. 112
hic corruptibilis habitus eſt ſubiectum conſeruationis 79. 80. 82
inualeſcit, ſi conſeruatio deſinit 485
tempeſtiue remouenda eſt 83. 485
cur agens vitale ita deficiat in reſiſtendo putredini 81-83
ſecundum eius indolem inſtituitur etiam reſiſtentia vitalis 85. 86
languida, tædioſa, vlceroſa, in quibus partibus exſiſtat 212
frigus illam non præſeruat 128. ſeq.
Corticis chinæ efficacia & euentus 900
Coryza 951
differt a phlegmatorrhagia narium 749
hæmorrhagiam narium reſpicit 749. 750
Craſis humorum vitiata num ſit ſubiectum morborum 454
craſium mutabilitas fermenteſcens 55
Criſes naturæ 154
in dubium vocantur 539

febri-

febrium 162. 243. 703
hæmorrhagicæ Mechanicos vexant 537. 540
earum per hæmorrhagiam ſigna 537. 538
menſtruus fluxus aliquid critici fouet 294
Crocata in labore partus & lochiorum oppreſſione nocent 833
Cucumerum eſus 326
Cultriuori 1078
Curationes morborum ſpontaneæ 449
- certa & ſtata temporis menſura abſoluuntur ibid.
Curioſæ collectiones cuius vſus 186
Curioſitas, quæ tot inuentis ſibi placet 146
Cutis quas materias excernat 96
eius textura denſiſſima ſerum tenuiſſimum transmittit 258
eius vaſa & glandulæ 259
Cynosbati arilli in nephritide & calculo non conducunt 858

D.

D*Alempacii* opinio de ſemine 276
Datura 1075
Debiles facilius morbos ſuperant quam robuſti 494
& rarius intereunt quam ſani 733
Debilitas vera 685
vulgo accuſatur pro ſenſibilitate 654. 655. 727. 728
ſeu defectus actiuitatis in vigiliis 409
corporis num cauſſa conſuetudinis ægrotandi ſit 494. 495
num ſit cauſſa mortis 457
quæ in febribus acutis ſe exſerit 685. 689
Defectus Anthropologiæ phyſicæ quomodo corrigantur 52
menſium 819. 820
motuum 685. 1052
- eius effectus & euentus 700
virium 685. 686
- eius effectus 688
Deglutitio 355
Deiectiones bilioſæ varii generis 269
Deiectio virium 686
Deliria 1069
quid velint 409
num rationi contraria 1073
certis reſpectibus finalibus ſuperſtructa ſunt 1073
eorum differentia & concurſus 1069
anxia meticuloſa vnde 500. 501
chronica 1073
febrilia 1072
- eorum phyſica ratio ignota: pathologica eorum explicatio 1072
furioſa, temeraria, violenta 1070
ex iracundia ſuppreſſa 341
maniaca 419
melancholica; eorum exacerbatio 1073
pathetica, vnde occaſionem ſumant 1069

ſym-

ſymptomatica: eorum tres claſſes 1070
eorum cauſſæ ibid.
non ſemper ſequuntur viſcerum obſtipationes 1071. 1072
Democritus non admittit corporum diuiſibilitatem in infinitum 67
eius principia de interna rerum phyſicarum indole 5. 9
Dentes cui vſui ſint 323
eorum dolores 646
Dentitionis tempus, quid ad morbos conferat 505
Deſiderium: quid animus ſub illo intendat 341
rerum impetrandarum affectus animæ eſt 24
Deſidia nocet 329
Deſtinatio ad certum effectum phyſicum ſeu neceſſitas phyſica 9. 10. 11
Deſuetudo 346
conſuetudinis repentina 349
Detectio rei bonæ & vtilis æſtimanda eſt 147
Detentio excernendorum corpori nocet 720
Deus: num immediate ſit auctor ſtructuræ machinæ noſtræ 383
quo reſpectu vita de eo prædicetur 87. 89
eius voluntas & intentio certum finem inuoluit 27
Dextri & ſiniſtri collatio 217
& proportio 364
Diæta electa, timida, delicata, ſcrupuloſa 327
lauta, quid ad ſanguinis quantitatem conferat 302
vinoſa, cereuiſiaria, aromatica, ſalſa, ſaccharata, num tantæ ſit efficaciæ 723. 724
Diarrhœa 614
vide *Alui fluxus.*
Diaſtole cordis poſitiuus motus non eſt 228
Dictionaria practica cuius vſus 186
Differentia inter ea quæ fieri poſſunt & quæ fieri ſolent in corpore viuo 63. 64
Digeſtio: quid ei ſubuenire poſſit 325. 326
Dimotio 68
Directio: quomodo vox hæc accipienda 34
actiua energiæ motoriæ in virium omiſſione 689
actionum ad certos fines atque vſus 202
humorum ad ſpecialiores partes 918
& ſanguinis ad peculiaria loca 540
motuum ad certa loca criſin explicat 538
tonico-ſpaſtica in negotio hæmorrhoidali 568
Diſcendi nimia intentio deliriis anſam dat 1069
Diſcuſſio ſtaſeos per contentionem congeſtoriam valde impeditur 963
ſtaſium inflammatoriarum qualis eſſe debeat 964

Dislocationes, diſtorſiones: eas ſequuntur paralyſes, artuum ariduræ, atrophiæ 692
Diſpoſitio ad morbos 450. 459. 460
corporis ad moriendum 455
Diſſectio arteriæ violatæ 886
Diſſolutio ſeu corruptio quomodo fiat 74
putredinoſa ex mixtione corporis 211
Diuaricationes vaſorum trium viſcerum, hepatis, lienis & pulmonum 309
Diuerſitas mixti & viui corporis 65
hodie non vbique aſſenſum inuenit 73
eius vſus phyſicus & medicus 73
Diuiſibilitas corporum mathematica ſ. in infinitum 67
Diuretica acria calculum renalem producunt 855. 858
Dogmata tradenda non obiter tractanda ſunt 147. 148
aliorum tamquam ſua producere iniquum eſt 145
Stahlii: nusquam alibi producta 150. ſqq.
- Phyſiologica & Pathologica quæ ab aliis differunt 160
- eorum quæ in ipſius ſcriptis continentur breuis repetitio 187. 188
Dolores 639
variæ eorum denominationes 640. 641
acuti & anxietatibus ſtipati in cancro occulto 991
vehementiſſimi in furunculo 984
capitis catarrhales 951
- vehementes vere ſpaſtico-conuulſiui 949
- eorum therapeutica conſideratio 940
ex carie caluariæ ab aliis differunt 949
cephalalgici: eorum cauſſæ 938. 939
& remiſſio duabus modis eueniens 937
in cephalæa rheumatica admodum pertinaces ſunt 945
clauorum 646
congeſtorii eorumque differentia 936
dentium 646
inflammationum 638
quid velint 477. 478
ſpaſtici, arthritico-podagrici 1027
eorum cauſſa 643
vel a congeſtionibus vel propter easdem oriuntur 642
ſæpe ex adſuetudine promti ſunt 643
a congeſtione ſanguinis pendentes 953
eorum effectus 644
& euentus 645
Dorſum: eius moleſta tractio in malignis 649
Ductus cholodochus: eius ſtructura 264
& inſertio in inteſtinum 267
Ductus thoracicus: Pecquetus eum detexit 254

Dulcia, num tantopere metuenda 325. 326. 328
Duratio corporis 428
corpori viuo neceſſaria quomodo obtineatur 105
Dyſcraſia humorum num rheumatiſmo propria ſit 620
Dyſenteria cum vrina reciprocatio 272

E.

EBrietas apoplexiæ cauſſa 696. 1060
ſomnum facit 326
Eccriſis longiſſima in menſtruo fluxu 295
febrium 703
Edendi tempus 328
Effectus phyſici quomodo explicentur 9. 10. 11
ſecundarii quomodo conſiderandi 472 473
Efficacia ſtimulans in humoribus per acrimoniam ſulphureo-ſalinam 55
τὸ *efficere* differt a τῷ facere 14
Efficiens: eius & finis reciproca indoles 14
Effluuia granulorum & columbarii num columbas impellant & alliciant 33
Efformatio hominis differt a formatione in vtero 388
𝕰𝖎𝖉𝖊𝖗𝖉𝖚𝖓𝖊𝖓 virgini aduerſæ ſomnum ipſi turbant 23
Elementa tantum corporis phyſici veteres penſitarunt 51
Emanſio menſium 589. ſeqq. 820
vltra annum XIV. quas cauſſas agnoſcat 828. 829
Embryones quo modo defendantur a bilis acrimonia 266
eorum motus in vtero: eius initium 421
Empiria, quo modo efficaciam naturæ ſubleuet aut impediat 1064
Emplaſtrum Saponatum Barbette, in nephritide adhibitum, quem effectum habuerit 851. 852
Energia naturæ 62. 717
corpori viuo propria eſt 117
animi ſecundum ætates diſtincta eſt 245
creſcens, ſubſiſtens & fatiſcens: harum periodus 506
interna ad expugnationem morborum ſibi ſufficit 468. 469
motus tonici in hæmorrhagiis 527
motrix eius diuerſa idea vnde 498. 499
vitalis, eius circumſcripta poteſtas 244. 245
- eius limites 242
- quare certo temporis ambitu langueſcat & deficiat 503
- quando potius omittenda quam proſequenda 84
indiuiduorum Medicum adiuuare debet 117
ſenſationis & æſtimationis ſenſoriæ in œconomia vitali 412
reſpirationis 311. 312
mechanica tollitur per conſiderationem finis & vſus corporis 202

Eneruatio ſtructuræ corporis num ſit cauſſa termini vitæ 502
Ens lapidificum 879
vid. *Spiritus petrificus* ſ. *lapidificus*, it. *Gorgonius ſpiritus*.
Entrepreneurs mediciniſche 110
Epicurus: eius principia de interna rerum phyſicarum indole 5. 9
Sectatores eius deſtinatos effectus phyſicos peruerterunt 9. 10
Epilepſia 1010.
eius origo, cauſſæ, hiſtoria 1010. 1011
differentia a conuulſionibus 675
quas partes exagitet 1012
in ſpermatis eiaculationem deſinens 1070
eius adſuetudo 1020
ætiologia 1013
ſequitur phaſes lunæ ibid.
cur phaſibus lunæ reſpondeat 1023
eius veſtigia paralyſis legit 691
ſæpe per primam cauſſam occaſionalem fouetur 1017
ex menſium ataxia per veneficia inducta 592
Epilepticus paroxyſmus: eius inuaſio cum duplici circumſtantia 1019
Epileptici: eorum motus & actiones quem ſcopum habeant 1015
it. laſſitudo poſt paroxyſmum 1013
Equitatio Sydenhami 330
Ἔργον naturæ verum quid ſit 41. 42
Eroſiones 600
Erotomania perſonalis 1070
Eruptionis ſanguinis conatus ſi ſupprimuntur variæ hinc ægritudines 893
Eryſipelacea conſtitutio in cephalalgia continua 944. 946
Eryſipelas 630
Eſculenta acida num reformidanda 326. 328
Eſſentia rerum, earumque generalis & ſpecialis reſpectus nondum perfecte innotuit 5. 6. 7
Euacuatio: ſine hac efficacia alterantium nulla eſt 716
materiæ noxiæ correctioni præferenda 107. 108
ſanguinis: eius neglectus ſpaſmi cauſſa 1005. 1006
Euacuatoria intentio in motibus epilepticis 1015. 1020. 1029
Euigilandi conſuetudo certis horis 346
Examen propoſitionum & obſeruationum quo modo inſtituendum 945
Exanthemata ſudationem actualem non ferunt 651
paralyſis poſt malum eorum ſucceſſum 691. 692
Excernenda 308. 327
eorum detentio corpori nocet 720
Excernendi methodus moderata, tranquilla 97. 98
materiarum proportionatam conditionem requirit 99. 100
Excreſcentiæ hæmorrhoidales 801. 805 806
Excretiones 247. 510
impeditæ & turbatæ morborum cauſſæ 451
earum recurſus ſtatis temporibus 169. 170
halituoſæ ſub reſpiratione 311

ſanguinis diuerſæ ſecundum ætates 506.507
- ſinceræ in fœminis fiunt ſecundum naturam 293
- earum exactior penſitatio 300
ſeminis retardari poſſunt 275
ſeri, quo modo fiant 259
vrinæ 263
earum vſus in febribus 181
& neceſſaria efficacia in iisdem 713
ad conſeruationem corporis neceſſariæ 301
per has natura vitam præſtat 60
quantum ad vitam concurrant 151
œconomiæ animali perutiles ſunt 116
earum vſus non debite conſideratus eſt a phyſicis 52
doctrina earum longe aliter ab antiquis atque hodie tractata eſt 154
Excrementa alba vnde 296
liquidiora & ſicciora 248.249
Excretora organa præcipua 96
Exhalationes felis num explicent eius agnitionem 411
muci, num calculorum cauſſa 880
ſeri internæ 260.261
Expectorantia in tuſſi ſicca noxia 764 765
Experientia num a ſana ratione aliena ſit 47.48
Experimenta ad corruptibilitatem corporis viui mutandam fide digna non ſunt 106
Expugnatio morborum: eius cauſſa 468
Expulſiones ſ. excretiones 510
Exſangues partes quibus corruptelis expoſitæ ſint 212
Exſectio ſ. exſtirpatio cancri 999
Exſpectatio medica 504
Exſpiratio 310.311
ea humiditatis pars in auras emittitur 227

F.

Facti & modi fiendi veritas quem vſum habeat 11.12
Facultas vitalis, quid antiquitus denotauerit 77
retentrix & expultrix 154
- veterum 272
Fæces aluinæ nulla ſecretione ſed excretione indigent 270
earum fœtor diuerſus 271
earum ſubſtantia liquidior ſæpe in vaſa reſorbetur 272
nihil ad acidam acuitionem conferunt 822
earum prouida excretionis adminiſtratio in rebus ſolidis & peregrinis 272
Fæx cereuiſiaria, inprimis ad liba & frixa admixta, primas vias turbat 822
Fames differt ab appetitu 352
eius cauſſa in animalibus 362
Familiarum ſimilitudo gentilitia 291
Farina: eius fermentandæ quis auctor fuerit 320
Faſcinum: eius negotium intricatum 1023

ener-

energia impreſſionis per illud 1021
quid in menſium negotio efficiat 591. 592. 827
Fatum cauſſis phyſicis veteres immiſcuerunt 8. 9
Febres 701
earum hiſtoria 702
& generalis theoria 714. 715
exquiſitos ambitus ſeruant in omnibus ſubiectis 711
earum periodi 702
earum pathologia organiſmi fundamentum eſt, eiusque obiectum 41. 161. 162
motus febrium indoli materiæ reſpondent 183
earum ſubiectum 710
- differentia 707
hominibus præ brutis frequentiores obtingunt 710
earum cauſſæ internæ & externæ 704
- effectus 705
earum ſucceſſus & exitus: eius ratio 711
- euentus 706
ſunt vtiles 162. 478. 479. 714
tendunt ad expurgationem 703
iisdem pauci moriuntur 705. 706
earum ætiologia ex vſu motus tonici multum habet 171
reſtrictio humorum verſus interiora quem vſum habeat 665
num apoplexiam ſoluant 700
acutæ: ſtrictura totius corporis in nonnullis ſudorem non impedit 649
ſingularis vigilantia & ſenſibilitas in illis 409
earum circa dies criticos funeſtæ terminationes 539
contagioſæ, malignæ & peſtilentes 183
exanthematicæ ſudationem actualem non adſciſcunt 631
petechizantes cum alui lubricitate ſtipatæ 157
tertianæ adſuetudo 709
a putredine veteres deduxerunt 461
earum ſuppreſſio hydropis cauſſa 896. 899
- repullulatio 709
- ſpontanea curatio 708
- tractatio medica ſæpe periculoſa 111
earum doctrina variis diſſertationibus tradita 181
Febriles commotiones ſ. horripilationes nephritici experiuntur 849
podagricis inſultibus ſuperuenientes 1031
paroxyſmi in pares periodos temporis incidentes 345
Febrilia deliria 1072
Februa & *Februare* antiquum latinum vocabulum 703. 704
Feigwargen 806
Felis auerſio 1014. 1024
præſentia in conclaui ex ſenſibilitate aduerſa & ex anxietate agnoſcitur 22. 656
- in nonnullis commotiones immo lypothimias excitat 410

eius agnitio num ſpecialiſſimæ conformationi organorum imputari poſſit 411
Ferculum: vno ſanus contentus eſſe poteſt 328
Fermentalis aura vnde ventriculo adſpiret 356
Fermentans materia in febribus menſuram temporis num ſeruare poſſit 711. 712
Fermentantia ſubigunt concoctu difficilia 326
tempore menſium nocent 822
Fermentatæ fruges crudioribus præſtant 322
Fermentationes & fermenta 155
Fermentatio, cuius ſit indolis 358
quibus adminiculis ſuccedat 357
eius ſpecies eſt putrefactio 80
aceſcens num in humoribus reperienda 56
humores turgefaciens congeſtiones non explicat 934
in ventriculo 355
multas acidi ſpecies producit 56
Fermentatiua corruptionis efficacia 461
Fermentatiuas mutationes infrequentia & reditus morborum infringit 57
Fermenteſcens mutabilitas *κράσεων* humorum 55
Fermenteſcentium rerum vſu homo viuit 56
Fermentum: imago fermenti 380
κατ' ἐξοχὴν acidum eſſe debet 356
ſpecifica fermenta ſupponuntur 355
ad calculi productionem 856
renale, vrinam generans ſupponitur 263
ſtercorificum 271
ventriculi nullibi conſpicitur 356
ſpeciali non opus eſt 357
Fibræ muſculorum 421
earum numerus mochlicho-mechanicus 54
- poſitus ad potentias motrices 155
Ficus ani 806
Fieri quæ poſſunt & quæ ſolent 68. 172. 442
horum differentia in corpore viuo 63. 64
Figura: partium ſtructura ſpecifica 214
pororum & particularum figuræ determinatæ 247. 249
ſex argumentis refutantur 249-252
pororum colatoriorum cum figura corpuſculorum 96. 364
anima humana figuras cogitatione complecti poteſt 21. 22
Finis & efficientis reciproca indoles 14
etiam media ad illum facientia requirit 25
rerum fines, num anxie inquirendi ſint 18. 19
- ſunt vel vniuerſales ſeu coſmici vel ſpeciales 18. 19
corporis humani 202. 203
motuum vix obiter animaduertitur 46
Finitum cadit ſolum in poteſtatem animæ 20

Fiſtuloſa vlceratio ab hæmorrhoidibus tumentibus 799
Flammula cordis 224
Flatulenta edulia nephritidem exacerbant 849
Flatulentia primarium ſymptoma mali hypochondriaci 783
Fleiſch, Bullochſen-Kühe-Fleiſch 274
ſchwammigtes, weiches Mch-Fleiſch 323
Flexilitas corpori neceſſaria eſt 210
Fluidum neruorum 414
Flůſſe 610
Fluuii conſiderantur mechanice & organice 15. 16
Fluxuum ſanguinis ſuppreſſio 893
Fœcunditas: eius periodus 506
Fœminæ temperamenti frigidioris & humidioris habentur 274
earum ſenſibilitas & alia pathemata 292
cur ad vomitum cruentum proniores ſint 593
cur non tam procliues ad hæmorrhoides quam viri 593
hæmorrhoides ipſis non inſolitæ ſunt 567
earum ſenſibilitas in menſium fluxu 295
iuuenes extra coniugium largiori menſium fluxu laborantes 586
ad ſpeciem propagandam factæ 296
quid ſuppeditent in negotio formationis 384. 385
eas corpus infanti ſuppeditare antiqui volunt 377
Hippocrates fœminam morbos bis pati ſuſpicatus 839
fœmina nigrum infantem enixa 290
Fœniculum eius vſus 326
Fœnum limoſa illuuie obrutum, quid ouibus noceat 880
Fœtor fæcum aluinarum diuerſus 271
Fœtus: eius lanugo fæculenta 389
ſitus ibid.
viuacitas ipſi propria eſt 385
nutrimentum eius 387
maturitas 382
excluſio 391
an aliquid ad partum contribuat 391. 392
Folliculus bilis quales materias excernat 96
Foramen ouale: eius conſideratio & officii eius explicatio 317
occluſio eius num ex mechanica explicari poſſit 316
Forma informans Ariſtotelica 380
nuda Peripatheticorum 365
Formatio: varia vocabula de hoc negotio 380
ab hac differt efformatio 388
poſthac nihil aliud eſt quam nutritio 378
eius materia 383
a quo ſexu conferatur 384
periodi formationis in vtero 388
præſes formationis corporis 372. 373. 374. 379
quæ pars prima efformetur 379
eius ſucceſſus 382
tempus plenæ formationis 388

ſecun-

ſecundum dextrum & ſiniſtrum 76. 77
Fremitus 642
Frequentia morborum in homine præ brutis 446
eius veritas hiſtorica attendenda eſt 894
Frigus: eius ſenſus in hominibus diuerſus 319
effectus conſtrictorius 314. 315
motum ſtrictorium auget 662
eius ſenſus in vertice & ambitu bregmatum hyſtericis communis 944 945
corruptionem non præſeruat 128. ſeqq.
putredinem cohibet 128. 129
eius effectus putredinis initium 129
humidum magis afficit corpus quam frigus conſtans & æquale 313. 315
intenſum maniaci tolerare poſſunt 1074
Fruges 321. 322
quæ reliquis ſpeciebus antecellunt 322
Fructus arborum ibid.
horæi menſes turbant 587. 588
Frumentum Saracenicum 321
Fuga actuum vitalium in reſiſtendo putredini 81-83
Fungi quidam deleterii 1075
Funiculus vmbilicalis, eius reſectio 393
Furnorum Aegyptiacorum calor 378
Furor vterinus 1070
Furunculus, quid ſit 983
eius & carbunculi differentia & vſus 987
in ſphacelum præceps 984
maioris ambitus 985

G.

Gänſe-Haut 662
Gallinæ: ſine maſculo oua pariunt 377. 378
earum tunica ventriculi interna cuius vſus eſſe credatur 370
Ganglia 1002
Gangræna 631. 637. 965
quid ſit 966
eius hiſtoria & euentus ibid.
Gaudium: eius effectus in actus vitales 339
Gelu fortiſſimum intimiorem mixtionem tollit 130
Generatio 370
eius negotium quid in fœminis efficiat 293
Gentes: earum diuerſitas ratione coloris 291
Geometria phyſicam diuiſionem in infinitum refellit 68
Geſundeſte Leute ſterben am erſten 451
greiffen die Kranckheiten am ſtärckeſten an 494
Gingiua: eius ſuppurationes 961
Glandulæ: earum ſtructura qualis ſit 255
earum vſus veteribus incognitus 254
cutis 259
inteſtinorum ordinarie ſecernunt mucoſitatem 265
inte-

inteſtini Ilei effundunt lympham ſaliualem 358
meſaraicæ: earum color nigricans quid indicet 910
- - earum conſtitutio in hydropicis 902
Glanduloſæ partes: earum abſceſſus ſponte non conſolidantur 962
Gorgonius ſeu *lapidificus ſpiritus* 855. 856. 864 - 866
vid. *Ens lapidificum*.
Graciles: cur numquam pingueſcant 368. 369
Grauedo: eius ſigna, locus, ſymptomata 951. 952
Grauedinoſa eruptio dolorum remisſionem in cephalalgia adfert 938
Grauidæ: earum languidiores conſolidationes 1066
Grauitas: eam ſimulans tenſio in hæmorrhagiis 532
aëris, num ipſi quid imputandum 314
Grumoſitas ſanguinis hæmorrhag. cauſſæ iudicatur 520
Gutta roſacea incaleſcentiæ hepatis imputatur 742
Gypſum cum glutine marmoream firmitudinem format 866

H.

H*Abilitas* corporis ad ægrotandum 459. 460
Habitudo illa, qua res ita & non aliter fieri debent, hodie non recte cognoſcitur 7
Hædi ouilli generis: eorum carnes 274
Hæmoptoë ſeu Hæmoptyſis 752
Hæmoptyica molimina cum aliis hæmorrhagicis moliminibus complicata ſunt 755
Hæmoptyſis 752
diſtinguenda a ſputo cruento 545. 752
vnde 612
num actiue an paſſiue erumpat 753
rariſſime eueniens 549. 550
eius ſubiecta 546
cui ætati obtingat 754
raro in annoſioribus obſeruatur 920
locus eius eruptionis 546
eius cauſſæ 549
eius vel bene vel male ſuccedentis effectus 552
ſemel exitu potita illum iterum affectat 757
eius euentus 754
- defectus 552
cur periculoſa 549
adſueta menſium reuocationem difficiliorem reddit 758
menſtrua 530
periodica & ſtata 548
ex violentis occaſionibus 547
Hæmorrhagiæ 305. 306
earum hiſtoria 512. ſeq.
frequentiſſimæ ſunt 796
quo modo recte intuendæ ſint 604
earum differentia 529
- - ſecundum ætates 506
- ſpecialiſſimæ diuerſitates 884

- ſubiecta 516
- cauſſæ 516. 517
- - inſtrumentales & morales 576
- apparatus per congeſtiones & contentiones 769
- mechanica ratio in obſtructione vaſorum ponenda non eſt 527
nulla phyſica ratio eas producit 522
cur per animi pathemata in aliis incitentur in aliis ſupprimantur 522. 523
eas ex plethora veteres deduxerunt 165
earum effectus vtilis, euentus autem diuerſi obſeruantur 583. 584
- vtilitas in dubium vocatur 519
earum *anomaliæ* 920
- defectus peior eſt exceſſu 599
pluribus incommodis viam ſternunt 507. 543
vſus ſuccedentium 173. 523
minus ſuccedentium & irregularium effectus & euentus 525. 744. 745
rheumatiſmus eas eminus reſpicit 618. 622
earum ſymptomata 535
in illis curandis veteres cautelas dederunt 165
potius poſt impetum commotionis quam ſub illo erumpant 521
moderatæ, tranquillæ, ſtatæ 513. 514. 517. 519. 528
ſtatæ quando erumpunt 521
ſpontaneæ & ordinatæ quid commodi adferant 165. 514
conſuetæ deficientes aut impeditæ quæ incommoda adferant 515. 938. 939
periodicæ 530
menſtruum circuitum ſeruantes ibid.
hæreditariæ 744
incongruæ 920
- cohibitæ quid adferant 924
intempeſtiuæ immoderatæ & fere indomitæ ſunt 923
earum profuſiones num hydropis cauſſa 907
ſuppreſſæ hydropis cauſſa 895. 896. 898. 904
efferarum moderatio artificialis quo modo inſtituenda 745
paſſiuæ: earum effectus & euentus 600. 601
cito cohibitæ periculoſæ 601
a nuda vi externa 884
- - earum euentus 891
- - ad exceſſus procliues ſunt 888
- - non ſtatim ſupprimendæ ibid.
per *venæ ſectionem* incongruam aut inſufficientem concitatæ 889
vulnerum 884
- annuos recurſu habens 602
criticæ: earum ſigna 538
- - conditiones & conſectaria 890. 891
- exceſſus ratio 542
narium 529. 609
- earum hiſtoria 531

etiam

- etiam aliis ætatibus obtingit 533. 536. 920. 921
- promte ex his locis erumpens: mechanica ratio 536
- cauſſæ 535
- effectus 341
- adſuetudo 536
- ſuccedens, per vim prolicita, placida & moderata 531-533
- iuniorum immoderatæ, poſtea ceſſantes quos affectus proferant 746
- dolores capitis ſoluunt 609. 612
- non fientis & molientis incommoda 532. 534
- earum conſuetudo & inſolentia 741
- moderata eſt ventilatio conſeruatoria 740
- menſtrua 530
- hæreditaria 741
- morbida 740
- - eius euentus 746
- - eius tres claſſes 741
- erroneæ: earum cauſſæ 742
- a ſpaſticis translationibus & congeſtoriis ſtricturis quo modo æſtimandæ 746
- importunis ſtimulationibus prouocatæ fiunt irregulares 744
- ferociores obſtructionibus hepatis imputantur 741. 742
- excedentes 543. 546
- deficientes 544
- male ſuccedentes earum euentus 532. 542
- criticæ 337
- ceſſans hæmoptyſeos cauſſa 551
- cur ſecurum non ſit, naturam in hac ſua methodo imitari 925

uteri 581
- a fluxu menſium differt 815
- eius cauſſa 816

abortiua num ſimpliciter lochialis ſit 597

molimina hæmorrhagica oblatis occaſionibus recurrunt 347
- quibus affectibus anſam præbeant 508

moliminis hæmorrhagici inſtrumentum 528

circumſtantiæ hæmorrhagicæ cum morborum genio recte conſiderandæ 893

deſtinationes hæmorrhagicæ num præſeruari poſſint 1062. 1063

Hæmorrhoides 350. 562. 795
- vnde nomen earum 562
- internæ & externæ ibid.
- cœcæ, turgentes, tumentes 798
- albæ 800
- veſiculares 563. 797. 801. 806
- cur per hæc loca erumpant 565. 567
- quo ſenſu ſint beneficium naturæ 796
- earum hiſtoria 562. 563
- - tempus & ordo excretionis 563
- ex quibus cauſſis, cui ætati & ſexui eueniant 564. 565. 566. 797
- viris familiares 795. 810
- fœminis non inſolitæ 566. 567. 593

internarum & externarum conſpiratio & tranſitus 565. 802
externæ multa incommoda formant 564
tumentes in fiſtuloſas vlcerationes tranſeunt 799
commode, ſuccedentium effectus 569
minus bene ſuccedentium euentus 564. 570
vitioſi earum ſucceſſus rheumatiſmos producunt 957
earum ataxia 797
earum exceſſus, eius cauſſæ 570. 798
- defectus, eius cauſſæ 571. 572
ſuppreſſas quæ mala ſequantur 565. 566. 572
earum ſuppreſſio hydropis cauſſa 896
earum emanſionem tumores excipiunt 614
earum & mali iſchiadici, nephritidis atque calculi renum inter ſe & cum podagra conſpiratio 565. 811
podagram ſoluunt 1033
earum concurſus podagricis non eſt inſolitus 1047
quo modo fluxus earum & quando podagræ proficuus 1048
arthritidem ſoluunt 1043
malum hypochondriacum mitigant 569. 779
poſt menſium obſtructionem aut ceſſationem 507. 508
teneſmus hæmorrhoidalis 799
ſerpigo hæmorrhoidalis 800
molimina hæmorrhoidalia cum mictu cruento conſpirant 575
negotium hæmorrhoidale delicatiſſimum 927
- eius nexus cum malo iſchiadico 806-810
- ſexui virili multa incommoda parit 844
conatus ſuppreſſi vergunt ad iſchiadicas & podagricas paſſiones 1033
venæ hæmorrhoidalis conſenſus cum ſtricturis ſpaſticis ventriculi 588
motus & fluxus hæmorrhoidalis differunt 811
hæmorrhoidariis obtingit regurgitatio ſanguinis verſus pectus 756
Hæreditaria diſpoſitio: in hac ſenſibilitas in ſpecie conſideranda eſt 656
ad morbos 448
ad phthiſin 773. 774
ad hæmorrhoides 796. 798
ad calculum in infantibus 872
ad hæmorrhagias narium 741
- earum prouida tractatio 745
Halituoſa excretio ſub reſpiratione 311
Harmonia actionum corporis 202
Haruæi ſatyrica conſideratio pathologiæ vſitatæ 1053
Hectica a phthiſi differt 767
hectici hæmorrhagias narium feroces habent 742
Helcodes dolor 641
Helmontius 162
eius Archæus 208

eius opinio de mente 375
ratiocinandi principium a mente diſtinguit 415
ſedem mali hypochondriaci in ventriculo conſtituit 840
Hemicrania ad arthritidis familiam adſcribitur 1039
Hemiplexia 685. 696
eius differentia ab Apoplexia 1058
Hepar: vaſorum eius conſideratio 309
eius vſus ſanguificatorius & ſecretorius 908
num chylus per meſaraicas venæ portæ propagines ad illud feratur 359
eius obſtructio hæmorrhagias narium ferociores efficit 742
- conſtitutio in hydropicis 902
in hydropicis deprauatum 908
vterinum 386
Heterogeneitates cur metuendæ 96
Highmorus conuenientiam hypochondriaci & hyſterici mali oſtendit 839
Hippocrates: eius effatum de natura 163
eius loca de rigoribus febrem ſoluentibus quomodo intelligenda 1009
Hirci: eorum olidiſſimus odor 275
& carnes 274
Hirudinum vſus remedium curatiuum aduerſus hypochondriaco-ſplenetica atque iſchiadico-arthritica pathemata 812
adplicatio calculoſis ſolario eſt 854
adplicatione podagra ſubiata 1033
Hiſtoria paſſionis in genere 445
morborum 156
Hoffmannus (Caſp.) ex calido innato ſpiritus efficit 224
Homo factus eſt anima viuens 87
eius vita in quo conſiſtat 88
- natura quid ſit 308
- intimior indoles in quo conſiſtat 3
- periodus vitalis 241
cur naturaliter moriatur, ratio reddi nequit 244. 454
num totus a natiuitate morbus ſit 445
quod raro ægrotet 150
plures homines a morbis immunes viuunt 445
robuſtus, floridus & illibata ſanitate fruens a morbis grauius adficitur 494
præ brutis frequentiores habet febres 710
- - a putredine corripitur 81. 83
ſolus ſolemni hæmorrhagiarum exonerationi addictus eſt 543
non diuerſus eſt a reliquis animalibus ratione ſimplicis nutritionis 320
ſine carnium eſu viuere poteſt 324
hominum duo genera in re litteraria 144
Hordeum 321. 322
Horologium conſideratur mechanice & organice 17
Horripilationes 662. 666
& horrido-tremulæ concuſſiones 648

Humanæ conſtitutionis ſcientia medico neceſſaria 199
indolis promtitudo ad ſibi conſulendum 710
Humanum genus collectim ſumtum, quid demonſtret in diſpoſitione ad morbos 463. 464
Humiditas: eius συζυγία cum naturæ motibus 214
multa diſſolutoriæ deſtructioni fauet 211
frigida corpus valde afficit 313. 315
largior affluens ſcirrhi corruptionem inducit 1001
Humidum radicale 150
Humores: eorum maſſa ex tribus liquoribus conſtat 221. 222
eorum differens conſiſtentia 252
- propria indoles 155
- circuitus cum ſanguine 221
- directio ad ſpecialiores partes conſiderari debet 918
- mutationes ſecundum chymicas fictiones 55
- diuerſa temperies quadruplex 233
- & viarum proportionibus animi mores reſpondent 236
- proportionem ad vias neque antiquiores neque recentiores recte conſiderant 236
ab aceſcente fermentatione alieniſſimi ſunt 56
ſpiſſi obſtructionibus fauent 462
eorum maſſa ſ. craſis vitiata num morborum ſubiectum 454
eorum an organorum vitium num ſit cauſſa hydropis & cachexiæ 908. 909
Hydrophobia 1074
Hydrops 894
rarus eſt affectus 895
eius frequentia in Anglia 899
vniuerſalis & particularis 897
vnde oriatur 757
num cauſſa eius vitii in humoribus an viis quærenda 908. 909
ſine prægreſſa cachexia 905. 910
eius modus fiendi 903
quomodo per ſuppreſſionem inducatur 901
vulgo a vaſorum lymphat. ruptura deducitur 256
num e profuſionibus hæmorrhagiarum 895
poſt nimias profuſiones menſium oppreſſas 831
vrina hydropicorum qualis 902
eius pertinacia ex violatione ſtructuræ hepatis & glandularum ibid.
- phænomena tum in viuis tum in mortuis 901
- difficillima immo vere nulla ſpes curationis 911
Hyoſcyamus 1075
Hypocauſta calida hæmorrhagias narium erroneas producunt 742
Hypochondriacum malum: eius conuenientiam cum hyſterico Highmorus oſtendit 839
Hypochondriaco-hyſtericum malum: eius ſedes ab Helmontio in ventriculo conſtituitur 849

- reſuſcitatio ab iracundia 342
- pathemata poſt menſium ceſſationem 831
- pathematibus quinam ſubiaceant 501
- turbæ a cohibitis hæmorrhagiis narium 745
eius & menſtrualium pectoralium-que affectuum συζυγία 781
ſæpe coniunctum eſt cum narium hæmorrhagiis 533
eius pathemata per hæmorrhoides mitigantur 569
vid. *Malum Hypochondriaco-Hyſtericum.*
Hypochondriacus ſanguis per vomitum cruentum reiicitur 555
Hypochondrii ſiniſtri inflatio & durities inſtar cotis 778
Hypopyum 961
Hypotheſis falſa, cui deliria ſuperſtructa ſunt 1073
Hyſtericum malum 839
eius affectus in tribus cauitatibus corporis 840. 841
- cum hypochondriaco conuenientiam Highmorus oſtendit 839
- methodus medendi quo modo dirigenda 843
vid. *Malum Hypochondriaco-Hyſtericum.*

I

Icterus niger 268
Ictus animalium venenatorum 1075
Idea: eius impreſſio ab obiecto 406
operatrix Platonica 380
intentionis & intenſionis actiuitatis motoriæ 497
morum ab idea corporeorum motuum prognaſcitur 99
motus, eiusque adſuefactio 123
energiæ motricis diuerſa vnde 498. 499
cogitabunda ſ. mentis conſpirat cum periculis œconomiæ corporis impendentibus 524. 525. 1071
regiminis œconomiæ animalis perturbata morborum ſubiectum 454
moralis conſpirat cum cauſſis phyſicis 1071
incarcerationis, inſidiarum 501
iracunda in motibus epilepticis 1013
fictitiæ & erroneæ æſtimationis 729. 732. 733
phantaſtica in reformatione ſtructuræ corporis 337
Ileon inteſtinum: eius glandulæ lympham ſaliualem effundunt 358
Imaginatio: ingeniorum promtior diſpoſitio ad illam 1073
eius energia in negotio generationis 276
- efficacia circa negotium incantationis 827
purgantis aſſumti quid efficiat 362
Immaterialitas animæ per eius præſentiam in corpore non imminuitur 378
Immaterialis & materialis nullum commercium 651

Imminutio menſium 819
Impetus fortuitus Epicuri 9. 11
Impotentia membra mouendi a terrore vel metu 416
tonica paralytode & paralytica 419. 685. 689
eius peculiares obſeruationes 695
virilis ibid.
Impreſſionis energia per faſcinum & veneficia 1021
Inæqualitas in parte reſtauranda 1066
Incantamenta & *incantatio*: horum energia per rationes phyſicas non poteſt explicari 827. 1023
eorum energia in menſium negotio 591. 593. 827
Incarcerationis idea 501. 525. 1071
Incertitudo artis medicæ vnde 142
Incommoda cum actiuis motibus complicata 512
comitantur ſalutares actus in morbis 473
- exemplum in contrarium 477
Inconſtantia fœminarum quid reſpiciat 293
Indignabundum ſcopum habent motus epilepticorum 1015
Indiuidui & aggregati phyſici differentia 68. 69
indiuidua phyſica magnæ ſunt exiguitatis 69
Indiuiduorum energia in aliis actiuior & alacrior eſt 116. 117
Infans an in vtero reſpiret, aëre fruatur, ſugat 316. 390
plus dormit quam vigilat 394
quem parentum ſequi ſoleat 376
eius intellectus 394
Infantes diuerſæ texturæ 382
ſanguinei nati poſtea parentum texturam & indolem ſequuntur 236
mores eorum impreſſi pertinaciter adhærentes 377
per lactis ſuctionem effectum pathematum experiuntur 339
teneritudini adſueti ſenſibiliores ſunt 347
eorum deiectiones acres & vrina ſalſa vnde 264. 269
- diſpoſitio ad calculum vnde 872
interdum illis menſes erumpunt 594
infantilis ætas tuſſi obnoxia 761
Infarctus 510
ſanguinis tumorem inflammatorium non efformat 633
Inflammatio 626. 628. 957
eius geneſis 632. 635. ſeqq.
certo reſpectu eſt infrequens & etiam frequens 628
eius differentiæ & ſpecies 629. 630
- vera ætiologia 178
- circumſtantiæ 628
- ratio phyſico-mechanica 635
ſanguinis tranſitum abſterſorium declarat 212
eius præcipuum ſubiectum 628. 629
- cauſſæ 631
quas partes occupet 958
eius effectus & euentus 637
- incommoda tanta non ſunt, quantum periculum eſt 638

apoſtematodes: eius modus fiendi 958. 959
- eius euentus 961
- eius therapeutica conſideratio 962

dolores inflammatorii 477. 478. 638
affectus inflammatorii ex effectibus congeſtionum ſanguinearum 933
ſtaſes inflammatoriæ ex hæmorrhoidibus tumentibus 799
- feſtinationem non admittunt 963. 964

viſcerum inflammationes cur iunioribus lethales 573
- difficillimæ ſunt curationis 962

Infrequentia morborum 57. 173. 446. 1045
Ingenia præmatura 245
quæ ad ſomnum magis procliuia 333
promtior in aliis diſpoſitio ad imaginationes & ſpeculationes diſcernenda 1073
Inſectorum phyſicus finis non patet 18
Inſidiarum idea vnde 1071
Inſpiratio 310. 311
Inſtrumenta ceu media certo fini deſtinata ſunt 25
nexum habent cum Agente propter finem exſiſtente 25. 26
iis indiget anima 29
inſtrumentalis cauſſa ſ. ratio vitæ 92
inſtrumentum quid ſit 13
inſtrumenti & inſtrumentalitatis acceptio 25. 26
Inſtinctus naturalis 405
Intellectus hominis in quo exerceatur 4
rationalis 404. 406
ſimplicis & ratiocinationis differentia 208. 209
intelligendi actus maioris dignitatis eſt, quam quicunque alii 34
Intentio: anima ſecundum certas intentiones motus dirigit 350. 415
finalis & materialis diſpoſitio differunt 518
eius ad agendum efficacia 369
eius vigor 419. 420
- circa res morales & vitales paritas 342
- effectus in vitalibus quem vſum habeat in pathologia 348

bona, ſed male adminiſtrata 493
actiua in malo hypochondriaco 788
euacuationis menſtruæ per vomitum cruentum 558. 559
excuſſoria in motibus epilepticis 1015. 1020. 1024
finalis in conuulſionibus 681
eius deſperabunda trepidatio 689
animi ſ. voluntatis ſub pathematibus 340. 341
ad agendum in conſuetudine 344
eius energiæ motoriæ deſtitutio in apoplexia 697
Inteſtinorum longitudo 270
glandulæ & villi ſecernunt mucoſitatem 265
organica diſpoſitio in homine & animalibus 362
mechanicam rationem reſtringit energia organica 363

quas materias illa exonerent 96
inteſtinum cœcum quem vſum habeat 271
Inteſtinus motus corruptiuus ſeu disſolutiuus eſt 74. 86. 423
Inuentionis & *inuenti* nomenclatura 146
Inuentorum ſuorum delectatores 145. 146. 147
Inuidia corporis incrementum impedit 246
Ira furor breuis eſt 1070
eius effectus in motus vitales 339. 340
Iracundia: quid ſub illa animus intendat 341
motus ab illa prouocati quam efficaciam habeant 101
in aliud obiectum obuium ſæuit 342
ſecundum intentionem exſatiata corpori nihil nocet 341
morbos reſuſcitat 342
cum anxiis terroribus hæmorrhagias narium feroces prouocat 744
apoplexiæ cauſſa 696. 1060
nutricum quid infantibus concilιet 269
ſuppreſſa quid poſt ſe trahat 341
eius deſuetudo 346
Irritatio materiæ ficta 174. 435
hydropis cauſſa aduentitia 901
ſtimulatoria a ſalinis qualitatibus ſanguinis 659
num locum habeat in negotio ſecretionis 253
ſyſtematis neruoſi quo modo conuulſiones efformare valeat 680
effectus organicos explicare debet 40. 155
Iſatodes deiectiones vnde 269
Iſchiadicus dolor ad hæmorrhoides contendit 811
conſpirat cum arthriticis doloribus ibid.
Iucundi aut aduerſi reſpectus 415
vide *Æſtimatio*.
Iucunditas fœminarum quid reſpiciat 293
Iudicium: rationalis energia 406
de rebus ſubtilioribus anima non niſi ſub aggregatione ferre poteſt 22
ad eius exercitium ſenes habiliores ſunt 246
animalibus denegatur 20
Iuniores hæmorrhagiis ſubiecti ſunt 516
eorum appetitus 351
phthiſis vnde 769
vnde a retroactis hæmorrhagiis, inprimis podagra morti dentur 573
Iuniperi oleum in nephritide & calculo proterue adhibetur 858
Iuuenes hypochondriaci hæmoptyſin experti 781
eorum tuſſis ſicca 764
Iuuentus iners & luxurioſa effœtum corpus tradit ſenectuti 246

K. Kir-

K.

Kirchii remedium in podagra 1052
Krebs-Schaden 989
Kugel wältzet ſich im Leibe herum 841

L.

Laborioſa vita corpus durat 246
laborioſi rarius ægrotant 447
- tempore otii etiam eſuriunt 350
Lac num ſatis firmum præbeat nutrimentum 323
eius conſiſtentia ſeu eſſentia 279. 280
eius prima irruptio in mammas 280
non ſponte erumpit 278
eius ſecretio & excretio 273 277. 778
eius prouentus 394
crudioris lactis prouentus 993
tenue & ſpiſſius 249
nutricum acre & ſalſum vnde 264
cum bile fermentans vehementer aceſcit 269
eius corruptio 460. 461
Lacerationes 600
Lactuca 326
Læſiones corporis variæ vnde 460-463
ex hiſtoria phyſica non comprehenduntur 49. 50
non tam quæ fieri poſſunt, ſed quæ fieri ſolent ibid.
mixtionis & ſtructuræ differunt 213
actionum paſſiuæ ab actiuis mutationibus diſcernendæ 470. 471
in conſuetudine ægrotandi indicari non poſſunt 494
præoccupare & depellere artis medicæ eſt 57. 58
partium ſolidarum profundas ſola natura reſtaurare poteſt 61
irreparabiles in quibusdam partibus ſolidis 1067
Languores ex iracundia ſuppreſſa 341
Lapidificum ens 879
Lapis cancrinus cum aqua forti ſolutus quid demonſtret 864. 866
Laſſitudo ſ. grauitatem ſimulans tenſio in hæmorrhagiis 532
Leewenhœckii opinio de ſemine & eius vermiculis 276. 384
Leges æternæ rebus phyſicis conſtitutæ a nonnullis prætexuntur 10
Legumina 322
Leporis marini efficacia hæmoptyſin inducere valens 758
vterus ad fœcunditatem commendatur 370
Lethiferorum morborum genius 479
Libertas ſentiendi, & ſenſa animi publice proferendi 139
num cohibenda 140
Libidinoſa deliria 1070
Librorum abundantia tribus cauſſis attribuitur 139
Lien: vaſorum eius conſideratio 309
eius conſiſtentia mollior ſtagnationi ſanguinis fauet 787
num fermentum ſeparet 356
Ligatio arteriarum & venarum circulum ſanguinis detexit 219

Ligaturæ fortiſſimæ ſphacelum efficiunt 970
Linguæ debilitatio a paralyſi 1055
Lipothymia ex figuris æneis ranarum 656
Liſteri obſeruatio de frequentia hydropis in Anglia 899
Lithontriptica incerta & noxia 881. 882. 883
Lochia 387. 517. 595
eorum fluxus non eſt paſſiuus 596
- - effectus & euentus 597
perturbata alias ataxias poſt ſe trahunt 598
eorum fluxus nimius & largior 599
eorum fluxus largior inhibitus quæ incommoda adferat 599
- - exceſſus 597. 598
illegitimorum euentus 598
vitia: eorum cauſſæ & euentus 832. 833. 837
eorum defectus periculoſior eſt quam aliarum hæmorrhagiarum 833
Λόγȣ & λογισμȣ̃ differentia 38. 208. 209
Loquela num aliquid ad hæmoptyſin conferat 550
a *Lumbis* deorſum per ilia tenſionis ſenſus vnde 264
Lumbrici conuulſionum cauſſa 679
Lunæ dominium in humores 683
quale ſit in menſium negotio 295
phaſibus cur epilepſia reſpondeat 1023
Luxus eneruat corpus 264
Lympha nutritia 221
veteribus ignota 254
eius ſecretio ibid.
- - circulationem ſequitur 247
- ſecretionis vtilitas 257
- aliquid ſecedit a ſanguine venoſo 223
-- ſubagitatio ſub reſpiratione 312
eius reditus ad interiora corporis 257
- corruptio 460
lymphalis humiditas etiam per cutim transudat 258
lymphalis humor fœtus nutrimentum 387
lymphaticum vas proprium in brutis 387
Lyſis febrium 703

M.

M*Achina* quid ſit 12
abſolutam corpus humanum Mechanici eſſe volunt 30
machinæ ad certum finem extruuntur 17
Macrocoſmicorum motuum συζυγία cum naturæ motibus 214
Magnitudo certa & vltima corporum ſimpliciſſimorum 67. 68
Malpighii obſeruatio de ouis incubatis 5. 379. 384
eius opinio de ſemine 276
Malum hypochondriacum & hypochondriaco-hyſtericum: eius differentia in quo conſiſtat 782. 840. 842
hyſtericum cur fœminis familiarius ſit 791

hypo-

hypochondriacum in quo conſiſtat 778
eius infrequentia 777
- ſubiecta & cauſſæ 778. 783. 784
- conſpirat cum vomitu cruento & hæmorrhoidibus 780. 781. 791
eius συζυγία cum vomitu nigrorum 794
- metaſchematismus in alia genera morborum 789
- laruatæ configurationes in ſenibus 789-791
- tractatio therapeutica 788-789
Malum iſchiadicum 806
eius nexus cum negotio hæmorrhoidali 806-810
eius tractandi methodus cur nihil efficiat 811. 812
Mammæ ſecretionem lactis non præſtant 278
earum abſceſſus 757
- genius quid ad cancroſam vlcerationem conferat 994
Mandioca radix quid ſit 321
Maniaci inſigne frigus tolerare poſſunt 319
nihil timentes, audaces, ſuper naturam robuſti 417
monialis maniacæ teſticulus valde inflatus 1070
deliriorum maniacorum peculiaris circumſtantia phyſica 1074
Marcor ex iracundia ſuppreſſa 341
num ſit cauſſa termini vitæ 502
Martialia quid emolumenti in malo hypochondriaco adferant 789
cunctationem menſium non expediunt 829
hydropis cauſſa 901
Mas & fœmina in negotio generationis concurrunt 376
animam tribuere antiqui tradunt 377
eorum diuerſitas 292
Maſſa humorum 221. 222
Maſt-Körner 797
Maſticatio num mechanice abſoluatur 353. 354
Mater: eius energia in animam & ſtructuram infantis 37. 216
maternæ impreſſiones in corpus embryonis motuum conſiderationem in abſtracto refutant 206
harum idearum & impreſſionum efficacia 375
matrum diuerſa energia 382
Materia formationis 383
a quo ſexu conferatur 384
materialis habitus corporis ad vitam 210
- - Medico vſum non præſtat 112
materiam ipſam natura non habet in poteſtate 62. 491
reſtaurationis corporis: num eius defectus mortis cauſſa 458
eius ſelectus cuilibet parti conueniens 214
Materiæ noxiæ ſ. deprauatæ quales 60
earum correctio & alteratio irrita, operoſa & dubia eſt 60. 61
- qualitas in morbis 504

- habitus corporis & effectus in ideas rationales 525
- actionum vitalium & moralium proportio 239. 240
quos morbos metuere debeant 500
quo modo ſe gerant in morbis 499
Melancholico-Hypochondriaca deliria 1070
Melonum eſus 326
Mellis vſus num concedendus ibid.
Membranæ quibus fœtus incluſus 389
Membri virilis erectio in epilepticis quibusdam 1015
Memoria: eius negotium 209
ad eius actum iuuenes expeditiores ſunt 246
conſuetudinis tenax 347
in actionibus non ſemper adeſſe debet 417
eius abuſus ſpeculatiui 1073
- - deliriis anſam dat 1069
eius debilitas poſt præmaturum exercitium 246
- debilitatio a paralyſi 1055
animalibus conceditur, quæ corpus regat 20
Mens: quid Helmontius ſub hac voce intelligat 375
- ratiocinandi principium ab ea diſtinguitur ab Helmontio 415
humana occupata eſt in aſſequenda intimiore rerum eſſentia 5-7
eius aberratio num viſcerum oppilationes ſemper ſequatur 1071. 1072
Menſes ſ. menſtrua fœminarum 530
ſoli humanæ ſpeciei familiares 581
eorum ordo ſ. hiſtoria 582
ſpecimen omnium hæmorrhagiarum exhibent 522
cur menſtruam periodum ſeruent 583
aliquid critici fouent 294
num cum phaſibus lunæ conſpirent 295
eorum initium & finis, & vitia circa hæc tempora 294. 828
- modus & tempus 294
- ſcopus & finis 296
- excretio per quæ vaſa fiat 298
- - actiue peragitur 296
eorum fluxus & effectus vtilis & neceſſarius eſt 584
in infantibus & vetulis 920. 921. 544
numquam experta raro ſanæ 591
phœnomena huius fluxus cum aliis hæmorrhagiis communia 813
eorum fluxus nimius ab hæmorrhagia vteri differt 815
- fluxus largior a nimio differt ibid.
- - vnde, & quæ incommoda poſt ſe trahat 586
- fluxus largioris cauſſa 816
- fluxus largioris cohibitio aut moderatio quid requirat 586
eorum vitia 585. 813. 814
- - non omnibus fœminis obtingunt 826
impeditius ſuccedentes 295
- - rheumatiſmos producunt 957
eorum defectus ſ. imminutio 819
- - cauſſæ 587. 820. 823. 825

rarius

rarius in exceſſu, familiarius in defectu peccant 581. 584. 828
eorum defectus ab exceſſu inuehi poteſt 586
- - quos euentus habeat 592
- - num ſterilitatis cauſſa 590
- - varia ſchemata conſectariorum illum excipiunt 593
- capitis dolores poſt ſe trahit 938
eorum exceſſus 585
- - & defectus a morbida diſpoſitione diſcernendi 814
- emanſio 583. 828
qua methodo prouocari poſſunt 830. 831
- - eam tumores ſequuntur 614
eorum ceſſatio 298
- - morbidæ illam ſubſequentes ataxiæ 831
- - ataxiæ peruerſe tractatæ malum exacerbant 832
eorum profuſiones nimiæ oppreſſæ hydropis cauſſa 831. 896
eorum heteroclitæ eruptiones & inſolitæ viæ 603. 891. 892
- reuocatio difficilis per mammarum abſceſſus & hæmoptyſin 758
Menſtrua euacuatio: eius nexus cum malo hypochondriaco & pectoris affectibus 779. 781
- - cum hæmorrhoidibus & mictu cruento 507. 508
quid ad morbos conferat 505
Menſtruæ vicariæ euacuationes 533
Menſtruata: cur cohabitatio cum illa prohibita 297
Menſtrui ſanguinis impuritas & veneноſitas ficta ibid.
Menſtruum ventriculi 357
Mercurius dulcis 1077. 1078
viuus num vllam abſolute importunam efficaciam pariat 1077
ſublimatus & *præcipitatus* 1076. 1077
vitæ: Chirurgus illo diu vſus eſt 1078
Metaſchematiſmus mali hypochondriaci in alia genera morborum 789
Methodus vitalis ſpontanea 109. 110. 111
vera tam præſtandæ quam vindicandæ corporis vitæ 132
naturæ conſeruandi corpus tam in ſano quam morbido ſtatu 61. 62
peculiaris motuum conſeruatoriorum 97. 98
medendi ſolida 42
- intentione materias corrigendi peruertitur 725
Meticuloſitas moralis vnde 1071
fœminarum quid reſpiciat 293
Metus deſuetudo 346
Mictus cruentus 573. 845
eius differentia, ſigna, modus excretionis & ſubiecta 573. 574
ſenioribus proprius & etiam exitialis eſt 576. 846
eius effectus & euentus 576
eius connexio cum nephritide 856. 858. 859

conſpirat cum hæmorrhoidibus 575
poſt menſium obſtructionem aut ceſſationem 507. 508
menſtruus 530
ſymptomaticus num calculoſis communis ſit 845
adſtrictiones non fert 574
Milium 322
Millefolii effectus in vomitu menſtruo 776
Milch: Schlipfer-Milch 280
Miſſiones ſ. directiones ſanguinis 219
Mixta corpora quo modo a compoſitis differant 68
Mixtorum indiuidua exiguitate ſua ſenſuum aciem eludunt 69
Mixtorum intimior conſiſtentia gelu tollitur 130
Mixti & viui diuerſitas 65. 70. 167
- duodecim argumentis oſtenditur 70-73
- theoriæ medicæ fundamentum eſt 143. 144
eius temperies non decenter animaduerſa eſt 150
apud veteres quid ſit 50
Mixtio 68
corporis viui peculiaris 74
mucido-pinguis ad flexilitatem corporis aptiſſima 210
eius cognitio requiritur 426
- γνῶσιν habet principium vitale 86. 215
vera indoles & ratio a phyſicis neglecta eſt 51
- conceptus ſuperſtructa corporum diuiſibilitati in infinitum 67
antecedit ſtructuram, hinc læſiones vtriusque differunt 213
& vita corporis inter ſe confunduntur 67
corpuſculorum electiua & arbitraria eſt 216
eius reſpectus finalis 75
diuerſa eſt in diuerſis corporis partibus 75
- fit per ſpecialiſſimas collectiones 380
ſpecifica non fit ſpontanea concretione ſed electiuo actu 76. 77
iterum dirimi poteſt in ſua principia 68
eius ſpecialiſſima circumſtantia ratione ſaporis & odoris 75
eius ſpecialiſſimæ determinationes num panſpermiæ aereæ adſcribendæ 216
ad reſolutiones & putredinem promtiſſima eſt 74. 106. 150. 200. 210. 380. 460
natura illam diuiſam habet cum macrocoſmicis alterationibus 214
ars parum aut nihil in illam poteſt 151
eius conſeruatio in vſus animæ neceſſaria eſt 430
- - per motus 423
animalis ſ. humana qualia alimenta requirat 318
vegetabilium 215
Mæror cum ingenti deſiderio ſtructuram corporis impedit 246

Mola hæmorrhagiæ vteri cauſſa 817
Moleſtiæ comitantur motus ſalutares in morbis 473. 512
exemplum in contrarium 477
Molimina hæmorrhagica 755
hæmorrhoidalia 568
Monathe: ſchwere, welche die Zufälle rege machen 1074
Moræus 157
Morbus: naturæ pugna cum illo 715
num homo moriatur morbo 481
diſpoſitio ad illum 450. 459. 460
totus homo num a natiuitate morbus ſit 445
Morborum ætiologia phyſica quid ſit 441
breuis hiſtoria & ætiologia 508
peculiares circumſtantiæ hiſtoricæ 156
ſubiectum 453
cauſſæ generales & ſpeciales 450. 459. 481. 482. 509
poteſtas in corpore humano 448
infrequentia 57. 173. 445. 446
frequentia in homine præ brutis 446. 894
proportio ad tempus 503
tempus 501
initium, incrementum, ſtatus, declinatio 703
reditus ſ. repullulatio 57
decurſus ex diuerſitate temperamentorum 498. 499
exitus ſalutaris 467
plerique, eorumque ſymptomata, corruptionem præoccupant 465
in ſingulis diſtinguendum eſt, quid actiue aut paſſiue eueniat 476
ſpontanea depulſio 449
effectus primarii & ſecundarii 472. 474
differentia generalis 470
Morbi ex plethora 305. 484
ex hæmorrhagia narium non ſuccedente 532. 534
ſecundum hæmorrhagias ſuccedentes minus periculoſi ſunt 515. 893. 894
acuti & chronici 505
ſanabiles & lethales 479. 480
congrui & incongrui 920
incongrui plurium & grauiorum feraces ſunt 922
recurrentes ſ. periodici 505
noui, vnde ſubnati 156
ætatum 165. 173
frequentiſſime aberrant 920
valde rari; eorum euentus negliguntur 894
ſuperati corporis augmentum adferunt 369
ab iracundia reſuſcitantur 342
per animi pathemata prouocantur & reuocantur 57
incommoda & moleſtiæ differunt ab ipſis morbis 472. 473. 474. 475. 478
morborum tractandorum tres conditiones 110. 111
Morbida diſpoſitio ſenſibilia reddit ſubiecta 731
illa adfecti rarius intereunt quam athletice ſani 733

Moralium cauſſarum mutua conſpiratio cum phyſicis proportionibus 1071
Mores animi ſequuntur temperamentum corporis 175. 176
ſanguineorum, cholericorum, melancholicorum & phlegmaticorum 237. 238
eorum communicatio a parentibus in infantes 377
animi ægrorum in febribus 708
Mors: ratio reddi non poteſt, cur homo naturaliter moriatur 244. 454
corporis diſpoſitio ad illam 460. ſeq.
homo non moritur morbo 481. 705. 706
Morſus animalium venenatorum 600. 973. 1075
Motus eſt res incorporea & immaterialis 12. 28. 428. 429
ſupponit parem cauſſam 118
niſus motorius, vis motoria 12
eius principium in corpore 651. 652
vera notitia vnde deſumi debeat 430
contemplatio quas difficultates pepererit 103. 104. 651
in phyſicis plerumque nulla cura eius eſt 49
automaticus in machinis ſtatuitur 17
a particulis eum deducunt Mechanici 81
eius ſcientia Medico neceſſaria eſt 426. 436
eius & mouentium agentium indoles perpendenda 378
Medicus poteſt motus varie alterare, eorumque rationem aſſequi 425. 426
ſunt actus animæ 29
animæ commercio aptiſſimus eſt 122
cuius eſſentiæ ſit, & vnde dependeat in corpore humano 36. 203. 204
ſunt inſtrumentum naturæ domeſticum 490
ab anima adminiſtrantur 33. 427
ab aliis in abſtracto conſiderantur ſine principio agente 206
eorum proportio & directio num immediate a voluntate diuina dependeat 175
vulgo ab humoribus deducuntur 1040
non a materiis, ſed propter illas, & ad præoccupandum inſtituuntur 59. 153. 154. 160. 161. 782
internis materiæ proprietatibus adiunguntur 46. 103
motibus gubernandum eſt corpus humanum 42
in poteſtate animæ rationalis non eſſe, monſtro ſimile eſt 101
motus non eſt vita ſed tantum inſtrumentum vitæ 59. 60. 92. 93. 112. 113
qua ratione adminiſtretur in machina 94
quæ tempora, progreſſus & exitus ſer-

ſeruent 432
eius proportio ad finem 122. 436. 660. 1052
eorum cauſſæ generales 651
eorum menſura 329. 330
- ratio 432
quos vſus habeant 329
per illos conſeruatur corpus 28. 427
motuum conſeruatoriorum methodus peculiaris 97. 98
ſalutares naturæ primarii & ſecundarii 474
numerorum actio & directio diſtinguendæ ſint 416
motuum macrocosmicorum $\sigma \upsilon \zeta \upsilon \gamma i \alpha$ cum naturæ motibus 214
eorum directio contra inſultus aëris 315
eius affectiones in phyſicis progreſſibus 36
motu incaleſcit ſanguis 233
potius diſſolutioni quam conſeruationi inſeruit 423
quo reſpectu diuerſi ſint 112. 113
eorum varia genera 330
conſtantes, ordinati, turbati, accidentales 491
neceſſarii & vtiles non ſemper ſunt ordinati ſed ſæpe erronei 473
ſæpe fortiores ſunt quam pro materiarum proportione 161
inſoliti etiam aliquid inſoliti indicant 673
vltra gradum naturalem aucti quid intendant 488. 658. 660
eorum variationes quid pro obiecto habeant 659
extraordinarii 100. 476. 489
abſterſorii 211
excuſſorii 730. 731
a præternaturali cauſſa & propter præternaturalem cauſſam 490
deſtinati & directi ad certa loca 538
eorum læſiones 487. 658
anxii 213
ab animi pathematibus concitati 60. 341. 342. 661
a conſuetudine alterati 60. 419. 514
eorum perturbationes in effectibus veneficiorum 592
- - a temperamento ortum ducunt 400
eorum inſtrumentum ſunt nerui ibid.
quibus motibus natura vitam præſtet 60. 61
quo ordine corpus corruptibile conſeruent 97
motricis energiæ diuerſa idea 123. 498. 499
eorum proportio ad ideas rationales, & effectus in has ideas 525
ſpeciatim ad organa ſenſoria debet eſſe directus 29. 30
non tam perceptionem quam æſtimationem ſectantur 728
animi æſtimatoribus ſunt imitamenta motuum per partes 1014. 1015
Motus vitales 490
vel remotorii vel admotorii 426
cum moralibus conſpirant 99
animi motibus ideam offerunt 175

eximiam vim habent in motus animales 329
animi pathematum & ſenſationis efficacia in illos 101. 329
eorum pathetica anomalia non ſimpliciter tumultuaria eſt 99. 176
eorum perturbationes ab anxio & vano terrore a fele 1024
quare non ſemper ordinem ſeruent 492
eorum deſertionem putredo ſequitur 128
Motus progreſſiuus ſanguinis 218
cur progreſſiuus & circularis audiat 220
inuentum recentiorum eſt 218. 219
eius ſpecialior indoles 221
- organiſmus 177. 227
ſolus non abſoluit conſeruationem 94
in inflammatione præſto eſt 634. 636
Motus humorum ſpaſmodicus 172
Motus tonicus 169. 433
cur ita appelletur 647
circulationem promouet, & pulſui cordis ſubordinatus eſt 152
Stahlii diſſertatio epiſtolica de illo 170. 171
eius proportio ad deſtinatos fines 647
- intenſiones 648
- alterationes variæ 662
auctus: eius effectus 663
eius ingens remiſſio proxima cauſſa defectus virium 693. 694
eius energia & vſus 662
- vſus in febribus 171. 172
- energia in hæmorrhagiis 527. 528
- - in menſium negotio 295
- variatio in renibus quid efficiat 265
- - circa vterum & partes vicinas 588
in malo hypochondriaco 784. 785
eius variæ prouocationes ab aëris mutatione 314. 315
Motus congeſtorii 606
Motus hæmorrhagici 847. 848
Motus ſecretorii & excretorii 468. 490
non promiſcue perficiuntur 94
conſeruationi vitali inſeruiunt 93
corporis integritati per eos nihil decedit ibid.
Motus localis 429
vnde *voluntarius* audiat 413
motui tonico ſuperſtructus eſt 414
eius cauſſa efficiens 414. 415. 416
- inſtrumenta 414
- vſus 421. 422
ſanguinis attenuatio per illum 701
placidus & moderatus 329
exceſſu corpori nocet 719
Motus periſtalticus 270
Motuum impetus aut *defectus* 416. 685. 1052
defectiuorum infrequentia 1053
cur deficiant 456
deficientium effectus aut euentus 700
epilepticorum quem ſcopum habeant 1015

ſtre-

tremuli & conuulſiui quam efficaciam habeant 101
Motus anomali: eorum cauſſa 653
Motus in morbis non ſolum vtiles ſed etiam neceſſarii ſunt 161
ſalutarem vſum habent 474 478
eorum actiuitas in expugnatione morborum 468
quo modo ſint cauſſæ morborum 508. ſq.
turbulenti a morbo non ſunt deriuandi 475
Motus inteſtinus 74. 86
Motus & quies 329
an mox poſt cibos conducat 330
Motus lum noſus ſpirituum 208
preſſorii antiquorum 538
Mouens vis ſubſtantialis 36
Mouere naturæ humanæ promtum & expeditum eſt 62
Mouendi impotentia a terrore & metu 416
Mouenti impedimenta obiici poſſunt 120
Muci corruptio 460. 461
exhalatio num calculorum cauſſa 880
Mucoſitas: eius *ſecretio* 265
in pectore, faucibus & naribus non ſine periculo fit 266
quem vſum habeat in inteſtinis 265. 266
quando incipiat corpori intolerabilis eſſe 265
mucoſitatum quarundam concretio earumque ſolubilitas 866
Mulier quod morbos bis patiatur 453
Mulorum generatio 376
Mures metuentibus quilibet ſtrepitus anxietatem incutit 656
Muſculi quales thoracis elationem perficiant 311
eorum fibræ 421
- ſtructura intima 54
Mutationes ſecundum ætatis progreſſus 506
humorum ſecundum chymicas fictiones 55
Myrrhata in lochiorum oppreſſione nocent 833
in iuniore ætate num quid efficiant 922

N.

N*Aeui materni* 1065
ab anima matris imprimuntur 375
indicant animæ potentiam in corpus 118. 119
Napellus 1075
Narium pruritus quid indicet 528
ſcarificatio Aegyptiaca 537. 539
Natura ſeu anima 77. 73
quid natura dicatur 36
hominis & actus naturales 307 308
eius ἔργον atque συνέργεια iis rite agnoſcitur, Pathologia vera & methodus medendi inuenitur 41. 42
- ἔργον eſt ſcita atque dextra œconomiæ vitalis adminiſtratio 41. 42
eius energia 62 717
- - quicumque affectus per hanc

hanc numqum reſtituuntur, ab arte nullum auxilium impetrant 699
- ſpontanea energia eiusque methodus in febribus 715
ſuis rebus conſulit 173
eius primæ partes ſunt vt corpori conſulat 438
a nemine edocta præſtat quod debet 163
eius αὐτοκρατία & συνεργία 173
- αὐτοκρατία quo modo perficiatur 131
- συνέργεια arti medicæ neceſſaria & amiciſſime habenda 42
materiam ipſam non habet in poteſtate 491
mixtionem in ſua poteſtate non abſolute ſed diuiſam habet 214
eius roboratio per artem num perfici poſſit 132
ei quo modo Medicus ſubuenire poſſit 144
eius via plana Medico commendatur 109
- motus ſequi & ſectari oportet 154
- criſes, tempora, conatus, inclinationes, obſequium, & miniſterium ipſi præſtandum 154
- methodo theoria medica ſuperſtructa eſſe debet 63
in quibus morbis ei negotium ſimpliciter relinquendum ſit 110. 111
eius therapia ſpontanea & medicina 62
quo modo vitam præſtet 60
eius δέοντα vlterius examinari debuiſſent 163
- motus ſalutares primarii & ſecundarii 474
- methodus conſeruandi corpus 60. 61. in omnibus animalibus eſt eadem ibid.
methodum conſeruandi tam in ſano quam morbido ſtatu obſeruat 62
eius ordo & actiuitas in morbis materiæ conditionem reſpicit 504
- pugna cum morbo & victoria 162. 715
- methodus in curandis febribus 708. quæ ſeruanda & gubernanda eſt 716
- conamina in morbis chronicis 184
reſtituit ſolidas partes, non ars 1004
adſueſcit amiſſum reparare 304
eius methodus per hæmorrhagiam narium cur non ſecure imitari poſſit 925
errandi & perperam agendi idonea eſt 182. 183
eius titubatio in morbis 491. 492
eius fuga & deſertio in ſphacelo 972. ex præualeſcente corruptione 975
- defectus poſt motus fortiores 1026

- ceſſan-

- ceſſantis vices in læſionibus internis ars ſupplere non poteſt 61
Nauſea 1014
quid declaret 242
quem effectum habeat 435
adpetitum perturbat 350
aſſumta cum ea iterum euomuntur 361
imaginaria ſeu fictitia animi pathema eſt 342. 343
- - quam efficaciam habeat 101
vehiculi, in quo medicamentum aſſumtum 694
Neceſſitas fiendi fatalis phyſice ſumta 9. 10.
mechanica ex proportione mechanica non eſt elicienda 201 202
Nephritis 847
eius hiſtoria 848
- frequentia & infrequentia 849 850
ſimplex non multos dies perennat 855
- differt a calculoſa 850
non ſolum ſenioribus ſed & iunioribus euenit 856
fœminas rarius exercet 850. 851
eius cauſſæ quæ ſint 853
- pathologia de ſpiritu lapidifico, fermentatione &c. 856
- conſpiratio cum malo iſchiadico, hæmorrhoidibus & podagra 850. 851
- congeſtiones ſ. contentiones ſunt conniſus arthritico-iſchiadico - hæmorrhoidales 858
ex motibus hæmorrhoidalibus; mictus cruentus ex nephriticis oritur 859
eius & mictus cruenti connexio 856 857
cur tempore Hippocratis ſerius obtigerit quam mictus cruentus 857
traumatica non tolerat 867
Nerui 421
ſpiritibus pleni ſtatuuntur 207
eorum motus & fluidum 414
primum inſtrumentum motus 400
eorum irritationes & commotiones effectus organicos ſuſcitare & explicare perhibentur 40
eorum irritatio, num arthritidis & podagræ cauſſa 1040
- obſtructio num ſit cauſſa defectus virium 693
- compreſſio & interceptio poſt effuſionem ſanguinis in cerebro 698
Nexus organicus inter corpus & animam, eiusque vſus 37. 38
Niſus 380
materiarum 405
particularum 364. 380
concreatus 415
motorius 12
Nitri ſimplicis differentia ab eius ſpiritu dulci 877

ſpiritus, quo effectu in nephritide & calculo adhibeatur 858
Nodi podagrici vnde 1049. 1050
eorum complicatio cum contractu-ris arthritico-podagricis 1051
venerei & arthritici 1002
Nuclei dulces 31
eorum deglutitio & prouida excre-tio 272
Numerus particularum in mixtionibus 217
Nummularia ouillo generi phthiſicas corruptiones inducere valet 758
Nutrimentum: abundans in fœminis geſtantibus & nutrientibus 296. 297
fœtus 387
Nutritio 349. 424. 429
eius principium quale ſit 78
abſoluitur motu 366
eſt actus vitalis ſubordinatus 77. 78
eius materia eſt chylus in lympham mutatus 360
eam medicus non habet in poteſta-te 426
ſimplex tam hominum quam ani-malium 320
embryonis & infantis requirit abun-dans nutrimentum 296. 297
Nutrices earum lac acre & ſalſum vn-des 264
- iracundia, quid infantibus con-ciliet 269

O.

OBſeruationes: earum examen quo modo inſtituendum 1455
- vſus ſeu vtilitas ibid.
practicæ vanæ 150
Obſtructiones: 174
num congeſtionibus quadrent 605
ex humoribus ſpiſſis in meatibus anguſtiſſimis 462
vaſorum num hæmorrhagiarum cauſſa 526. 527
viarum congeſtiones non explicant 934
- in hæmorrhagiis 521
neruorum cauſſa defectus virium accuſatur 693
menſium 589. ſq.
Oculi: eorum formatio 379
- intenſio 397
- debilitatio num ab hæmorrha-giis narium excedentibus 747
Odontalgia ad arthritidis familiam ad-ſcribitur 1039
Odor: eius indiuidualis variatio 75
diuerſitas odoris vegetabilium vnde 216
canes odore heros ſuos perueſti-gant ib.
Oeconomia corporis ſeu *vitalis* & *ani-malis* quomodo intueri poſſit 155
eius energia interna 468
- alienatio ab effectu corruptibi-litatis 459
num morbi directam poteſtatem in illam habeant 449
eius adminiſtratio naturæ ἔργον 41. 42
methodus actiuitatis eius qualis ſit 461
eius ſpontanea reſtitutio 449
idea

idea regiminis eius perturbata ſubiectum morborum eſt 454
Oedema quomodo ab hydrope & cachexia differat 912. 913
eius cauſſæ 913
- ætiologia 916. 918
- therapeutica conſideratio 917
habituale a congeſtione pertinaci 918
pedum ex vſu ſpiritus C. C. in febribus 916
poſt nimias menſium profuſiones oppreſſas 831
Oedematodes congeſtio ex apoſtaſi febrili 914
Oedematoſi tumores ad interiora redundant 917. 919
Olea deſtillata terebinthinæ, iuniperi, ſuccini in calculo & nephritide proterue adhibentur 858. 862
ſuccini & terebinthinæ vrinam ſtimulant 264
vitrioli oleum 1077
Olera 322
Omentum in nonnullis animalium ſpeciebus non reperitur 286
Omiſſio virium ab amiſſione differt 687. 689
artificialium euacuationum ſanguinis adſuetarum incongrua 931
Ophthalmia: eius diſcuſſio feſtinationem non admittit 963
Opinionum diuerſarum conciliatores 144. 145
Opium ſomnum facit 326
in phthiſi reiicitur 766
Organon: eius acceptio 25. 26
animæ eſt corpus humanum 42
Organa proportionata anima habere debet, eaque regere 41. 202. 203
ſi deſunt, anima conceptus & ideas ſibi formare non poteſt 25
eorum notitia 429. 431
- notitiam habet anima 38
certo fini deſtinata ſunt 25
eorum ſtructura & peculiaris coaptatio 155. 399
- aptitudo num aliquid conferat ad actus ratiocinationis 245
- habilitas per exercitium 246
- diuerſa magnitudo quid ad ſecretionis negotium conferat 252
& ratio organica quo modo ſe gerant in actu conſeruatorio 466. 467
eorum eneruatio mortis cauſſam non ſuppeditat 457
colatoria capacitate pororum materiis transcolandis reſpondent 258
excretoria præcipua 96
ſenſoria, eorumque habitus & obiecta 399
- eorum efficacia in quo conſiſtat 400
Organica energia agnoſcitur, nexus autem inter animum & corpus negatur 39. 40
finalis directio 528
Organici & inorganici diſtinctio 366
effectus neruorum irritationibus adſcribuntur 40
Organicus nexus inter animam & cor-

pus quem vſum habeat 38. 39
nexus cum finibus motuum negligitur 46
Organicum aggregatum quomodo differat a mechanico 69. 70
Organiſmus quid ſit 14. 40
eius cognitio tam in theoria quam praxi neceſſaria 40. 41
eius ratio parum hodie habetur 7. 94
eius conſtitutio generalis & ſpecialis 16. 17
eius ætiologia ex febrium pathologia depromta eſt 41
motus humorum 227
conſeruationis vitalis 218
eius & mechaniſmi differentia 1. 12. 690
Oryza 321. 322
Oſſium medulla cum ſanguine commercium habet 287
Oſteocopos dolor 641
Otalgia: eius hiſtoria 953
catarrhalis infrequens 952. 953
Otium: eius amor fœminarum quid reſpiciat 293
Oues: vitia in eorum pulmonibus vnde 880
Ouipara vnde nutriantur 386
Oua ſine congreſſu maris edita 377. 378
eorum conſiſtentia mutatur in frigore 130

P.

PAlindrome hæmorrhagiæ narium 533
Palpitatio cordis cum anxietate mentis 525
palpitatorii ſenſus 642
per cogitationes reuocari poteſt 232
Panis & aqua homini ad nutritionem ſufficere poſſunt 320
recens calidus tempore menſium nocet 587. 588. 822
ſicci ingurgitatio epilepſiæ cauſſa 1015
Panſpermia aërea 216
Paradoxon quod Anatomia Medico non abſolute neceſſaria ſit 34. 55
phyſiologicum quod corpus corruptibile non corrumpatur 150. 424. 462. 465
pathologicum 445. 450. 467. 511
mechanicum 247
Paracelſi aſſertum, de purgatione vlcerum ab intra 867
Parentes: a quonam illorum anima communicetur 376
quem eorum proles ſequi ſoleat ib.
Paroxyſmi febriles 703
eorum reditus num a quantitate materiæ 712
— emanſio, mitigatio, interuerſio, ſuppreſſio 713
quieſcentium reuocatio 712
Paralyſis 685
eſt rarus affectus 691
eius ſubiecta & cauſſæ ib. 692. 1053. 1054
— gradus 692
conſpirat cum affectibus ſpaſticis 1054

in

in apoplexiam deſinens 686
poſt conuulſiones 685. 686
curatu difficilis 693
num detur ſpecificum ad illam curandam 695
paralyticæ impotentiæ per voluntatis concitationes diſſolutæ 419
- peculiares obſeruationes 695
Pareſis ex colica 802
Particulæ 155
earum ſelectus in mixtionibus 216
- numerus & ſitus in mixtionibus 216. 217
earum & pororum determinatæ figuræ & reciproca proportio 247. 249 252
num appetere & niti ſciant 365
ipſis tribuitur efficacia motus excitandi 31. 32
earum efficacia ἀμήχανος habenda 33
Partium corporis ſtructura ſpecialis, debita & conueniens 214. 215
Partus quibus motibus fiat 391
eius ſucceſſus 392
Paſſionis hiſtoria in genere 445
Paſſio hyſterica 839
eius affectus in tribus cauitatibus corporis 840. 841
Paſſiua ab actiuis ſeparanda ſunt in morbis 470. 471. 476
Paſtinaca 322
Paſtus: poſt illum quies præſtat præ occupationibus 327
Pathemata animi homini certo & indubie eueniunt 338
v. *Animi pathemata.*
patheticæ motuum vitalium anomaliæ non ſimpliciter tumultuariæ ſunt 343. 99
Pathemata in morbis moleſta, quomodo reſpicienda 472. 474
eorum generalis differentia 470
Pathologia: eius præcognita 441
medica cum phyſica ætiologia non debet confundi 112. 1080
eius ætiologia ex quo fonte petenda ſit 144
phyſico-chymico-mechanica 153
eius obiectum 442. 466
vſitata ab Hartmanno per ſatyram perſtringitur 1053
a Stahlio ex alio fonte deducta eſt 807
pathologica dogmata Stahlii, quæ ab aliis differunt 160
affectuum implicatorum quo modo optime inuenienda 42
Pecquetus ductum thoracicum detexit 254
Pectoralium hypochondriacorum & menſtrualium affectuum συζυγία 781
Pectoris anguſtia a ſanguinis exp[illegible] ne
oppletiones in adultis & infan[illegible] 762. 763
vlcera tophos ſ. calculos g[illegible]
Pellentia ad partum nocent [illegible]
ad menſium fluxum re[illegible]
intempeſtiua cunctationem [illegible] um non expediunt [illegible]

 ca[illegible]

calculum an non mictus cruenti cauſſa 846
- renalem producunt 855. 858
Perceptio per imaginationem maternam impreſſa 732
illam ſequitur æſtimatio 728
Peregrina deglutita quam prouide iterum excernantur 272
Periodus vitæ generalis incerta 241
generaliores periodi vitæ humanæ 506
ſeptenariæ periodi in ſano & ægro corpore 503
periodi hæmorrhagiarum ſtatæ 165. 514. 517. 519
- ſtatæ in menſium fluxu 296
- febrium 702
periodicæ inuaſiones affectuum congeſtoriorum 934
Peripateticorum forma nuda 365
Perire, perdere, reperire quid Latinis audiat 146
Petrificum ens 879
Petroſelinum in nephritide & calculo proterue adhibetur 858
Phantaſiæ abuſus & exagitatio 1069. 1071. 1073
Phaſes lunares num in menſium fluxu aliquid efficiant 295
cur epilepticæ conuulſiones circa eas inuadant 683
Phlegmatica humorum temperies 234
Phlegmaticorum textura, ſanguis, peculiaris mollities, color, vaſa, pinguedo 235
mores 237
actionum vitalium & moralium proportio 240
idea energiæ motricis in morbis 459
quos morbos experiantur 560
Phlegmaticæ difficilem menſium eruptionem experiuntur 591
Phlegmatico - ſanguineum temperamentum cachexiæ fauet 911
Phlegmatorrhagia narium 748
eius differentia a coryza 749
Phlegmone 630
phlegmonodea congeſtio ex apoſtaſi febrili 914
Φλογιςὸν num in aëre abundet 313
Phænomenων vſus ſ. vtilitas 145
Phthiſis 767
ex congeſtione hæmoptyica 756. 767. 769
ab hectica differt 767
pulmonalis cum hectica febre complicata 768
certis tantum hominibus euenit ibid.
familiarior eſt maribus quam fœminis 769
eius indoles pertinax eſt 772
eius cauſſæ 770. 771
a cohibitis hæmorrhagiis narium immoderatis 745
a vini generoſi immoderata ingurgitatione 755
phthiſicæ vlcerationes num per medicamenta ſanari poſſint 772. 773
Phyſica vera 52. 53
qua methodo hactenus tractata ſit 46

eius

eius differentia a theoria medica 153
quibus laboret defectibus 50. ſq.
eius aliena 49. ſq.
- errores detegendi ſtudium 48
phyſicarum rerum cauſſæ & effectus 7-11
phyſicæ anthropologiæ allotria & defectus 51. 52
phyſica corporis conſideratio num in medicina vſum habeat 49
num limites ipſi conſtitui & illa a Medicina dirimi poſſit 47
phyſice vera Medicinæ inutilia ſunt 53
phyſica morborum ætiologia quid ſit 441
- cum pathologia medica non debet confundi 112
phyſica diuiſio in infinitas minutias 67. 68
Phyſiologia 189 199
eius vera ratio ſ. fundamentum 430
- obiectum 436
- ſyntaxis 433
- breuis repetitio 423
phyſiologicum paradoxon 150. 424. 462. 465
phyſiologica dogmata Stahlii 160
Piceæ ex aëre potiſſimum nutrimentum accipiunt 215
Pineæ 321 322
Pinguedo 303. 368
eius ſecretio 285
- - tranſſudatoria 288. 290
- ſeparatio & aſſeruatio 288. 289
- vſus & vtilitas in corpore 286. 287
plethoram probat 484
cum ſale quid efficiat 74
pinguium effectus in vrina 265
Pinus nutrimentum etiam ex aëre aſſumunt 215
Piperis vſus 326
Piſces duriores nephriticis nocent 849
Piſum 322
Placenta vterina 386
Placentæ tempore menſium nocent 821
Plantis pori affinguntur, qui corpuſcula adſumant 216
Plethora 300. 306. 483
quod detur, argumentis probatur 483. 484
eam veteres quoque agnouerunt 164. 165
eius prouentus 169
per ſe raro incommoda adfert 489
quo modo ad morbos anſam det 484
commota hæmorrhagiarum cauſſa 165. 520. 601. 893
num omnes plethorici hæmorrhagias experiantur 518
eius concurſus cum contentione congeſtoria 963
- effectus in menſium negotio 589
plethoricorum ſenſus fatigationis & contuſionis analogus ſenſui rheumatico 618. 619
vid. *Abundantia.*
Plumæ molliſſimæ virgini aduerſæ ſomnum ipſi detrahunt 23

Πνεῦμα.

Πνεύματος & ψυχῆς diſtinctio 376
Podagra vnde deducatur 615
eius præludia 1030. 1039
- ætiologia 1037
- infrequentia 1045
- paroxyſmi certis temporum mutationibus inuadentes 1035
- eorum progreſſus & exitus 1035. 1036
eius pertinacia præ arthritide 1042. 1044
num a ſynouia dependeat 1049
eius accidentia & rariores circumſtantiæ ib.
ſuccedens ſ. ſibi relicta & retropulſa 1034
retroacta inprimis iunioribus funeſta 573
eius retroceſſio 1046
fluctuans vnde 805
eius συζυγία cum excretionibus ſanguineis & arthriticis conatibus 565. 1033. 1034. 1046
quo modo & quando ipſi hæmorrhoidum fluxus proficuus ſit 1048
per hæmorrhoides adſuefactas ſoluta 1033
podagrici ſimul hæmorrhoidarii 1047
ſublata per applicationem hirudinum 1033
- per torturam 1037
num per commotionem partis miteſcat 1036
eius reſuſcitatio ab iracundia 342
iuniorum num ſenectutem promittat 495. 1031. 1034
podagrici præcoces non ſolum aliis affectibus expoſiti ſunt, ſed etiam iisdem ad mortem deducuntur 1032
- tumores 615
- nodi 1049. 1050
Πολυπραγμοσύνη medica 46
Pollicum impreſſio in pugnum 675. 1012
Pollutiones nocturnæ 275
Polyhiſtoria litteraria 145
Polypi res rariſſima ſunt 527
Poma gelu putreſcunt 130
Porcorum pingueſcendi promtitudo 286
Pororum ſecretoriorum figura 96. 155
eorum & particularum reciproca figura & proportio refutatur 247. 249-252
ſyſtemati plantæ inſculptorum fictio 216
pori ſanguinis 155
Potentia materialis ad læſiones 465
potentiæ mechanicæ 12
- ſalinæ 155. 821
Poteſtas impediens, ne corruptio in effectum deducatur 465
Potus ſimplicior 326
fermentatus 326. 327
calidus an proficuus 327
frigidus poſt calidum noxius ib.
& motus 330
Præcordiorum ſpaſmi quid velint 775. 776
Præſeruatoria ſ. *præoccupatoria* methodus 964. 965

Praxis antiqua ſolidiore experientia nititur quam recens 58.59
clinica vanis obſeruationibus ſuperſtrui non debet 180
Preſſio aëris num motus mutet 314
Primas vias turbantia aſſumta 821. 825
Principia theoriæ medicæ alienæ 59
corporis humani 74
Principium vitale actiuum, agens in corpore, incorporeum, motus adminiſtrans 78. 105. 431. 651. 652
in febribus quodnam 713. 714
vid. *Anima.*
habet γνῶσιν tam mixtionis quam corruptibilitatis eius 86
eius deſertio & fuga in ſphacelo 972
principia agentia aliorum 175
Propagatio ſpeciei, cur iterum euaneſcat 244
eſt finis & ſcopus menſium 296
Proportio inter actus vitales & animales 240
organica meatuum atque humorum, & motus ad hanc proportionem conuenientis 238
Proprietates mechanicæ 12
Protoplaſtorum intellectus 407
Ψυχῆς onomatologia critica 36
eius & πνέυματος differentia 376
Pubertas 273
eius periodus 506
quid ad morbos conferat 505
Pueri præmaturius rationis exercitio addicti corpore debilitantur 246
deiectione ſincera ſanguinea adfecti 920. 921
Puerperarum feſtinati labores ad partum 838
Pulmones: vaſorum huius viſceris conſideratio 309. 312
ſpecialis ſtructura eorum ad reſpirandum 309. 310
tener fabrica & textura eorum, obſtipationem non ferens 549
huius texturæ effectus ſub inſpiratione 310. 311. 312
nullo proprio motu pollent 311
motus eorum reſpiratorius fortior eſt quam reliquarum partium 225
vitia eorum in ouibus vnde 880
Pulſus 229
eius energia 228
e dextro ventriculo non cedit energiæ ſiniſtri 225
ordine & dignitate omnium primus motus 238
eius diuerſitas 231
arteriis non eſt proprius, nec earum ſyſtole pro pulſu habenda 229
nobis non cogitantibus ordinate fit, ſed nobis cogitantibus alterari poteſt 231
eius mutatio conuenit cum indole cogitationum 232
eius reciproca energia in cogitationes ibid.
Pulueris ſpecifici antepileptici efficacia 1020
Puluerulentorum noxius effectus in pulmonibus refutatur 880. 881
Punctum ſaliens 379

Purgantis aſſumti imaginatio quid efficiat 362
Pus 637
vbi pus ibi vlcus 977
Putredo morbida in corpore 150
a recentioribus plane negatur 462
putredinoſa corruptio ſ. putrefactio, eiusque energia in toto habitu corporis 80. 424. 460. 461
in ſphacelo non agnoſcitur 461
ſequitur motuum vitalium deſertionem 128
cur agens ita deficiat in reſiſtendo putredini 81. 82. 83
eius præoccupatio 80. 81

Q.

QValitas ſanguinis 301
ſpiſſeſcens materiam morbis præber 508
Quantitas abundans 301. 508
vid. *Abundantia* & *Plethora*.
eius moderamen quomodo obtineatur 302
Quies 331
& motus 329
proportio inter motum & quietem ſeruanda 331
eius defectus corpori nocet 719

R.

RAbies canina 1074
Radices 322
Ranas metuenti mulieri figuræ earum æneæ lipothymiam induxerunt 656
Rapa 322
Raphanus ruſticanus in nephritide & calculo proterue adhibetur 858
Ratio vtrumne cum experientia conſpiret 47. 48
Ratio & *ratiocinatio* differunt 38
non ratiocinans 417. 418
Rationalitas corrupta, præceps, corruptionis progredientis cauſſa 83
Ratiocinandi minor promtitudo in ætate teneriore 245
actum & principium Helmontius a mente diſtinguit 415
Ratiocinationis & intellectus ſimplicis differentia 208. 209
Recordatio in actionibus non ſemper adeſſe debet 417
eius effectus in palpitatione cordis 525
Recurſus commotionum anniuerſarii 891
congeſtionum & ſtagnationum ſanguinis 855
Reditus ſ. *repullulatio* morborum 57
Refrigeratio ſanguinis 224
Refutandi peruerſus modus 8
Regimen in febribus 703
coactum ſudorem magis impedit 650
Regurgitatio ſanguinis verſus pectus & alia loca 569. 736
Remedia aduerſus calculum incerta 881. 882
alterantia fictæ efficaciæ 716
Reminiſcentia 406
iu actionibus non ſemper adeſſe debet 417

Renes modo laxari modo ſtringi poſſunt 262
eorum ſtructura ibid.
- motus tonicus quid efficiat in emiſſione vrinæ 265
- vlceratio calculi fundamentum 866. 867.
Res vt eſt, vt fieri poteſt, vt fieri debet 7
eius habitudo, qua fieri debet, non recte cognoſcitur ibid.
Rerum eſſentia & propria ſingularum conditio adhuc latet 5. 6
fines vel vniuerſales ſ. coſmici vel ſpeciales 18. 19
num anxie inquirendi ſint ibid.
Res toto genere præter naturam 452 722. 736
Res non-naturales 307
earum connexio cum naturalibus 308
quo modo corpus lædere poſſint 719
ad morbos anſam præbent 451
quid ad erroneas hæmorrhagias narium conferant 742
Reſorptio ſeri in vaſa 261. 264
liquidioris fœcum ſubſtantiæ in vaſa 272
Reſpiratio 309
num abſolutæ neceſſitatis eius cauſſam dare poſſimus 316
eius efficacia & effectus 224. 311. 312
non impeditur per molem dimidii centenarii 312
energiæ eius augendæ neceſſitas ſub aeris mutationibus ibid.
ſemel ſuſcepta non poteſt omitti 316
citatior a ſanguine concalefacto 225
intercepta, anxia & anguſta in locis calidis 312
eius oppreſſiones ſpaſticæ differunt ab apoplexia 697
eius augmentum frequentiam, ſed non vehementiam infert 226
ſanguis per illam non refrigeratur ſed calefit 152
an infans in vtero reſpiret 316. 390
Reſtagnationes 509. 510
Reſtitutio ſ. reparatio conſumtorum cuius indolis materias requirat 318
multorum ægrorum ſpontanea 109. ſeq.
Reſtrictio humorum ad interiora: eius vſus & effectus 664. 665
Retinenda 327
Rheumatiſmus 616
eius differentia ab arthritide 811 955. 956
- - ab apoſtaſi febrili 625
eius ſpecies 955. 619. 621
eius & arthritidis conſpiratio & ſubordinatio 1037. 1038
eius materia 620
- diſtinctio cauſſarum 954
- effectus 622
- euentus 623. 624
- adſuetudo recurrendi 621. 626
- tam interni quam externi incommoda 623. 626
per vniuerſum corpus ſe diffundit 618

Rigoris & caloris alternatio in illo non eſt actus febrilis 623
ad varia ſchemata pronus aliorum morborum cauſſa generalior eſt 617
hæmorrhagias eminus reſpicit 618
eius congeſtiones etiam ad caput oboriuntur 941. 943. 944
eius translatio ad interiora periculoſa eſt 624
eius therapia 956
qui inflammationum fomes eſt, translationem non admittit, potius vero diſcuſſionem 625
Rheumatici affectus cur non arthriticis adſcribendi 1039. 1040
Rheumatico-arthritici dolores 953
Rigor texturæ num ſit cauſſa termini vitæ 502
Rigores febrem ſoluentes quo modo intelligendi 1009
Roboratio naturæ per medicinam vniuerſalem in ſpe poſſibilitatis conſiſtit 131. 132
Robuſti a morbis grauius adficiuntur 494
facile in inſignes trepidationes aguntur 734
Roſe in cephalalgia continua hyſtericarum 944. 945. 946
Rubor in inflammationibus 636
Ructus poſt plures horas erumpentes 361
Rudbeckius vaſa lymphatica in omnibus partibus delineauit 255
Rugæ ſeneſcentis corporis indicium 244
Rugtiones 600
Ruyſchius vaſa lymphatica in omnibus partibus delineauit 255
Rythmus pulſus 231

S.

Sacchari vſus num reformidandus 326. 328. 723
Sal ſubtile e mucilagine & terra 74
armoniacum: eius experimentum cum nitro ibid.
volatile oleaginoſum ibid
vrinoſum num viuum corpus a corruptibilitate præſeruet 106. 823
vitrioli, num apoplecticis ſubueniat 699. 700
Salia volatilia hydropis cauſſa 901
puerperis nocent 833
Salinæ potentiæ quid valeant 155. 821
Salium energia valde remota eſt cauſſa morborum 452
Salſa num tantopere noceant 723
Saliua fermentalis liquor 357
eius ſecretio 282
- vſus 283. 284
- affuſio ſub maſticatione 354
lympha ſaliualis e glandulis inteſtini ilei cuius vſus 358
Samoiedæ crudas carnes & morticinas deuorant 323
Sanguis ex tribus generibus fluorum conſtat 221. 222
ſtricte dictus: eius craſis, vſus atque cauſſa 222. 223
quo modo generetur 379. 381
an ſponte coaleſcat, an vero ſelectu alicuius agentis 381
eius duæ principes conditiones 485

eius diſtributio æqualis quo modo fiat 230
- - & attenuatio per motum localem 421. 422. 701
- miſſiones ſ. directiones 219
- attractio ſ. ſuctio ib.
- circulatio ſ. motus progreſſiuus 177. 218. 301
- - ſalutaris eſt 212
- - eius phyſica ratio 115
- - non abſoluit negotium vitæ 113. 115. 434
progreſſiuus eius motus in inflammatione præſto eſt 634. 636
- - diſſolutioni idoneus eſt 95
non irruit in ventriculos, ſed certa menſura in illos impellitur 226
extra arterias in partibus tantisper continetur 230
venæ pulmonalis floridior vnde 226
eius ſaltus ex arteria læſa num ſpirituoſitatis energia ſit 230
num aër illum ingrediatur 226
eius depuratio per motus diuerſos 113
ſub motibus fatiſcit 424
perpetua reparatione opus habet 318
optimus & floridus ſpiſſeſcere immo concreſcere poteſt 487
eius inertia ad motum quid efficiat 487. 488
- *ſpiſſeſcentia* & *ſpiſſitudo* 168. 174. 180. 301. 486. 678. 823. 824
- ſegnior *corruptio* per motum inteſtinum 86
præ aliis partibus *corruptioni* expoſitus eſt 106. 212. 460. 462
eius *abundantia* 169. 3003-03. 483
- - quas moleſtias & pericula corpori adferre poſſit 305
- - commota exonerationi anſam dat 174. 512
- exonerationes per peculiaria corporis loca 506. 507
eius euacuatio cur neceſſaria 602. 603
- - conſulta vtilitas & deſtinatio 299. 523. 524
- - etiam ſexui virili obtingunt 300. 306
- - in puerili ætate cœptæ in reliquis retinentur 506. 507
- - ſuppreſſæ hydropis cauſſa 895. 896. 898
- imminuendi intentio per hæmoptyſin 530
eius eruptiones inſolitæ & raræ 603
- - e naribus apoplecticorum mortuorum 1061
- - per genitalia infantum 920
- directio ad vterum eiusque excretio 293
- excretionis exactior penſitatio 300
- lochialis 386
- fluxuum ſuppreſſio 893
- reſtrictio verſus caput, exitum non inueniens, quid producat 540
- regurgitatio verſus pectus 756
- fluxus intempeſtiui immoderati ſunt 923
- amiſſio inſolentior non parum confert ad habitum cachecticum

cum 907
- profuſiones naturales vni præ altero incommodæ 924
- expanſionem ſequitur anguſtia pectoris 756
- craſis vitiata num ſtaſes inducat 627
- ſtagnatio ex congeſtione 933
- ſtaſis vnde 627
- incarcerationes ſtatariæ funeſtæ 1071
- vitia menſes retardant 589
eſt præcipua materia congeſtionum 612
hypochondriacus per vomitum cruentum eiicitur 555
eius emiſſiones non ſpontaneæ incongruæ 924.925
motu *incaleſcit* 223. 311. 312. 433. 634
reſpiratione magis caleſit quam refrigeratur 152. 224. 225
eius calor num per ætherem attractum augeatur 227
eius *impulſus* motum tranſitorium reddit rigidiorem 633
eſt præcipuum *inflammationis* ſubiectum 628. 629
eius influxus viuidus tumorem inflammatorium efformat 633
- acceſſus vlceris conſtitutionem mutat 978
eius motus inteſtinus cum progreſſiuo complicatus calorem inflammatorium excitat 632
eius *commotio* per vinum, alexipharmaca, myrrhata, crocata, ſalia volatilia 833
- *acrimonia* & grumoſitas iudicantur cauſſæ hæmorrhagiarum 520. 521
menſtrui ſanguinis impuritas & venenoſitas nulla eſt 297
ſincerus per commotionem orgaſmi ſeminalis impurus reddi poteſt 297
eius *ſpumeſcentia* vnde 226
extrauaſatus ſibi relictus quid producat 477
eius *effuſio* in ventriculum facilis 788
- - in ventriculis cerebri 698
eius *motus* in *febribus* alteratus 702
ſanguineus *ſudor* 259
eius *pori* 155
- motu generali αὐτοκρατία naturæ non perficitur 131
a matre ad fœtum non immediate transmittitur 381
eius eductiones reiiciuntur 519
- inſufficiens ventilatio quid poſt ſe trahat 601. 602
eius fluxus vere paſſiui 600
- quadruplex diuerſa temperies 233
Sanguinea humorum temperies 234
Sanguineum temperamentum prædominans eſt, & homini naturale 236
Sanguineorum textura, vaſa, ſanguis, ſecretiones, excretiones 234
eorum mores 237
- actionum vitalium & moralium conſpiratio 239
ad quos morbos apti ſint 500. 854
quo modo ſe gerant in morbis 498

Sani citius intereunt quam debiles 733. 494. 734
Sanitas quid ſit 200. 201
eius conſeruatio 199
Sapores ſexcenti 165. 174
Saporis vegetabilium tot mille ſpecierum diuerſitas 216
Saporum energia valde remota morborum cauſſa 452
Scabies: paralyſis poſt malum eius ſucceſſum 692
Scarificatio: eius vſus & adſuefactio 930. 931
eius incongrua adminiſtratio ib.
- neglectus rheumatismos producit 956. 957
Schäden: erſtickte 970
Schlipfer-Milch 280
Schmertzen, welche die Federn nicht leiden können 944
Schwammerdam mechanicam reſpirationis conſtitutionem monſtrauit 311
Schwindſucht 770
Sciendi auiditas in homine 3. 5. 11
Scirrhus: eius definitio, differentia & cauſſæ 1000
eius differentia a ſtaſi inflammatoria 1001
- infrequentia 1002
- cauſſæ occaſionales ib.
- corruptio 1001
- ſpecialior indoles 1002
- ſanguineus 991
- cur intactus relinquendus 1001
Scorpionis ictus per oleum eius ſanatur 1076
Scripta medica in magno numero 141
Stahlii: eorum vindiciæ & indicia 133
Secale 321. 322
Seceſſio humorum quo modo fiat 248. 252
Secretio & excretio 247. 327. 328. 434
per has natura vitam præſtat 60. 116. 301
ſecretio non ſufficit ad conſeruationem corporis 114
- eius modus fiendi 95. 248. 249. 252
- - mechaniſmus & formalis ratio 247
ſecretionum recurſus 169. 170
- vſus in febribus 181
bilis 267
lactis 277
lymphæ 254. 257
muceſitatis 265
pinguedinis 285
ſaliuæ 282
ſeminis 274. 275
ſeri 258
- eius organa vbi reperiantur 260
vrinæ 263
Sectiones 600
Secundarii morborum effectus quo modo conſiderandi 472-473
Secundinæ 392
earum excluſio maxime neceſſaria 834
- reliquiæ vitia lochiorum producunt ib.
Sehnen, Sehnſucht 246. 1066
Selectus particularum in mixtionibus 216
Semen maſculinum differt ab humore fœmi-

fœminino 273
eius prouentus corpus alterat 274
ſecretio non ſtatim efflagitat ſui excretionem 275
actiuum ens per illud transfunditur 277
deciduum 276
ſeminalis orgasmus ſanguini impuritatem imprimere poteſt 297
vid. *Sperma.*
Semina pinguia fermentationem ſubleuant 326
Seminium ad calculum permultos annos deliteſcens 856
Senibus ſeceſſiones & decubitus catarrhales familiares ſunt 751. 752
obtingunt pathemata, quæ pro malo hypochondriaco declarantur 789-791
Senſatio ſ. perceptionis ſenſoriæ energia & motus 395. 396. 412. 429
fit per actionem animæ 396
ſi paſſiue explicatur, quæ monſtra pariat 401
eius actus & negotium breui conſpectu ſiſtitur 123. 398. 401-403
per motuum directiones adminiſtratur 425
per neruos efficitur 400
conſeruationi corporis inſeruit 395
eius efficacia in motus vitales 101
Senſationes clandeſtinæ 729
dolorificæ 510
Senſibilia quæ nominentur 407. 408
Senſibiliores facilius ſuperant morbos quam debiles 733. 734
raro longæui 734. 735
Senſibilitas 727
inter animi pathemata refertur 720
vnde prognoſcatur 730
e motibus ſuccedentibus ſe prodit 661. 728
non eſt debilitas ſed actiuitas 654. 655. 728
etiam robuſtis obtingit 731
eius effectus 733
ſingularis in febribus 409
familiaris eſt poſt morbos & animi pathemata 732
eius ægrotandi conſuetudo 448
quid valeat in conuulſionibus 683
in hæreditariis diſpoſitionibus 656
adſuefacta, adſcititia 735
ex nuda falſa æſtimatione 731
fœminarum in menſium fluxu 295
Senſus 123. 395
num ſimpliciter ſtricturas prouocet 663
formalis non fit ſine animi intentione 29. 30
anima ſenſuum opus habet in negotio cogitationum 408
interni non ſunt in poteſtate Medici 413
internorum alienatio in conuulſionibus 675
criſpatorius 666
in agnitione felis præſentis 410
communis 403
Sentiendi energiæ ſubtractio 398
Septenariæ periodi in ſano & ægro corpore 503
minores vitæ periodos abſoluunt 242

etiam in menſium fluxu obſeruantur 295
Serum excrementitium 222. 258
eius ſecretio & excretio 247. 258 259
- reſorptio in vaſa 261. 264
- exhalatio interna 260. 261
- corruptio 460. 461
Sermocinatio num aliquid ad hæmoptyſin conferat 550
Serpigo hæmorrhoidalis 800. 801
Sexus fœmininus præ virili morbis ſubiectus 453
animi pathematibus obnoxius 339
Sinenſium peritia de pulſus diuerſitate 231
Siniſtri & dextri collocatio 217
Situs particularum in mixtionibus ib.
Solanum furioſum 1075
Solidarum partium reſpectus ad fluidas, & horum ad illas 1068
earum vitia 1064
- reſtitutio ib. 1065
Sollicitudo ſomnum interpellat 333
in febribus quid indicet 708
Somnia 333. 335
ſanguine grauatorum 524
ex phantaſiæ exagitatione 1070
Somnus non eſt paſſiuum quid 326. 334
eius differentia ſecundum temperamenta & ætates 335
eius & vigiliarum conueniens temperamentum ib.
nimius nocet 336. 719
eius neglectus deliriis anſam dat 1070
ſenſuum energiæ refocillandæ inſeruit 332
certo tempore illum capiendi adſuetudo 334
Sorgen: mit Sorgen ſchlafen 334
Spaſmus quid ſit 667. 1003
eius differentia, ſubiecta, cauſſæ, prognoſis, effectus, vſus & euentus 670. 671. 672. 1004
a conuulſionibus differt 670
quas partes corripiat 1003
eius expulſio in partes externas 1046
eius affectus 1003. 1009
- circa thoracem vnde 1008
particularis, vniuerſalis, thoracis 667
capitis, colli, manuum & pedum 668
in œſophago & ventriculo 669
in abdomine & inteſtinis ib.
fixus Paracelſi 700
cynicus 1005
ſimplicioris ſpaſmi exemplum 1005. 1006
ſpaſticis contentionibus ſuccedit omiſſio motus tonici 694
Speciei propagatio 244. 245. 296
Specifica: traditiones de illis prudenter conſiderandæ 867
aliis morbis reperta ſunt, paralyſi nullum 695
aduerſus venena 1076
vniuerſalia iis præmittenda 725
Spectrum: eius impreſſio terrori & deliriis anſam dat 1070
Speculandi aſſiduitas deliriis anſam dat 1069
appetitus obliuionem introducit 350
Speculatiuæ phantaſiæ & memoriæ abuſus 1003

Speculorum corruptio ex obtutu menſtruatæ 297. 298
Sperma, quo tempore erumpat 273.
ſecretum quo modo in humores reſorbeatur 275
eius retentio interdum incommoda adfert ib.
- corruptio 460. 461
maſculinum: ei vis plaſtica adſcribitur 371
eius commotio ſub libidinoſis ſpeculationibus 1070
- eiaculatio ab epilepticis quibusdam 1015
ſpermaticæ partes num renaſcantur 371
vid. *Semen.*
Sphacelus 460. 461. 477. 478 637. 968
eius hiſtoria & ætiologia 969. 970
cur potius putrefactio quam mortificatio appelletur 968
eius formalis explicatio 973
- effectus 972. 975
- euentus 967
- infrequentia inter bruta & homines 976. 977
- duplex notabilis circumſtantia 969
- corruptio, non ſpecifica ſed putrefactiua 974
putredo in illo non agnoſcitur 461
illum ſtipant moralia pathemata 973.
ratio, cur natura ita aufugiat 971. 972
in illo viuidus & durus tumor non adeſt 633.
poſt hemiplexiam & paralyſin 692. 700
rariſſime ſponte expugnatur 975
per ſubſidia medico-chirurgica iterum compreſſus 85
Spina dorſi ſtricturis lumbaribus afficitur 851. 852
Spiritus 206. 207
cor mouere vulgo dicuntur 228
miſſiones & depurationem ſanguinis perpetrare creduntur 219
ab anima diſtincti ſunt 415
ex calido innato conficit Hoffmannus 224
num aër eos ſuppeditare poſſit 313
lucidos eſſe aliqui credunt 208
vis plaſtica ipſis adſcribitur 371. 372
eorum tumultus pathematum cauſſa eſſe debet 174. 176. 178. 208. 340. 342
- influxus interceptus num defectus virium cauſſa 693
genitalis 371
Gorgonius ſ. lapidificus 855. 856. 864 - 866
ſpirituoſitas ſanguinis arterioſi 230
Spiritus vini putredinem cohibet 128
ſanguinem ſiſtit 886
ardens ex pinguedine ſubtiliata 74. 75
nitri dulcis differentia a nitro ſimplici 877
nitri & ſalis 1077
nitri & tartari quo effectu in nephritide & calculo adhibeatur 858
C. C. in acutis œdemata adfert 916
ardentium abuſus hydropis cauſſa 900. 901
Spiritus in pulmonibus contentus, & repente emiſſus, quid ad hæmoptyſin conferat 547. 548

Spiſſeſcentia & *ſpiſſitudo* ſanguinis 501. 485
cauſſa eſt maximorum damnorum 486
ſine abundantia ſanguinis morbos gignit 489
menſes retardat 589. 823
ad anxias præfigurationes mentis anſam dat 1071. 1072
Splenicæ inflationes 613
Spontanea vitalis methodus 109. ſq. 469
morborum depulſio & ægrorum conualeſcentia 163. 449
naturæ energia in febribus 708. 715
Spuma oris epilepticorum 675. 1013
apoplecticorum 1061
Spumeſcentia ſanguinis vnde 226
Sputum cruentum ab hæmoptyſi differt 545. 572
Stagnatio vnde 509. 510. 626. 627
eſt conſequens congeſtionis 605. 933
ſanguinis in ramificationibus venæ portæ vnde 787
- in liene vnde ib.
ſub hac detentione alii humores ſe inſinuant 933
eius recurſus 855
ad anxias præfigurationes mentis anſam dat 1072
Stahlius quo ſtudio res medicas tractauerit 149
eius diligentia in conſcribendis ſchediasmatibus 186. 187
duplex culpa litteraria ei imputata auertitur 159
eius poſitiones & adſertiones male acceptæ ſunt 144
eius ſcriptorum vindiciæ & indicia 133
- recenſio præcipuarum materiarum in diſſertationibus tractatarum 173. 187. 188
eius therapia febrium 182. 183
- dogmata phyſiologica & pathologia, in quibus ſe ab aliis diſtinguat 150. 160. 166
eius diſſertatio de æſtu maris microcoſmici 171. 176
- de alterantibus 184
- de αὐτοκρατία natura 173
- de conſuetudinis efficacia 184
- de curatione per accidens 185
- problemata febrium 181
- hiſtoria febris in genere ib.
- de febris rationali ratione ib.
- de febre tertiana 182
- de febribus bilioſis ib.
- de hæmorrhoidibus internis 179
- de motu ſanguinis hæmorrhoidali & hæmorrhoidibus externis 179
- de inflammatione 178
- de malo hypochondriaco ib.
- de differentia λόγȣ & λογισμȣ̃ 183
- de mechaniſmo motus ſanguinis 177
- de menſium fluxu & inſolitis eorum viis 179
- de morbis ætatum 173. 180
- de morbis habitualibus, contumacibus & corruptis 184. 185
- de frequentia morborum in homine 176. 183
- de infrequentia morborum 173
- de motu humorum ſpasmodico 172
- de motu tonico vitali 170. 171
- de anomaliis motuum 185

- de erroribus Medicinæ practicæ ib.
- de naturæ erroribus medicis 183
- de affectibus periodicis 184
- de pathologiæ fundamentis practicis 180
- de podagræ noua pathologia 179
- de ſpasmis 178
- de ſanguiſugis 179
- de temperamentis 175. 177
- de V. S. in pede 179
- de V. S. patrocinio & V. S. in acutis 181
- de vena portæ porta malorum 178

programma de auctoritate atque veritate medica 186
- de teſtimoniis medicis ib.
- de cephalalgia iliaco-hæmatitica 179
- de pathologia ſalſa 180
- de *συνεργίᾳ* naturæ 173

Staſis 509. 510. 626. 627
ex congeſtione 933
num congeſtioni quadret 605
inflammationis ſubiectum 958
num omnis aditus humorum in ea interceptus ſit 1001
diſcuſſio per congeſtionem valde impeditur 963

Sterilitas num a menſium defectu deducenda 590

Sternutandi ſtimulus in coryza 751

Stimulus materiæ effingitur 114. 345. 361. 435

Stomachus: quid illi cum euacuatione menſtrua? 587

Stricturæ tonicæ: earum cauſſa 663
ingraueſcentes in ſpasmos transeunt 666
earum gradus fortior in morbis 663
in hæmorrhagiis 527. 528. 541
tonico-ſpaſticæ partis alicuius 649
fortiſſimæ ſphacelum efficiunt 970

Stricturæ artificiales v. *Adſtringentia*.

Structura corporis viui 74. 75. 214
Medico non abſolute neceſſaria 54. 55
eam phyſici recentiores tantum penſitarunt 51
natura illam in ſua poteſtate habet 214
eius & texturæ differentia 76
- proportio ad organicos vſus 217. 436
- conditiones & circumſtantiæ 77
breui augetur poſt morbos 368
eius læſiones 213. 463
embryonis reformata & deformata 216. 373
eius eneruatio ſ. marcor num ſit cauſſa termini vitæ 502

Studium medicum quomodo inſtituendum 45

Sturmii opinio de ſemine 277

Suaue ſ. ſuauitas quo modo ſoleat definiri 6

Succini oleum vrinam ſtimulat 264
in nephritide & calculo reicitur 858. 862

Succus pancreaticus ſaliualis indolis eſt 283. 284. 357

Suctio ſ. attractio ſanguinis 219

Sudor: eius excretio 259
in acutis a ſtrictura totius corporis non impeditur 649
num moleſtas tractiones tollat, an vero his remittentibus proueniat 650
... ſangui-

ſanguineus 259
particularis 651
Sudorifera ſanguinem commouent, & ſudorem magis impediunt 650
Suffocatiui affectus ab apoplexia differunt 697
Superbia ambitioſa 1070
Suppreſſio hæmorrhagiarum 893. 898. 904. 924
Suppuratio inflammatoria 959. 960
ſimplex 85
differt ab vlcere 978
Surgendi tempus certum 346
Sydenham 162
eius equitatio 330
variolarum tractationem artificialem periculoſam iudicat 110. 111
Syluii figmentum debile 268. 840
Sympathia 13
Symptomata morborum 470. 475. 476
actiua & paſſiua diſtinguenda 511. 512
actiones vitales in morbis plerumque pro noxiis ſymptomatibus accuſantur 39
certius curantur ſublato adfectu primario 1026. 1027.
præoccupandæ corruptioni deſtinantur 465
hæmorrhagiæ 534
cephalalgiæ 944
Synergia naturæ 42. 173. 437. 476. 478. 717
Synergos Medicus 438
Synouia num podagræ cauſſa 1049
Syſtematis neruoſi irritatio in conuulſionibus 680
Syſtole cordis, auricularum & arteriarum 228. 229

T.

Tacken 797. 806
Tartari crudas carnes & morticinas deuorant 323
Tartari cryſtalli cum ſpiritu volatili vrinoſo ſaturati, quid hoc experimentum probet 823
ſpiritus, quo effectu in nephritide & calculo adhibeatur 858
Taurorum gregariorum carnes 274
Temperamenta: eorum theoria 175. 177. 232
eorum triplex materialis diuerſitas 497
paſſim occurrunt, pura familiarius autem mixta 236
eorum differentia diuerſos colores facit 291
eorum habitus ad ideas rationales 525
diuerſitas actiuitatem vitalem diuerſam reddit 241
ad illa animi pathemata & mores inſtruuntur 175. 328
eorum notitia quem vſum in morbis habeat 241
habitus ad morbos 497
perturbationis motuum cauſſa 491
quale hydropi idoneum 898
Temperies humorum quadruplex diuerſa 233
Tempus morborum 501
edendi & bibendi 328
eius reſpectus ad morbos quid inuoluat 503. 504
tempore ſ. duratione opus habet anima 29
Teneriori corporis texturæ adſuetudo opponi poteſt 731

Teneritudo vulgo taxatur pro ſenſibilitate 727. 731. 732
vaſorum lymphaticorum cuius vſus ſit 256
Teneſmus ſpaſmis adnumerandus 669
hæmorrhoidalis 799
Tenſio dolorum cauſſa 510. 643
in hæmorrhagiis 532
a lumbis deorſum per ilia vnde 264
Terebinthinæ oleum in calculo & nephritide reiicitur 858. 862
Terminus vitæ: eius cauſſa 501
Terra tranſit in ſal ſubtile & mucilaginem 74
Terrarum tractus conſiderantur mechanice & organice 15. 16
Terror: quid animus ſub illo intendat 341
reſtringit ſanguinem ad interiora 666
pulſum omnem tollere imo mortem inferre poteſt 232
eius effectus in actus vitales 339. 340
motus ab illo prouocati quam efficaciam habeant 101
conſtrictionem tonicam in mammis efficit 281
repentinus menſes opprimit 588
apoplexiæ cauſſa 696
Teſtæ ouorum vbi formentur 866
Teſtium ſtructura 273
Teſticulus maniacæ monialis inflatus 1070
Textura corporum diuerſa 233. 234
differt a ſtructura 76
in fœminis laxior, mollior & infirmior 293
corruptioni expoſita eſt 462
violata in ſenibus tardius reſarcitur 245
eius rigor num ſit cauſſa termini vitæ 502
Thée v. *Potus calidus.*
Theoria medica: quid ad illam pertineat, & ab illa abludat 57. 58
naturæ methodo ſuperſtructa eſſe debet 63
eius fundamentum 143. 144
- præcipuum negotium 431
- & therapiæ cynoſura 188
vera & ſolida 127
alienæ & falſæ principia & hallucinationes 59. 127
quod cum praxi non cohæreat 58
num infelicem practicum reddat 47
eius ἀσύστασις & ἀλλοτρίωσις 153
Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς 175
Therapia naturæ ſpontanea 62
therapeutica ætiologia ex quo fonte petenda ſit 144
Thoracis actio in reſpiratione 310
elatio quibus muſculis fiat 311
ſpaſmi vnde originem habeant 1008
Thoneri obſeruationes de nexu iſchiadis cum hæmorrhoidibus 809
Titillationis ſenſus 397. 643
Tonus: vnde & cur ita appelletur 647
in quo verſetur 152
eius variationes 662
tonicarum ſtricturarum cauſſa 663
eius efficacia in mammis 280. 281
tonico-ſpaſtica directio in negotio hæmorrhoidali 568
- - ſtrictura ſpecialiſſima partis alicuius 649
eius remiſſio in partibus receptantibus 264

tonica partis roboratio 982
vid. *Motus tonicus.*
Tophi pulmonum vnde 879
Tortura podagram curat 1037
Tractiones moleſtæ in dorſo & aliis partibus in acutis malignis 650
Translationes ab exterioribus ad interiora 627
Tranſpiratio quam prærogatiuam habeat 260
tranquille & æqualiter procedit 261
inſenſibilis 259
in febribus acutis malignis 651
Traumatica quid poſſint in vlcerationibus phthiſicis 773
eorum vſus in calculo non autem nephritide 867
Tremor artuum 685
tremores paralytodes in veram paralyſin deſinentes 686
Trepidatio naturæ 491. 492
Triticum 321 322
Tubercula veſiculoſa hæmorrhoidalia 563
Tumores oedematoſi, frigidi 614. 917. 919
inflammatorii 633
podagrici 615. 1030. 1038
Turbæ accidentales in morbis 473 475
Tuſſis: eius hiſtoria, ætiologia & ſubiecta 759. 762
plethoricis propria eſt 762. 763
cauſſæ 759. 760. 762
ab internis cauſſis pertinacior eſt quam ab externis 767
vnde in hæmoptyſi oriatur 548
humida infantum conuulſionum cauſſa 678
quam maxime infrequens eſt 760. 761
vehemens raro hæmoptyſin excitat 547
Tympanites cur non numeretur inter hydropes 897
Typographia abundantiæ ſcriptorum cauſſa 139
Typus naturæ 238

V.

Valetudinarii morborum inſultus facilius ſuperant 494
melancholici præ aliis ſunt, aut ſibi videntur 501
Valuulæ vaſorum decuerunt circulum ſanguinis 220
earum omiſſio per totam venam portæ 556. 787
multitudo in vaſis lymphaticis 256. 257
Vapores aſcendentes num ſomnum prouocent paſſiue 326
Varices reſpiciunt hæmorrhoides 578
earum manatio 577. 579
effectus 579
Variolæ: ſudationem actualem non adſciſcunt 651
conuulſiones in illis quid indicent 676
paralyſis poſt malum earum ſucceſſum 692
earum tractatio medica cuius conditionis ſit 110. 111
Vas breue: per illud nihil a liene ad ventriculum defertur 356
Vaſa cutis 259
vaſorum inflatio circa caput & fauces 526
hepatis, lienis & pulmonum conſideratio 309

lactea, num a lymphaticis penitus diuerſa 359
- num chylus per illa vnice progrediatur 358. 359
lymphatica: eorum ſtructura 256
- fere in omnibus partibus obſeruata 254 255
- in meſenterio a Bartholino detecta 254
- eorum ſpecialis conſtitutio in homine 256
vas lymphaticum magnum in brutis 387
vterina num ſola ad menſium excretionem ſufficiant 298
Vegetabilia homini ad nutriendum ſufficere poſſent 320
eorum ſelectus ad alimenta 321
eorum mixtio 215
- diuerſitas odoris & ſaporis vnde 216
- ſtructuræ organicos vſus non habemus cognitos 104
non ſolum e terra ſed etiam ex aëre nutriuntur 215
Vena vmbilicalis 387
Venæ non tam copioſam miſcelam humorum ferunt quam arteriæ 223
earum inflatio in hæmorrhagiis molientibus 526. 527
- valuulæ 229
Venæ portæ ſtructura 785. 840
eius ramificationes 785. 786
- valuulis carent 787
eius reſtagnationes ſanguinis vnde 556. 786. 787
- viſcera quo modo participent de reſtagnationibus menſtrualibus 588. 840
- incommoda per hæmorrhoides mitigantur 569
Venæ ſectio vnde neceſſaria 602. 603
dextre inſtituta quem vſum habeat 932
in inferioribus vtilis eſt 854
annuos conatus euacuationis habet 602
quibus inflammationibus & quando proſit 963
num a ſenioribus, phthiſicis, imo iunioribus omittenda 932
tempeſtiua in phthiſi 766
hynochondriacos ſubleuat 779
num apoplecticis ſubueniat 699 700
eius neglectus rheumatiſmos producit 956. 957
incongrua ratione quantitatis 601 602. 889. 890. 929. 930
languidiſſime erumpens ſine fructu eſt 930
in exceſſu inſtituta ſine diſcrimine ſubiectorum ibid.
ſub eruptione menſium aut aliarum hæmorrhagiarum incongrua 594. 824. 927
in ipſis affectuum inſultibus incongrua 926
indiſcriminatim in inferioribus administrata incongrua 927. 928
in ſuperioribus reuulſoria minus ſecura 929
media æſtate aut nullo habito reſpectu ad phaſes lunæ non opportuna eſt 930
cur in tenera ætate non ſecure inſtituatur 925. 926

Veneficia quid in menſium negotio efficiant 591. 592. 827
energia impreſſionis per illa 1021
Venenum quid ſit ſenſu medico 1075
vtrum detur ibid.
eius nulla eſt vera theoria 1078
eius ſpecies, & quomodo efficaciam ſuam exſerant 1075
extra naturæ poteſtatem eſt 1079
venenatæ efficaciæ nulla cauſſa ſuppetit 1077
duplex in cancro ſtatuitur 992
Venenoſitas ſanguinis menſtrui ficta 297
Venerea res: ſeminalis orgasmus ſanguini impuritatem imprimere poteſt 297
venereum deſiderium iuuencularum largioris menſium fluxus cauſſa 586
Ventriculi humani, ſuilli, canini, felini peculiaris conſtructio 322
contractio ad detentionem aſſumtorum 361
motus accommodatus eſt materiæ mouendæ 363
fermentum nullibi conſpicitur 356
conſtitutio tenerior in ea parte, vbi eruptio ſanguinis contingit 556 787
conſenſus cum vtero 588
turbatio nephritidi familiaris 849
cruditates vertiginem producunt 700
repletio ſomnum facit 326
corroſio per venena 1077. 1078
foramen ſemiulceroſum ex venabuli vulnere 1078
laceratio per frequentem vſum mercurii vitæ ibid.
ſectione culter exemtus ib.
num ſit ſedes mali hypochondriaci 840
Vermes conuulſionum cauſſa 679
Vermiculi ſeminales Leewenhoekii 384
Vertigo repentina apoplexiæ prodromus 1062
e ventriculi cruditatibus 700
Veſica muco illita quem in finem & vſum 266
Veſiculæ hæmorrhoidales 563. 801. 806. 797
Vetulis interdum menſes erumpunt 594
Victus ſimplicior commmendatur 326. 447
abundantia quid ad morbos conferat 447. 448
ex vegetabilibus & animalibus petitur 319
animalium diuerſus 318
Vigilantia animæ in periculis & damnis 397. 408. 409
in febribus quid denotet 708
Vigiliæ quid ſint 332
earum & ſomni conueniens temperamentum 335
nimiæ nocent 719
Villi inteſtinorum cuius vſus 265
Vinum varii nominis & generis 326. 327
eius inſolitus potus quid efficere poſſit 724
immoderata ingurgitatio quid noceat 755
in lochiorum oppreſſione nocet 833
frigoris efficacia in illud 130
Vipera ipſa remedium ſpecificum contra læſionem eius 1076

Vir quid ſuppeditet in negotio formationis 384. 385
virilis ſexus tam morbis quam ſanguinis excretionibus ſubiectus 300. 453
Vires amiſſæ & omiſſæ diſtinguendæ 687
earum omiſſio peioris indolis quam amiſſio 689
ad motum vſu fatiſcunt 419
earum defectus 685. 686
- - ſequitur periculoſam conſtitutionem 688
deiectio in malignis 685
- diſpendium in hecticis febribus 691
Virga aurea Geſneri tamquam panacea calculi laudatur 868
Viride æris 1076
Vis motoria ſ. mouens 12. 36
plaſtica ſpermati aut ſpiritibus adſcribitur 371. 372
Viſcerum abdominis inflammationes difficillimæ curationis 962
hydropicorum conſtitutio 902
Vita quid ſit 151. 200. 429
corporis organici, ſ. quidnam viuat, quo modo viuat, & quam ob rem viuat 39. 88. 97. 144. 202
vitalitas, viuacitas ad quas res referenda 308
corporis & animæ viua quo modo differant 424
hominis & vita corporis non confundi debent 88
& nutritio ſunt actus ſubordinati 78
eius demonſtratio vnde deducta 167
- vera exſiſtentia & eſſentia 89
ſi tantum in genere conſideratur nugæ ſunt 90
quid proprie ſit non recte intelligitur 31. 50. 52
eius verus conceptus adhuc deficit 87
- - ſi deficit, actiones vitales in morbis non recte agnoſcuntur 39
abſolute & reſpectiue accepta, quid vtrumque inuoluat 89
eius conſtitutio non habet vſum medicum ſed phyſicum 90
de quibus ſubiectis proprie dicatur 87
quo reſpectu de Deo dicatur 89
eius & energiæ vitalis vera cognitio 467
& mixtio corporis inter ſe confunduntur 67
eius inſtrumenta & vera inſtrumentalis ratio 60. 112
eius cauſſa efficiens, auctor ſ. principium 60. 78. 168
quo modo a natura præſtetur 60
eius formalis ratio 78. 79
per nudum actum mechanicum præſtatur 52. 92. 97. 151
media eius ſ. modus fiendi 92
eius tam præſtandæ quam conſeruandæ vera methodus 132
vitales actus neceſſarii ſunt 77. 424. 429
vitale negotium quo ordine adminiſtrari debeat 41. 42
vitalis actiuitatis methodus 461
- conſeruationis ratio & organiſmus 61. 218
num in motu conſiſtat 59. 60. 93
num motus cordis aut circulatio ſanguinis eam efficiat 115. 128. 434

eius

eius ambitus ſ. periodus generalis 241. 501. 506
eius breuitas 45. 102
- conſeruatio artis medicæ ſcopus & obiectum eſt 199
operoſa & laborioſa durat corpus 246
Vitrum antimonii 1076
Viuum corpus quid ſit 144
eius proprius habitus 74
ei duratio neceſſaria eſt 105
nullum aliud eſt quam ſtructum & aggregatum ordinatum 78. 104
viua corpora ſine mixtione intelligi non poſſunt 104
Viui & mixti corporis diuerſitas 50. 65
πρῶτον ψεῦδος eius confuſionis 67
- duodecim argumentis oſtenditur 70-73
- eſt fundamentum theoriæ medicæ 143. 144
Viuorum & viuentium mouentium ſcientia non ſufficienter colitur 103. 104
Viuipara vnde nutrimentum recipiant 377 386
Vlcus quid ſit 977. 978
eius differentiæ 979
- materia ibid.
quas partes occupet 978
eius ſucceſſiua deprauatio 981
- ſuperficies male texta, decolor, liuida, nigreſcens 982
- in partibus exſanguibus indoles 772
- mundificatio 982
- purgatio ab intra quo modo conſideranda 867
Vlcus canceroſum differt a cancro 989. 997
eius hiſtoria 995
Vlcera obfirmata ex abſceſſibus degeneribus 980
pectoris etiam calculos generant 879
vlceratio *renum* calculi fundamentum 867
- *fiſtuloſa* ab hæmorrhoidibus tumentibus 799
Vlceroſo-ichoroſæ congeſtiones 947
Vocis mutatio 273
Voluntas hominis quid ſit, & quid agat 3. 4. 5. 7
eius intentio ſub pathematibus 341
agendi in conſuetudine 344
patheticæ voluntatis συζυγία cum indole motuum epilepticorum 1024
illi minimæ res inſeruiunt ſine neceſſitate a priori 10
Dei certum finem inuoluit 27
- num ſenſatio ab illa dependeat 405
Vomica pulmonum 961
Vomitorium in vomitu num conſultum 111
Vomitoria malum hypochondriacum augent 780
Vomitus rerum alieniſſimarum 827
cum nauſea ingeſtarum 361
menſtrui exemplum 776
Vomitus cruentus 553. 775
eius hiſtoria ſ. ſigna 554
rariſſimus eſt 553
eius ſubiecta 553 554
cur fœminis familiarior quam viris 593. 776
eius cauſſæ & prognoſis 555. 560
ab eius apparatu pendet malum hypochondriacum 791
reſpicit hæmorrhoides & menſes 556. 558 559. 578

menſtruus & periodicus 530. 557
ſanguinis effuſio in ventriculum facilis eſt 788
Vomitus nigrorum 792
in quibus morbis eueniat 793
rariſſimus eſt 792. 794
cuius coloris & qualitatis ſit 793
eius nexus reciprocus cum malo hypochondriaco & vomitu cruento 794
eius prognoſis ibid.
Vreterum inſertio in veſicam 263
Vrina 262
eius ſecretio & excretio 263
num veſicam ſtimulet 114
ad putreſcendum procliuis 263
poſt largiorem potum tenuior & copioſior 253
diu retenta pauca & ſaturatior 249
ſalſa ex alimentis 264
eius imminutio & ſuppreſſio vnde 265
hydropicorum qualis 902
calculoſorum & arthritico-ischiadicorum 865
Vrinariæ viæ quas materias excernant 96
Vterus pathematum hyſtericarum præcipuam culpam gerit 843. 844
eius conſenſus cum ventriculo 588
eius hæmorrhagia 581
- - differt a fluxu menſium nimio 815
eius expurgatio poſt partum 817
vterinæ euacuationes in vetulis 920. 921
Vulnus phyſice & medice conſideratum 441
Vulnera arteriarum 885
vulnerum hæmorrhagiæ 884
vulneribus etiam œdemata ſuperueniunt 914
Vulpis pulmo cuius vſus eſſe credatur 370

W.

Waghälſe, mediciniſche 110
Warthonus adenographiæ rationem iniit 254
Wehethun 600
Wildfleiſch 1066
Williſius flammulam cordis conſtituit 224

Z.

Zacken 806
Zoologiæ hiſtoria non ſufficienter æſtimatur 103. 104

CORRIGENDA.

Pag. 30. §. 74. in marg. leg. exſiſtentiæ. p. 36. lin. 29. l. anima. p. 53. l. 29. l. ſuarum. p. 54. l. 30. l. reparandis. p. 70. §. 10. in marg. l. oſtenditur. p. 75. l. 12. l. tenuiter. p. 82. §. 37. in marg. l. vicina. p. 104. l. 11. l. ordinatiſſime. p. 116. l. 17. l. vt. p. 117. l. 1. in marg. l. Medicus. p. 148. l. 22. l. prolixiſſimis. p. 176. §. 104. in marg. l. frequentia. p. 216. l. 8. l. tales. p. 220. in marg. l. ligatione. p. 260. l. 12. l. tenerrima. p. 270. l. 9. l. hactenus. p. 319. l. 3. l. ſuppeditare p. 331. §. 9. in marg. l. modus. ibid. §. 11. in marg. l. & p. 424. l. 9. l. putrefactio. p. 425. ſequentes columnæ huius plagulæ non recte impreſſæ ſunt, paginæ tamen verum nexum indicant. p. 463. l. 14. l. ſuſcipiendis. p. 486. l. 14. l. nanciſci. ibid. §. 3. in marg. l. conſtitutione. p. 553. §. 1. in marg. l. vt. p. 649. l. 18. l. eadem. p. 812. l. 37. l. gratulantibus. p. 858. §. 23. in marg. circa finem leg. pro effectu conniuum arthritico-ischiadico-hæmorrhoidalium.

(o)

de Sa